De interdicto cõtra Territoriũ, & loca illius,qui injurioſe, aut temere Epiſcopũ percuit,capit,bãnit,vel hoc fieri mandat conſulit,vel ratum habet,c.1429.

De Interdicto contra regna,terras, & loca eorum,qui impedire prẹſumunt legatum ſeu nuncium Summi Pontificis,ne terras ſibi ſubjectas ingrediatur, c.1430.

De interdicto contra terras Eccleſiaſticorum, qui per menſem animo indurato perſtiterunt in cenſura cõtracta,eo quod permiſerint uſurarium manifeſtum in terris ſuis commorari ad fænus exercendum ipſorum enim terræ Eccleſiaſtico interdicto ſubijcuntur quamdiu in illis terris uſurarii commorantur c.uſurarum de uſuris in 6.c.1431.

De Interdicto contra locum in quo ſcienter ſepultus fuit hæreticus,aut ejus receptator, defenſor,vel fautor,c.1432.

F I N I S.

SUMMA BONACINÆ.

De Sacramentis in Genere.

De Nomine Sacramenti. Cap. 1.

SACRAMENTI nomen ſumitur pro Secreto, pro Juramento, pro Myſterio, communiter verò pro Re Sacra. Sed hic accipitur, ut ſignificat id, quod à Chriſto fuit inſtitutum ad conferendam Gratiam.

De Definitione Sacramenti. Cap. 2.

ALiqui definiunt Sacramentum dicentes, eſſe rei Sacræ ſignum, vel inviſibilis Gratiæ viſibilis formæ. Alii eſſe corporale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & continens ſpiritualem Gratiam. Alii, quòd ſit inviſibilis Gratiæ, viſibilis forma, itaut imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Alii, quòd ſit inviſibilis Gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram juſtificationem inſtitutum. Verùm hìc definitur, Sacramentum eſſe Signum Sacrum, quod non ſolùm ſignificat; ſed etiam infallibiliter efficit rem ſacram ſanctificantem homines.

1 Signum tamquam generale, cùm multa ſint ſigna humana, quæ non ſolùm quod ſenſibus videtur, & palpatur, ſignificant, ſed alterius rei cognitionem præbent. Sic fumus non modò ſignificat fumum, ſed etiam, quòd ibi latet Ignis. Sic ablutio Baptiſmi externa, quæ videtur, eſt ſignum ablutionis internæ ſordium. Signum dicitur, quia eſt ſignum rememorativum Paſſionis Chriſti, demonſtrativum Gratiæ, prognoſticum Gloriæ. Signum dicitur, quia Deus Sacramenta inſtituit in iis rebus, quæ ſignificant id, quod demonſtrat, uti in Baptiſmo, cujus externa ablutio internam animæ ablutionem ſignificat. Signum dicitur, quia ſi quæratur, cur Deus Sacramenta inſtituit in Signis, & rebus ſenſibilibus, dico primò, quia ſic voluit, ſecundò quia homo per ſigna externa cognoſcit Spiritualia: tertiò quia homo interiùs debet credere, & exteriùs per Sacramenta fidem habere.

2 Sacrum ſignum dicitur, cùm ſit res ordinata ad Divinum cultum, & propterea non eſt quodcunque ſignum, ſed Sacrum.

3 Significans rem ſacram dicitur, quia eſt ſacrum ex parte rei ſignificantis; & ex parte rei ſignificatæ, quæ eſt Gratia formaliter ſanctificans hominem.

4 Efficiens rem ſacram dicitur, cùm producat Gratiam, unde non habet totum ſuum eſſe in intellectu, ut habet ens rationis, ſed habet vim efficiendi abſque intellectu.

5 Infallibiliter dicitur, quia ex ſe infallibiliter producit gratiam, niſi ponitur impedimentum à ſuſcipiente.

6 Sacramentalibus hæc definitio non convenit, quia ex opere operato non conferunt gratiam, & ideò non ſunt Sacramenta.

Digitized by Google

7 Sacrificio non competit definitio Sacramenti, quia eſt inſtitutum ad indicandum Divinam Excellentiam, non ad ſanctificandum ſacrificantem: Licèt ſacrificium ſumptum materialiter ſit Sacramentum; ſicuti eſt noſtrum ſacrificium, cujus hoſtia eſt verum Sacramentum, & confert gratiam ſuſcipienti.

De Numero Sacramentorum. *Cap.* 3.

1 SAcramenta novæ legis ſunt ſeptem, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can.7.*

2 Baptiſmus eſſentialiter primum locum obtinet, cum ſit janua, quo non ſuſcepto, invalidè alia Sacramenta ſuſcipiuntur.

3 Eſſentialiter, & neceſſariò Baptiſmus primum, Pœnitentia ſecundum poſt lapſum in peccatum locum obtinet, abſque his enim nemo ſalvari poteſt ut ſic.

4 Euchariſtia reſpectu perfectionis primum locum habet, cùm contineat Chriſtum verè ſanctitatis auctorem.

De Sacramentis ante legem Euangelicam, & de ſtatu innocentiæ. *Cap.*4.

1 PRo declaratione, an ante legem Euangelicam fuerint Sacramenta, dicendum eſt, triplicem ſtatum fuiſſe ante illam, ſcilicèt ſtatum Innocentiæ, in quo creatus fuit Adam juſtitia originali. Secundum ſtatum Naturæ, in quo lege naturali vixerunt uſque ad Moyſen. Tertium legis Scriptæ, in quo vixerunt à Moyſe uſque ad Chriſti adventum.

2 In ſtatu Innocentiæ non fuerunt, nec erant neceſſaria Sacramenta. Idem enim Juſtitia originalis efficiebat, ac efficiunt Sacramenta, quæ ſunt neceſſaria in remedium peccati, & ad majorem animi perfectionem; ſed quia per Juſtitiam originalem erant in gratia, & erant ſufficienter eruditi in via ſupernaturalium per ſcientias infuſas: ideò in ſtatu Innocentiæ non erant neceſſaria Sacramenta. Immò ſi factæ fuiſſent oblationes eo tempore, non fuiſſent Sacramenta; & ſi peccaſſent, indiguiſſent Sacramentis: ſed hoc accidere non potuiſſet, niſi fuiſſent creati in puris naturalibus, & abſque juſtitia originali. Nam in ſtatu innocentiæ cum juſtitia originali creatus erat liber à peccato.

3 Matrimonium autem licèt fuerit in ſtatu Innocentiæ, non erat Sacramentum, ſed myſterium, & figura: nec erat ſignum ſacrum ſignificans, & conferens gratiam.

De Statu Naturæ, & de Sacramentis in eo ordinatis. *Cap* 5.

1 IN ſtatu Naturæ duo Sacramenta fuerunt, ut homines ſalvari poſſent. Primùm fuit pro parvulis, quod erat illa externa proteſtatio fidei facta à Parentibus, dum proteſtabantur, omnes ſalvandos per Chriſti adventum: qua proteſtatione dicebantur parvuli juſtificati, & erat remedium pro originali: & fiebat à Parentibus, quia parvuli uſu rationis carentes non poterant hanc proteſtationem facere. Secundum fuit Sacrificium pro adultis inſtitutum ad delendum peccatum actuale: per Sacrificium enim colebatur Deus, & remittebantur peccata in virtute Chriſti venturi.

De Statu Legis ſcriptæ, & de Sacramentis in eo ordinatis. *Cap.*6.

1 IN ſtatu legis ſcriptæ fuerunt plura, quæ propriè Sacramenta dicta ſunt, ut aſſerit Concilium Tridentinum his verbis. Scilicèt Sacramenta novæ legis multùm differunt à Sacramentis veteris legis, quæ fuerunt Circumciſio; Sacrificium, Agnus Paſchalis, & alia, quæ differebant à Sacramentis novæ legis. Primò quia illa fuerunt difficiliora, ut patet in Circumciſione. Secundò fuerunt umbræ noſtrorum Sacramentorum. Tertiò non conferebant gratiam ex opere operato. Quartò non introducebant ad Gloriam. Quintò non habebant determinatam formam verborum. Sextò non faciebant de attrito contritum.

De Circumciſione. *Cap.* 7.

1 QUadringentis annis ante legem ſcriptam datam Moyſi Circumciſio inſtituta à Deo tradita fuit Abrahamo, & deſcendentibus, & licèt alii non erant adſtricti; circumcidi tamen po-

poterant, nec habebunt miniſtrum determinatum: undè vir, mulier, ac ipſemet poterat ſeipſum circumcidere: & ipſa circumciſio erat remedium peccati originalis: ideò ordinata erat ad illud delendum,& ad conferendam gratiam per modum operis operati, non quidem actione, & virtute circumciſionis, ſed ex ſola Dei actione ad præſentiam Sacramenti, ſimulque ex merito Chriſti prævifo, & applicato per fidem in Chriſtum; & propterea dum delebat peccatum, neceſſariò conferebat Gratiam, & quidem ex opere operato ſcilicet ultra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis conferebat Gratiam, quod patet, cum puer octavo die nec meritum, nec diſpoſitionem habere poterat.

2 Licèt Circumciſio data eſſe ad diſtinguendum unum populum ab altero, tamen conferebat gratiam, quia cum ſciſſione erat conjuncta proteſtatio fidei in Chriſtum venturum: quæ conferebat gratiam; ſicut ſciſſio erat cauſa diſtinctionis unius populi ab altero, & non conferebat Gratiam.

3 Etſi Circumciſionem non videatur improbabile contuliſſe gratiam ex opere operato, tamen erat differens à Baptiſmo, qui confert majorem gratiam, auferendo omnem culpam, & pœnam. Circumciſio verò non omnem pœnam, ſed duraturam tantùm uſque ad Chriſti mortem,qua Cœlum apertum eſt. Baptiſmus confert Characterem. Circumciſio minimè.

4 Gratiam Circumciſio conferebat non modò parvulis, ſed etiam adultis cum attritione abſque prævia contritione: & propterea ſicut delebat peccatum originale directè, ita actuale in adultis indirectè, erat autem neceſſaria in adultis neceſſitate præcepti, ſed in parvulis, nec neceſſitate præcepti, nec neceſſitate medii, dum parvuli ante uſum rationis non erant capaces præcepti, nec indigebant medio, cum poſſent ſalvari abſque accepta circumciſione, dum moriebantur ante octavum diem, ſolo remedio legis naturæ.

5 Circumciſio facta fuit in illa corporis parte ad ſignificandum. Primò Chriſtum naſciturum ex ſemine Abraham. Secundò quia delet peccatum originale, quod per generationem tranſmittitur in poſteros, & demum cum ſit ordinata ad diminuendum carnalem concupiſcentiam; quæ dum in illa parte viget, ſciſſio ibi fieri debeat, quæ ſciſſio facta fuit cultro ferreo, licèt alii dicant cultro lapideo: & ubique Circumciſio fieri poterat, non habens locum determinatum. Fœminis autem quia non poterat circumcidi, perſeverabat remedium naturæ, dictum in ſuperioribus in ſtatu naturæ.

De neceſſitate Sacramentorum. Cap. 8

1 Quia agi debet de neceſſitate Sacramentorum, dicendum eſt, quòd neceſſarium, duplex eſt. Scilicèt abſolutè, quod prætermitti non poteſt, & ex ſuppoſitione. Ex ſuppoſitione iterùm neceſſarium duplex eſt, vel neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti.

2 Neceſſarium ex ſuppoſitione neceſſitate medii ſi prætermittatur ex ignorantia, vel oblivione, ſalus non obtinetur ex lege Dei ordinaria.

3 Neceſſarium ex ſuppoſitione neceſſitate præcepti, data opportunitate fieri debet, ſalutem obtinendi cauſa, quod ſi omittatur ex ignorantia, vel impotentia, vel oblivione, non imputatur ad culpam, & ideò non impedit gloriæ conſecutionem, modò neceſſarium ſit ſolum neceſſitate præcepti.

4 Sacramenta non ſunt neceſsaria abſolutè, & ex natura rei ad ſalutem, virtus enim Dei infinita non eſt alligata Sacramentis: & potuiſset alia media ad ſalutem conſequendam inſtituere, noſque ſine Sacramentis ad Cœli gloriam evehere.

5 Sed ex ſuppoſitione: quia dum ſupponitur eſse inſtituta à Chriſto: ideò ſunt neceſsaria neceſſitate medii ad ſalutem; quòd non intelligitur de omnibus, & ſingulis Sacramentis, ſed abſolutè,& in genere, ut de Baptiſmo conſtat: & ſic dum ſunt neceſsaria neceſſitate medii, eò magis ſunt neceſaria neceſſitate præcepti ad ſalutem conſequendam.

De Materia, & Forma. Cap. 9.

1 Sacramentum cum ſit quoddam compoſitum artificioſum, conſtat materia, & forma, ſicut omnia alia compoſita.

2 Materia dicitur materia partis, & forma forma partis: & præter has in compo-

ſito reperitur materiale, & formale. Materiale continet materiam partis, & formam partis, & dicitur materia totius. Formale reſultat ex materia partis, & forma partis, & dicitur materia totius. Formale reſultat ax materia partis, & forma partis, & dicitur forma totius. Exemplum ſit de ſcamno, in quo materiale, ſeu materia totius ſunt ligna, quæ conſtant ex materia, & forma Phyſica. Formale verò, ſeu forma totius eſt aptitudo ad ſedendum, reſultans ex lignis artificiosè diſpoſitis. Materiale ſcamni duo habet; materiam partis, ex qua factum eſt lignum, quæ à Philoſophis vocatur materia prima, & formam partis, quæ eſt forma ipſius ligni, quæ diſponit lignum in ſuo eſſe.

3 In Sacramentis etiam præter materiam partis, & formam partis reperitur materiale; quod dicitur materia totius, & formale, quod dicitur forma totius. Materiale in Baptiſmo eſt ablutio, quæ eſt materia partis, & præſcripta verborum forma: quæ eſt forma partis. Formale eſt, quod reſultat ex ablutione, quæ eſt materia partis, & ex præſcripta verborum forma, quæ eſt forma partis: Materiale Baptiſmi continet materiam partis ſcilicet remotam, quæ eſt aqua, & proximam, quæ eſt ablutio, & formam partis, quæ ſunt illa verba: Ego te baptizo, &c.

4 Materia partis differt à materiale, cum contineat materiam partis, & formam partis, ſic forma partis à formale, quod reſultat à materia partis, & forma partis, quod reſultans eſt eſſe ſignificativum Gratiæ, & illam conferre.

5 In compoſitis materia eſt quid imperfectum, quod à forma perficitur: ita in Sacramentis, materia eſt quid imperfectū, quod à forma perficitur; ſicuti eſt in matrimonio; materia eſt mutua corporum traditio: quæ eſt quid imperfectum; acceptatio verò traditionis corporum eſt forma, quæ perficit, & complet contractum.

De materia, & forma Sacramentorum, & quæ ſit. Cap. 10.

1 OMnia Sacramenta novæ legis conſtant materia, & forma, ſeu rebus, & verbis, quæ habentur pro materia, & forma, & eſt de fide.

2 Materia, ſivè res, eſt quid incompletum in ſignificatione Sacramentorum, forma verò, ſive verba complent, & perficiunt ſignificationem Sacramenti: ut in Baptiſmo. Ablutio ſola non eſt Sacramentum, ſed accedente forma eſt Sacramentum, quod dicendum eſt de omnibus Sacramentis, ut in Pœnitentia, confeſſio peccatorum eſt materia, ex qua non efficitur Sacramentum; ſed ex abſolutione, quæ eſt forma, completur Sacramentum.

3 Fiunt Sacramenta rebus, & verbis: quia Sacramentum cum ſit ſignum, meliùs non poteſt ſignificari quàm rebus, & verbis.

4 Materia duplex eſt; remota, & proxima ut in Baptiſmo remota eſt aqua, proxima ablutio, ſic in aliis Sacramentis, ut ſuo loco dicetur.

5 Materia Sacramentorum eſt determinata, quia à Chriſto eſt inſtituta, ut patebit in explicatione ſingulorum Sacramentorum: non autem determinata eſt in individuo, nam in Baptiſmo hæc, vel illa aqua poteſt adhiberi: & quod dicitur de Baptiſmo, idem dicendum eſt de aliis Sacramentis, in quibus hoc ſingillatim explicabitur. Specie autem morali eſt una materia determinata in ſingulis Sacramentis, ut eſt determinata quoad accidentia, quæ conferunt ad confectionem Sacramenti: ſic enim glacies licet ſit aqua, non tamen eſt materia apta ad Baptiſmum, quia non habet accidentia determinata; ut ſit apta ad abluendum, cum non ſit fluxibilis: ſic etiam vinum in uvis non eſt materia in Euchariſtia, cum careat accidentibus, dum non eſt potabile.

6 Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramentorum: quia non eſt ſupra Chriſtum, qui eam determinavit: & licet Eccleſia determinet matrimonium validum factum coram Parocho, & invalidum ſine Parocho, non propterea mutat materiam hujus Sacramenti, & conſequenter non poteſt mutare materiam aliorum Sacramentorum: quia reddere validum, & invalidum eſt ſolum peculiare in matrimonio, in quo aſſiſtentia ordinatur, ut videatur, ſi ſerventur conditiones præſcriptæ ab Eccleſia imponenda vera forma, & materia determinata à Chriſto, quod eo magis verificatur, quia cum matrimonium ſit contractus, loco contractus non ſubſtituit pro materia, & forma aliud Eccleſia.

7 Et ut Eccleſia non poteſt mutare materiam, ſic nec formam; ideò adhibenda ſunt illa verba pro forma determinata à Chriſto, nec formaliter, vel ſubſtantialiter variari debent, ita ut ſenſus, & ſignificatio varietur; ſi verò varietur materialiter, ſeu accidentaliter; quod fit quando ſalvatur eadem ſignificatio, validè conficiuntur Sacramenta. Variatio autem fit multis modis. Primò Additione. Secundò Detractione. Tertiò Corruptione. Quartò Tranſpoſitione. Quintò Interpolatione. Sextò ſi adhibeantur verba Synonima. Septimò ſi adhibeantur verba æquivoca. De quibus variationibus agetur in ſingulis formis ſingulorum Sacramentorum, & ut meliùs intelligantur, aptiùs exemplo manifeſtabuntur.

8 Sacramentum adminiſtratum verbis æquivocis erit validum, dummodò miniſter habeat rectam intentionem ſignificandi, quod per verba formæ ſignificatur, & non inducendi novum ritum contra Eccleſiam.

9 Verba à ſe ficta in conficiendis Sacramentis non debeant adhiberi, licèt idem ſignificent. Sed communia, ut enim Sacramenta ſunt ſigna ad communem hominum uſum inſtituta; ita verba communi uſu recepta ubique locorum debent adhiberi, cujuſmodi non ſunt, quæ privata auctoritate finguntur.

10 Cum Chriſtus inſtituit pro forma verba in conficiendis Sacramentis, ideò non debent adhiberi pro forma nutus, ſigna aut ſcriptura; ſed tantum in matrimonio, quod uti contractus, poteſt celebrari nutibus & ſignis, quibus animus contrahentium manifeſtetur.

11 In conficiendis Sacramentis quando omittitur aliquod verbum, quod creditur eſſe eſſentiale, licèt verè non ſit; aut additur aliquod verbum: quod verè non eſt eſſentiale: ſed creditur eſſe de eſſentia, validè conficit; modò intendat facere quod poteſt, & quod intendit Eccleſia: quia adeſt debita intentio cum debita forma, intentio enim faciendi quod poteſt eſt ſufficiens ad conficienda Sacramenta.

12 Validè conficit Sacramentum, ſi in eo conficiendo credit, aliqua verba non eſſe eſſentialia, licèt verè ſint, quando ille habeat intentionem faciendi quod poteſt: qua deficiente non conficeret, quia eſſet mutatio ſubſtantialis ex parte intentionis, cùm non intenderet uti illa forma, quæ eſt ordinata.

13 Graviter peccat, qui in conficiendis Sacramentis utitur materia, vel forma dubia: cùm ſe exponat periculo faciendi Sacramentum invalidum: & exponens periculo, idem eſt, ac facere Sacramentum invalidum in moralibus: quod ut eſt peccatum, idem eſt in ſe exponente periculo, dummodò in aliqua neceſſitate non adſit certa materia: quando autem ſit grave, vel leve peccatum debet conſiderari, an fuerit advertentia, vel deliberatio, & an res ſit gravis, vel levis: quia levitas materiæ, inadvertentia, & indeliberatio excuſat à gravitate peccati.

14 Faciliùs adhiberi poteſt materia dubia, quàm forma dubia: quia nemo poteſt cogi ad utendum forma dubia, dummodò nullus novit certam formam: vel ex gravi metu utitur forma dubia, & adhibeatur ſub conditione; vel metus non ſit in contemptum Eccleſiæ.

15 Iterandum eſt Sacramentum, quando in forma defecerit, aut eam non protulerit: ſed quando dubitatur de ejus validitate, tunc ſub conditione eſt adminiſtrandum propter utilitatem ſuſcipientis: dubium autem non debet eſſe leve.

De Materia, & forma ut ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales Sacramentorum.

Cap. II.

1 Materia, & forma, ſeu res, & verba ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales Sacramentorum novæ legis, quia conſtituunt Sacramentum: & ex eis reſultat ſignificatio practica Sacramenti: ſed res, & verba non erant neceſſaria in Sacramentis veteris legis, ut patet in Circumciſione, in qua ad fuit actio abſque verbis, nec eſt neceſſe ſimul in Sacramentis, ſicut ſunt ſimul in compoſito, in quo materia, & forma neceſſariò debent eſſe ſimul Phyſicè: Sed in Sacramentis res, & verba ſufficit eſſe ſimul moraliter, & conſecutivè; ſcilicèt ut unum moraliter ſit poſt aliud, ut in pœnitentia, res antecedunt, & verba ſubſequuntur, cum fiat per modum judicii, & in matrimonio per mo-

modum contractus, licèt in aliis Sacramentis requiratur conjunctio, ut actio, quam facit Miniſter, verificetur, unde in Baptiſmo ut verificetur forma, ego te baptizo, debet abiuere: quare parva mora, & disjunctio ſufficeret ad irritanda Sacramenta: non propterea eſt neceſſaria ſimultas Phyſica, ut ſuis locis dicetur. Et quòd res, & verba ſint partes intrinſicæ, & de eſſentia Sacramentorum patet ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi habetur Sacramenta tribus perfici, ſcilicet materia, forma, & intentione miniſtri, ex quo ſequitur materiam, & formam eſſe de eſſentia, & partes intrinſecas Sacramentorum.

Materia eadem, & eadem forma ubique validant Sacramenta. Cap. 12.

1 EAdem materia, & eadem forma ſufficiunt ad validè Sacramenta perficienda ubique locorum; unde in Baptiſmo perficiendo, valet forma Græcorum in Græcia, & hic Venetiis, & alibi, & ſic valet, ſi conficiatur hic Euchariſtia in Pane fermentato: & in Eccleſia Græca ſi adminiſtretur Baptiſmus forma latina, & Sacramentum Euchariſtiæ conficiatur in Azimis. Tantùm in Sacramento matrimonii hoc non verificatur; quia licèt ubi non eſt acceptatum Concilium poteſt contrahi matrimonium abſque Parochi, & teſtium præſentia: ſed ſi illi hic veniant invalidum eſſet matrimonium, ſi abſque aſſiſtentia Parochi contraherent: quod accidit in matrimonio ratione contractus, qui celebrari debet juxta conſuetudines locorum, & leges.

Tota Forma debet proferri ab eodem Miniſtro. Cap. 13.

1 TOta integra forma debet proferri ab eodem miniſtro: unde ſi ſunt duo, qui proferant baptizando formam: ita ut unus dicat, ego te baptizo: & poſteà alter dicat in nomine Patris &c. hoc cùm ſit falſum, non validè conferunt Baptiſmum, cum tota forma non proferatur ab eodem miniſtro: ſic etiamſi omittatur aliqua pars, formæ ſcilicet, ego te baptizo, ſed dicat tantùm in nomine Patris &c abſque ego te baptizo: vel omittat in nomine Patris, &c. ſed dicat tantùm, ego te baptizo, invalidè baptizatur, quia non profert integram formam: ſed deficit ſenſus ſubſtantialis formæ. Tantùm excipitur Sacramentum Extremæ Unctionis, quod conferri poteſt à pluribus Sacerdotibus, quia confertur per modum orationis, quæ poteſt perfici à pluribus.

De Cauſa Efficiente Sacramentorum. Cap. 14.

1 CAuſa triplex eſt Auctoritativè, per Excellentiam, & Miniſterialiter.

2 Cauſa Auctoritativè principalis eſt Deus: qui ſicut fuit inſtitutor Sacramentorum, tam legis Naturæ, & Scriptæ, ſic fuit etiam inſtitutor Sacramentorum novæ legis.

3 Cauſa principalis Auctoritativè dicitur, & eſt in eo, qui habet plenam potentiam independentem ab alio, & facultatem faciendi creaturis ſupra earum naturas; & conferendi gratiam: quæ facultas ſicut ſoli Deo competit; ità ſolus Deus eſt cauſa principalis Auctoritativè Sacramentorum: nec alius quàm Deus poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ: per quam auſertur injuria facta Deo: & ſicut ſolus Deus poteſt auferre injuriam factam ſibi ipſi, & non creatura aliqua, ideo eſt cauſa principalis gratiæ: cujus effectus eſt efficere Filium Dei adoptivum, & hæredem illius regni: quod ſolus Deus poteſt efficere, & licèt gratia ſit aliquid creatum, non repugnat, nec diminuit perfectionem Divinam, quòd formaliter faciat filium Dei, quia quod confert gratia, confert ex conceſſione, & inſtitutione Dei, non autem ex propria virtute.

4 Chriſtus eſt cauſa Sacramentorum per poteſtatem Excellentiæ, quam habet ob unionen cum Divinitate, & ob quandam omnipotentiam. *Matt. 28. Tota eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra*, & ſicut potuit delere peccata, & gratiam conferre abſque Sacramentis, ut patet exemplo Magdalenę, ita potuit Sacramenta inſtituere, ut realiter inſtituit, cauſa remittendi peccata.

5 Omnia Sacramenta per poteſtatem Excellentiæ fuiſſe inſtituta à Chriſto ex definitione *Conc. Trid. ſeſſ 7 c. 1.* patet, & patebit ex dicendis de ſingulis Sacramentis.

6 Poteſtatem hanc inſtituendi Sacramenta

menta potuiſſet Chriſtus conferre Apoſtolis: & Eccleſiæ cùm nihil implicet: & reverà non contulit *ex Conc. Trid. loco cit.* ſed ipſe inſtituit, & Apoſtolis tradidit, ut ſuo tempore illa promulgarent: quæ promulgatio fuit in cauſa, quòd DD. videntur aſſerere ab Apoſtolis eſſe inſtituta; verùm hanc poteſtatem Apoſtolis non contulit, ut unum ſolum caput eſſet in Eccleſia, quod eſt Chriſtus, & ne homines ponerent ſpem ſuam in hominibus, ſed in Deo.

6 Cauſa miniſterialis eſt miniſter, qui concurrit ad conficienda Sacramenta in nomine, & virtute Chriſti: & dici poteſt inſtrumentum conferendi gratiam. *1. Cor.*

7 Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Miniſteriorum Dei: & licèt ſolus Deus ſit cauſa Gratiæ, & juſtificandi, intelligitur de cauſa principali gratiæ: ſed non excluditur, quin homo poſſit eſſe cauſa Miniſterialis, & inſtrumentalis, ut loco citato. *1. Corinth 4.*

8 Chriſtus contulit poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta ſolùm hominibus: unde homo de potentia Dei ordinaria eſt ſolus miniſter ordinarius, & ſufficiens, ut patebit ex dicendis de ſingulis Sacramentis: in quibus declaratur non omnibus hominibus datam eſſe hanc poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta excepto Baptiſmo, & Matrimonio.

9 Angeli autem poſſunt eſſe miniſtri Sacramentorum ex divina diſpenſatione: quia cùm virtus Dei non ſit alligata, & effectum Sacramentorum abſque Sacramentis poſſit producere: ita poteſt conſtituere Angelos miniſtros Sacramentorum: qui licèt non poſſit propriè loqui, ſufficeret, ut Angelus proferret voces ſimiles humanis vocibus, quæ percipiantur ab hominibus.

10 Quando autem de potentia ordinaria aliquod Sacramentum à Diabolo adminiſtraretur, habendum eſſet invalidum, quia talem facultatem, non eſt credibile, daturum eſſe Deum, licèt, cùm Dæmon ſit creatura Deo ſubjecta de potentia Dei abſoluta, aſſumpto corpore, Dæmon validè Baptizaret de mandato Dei.

11 Potiùs autem Deus conſtituit homines miniſtros Sacramentorum, quàm Angelos, quia magis conformatur unus homo cum alio; & propterea Deus factus eſt homo, ut ſalvaret hominem.

De Bonitate Miniſtri circa adminiſtrationem Sacramentorum. Cap. 15.

1 Probitas Miniſtri regulariter non eſt neceſſaria ad validè Sacramenta adminiſtranda, quia cùm habeat characterem indelebilem, non aufertur per peccatum, ita ut non poſſit conferre Sacramenta, licèt detineatur graviſſimis ſceleribus, quia ſi poteſtas auferretur per peccatum, ſequeretur ſuſcipientem privari Sacramentis; ſeu Sacramentorum effectibus defectu Miniſtri, quod non eſt admittendum.

2 Sed invalidè ab improbo Miniſtro aliquando adminiſtrantur Sacramenta; quando enim quis inducit Confeſſarium ad ei adminiſtrandam pœnitentiam; & ſcit illum eſſe in peccato mortali; licèt habeat copiam alterius Confeſſarii probi: Is quia inducit Miniſtrum ad peccandum, adminiſtrando pœnitentiam in peccato mortali, facit peccatum mortale, atqui in ſuſceptione abſolutionis Sacramentalis peccat mortaliter, invalidè recipit Sacramentum; ut infrà dicetur.

3 Et licèt improbus miniſter non habeat gratiam, cùm ſit in peccato mortali, poteſt tamen illam conferre, quia non facit principaliter virtute propria, ſed confert gratiam virtute Chriſti.

4 Probitas Miniſtri licèt non ſit neceſſaria ad validè, eſt tamen neceſſaria ad licitè adminiſtranda Sacramenta: unde graviter peccat, quoties illa indignè adminiſtrat in peccato mortali. & propterea Miniſter habens conſcientiam peccati mortalis debet recurrere ad actum attritionis, contritionis, vel Confeſſionis juxta ſtatum, in quo reperietur, ut in gratia conſtituatur, & dignè poſſit conferre Sacramenta.

5 Exercentes functiones ordinum, præciſa adminiſtratione Sacramentorum facta à miniſtro deputato in peccato mortali, non peccat mortaliter; quia cùm non ſint immediatè Sanctificatrices, non tenetur ſub mortali eſſe in gratia, idem de exercentibus ordines majores, ut dicendum.

6 Epiſcopus conferens primam Tonſuram, aut benedicens ſacra veſtes, aut conſacrans Eccleſiam, aut conficiens Chriſma, aut habens concionem ad po-

pulum in peccato mortali, non peccat mortaliter, quia non videtur materia gravis.

7 Benedicens aquam benedictam in peccato mortali non peccat mortaliter.

8 Parochus aſſiſtens Matrimonio, vel ſponſis benedicens in peccato mortali non peccat mortaliter, quia non eſt eſſentialis miniſter, nec profert formam.

9 Contrahentes Matrimonium in peccato mortali, committunt unum peccatum mortale; ſcilicet recipiendo Sacramentum.

De fide neceſſaria in adminiſtratione Sacramentorum. Cap. 16.

1 IN Sacramentorum valida adminiſtratione non eſt neceſſaria fides in Miniſtro dummodò adſit materia, forma, & intentio Miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia: Miniſter enim non operatur virtute propria, ſed virtute Chriſti; virtus enim propria miniſtri eſt tam fides, quàm Charitas, quæ omnia ſunt intelligenda de Miniſtro Baptizato, non de infideli.

2 Fides licèt non ſit neceſſaria ad validam Sacramentorum adminiſtrationem, eſt neceſſaria ad licitam adminiſtrationem eorum. Graviter enim peccaret qui ſine fide adminiſtraret Sacramenta, quamvis validè adminiſtraret, qui enim fide caret, exiſtit in peccato, & qui adminiſtrat Sacramenta in peccato mortali, peccat mortaliter; unde Miniſter adminiſtrans Sacramenta abſque fide graviter peccaret, quia ea adminiſtraret in peccato mortali.

De Intentione Miniſtri neceſſaria ad conficienda Sacramenta. Cap. 17.

1 AD Conficiendum Sacramentum requiritur Intentio Miniſtri *ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 11. de Sacramentis*: ubi ſtatuitur Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione Miniſtri.

2 Intentio definitur eſſe actum voluntatis liberum in finem: & differt ab attentione, quæ eſt actus intellectus conſiderantis, quæ homo agit; intentio verò eſt actus voluntatis, quo homo ſe determinat ad aliquid faciendum.

3 Intentio dividitur in habitualem, actualem, & virtualem. Actualis eſt, quando quis actualiter intendit, & vult facere Sacramentum, dum illud conficit. Virtualis eſt illa, quæ durat poſtquam præceſſit actualis in aliquo opere inchoato, nec eſt interrupta, habitualis eſt illa, qua quis facit aliquid ex habitu nulla præcedente intentione.

4 Intentio faciendi Sacramentum, aut faciendi quod intendit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, neceſſaria eſt ad conficienda Sacramenta quia determinat actionem ad eſſe Sacramentale; in qua intentione faciendi Sacramentum includitur implicitè conferendi effectum Sacramenti: nam, qui vult conficere Sacramentum, vult etiam ſuum effectum, qui conſequitur ad Sacramentum.

5 Intentio autem ſufficit virtualis; nam actualis non eſt neceſſaria; habitualis non ſufficit; ſufficit igitur virtualis, quæ eſt poſtquam actualis præceſſit adhuc virtualiter durat in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec eſt moraliter interrupta per oppoſitam intentionem, aut per longam temporis moram interpoſitam.

6 Et quod dictum eſt de intentione dicendum eſt de attentione, quæ ſufficit, ut ſit virtualis.

De Primario effectu Sacramentorum, qua eſt gratia. Cap. 18.

1 EFfectus Sacramentorum duplex eſt. Primarius, qui eſt gratia. Secundarius, qui eſt character.

2 Effectus Primarius eſt gratia habitualis, quæ eſt qualitas ſupernaturalis, qua homo formaliter juſtificatur.

3 Gratia duobus modis confertur: vel ex opere operantis, vel ex opere operato; gratia ex opere operantis confertur per meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis: ſic peccator eliciens actum contritionis recipit gratiam ex opere operantis. Gratia ex opere operato confertur non propter ſolam diſpoſitionem ſuſcipientis: ſed propter aliquid aliud externum inſtitutum à Deo ad conferendam gratiam ultra meritum; & diſpoſitionem operantis.

4 Omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato: *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 8 & 9.*

5 Fides eſt cauſa gratiæ fundamentaliter, & remotè. Sacramenta verò ſunt cauſa gratiæ

ratiæ formaliter, & proximè. Fides debet ræcedere tanquam fundamentum, & diſpoſitio ad recipienda Sacramenta: & ſic jui recipit Sacramenta, cùm ſit in gratia, er fidem recipit augumentum gratiæ: *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can 7.*

6 Sacramenta novæ legis ſemper conferunt gratiam niſi ponatur obex. Et non ſolùm gratiam juſtificantem, ſed etjam ratiam virtutum, & donorum, quæ ſunt idei, ſpei, charitatis, &c.

7 Sacramenta veteris legis non conſerebant propriè gratiam: ſed eam conferebant per Chriſti Paſſionem, quam præſigurabant, in quorum numero non numeratur Circumciſio, quæ gratiam conferebat ex opere operato, nec erat veteris legis: p. r egem enim veterem intelligitur lex ſcripta à Muyſe. Circumciſio autem data fuit ante, ut ſuprà dictum eſt. Additur, quod icut Sacramenta Novæ legis differunt deinitione à Sacramentis Veteris legis, ſic lifferunt in conferenda gratia; Nam Sacramenta novæ legis, ſunt ſigna Sacra infallibiliter conferentia gratiam ſanctificantem, ſed Veteris legis non conferebant gratiam ſanctificantem, ſed illam in futurum conferendam per Chriſti Paſſionem ignificabant.

Quænam Sacramenta conferant primam gratiam Cap 19.

1 GRatia duplex eſt: Prima, quæ primò recipitur, & ante ipſam nulla ilia eſt in ſubjecto: Secunda ſupponit aliam priùs eſſe in ſubjecto

2 Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam: Baptiſmus enim, dum delet peccatum originale, confert primam gratiam: ſic Pœnitentia, dum delet peccatum actuale, & mortale commiſſum poſt Baptiſmum, confert primam gratiam.

3 Omnia Sacramenta igitur præter Baptiſmum, & Pœnitentiam inſtituti ſunt ad augendam gratiam: ſupponunt enim ſuſcipientem conſtitutum eſse in gratia. qui ſi non eſset in gratia, ſed eſset in peccato; recipiendo Sacramenta, non modò non reciperet gratiam, ſed committeret peccatum ſacrilegii mortale.

4 Sacramentum Pœnitentiæ, licèt ſit inſtitutum ad conferendam primam gratiam, tamen confert etiam ſecundam: quando enim accedit quis ad Pœnitentiam contritus, vel habens ſolùm peccata venialia, tunc Pœnitentia confert ſecundam gratiam: quia per contritionem jam acquiſivit primam gratiam. Idem dicendum eſt de Baptiſmo; nam ſi adultus accedit ad ſuſcipiendum Baptiſmum contritus; hic, ſtante contritione, cùm ſit in gratia; Baptiſmus tunc collatus confert ſecundam gratiam.

5 Sacramenta aliqua licèt non ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam, tamen eam conferunt; ut ſunt Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis: ad quæ ſuſcipienda qui accedit exiſtens in peccato mortali: ſed credit bona fide non eſse in peccato: illa Sacramenta, quæ recipit, conferunt primam gratiam: quia Sacramenta conferunt ſemper gratiam niſi ponatur obex, obex autem non ponitur, cùm accedit bona fide, credens, non eſse in peccato.

6 Diſpoſitio requiritur in ſuſcipientibus Sacramenta, ut recipiant primam, vel ſecundam gratiam, & eſt duplex, una in intellectu, altera in voluntate: in intellecto requiritur fides, in voluntate requiritur attritio: non enim eſt neceſsaria Contritio, quæ confert gratiam: unde ſi quis accederet ad ſuſcipienda Sacramenta contritus, nunquam reciperet primam gratiam: quam cùm jam haberet per contritionem, Sacramenta, quæ reciperet, conferrent ſecundam gratiam.

De æquali, vel inæquali gratia, quæ recipitur à ſuſcipientibus cum æquali; vel inæquali diſpoſitione. Cap 20.

1 REcipientes eadem Sacramenta cum æquali diſpoſitione, æqualem gratiam ſuſcipiunt, quia Sacramenta æqualiter operantur in ſubjecto, æqualiter diſpoſitio, quando autem Deus alicui æqualiter diſpoſitio majorem gratiam confert, hoc non eſt effectu Sacramenti, ſed donum à Deo gratis datum.

2 Recipientes Sacramenta eadem cum inæquali diſpoſitione, inæqualem gratiam recipiunt: ad iuſtiſſimam enim Dei Sapientiam, & providentiam ſpectat, ut magis diſpoſitus, majorem recipiat gratiam.

2 Ex

3 Ex vi etiam diſpoſitionis non ſolùm recipitur aliqua gratia præter Sacramentalem, ſed recipitur etiam major, vel minor gratia: quando enim diſpoſitio extra Sacramentum eſt ſufficiens, ad conferendam gratiam, ut eſt Contritio, tunc ex vi diſpoſitionis recipit aliquam gratiam præter Sacramentalem, & majora ex vi Sacramenti. Sed ſi non eſt ſufficiens, ut eſt Attritio, non recipitur major gratia ex vi illius diſpoſitionis, nec aliam ultra Sacramentalem & propterea, quando duo accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ unus Attritus, & alter contritus: contritus ex vi diſpoſitionis recipit majorem gratiam, non ſolùm ex vi Sacramenti, quæ confert majorem gratiam magis diſpoſito: ſed etiam ex vi diſpoſitionis, id eſt contritionis: quæ eſt ſufficiens ad conſequendam gratiam extra Sacramentum.

Eadem gratia recipitur in Sacramentis à bono, quàm à malo Miniſtro collatis. Cap. 21.

1 QUia materia Chriſti non minuitur cauſa improbitatis miniſtri, & gratia confertur ob merita Chriſti, & non miniſtri; ideò, qui recipit Sacramenta à meliori miniſtro non recipit majorem gratiam. Exemplum ſumitur à Nazianzeno oratione 4. in Baptiſmum; ſic enim dicit: Ita ſe habet bonus, & malus miniſter, ſicut ſe habent ſigillum ferreum, & aureum: ſed ſigillum ferreum imprimit eãdem figuram, quam imprimit aureum; ergo eamdem gratiam confert miniſter improbus, quam probus.

Gratia, quæ recipitur in Sacramentis, non eſt diverſa eſſentialiter, ſed accidentaliter. Cap. 22.

1 GRatia, quæ recipitur ex Sacramentis, non eſt diverſa eſſentialiter: ſed eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus Sacramentis: quia aliter non intenderetur in ſuſceptione Sacramentorum; Una enim qualitas unius ſpeciei non intenditur per qualitatem alterius ſpeciei diverſæ, ſed per qualitatem ejuſdem ſpeciei, & propterea *Conc. Flor.* dicit, gratiam per unum Sacramentum acceptam augeri per ſuſceptionem alterius, ideò gratia erit ejuſdem ſpeciei, ſed diverſa non eſſentialiter, ſed accidentaliter.

2 Diverſitas verò accidentalis gratiæ Sacramentorum conſiſtit in diverſis auxiliis quæ comitantur gratiam habitualem, ut obtineatur finis, ad quem Sacramentum eſt ordinatum, ut in Baptiſmo confertur gratia cum auxiliis ad dignè ſuſcipienda alia Sacramenta In Cõfirmatione confertur gratia cum auxilio ad firmiter confitendam fidem; & ſic de cæteris, in quibus gratia cum diverſis auxiliis confertur.

Sacramenta conferunt, & producunt gratiam Moraliter, & Phyſicè. Cap. 23.

1 CAuſa duplex eſt; Moralis, & Phyſica. Cauſa Phyſica eſt illa, quæ verè, & realiter influit in effectum, Deus enim eſt cauſa Phyſica dum creat. Cauſa moralis dicitur, cujus intuitu cauſa Phyſica aliquod producit.

2 Sacramenta ſunt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ, quia eorum intuitu Deus, ut cauſa Phyſica, producit gratiam: & propterea cùm cauſa moralis ſit illa cujus intuitu cauſa Phyſica aliquod producit: & Deus, ut cauſa Phyſica intuitu Sacramentorum producat gratiam, ideò Sacramenta ſunt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ.

3 Sacramenta præter eſſe cauſam moralem inſtrumentalem gratiæ, ſunt etiam cauſa Phyſica verè producens ipſam gratiam immediatè; Sacramentum enim non modo eſt ſignum rememorativum, & repræſentativum; ſed etiam infallibiliter effectivum. ut dictum eſt, & cùm Deus poſſit elevare Sacramenta ad Phyſicè producendam gratiam; credibile eſt de facto elevaſſe, quia hoc arguit dignitatem, & excellentiam in Sacramentis, quæ producunt gratiam immediatè; nam ut continent, & conferunt gratiam; ideò immediatè conferunt, & producunt, quod continent.

De Tempore, in quo Sacramenta conferunt gratiam. Cap. 24.

1 SAcramenta in eo inſtanti producunt gratiam, quando materia cum forma, ad quod ſunt inſtituta, ſunt perfectè completa, non enim vocatur Sacramentum, niſi quando materia, & forma habent per-

perfectam ſignificationem, ut in Baptiſmo, qui cauſat gratiam in eo inſtanti, in quo ablutio, & prolatio verborum habuerint perfectum ſenſum.

2 Verùm quia non ſemper materia, & forma ſunt ſimul, propterea confertur gratia in eo inſtanti, in quo perficitur materia, vel forma: non enim implicat ſi perficiatur priùs materia, quàm forma, vel forma, priùs quàm materia, ut in Baptiſmo, ſi priùs proferatur forma, quam fiat ablutio, quando erit perfecta ablutio; tunc confertur gratia: & eodem modo ſi priùs fiat ablutio, & poſteà proferatur forma; quando erit perfecta prolatio formæ, tunc confertur gratia, licèt effectus magis tribuatur formæ, quàm materiæ: Sacramentum enim regulariter perficitur in ultimo inſtanti prolationis formæ: quia ſignificatio materiæ determinatur ab ipſa forma.

De Charactere ſecundario effectu Sacramentorum. Cap. 25.

1 Character ſignificat notam, ſeu ſignum, quo res tali ſigno inſignita diſtinguitur ab aliis, qualis eſt character Baptiſmi: per quem homo Baptizatus diſtinguitur ab infideli.

2 Tria Sacramenta imprimunt Characterem: ſcilicet Baptiſmus: Confirmatio; & Ordo, quod eſt de fide; ut in *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 9.* Reliqua Sacramenta non imprimunt, ſicut nec imprimebant Sacramenta veteris legis.

3 Character eſt qualitas ſpiritualis animæ divinitus infuſa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta ſuſcipienda, vel adminiſtranda, & ad alia divini cultus opera; Qualitas dicitur loco generis, cùm conveniat character cum gratia, & aliis qualitatibus ſupernaturalibus Animæ divinitus infuſa: quia character imprimitur in anima. *Concil. Trid. loco citato*, & immediatè imprimitur in ipſa animæ ſubſtantia, homo redditur aptus ad Sacramenta ſuſcipienda, & ad alia, quod eſt munus, & finis characteris.

4 Homo de potentia Dei abſoluta eſt capax characteris: quia habet animam, in qua imprimitur Character. Veriſimile eſt Angelum eſſe capacem characteris: quia in Angelis reperitur capacitas ad reliqua dona gratiæ. In Chriſto non eſt Character: quia Character arguit quandam imperfectionem, & dependentiam ab alio, ſed Chriſtus eſt perfectiſſimus, nec dependet ab alio, cùm ſit ſupremus Dominus.

5 Characteres Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis differunt inter ſe ſpecie, quia ſpecies potentiarum, actuum, & habituum ſunt differentes in unoquoque Sacramento.

6 Characteres Confirmationis, & Ordinis habent connexionem cum charactere Baptiſmi, quia Confirmatio, & Ordo neceſſariò ſupponunt Baptiſmum. Character verò Confirmationis, & Ordinis non habent neceſſariam connexionem inter ſe: quia ſi Ordo conferretur alicui ante Confirmationem, tenet, & recipiens Ordinem ante Confirmationem excuſatur à mortali. Characteres Ordinum non habent neceſſariam connexionem inter ſe, quia per ſaltum aliquo ordinato, Ordines tenet.

7 Character ſemel ſuſceptus ſemper durat, & permanet, nec amittitur per peccatum, nec per degradationem, nec per mortem. *Conc. Trid ſeſſ. 7. can. 9.* ex quo ſequitur Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem non poſſe iterari, immò ſi mortuus Baptizatus, Confirmatus, & Ordinatus, Divina providentia ad vitam reduceretur, non eſſet iterum Baptizandus, Confirmandum, & Ordinandus.

De Subjecto, ſeu ſuſcipiente Sacramenta. Cap. 26.

1 Homo ſolus eſt ſubjectum capax Sacramentorum, cùm ſint inſtituta ad ſalutem hominis, & in remedium peccati.

2 Angeli non ſunt capaces Sacramenti: cùm ſint ſpirituales, & Sacramenta conſiſtant in rebus materialibus; & licèt Eucharistia dicatur panis Angelorum, non tamen Chriſtum Sacramentaliter percipiunt, ſed quia Chriſto fruuntur, eique ſpiritualiter uniuntur; & ſi multi Angeli peccaverunt, Sacramenta non ſunt inſtituta ad Angelorum peccata remittenda, ſed ad ſalutem hominum.

3 Si aliquod animal comedet Hoſtiam conſecratam, vel bibat aquam Baptiſmi, recipit Euchariſtiam materialiter, ſed non Sacramentaliter, ut Sacramentum, & bibes aquam

aquam Baptiſmi non recipit Baptiſmum, ſed bibit id, quod eſt materia Baptiſmi.

4 Non omnes homines ſunt capaces omnium Sacramentorum, quod patebit ex dicendis de ſingulis Sacramentis.

Requiſita in ſuſcipiente Sacramenta. *Cap. 27.*

1 INtentio debita primò in Adulto requiritur ad recipienda Sacramenta, quia in rebus magni momenti requiritur propria voluntas, & ſicut in Miniſtro requiritur intentio conficiendi Sacramenta, ſic in ſuſcipiente. Intentio ſuſcipiendi Sacramenta dicitur de Adulto, quia de iis, qui carent uſu rationis, conſtabit ex dicendis.

2 Qui recipit Euchariſtiam ad famem expellendam, vel recipiens hoſtiam, neſciens illam eſſe conſecratam; quia non habet intentionem recipiendi Sacramentum, non recipit fructum ejus; ſic non recipit Sacramenta; qui nunquam intentionem habuit ea ſuſcipiendi, ſed poſteà in amentia ſuſcipit abſque declaratione alterius voluntatis, invalidè ſuſcipit Sacramenta, recipiendo illa invitè; ſecùs ſi voluntariè mixtè, ut per metum grave, ſeu leve, & ſic invalidè ſuſcipitur ab adulto, qui nunquam Sacramentum petiit, vel acceſſit ad Sacramentum cum intentione neutrali, ut dicetur.

3 Non ſemper in ſuſceptione Sacramentorum requiritur intentio actualis, aut virtualis, ſed ſufficit habitualis, ut qui petiit Sacramenta, & illicò obmutuit, iſti ſunt conferenda Sacramenta ex *Conc. Carteg 3. cap.* 34. ſic etiam exiſtenti in articulo mortis, ſi Catholicè vixit, ſunt conferenda illa Sacramenta, quæ conferri eſt conſuetum. Idem dicendum eſt de illis, qui actum veræ contritionis, vel attritionis de peccatis elicuerunt; iſti cenſentur implicitè petiiſſe Sacramenta, quorum ſumptio præcipitur in articulo mortis.

4 In Adulto, qui recipit Sacramenta præter intentionem requiritur diſpoſitio talis, ut ſit capax principalis effectus ſcilicèt gratiæ; quia ſanctè Sancta tractanda ſunt, ſed qui non habet diſpoſitionem, ut ſit capax gratiæ, non ſanctè Sancta tractat, ſed indignè, & eſt ſacrilegus.

5 Gravius peccatum committit, qui Sacramenta recipit in peccato, quàm qui adminiſtrat. Miniſtrans enim in peccato non tollit gratiam; ſed qui recipit abſque debita diſpoſitione non recipit gratiam.

6 Diſpoſitus ad recipiendum principalem effectum Sacramentorum, qui eſt gratia; ſed ponit obicem ad recipiendum effectum ſecundarium; ut ſi quis accedat ad Baptiſmum cum alicujus peccati venialis complacentia, non obtinet remiſſionem totius pœnæ, quæ eſt effectus ſecundarius Sacramenti Baptiſmi; non autem peccat mortaliter.

7 Qui accedit ad ea Sacramenta ſuſcipienda inſtituta ad conferendam primam gratiam, non tenetur eſſe in gratia; quia ſi eſſet; illa Sacramenta non conferrent primam gratiam, ſi alia adeſſet in illo; tamen duplex diſpoſitio in eo requiritur; una ex parte intellectus, quæ eſt fides, quæ ſemper haberi debet, altera ex parte voluntatis in eo, qui actualiter peccavit, quæ eſt dolor, & deteſtatio peccatorum actualium, ſeu attritio; quia non remittitur peccatum, niſi revocata ſit voluntas peccandi, quæ non cenſetur revocata; donec non adſit dolor, ſeu attritio peccatorum.

8 Qui accedit ad recipienda Sacramenta inſtituta ad augendam gratiam debet eſſe in gratia; quia ſi non eſſet poneret obicem, & proptereà qui eſt in peccato mortali tenetur confiteri, vel ſaltem contritionem habere; excepto Euchariſtiæ Sacramento, in quo præmittenda eſt confeſſio, & non ſufficit contritio, ut conſtabit ex dicendis de Euchariſtia. Ad alia autem Sacramenta ſuſcipienda ſi quis accederet attritus, putans eſſe contritum, quia bona fide credit, ſe eſſe in gratia, non ponit obicem, ideò recipit gratiam. Idem dicendum de eo, qui inculpabiliter non advertit ſe eſſe in peccato mortali, nam ſi actum attritionis eliciat, recipit gratiam.

Quomodo Sacramenta recedente fictione conferant gratiam. *Cap.* 28

1 DEclaratur, utrum Sacramenta, recedente fictione, conferant gratiam: quod idem eſt, ac ſi dicatur, qui ſine debita diſpoſitione recipit Sacramentum, an recipiat gratiã accedente diſpoſitione, quam omiſit, ut qui bona fide recipit baptiſmũ ſine attritione, poſita attritione, recipiat effectum baptiſmi, quem anteà acceperat; ſive dicas, utrum Sacramenta validè

-lidè collata producant ſuum effectum ſublata fictione, ſeu obice: & propterea dicendum eſt, fictionem duobus modis contingere. Primò defectu Intentionis recipiendi Sacramentum, vel cum alio defectu eſſentiali, ita ut Sacramentum ſit invalidum: Secundò defectu attritionis, ut ſi recipiens Sacramentum non habuit attritionem, quam inculpabiliter omiſit.

2 Qui recipit Sacramentum abſque intentione, quæ dicitur fictio, ſublata fictione, & habita intentione poſt ſuſceptum Sacramentum, non recipit effectum Sacramenti, quia jam Sacramentum fuit irritum defectu voluntatis, & intentionis, nec validatur per ſubſequentem intentionem, quia neceſſe eſt denuò ſuſcipere.

3 Qui recipit Sacramentum cum fictione, quando ſcilicet inculpabiliter omiſit attritionem, ſublata fictione, hoc eſt poſita attritione, conſequitur fructum Sacramenti, ut declarabitur in Sacramento Baptiſmi: dummodo poſt illam ſuſceptionem Sacramenti non ſit commiſſum novum mortale peccatum: quia tunc ad recipiendum fructum Sacramenti non ſufficit auferre fictionem; ſed requiritur contritio, ſeu confeſſio ad delendum peccatum commiſſum poſt Sacramentum fictè ſuſceptum.

4 Recedente itaque fictione confertur gratia reſpondens diſpoſitioni, per quam recedit fictio, & reſpondens acramento præterito; quia Sacramentum numquam producit ſuum effectum deterioris conditionis.

Indignè petenti Sacramenta quando ſunt adminiſtranda. Cap.29.

1 Peccator eſt, qui Indignè petit Sacramenta, qui vel erit publicus, vel occultus: vel petit publicè, vel occultè. Publicus dicitur: Primò quando conſtat in judicio. Secundò, quando commiſſum eſt delictum in præſentia multorum. Tertiò, quando eſt publicus pro fama. His poſitis dicendum eſt.

2 Peccatori publico petenti publicè, vel occultè non ſunt adminiſtranda Sacramenta; non enim ſunt admittendi indigni ad Sacramenta: immò nec ſunt adminiſtranda ſuſpecto de gravi crimine: dummodò ſuſpicio non ſit levis; ſed gravis.

3 Peccator occultus non debet admitti ad Sacramenta ſi petat occultè: ſed occulto publicè petenti ſunt adminiſtranda: ſic Chriſtus non denegavit Judæ publicè petenti Sacramentum: ratio autem, quia ſunt deneganda occultè petenti, & non publicè eſt, quia miniſter cogeretur, negando occulto publicè petenti, ad reddendam rationem hujus negationis, & ad manifeſtandum illius pec atum occultum; quod non ſucce deret in occulto occultè petenti; nam dum occultè petit, occultè negatur, nec plus ultra proceditur: nec collatio Sacramentorum occulto peccatori publicè petenti facta non imputabitur ad peccatū: quia facit actionem per ſe bonam, licet prævideat fore, ut alter peccet, nec cenſetur cooperari peccato alterius, ſed ſolum permittere. Hoc autem non debet intelligi de peccatore occulto propter peccatum occultum cognitum ſolùm in confeſſione, qui non debet expelli à Sacramentis, ne reddatur confeſſio odioſa, & ne ab ea retrahantur homines. Non eſt repellendus igitur peccator occultus publicè petens à Sacramentis, quoties non poteſt ſine ſcandalo, & infamia: ſed ſi abſque infamia, & ſcandalo poteſt repelli, fieri deberet, quia tunc non eſſet juſta cauſa adminiſtrandi Sacramenta indigno.

4 Non ſunt adminiſtranda Sacramenta uſurario notorio, niſi debitam exhibeat cautionem. Non peccatori publico, niſi conſtet de ejus pœnitentia: Non Hiſtrioni comedias turpes publicè repræſentanti, nec illi, quando eſt publica, & vehemens ſuſpicio ipſum eſſe in ſtatu gravis peccati, donec conſtet de rei veritate, innocentia, vel emendatione, ſi verò ſuſpicio ſit lævis, non eſt repellendus: petens enim cùm poſſideat ſuam famam, illi favendum eſt. In articulo autem mortis non ſunt deneganda Sacramenta, nec propter levem, nec propter gravem ſuſpicionem: quia exponeretur periculo gravis incommodi, & detrimenti, quod non debet fieri in illo articulo.

5 Non eſt danda Euchariſtia de Crimine ſuſpecto in probationem Criminis, vel innocentiæ, cùm ſit tentare Deum petendo miraculum: & vanum eſt credere aliquem eſſe innocentem, quia Deus per Euchariſtiam ultionem non ſumpſerit.

6 Sacerdos ob metum mortis, vel notabi-

tabilis infamiæ adminiſtrare poteſt Sacramentum peccatori publico; quia videtur exercere actionem ex ſe bonam: & videtur potiùs permittere alterius peccatum ex juxta cauſa, quàm ad illud cooperari, dummodò non ſit ſcandalum activum, quod omnes præcavere debent.

7 Sacerdos non poteſt præbere hoſtiam non conſecratam peccatori occulto publicè petenti ad vitandum ſacrilegium petentis: licèt ipſi petenti dicat, ſe non eſſe traditurum hoſtiam conſecratam, quia daret majorem materiam peccati, ſcilicet Idolatriæ.

8 Sacerdos ad conferenda Sacramenta debet adhibere diligentiam, ſi petens habeat diſpoſitionem, & dignè petat, juxta conditionem uniuſcujuſque Sacramenti.

Quando liceat recipere Sacramenta à Miniſtro in peccato Mortali exiſtente. Cap. 30.

1 Cauſa neceſſitatis, & juſtæ, & rationabilis utilitatis licet petere, & recipere Sacramenta à quolibet Sacerdote poteſtatem habente, & juriſdictionem licèt ſciatur, eſſe adminiſtraturum in peccato mortali, ſive paratus ſit ad illa miniſtranda, ſive non; quia utitur juro ſuo, petendo, & recipiendo, quæ ſanctè, & religiosè præſtari poſſunt, non enim Inducimus illum ad peccatum; ſed ipſius peccatum permittimus ex juxta cauſa; Extra autem neceſſitatem, vel rationabilem utilitatem non licet, quia tenetur ex charitate impedire ruinam, & peccatum proximi.

2 Ob rationabilem utilitatem poſſum petere Sacramenta à meo Parocho, quem ſcio adminiſtraturum in peccato abſque contritione: quia utor jure meo: quod limitatur modò non ſit mihi difficile alium Sacerdotem, qui dignè mihi miniſtret Sacramenta: quilibet enim tenetur ruinam proximi evitare, quoties non habet juſtam cauſam illam permittendi.

3 Quoties adeſt neceſſitas implendi præceptum illorum Sacramentorum, & utile eſt ſuſcipienti non multum differre uſum Sacramentorum: licet petere Sacramenta à quocunque Sacerdote peccatore, licèt non ſit Parochus, nec ſit paratus ad miniſtrandum: quia habet juſtam cauſam petendi, & permittendi illius peccatum.

4 Qui vult recipere Sacramenta, non tenetur inquirere, an Sacerdos adminiſtraturus ſit probus, vel improbus: quia judicandus eſt magis bonus, quem non conſtat, eſſe malum. Immo qui vidit Sacerdotem paulò ante in peccatum incurſum, poteſt ab eo petere Sacramenta, licèt non ſit paratus, nec teneatur ex officio adminiſtrare: quia cogitare poteſt, illum non eſſe adminiſtraturum in peccato: cum brevi poſſit actum contritionis elicere, & ad Sacramentum adminiſtrandum dignè præparari, verùm ſi conſtet, & certus ſit indignè eſſe adminiſtraturum, & non ſit neceſſitas, vel rationabilis cauſa ſuſcipiendi Sacramenta, non poteſt ab eo petere adminiſtrationem.

5 Non peccat, qui inſervit Epiſcopo peccatori, dum ordines conferat peccatori, vel Sacerdoti indignè celebranti, quia exercet actionem ex ſe bonam: & licèt teneatur ex charitate impedire peccatum proximi, & abſtinere ab hujuſmodi miniſterio, ſi commodè poſſit: tamen quia inſerviens vix poteſt commodè impedire: ideò non eſt curreus lethalis culpæ ſit judicandus.

De Ritibus, & Cæremoniis circa Sacramenta. Cap. 31.

1 Ritus in conficiendis Sacramentis duplex requiritur: unus de neceſſitate Sacramenti, alter de neceſſitate præcepti, de neceſſitate Sacramenti requiritur materia, forma, & intentio Miniſtri: de neceſſitate præcepti requiruntur certæ Cæremoniæ, quæ dicuntur ritus accidentales, ſeu Sacramentalia. Cæremonia, ſeu Ritus accidentalis, eſt actio externa religioſa, qua decorè, & ornatè Sacramenta miniſtrantur juxta Eccleſiæ præſcriptum.

2 Sacramenta nec licitè, nec validè adminiſtrantur abſque materia, forma, & debita intentione Miniſtri, cum ex his tribus Sacramenta perficiantur.

3 Sacramenta validè adminiſtrantur; ſed non licet ſine ritu accidentali; quia quando adeſt materia, forma, & intentio Miniſtri, quæcunque alia circumſtantia ſi omittatur, validè adminiſtrantur; quia ritus

tus accidentalis non eſt materia, nec forma, nec intentio Miniſtri.

4 Non autem licitè adminiſtrantur ſine ritu accidentali, quia tenemur accomodare ritibus Eccleſiæ, ut patet ex Rituali & ex *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. ultimo de Sacramentis*, cum inſtituti ſint primò propter ornatum, & decorem. Secundò quia pertinent ad modum colendi Deum, & ad ipſius cultum. Tertiò ut per Cæremonias augeatur devotio fidelium.

5 Variare ritus & cæremonias eſt mortale peccatum ex ſuo genere, licèt ex levitate materiæ poſſit excuſari à peccato, ut ſi quis baptizaret lingua vulgari abſque neceſſitate: nam variatio rituum, & cæremoniarum eſt peccatum contra Religionem: quod eſt peccatum mortale ex gravitate materiæ. Quæ autem ſit materia gravis, vel levis, remittendum judicio prudentis viri.

6 Ritus à Summo Pontifice præſcripti non poſſunt mutari per Epiſcopos, vel aliàs Summo Pontifici inferiores: non enim poteſt inferior legem ſuperioris abrogare, ſed poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi mutare ritus non præſcriptos à Summo Pontifice: quia poteſt facere ea, quæ ad rectam ſuæ Eccleſiæ gubernationem pertinent, dummodo non impediatur à Summo Pontifice.

DE BAPTISMO.

De Nomine, & Numero Baptiſmi. *Cap. 32.*

1 Baptiſmus ſignificat Ablutionem, ſeu potiùs immerſionem in aquam, cùm fiat alicubi, & fieri poſſit per immerſionem ad repræſentandam Chriſti Sepulturam, *ut Coloſſenſes 2.* Conſepulti ei per Baptiſmum: Dicitur ablutio, quia abluit ſordes peccatorum, & purgantur.

2 Et quamvis propriè loquendo unus tantum ſit Baptiſmus: qui eſt Sacramentum juxta illud *ad Ephe.* 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma: tamen ſi metaphoricè, & minùs propriè loquamur, triplex eſt, ſcilicèt Baptiſmus fluminis, flaminis, & ſanguinis: & quilibet appellatur Baptiſmus; quia loco Baptiſmi ponitur, & Baptiſmi vices ſupplet.

3 Baptiſmus flaminis eſt pœnitentia, ſeu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem: qui ideò dicitur Baptiſmus, quia aliquando defectum Baptiſmi ſupplet; qui enim realiter non poteſt ſuſcipere Baptiſmum, remittuntur ei non modò peccata actualia, ſed etiam peccatum originale, dum elicit actum pœnitentiæ.

4 Baptiſmus ſanguinis eſt Martyrium: & ideò Baptiſmus vocatur, quia efficit effectus Baptiſmi, & ejus vices aliquando ſupplet: unde raptus ad Martyrium antequàm ſuſcipiat Baptiſmum recipit remiſſionem omnis culpæ. & totius pœnæ. Sic autem Chriſtus pro Martyrii nomine uſus eſt nomine Baptiſmi *Mar.* 10. Poteſt is bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum, & Baptiſmo, quo ego Baptizor, Baptizari.

5 Baptiſmus fluminis eſt verus, & proprius Baptiſmus, verum, & proprium Sacramentum, quod flumine, ideſt aqua adminiſtratur.

6 Baptiſmus Joannis non fuit verus Baptiſmus, ſed figura noſtri Baptiſmi, & præparabat ad ſuſcipiendum Chriſti Baptiſmum: & propterea baptizatus Baptiſmo Joannis, iterùm baptizandus erat Baptiſmo Chriſti, & Joannes ipſe petit à Chriſto baptizari; ex quo cognoſcitur differentia inter Sacramenta Veteris, & Novæ Legis, quia veteris non conferebant gratiam juſtificantem, ut novæ conferunt, & propterea Baptiſmus Joannis non erat verum Sacramentum, nec verus Baptiſmus, quia non conferebat gratiam Juſtificantem.

De Baptiſmo ſanguinis, ſcilicèt Martyrii. *Cap. 33.*

1 Martyrium, eſt paſſio, ſeu cruciatus lethalis ſuſceptus pro Chriſti fide, aut pro vera virtute. Cruciatus dicitur lethalis, quia debet inferre mortem, ſecùs non eſſet cruciatus lethalis, ſi non inferret mortem; quare recipiens vulnus, ſeu cruciatum de ſe illativum mortis dicitur Martyr, & propterea D. Marcellus Martyr dicitur, quia in ſtabulum conjectus tarbe confectus ſit. Dicitur pro Chriſti fide, & vera virtute, quia motivum martyris debet eſſe honeſtum, & Supernaturale,

rale, cum Martyrii acceptatio ſit actus virtutis. Dicitur propter Chriſtum implicitè, & explicitè, quare non diceretur Martyr, qui ex motivo ambitionis mortem obiret; quia ipſius motivum non eſſet honeſtum, nec ſuſciperet pro Chriſti fide, & vera virtute, cruciatum. Ex quo ſequitur verè Martyrem vocari illum, qui propter bonum opus jam factum occiditur: Mors enim illi infertur in contemptum boni operis, & à Martyre ſuſtinetur, ob illam virtutem, ad quam pertinet illud opus; propterea S. Joannes Baptiſta enumeratur inter Martyres, quia fuit occiſus ob reprehenſionem adulterii.

2 Martyrium dicitur eſſe actum elicitum à virtute fortitudinis, & patientiæ imperatum ab aliis virtutibus, pro quarum conſervatione Martyrium ſubitur, præcipuè autem imperatur à Charitate, quia eſt actus magnæ dilectionis in Deum, nec eſt Sacramentum, quia Sacramentum eſt quædam cæremonia ſacra inſtituta ad Dei Cultum, Martyrium verò, ſeu cruciatus non eſt in cultum, & reverentiam Dei, quatenus provenit à Tyranno, ſed potiùs eſt in odium Dei, & eſt actio prava, licet, ex parte Martyris ſit actus virtutis, cui Deus contulit privilegium, ut ipſius intuitu gratia conferatur, & culpa, & pœna deleatur.

3 Ad Martyrium quinque conditiones requiruntur. Prima eſt, ut in adultis adſit voluntas ſuſcipiendi Martyrium: non enim Deus ſalvat nos ſine noſtro conſenſu, & voluntate. In Infantibus verò uſu rationis carentibus non requiritur, quod patet ex Innocentibus, qui tanquam Martyres ab Eccleſia culti ſunt, & pro Martyribus habiti. Quare ille non dicetur Martyr, qui dormiens occiditur in odium Chriſti, ſeu virtutis Chriſti, quia non habuit voluntatem formalem, aut virtualem ſuſcipiendi Martyrium, dum nihil cogitavit anteà de Martyrio; niſi fortè ſit vir juſtus, habens pro fine Deum; & voluntate virtuali, & interpretativa ſolet in Deum referre quid quid boni fecerit, aut malè ſuſtinuerit: qui verò prævidit Martyrium, & in illo voluntatem habuit, dicitur Martyr, vel occidatur vigilans, vel dormiens. Infans in utero matris cum ipſa matre occiſus in odium Chriſti dicitur Martyr, nec valet ratio ſi non poteſt in utero matris baptizari, quia non poteſt ablui, ſic nec poteſt occidi: tamen quia proles reputatur unum quid cum Matre, par eſt, ut particeps ſit ejuſdem Martyrii, ſi cum Matre occidetur in contemptum fidei.

4 Secunda conditio eſt. In adulto, qui ſi habeat peccatum mortale, & ſit ſuſcepturus Martyrium, ſufficit, ut habeat attritionem ſupernaturalem: nec illi eſt neceſſaria Contritio, aut dilectio Dei ſuper omnia. Martyrium enim comparatur Baptiſmo, in quo ſuſcipiendo, ſicut ſufficit in adulto attritio, ſic in Martyrio; & ſicut in Baptiſmo ſuſcipiendo non eſt neceſſaria Contritio, ut ſcilicet ſit in gratia, cum Baptiſmus conferat gratiam, ſic nec in Martyrio; Si autem propter oblivionem, & inadvertentiam non eliciat actum attritionis, cùm eo tempore intendat maximè expellere metum mortis, probabile tamen eſt, ex accidenti ſufficere attritionem virtualem, quæ clauditur in voluntatem ſuſcipiendi Martyrium.

5 Tertia conditio requiſita ad Martyrium eſt pœna: ideſt paſſio, & Cruciatus, ut ſupra dictum eſt.

6 Quarta conditio eſt, ut qui patitur Martyrium, illud patiatur ob honeſtam cauſam, qualis eſt conſervatio fidei Catholicæ, & Religionis Chriſtianæ, vel Caſtitatis, vel Immunitatis Eccleſiæ, vel alterius veræ virtutis, quia ut dictum eſt motivum Martyris debet eſſe honeſtum, & ſupernaturale; quare non diceretur Martyr hæreticus, vel Shiſmaticus, ſi mortem ſubiret pro aliquo fidei articulo tuendo: quia voluntariè permanet extra Eccleſiam Chriſti, nec habet veram fidem, quamvis credere videatur aliquam fidei articulum.

7 Quinta conditio eſt, ut Tyrannus inferat cruciatum, aut mortem Martyri in odium Chriſti, vel in contemptum fidei, aut alterius virtutis: unde non ſufficit, ut inferat cruciatum ad aliam finem, vel ut cruciatus à patiente acceptetur, & referatur in Chriſtum: & licet bonus latro appelletur martyr, nec Sententia mortis fuerit illi illata in odium Chriſti, tamen appellatur Martyr, quia mors fuit illi accelerata in odium, & contemptum Chriſti, cui Judæi per conſortium latronis intendebat ignominiam, & injuriam Chriſto inferre.

8 De

De Effectu Martyrii quotuplex, quomodo, & quando præſtet.
Cap. 34.

1 Martyrium duplicem cauſat effectum. Primus eſt gratia, & remiſſio omnis culpæ, & pœnæ; Eccleſia enim verum colit Martyrem, ut Sanctum; Signum eſt Martyrem obtinuiſſe remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ. Secundus effectus eſt laureola; & eſt præmium quoddam accidentale.

2 Martyrium confert gratiam ex opere operato: quia eam confert ultra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis. Infantes enim obtinent peccati originalis remiſſionem abſque diſpoſitione, & merito; Martyrio enim abſque diſpoſitione coronantur. Adulti autem, ſi actum attritionis eliciant abſque Martyrio non recipiunt gratiam, & ſalutem poſt mortale peccatum commiſſum; ſed dum recipiunt gratiam, & cum Martyrio ſequitur Martyrium conferre gratiam ex opere operato, cum attritio non ſit ſufficiens diſpoſito ad gratiam, & ſic non modo Sacramenta, verum etiam Martyrium conferunt gratiam ex opere operato, ob ſpeciale privilegium, ſeu promiſſionem factam à Chriſto.

3 Martyrium confert gratiam moraliter, non Phyſicè, quatenus Deus intuitu Martyrii confert gratiam: non propterea dici poteſt Martyrium eſſe Sacramentum: cum non ſit cauſa Phyſica gratiæ, ficut eſt Sacramentum: quod eſt actio quædam Sacra in Dei cultum ordinata, & Martyrium eſt potius cæremonia, ſeu actio quædam impia, & ſacrilega, quatenus provenit à Tyranno.

4 Probabile eſt Martyrium cauſare ſuum effectum gratiæ, quando martyr accepit cruciatum lethalem, ſeu vulnera de ſe naturaliter mortifera: ita ut mors non poſſit amplius vitari, tunc enim dicitur mortuus, qui ſi poſteà à morte naturaliter inevitabili miraculosè à Deo liberetur non privatur fructu Martyrii.

5 Probabile eſt etiam privilegium martyrii extitiſſe non ſolum poſt Chriſti adventum, ſed etiam ante, ut patet de Machabæis: qui ante Chriſti adventum obierunt, & in numerum Martyrum referuntur; licet Martyres ante Chriſti adventum non ſtatim in Cœlos evolabant, quia Cœlorum janua erat reſerrata: quæ aperta fuit poſt Chriſti paſſionem, & mortem.

6 Martyrium eſt in precepto, quando gravis neceſſitas, & cauſa ſeſe offert, licet raro ſeſe offerat gravis neceſſitas, pro qua teneamur mortem ſubire; ſufficit tamen, ut homo ſit paratus animo ad mortem ſubeundam, ſi neceſſitas, aut occaſio ſeſe offerret, cum quærere nemo teneatur, & ſic diceretur Martyr, quo ad voluntatem ſuſcipiendi Martyrium; licèt verè, & propriè non eſſet Martyr.

7 Graviter peccant, qui ſe offerunt Martyrio: & irritant hoſtes Catholicæ fidei ad inferendum Martyrium, dum temere hoc faciunt, & abſque juſta cauſa, quæ vim habeat præcepti, aut ſaltem conſilii, quia exponentes ſe temere Matryrio, teneant Deum: tentatio autem Dei eſt peccatum grave. Juſta autem cauſa offerendi ſe Martyrio videtur eſſe quoties Dei Gloria, & fidei exaltatio conſequitur ex Martyrio.

Baptiſmus quid ſit. Quando inſtitutus, & ejus neceſſitas. Cap. 35.

1 Baptiſmus pluribus modis definitur. Primò Baptiſmus eſt Sacramentum conſiſtens in ablutione corporis exterioris ſub præſcripta verborum forma à Chriſto inſtituta ad regenerationem ſpiritualem: Secundò Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior, ſub præſcripta verborum forma à Chriſto inſtituta ad regenerationem ſpiritualem. Tertiò Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis in verbo; hæc definitio eſt perfecta, quia continet omnes quatuor cauſas. Materialem in illis verbis, ablutio exterior, formalem in illis verbis, ſub præſcripta verborum forma, efficientem in illis verbis, à Chriſto inſtituta, finalem in illis verbis ad regenerationem ſpiritualē.

2 Baptiſmus fuit inſtitutus, quando Chriſtus in Jordane baptizatus fuit à Joanne: tunc enim indicata fuit materia, ideſt aqua, & indicata fuit forma, quæ eſt invocatio Santiſſimæ Trinitatis. Nam perſona Patris indicata fuit in voce Patris, Perſona Filii manifeſtata fuit illis verbis, hic eſt filius meus dilectus, &c. Perſona Spiritus Sancti indicata fuit per ſpeciem, & figuram Columbæ, per

deſcenſum verò Columbæ, & Cœlorum aperitionem prædemonſtratus fuit effectus Baptiſmi. Non autem Baptiſmus fuit inſtitutus, ut dicunt aliqui, quando Chriſtus dixit diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, ite docete omnes gentes baptizantes eos, &c. ſed mandavit tunc illius prædicationem, & ſuſceptionem.

3 Neceſſitas, ſeu neceſſarium duplex eſt: vel neceſſarium neceſſitate medii, vel præcepti; neceſſarium neceſſitate medii, vel eſt neceſſarium in re, vel in voto.

4 Ille dicitur habere Baptiſmum in voto, qui facit aliquid, in quo continetur votum, & propoſitum Baptiſmi ſuſcipiendi, ut accidit, quando aliquis, qui non poteſt actualiter baptizari ex aliquo defectu, & elicit actum Contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia: hic dicitur habere Baptiſmum in voto, ſaltem implicito, ideſt in voluntate, & deſiderio, quod continetur in actu Contritionis, & dilectionis, quod dicendum eſt de Martyrio, in quo Baptiſmi votum continetur: nam qui Martyrium ſubiit, ita eſt affectus, ut ſuſciperet Baptiſmũ ſi facultatem haberet illum ſuſcipiẽdi.

5 Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii in re, vel ſaltem in voto, quando deeſt facultas ſuſcipiendi in re, & eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem, quia ſine illo ſalus obtineri non poteſt, in re, vel in voto, ut patet ex illis verbis Joannis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua. &c. illa enim particula, niſi, denotat neceſſitatem; quare Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii, in re vel in voto.

6 Baptiſmus, ultra eſſe neceſſarium neceſſitate medii eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti, quia quod eſt neceſſarium neceſſitate medii eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, quia qui non aſſumit medium ſibi neceſſarium peccat, & facit contra aliquod præceptum, præceptum autem ſuſcipiendi Baptiſmum apparet ex illis verbis *Matt.* 28. Euntes in mundum docete omnes gentes, & baptizantes eos, &c. quo loco Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut cogerent gentes ad finem, & Baptiſmi obſervantiam, eiſque Baptiſmum præciperent.

7 Præceptum Baptiſmi obligat adultos, ut quamprimum commodè, & dignè poſſunt, vel ſaltem non multo tempore differant Baptiſmum ſuſcipere: quod curare debent etiam patres, ut filii, & domeſtici quamprimum baptizentur, licet nonnulli aſſerant Baptiſmum differri poſſe, dum adeſt rationabilis cauſa, nec imminet mortis periculum, nec adeſt peculiare præceptum.

8 Cathecumenus licet ſit in gratia per contritionem, tenetur ſub mortali ſuſcipere Baptiſmum, oblata opportunitate: quia Baptiſmus non ſolum eſt neceſſarius neceſſitate medii in re, vel in voto, ut ſuſcipiatur data opportunitate ſuſcipiendi; verum etiam neceſſitate præcepti, quo tenetur quamprimum potuerit oblata occaſione Baptiſmum ſuſcipere.

9 Pueri non ſalvantur ſi morte præoccupentur ante realem Baptiſmi, vel Martyrii ſuſceptionem, etiam ſi parentes præparaſſent ad Baptiſmum neceſſaria, & voluntatem haberent conferendi Baptiſmum.

10 Si detur caſus, ut aliquis ex ſpeciali privilegio in utero Matris juſtificetur, tenetur ſic juſtificatus recipere Baptiſmum: quare Apoſtoli, & Beatiſſima Virgo, licet ante Baptiſmi inſtitutionem receperint gratiam, tamen tenebantur recipere Baptiſmum poſt Euangelii promulgationem, ut fierint capaces Sacramentorum; verum cum ante Euangelii promulgationem baptizati ſint, ad quòd non tenebantur, ſequitur poſt Euangelii promulgationem non teneri iterum Baptiſmum ſuſcipere, quia jam ſatisfecerant obligationi.

11 Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum non ſtatim incepit poſt prædicationem Baptiſmi: quia non eſt credibile Chriſtum voluiſſe ſtatim obligare, neque incœpiſſe ante Chriſti mortem, quia durabat lex vetus, quæ duravit uſque ad Chriſti mortem: unde non eſt credibile Chriſtum voluiſſe obligare homines duplici lege. Verum reſpectu eorum, quibus fuerat Baptiſmus promulgatus, incœpiſſe poſt Chriſti paſſionem, quia tunc ceſſavit lex vetus, & incepit nova: ſed generaliter dicendum eſt, obligationem Baptiſmi incœpiſſe poſt ſufficientem promulgationem factã Euangelii univerſo mundo: quia non poteſt prudenter aliqua legis obligatio imponi, niſi poſt ſufficientem ipſius cognitionem: ſufficiens autem promulgatio Euangelii facta fuit, dicunt aliqui, in die Pentecoſtes, quo tempore Apoſtoli prædicaverunt variis linguis omni nationi; vel ut alii putant, cœpiſſe obligationem paulò poſt excidium Hieruſa-

ruſalem, quod accidit quadrageſimo anno poſt Chriſti paſſionem; quo tempore Apoſtoli obierant, & Euangelium toto orbe prædicaverant.

12 Quodnam remedium potuiſſent adhibere homines, qui legem Baptiſmi ignorarent, ut ſalvi fierent: reſpondetur Circumciſionem, vel remedium naturæ, quia aliter homines tunc caruiſſent remedio ad ſalutem, & licet lex vetus ceſſavit poſt Chriſti paſſionem, hoc debet intelligi quo ad eos, quibus lex nova erat ſufficienter promulgata. De iis verò, qui in partibus remotis exiſtunt cum invincibili ignorãtia Baptiſmi, & legis Chriſti, dicunt aliqui damnandos eſſe, quia ad delendum peccatum originale, non eſt aliud remedium, niſi Baptiſmus in re, vel in voto ſuſceptus. Verùm alii dicunt ſalvandos eſſe, ſi legem naturæ ſervaverint.

De Materia Baptiſmi. Cap. 36.

1 MAteria remota Baptiſmi eſt aqua naturalis ex definitione *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can.* 2. de Baptiſmo, per quam animæ purgantur, & mundantur: & proptereà graviter peccat, nec validè baptizat qui aliam adhibet aquam præter naturalẽ, ut ſi adhibeat Cerviſiam, Sudorem, Lac, Urinam, Lachrymas, Sputum, ſeu Salivam, Aquam roſaceam, Aquam diſtillatam, Aquam à vite profluentem, aut alium liquorem artificialem ſpecie differentem ab Aqua naturali, quæ eſt materia Sacramenti Baptiſmi, & hujuſmodi liquores non ſunt aqua naturalis; & propterea jejunans pane & aqua ſi prædictis liquoribus utatur, frangit jejunium.

2 Validè baptizat qui utitur aqua maris, putei, fontis, pluviæ, balnei etiam ſi ex ſulfure, aut cinere defluat: hæc enim videtur aqua naturalis, & hoc verum eſt, ſi aqua calida ſit ſive frigida, ſive tincta colore, ſive denſa, ſive utitur aqua, quæ fluxit à nive, vel gelu, vel ſale, ſal enim fit ex aqua naturali ſalſa, & differt tantum accidentaliter ab aqua naturali: idem dicendum, ſi quis adhibet aquam naturalem, quam diſtillavit, aut arte ſejunxit à vino, vel ab alio liquore, cum quo erat admixta: Ita etiam validè conficitur in qualibet aqua naturali, etiam ſi fortè inter aquas naturales detur aliqua ſpecifica differentia.

3 Glacies non eſt apta materia Baptiſmi, quia requiritur aqua apta ad abluendum, glacies non eſt aqua apta ad abluendum, niſi prius liqueſiat, nec aqua ita alterata, & mixta cum alio liquore, ut amplius non ſit aqua ad ablvendum apta, neque brodium, aut lixivium benè decoctum, aut lutum, aut vinum modica mixtum aqua, aut alia, quæ ita admixta ſunt, ut amplius nequeant aqua denominari, non poſſunt inſervire pro materia Baptiſmi.

4 Graviter peccat qui utitur aqua naturali alterata, & fœda adminiſtrandum Baptiſmum; immò peccat peccato ſacrilegii, quoties utitur abſque neceſſitate, quia facit contra reverentiam Sacramenti: & idem dicendum eſt de illo, qui præciſa neceſſitate baptizat in aliquo brodio potum decocto.

5 Abſque neceſſitate non eſt adhibenda alia aqua, licet naturalis, & pura ſit, quàm quæ præſcribitur ab Eccleſia, qualis eſt aqua ſacrorum fontium, ſic colligitur ex Clementina unica de Baptiſmo: neque eſt adhibenda extra neceſſitatem aqua, de qua dubitatur, an ſit aqua naturalis, quia adeſt periculum faciendi Sacramentum irritum, & invalidum: in neceſſitate verò licitum eſt, deficiente aqua naturali; uti materia dubia, quam nullo modo baptizari, quia poteſt fieri, ut ſit vera materia, & conſequenter ſit verus Baptiſmus, & baptizatus ſalvetur. Verùm ſic baptizatus, rebaptizandus eſt ſub conditione cum materia ſolita ſi ſupervivat, quia fieri poteſt, ut præcedens Baptiſmus ſit invalidus.

6 Neque præter aquam adhibendus eſt ignis, ut ſentiunt aliqui hæretici non intelligentes locum Matthæi 3. ubi dicitur: Ille vos baptizabit aqua, & igne: nam per ignem intelligitur Spiritus Sanctus collatus Apoſtolis in linguis igneis, quia in inſtitutione iſtius Sacramenti non fuit præſcriptus ignis ad Baptiſmum, aqua verò inſtituta eſt pro materia baptiſmi, quia ſignificat effectũ Baptiſmi, qui eſt ablutio; & cũ Baptiſmus ſit maximæ neceſſitatis, par fuit ut ei aſſignaretur materia omnibus pervia.

7 Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio, quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in uſu, habent pro materia proxima rem aliquam ſignificantem, quod efficitur: ſed aqua per ſe ſumpta, ut ſic, non ſignificat gratiam, &

tegenerationem ſpiritualem, ſicut ſignificat ablutio, ergo ablutio eſt materia proxima Baptiſmi. Ablutio verò eſt contactus ſucceſſivus, quo aqua ſucceſſivè contingit corpus, unde homo non poteſt dici ablutus per nudum contactum, ſed per contactum ſucceſſivum, ergo ad Baptiſmum requiritur contactus ſucceſſivus, quo aqua ſucceſſivè contingit corpus ope Miniſtri: ideò baptiſmus ille tenet dum mulier moribundum infantem baptizavit impreſſo Crucis ſigno in fronte aqua madefacto, nam adeſt contractus ſucceſſivus; non requiritur autem ablutionem, quæ in Baptiſmo, corporis ſordes auferre: Baptiſmi enim Sacramentum eſt inſtitutum non ad auferendas corporis ſordes, ſed animæ.

8 Ea parva quantitas aquæ eſt neceſſaria ad Baptiſmum, quæ ſufficere poſſit ad abluendam corporis partem ſucceſſivè, ablutio autem poteſt fieri per immerſionem, vel per aſperſionem, vel per infuſionem; Chriſtus enim inſtituit in Baptiſmo ablutionem, non explicando eam fieri potiùs in uno, quàm altero modo, verum à Miniſtro, qui ex officio miniſtrat Sacramentum Baptiſmi ſervanda eſt conſuetudo ſuæ Eccleſiæ; cujus ritibus tenetur unuſquiſque ſe accomodare, & propterea baptizans, non ſervato ſuæ Eccleſiæ ritu, graviter peccat, niſi juſta cauſa excuſetur, & ſic graviter peccat, qui in Eccleſia Latina, prætermiſſa forma conſueta, utitur forma Græcorum, quia non ſervat ritum ſuæ Eccleſiæ in re gravi, non autem peccaret, qui vulgari ſermone baptizaret, quia non videtur facere contra ritum Eccleſiæ, cum in Eccleſia Latina Baptiſmus adminiſtretur aliquando vulgari idiomate.

9 Non eſt validus Baptiſmus, quando quis una, vel duabus, vel tribus aquæ guttis aſpergitur, præſertim ſi guttæ perſiſtant, & non fluant per corpus, quia ad Baptiſmum requiritur contactus ſucceſſivus, & tanta quantitas aquæ, qua poſſit denominari homo ablutus, licet exiſtimatem ſufficere guttam aquæ.

10 Ad validitatem Baptiſmi illa corporis pars eſt abluenda, qua abluta verum ſit dicere hominem ablutum, & propterea non eſt validus Baptiſmus, ſi aqua contingat tantummodò veſtes extra carnes, quia propriè non eſt ablutus, ſi verò baptizandus ſit coopertus aliquo panno lineo, ita ut aqua contingat carnes, eſt validus baptiſmus, quia dici poteſt ablutus: Idem dicendum eſt, ſi baptizetur infans natus cum pelle poroſa, ita ut aqua penetret, & perveniat ad carnes infantis, nec eſt validus Baptiſmus, ſi aqua ſolos capillos attingat, quia capilli non ſunt pars hominis, ſed ſunt quædam ſuperfluitas, & excrementum carnis anima rationali; quare capillis aſperſis non poteſt dici homo ablutus.

11 Validus eſt baptiſmus ſi caput abluatur, quod eſt præcipuum hominis membrum, quo abluto, dicitur homo ablutus, & hic videtur communis uſus Eccleſiæ, & propterea non eſt rebaptizandus infans, ſi antequam totus exiret baptizatus fuit in capite; ſed ſi ſolus pes, aut digitus abluatur non videtur validus Baptiſmus, cum per hujuſmodi partis ablutionem non videatur homo ſufficienter denominari ablutus, quamquam in neceſſitate Baptiſmus adminiſtrandus eſt in qualibet parte, etiam in ſolo digito, ſi nequeat in capite baptizari; tranſacta autem neceſſitate rebaptizandus erit ſub conditione, ſi dubitetur partem ablutam non ſufficere, ut homo dicatur ablutus.

12 Non poteſt baptizari infans in utero matris exiſtens, & conſequenter baptizatus in utero matris non poteſt in Cæmeterio ſepeliri, quia re vera non eſt baptizatus cum non ſit ablutus, niſi fortè aqua ſic immitti poſſit, ut perveniat ad infantem, quia ſic eſſet baptizatus. Nec cenſetur baptizatus infans, qui defertur in ſacrum fontem, ſed ante ablutionem, vel antequam finiatur verborum forma, è vita decedit, quia cum non ſit nondum ablutus, non cenſetur baptizatus.

13 Validus eſt Baptiſmus: quando infans incipit mori: & quia non eſt aqua, quæ poſſit baptizari, projicitur in flumen, aut in puteum à miniſtro proferente forma Baptiſmi: quod non eſt faciendum, tamen ſi fiat, tenet Baptiſmus, cum adſint omnia requiſita ad Baptiſmum, adeſt enim aqua, ut materia, adeſt contactus ſufficiens, ut ablutio, adeſt forma prolata à miniſtro; & adeſt etiam intentio baptizandi, & quamvis ſequatur mors infantis, nihil intereſt, quia Baptiſmus ordinatur non ad vitam corporis, ſed animæ, ergo quamvis ſequatur mors corporis ſalvari tamen poteſt anima; validus eſt enim Baptiſmus, ſi infans fune mit-

mittatur in flumen, & vivus extrahatur; ſed ſi ego videam puerum labentem, aut ab alio projectum in flumen, & proferam verba baptiſmi: Ego te baptizo, &c. Baptiſmus non eſt validus, quia verba non verificantur, cum infans non poſſit dici à me ablutus: idem dicendum de eo, qui tenet puerum altero aquam diffundente, ſecus quando quis aqua defluente è tecto, aut ex alio loco ſubmittit infantem abluendum: infans denominatur ablutus à ſubmittente.

14 Sacramentum perficitur per quamlibet ablutionem, modo ſufficienter prolata ſint verba, & corpus poſſit dici ablutum; propterea quando triplex merſio adhibetur, Baptiſmus ſtatim poſt primam ablutionem ſuum ſortitur effectum, antequam triplex merſio adveniat, modo poſt primam merſionem formam Baptiſmi ſufficienter prolata ſit, cum adſint omnia requiſita ad Baptiſmum, ſcilicet forma ablutio, & intentio miniſtri, & ſic validus dicitur Baptiſmus, ſi puer, aut Sacerdos moriatur poſt primam merſionem prolatis verbis, licet miniſter intenderet perficere Baptiſmum in tertia merſione, nam validum eſt Sacramentum poſita prima merſione, & prolatis verbis; modo veram habeat intentionem conficiendi Sacramentum, ut ſi intendat facere quod Chriſtus inſtituit, aut quod Eccleſia intendit, aut quod poteſt, nam poſita hujuſmodi intentione poteſt baptizare per unicam ablutionem. Eccleſia enim non intendit trinam merſionem tanquam eſſentialem, ſequitur validum eſſe Baptiſmum poſita prima merſione prolatis verbis. Sed ſi miniſter haberet directam intentionem non conficiendi Sacramentum, niſi perfecta trina merſione, tunc Sacramentum non eſt validum ante trinam merſionem, non defectu formæ, nec materiæ, ſed defectu intentionis miniſtri, qui expreſſè intendit non conficere Baptiſmum niſi trina merſione cum Baptiſmus tribus perficiatur, ſcilicet Materia, forma, & intentione Miniſtri.

De Forma Sacramenti Baptiſmi. Cap.37.

1 FOrma Sacramenti Baptiſmi ſunt hæc verba. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut conſtat ex Matthæi 28. ubi dicitur, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ex communi uſu Eccleſiæ.

2 In forma Baptiſmi exprimenda eſt perſona, quæ baptizatur, dicendo baptizo te, vel hunc, vel Cajum, ſive tu baptizaris à me, &c. nec eſt neceſſarium exprimere perſonam baptizantis directè: nam Baptiſmus forma Græcorum conſueta adminiſtratus validus eſt, & non exprimitur directè perſona miniſtri baptizantis: hæc enim eſt forma Græcorũ: baptizetur ſervus Chriſti &c. ergo non eſt neceſſe directè exprimere perſonam Miniſtri. Græci autem utuntur hac forma, ne ullus putaret Baptiſmum conferri, & adminiſtrari in nomine, & virtute ipſius adminiſtrantis. Exprimenda eſt actio, quæ exercetur, circa eum, qui baptizatur, ſive exprimitur per verbum Baptizo, ſive per verbum Abluo, ſive per verbũ Mergo, nã in Sacramentis conſiſtentibus in uſu, ſicut exprimi debet actio, ita in Baptiſmo, qui conſiſtit in uſu, debet exprimi actio: Exprimenda eſt etiam unitas Divinæ eſſentiæ, & propterea in forma Baptiſmi, dum dicitur in nomine, oſtenditur unitas eſſentiæ: & ideò dicendo in nominibus, ſeu dicendo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti; invalidè baptizaret, quia non oſtenditur unitas Divinæ Eſſentiæ. Si verò loco illius verbi, in nomine dicatur in virtute, dubium eſt an ſit validus Baptiſmus, cum virtus non tot compræhendat, quot nomen: Nomen enim ſignificat virtutem, & invocationem, conſequenter dicere in nomine Patris, &c. idem eſt ac dicere in virtute, & invocatione Patris, & Filii, &c.

3 Invalidus eſſet Baptiſmus, ſi loco in nomine dicatur, Baptizo te cum Pater, cum Filio, & cum Spiritu Sancto; aut in Verbo Patris, Filii, &c. quia non exprimitur unitas Divinæ eſſentiæ; idem dicendum, ſi dicatur in nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti, quia per hujuſmodi verba indicatur inæqualitas inter Divinas Perſonas, & conſequenter adeſt mutatio ſubſtantialis in verbis formę.

4 Exprimendæ ſunt tres Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis: quare invalidè baptizaret utens hac forma, Ego te baptizo in nomine Chriſti: ſeu qui dicit in nomine trium Perſonarũ, aut in nomine Sãctiſſimæ

Trinitatis; quia non exprimit tres perſonas Trinitatis; quarum explicita expreſſio neceſſaria eſt ad valorem baptiſmi, & non ſufficit implicita; idem dicendum de eo, qui diceret, Ego te baptizo in nomine Dei, vel Sanctæ Crucis, qui non exprimit Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, & forma videtur ſubſtantialiter mutata, quoties implicitè tantum, vel confusè exprimitur Sancta Trinitas; voluit autem Deus Sanctiſſimam Trinitatem in collatione Baptiſmi diſtinctè exprimi, ad indicandam cauſam principalem Baptiſmi, quæ eſt Sanctiſſima Trinitas, & quia cum Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, Deus voluit Baptiſmum adminiſtrari cum profeſſione, & confeſſione obiecti principalis fidei, quod eſt Sanctiſſima Trinitas.

5 Interrogatus Pontifex Nicolaus Primus, quid agendum de iis qui baptizati eſſent à Pagano, reſpondit non eſſe rebaptizandos, ſi baptizati fuiſſent in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel in nomine Chriſti; quod debet explicari, non eſſe rebaptizandos, ſi baptizati ſint in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, expreſſo ſcilicet nomine Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti: aut tantum in nomine Chriſti, videlicet loco filii, expreſſo Chriſti nomine, ſic dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, Chriſti, & Spiritus Sancti.

6 Probabile eſt initio naſcentis Eccleſiæ adminiſtratum fuiſſe Baptiſmum in nomine Chriſti, ſaltem ante Paſſionem, aut Aſcenſionem Chriſti, quia fuit ex diſpenſatione Chriſti ad tempus conceſſa, ſed nobis nunquam permiſſa: tunc enim fuit conceſſa facultas adminiſtrandi Baptiſmum in nomine Chriſti ut nomen Chriſti, quod invisum, & odioſum erat Judæis, redderetur amabile fidelibus, licèt probabilius videatur, nunquam fuiſſe adminiſtratum Baptiſmum in nomine Chriſti tantum, quia quando in actis Apoſtolorum dicitur Baptiſmũ adminiſtratũ fuiſſe in nomine Chriſti, indicatur primò Baptiſmũ adminiſtratum fuiſſe in merito, in fide, & in virtute Chriſti, ſecundò in forma Baptiſmi poſitum fuiſſe nomen Jeſu Chriſti loco illius particulæ Filii dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, poſitum autem fuit nomen Jeſu Chriſti, loco Filii, ut nomen Chriſti redderetur amabilius apud Judæos quibus odioſũ erat

7 Invalidus eſt Baptiſmus, quando contingit ſubſtantialis mutatio in verbis importantibus ſenſum diſtinctum à ſenſu, qui continetur ſub verbis formæ: ſi verò mutatio ſit tantum accidentalis, Baptiſmus validus eſt, validè itaque baptizat, qui utitur forma Græcorum, dicendo, baptizetur Servus Chriſti, in nomine Patris, &c aut dicendo baptizeris tu, vel baptizetur iſte, vel baptizetur hic; ſecus ſi dicatur, baptiza Petrum. Nec eſt de neceſſitate formæ ſi actus baptizandi exprimatur per verbum activum, paſſivum, vel per modum indicativi; vel quovis alio modo exprimatur, dummodo tali modo adibeatur, quo ſignificetur actus exercitus baptizandi, ſed verum eſt graviter peccare, qui utitur alio modo, quàm conſueto, quia non ſervat ritum Eccleſiæ in re gravi.

8 Validè baptizat, omittens particulam ego, vel illius loco dicat nos, & loco te, dicat vos, dummodò tam nos, quam vos unum ſignificet, quia non variatur formæ ſenſus ſubſtantialis.

9 Invalidè baptizat, qui dicit, ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, quia Chriſtum inſtituit adminiſtrari Baptiſmum in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: item invalidum eſt, ſi dicatur, intendo te baptizare, quia mutatur ſenſus formæ ſubſtantialis.

10 Validè baptizat, qui loco Filii dicat Verbi ſic, Ego te baptizo in nomine Patris, Verbi, &c. vel ſi dicat, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti.

11 Validè baptizat, baptizando verbis Latinis; Græcis, & aliis, modò eadem ſignificatio ſit, & Miniſter non intendat novum ritum inducere in Eccleſia, & non facere, quod facit Eccleſia.

12 Validè baptizat, qui dicit, ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit, Filii, qui te redemit, &c. quia hæc additio non deſtruit.

13 Qui dicit, ego te baptizo in nomine Patris, & Matris, validè baptizat intelligendo non de virtute matris, ſed per illius interceſſionem, non enim tollitur ſignificatio.

14 Validè baptizat, qui dicit, Ego te baptizo in nomine Patris, Filias, & Spiritus Sanctas: quia cenſetur variatio accidentalis, non ſubſtantialis.

15 Interumptio quæ fit dicendo, ego te ba-

bap, & poſteà ſubjungat alia verba, poſteà dicat, tizo, invalidè baptizat, cum non adſit integer ſenſus.

16 Si interrumpat dicendo: ego te baptizo, poſteà dicat, aqua eſt nimis frigida, vel fuge hinc, & ſimilia; poſtea ſubiungat in nomine Patris, & Filii, &c. validè baptizat, cum ſit mora exigua, non tollit ſignificationem.

17 Si antequam abluat, aut etiam poſt ablutionem proferat formam, validè baptizat, quia talis mutatio, & interruptio non eſt talis, quod ſenſus, & ſignificationem verborum deſtruat.

18 Si quis baptizaret dicendo, ego te baptizo in nomine Patri, & Filii, &c. & crederet in nomine Patris, &c. non eſſe de eſſentia, validè baptizaret, modò in generali habeat intentionem faciendi, quod poteſt, vel quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit; adeſt enim actu materia, & forma cum intentione Miniſtri.

19 Non ſunt rebaptizandi baptizati à parentibus, vel obſtetricibus in domo; ſed in Eccleſia ſunt faciendæ ſolemnitates, nec nati, & educati pluribus annis inter Chriſtianos, quando non conſtat, non eſſe baptizatos; baptizandi ſunt ſub conditione abrepta à Barbaris, quando dubium eſt, an fuerint baptizati, & ſimiliter expoſiti non habentes teſtimonium, eſſe baptizatos.

20 Validus eſt Baptiſmus ſi dicatur, in nomine Patris ego te baptizo, & Filii, & Spiritus Sancti: vel ſi dicatur te baptizo in nomine Filii, Patris & Spiritus Sancti, quia remanet ſenſus formæ; vel ſi dicatur, Ego te baptizo in nomine Patris; Ego te baptizo in nomine Filii; Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti; modò hujuſmodi verba morali continuatione proferantur: quia ſenſus formæ ſubſtantialiter non mutantur.

21 Validè baptizaret, qui omittit tres illas particulas, Amen, Ego: In: nam mutatio non eſt ſubſtantialis, nec deſtruit ſenſum formæ, & cum non ſit materia gravis, non efficit baptizantem reum lethalis culpæ, omittendo verò alia verba invalidus eſt Baptiſmus.

22 Validus eſt Baptiſmus adminiſtratus vulgari lingua; immò conſultum eſt, ut quando miniſter non benè novit exprimere verba latino ſermone, exprimat vulgari, quia videtur habere juſtam cauſam utendi vulgari idiomate, nec dicitur facere contrarium, & conſuetudinem Eccleſiæ.

23 Validus eſt baptiſmus adminiſtratus per verba Synonima, dicendo loco verbi baptizo, Abluo, Aſpergo; quia non mutant ſubſtantialiter ſenſum verborum: invalidus verò eſt, ſi dicatur, ego te projicio in aquã: aut ego mundo te à peccatis; nam mutatur ſubſtantialiter ſenſus verborum.

24 Invalidus eſt baptiſmus, ſi puer moriatur nondum finita forma baptiſmi: non enim adeſt integer ſenſus formæ, & conſequenter non videtur puer ſepeliendus in loco ſacro.

25 Invalidus eſt baptiſmus, quem quis ſibi ipſi confert dicendo, ego me baptizo, quia mutatur ſenſus formæ, quia non eſt idem dicere baptizo te, baptizo me: & poſteà baptiſmus eſt regeneratio quædã ſpiritualis: ſicut autem nemo poteſt ſeipſum naturaliter generare, ita neque poteſt ſeipſum ſpiritualiter regenerare per baptiſmum. Adde quia Chriſtus Matth. 28. dixit docete omnes gentes, baptizantes eos, non autem dixit baptizantes vos. Chriſtus etiam non ſeipſum baptizavit, ſed baptizatus eſt à Joanne, unde voluit indicare neminem poſſe: ſeipſum baptizare, ſed baptizandum eſſe ab alio. Poſſunt tamen duo ſe invicem baptizare tempore neceſſitatis, dicendo ego te baptizo: ſic enim verificaretur forma, ex quo ſequitur illum, qui ſeipſum in articulo mortis baptizavit, non eſſe ſalvandum ratione baptiſmi actualis, cum nullus poſſit ſe ipſum baptizare: fieri tamen poteſt, & ſalvatur ratione baptiſmi in voto, quia creditur habere contritionem cum propoſito baptiſmi.

26 Plures poſſunt baptizari unica aſperſione, dicendo, ego vos baptizo in nomine Patris, &c quia non mutatur ſenſus formæ, cum idem ſit dicere, ego vos baptizo, ac dicere baptizo te, & te, &c. dicuntur autem eſſe plura Baptiſmata, quia diſtinctio numerica Baptiſmatum deſumitur à ſubjecto, in quo recipitur Baptiſmus: & quamvis adſit una forma formaliter, qua ſimul plures baptizantur: nihilominus virtualiter, & æquipollenter eſt multiplex.

27 Non eſt validus Baptiſmus, quando duo concurrunt ad baptizandum unum, & eundem, & unus abluit, alter verò formam profert, quia mutatur ſenſus formę, & forma efficitur falſa, nam proferens verba, dicit:

dicit, Ego te baptizo, cum revera ipſe non baptizet, ſed tantummodo proferat formam altero interim abluente; & ideò non eſt validus Baptiſmus collatus à duobus, maximè, quia Chriſtus inſtituit ab eodem fieri ablutionem, & prolationem formæ, ut patet ex uſu, & conſuetudine, & ſic debet Phyſicè, & per ſe ipſum abluere, & proferre formam, qui intendit validè baptizare, ex quo colligitur non eſſe validum Baptiſmum, quando unus incipit formam Baptiſmi, & alter eam perficit.

28 Validus eſt Baptiſmus collatus à duobus, quando uterque non ſolum abluat, ſed etiam verba proferat: quod debet intelligi, & verificatur, quando quilibet eorum intendit baptizare independenter ab intentione alterius, quia adeſt debita forma, materia, & intentio Miniſtri, & ſic eſt verus Baptiſmus: quando autem quilibet eorum intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, ſive ſinguli dicant Ego te baptizo, ſive dicant, Nos te baptizamus, quia dicendo, ego te baptizo falſa eſt forma, quia neuter per ſe baptizat, ſed cum alio: ſi dicant Nos te baptizamus, adhuc falſa eſt forma, & mutatur ſenſus formæ.

29 Validus eſt baptiſmus collatus alicui, quem credebat miniſter eſſe maſculum, ſed erat fœmina; vel eſſe filium Caji, & erat filius Titii, quia quamvis miniſter ſpeculativè erret, tamen practicè non erat, cum dirigat intentionem ſuam in præſentem perſonam, ſi autem haberet intentionem contrariam, ita ut diceret volo baptizare filium Caji, & non filium Titii; tunc Baptiſmus eſſet invalidus, quia defecit intentio neceſſaria ad Baptiſmum, qui verò fuit baptizatus pro maſculo, & erat fœmina, non eſt rebaptizandus, ſed ſolum eſt nomen commutandum in nomen fœminę.

30 Poteſt quiſque propria auctoritate, per ſe loquendo, commutare nomen in Baptiſmo impoſitum, quia hoc non videtur jure prohibitum, dicitur autem, per ſe loquendo, nam ratione alterius circumſtantiæ videtur prohibitum, & eſt quando periculum eſt fraudis, vel damni alterius; melius tamen eſt commutare nomen auctoritate Epiſcopi, vel Principis; ſic enim facilè cavetur ſuſpicio fraudis, & damni.

De Miniſtro Baptiſmi. Cap. 38.

1 Miniſter Baptiſmi duplex eſt, vel ſolemnitatis, vel neceſſitatis; Miniſter ſolemnitatis eſt cui competit ex officio miniſtrare cum debita ſolemnitate, qui debet eſſe Sacerdos, quia cum Sacerdos inſtitutus ſit ad adminiſtrandam Euchariſtiam, par eſt, ut poſſit illa ex officio adminiſtrare, per quæ poteſt quis Euchariſtiam participare. Poteſt autem particeps fieri Euhariſtiæ per Baptiſmum, & proptereà qui ſolemniter baptizat, cum non ſit Sacerdos, illicitè baptizat; quia uſurpat ſibi alienum officium, & Clerico ſolemniter baptizanti impoſita eſt Irregularitatis pœna; Diaconus autem de licentia Epiſcopi, vel Parochi poteſt ſolemniter baptizare, maximè ubi conſuetudine ita receptum eſt, licet hoc tempore non videatur in uſu, cum adſit copia Sacerdotum.

2 Miniſter Baptiſmi in neceſſitate eſt omnis homo habens uſum rationis, potenſque, & ſciens debitam formam proferre, & materiam applicare: quia eſt Sacramentum magnæ neceſſitatis.

3 Baptiſmus collatus in neceſſitate à fœmina, & ab obſtetrice eſt validus, quæ obliganda eſt ad ediſcendam Baptiſmi formam ſaltem vulgari lingua: validè confert Baptiſmum Hereticus, imo Paganus, modò habeant intentionem baptizandi: peccat autem Adultus recipiens baptiſmum à Pagano propter periculum non recipiendi Baptiſmum defectu intentionis, aut propter periculum ſcandali.

4 Anima ſeparata à Corpore non poteſt baptizare, quia non eſt homo, nec poteſt virtualiter verba proferre. Homo beatus ſi baptizet validè baptizat, cum ſit homo. Angelus non poteſt baptizare, quia non eſt homo, nec poteſt eſſe miniſter Sacramentorum abſque divina diſpenſatione.

5 Qui baptizat extra neceſſitatem cum non ſit Sacerdos, graviter peccat, etiam ſi baptizaret abſque ſolemnitate, quia vetitum eſt ab Eccleſia baptizare illi extra neceſſitatem; Sacerdos enim eſt per ſe inſtitutus miniſter hujus Sacramenti.

6 Parochus, ſeu Sacerdos non poteſt baptizare infantem alterius Parochiæ abſque neceſſitate ſolemniter ſine licentia Epiſcopi, vel proprii Parochi, quia uſurparet ſibi

ſibi juriſdictionem, & manus alterius; verùm ſi Sacerdos ſolemniter baptizet ſine licentia proprii Paſtoris non incurrit excõmunicationem, vel irregularitatem, quin hac pœna nullibi reperitur eſpreſſa: quando autem baptizaret in neceſſitate, quando Parochus abeſt, nec facilè haberi poteſt, non peccat: quia quilibet Sacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter ad hoc Sacramentum, & habet poteſtatem illud adminiſtrandi, non tamen poteſt baptizare abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi, quando Parochus adeſt, vel facilè haberi poteſt, etiam in neceſſitate, licet ut Sacerdos ſit miniſter Baptiſmi quatenus habet poteſtatem Ordinis, deeſt illi juriſdictio.

7 Tempore neceſſitatis eſt ſervandus aliquis ordo in adminiſtrando Baptiſmo: ſcilicet præſente viro fęmina non baptizet, præſente Clerico vir laicus non baptizet, nec pręſente Diacono Clericus, nec pręſente Sacerdote Diaconus, incurſio tamen hujus Ordinis non eſt mortale peccatum: tamen præſente Sacerdote, nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, quia ſibi uſurparet alienum officium in re gravi; poteſt tamen propter ignorantiam excuſari, aut etiam ob neceſſitatem infantis, ſi Sacerdos præſens nolit baptizare, qui tempore neceſſitatis ſi nolit graviter peccat, cum ipſi competat ex officio, & tenetur indigenti ſubvenire, ſic laicus in defectu Clerici, & aliorum.

8 In Miniſtro Baptiſmi requiritur intentio baptizandi, cum adminiſtratio Baptiſmi ſit actus humanus, unde ille non validè baptizat, qui ſolum habet intentionem locandi, vel irridendi: ſed validè baptizat, qui habet intentionem baptizandi ſimul, & jocandi, ita validè baptizat, qui baptizat, ut lucretur, vel ut occidat puerum intendens verè baptizare, & prætereà occidere, nam finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad Sacramentum.

9 Miniſter debet adhibere debitam materiam, & formam, ſciens illam applicare in Baptiſmo, cum hoc Sacramentum perficiatur materia, forma, & Intentione, & ſolemniter baptizans debet exiſtere in gratia; ſolemniter enim baptizans in mortali graviter peccat, licet in neceſſitate baptizans cum mortali ſine ſolemnitate, vel cum excommunicatione, non peccat graviter. non enim eſt miniſter conſecratus ad hunc effectum, nec excommunicatio impedit, quin poſſit in neceſſitate baptizare.

10 Concurrunt ad Baptiſmum Patrini, qui levant de Sacro fonte, & ſpondent ſolemniter pro infante; quem debent inſtruere in rebus fidei, dum non habent parentes, & Parochos, qui hoc faciant: patrini autem excuſantur in noſtris regionibus, ubi parentes, & Parochi ſolent infantes inſtruere.

11 Non licet rebaptizare, quia Baptiſmus imprimit Characterem, qui remanet indelebiliter in anima, non poteſt iterari, dum conſtat ſemel ritè collatum fuiſſe: ſi verò probabile dubium ſit de validitate Baptiſmi, iterum conferendus eſt ſub hac conditione, ſi non es baptizatus, ego te baptizo, non tamen neceſſe eſt hanc conditionem exprimi, ſed ſufficit ſi mente retineatur.

12 Baptiſmus autem collatus alicui jam baptizato, non eſt validus, quia ut Baptiſmus ſit validus requiritur ſubjectum carens Charactere: qui autem ſemel fuit baptizatus non caret Charactere.

De ſuſcipiente Baptiſmos, & ejus diſpoſitione. Cap. 39.

1 Diſpoſitio duplex eſt, alia ſpectat ad Corpus, alia ad Animã. Subiectum Baptiſmi eſt quilibet homo natus, exiſtens in hoc mortali corpore, ſive ſit infans, ſive ſit adultus, ſive ſit vir, ſive fœmina, quia eſt omnibus neceſſarius.

2 Satyrus, aut genitus ex fœmina, & Bruto non eſt capax baptiſmi, quia non eſt homo, nec habet peccatum originale, quia peccatum originale traducitur ex Adamo per virilem virtutem; Monſtrum genitum ex viro, & fęmina baptizandum eſt, quia eſt homo conſtans ex anima, & corpore, & ſi conſtet habere duplicem animam, ut ſi habeat duo capita, & corpora diviſa, bis baptizandum eſt, ſemel in utroque capite, vel ſaltem uno actu dicendo: Ego vos Baptizo ſi periculum ſit in mora, & neceſſitas urget. Si verò dubitetur, an conſtet duplici anima rationali, ut ſi habet duo capita, cum uno pectore, vel duo pectora ſub uno capite, duplex Baptiſmus conferendus eſt, unus abſolutè in ea parte, in qua perfectum caput, vel pectus apparet, alter ſub conditione in alia parte; Monſtrum autem ſi dubitatur, an genitum ſit ex viro, & fœmina vel ex fęmina, & Bruto, poteſt baptizari ſub con-

conditione, dummodo non conſtet eſſe animal irrationale, & adhibita diligentia ad inquirendum, an ſit homo, vel belva, vel an natus ſit ex viro, & fœmina; remanente dubio abſolutè baptizari non poteſt, vel ad ſummum ſub conditione; alioquin incurreretur periculum conferendi baptiſmum illi, qui non eſt ſubjectum capax baptiſmi.

3 Baptiſmus à circumciſione differt, quia Circumciſio ſolis Maſculis adhibebatur. Baptiſmus verò omnibus adhibetur.

4 Mortuus non poteſt baptizari, quia ſolus homo vivens baptizatur, & ſolum in hac vita datur tempus acquirendæ vitę æternæ, nec remanet baptizatus, qui in ultimo inſtanti prolationis verborum moritur, quia tunc non eſt homo, cum in eo inſtanti verum ſit dicere, nunc non eſt homo. Exiſtens in utero Matris non poteſt baptizari, quia ſubjectum baptiſmi eſt homo natus, & non poteſt per baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporaliter natus, nec poſſit ablui, nec ſufficit, ut mater aſpergatur, cum ſit perſona disjuncta à filio exiſtente in utero, eaque aſperſa non dicitur infans ablutus, nec valet dicere, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ergo infans in utero matris eſt baptizandus, quia aliter non poteſt ſalvari, nam reſpondetur velle Deum, voluntate antecedente, non verò conſequenti omnes ſalvos fieri, quia non ſequitur, omnes de facto ſalvandos eſſe: inſuper non debet dici, quando ſicut Deus pro omni hominum ſtatu providit, ita eſt Baptizandus Infãs in utero Matris, quia aliter ſalvari nõ poteſt; quia licet pro quolibet ſtatu providit, non tamen pro qualibet conditione, & circumſtantia ſtatus. Deus enim ſtatuit remediũ, tam pro parvulis, quàm pro adultis, ſed non pro qualibet conditione, & accidentibus ſtatus, unde non conſtituit remedium pro iis; qui non prodeuntur in lucem; hoc enim eſt accidens, ſeu conditio ſtatus: licet ſit verum providiſſe etiam pro parvulis in utero matris exiſtentibus, non quidem Baptiſmo, ſed Matyrio, ut ſupra dictum eſt.

5 Si filius exiſtens in utero Matris mortuæ credatur, vivere, mater aperienda eſt, ut filius extrahatur, & baptizetur, quia conſulendum eſt ſaluti infantis, ſi verò Mater vivit, & per partum moritura ſit, non eſt ſcindenda, ut filius extrahatur, & baptizetur; non enim facienda ſunt mala, ut veniant bona, quando Mater eſt gravida, & per Judicis ſententiam damnata ad mortem: differenda eſt executio ſententiæ, donec ipſa pepererit; ſi verò dilatio ſit allatura damnum Reipublicæ putant DD. aperiendam eſſe viventem, ut filius extrahatur, & baptizetur, quia ex juſta cauſa ſit auctoritate publica.

6 Validus eſt Baptiſmus collatus infanti abſque conſenſu Parentum: quia ad valorem Baptiſmi requiritur ſolum materia, forma, & intentio Miniſtri, & quia Eccleſia non ſolet rebaptizare pueros invitis parentibus baptizatos, eſt autem difficultas de filiis Infidelium, an ſint baptizandi invitis parentibus: unde pro ſolutione hujus difficultatis, dicendum, vel filii habent, aut non habent uſum rationis, vel ſunt in periculo mortis, vel non ſunt, vel habent utrumque parentem infidelem, vel unum tantum, vel unus parentum conſentit, & alter diſſentit: vel ſunt ſubditi Principi Chriſtiano, vel non; denique vel ſunt ſervi, vel non; ſtantibus igitur iſtis diſtinctionibus, dicendum eſt. Si filius habeat uſum rationis, & petat baptiſmum baptizari debet etiam invitis parentibus, quia habet jus petendi, quod ſibi neceſsarium eſt ad ſalutem, cum ſit ſui juris in iis, quæ ſunt, & pertinent ab bonum animæ, nec tenetur patri obedire in iis, quæ ſibi, & Deo contraria ſunt, & illis ſubtrahi, ut perverſionis periculum evitetur. Si dubitetur an habeant uſum rationis, ſunt qui dicunt, eſse baptizandos invitis parentibus: quia in dubio declinandum eſt in favorem fidei; ſed alii dicunt non eſse baptizandos, quia melior eſt conditio parentum poſſidentium. Sed ego puto baptizãdos eſse, ſi jam cõpleverint ſeptenniũ, nam completo ſeptennio præſumitur rationis uſũ habere, ſi verò non compleverit, unde præſumitur non habere uſum rationis non ſũt baptizãdi invitis parẽtibus, & eſt melior cõditio parentũ poſſidentium.

7 Infideles ſi nunquam ſunt baptizati habentes filios, qui carent uſu rationis, non poſsunt invitis parentibus baptizari, quia vel iſti filii ſubtrahuntur parentibus, vel ipſis relinquuntur: ſi ſubtrahuntur fit injuria parentibus, quia privantur jure, quod habent in filios, ſi relinquantur parentibus, adeſt periculum perverſionis, & ſic fit injuria Chriſtianæ religioni.

8 Infideles qui ſunt baptizati, ſicut ſunt hæretici, & alii Apoſtatæ, horum filii poſ-

Digitized by Google

poſſunt invitis parentibus baptizari; Eccleſia enim poteſt illos compellere Cenſuris, & pœnis corporalibus ad ſervandam fidem, ſic poteſt ab illis ſubtrahere filios, eoſque baptizare.

9 Infideles nondum baptizati, aut etiam baptizati poſſunt filii invitis parentibus baptizari quoties in periculo mortis exiſtunt, quia parentes irrationabiliter ſunt inviti, nec eſt periculum perverſionis, ſed proximo extremè indigenti ſubvenitur.

10 Filius natus ſaltem ex uno parente Chriſtiano eſt baptizandus invitis parentibus, quia eſt ſubditus Eccleſiæ, & debet ſequi parentem Chriſtianum, & propterea baptizandus eſt infans natus ex Matre Chriſtiana conſentiente, quamvis pater diſſentiat nam infans ſequitur ventrem, item baptizandus eſt infans ortus ex patre Chriſtiano conſentiente, licèt mater diſſentiat: quia pater eſt caput, & præcipua cauſa filii, & eſt melior conditio Chriſtiani; item baptizandus eſt filius natus ex utroque parente infideli, quorum unus poſteà converſus eſt, nam filius ſequitur parentem converſum.

11 Filius natus ex utroque parente infideli poteſt baptizari, licèt unus conſentiat, & alter diſſentiat; quia hic actus cedit in favorem Religionis, & ſalutis infantis.

12 Cavendum eſt, ne Baptiſmus detur petentibus intentione, ut ſanitatem recipiāt quod à Turcis aliquando factum fuit, eò quod viderint ſæpiùs, vel viderint Baptiſmum ægrotis collatum liberaſſe ab ægritudine. in hoc caſu nō eſt conferendus Baptiſmus, ſi non ſubſit ſpes, ut hujuſmodi infans alatur in Chriſtiana religione, quia periculum imminet perverſionis, & apoſtaſiæ.

13 Filii infidelium, qui non ſunt ſervi, ſed ſolùm tributarii, & vaſſalli Principum Chriſtianorum, quales ſunt Judæi commorantes ex conceſſione Principum in aliquibus civitatibus non poſſunt invitis parentibus baptizari. quia licet ſint tributarii, non tamen amittunt jus in filios, ſicut non amittunt jus in aliis rebus.

14 Filii ſervorum infidelium de conſenſu Dominorum poſſunt baptizari invitis parentibus, quia Domini poſſunt hujuſmodi filios ſervorum à parentibus ſeparare, & vendere, cum habeant dominium in parentes & filios, & tenentur curare ſervos ſuos baptizari, & nomine ſervorum intelligitur illi, qui emuntur à veris Dominis, aut juſto bello capiuntur, & jure belli fiunt ſervi.

15 In adulto baptizando requiritur ſaltem triplex diſpoſitio. Primò debet habere intentionem actualem, ſeu virtualem recipiendi Baptiſmum, quia baptizatus per baptiſmum ſumit multas obligationes, ad quas non debet aſtringi, niſi conſentiat, & intendat eas ſubire, & propterea requiritur intentio. Secundò requiritur in adulto ad recipiendum baptiſmum cum fructu fides ſupernaturalis. Tertiò requiritur attritio ut *Conc. Trid. ſeſſ.... can.6.*

16 In pueris carentibus uſu rationis Chriſtus, & Eccleſia ſupplet intentionem, & diſpoſitionem, quare in iis non requiritur intentio ſuſcipiendi baptiſmi, quia ob carentiam uſus rationis eam nō poſſunt habere, & propterea ſunt capaces baptiſmi, Deo ſupplente ipſorum intentionem. Idem dicendum eſt de amente perpetuò à nativitate, nō habente lucida rationis intervalla.

17 Adultus non remanet baptizatus, nec characterem recipit, ſi nunquam voluit baptizari, vel ſi aliquando baptizari voluit, voluntatem revocavit.

18 Baptiſmus poteſt conferri dormienti, & amenti habenti lucida intervalla, ſi ante ſomnum dormiens, & in tempore lucidorū intervallium amens petierit Baptiſmum, etiam ſi poſteà amens dum baptizatur reſiſtere videatur non habens in illo tempore lucida intervalla; illa enim reſiſtentia non eſt actus humanus: & propterea poſſunt baptizari: quia dicuntur habere intentionem habitualem, in amente autem expectari debet, ut in ſe redeat ſi ſit ſpes redeundi: aliter baptizandus eſt in amentia.

19 Amens ſi dubitatur ante amentiam petiiſſe Baptiſmum, baptizandus eſt ſub conditione, quia melius eſt ipſum decedere cum dubio baptiſmo, quàm ſine: verum ſi conſtat illum in peccato mortali permanere, ut in concubinatu, non eſt baptizandus, quia baptizaretur cum obice, & Sacramentum adminiſtraretur indigno.

20 Validus eſt baptiſmus collatus alicui per metum gravem ſuſcipienti: dummodò habeat intentionem ſuſcipiendi baptiſmum quia metus non tollit intentionem, non autem dicendum eſt de eo, qui per metum ſuſcipit, ſed non habet intentionem, in hoc enim non eſt validè collatus baptiſmus.

21 Ille non recipit Baptiſmum, cujus intentio eſt neutralis, ſcilicet velit, an nolit

lit

lit baptizari, quare videtur non habuiſſe intentionem baptizari.

22 Inſtructus ab hæretico habens intentionem ſuſcipiendi quod fuit inſtitutum à Chriſto, quicquid illud ſit, hic recipit baptiſmum, ſed non gratiam: quod recipiat baptiſmum, patet, quia adeſt materia, forma, & intentio Miniſtri, & intentio ſuſcipientis: quod non recipiat gratiam, patet, quia non habet fidem, nec illam recipit inſuſā, quia non eſt ſufficienter diſpoſitus.

23 Confeſſio ſacramentalis non eſt neceſſaria ad recipiendum baptiſmum, quia eſt janua omnium Sacramentorum.

24 Attritio naturalis non ſufficit ad recipiendum baptiſmum, ſed requiritur attritio, quæ procedat ex auxilio ſupernaturali propter metū gehennæ, aut turpitudinem peccati, *Conc. Tr. ſeſ. 6. c. 9. ſeſ. 14. can. 4.* ubi dicitur attritionem eſſe donum Dei.

25 In adulto non habente aliud peccatum, quàm originale, licet hoc eſt incredibile, tamen proponitur pro forma: in illo non requiritur attritio ad recipiendum Baptiſmum, attritio enim eſt de peccatis commiſſis; adultus autem cum non peccaverit de ſua voluntate, non requiritur attritio, quando ſuſcepturus eſt baptiſmum cum ſolo originali, ſed ſufficit propoſitum ſervandi legem Dei, & propoſitum obediendi Deo, cum voluntate ſuſcipiendi Baptiſmū.

26 Cum remittatur in baptiſmo non ſolum culpa, verum etiam pœna peccatis debita. Adulto baptizato non eſt imponenda ſatisfactio aliqua.

27 Baptiſmum recipiens, abſque attritione, & fide recipit baptiſmum quoad characterem, ſed non quo ad gratiam, & remiſſionem pœnæ, fides enim, & attritio ſunt diſpoſitiones ad gratiam, & remiſſionem pœnæ, unde recipiens Baptiſmum abſque intentione non recipit Baptiſmum, nec quo ad characterem, nec quoad gratiam, & pœnæ remiſſionem, quia ad validitatem Baptiſmi requiritur intentio ſuſcipientis.

De effectu Baptiſmi. Cap. 40.

1 TRes effectus producit Baptiſmus: Primus eſt gratia habitualis: Secundus eſt remiſſio totius pœnæ. Tertius eſt Character.

2 Baptiſmus confert gratiam, cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam conſequuntur, modò non adſit obex ex parte ſuſcipientis. *Conc. Trid. ſeſ. 5.* in decreto de peccato originali.

3 Baptiſmus æqualem gratiam confert pueris, adultis verò inæqualem juxta majorem, & minorem diſpoſitionem.

4 Gratia, quæ recipitur in Baptiſmo, remittit non ſolum peccatum Originale *ex Con. Trid. ſeſſ. 5. initio verſ.* Si quis per Jeſu Chriſti; ſed etiam peccata commiſſa ante Baptiſmum, & delet quoque omnem pœnam peccati debitam, ut eſt de fide & propterea baptizatis non imponitur pœna, ſeu ſatisfactio pro peccatis præteritis. quare qui ſtatim ſuſcepto Baptiſmo moreretur: ſtatis in Cœlum evolaret.

* *Alexander VIII. die 7. Decembris 1690. damnat hanc propoſitionem. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

5 Pœnalitates, quæ ſunt quædam defectus contractæ per peccatum originale, ut ſunt concupiſcentia inordinata, mors, ægritudines, &c. non auferuntur in hac vita per Baptiſmum, quia Deus vult homines exerceri ad luctum, & pugnam ſpiritualem, ut poſteà victoriæ coronam accipiant, & ſicut ſumus uniti per Baptiſmum Chriſto, qui habuit corpus paſſibile, ita nos ſimus mortales, & paſſibiles, & feramus teſtimonium lapſus Adæ.

6 Character, qui per Baptiſmum imprimitur, cum ſit indelebilis, efficit, ut Baptiſmus iterari non poſſit, licet ſit collatus à Pagano, vel Hæretico: nam cum impoſſibile ſit hominem bis naſci, ſic impoſſibile eſt bis renaſci.

7 Character per baptiſmum imprimitur, licet in ſuſceptione Baptiſmi commiſerit peccatum mortale: quod non impedit ſuſceptionem Baptiſmi, ſed infuſionem gratiæ, niſi tollatur obex antequam Sacramentum perficiatur.

8 Baptiſmus tamen iterari poteſt, quando dubitatur de ejus validitate ſeu ſub conditione, ut ſunt filii de recenti nati, & expoſiti in locis Chriſtianorum, niſi habeant ſignum certum Baptiſmi collati, licet dicant aliqui, iſtos præſumendum eſt eſſe baptizatos.

9 Alios effectus cauſat Baptiſmus: & ſunt aliquando reſtitutio ſanitatis, ablatio Irregularitatis ex delicto, obligatio ſervandi Eccleſiæ præcepta, nam homo fit ſubditus Eccleſiæ per Baptiſmum, qui ſaltem

tem implicitè promittit Eccleſiæ obedientiam.

10 Baptiſmus ſuſceptus cum fictione producit ſuum effectum, recedente fictione, quia proprium eſt Baptiſmi regenerare, & remittere peccatum originale, & alia peccata commiſſa ante Baptiſmum, & hoc adeò proprium eſt Baptiſmi, ut à nullo allo Sacramento fieri poſſit; ergo neceſſe, eſt, ut ablata fictione hunc effectum conferat, vel iteretur, ſed iterari non poteſt, ergo confert effectum, ſublata fictione.

11 Requiritur autem, ut Baptiſmus ſuum producat effectum, recedente fictione, quæ ſi fuit, cum recipit Baptiſmum abſque prævia intentione: debet, qui recipit Baptiſmum, de novo illum recipere: quia prior Baptiſmus fuit omnino invalidus defectu intentionis, & eſt idem, ac ſi non fuiſſet adminiſtratus, & ideò non ſufficit elicere actum intentionis; quia quando elicitur actus intentionis non adeſt materia, & forma: quæ requiruntur ſimul eſſe, ut validus fit Baptiſmus, & proptereà Baptiſmus iterandus eſt, ut validè conficiatur, & ipſius effectus conficiatur.

12 Si autem fuit alia fictio, quæ non invalidat Baptiſmum: ut eſt, quando recipitur Baptiſmus ſine attritione, & fide, tunc ſatisfacit auferendo obicem, & defectum attritionis, & fidei, eliciendo actum fidei, & attritionis, & ſic recipit fructum Baptiſmi, & non eſt iterum iterandus: quia defectus attritionis non invalidat ſuſceptionem Baptiſmi, ut facit defectus intentionis.

13 Fictio duplex eſt, vel cum peccato, vel ſine peccato, fictio ſine peccato eſt, quando recipiens Baptiſmum bona fide recipit, nec advertit non habere debitam diſpoſitionem, fictio autem cum peccato eſt, quando recipitur Baptiſmus mala fide ſciens ſe non habere debitum dolorem, ac fidem, vel avertens, ſe habere complacentiam alicujus peccati. Quando igitur recipitur Baptiſmus cum fictione ſine peccato, recipit fructum Baptiſmi eliciendo actum fidei, & attritionis. Quando autem recipitur Baptiſmus cum fictione cum peccato, requiritur contritio, vel Sacramentum Pænitentiæ ad recipiendum fructum Baptiſmi, quia peccatum commiſſum in ſuſceptione Baptiſmi, & perſeverans in ipſa receptione eſt quodammodo poſterius ipſo Baptiſmo, ſaltem natura, cum ſit ſacrilegium commiſſum ob indignam Baptiſmi ſuſceptionem: peccata autem delentur, quæ ſunt commiſſa poſt Baptiſmi ſuſceptionem per contritionem, vel per Sacramentum pænitentiæ: & proptereà poſita contritione, vel Sacramentum pænitentiæ, recipitur fructus Baptiſmi, quando ſuſceptus eſt Baptiſmus cum fictione cum peccato.

14 Differt Baptiſmus ab Euchariſtia, & Pænitentia cauſa hujus fictionis, nam Pænitentia, & Euchariſtia ſuſcepta cum fictione mortaliter peccaminoſa non producit effectum, recedente fictione: ut facit Baptiſmus.

15 Peccata commiſſa ante Baptiſmum non ſunt aperienda in Confeſſione: quia tolluntur ſufficienter per Baptiſmum: ſed quę ſunt commiſſa poſt Baptiſmum debent ſubiici clavibus.

16 Quando quis recipit Baptiſmum cum peccati veniali complacentia recipit gratiam, & remiſſionem aliorum peccatorum: ſed non remiſſionem illius peccati venialis: quia eſt impoſſibile peccatum ſimul fieri, & deleri.

17 Recipiens Baptiſmnm non liberatur à ſervitute: quia nullo jure hoc conſtat, ſcilicet liberari, licet in aliquibus locis in favorem fidei ſervus fiat liber per Baptiſmi ſuſceptionem.

18 Ritus accidentales non poſſent omitti abſque peccato ex ſuo genere mortali, licet aliquando parvitas materiæ excuſet à peccato mortali, & proptereà graviter peccat, qui ſolemniter baptizat in aqua non benedicta, etiam qui extra neceſſitatem baptizat extra Eccleſiam, nec licet extra neceſſitatem baptizare adhibito Chriſmate alterius anni.

19 Quando quis fuit Domi baptizatus abſque ſolemnitatibus requiſitis, illæ ſunt à Parocho in Eccleſia ſupplendæ, ex *Conc. Trid. ſeſſ. 7.* quia curandum eſt, ut Sacramentum completè adminiſtretur, tum quoad ſubſtantialia; tum quoad accidentalia: ſed quando iteratur Baptiſmus invalidè ſuſceptus: non ſunt iterandæ ſolemnitates, licet aliqui oppoſitum ſentiant.

DE CONFIRMATIONE.

De Inſtitutione, & Definitione Confirmationis. Cap. 41.

1 CONfirmatio eſt Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Epiſcopo cum Chriſmate, & præſcripta verborum forma ad fidei robur conſequendum. Dicitur homo viator baptizatus, ad indicandum ſubjectum Sacramenti Confirmationis: Injungitur: ad indicandam cauſam materialem proximam, quæ eſt Unctio, cum Chriſmate, ad ſignificandam materiam remotam, quæ eſt Chriſma Ab Epiſcopo, ad indicandam cauſam efficientem miniſterialem hujus Sacramenti. Sub præſcripta verborum forma, ut intelligatur cauſa formalis. Ad fidei robur conſequendum, ut oſtendatur effectus, & cauſa finalis hujus Sacramenti.

2 Sacramentum Confirmationis fuit inſtitutum in die ultimæ cœnæ, quoad materiam, & formam: tunc enim conſecravit Chriſma, & propterea ad illius imitationem in illo die conſecratur Chriſma ab Epiſcopis.

De Neceſſitate, & Miniſtro Confirmationis. Cap. 42.

1 SAcramentum Confirmationis non eſt neceſſarium, nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti, non neceſſitate medii, quia multi ſalvantur ſine confirmatione, ut patet infantibus, non neceſſitate præcepti, quia nullibi reperitur tale præceptum.

2 Confirmationem omittens ſponte non peccat mortaliter, ſecluſo contemptu, vel alia circumſtantia, quia licet tribuat vires, & robur: poſſunt tamen per alia media contineri, ſcilicet per Orationes, Confeſſiones, & Euchariſtiam, nec facit contra obligationem; Epiſcopus autem negligens in conferenda Confirmatione peccat mortaliter, quia facit contra proprium officium in re gravi.

3 Miniſter Sacramenti Confirmationis eſt Epiſcopus ordinatus ex *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione*. Licet ex commiſſione Summi Pontificis poſſit etiam ſimplex Sacerdos, tanquam Miniſter extraordinarius à Deo inſtitutus confirmare ob neceſſitatem, propter multitudinem fidelium.

4 In Confirmatione adhibendum eſt Chriſma ab Epiſcopo conſecratum, cum nullus poſſit Chriſma conſecrare præter Epiſcopum, licet aliqui putent hujuſmodi materiæ conſecrationem poſſe Sacerdotibus à Summo Pontifice committi. Sed hoc eſt contra auctoritatem Divinam, qua prohibitum eſt Sacerdotibus conſecrare Chriſma ex *Conc. Tolet. 8. cap 7.*

5 Epiſcopus quamvis excommunicatus, vel Hæreticus, vel etiam degradatus poteſt validè Confirmationem adminiſtrare: adhuc enim eſt Epiſcopus, quia per hujuſmodi defectus non amittit characterem, in quo fundatur poteſtas confirmandi, ſed Abbas, qui non eſt Epiſcopus, non poteſt confirmare. Epiſcopus licet non confirmatus poteſt confirmare, non autem quando nondum eſt conſecratus: licet ſit electus, quia caret charactere Epiſcopatus.

6 Nullus Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt confirmare ſubditos alterius Epiſcopi: nec in diœceſi alterius Epiſcopi poteſt ſuos ſubditos confirmare, nec Pontificalia exercere abſque ordinarii loci expreſſa licentia.

7 Epiſcopus in conferendo Confirmationem debet habere intentionem formalem aut virtualem: debet eſſe in gratia, quia eſt Miniſter conſecratus, & ex officio deputatus ad hoc, non tamen requiritur, quod ſit jejunus, vel adminiſtret in die feſto: quia nulla lege hoc præſcriptum eſt: ſic non eſt neceſſe ſuſcipientem eſſe jejunum. Jejunium autem in hoc caſu non eſt de præcepto, ſed de conſilio; & licet Epiſcopus teneatur in Eccleſia confirmare tamen extra Eccleſiam confirmando, lethalis culpæ eum non damnarem.

De Materia, & Forma Sacramenti Confirmationis. Cap. 43.

1 MAteria remota Confirmationis, & Chriſma confectum ex olio olivarum admixto balſamo benedicto ab Epiſcopo conſecrato ex *Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Confirm.* & propterea balſamus eſt de neceſſitate Sacramenti, & Chriſma debet eſſe benedictū ab Epiſcopo, & de neceſſitate præcepti debet eſſe confectū illo anno in

dis

die Cœnæ; non autem de neceſſitate Sacramenti; unde Confirmatio adminiſtrata cũ Chriſmate cõſecrato alio anno, eſt valida.

2 Chriſtus non præſcripſit certam verborum formam ad conficiendum Chriſma: ſed ſolum in genere præſcriptum fuit, ut conſecratio fiat per invocationem Sancti Spiritus. Cum enim non conſtet peculiarem à Chriſto formam in hac re inſtitutam fuiſſe, dicendum eſt poteſtatem illam inſtituendi comunicatam fuiſſe Eccleſiæ.

3 Materia proxima Confirmationis eſt unctio facta in formam Crucis in fronte, quæ unctio debet fieri in formam Crucis: quia ſi aliter fieret, non verificaretur quod in forma dicitur, ſigno te ſigno Crucis, &c. Quæ unctio non poteſt fieri cum alio inſtrumento: quàm digito, & manu, & ex precepto Eccleſiæ cum digito pollice dexteræ & debet fieri in fronte, ad indicandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt gratia collata ad audacter confitendum Chriſti nomen, cum enim frons ſit ſedes verecundiæ, par eſt, ut confirmandus in fronte inſigatur, ut ſine rubore, & verecundia Chriſti nomen confiteatur, & ea quantitas ſufficit, ut poſſit quis digito inungi in fronte, & ſic ad conficiendum Chriſma ſufficit ea quantitas balſami, quæ poſſit ſuas qualitates, & præſertim odorem oleo communicare: & licet Apoſtoli confirmabant per manus impoſitionem: hoc declaratur: quod illa actio, quam nos appellamus unctionem, appellata fuit manus impoſitio, eo quod manu, vel digito Epiſcopi fiat: vel dicas hoc factum fuiſſe ab Apoſtolis ex ſpeciali privilegio, & diſpenſatione.

4 Forma Confirmationis eſt iſta: ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & propterea colligitur requiri expreſſionem Sanctiſſimæ Trinitatis, nec ſunt mutanda verba quo ad ſenſum ſubſtantialem; quæ ſi variarentur, non validè conficeretur Confirmatio: & propterea ſi omittatur particula te, aut verbum ſigno, vel confirmo, invalidum eſt Sacramentum, cum adſit mutatio ſubſtantialis, valida tamen eſſet Confirmatio, ſi diceretur, Confirmetur ſervus Chriſti.

De Effectu, & Subjecto Confirmationis. Cap. 44.

1 Primarius Confirmationis effectus eſt gratia habitualis, cum jure ad Divina auxilia, quibus confirmatus, intrepidè, audacter, & conſtanter fidem profitetur: ſecundus eſt Character, qui ſupponit Caracterem Baptiſmi: tertius eſt cognatio ſpiritualis.

2 Suſceptor Confirmationis eſt omnis homo baptizatus, ſive ſit infans, ſive adultus, & propterea poteſt conferri tam adultis, quàm pueris rationis uſu carentibus, licet melius ſit conferre hoc Sacramentum pueris rationis uſum habentibus, ut recordentur, ſe hoc Sacramentum recepiſſe, ne iterum recipiant, quod uſu receptum videtur, Amentibus etiam poteſt conferri, ſi ante amentiam petierunt, etiam ſi in mortis articulum exiſtant; immò aliqui dicunt perpetuò amentibus conferri poſſe.

3 Requiritur ad ſuſcipiendam Confirmationem in adulto intentionem; pro qua in non habentibus uſum rationis ſufficit voluntas Chriſti, & Eccleſiæ: requirit fides, ut Sacramentum cum fructu recipiatur, & quod ſit in gratia, vel ſaltem ut putet, ſe eſſe in gratia: nam hoc Sacramentum eſt per ſe inſtitutum ad conferendam ſecundam gratiam, licet aliquando poſſit conferre primam.

4 Habens conſcientiam peccati mortalis non peccat mortaliter ſi ſuſcipiat Confirmationem poſt actũ cõtritionis elicitum.

5 Peccat mortaliter qui recipit ordines ante Confirmationem, quia facit contra conſuetudinem, & præceptum ex *Con. Tri. ſeſ.* 23. *can.* 4 *de reformatione*: licet alii contrariũ ſentiant, quorũ opinio eſt probabilis.

6 Impingitur cõfirmato alapa, ut recordetur, ſe hoc Sacramentum recepiſſe, ne iterum audeat illud recipere, cum non ſit iterabile, & ut intelligat ſe debere pati injurias pro fide Chriſtiana profitenda, verum omiſſio alapæ non videtur peccatũ mortale ob parvitatem materiæ: ſi verò dubitatur, an aliquis ſit confirmatus, poteſt iterum confirmari ſub conditione, non autem contrahitur Irregularitas, ſi hoc Sacramentum iteretur, Patrinus autem nõ tenetur ulla obligatione docere, & inſtruere infantem, & licet in neceſſitate eſſe patrinum in Baptiſmo, & Confirmatione.

DE

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

De Definitione, Inſtitutione, & neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ. Cap.45.

1 EUchariſtiæ nomen ſignificat gratiarum actionem, quia in Euchariſtia recognoſcimus Deum, illique ſummum honorem, & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis impendimus; dicitur Viaticum, quia per Euchariſtiam præparamur ad gloriam; ſignificat bonam gratiam, quia confert gratiam uberiorem præ cæteris Sacramentis, & propterea meritò nuncupatur Sanctiſſimum Sacramentum, venerabile Sacramentum, Auguſtiſſimum Sacramentum, &c. licèt autem Baptiſmus ſit magis neceſſarius Euchariſtia, non tamen eſt præſtantior.

2 Euchariſtia eſt Sacramentum conſiſtens ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis, ſignificans Chriſtum, & reſurrectionem ſpiritualem: quare ſpecies conſecratæ non habent perfectum nomen Sacramenti, niſi quatenus continent Chriſtum. Euchariſtia igitur cum conſiſtat in ſpeciebus conſecratis; conſiſtit in re permanente, quia ſic definitum eſt in *Conc. Trid. ſeſſ.13. can.4.* nec conſiſtit in ſumptione, ut dicunt aliqui; quia extat conſuetudo immemorabilis in Eccleſia aſſervandi Euchariſtiam, illamque adorandi ante ſumptionem, ergo ſignum eſt Euchariſtiam eſſe Sacramẽtum ante ſumptionem. Unde Hæretici contendunt Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere in conſecratione, quæ fit quibuſdam verbis determinatis, in ſpeciebus conſecratis: & in ſumptione ſpecierum, & in his tribus dicunt conſiſtere Sacramentum Euchariſtiæ: ſed dicendum eſt Euchariſtiam eſſe Sacramentum ante ſumptionem, & conſequenter conſiſtere in ſpeciebus conſecratis, & non aliter, ut dictum eſt.

3 Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuit à Chriſto prima die Azymorum in ultima Cœna, quo tempore panis fermentatus non reperiebatur in omnibus finibus Iſrael, & ea nocte, qua Chriſtus tradendus erat, & fuit inſtitutum in loco decenti, id eſt in Cœnaculo parato in Hieruſalem:

4 Conveniens fuit inſtitutio hujus Sacramenti. Primò ratione continentiæ cum Chriſtum contineat. Secundò ratione fidei quæ in hoc Sacramento exercetur. Tertiò propter memoriam paſſionis Chriſti.

5 Quo anno inſtitutum fuerit hoc Sacramentum diſcordes ſunt Doctores, alii dicunt inſtitutum fuiſſe anno trigeſimo ætatis Chriſti, quo tempore, juxta eos Chriſtus obiit; alii anno ferè quinquageſimo; quod tempus tribuunt Chriſto, alii anno trigeſimo tertio inchoato, alii anno trigeſimo quarto; & alii anno trigeſimo quarto inchoato. Hoc tamen certum eſt Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuiſſe in fine Lunæ decimæ quartæ, inchoante decima quinta Luna primi Menſis Lunaris qui apud Judæos incipiebat prima Luna poſt Æquinoctium Hyemale, apud nos vocatur Menſis Martius, & aliquando partem Menſis Aprilis complectitur: illo die incipiebant Azymi, & comedebatur Agnus Paſchalis.

6 Potuiſſet Deus ante Chriſti incarnationem ponere Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ de potentia abſoluta, cum hoc non implicet: unde ſpeciali miraculo potuiſſet creare corpus anima rationali informatum, illudque Verbo Divino unire, & in ſolo Euchariſtiæ Sacramento conſtituere; ſed non potuiſſet aliquis conſecrare ſi Deus his verbis, hoc eſt Corpus meum, ante incarnationem, dediſſet eam virtutem, quam modo habent; quia conſecratio ſupponit Chriſtum, quoad ſuum eſſe ſubſtantiale: & illa verba, hoc eſt Corpus meum, non producunt Chriſtum quoad eſſe ſubſtantiale, ſed quoad eſſe Sacramentale: quare cum hæc verba non producant Chriſtum quoad eſſe ſubſtantiale, ſed quoad eſſe Sacramentale, non potuiſſet conſtituere Chriſtum ſub ſpeciebus, cum eſſe Sacramentale ſupponat eſſe ſubſtantiale: quod Chriſtus nondum habebat ante incarnationem, loquendo de Chriſto, ut Chriſtus eſt, non ut Deus tantum eſt.

7 Euchariſtia non eſt neceſſaria adultis ad ſalutem neceſſitate medii in re, vel in voto, nam adultus poteſt obtinere ſalutem abſque Euchariſtia in re, ut patet, ſi decedat ſtatim ſuſcepto Baptiſmo, evolat in Cœlum nulla interpoſita mora, ut patet ex dictis de Baptiſmo, nec eſt neceſſaria neceſſitate medii in voto, quia poteſt ſalvari

adul-

adultus abſque ſuſceptione Euchariſtiæ, & abſque alia re loco Euchariſtiæ, quia decedens ſtatim poſt Baptiſmum, ſtatim gloriam conſequitur per baptiſmum, quare Euchariſtia non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto, & non eſt ut Baptiſmus, & pœnitentia, quæ ſunt neceſſaria in re, vel in voto, cum ex illorum Sacramentorum omiſſione ſalus non obtineatur, niſi alquid aſſumatur loco ipſorum, ut niſi eliciatur actus.

8 Neceſſitas Sacramentorum colligitur ex illorum inſtitutione, & propterea cum Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ ſint inſtituta ad quandam primam gratiam: & primum eſſe ſpirituale, colligitur eſſe neceſſaria neceſſitate medii ad Salutem. Euchariſtia verò cum non ſit per ſe inſtituta ad dandum eſſe ſpirituale, & primam gratiam: ſed ſupponat hominem in gratia, non dicitur neceſſaria ad ſalutem.

9 Infantibus igitur Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medii in re: quia infans ſi moriatur baptizatus, ſtatim in Cœlum transfertur, quamvis nihil aliud præſtet, aliter Baptiſmus non eſſet medium ſufficiens ad gloriam conſequendam, nec eſt neceſſaria neceſſitate medii in voto: quia infantes rationis uſu carentes nullum poſſunt habere votum.

10 Euchariſtia adultis, ſaltem Baptizatis, neceſſaria eſt ex præcepto, non ſolùm Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino affirmativo, quia illa verba *Joan. 6.* Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, cum indicent neceſſitatem Euchariſtiæ, & ex ſupradictis conſtet non indicare neceſſitatem medii ad ſalutem: aſſerendum eſt indicare ſaltem neceſſitatem præcepti Divini, nam ſi Eccleſia Euchariſtiæ ſumptionem non præcipiſſet, Euchariſtia adhuc eſſet neceſſaria ex infra dicendis.

11 Dictum eſt, adultis eſſe neceſſariam Euchariſtiam ad excludendos infantes, quibus Euchariſtia non eſt neceſſaria non ſolum neceſſitate medii, ut ſupra dictum eſt, verum etiam nec neceſſitate præcepti: quia non ſunt capaces præcepti, cum uſu rationis careant; & idem dicendum eſt de amentibus perpetuò.

12 Dictum eſt, neceſſariam eſſe Euchariſtiam ſaltem adultis baptizatis; quia non obligantur infideles ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, nemo enim ante Baptiſmum obligatur ad ſuſcipiendum aliquod Sacramentum; quid dicitur janua aliorum Sacramentorum, & ſicut præceptum Confeſſionis non obligat nondum baptizatos; ita nec eos obligat præceptum Euchariſtiæ: nec poteſt afferri ſufficiens ratio ad probandum Euchariſtiæ præceptum de facto cadere ſuper infideles.

De Virtute, & Multiplicitate Euchariſtiæ. Cap. 46.

1 Sacramentum Euchariſtiæ materialiter eſt plura Sacramenta, quia in illo eſt diverſitas, & pluralitas materiæ, & formæ, nam alia eſt materia, & forma Corporis Chriſti, & alia eſt materia, & forma Sanguinis, & propterea Sacramentum Euchariſtię completè ſumptum ſunt plura Sacramenta materialiter: nã illud Sacramentum dicitur eſſe plura materialiter, ubi eſt diverſitas, & pluralitas materiæ, & formæ.

2 Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum formaliter, ſeu ſpecificè: quia ratio formalis, & ſpecifica Euchariſtiæ eſt ſignificare ſpiritualem refectionem, & eam ſignificãdo efficere: quæ ſignificatio cum ſit una formaliter, cum tam corpus Chriſti, quàm ſanguis ſignificent refectionem ſpiritualem, & utraque, & quelibet contineat Chriſtũ, ergo Sacramẽtum Euchariſtiæ eſt unum formaliter: adde, ſi plura eſſent Sacramenta formaliter, & ſpecificè, Eccleſia non prohiberet laicis ſumptionem Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie: quia aliter laici prohiberentur ſuſcipere integrum Sacramentum, & effectum, ſed non eſt credibile, Eccleſiam velle privare laicos effectu Sacramenti, credendum eſt igitur Euchariſtiam non eſſe Sacramentum multiplex formaliter.

3 Qui plures hoſtias, aut unam grandiorem recipit; non recipit majorem gratiam ex opere operato, ex eo præcisè, quod recipit plures hoſtias, vel grandiorem: quia licèt plures hoſtiæ ſecundum ſe conſideratæ ſint plura individua: tamen quatenus ſuſtinentur ſimul habent rationem unius refectionis ſpiritualis, cujus refectionis ſignificatio cum ſit ſpiritualis, tam ſalvatur in ſumptione unius hoſtiæ, quàm plurium, igitur qui unam parvam hoſtiam recipit, recipit tantum gratiæ, quantum recipitur ab eo, qui grandiorem, aut plures hoſtias ſumit, ſi eas ſumat ſimul, ſeu per modum refectionis; ut accidit in die Nativitatis

Domini, in quo Sacerdos ter celebrat, & communicat, conſequenter recipit fructum triplici ſumptioni reſpondentem.

4 Dari tamen poteſt caſus, ut qui plures hoſtias, aut unam grandiorem recipit, recipiat majorem gratiam; ut quando quis eam diutius retinet in ore, plures elicit actus diſponentes ad majorem gratiam: verum hanc majorem gratiam non recipit ex eo præcisè, quia recipiat plures hoſtias, aut unam grandiorem: ſed quia magis ſe diſponit ad effectum Sacramenti recipiendum.

* *Non poſſunt tradi plures particulæ, neque grandiores communicanti ex Decreto Innocentii XI. 12. Februarii 1679.*

5 Probabile eſt Sacerdotem ſub utraque ſpecie communicantem recipere plus gratiæ quàm recipiat laicus communicans ſub una tantum ſpecie, quia refectio ſpiritualis perfectius videtur ſignificari ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantum: ergo plus gratiæ confertur communicanti ſub utraque ſpecie; quam ſub una tantum, non autem ſequitur, laicos, qui prohibentur communicare ſub utraque ſpecie, privari augumento gratiæ; quia hæc major gratia, quam confert Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, non eſt neceſſaria ad ſalutem; & laicus juſta de cauſa privatur hac majori gratia ob periculum effuſionis Sanguinis, & corruptionis ſpecierũ vini: ſi vinum conſecraretur etiam pro laicis, & licet admittamus laicum non recipere tantum gratiæ, quantum recipit Sacerdos, poteſt tamen hoc damnum ſibi reſarcire frequenter communicando, & majori devotione ad Euchariſtiam accedendo, licet communior opinio Doctorum ſit, laicum tantundem gratiæ recipere cõmunicando ſub una tantum ſpecie, ac ſi ſub utraque ſpecie communicaret, quia ratione rei contentæ, ita perfectum eſt Sacramentum ſub una ſpecie, ac ſub utraque, ex quo patet cõmunicantem ſub utraque ſpecie non plus fructus accipere, quàm accipiat, qui ſub una tantùm ſpecie communicat.

De Materia Euchariſtiæ. Cap. 47.

1 Materia remota Sacramenti Corporis Chriſti eſt panis triticeus ex *Conc. Tri. ſeſ.* 13. & aliis, & ratio eſt, quia Chriſtus panem inſtituit pro materia hujus Sacramenti; & panis debet eſſe ex tritico; quia ultra determinationem Conciliorum ille panis debet eſſe materia hujus Sacramenti ſolum; qui ſimpliciter dicitur panis; ſed ſolus triticeus eſt ſimpliciter panis; quia hic ſolus eſt ordinatus ad reficiendas vires; cæteri verò panes appellantur panes cum addito, unde dicitur panis ex melica, ex hordeo, &c. Et dicuntur potius panes animalium, & quamvis ſecala comprehendatur ſub nomine tritici; tamen graviter peccaret conficiendo Sacramentum in ſecala, nam uteretur materia dubia: quia ſecala ſecundum aliquos Doctores, quorum opinionem ego probabiliorem exiſtimo, non eſt triticum, nec pro tritico in noſtris regionibus habetur, qui autẽ utitur materia dubia graviter peccat.

2 Panis autem confectus ex tritico erit materia ſufficiens hujus Sacramenti, quando in illo hæc quatuor concurrant. Primò ut denominetur panis, quia ſi alio nomine nuncupetur, videtur aliam induiſſe naturam. Secundò; ut ſit confectus ex aqua naturali. Tertiò ut coctus igne per modum aſſationis, ut in ferro, aut ſub cinere, aut ferro calido: aut alia ſimili ratione; quia panis, qui non eſt hoc modo coctus, non eſt panis, nec propriè dicitur panis. Quartò, ut ſit præſens moraliter, & poſſit deſignari per particulam hic, & hoc, alioquin forma non verificaretur.

3 Panes dulciarios confectos ex melle, vel lacte, vel aqua roſacea, vel alio ſimili liquore, quia dicuntur panes dulciarii, & ſunt mutati odore, & ſapore, non ſunt materia ſufficiens huius Sacramenti, ſi verò panis confectus ſit aqua naturali vel aliqua admixtione, ſi illa admixtio ſuperet, non eſt materia ſufficiens: ſi verò ſit modicæ, vel exiguæ quantitatis, non deſtruit rei naturam.

4 Sequitur Paſtam, lagenam, Pultem, & ſimilia non eſſe ſufficientem materiam hujus Sacramenti; quia, communi nomine, non appellantur panes: panis confectus ex farina tritici, & ſimul ex farina alterius ſpeciei frumenti, non erit materia apta, quando illa admiſtio ſuperet, vel æquet, quæ æqualitas non reddit materiam aptam, neque calicis Amilon non eſt materia apta; ſed ſi de novo redigatur in farinam, & compactum aqua coquatur igne, erit materia ſufficiens: tam panis fermentatus, quàm azymus eſt materia apta,

debet

debet tamen unuſquiſque ſe accomodare ſuæ Eccleſiæ: ita ut Sacerdos Latinus conſecret in Azymis, & Græcus in fermentato, & unuſquiſque graviter peccaret, ſi quiſque non ſe accomodaret conſuetudini ſuæ Eccleſiæ.

5 Latinus poteſt in Eccleſia Græca conficere in fermentato, & Græcus in Eccleſia Latina in azymo: quia quilibet poteſt ſe legitimis conſuetudinibus locorum accomodare, licet aliqui Doctores dicant, Latinum non poſſe in Eccleſia Græcorum exiſtente in loco Eccleſiæ Latinæ, & ſubiecto Eccleſiæ Latinæ, celebrare in fermentato, quia hujuſmodi Eccleſia non propriè dicitur Eccleſia Græcorum, ſed vocatur Eccleſia Græcorum, quia Græci privilegium habent celebrãdi in ea ſuo ritu.

6 Ratio autem, quia tam panus fermentatus, quàm azymus eſt materia apta hujus Sacramenti, eſt, quia panis fermentatus non differt ſpecie ab Azymo, & fermentum non ita corrumpit paſtam, ut efficiat panem differre ſpecie ab Azymo: conſuetudo autem conficiendi in Azymis melior eſt conſuetudine Græcorum, conficientium in fermentato, quia Chriſtum imitantur, qui in azymis confecit, & Apoſtolos in azymo communicavit.

7 Sacerdos Latinus non poteſt conficere in fermentato in Eccleſia Latina, nec in caſu neceſſitatis; quæ etiam ſi eſſet ad communicandum infirmum; unde graviter peccaret, propterea potius permittere debet, infirmum ubique viatico decedere, quàm conficere; in fermentato.

8 Chriſtus potius inſtituit hoc Sacramentum in materia panis, quàm in alia, quia cum finis, & effectus hujus Sacramenti conſiſtat in ſpirituali refectione animæ, nulla res melius repræſentat refectionem, quàm panis, vel dicas, quia per panem oſtenditur miſtica unio Chriſti cum Eccleſia; ſicut enim panis conficitur ex multis granis, ita miſticum Eccleſiæ corpus ex multis fidelibus, qui Cſtriſto uniuntur tanquam capiti.

9 Materia remota Sacramenti Sanguinis eſt vinum ex vite, in multis Conciliis definitum, & quia illa eſt materia iſtius Sacramenti, quam Chriſtus inſtituit, Chriſtus autem pro materia iſtius Sacramenti inſtituit vinum, ut habetur *Matt.* 26. *Luca* 22. *&* *Marci* 14. & inſtituit vinum, quia cum hoc Sacramentum inſtitutum ſit ad refectionem ſpiritualem, refectio autem optimè indicatur per vinum, & panem, nam vinum, & panis ſunt materia ſufficiens, & ordinaria ad reficiendum hominem.

10 Sacramentum Sanguinis igitur confici poteſt in vino nigro, & in vino albo, quia utrumque verè eſt vinum ex vite. Muſtum eſt apta materia Sacramenti Sanguinis, quia verè eſt vinum: ſed cavendum eſt, ne ſit fęculentum, aut impurum, quia aliter committeretur peccatum ex ſuo genere mortale, contra reverentiam tanto Sacramento deditam. Vinum ſatis decoctum, non videtur apta materia, quia mutavit ſpeciem, nec eſt propriè vinum. Vinum miraculosè factum poteſt eſſe materia apta, quale factum fuit in Nuptiis Cana Galileæ. Acetũ non eſt materia apta, quia non eſt propriè vinum, ſed vinum corruptum, & propterea peccaret, qui conficeret Sacramentum Sanguinis cum vino, quod eſt in via acetum, & extra neceſſitatem peccaret mortaliter ſi vinum ita vergat ad Acetum, ut dubitetur an ſit verè acetum: exponit enim ſe periculo conſecrandi in materia indebita, & non ſufficiente. Idem dicendum eſt de hoſtia corrupta, ut formam panis amiſerit. Agreſtum non eſt materia apta, quia nondum eſt vinum, ſed eſt in via generationis ad vinum; Aqua de vitibus effluens non eſt materia apta, quia non eſt vinum; lora, quæ Romę appellatur aquato, non eſt materia ſufficiens, quia ex majori parte conficitur ex aqua. Vinum ex melogranatis, aut cervisia non eſt materia apta, quia non eſt vinum vitis; uva non poteſt conſecrari, quia non eſt potabilis, & vinum conſecrandum debet eſſe potabile, ex illis verbis: bibite ex hoc omnes. Vinum congelatum poteſt validè conſecrari, quia ſi ſpecies vini jam conſecratæ congelentur remanet ſub illis ſanguis Chriſti, ergo etiam poteſt in vino congelato conſecrari: vinum enim congelatum adhuc eſt vinum, & eſt potabile lambendo, vel ſugendo, aut ſi liquefiat, & ſicut ſi conſecratur panis durus, qui comedi non poſſit præ duritie niſi molleſiat, valida eſt conſecratio, cum verè ſit panis.

Utrum neceſſe ſit ſub utraque ſpecie conſecrare. Cap. 48.

1 NEceſſitas duplex eſt, vel neceſſitas Sacramenti, qua aliquid ita neceſſarium eſt, ut eo prætermiſſo validè non conficiatur Sacramentum, altera dicitur neceſſitas præcepti, quo aliquid præcipitur fieri, quod ſi omittatur, Sacramentum validè, ſed non licitè conficitur.

2 Non eſt neceſſarium neceſſitate Sacramenti ſub utraque ſpecie conſecrare, quia ſequeretur non eſſe validam conſecrationem ſub una tantum ſpecie: quod falſum eſt, quia hoſtia ſtatim atque conſecrata eſt, populo proponitur adoranda, antequam Calicis fiat conſecratio, ex quo patet, validã fore conſecrationem Calicis factã ante panis conſecrationẽ, & è contra: grave tamẽ ſacrilegium perpetraret Sacerdos cõficiendo ſub una tantum ſpecie: nam faceret contra Chriſti exemplum, contra divinum præceptum, & contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem in re gravi.

3 Neceſſarium eſt neceſſitate præcepti conficere ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet, & vini: quia conficiens ſub una tãtum ſpecie cõmittit grave peccatum ſacrilegii, & pręceptum eſt divinũ. Quia de jure divino eſt, ut quoties fit conſecratio, ſimul etiam fiat Sacrificium, ut patet ex illis verbis, hoc facite in meam cõmemorationem, quibus verbis Chriſtus oſtendit, Sacerdotem debere conſecrare offerendo, & ſacrificando in ipſius memoria ex *Conc. Trid. ſeſſ. 22 can. 2.* Sacrificium autem non poteſt eſſe integrum, & perfectum abſque conſecratione, & oblatione utriuſque ſpeciei: nam hoc Sacrificium repræſentat Sacrificium, & mortem Chriſti, in qua ſeparatus & effuſus fuit ſanguinis corpore: non poteſt autem integrè, & perfectè repræſentari Sacrificiũ Chriſti, niſi ſub utraque ſpecie fiat conſecratio, & Sacrificium, ex quo patet, ſi Sacerdos finita conſecratione intereat, perficiendum eſſe Sacrificium ab altero Sacerdote, ne Sacrificium maneat imperfectum.

4 Sacerdos tenetur non ſolum ſub utraque ſpecie conſecrare, ſed etiam ſub utraque ſpecie communicare, quia Sacrificium perficitur conſecratione, & conſumptione: quare *Con. Trid.* præcipit, ut quoties Sacerdos celebrat, etiam communicet ſub utraque ſpecie ſub pœna ſuſpenſionis à communione per annum.

5 Præceptum Divinum conſecrandi ſub utraque ſpecie eſt affirmativum: nam dantur aliqui caſus, in quibus non exſtat obligatio conficiendi ſub utraque ſpecie: ut ſi Sacerdos conſecrata hoſtia comperiat vinum eſſe veneno infectum, nec habet copiam alterius vini; aut comperiat non eſſe vinum in calice, nec poſſit aliud invenire, aut ſi poſt conſecrationem hoſtiæ Sacerdoti immineat periculum vitæ proſequendo conſecrationem Calicis, poteſt deſiſtere à conſecratione Calicis, ſtatimque conſumpta hoſtia fugere ad vitandum vitæ periculum, unde eſt præceptum affirmativum; verùm ſub hoc capite non comprenditur, Sacerdotem poſſe conſecrare ſub ſpecie tantum panis ad communicandum infirmum, quando non vocat tempus conſecrandi ſub utraque ſpecie, aut quando non reperitur vinum, vel quando metu mortis cogitur conſecrare ad communicandum infirmum ſub ſpecie panis: ſive quia vinum non reperiatur, ſive quia non permittitur illud invenire: quia tunc peccaret formaliter contra præceptum Divinum: nam aliud eſt derelinquere Sacrificiũ bona fide inchoatum, ut in primis caſibus, aliud eſt inchoare Sacrificium cum intentione derelinquendi, & non perficiendi: primum enim eſt aliquando licitum, quia non intenditur violatio Sacrificii, ſed permittitur omiſſio præcepti: ſecundum verò non eſt licitum; quia formaliter intenderetur mutilatio Sacrificii, quod eſt peccatum intrinſecè malum.

6 Quando contingit, ut ſub una ſpecie appareat caro, vel Sanguis Chriſti, non tenetur iterum conſecrare: quia cum hoc contingat, Deo ita diſponente; præſumitur Deus diſpenſare in præcepto conſecrandi ſub utraque ſpecie; quo caſu Sacerdos debet ſpecies, in quibus apparuit caro, vel Sanguis ſumere, quando apparitio miraculosè fiat ſoli Sacerdoti: ſi verò apparitio fiat etiam reſpectu aliorum, & miraculum adhuc perſeveret, non debet Sacerdos ſumere, ſed in loco ſacro conſervare ad fidelium devotionem, & miraculi recordationem: ſecus ſi miraculum non perſeveret, ſi ſpecies reducantur ad priorem formam.

7 Non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, ut Sacramentum Euchariſtiæ ſub uno

tantum

Digitized by Google

tantum ſpecie conficiatur: quia nunquam in hac re diſpenſavit, & quia Eccleſia non poteſt diſpenſare in iis, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, cùm utraque ſpecies pertineat ad ſubſtantiam Sacramenti: quia non eſt perfectum ſine utraque ſpecie, unde ſequeretur Summum Pontificem poſſe etiam diſpenſare, ut Sacramentum conficiatur tantummodo ſub ſpeciebus vini; quod non videtur admittendum.

8 Sacerdos non poteſt tempore ſuæ mortis conficere ſub una tantum ſpecie, ut ſeipſum, vel alium infirmum communicet, quamvis adſit præceptum divinum communicandi tempore mortis, quia ſi non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, ſub una tantum ſpecie confici, multo minus ſimplex Sacerdos, & præceptum communicandi tunc non obligat, quando non poteſt ſervari, ſalvo alio præcepto conſecrandi ſub utraque ſpecie, quod ſpectat ad integritatem Sacrificii.

Utrum vino, quod eſt Materia remota Sacramenti Sanguinis, admiſcenda ſit aqua. Cap. 46.

1 Vino, quod eſt materia remota Sacramenti Sanguinis, ex neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici admiſcenda eſt aqua naturalis: *Concil.Trid. ſeſſ. 22 can. 7* Dixi ex neceſſitate præcepti, ut adverterem aquam non requiri ex neceſſitate Sacramenti, cum valida ſit conſecratio facta ſine admiſtione aquæ; quia Chriſtus indicans materiam hujus Sacramenti non indicavit aquam, & aqua, quæ admiſcetur, tempore conſecrationis, converſa eſt in vinum: ergo ſolum vinum de neceſſitate hujus Sacramenti eſt, & aqua miſcenda ſolum eſt ex præcepto Eccleſiaſtico, ut intelligamus aquam non eſſe admiſcendam ex præcepto Divino: quod præceptum Eccleſiaſticum aliqui dicunt inſtitutum eſſe ab Alexandro Primo; ſed alii uſque ab Apoſtolis emanatam, & inſtitutum fuiſſe ante Alexandrum Primum: cum Alexander Primus dicat, ſe tradere quod à partibus acceperat: & aqua deberet eſſe naturalis nō artificioſa, licet ſi aqua artificioſa miſceatur tenet conſecratio, cum admixtio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti: graviter tamen peccaret, qui aquam artificioſam adhiberet; faceret enim contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, & ideò debet eſſe aqua naturalis, quia de Chriſti latere fluxit aqua naturalis, in cujus ſignificationem aqua modò in conſecratione adhibeatur, unde graviter peccat qui vino aquam non admiſcet, aut qui miſcet aquam artificioſam loco naturalis. Immò qui ſcienter prætermittit aquæ admiſtionem, in pœnam delicti præcipitur privari officio, & beneficio, ſi ex aperta malitia omittat, & ſuſpenditur ipſo facto ab officio, ſeu potiùs à faciendo Sacrificio, qua ſuſpenſione afficitur etiam, qui in ſacrificio aliud offert, præter panem, & vinum aqua permixtum, quæ ſuſpenſio nō videtur perpetua, neque reſervata, ſed præſtita debita ſatisfactione tollitur.

2 Modica quantitas aquæ adhibenda eſt in conſecratione Calicis, ut ne Sacerdos exponat ſe periculo conficiendi in materia indebita: & propterea curandum eſt, ne quantitas aquæ tertiam vini partem excedat, & propterea ſufficit quælibet guttula ſenſibilis, nam modica quantitas faciliùs convertitur in vinum, & ſub qualibet gutta ſalvatur ſignificatio propter quam aqua adhibetur, & propterea aliqui benè admonent in celebratione Miſſe adhibendum eſse vinum generoſum, ut facilius aqua in vinum convertatur.

3 Circa tempus, quo facienda eſt mixtio aquæ, ſtandum eſt conſuetudini cujuſlibet Eccleſiæ, quando autem Sacerdos ex oblivione aquam non infudit, ſi advertat ante Conſecrationem, debet illam ſtatim apponere; etiam ſi moraliter ſciat aquam non eſse in vinum convertendam: adhuc enim poteſt Eccleſiæ præceptum adimplere, ſi verò peracta conſecratione advertat, ſe aquam non appoſuiſse, non poteſt eam apponere: quia non eſt admiſcenda aqua ſanguini Chriſti.

4 Aqua quæ vino admiſcetur, non convertitur immediatè in Sanguinem Chriſti, & propterea neceſse eſt. apponere aquam in tam exigua quantitate, ut faciliùs convertatur in vinum, quod eſt materia remota Sanguinis, non verò aqua: quia alioquin conſecratio facta ſine aqua non eſset valida, cum deficiente materia, non ſubſiſtat Sacramentum, aqua verò meditatè converti tur in ſanguinem, ideſt meditatè vino in quod aqua priùs convertitur: quia aliter ſi non converteretur, non eſset materia remota Sanguinis: cùm vinum ſolum ſit ma-

teria remota Sanguinis, & propterea mediatè aqua convertitur in Sanguinem.

5 Aqua, quæ ante conſecrationem non fuit converſa in vinum, non adoratur, quamvis conjuncta ſit cum ſpeciebus continentibus Sanguinem Chriſti: illud enim ſolum adoratur, quod Chriſti Sanguinem continet, ſed aqua non continet Sanguinem Chriſti: ergo non adoratur.

6 Si aqua in calice poſita paulo ante conſecrationem, ſi non convertitur immediatè in ſanguinem Chriſti, ſequitur illius ſumptione frangi jejunium naturale, & conſequenter ille, qui unam Miſſam in die nativitatis celebravit, non poteſt ſecundam, & tertiam celebrare: quia Sacerdos jejunus eſſe debet dum celebrat; adhuc reſpondetur, quod Sacerdos poteſt alias Miſſas celebrare: quia probabiliter opinari poteſt aquam in vinum traſformatam fuiſſe ante conſecrationem, & poſtea in praxi receptum eſt, & Eccleſia non renovet huiuſmodi Sacerdotem à celebrarione aliarum Miſſarum; ſecus dic de eo, qui ſumptis vini ſpeciebus conſecratis vinum ad ſe purificandum ſumit, hunc enim conſtat jejunium naturale fregiſſe.

7 Aqua non convertitur in ſanguinem, ſi poſt inchoatam formam, ſed nondum abſolutam convertitur in vinum, quia aqua non erat vinum, quando prolata fuit particula hic, conſequenter non fuit demonſtrata per particulam hic, illud verò convertitur in Sanguinem Chriſti, quod per particulam hic demonſtratur: ſicut enim non poteſt converti in corpus, vel Sangiunem Chriſti panis, aut vinum, quod tempore inchoatæ conſecrationis non eſt præſens: ita neque poteſt converti in ſanguinem vinum, quod nondum erat materia Sanguinis, inchoata forma conſecrationis, cum non diceretur præſens, etiam ſi aqua ante finitam conſecrationis formam, converſa ſit in vinum.

8 Licet aqua non poſſit converti in ſanguinem ſi eſt admiſſa poſt inchoatam formam, & nondum completam, poteſt tamen dici converti in vinum, ſi tamdiu remaneat admiſſa ſpeciebus vini, quamdiu ſufficit ad converſionem, quia in illis ſpeciebus conſecratis remanet virtus ad generandum vinum, ac ſi ſubſtantia vini adeſſet, Deo aliquid ſupplente, ex parte ſpecierum; ſicut etiam ſupplet, quando ex ſpeciebus vini generatur acetum, aut aliquid aliud.

Utrum quælibet quantitas panis, & vini poſſit conſecrari. Cap. 50.

1 QUælibet parva quantitas ſenſibilis poteſt eſſe materia hujus Sacramenti: quia ſi hoſtia conſecrata dividitur in minutiſſimas partes, quælibet pars remanet conſecrata: ergo etiam quælibet parva quantitas poteſt conſecrari; dummodo ſit ſenſibilis: quia ſi fortè detur tam parva quantitas panis, quæ non ſit ſenſibilis, nec videtur, nec deſignari poſſit, non eſt apta materia conſecrationis, quia humano modo eſt inſenſibilis; nec deſignari, & demonſtrari poteſt per particulam hoc, exiſtimo tamen probababile eam parvam quantitatem, quæ naturaliter videri non poteſt, poſſe validè conſecrari ab eo, cujus oculus per Dei potentiam elevaretur ad eam videndam, tunc enim poſſet deſignari per particulam hoc, & quamvis non eſſet naturaliter ſenſibilis, tamen hic, & nunc videretur, & ſentiretur, conſequenter poſſet deſignari, & conſecrari; & licet Baptiſmus non poſſit adminiſtrari ſub qualibet parva quantitate aquæ, quæ non ſit ſufficiens ad abluendum: tamen quia Euchariſtia non conſiſtit in uſu, quomodo conſiſtit Baptiſmus, ſed in eſſe permanente: & conſequenter ea materia ſufficit ad conſecrationem, quæ ſufficit, ut in ea contineatur corpus, vel ſanguis Chriſti: ſequitur quamlibet parvam quantitatem ſufficientem eſſe ad Euchariſtiam: finis verò remotus, & ſecundarius materiæ Euchariſtiæ eſt uſus & ſumptio Euchariſtiæ, ad quem finem licet aliqua parva quantitas materiæ non ſit ſufficiens, nihilominus eſt ſufficiens ad primarium finem, & conſequenter ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum.

2 Quælibet magna quantitas præſens conſtituta poteſt validè, ſed non licitè conſecrari, nam Chriſtus non tradidit Sacerdotibus facultatem limitatã ſolum ad conſecrandam tantam quantitatem; & non majorem, hoc enim nullo jure probatur, debet tamen eſſe præſens, nam ratione abſentiæ fieri poteſt, ut conſecratio fieri non poſſit, non enim Sacerdos hic Venetiis poteſt

teſt conſecrare hoſtias Romæ exiſtentes, ſed ſi conſecraret in tanta quantitate: quæ non poſſit opportuno tempore ſumi, graviter peccat, & licet validè, non tamen licitè conſecrat; quia facit præter finem ſecundarium hujus ſacramenti, qui eſt ſumptio; quare de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ, non eſt certa, & determinata materiæ quantitas, quo ad magnitudinem, aut parvitatem: quia Sacramentum Euchariſtiæ confici poteſt tam in parva quantitate ſenſibili, quàm in magna, modo ſit moraliter præſens.

3 Materia conſecranda debet eſſe aliquo modo definita, & determinata in mente Sacerdotis conſecrantis, quia ad conſecrationem requiritur intentio conſecrantis, quæ non poteſt eſſe ſine prævia cognitione, cum intentio ſit actus voluntatis, quæ fertur in cognitum: ſed cognitio non eſt ſine aliqua determinatione, quare materia conſecranda debet eſſe determinata in mente, ſeu apprenſione miniſtri conſecrationis, unde ſi quis intenderet hoſtias conſecrare, & non has hoſtias, non validè conſecraret: ergo requiritur materia determinata in mente ſacerdotis conſecrantis.

4 Si quis deferat ad altare duas hoſtias, quas credit eſſe unam tantum: utraque hoſtia remaneret conſecrata; quia illa privata deceptio non obſtat debitæ intentioni, quam Sacerdos habere debet, & moraliter habet conſecrandi totam materiam, quam habet præſentem, & in mente determinatam: ſecùs dicendum ſi Sacerdos præcisè velit unam tantùm hoſtiam conſecrare, & cum non habeat intentionem, & materiam determinatam, cur potiùs ad unam, quam ad aliam, neutra remanet conſecrata, idem dicendum, ſi intendit ſolum quartam hoſtiæ partem, vel medietatem conſecrare, non diſtinguens, quam partem velit conſecrare, ſecùs ſi aliquam hoſtiæ partem conſecrare intendat, etiam ſi illa pars ſit conjuncta cum aliis partibus: ſic nulla hoſtia remanet conſecrata, ſi ſacerdos habeat præſentes decē hoſtias, & intendat quatuor tantum conſecrare non determinans quas velit conſecrare: ſed valida eſt conſecratio quoad omnes hoſtias delatas ad altare conſecrandas, licet in actu conſecrationis recordetur illius ſalutis hoſtiæ, quam præ manibus habet, nam dicitur habere intentionem determinatam ad omnes hoſtias non actualiter, ſed virtualiter, quatenus intentio præcedens virtualiter perſeverat; idem dicendum de guttis exiſtentibus in Calice ſeparatis à vino, quod etiam in Calice continetur, nam intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in calice exiſtentem, quæ demonſtratur per particulam hic.

5 Hoſtiæ, quas quis inſcio Sacerdote conſecrandas appoſuit etiam in corporali, non remanent conſecratæ: quia non cenſentur determinatæ in mente Sacerdotis, & voluntas non fertur in incognitum, nec eſt valida conſecratio, quando quis habens decem hoſtias intendit conſecrare tantum quinque, quas Titius deſignaverit, quia ſi deſignavit Titius poſt Conſecrationem, non validè conſecrat: quia determinatio debet præcedere, ſi ante conſecrationem deſignavit, & manifeſtavit, quæ ſint conſecrandæ, remanent conſecratæ: ſecùs dicendum ſi non manifeſtavit, nec eſt valida conſecratio, ſi Sacerdos intendat eas hoſtias, vel illam hoſtiæ partem conſecrare, quam Deus intendit: quia non habet intentionem, & materiam humano modo determinatam, nec valet ſimilitudo ſi quis offerat Sacrificium, & illud applicet animæ Purgatorii, quam Deus elegerit, valida eſt applicatio, & revera prodeſt illi, quam Deus deſignaverit, ergo etiam valida videtur conſecratio, quando quis intendit hoſtias conſecrare, quas Deus intendit, quia Sacerdos poteſt offerre ſacrificium pro anima Purgatorii quam Deus elegerit, quia ad Deum pertinet remittere immediatè pœnam animabus debitam, ſed in Sacramento cum Sacerdos immediatè, & proximè agat per intentionem, & verba, requiritur, ut ipſe determinet materiam.

Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens, & quando dicatur ſufficienter præſens. Cap. 51.

1 MAteria conſecranda debet eſſe præſens moraliter: quia aliter redderetur falſa conſecrationis forma: quæ fit cum his particulis demonſtrativis hoc., & hic: quæ rei abſenti nequeunt benè accomodari, erit autem præſens moraliter, quando verè, & propriè deſignari, & demonſtrari poteſt per particulam, hoc, vel

hic, juxta prudentis viri judicium, nam formæ Sacramentorum verificari debent ſecundùm communem, & propriam verborum ſignificationem, verificantur autem ſecundùm propriam verborum ſignificationem, ſi materia ita ſit præſens conſecranti, ut juxta communem loquendi modum poſſit deſignari, & demonſtrari per particulam hoc, vel hic, non autem requiritur ad validam materiæ conſecrationem, ut ſonus verborum attingat materiam conſecrandam, cum materia poſſit eſſe ſufficienter præſens, etiam ſi ſonus verborum ad ipſam non pertingat.

2 Poterit igitur validè conſecrans vinū in calice cooperto contentum, aut dolio inclusum, aut hoſtias in pyxide contentas, aut latentes ſub aliis hoſtiis, vel ſub mappa, vel etiam in miſſali, modo exiſtant coram Sacerdote, nam poſſunt demonſtrari per particulam hoc. Sacerdos cæcus validè conſecrat hoſtiam, quam coram ſe habet, quamvis illam non videat, non enim neceſse eſt, ut materia actu videatur, ſed ſufficit, ut ſit præſens moraliter, & deſignetur per particulam hoc. Poteſt validè conſecrari hoſtia exiſtens à tergo, ſi Sacerdos eam manibus teneat, nam propriè demonſtrari poteſt per particulam hoc, ſecus dicendum, ſi Sacerdos præ manibus non habeat illam: valida eſt conſecratio materiæ exiſtentis coram Sacerdote, quamvis actu non tangatur, aut præ manibus non habeatur, nam materia, quæ coram Sacerdote exiſtit, poteſt eſſe ſufficienter præſens, etiā ſi non tangatur, cum tactus non requiratur ad præſentiam materiæ, & ad verificandam formam; nam de re aliqua præſenti pronunciari poſſunt particulæ hoc, & hic, quamvis non tangatur, & licèt videatur neceſſe tangi hoſtiam in ejus conſecratione, ut, quod Chriſtus fecit, obſervetur juſta illa verba, accipiens panem, &c. tamen à Sacerdote ea præſtanda ſunt, quæ ſpectant ad veritatem materiæ, & formæ, non autem facienda eſſe ea omnia, quæ Chriſtus fecit, ſed veritas formæ ſalvatur, etiam ſi materia conſecranda per manibus non habeatur, non eſt neceſſe materiam conſecrandam præ manibus haberi, & tangi, quando Sacerdos intendit duplicem materiam conſecrare, unam præſentem, & alteram abſentem: conſecratio non eſt valida reſpectu abſentis, ſed valida reſpectu præſentis, quia de materia præſenti verificatur forma.

3 Non poteſt validè conſecrari hoſtia exiſtens poſt parietem, aut intra tabernaculum, nam humano modo videtur abſens, nec propriè deſignari poteſt per particulam hoc, cum de illa non dicatur hæc hoſtia, ſed illa hoſtia; nec validè poteſt conſecrari materia diſtans triginta paſſibus, nec viginti, ut aliqui putant, & quia non poteſt deſignari, & quia non eſt uſus receptum, ut ſacerdos conſecrationem faciat in materia, quæ coram ipſo in altari non exiſtit; immò ſi conſecret aliam materiam, extra corporale vel altare poſitam, videtur graviter peccare, cum faciat contra communem Eccleſiæ uſum in materia gravi, ſeque periculo exponat non conſecrandi; nec poteſt conſecrari materia abſens, quæ mente concipitur, nam hujuſmodi materia, quamvis dicatur præſens in intellectu, non tamen eſt præſens humano modo, ut poſſit deſignari per particulam hoc, nec eſt valida conſecratio, ſi inchoata forma conſecrationis, materia nondum erat præſens, quia hujuſmodi materia non fuit demonſtrata.

De forma Sacramenti Euchariſtiæ, & Sanguinis. Cap. 52.

1 Forma Sacramenti corporis ſunt hæc verba, hoc eſt corpus meum, quia, & eam Chriſtus inſtituit, & ea Chriſtus ipſe conſecravit, nec eſt neceſſe exprimi in hac forma actus miniſtri, ut in Sacramento Baptiſmi, quia non conſiſtit in uſu, ut Baptiſmus, ſed in eſſe permanenti, & temerarium eſſet affirmare, Chriſtum verbis non cōſecraſſe, & propterea dicendū eſt Chriſtū uſū fuiſſe prædictis verbis in conſecratione.

3 Verba autem canonis hoc modo connectenda, & conjungēda ſunt, ſcilicet Chriſtum poſt gratiam actionem & benedictionem fregiſſe panem, & illum conſecraſſe illis verbis, hoc eſt corpus meum, illudque tradidiſſe Apoſtolis, dicendo accipite, & comedite, unde dicendum eſt ad conſecrationem neceſſaria eſſe, & ſufficere illa verba, hoc eſt corpus meum, totum canonem incipiendo ab illis verbis, qui pridiè quàm pateretur, non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti ad conſecrationem, non enim forma Sacramenti conſiſtit in toto canone, ſed in illis verbis, hoc eſt corpus meum, nec fuit totus recitatus à Chriſto, illa enim

enim verba, fregit, deditque diſcipulis ſuis; non fuerunt à Chriſto prolata: ſed Euangeliſtæ. per illa verba exprimunt, quod Chriſtus fecit, inſuper canon non fuit ſemper idem, quoad omnia, cum aliquando fuerit auctus, & aliquando diminutus: illa enim verba, qui pridiè quàm pateretur, non dicebantur tempore Apoſtolorum, ut patet ex multis Patribus; ſed addita fuerunt ab Alexandro Papa, eſt tamen totus canon neceſſarius neceſſitate præcepti, nam ſpectat ad ſolemnem ritum ab Eccleſia præſcriptum, & ſic quæ pertinent ad ſolemnem Sacramentorum ritum neceſſaria ſunt ne eſſitate præcepti.

3 Quando variatur forma conſecrationis, ita ut varietur ſenſus formæ, non validè conficitur Sacramentum, variatio autem debet eſſe quoad ſenſum ſubſtantiale, non accidentale, & licet validè conficiat Sacramentum, adhibendo mutationem illam, quæ non variat ſenſum, tamen graviter peccat, niſi fortè excuſetur ob parvitatem materiæ præciſo contemptu.

4 Valida eſt conſecratio ſi dicatur, hic cibus eſt corpus meum, vel hæc res eſt corpus meus, vel illud eſt corpus meum, vel hic eſt corpus meum, vel hic eſt corpus meus, vel hic eſt corpum meus; modò particula hic non accipiatur adverbialiter, loco pronominis, quamvis erretur contra grammaticæ præcepta, erit etiam validum Sacramentum, ſi dicatur hoc eſt caro mea, cum in ſcriptura caro accipiatur, vel pro toto homine, vel pro toto corpore hominis, unde dicitur: Verbum caro factum eſt, & alibi, caro mea requieſcit in ſpe.

5 Validè conſecrat qui omittit particulam, enim, quia non variat ſenſum, & à S. Petro fuit appoſita ad continuationem cum præcedentibus, nec graviter peccat præciſo contemptu.

6 Non conficitur Sacramentum ſi dicatur, hoc eſt corpus Chriſti: quia Chriſtus non eſt uſus hac forma, poſteà variatur ſenſus verborum, cum hæc verba non proferantur in perſona Chriſti, ſicut proferenda ſunt, nec conficitur Sacramentum dicendo, quod eſt panis, vel hic panis eſt corpus meum, quia mutatur ſenſus formæ: ſimiliter non conficitur ſi dicatur, hoc ſit corpus Chriſti, vel ſit corpus meum, vel conficio corpus meum; mutatur enim ſenſus formæ, cum exprimatur conſecratio in fieri; per verba verò formæ exprimitur conſecratio in facto eſſe, nec conficitur ſi dicatur, hoc ſit corpus meum, quia impropriè loquitur, qui dicit Accipite, & comedite, hoc ſit corpus meum, nec conficit qui dicit, illud eſt corpus meum; quia mutatur ſenſus formæ, nec conficit, qui dicit, hoc corpus Chriſti eſt corpus Chriſti; quia eſt locutio impropria, nec ſignificat converſionem panis in corpus Chriſti, nec validè conficit prætermittendo verbum, eſt, dicendo accipite, & comedite hoc corpus meum, nam ſublato verbo variatur ſignificatio propoſitionis; idem dicendum ſi quis omiſſo verbo, eſt, dicat ecce corpus meum.

7 Forma Sacramenti ſanguinis ſunt hæc verba, hic eſt calix ſanguinis mei: quæ tantum ſunt de eſſentia, neceſſitate, & ſubſtantia conſecrationis ſanguinis, nam in aliquibus Eccleſiis aliqua verba ſequentia omittuntur, ut Græci omittunt illa verba, æterni, & myſterium fidei, ergo ſignum eſt illa non eſſe de eſſentia, conſequenter conſecrationem Sacramenti Sanguinis ſubſiſtere cum his ſolis verbis, hic eſt calix ſanguinis mei peccaret tamen graviter, qui his tantum verbis conſecraret, quia faceret contra præceptum, & ritum conſecrationis in re gravi, tum quia exponit ſe periculo non conſecrandi, quia licet ſit probabile, & certum hæc verba ſufficere, tamen quia aliqui Doctores oppoſitum ſentiunt, in materia Sacramenti propterea eligenda eſt via certior, ne nos periculo exponamur invalidè conficiendi Sacramẽtum, & propterea qui conſecrat debet habere intentionem conſecrandi tantum iis verbis, hic eſt Calix Sanguinis mei: ſed ad evitandos ſcrupulos debet ſe remittere intentioni Eccleſiæ, & Chriſti: hoc enim pacto validè conficiet, cum nihil deſit ad integritatem Sacramenti; quare ſi detur caſus ut celebrãs moriatur finitis illis verbis, hic eſt calix Sanguinis mei: calicem conſecratum adorandum eſt ſub conditione ſaltem non ſolum ab illis, qui noſtram ſuſtinent opinionem: verum etiam ab illis, qui contrarium ſectantur, credentes noſtrum eſſe probabilem: alioquin exponerent ſe periculo irreverentiæ contra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum, cum ſaltem probabile ſit finitis illis verbis adeſſe Chriſti Sanguinem ſub ſpeciebus vini: debent autem adorare ſub conditione, cum non ſit

omni-

omnino certum Chriſti Sanguinem adeſſe.

8 Invalida eſt conſecratio, quando fit variatio in verbis formæ: quæ tamen variatio debet eſſe, ut varietur ſenſus ſubſtantialiter verborum; non enim cenſetur ampliùs eadem forma, fecùs ſi accidentaliter varietur, & idcircò valida erit conſecratio ſi dicatur, hic eſt Sanguis meus; quia ſenſus clarius exprimitur: item valida eſt ſi dicatur, hic eſt calix novi teſtamenti in meo Sanguine: quæ forma alias adhibita eſt in Hiſpanis, teſtantur aliqui.

Cujus nomine, & quomodo proferantur verba Conſecrationis. Cap. 53.

1 Verba proferentur vel formaliter, vel recitativè: formaliter proferuntur, ut clarius exemplo declaretur: eſt quando ſcilicet quis proferat blaſphemiam, quam heſterna die audivit, & aſſentiens illi, & intendens per illam inferre Deo contumeliam, aut Sanctis; hic dicitur proferre Blaſphemiam formaliter, & ſignificativè, ſi verò proferat blaſphemiam quam audivit, non aſſentiens illi, nec intendens per illam inferre Deo ullam contumeliam, aut Sanctis, dicitur proferre Blaſphemiam recitativè.

2 Verba conſecrationis proferuntur in perſona Chriſti: quia de Chriſto verificantur, non de Sacerdote, non enim Sacerdos poteſt dicere, illud eſſe corpus ſuum, proferuntur autem non ſolum recitativè, ſed etiam formaliter, recitativè enim profert, & narrat ea, quæ Chriſtus fecit, & dixit, & proptereà illa particula, enim, in conſecratione corporis, profertur ad continuandam narrationem eorum, quæ fecit, & dixit Chriſtus: & illa verba conſecrationis calicis aliter dici non poſſunt niſi recitativè, cum Sanguis Chriſti jam ſit effuſus, & non effundendus.

3 Formaliter proferuntur ſignificando id, quod ipſa important, & ſicut forma in Sacramentis efficit, quod ſignificat, & ſignificat, quod efficit, ſic Sacerdos per formam conſecrationis, ut intendit efficere; ita reipſa efficit corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & proptereà Sacerdos profert verba conſecrationis, non ſolum recitativè, ſed etiam formaliter, licet dum proferuntur formaliter; deberent ſignificare converſionem, & tranſitum panis in corpus Chriſti, & tranſitus vini in ſanguinem, tamen quia in praxi, & facto ipſo ſignificant converſionem panis in corpus Chriſti, & converſionem vini in Sanguinem, nam cum illa verba ſint vera, & proferantur ſupra rem, quæ non eſt corpus Chriſti; neceſſe eſt, ut realiter efficiant converſionem panis in corpus Chriſti, & conſequenter facto ipſo ſignificent tranſitum panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem.

Quid deſignetur in forma Sacramenti Euchariſtiæ per illas particulas, hoc, & hic. Cap. 54.

1 Particula hoc, vel hic ſignificat confusè contentum ſub ſpeciebus; ita ut ſenſus, hoc, quod continetur ſub ſpeciebus, eſt corpus meum, & benè indicat converſionem panis in corpus Chriſti, cum efficiat, ut contentum ſub ſpeciebus ſit corpus Chriſti, & dicitur practicè verum, quia in praxi, & in actu exercito efficit, ut contentum ſub ſpeciebus ſit corpus Chriſti: igitur particula, hoc, ſignificat contentum ſub ſpeciebus, & conſequenter corpus Chriſti, & ſignificat contentum ſub ſpeciebus ſeu corpus Chriſti, non pro eo ſigno, & tempore, quo ipſa, particula profertur, ſed quatenus determinatur à prædicato tanquam ſubiectum propoſitionis.

Quid operentur verba Conſecrationis. Cap. 55.

1 Per verba conſecrationis conſtituitur Chriſtus Verus Deus, & homo ſub ſpeciebus panis, & vini, hæc propoſitio eſt certiſſima, & de fide ex *Conc. Trid. ſeſſ 13. c. 1.* nec repugnat, Chriſtum eſſe in Cœlis ad dexteram Patris juxta modum exiſtendi naturalem, & eſſe in aliis locis Sacramentaliter: neque implicat, per divinam potentiam unum, & idem corpus eſſe in pluribus locis, non ſolum Sacramentaliter, verum etiam localiter, ut concedunt, & fuſiſſime diſputant Philoſophi, & Theologi.

2 Chiſtus dum exiſtit ſub ſpeciebus; & ſpecies ſubiacent fœditatibus, non propterea ſubiacet fœditatibus; quia Chriſtus exiſtit ſub ſpeciebus indiviſibiliter, & Sacramentaliter, & conſequenter non poteſt fœdari.

3 Chri-

3 Chriſtus verus Deus, & homo exiſtit ſub ſpeciebus panis, & vini: non propterea exiſtit naturaliter, ſeu preſentia naturali ſemper in hoc mundo, ſed præſentia Sacramentali, non enim concedit nobis in hac vita Deus præſentiam Chriſti naturalem, & localem, ſed Sacramentalem; in futura verò vita poſt diem Judicii concedet etiam naturalem.

4 Chriſtus licet verus homo exiſtat in Sacramento, non propterea oculo corporeo videri poteſt, & ab intellectu noſtro cognoſci: quia oculus corporeus in ea ſolum fertur, quæ modo viſibili exiſtunt, neque cognoſci poteſt cognitione naturali, quia nullus eſt effectus, ex quo intellectus naturaliter percipere valeat exiſtentiam Chriſti ſub ſpeciebus, & dum Chriſtus apparet in Sacramento Euchariſtiæ, videtur ſola figura; quæ Chriſtum, vel ejus ſanguinem repræſentat.

5 Chriſtus verus Deus, & homo totus, quoad ſubſtantiam, exiſtit ſub qualibet ſpecie, ex *Conc. Trid. ſeſ. 13. can. 3.* quia Corpus Chriſti eſt perfectum, & ornatum, cum autem Corpus Chriſti exiſtat ſub qualibet ſpecie, decet ipſum eſſe totum quoad ſubſtantiam ſub qualibet ſpecie, non verò mutilum, imperfectum, & inornatum, & non ſolum eſſe totum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad accidentia, ſcilicet quoad quantitatem: & qualitatem: quia in hoc Sacramento eſt illud idem corpus, quod pro nobis fuit traditum: ſed corpus Chriſti traditum pro nobis erat affectum quantitate, & qualitatibus, ergo in hoc Sacramento exiſtit Chriſtus cum ſuis accidentibus, quantitate ſcilicet & qualitate.

6 Chriſtus quoad ſubſtantiam, & accidentia non ſolum exiſtit ſub qualibet ſpecie, verum etiam ſub qualibet parte ſpecierum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 3. quia exiſtit ſub qualibet parte ſpeciei, ubi antea erat panis, & propterea dum panis erat ſub qualibet parte ſpecierum, ergo ſub qualibet parte ſpecierum, & hoſtiæ eſt Chriſtus; quod idem dicendum eſt de Sanguine ſub ſpecie vini: & cum Chriſtus exiſtat ſub ſpeciebus Sacramentaliter modo quodam admirabili, & ineffabili per modum ſubſtantiæ ſpiritualis ſecundum totam ſuam ſubſtantiam, quantitatem, & membra eo modo, quo in Cœlis exiſtit ad dexteram Dei Patris non verò exiſtere modo quantitativo, ſeu per extenſione partium in ordine ad locum.

7 Licet verum ſit, duas quantitates non poſſe eſſe ſimul in eodem loco, & tamen ſub ſpeciebus retinetur quantitas panis, & vini, & quantitas Chriſti, hoc intelligendum eſt, duas quantitates naturaliter ſimul eſſe non poſſe; ſupernaturaliter verò poſſe, quia verò Chriſtus ſecundum ſuam ſubſtantiam, & accidentia exiſtit in tota, & qualibet parte ſpecierum, non propterea ſequitur, ut panis frangitur, & corrumpitur, & frangi, & corrumpi corpus Chriſti; quia Chriſtus non exiſtit ſub ſpeciebus modo quantitativo, ſicut panis: quare non omnia dicuntur de Chriſti corpore, quæ verificarentur de pane, & propterea non omnia, quæ prædicantur, & dicuntur de ſpeciebus, prædicantur, & dicuntur de Chriſto, dicuntur ſpecies eſſe ſurſum, vel deorſum, vel deferri, trajici, &c. ſic corpus Chriſti dicetur, eſſe in Sacrario ſurſum, vel deorſum, deferri, elevari, ore ſumi, &c. ut dicitur de ſpeciebus, non autem dicuntur de corpore Chriſti, quæ ſunt propria ſpecierum, & abſoluta, unde cum ſpecies dicantur albæ, rotundæ, molles, &c. hæc non poſſunt dici de Chriſto; quia hujuſmodi prædicata ſupponunt pro ipſamet quantitate panis relicta: quæ tanquam ſubjectum accidentium denominatur alba rotunda, &c. neque ea prædicata, quæ oſtendunt actionem, & paſſionem ſpecierum, poſſunt verificari de Chriſti corpore ſecundum proprium loquendi modum, quia ut hujuſmodi prædicata dicantur de aliquo, requiritur extenſio, nam ut agens corporeum agat, requirit extenſionem in patiente: Chriſtus autem non exiſtit ſub ſpeciebus modo quantitativo.

8 Sub ſpeciebus panis ex vi verborum ponitur corpus Chriſti, quia per verba conſecrationis corporis primariò ſignificatur corpus Chriſti, in quod ſubſtantia panis præexiſtens convertitur. nam illud ponitur ex vi verborum ſub ſpeciebus, quod primariò per verba ſignificatur, & in quod ſubſtantia præexiſtens convertitur: quod verificatur in corpore Chriſti ex vi verborum, ut dictum eſt, & ideo ex vi verborum ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis.

9. Si

9 Si quis Apoſtolorum in triduo mortis Chriſti conſecraſſe ſuper debita materia, verè confeciſſet: ſed tunc ſub illis ſpeciebus non fuiſſet corpus Chriſti vivum, ſed mortuum, & ſic colligitur, quod corpus, quod ponitur ſub ſpeciebus ex vi verborum eſt corpus, quod abſtrahit ab eo, quòd ſit vivum, vel mortuum: ſicut etiam ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti conſecraſſent ſub ſpeciebus vini, poſt quàm Chriſtus totum ſanguinem effuderat, adfuiſſet ſub ſpeciebus vini totus ſanguis Chriſti unitus verbo: corpus verò Chriſti non adfuiſset: non enim adfuiſset vi verborum: quia verba non ſignificaſsent illud primariò: neque adfuiſset concomitanter, quia corpus fuiſset ſeparatum à ſanguine, ſi verò aliquis conſecraſſet, antequàm aperiretur Chriſti latus, ex quo ſanguis effluxit, ſub ſpeciebus adfuiſſet non ſolum ſanguis, verum etiam corpus Chriſti concomitanter, quia illa pars Sanguinis fuiſſet adhuc unita corpori, conſequenter corpus concomitanter adfuiſſet. Dicendum eſt igitur corpus Chriſti, quod de facto ponitur ſub ſpeciebus ex vi verborum, eſſe corpus Chriſti vivum informatum anima cum ſanguine, & humoribus, ac cæteris partibus, non ſolum ſpectantibus ad ſubſtantiam; verum etiam pertinentibus ad ornatum corporis Chriſti, ut ſunt ungues, capilli, &c. Saliva verò, & ſi quæ alia per nutritionem in cinerem redacta ſunt, non ſunt in hoc Sacramento: quia non ſunt conjuncta cum Chriſti corpore: immo Doctores exiſtimant eſſe ſub ſpeciebus aerem, quem ſolet homo reſpirare; & quo replentur venæ, quia hoc videtur ſpectare ad complementum corporis humani.

10 Sub ſpeciebus vini ex vi verborum eſt tantummodo ſanguis Chriſti, quia ſanguis Chriſti primariò ſignificatur, & in ipſum convertitur vinum; ergo ſanguis Chriſti exiſtit ſub ſpeciebus vini ex vi verborum, cætera verò, quæ ſunt conjuncta Chriſto, ponuntur ſub ſpeciebus per concomitantiam, eo quòd habeant connexionem cum Chriſti ſanguine: ea verò, quæ nullam habent realem unionem cum Chriſti corpore, non ſunt in hoc Sacramento, ut ſaliva oris, aut quod in excrementa naturæ per nutritionem defluit.

11 Divinitas, quæ per hypoſtaſim eſt unita corpori, & animæ Chriſti, eſt in hoc Sacramento concomitanter, ſed ſpecialiori modo propter unionem hypoſtaticam, quàm ſit in reliquis rebus, unde ſi per impoſſibile divinitas non exiſteret in omnibus rebus, adhuc eſſet in hoc Sacramento propter unionem hypoſtaticam verbi divini cum Chriſti corpore. Tres perſonæ divinæ, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt concomitanter in hoc Sacramento, ſed magis præcipuò, & immediatè eſt filius, cui natura humana hypoſtaticè unita eſt, cum enim in hoc Sacramento ſit humanitas Chriſti ſuſtentata divino ſuppoſito, quod identificatur cum Patre, & Spiritu Sancto, ſequitur in hoc Sacramento adeſſe Patrem, & Spiritũ Sanctum, ſed magis præcipuè, & magis immediatè adeſſe Filium ratione unionis cum corpore, quod ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento, propterea dicitur Filjus incarnatus, dicitur paſſus, & quando Euchariſtiam ſumimus, dicimur in Sacramento ſumere: & comedere Dei Filium, non verò dicimur comedere Patrem, & Spiritum Sanctum, ſub ſpeciebus panis adeſt ſanguis Chriſti non ex vi verborum, ſed concomitanter, ſub ſpeciebus vini eſt corpus Chriſti concomitanter, & ipſius anima, non verò ex vi verborum.

Quid ſit tranſubſtantiatio, & converſio,
Cap. 56.

1 TRanſubſtantiatio eſt converſio, ſive tranſitus totius ſubſtantiæ in aliam; dicitur converſio totius ſubſtantiæ ad diſtinctionem converſionis partialis, per quam non tota ſubſtantia, ſed ſola forma deſinit ad poſitionem alterius formæ quæ dicitur generatio, ſeu tranſmutatio, dicitur ſubſtantiæ ad diſtinctionem converſionis accidentalis, qua unum accidens deſinit ad poſitionem alterius accidentis.

2 Converſio eſt definitio unius rei in aliam, dicitur deſitio, eo quòd præcedens ſubſtantia deſinat ſimpliciter ad poſitionem alterius ſubſtantiæ, ad diſtinctionem mutationis accidentalis, in qua non deſinit ſubſtantia, ſed mutatur accidentaliter, unde ſi quis ex albo fiat niger non dicitur converti in nigrũ, quia non deſinit ſubſtantia,

tia, ſed mutatur accidentaliter, ad converſionem igitur requiritur, ut id, quod convertitur deſinat eſſe ſimpliciter ad poſitionem alterius ſubſtantiæ incompoſſibilis.

3 Quælibet res creata poteſt per divinam potentiam in aliam rem creatam converti, quia non implicat: & Deus ſua virtute infinita poteſt efficere quidquid non implicat: quare ipſe Deus in creaturam converti non poteſt, quia Deus non poteſt mutari, aut deſinere, & ſic creatura non poteſt converti in Deum, quia terminus, in quem res convertitur, non poteſt eſſe ſine aliquo modo mutationis, aut novæ dependentiæ, terminus enim converſionis dependet ab agente per actionem cõverſionis; hoc autem repugnat Deo, qui eſt independens ab omni alio; & hæc eſt differentia inter aſſumptionem naturæ humanæ, & inter converſionem in rem creatam: nam aſſumptio fieri poteſt ſine Dei mutatione facta ſolummodo mutatione in re aſſumpta, converſio autem fieri non poteſt ſine aliqua mutatione in termino converſionis.

Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem. Cap. 57.

1 CHriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem panis in corpus, & vini in ſanguinem; ſic enim definitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 2. c. 4.* ubi dicit, totam ſubſtantiam panis, & vini converti in corpus, & ſanguinem Chriſti, & nihil ſubſtantiæ panis remanere; quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat; adde, quia de ratione tranſubſtantiationis eſt, ut tota ſubſtantia præcedens deſinat ad poſitionem alterius: ſed quando Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus, ſubſtantia panis, & vini deſinit ad poſitionem corporis Chriſti, ſeu tranſubſtantiatur in corpus Chriſti; ergo Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem, & propterea ſi Chriſtus non poneretur ſub ſpeciebus per deſitionem ſubſtantiæ panis, & conſequenter per tranſubſtantiationem, falſa redderentur illa verba, Hoc eſt corpus meum, falſum enim eſt, panem eſſe corpus Chriſti, igitur Chriſtus conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem, per quam deſinit ſubſtantia panis, & vini adveniente corpore, & ſanguine Chriſti.

2 Non autem ſubſtantia panis aſſumitur à Deo, ſicut aſſumpta fuit humanitas; quia verba conſecrationis verificari debent de illo corpore, quod pro nobis traditum fuit, ut patet ex illis verbis, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; ſed pro nobis non fuit traditum panaceum corpus, ſed verum Chriſti corpus, unde falſum eſt, ſubſtantiam panis aſſumi à Deo, ſicut aſſumpta fuit humanitas, & conſequenter falſum eſt, ſubſtantiam panis remanere.

3 Facta conſecratione licet remaneant accidentia, non remanet ſubſtantia panis, & vini, cum illorum ſubjectum ſit ſubſtantia panis, & vini, nec remanent ſine ſubjecto, quia per conſecrationem, & per tranſubſtantiationem remanent accidentia ſine ſubjecto ſubſtantiali; non tamen remanent accidentia ſine ſubjecto accidentali: quia accidentia materiæ inhærent quantitati, tanquam ſubjecto accidentali; nam dari poteſt actio naturalis contra hujuſmodi accidentia, poſſunt enim alterari, &c. actio autem naturalis, ſupponit ſubjectum; cum agens naturale non poſſit agere, niſi circa ſubjectum, quod in præſenti caſu non poteſt aliud eſſe, niſi quantitas, ergo quantitas eſt ſubjectum accidentale accidentium materialium.

4 Facta conſecratione remanent accidentia panis, non tamen remanent ſubſtantia panis, & licet accidentia dicantur ſigna infallibilia ſubſtantiæ, & quod ſenſus indicet adeſſe panem: ubi ſunt accidentia panis: tamen ſenſus in hac parte decipitur, niſi fide inſtruatur, & dirigatur, fides autem ſupplet defectum ſenſus, unde canit Eccleſia, præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui.

5 Sacramentum Euchariſtię appellatur panis in ſcriptura, juxta illud panis, quem ego dabo, caro mea eſt: Hic eſt panis, qui de Cœlo deſcendit, non propterea in Sacramento Euchariſtiæ remanet ſubſtantia panis: dum nomine panis appellatur, nam verè non eſt panis; ſed quia apparet panis, & propterea appellatur panis, non quia reipſa ſit panis, ſed quia antea fuit panis, & modo converſus eſt in corpus Chriſti.

6 Tranſubſtantiatio, ſeu converſio, qua panis ſubſtantia convertitur in Chriſti corpus eſt actio accidentalis, vel illam includit; quia id, quo aliud ponitur, eſt actio vel illa includit: ſed converſio eſt id; quo ponitur Chriſtus ſub ſpeciebus, ſub quibus

bus anteà non exiſtebat: ergo converſio vel eſt actio, vel includit actionem.

7 Actio converſionis non modò dicitur adductiva, ſed etiam productiva: illa autem actio adductiva eſt illa, per quam conſtituitur aliquid præſens in aliquo loco, in quo anteà non erat, per actionem verò productivam producitur aliquid: cum autem per converſionem non ſolum conſtituatur Chriſtus præſens ſub ſpeciebus: verum etiam producatur aliquis modus accidentalis, quo Chriſtus habens jam ſuum eſſe ſubſtantiale, unitur per modum contenti cum ſpeciebus; ſicut antea ſubſtantia panis ſub illis continebatur, ſequitur actionem converſionis non modò dici adductivam; ſed etiam productivam.

8 Differentia inter ſubſtantiam panis, & corpus Chriſti hæc eſt, quod ſubſtantia panis ſubſtentabat accidentia materialiter, & ab illis informabatur; Chriſtus verò ſubſtentat panis accidentia efficienter, & ab illis non informatur.

9 Actio converſionis productiva non eſt ipſamet conſecratio, ſeu verborum prolatio, quia per conſecrationem fit productio; ergo productio, ſeu actio productiva non eſt ipſa conſecratio, ſeu prolatio verborum, cum nulla res cauſet, & producat ſe ipſam, concedo tamen ipſam verborum prolationem concurrere inſtrumentaliter ad actionem productivam; Nam ſacerdos concurrit miniſterialiter ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum; cum autem concurrat per prolationem verborum, ſequitur prolationem verborum inſtrumentaliter concurrere ad actionem productivam; & ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum.

Quando incipiat, & quando deſinat eſſe Chriſti corpus ſub ſpeciebus.
Cap. 58.

1 Corpus Chriſti incipit eſſe ſub ſpeciebus in eo inſtanti, in quo completur ſignificatio verborũ conſecrationis quia tunc Chriſti Corpus exiſtit ſub ſpeciebus, quando verba ſignificant ibi eſſe Corpus Chriſti, quod tunc eſt ſub ſpeciebus in ultimo inſtanti Prolationis verborum, in quo completur ſignificatio verborum: idem dicendum eſt de Chriſti ſanguine in conſecratione Calicis.

2 Tamdiu conſervatur Chriſti Corpus ſub ſpeciebus, quamdiu conſervaretur panis, ſi ſub illis ſpeciebus exiſteret: quia Chriſtus ex inſtitutione iſtius Sacramenti ſuccedit in locum panis: ergo tamdiu perſeverare debet ſub ſpeciebus, quamdiu conſervaretur panis, ſi ſubſtantia panis ſub illis ſpeciebus exiſteret.

3 Chriſtus non deſinit exiſtere ſub ſpeciebus per quamlibet ſpecierum alterationem, quia Chriſtus deſinit per illam ſpecierum alterationem, per quam deſineret ſubſtantia panis, quæ non deſineret per quamlibet alterationem, vel per quamlibet calefactionem, aſperſionem aquæ, &c. ideò idem dicendum de Chriſto, nec deſinit, ut dicunt aliqui, ſtatim, atque in os recipitur, aut in ventrem trajicitur: quia non ita ſtatim deſineret ſubſtantia Panis, unde ſi quis per ebrietatem non valeat retinere Sacramentum, ſed ſpecies integras ejiciat, illæ ſpecies conſervantur, tamquam continentes Corpus Chriſti, & propterea datur documentum fidelibus ſumentibus Euchariſtiam, ne ſtatim poſt illius ſumptionem cibum corporalem capiant, donec ſpecies alterentur, & corrumpantur; de hoc autem nullum eſt præceptum, ſed tantũ conſilium.

4 Quando fiunt apparitiones miraculoſæ in hoſtia, quibus poſitis adhuc remaneret ſubſtantia panis, ſub ſpeciebus remanet etiam Corpus Chriſti: ut ſi appareat caro, vel ſanguis, qua apparitione facta ſalva remaneret panis ſubſtantia, &c. tunc enim remanet etiam Corpus Chriſti: & illa caro vel ſanguis, qui ſub ſpeciebus apparet, adorandus eſt; & quomodo ſe gerere debeat Sacerdos in hujuſmodi apparitionibus dictum eſt ſuperius.

5 Chriſti corpus deſinit eſſe ſub ſpeciebus quando vermes ex ſpeciebus generantur: ſicut etiam ſanguis Chriſti deſinit ſub ſpeciebus vini, quando per admixtionem alterius liquoris ſpecie diſtincti corrumpuntur: vel quando ſpecies vini permiſcentur cum alio humore, ut poſita tali mixtione ſubſtantia vini non remaneret, ſi vinum ſub illis ſpeciebus exiſteret, & propterea ſanguis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quando poſita tali mixtione ſubſtantia vini ſub ſpeciebus adhuc remaneret.

6 Si gutta ſpecierum vini conſecratarum miſceatur cum alio vino, Sanguis Chriſti non deſinit ſub illa gutta: quia per hujuſmodi

modi mixtionem ſubſtantia vini non corrumperetur, ſed potiùs conſervaretur ſi mixtio fieret cum vino ejuſdem ſpeciei, nam ſi duo vina conſecrata miſcerentur, ſi ab illis remaneret ſanguis Chriſti: ergo ſanguis Chriſti etiam remaneret, quando vinum conſecratum miſcetur cum non conſecrato ejuſdem ſpeciei.

7 Sub ſpeciebus vini conſecratis Sanguis Chriſti deſinit, ſi ſpecies ita miſcentur cum vino alterius ſpeciei, ut nova ſubſtantia producatur, ſive vinum album ſpecie differat à nigro, ſive non.

8 Si gutta ſpecierum vini conſecratarum immiſſa ſit in vino, ſive in dolium vini ejuſdem ſpeciei, hujuſmodi vinum ſervandum eſt ad pios uſus: alioquin fieret contra reverentiam ſpeciebus conſecratis debitam, quæ ſententia eſt magis apta, & favorabilis reverentiæ debitæ tanto Sacramento, & propterea in praxi videtur ſuſtinenda, niſi aliter cogat neceſſitas, vel incommoditas.

9 Sanguis Chriſti non miſcetur cum vino, quando vinum conſecratum permiſcetur cum vino non conſecrato: quia ea dicuntur miſceri, quorum extrema conjunguntur cum extremis alterius, ſed extrema ſanguinis Chriſti non miſcentur cum extremis vini, quia Sanguis Chriſti non eſt ſub ſpeciebus modo quantitativo, ergo Sanguis Chriſti non poteſt propriè dici miſceri cum vino.

10 Quando corpus Chriſti deſinit ſub ſpeciebus ad deſinitionem ſpecierum adeſt aliqua mutatio in Chriſto, quia cum per conſecrationem quidam modus accidentalis producatur, quo unitur corpus Chriſti ſpeciebus, & hic modus deſinat, quando corpus Chriſti deſinit ſub ſpeciebus, ſequitur aliquam mutationem adeſſe in Chriſto, quando Chriſti corpus deſinit ſub ſpeciebus.

11 Quando ex ſpeciebus corruptis aliquid generatur, de novo producitur materia panis, quæ per conſecrationem deſierat, & nova creatur: cum præcedens omninò deſierat per tranſubſtantiationem, nec fruſtrà multiplicanda ſunt miracula.

DE EFFECTIBUS

Sacramenti Euchariſtiæ.

De Sumptione Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. 59.

1 QUatuor modis ſumi, & manducari poteſt Chriſtus in Euchariſtia. Primò ſumitur realiter tantum, ſeu materialiter, ut accidit, quando mus comedit hoſtiam conſecratam; aut quando infidelis nondum baptizatus ſumit Euchariſtiam, cum non ſit capax Sacramentorum, non dicitur accipere Sacramentum Euchariſtiæ formaliter, ſed tantummodò materialiter, quatenus recipit ſpecies continentes corpus Chriſti.

2 Secundò ſumitur ſpiritualiter tantum, quo pacto dicuntur Chriſtum manducare, qui uniuntur Chriſto per effectum, & cupiunt Chriſtum actu ſuſcipere.

3 Tertiò Sacramentaliter tantum, & hoc modo peccator, qui cum peccati mortalis conſcientia recipit Sacramentum, dicitur, manducare Chriſtum ſacramentaliter, quatenus recipit Sacramentum, ſed non ipſius effectum.

4 Quartò ſumitur ſacramentaliter, & ſpiritualiter, & hoc pacto vir juſtus, qui ſine peccati mortalis culpa voluntariè recipit Euchariſtiam, dicitur ſumere, & mãducare Chriſtum; quia non ſolum recipit Sacramentum, verum etiam ipſius effectũ.

5 Euchariſtia tantummodò materialiter, aut ſacramentaliter ſumpta non producit effectum, ſicut etiam Euchariſtia ſpiritualiter tantummodo ſumpta, licet conferre poſſit aliquam gratiam, non tamen confert gratiam ex opere operato, qualem confert Euchariſtia ſpiritualiter, & ſacramentaliter ſuſcepta

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ ſpiritualiter, & ſacramentaliter ſumptæ. Cap. 60.

1 QUadruplex ſaltem effectus recipitur in ſuſceptione Sacramenti Euchariſtiæ. Primus effectus eſt augumentum gratiæ. Secundus eſt præſervatio à mortalibus. Tertius eſt auxilium ad rectè operan-

randum, & temperandum fomitem peccati, & ad depellendas tentationes. Quartus eſt unio ſpiritualis cũ Chriſto,& fidelibus.

2 Euchariſtia per ſe,& ex propria inſtitutione inſtituta fuit ad augumentum gratiæ conferendum, ex definitione Conciliorum, & ſicut cibus confert robur, & augumentum viventi: ita Sacramentum Euchariſtiæ, quod fuit inſtitutum per modum cibi, & potus, ut Joan.6. Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, confertur robur,& augumentum vitæ, ideſt ſpiritualis gratiæ.

3 Recipiens Euchariſtiam cum peccato veniali actuali, ſeu cum affectu ad peccata venialia recipit augumentum gratiæ habitualis:nam peccata venialia non ſunt incõpatibilia cum gratia, & charitate, conſequenter non impediunt gratiæ, & charitatis augumentum: quamvis in ſuſceptione Sacramenti non obtineatur remiſſio illorum venialium, quæ actu committuntur.

4 Euchariſtia, cum per mobum cibi ſit inſtituta, conferre debet robur ad vitam ſpiritualem, & conſequenter præſervationem à mortalibus, ut Joan.6. dicitur: Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit non moriatur, non mori autem eſt præſervari à mortalibus, quæ mortem animæ inferunt, & non ſolum præſervat à mortalibus, verum etiam liberat à venialibus, modò non adſit illorum complacentia, aut in ipſa ſuſceptione Sacramenti non committantur, nam complacentia venialium impedit ſpiritualem dulcedinem, quæ percipitur ex hoc Sacramento, & impoſſibile eſt, aliquem liberari ab illis peccatis, quæ tunc committuntur, ex *Trid. Conc. ſeſſ.* 23. *c.* 1.

5 Per Euchariſtiam remittuntur peccata venialia ex opere operato, ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 1. quia remiſſio venialium ponitur tanquam proprius effectus hujus Sacramenti; Sacramenta autem producunt ſuos effectus ex opere operato, ſequitur per Euchariſtiam remitti venialia ex opere operato, & non ſolum remittit ex opere operato, ſed etiam remittit mediatè excitando ad actus charitatis.

6 Euchariſtia eſt auxilium ad repellendas tentationes; quia Dæmones effugiunt Chriſtum præſentem, & cœtum Angelorum Chriſtum comitantium, licet multi Doctores putent hujuſmodi auxilium non ſtatim dari, ſed tempore opportuno, modò ſuſcipiens non reddat ſe indignum hoc auxilio.

7 Euchariſtiæ effectus eſt unio ſpiritualis cum Chriſto, & fidelibus juxta illud *D. vi Pauli 1. Corinth.* 10. Unum corpus ſumus, qui de uno pane participamus, & præterea unio moralis inter Chriſtum, & ſuſcipientem ratione effectus, quos Euchariſtia parit.

8 Sacramentum Euchariſtiæ ſumptum, ut ſacrificium, certum eſt remittere pœnam temporalem, quia unus ex effectibus ſacrificii eſt remittere pœnam, ſi verò conſideretur, ut Sacramentum, non aufert primariò pœnam ex opere operato, ſed juxta valorem actus, & diſpoſitionem ſumentis: nullo enim jure conſtat, hunc effectum produci à Sacramento Euchariſtiæ.

9 Poteſt dici Euchariſtiam poſſe remittere pœnam. Primò quatenus Euchariſtia excitat ad actum charitatis, qui prodeſt ad ſatisfaciendum pro pœna; ſecundariò autem cum aliquando per Euchariſtiam infundatur prima gratia, ſequitur per ſuſceptionem Euchariſtiæ aliquando remitti pœnam, alioquin ſequeretur eum, qui recipit Euchariſtiam cum attritione, putans ſe eſſe in gratia, & ritè diſpoſitum, non recipere gratiam, & remiſſionem illius pœnæ, quod falſum eſt.

10 Species conſecratæ proſunt ad nutriendum corpus ſumentis, non ſolum quatenus ſpecies Euchariſtiæ in ſtomachum receptæ ita alterantur, & corrumpuntur, ut nova producatur ſubſtantia, quæ ſufficiens eſt ad nutriendum, nam corruptis ſpeciebus aliquid de novo generatur ad exigentiam diſpoſitionis, verum etiam quatenus in ipſis ſpeciebus remanent qualitates panis, & vini.

Quandonam Euchariſtia producat ſuos effectus. Cap. 61.

1 EUchariſtia ſuos producit effectus, quando aliqua pars hoſtiæ, & ſanguinis deglutita eſt, & pervenit ad ventriculum; quia ut Euchariſtia producat ſuum effectum requiritur, ut applicetur ſuſcipienti, & tunc dicitur applicata ſuſcipienti, quando alia pars hoſtiæ deglutita eſt, juxta illud *Joan. 6.* qui manducat me, & ipſe vivet propter me; & poſteà hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutri-

nutrimenti; ſed cibus nutrit, quando tranſmittitur ad ſtomachum, ideò confert gratiam, quando tranſmittitur ad ſtomachum, in eo ſcilicet inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc deglutitum eſt, aut potatum eſt.

2 Qui diu retinent hoſtiam in ore, ita ut ſpecies corrumpantur antequam deglutiantur, non recipiunt fructum Euchariſtiæ, quia non dicuntur Chriſtum manducare, & propterea non recipiunt fructum Euchariſtiæ, quia non dicuntur Euchariſtiam deglutire, & manducare juxta illud, qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

3 Qui ſuſcipit plures hoſtias ſucceſſivè, recipit totum effectum in ſuſceptione primæ hoſtiæ, quia eſt idem Chriſtus, qui ſemel tantum, moraliter loquendo, ſuſcipitur, & quia in prima ſumptione adſunt omnia requiſita, & per accidens eſt alias ſequi.

4 Non confertur major gratia ex opere operato, quamdiu manent ſpecies in ſtomacho, etiam ſi creſcat diſpoſitio ex parte ſubjecti: gratia enim ex opere operato confertur manducanti in primo inſtanti, in quo verum eſt dicere, manducatum eſt.

5 Sacerdos, qui deglutita parte hoſtiæ, evomit reliquas partes, aut moritur ante plenam aliarum partium deglutionem, recipit gratiam, & totum effectum Sacramenti, quamvis non receperit totam hoſtiam, vel ſanguinem, nam Sacramentum ſuum producit effectum, quando prima pars hoſtiæ, vel ſanguinis deglutita eſt; nam Chriſtus ita reperitur in exigua, ac in magna particula; propterea Sacramentum producit ſuam gratiam ex vi Sacramenti, quando prima pars eſt deglutita, quia in ea eſt totus Chriſtus.

6 Totus effectus licet producatur à prima parte deglutita; reliquæ partes etiam conferunt effectum, quatenus conſtituunt unam refectionem, & vices gerunt unius convivii moralis: non tamen hinc ſequitur, quin deglutita prima parte totus effectus producatur.

7 Quia totus effectus Sacramenti producitur per ſumptionem primæ partis; ſi communicans in ſumptione primæ partis non erat ſufficienter diſpoſitus ad recipiendum Sacramenti effectum, non recipit poſteà effectum, quamvis ſe diſponat antequam reliquas partes deglutiat, eaſque ad ſtomachum tranſmittat: & quamvis illæ ſumptiones Phyſicæ ſint plures, & diſtinctæ, nihilominus ſunt una moraliter, per quam unus datur effectus in prima deglutione, & ideò indignè ſumens, & indignè manducans judicium ſibi manducat, &c. par autem non eſt, ut quis per eamdem refectionem, & cibum pariat ſibi judicium, & gloriam: quamobrem Partes aſſerunt, Euchariſtiam huic eſſe inutilem, ſeu mortiferam.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ. *Cap. 62.*

1 Miniſter conſecrationis eſt ſolus Sacerdos; quia ſolus Sacerdos habet ordinem Sacramentalem, & Chriſtus ſolus Sacerdotibus dixit, Hoc facite in meam commemorationem, *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *can* 1. unde quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, vel degradatus poteſt validè conſecrare: idem dicendum de Hæretico Sacerdote, vel Schiſmatico, modò debitam habeat intentionem, Character enim non amittitur, ſunt tamen irritæ conſecrationes Hæreticorum, quoad uſum, quatenus Hæretici repelluntur à conſecratione, vel quatenus debita carent intentione.

2 Miniſter ordinarius, & deputatus ad Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrandum eſt ſolus Sacerdos habens ordinariam, vel delegatam auctoritatem ad hoc Sacramentum adminiſtrandum.

3 Miniſter verò extraordinarius poteſt aliquando eſſe Diaconus, ut in articulo mortis, ſicut etiam aliàs ſanguinem adminiſtrabat: hoc tamen tempore ob Sacerdotum copiam, & multitudinem non videtur in uſu, ut Diaconus Euchariſtiam adminiſtret.

4 Dicunt aliqui non ſolum Diaconum, verùm etiam Subdiaconum, vel etiam Laicum poſſe Sacramentum Euchariſtię in articulo mortis adminiſtrare ſibi, vel aliis; ſed contrarium eſt probabilius, quia non eſt tanta Euchariſtię ſumendę neceſſitas, ut Laicus, vel alius, qui non ſit Sacerdos, vel ſaltem Diaconus, poſſit in articulo mortis propria auctoritate ſibi Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare non ſervata ſolemnitate,

tate, & ritu Eccleſiæ conſueto, & quia ſicut Sacerdos non poteſt, ut ſeipſum, vel alium, communicet in articulo mortis, celebrare ſine veſtibus conſuetis: ita neque Laicus poteſt in articulo mortis Euchariſtiam adminiſtrare contra uſum, & conſuetudinem hoc tempore receptam in reverentiam tanti Sacramenti; ſolus igitur Sacerdos, ordinariè ſaltem loquendo, poteſt Euchariſtiam adminiſtrare; modò habeat juriſdictionem ordinariam, vel habeat licentiam ab illis; quibus incumbit Sacramenta adminiſtrare.

5 Sacerdos, qui ſine licentia Euchariſtiã adminiſtrat, per ſe loquendo, mortaliter peccat niſi hoc faciat ex præſũpta volũtate paſtoris: nã ſi credatur fore, ut paſtor hoc ſciens approbaturus ſit, & daturus licẽtiã, Sacerdos adminiſtrans non peccat mortaliter.

6 Differentia inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ; quo ad validam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ non ſufficit præſumpta voluntas Superioris, & ratihabitio præciſa, ſufficit verò ad licitam Sacramenti Euchariſtiæ adminiſtrationem, quia juriſdictio non pertinet ad ſubſtantiam Euchariſtiæ, ſicut pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem; igitur ad validam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem requiritur poſitiva voluntas Superioris juriſdictionẽ concedẽtis & nõ ſufficit præſumpta.

7 Religioſis nõ habentibus ſpeciale privilegium, miniſtrantibus Euchariſtiam ſine licentia Epiſcopi, vel Paſtoris lata eſt pœna excommunicationis, ipſo facto reſervata Papæ in Clementina Religioſi de privilegiis, ſi præſumpſerint Euchariſtiam adminiſtrare Clericis, aut Sæcularibus; quæ excommunicatio non extenditur ad alios Sacerdotes, ſed ſolum ad Religioſos, quia in dicta Clementina fit mentio tantummodo Religioſorum; in pœnis autem non eſt facienda extentio.

8 Dicta excommunicatio non incurritur ab iis, qui bona fide adminiſtrant ex ignorantia excommunicationis; vel probabiliter credit Paſtores ratam habituros hujuſmodi adminiſtrationem: tunc enim non dicuntur præſumere; excuſantur etiam Religioſi communicantes in articulo mortis infirmos ſine licentia proprii Paſtoris, & etiam ſi Parochus ſit invitus: quia præſumitur adeſſe ratihabitio Summi Pontificis: quia præceptum Eccleſiæ non videtur obligare cum tanto proximi periculo, & detrimento.

9 Religioſi habentes privilegium miniſtrandi Euchariſtia excepto die Paſchatis, ſeu Reſurrectionis, poſſunt miniſtrare, ſi loquamur de eo, qui jam præcepto ſatisfecit in propria Parochia, licèt ſint alii auctores, qui contrarium ſentiunt: quia verba privilegii accipienda ſunt juxta propriam ſignificationem.

10 Sacerdos præciſa Miſsæ ſacrificio poteſt ſeipſum ex devotione communicare, modò non adſit alius Sacerdos, & abſque ſcandalo; quia Sacerdos eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti, nec dicitur alienam iuriſdictionem uſurpare ſibi Euchariſtiam adminiſtrando; nec ullum ius exſtat in contrarium. Immò aliqui putant, hoc etiam licitum eſse Diacono in articulo mortis exiſtenti, ſi alioquin deberet decedere ſine viatico, nam jure antiquo conceſſum erat Diacono, ut ſibi communionem præberet abſente Sacerdote.

11 Sacerdos, non habens aliam hoſtiam conſecratam præter ſuam, poteſt partem ſuæ hoſtiæ præbere infirmo, vel etiam ſano, ſi adſit rationabilis cauſa; quia non apparet ſufficiens ratio in contrarium, & Sacrificium deſinit eſse perfectum per adminiſtrationem hujuſmodi Particulæ.

12 Parochus tenetur ſuis ovibus Euchariſtiam adminiſtrare, non ſolum quando tenentur communicare, ſed etiam, quoties ſubditi eam rationabiliter petant: nam Parocho impoſitum eſt onus paſcendi oves ſuas, quod maximè ſit verbo, & Sacramentis. Excuſatur ab adminiſtratione, ſi irrationabiliter petant, vel ad alios mittat habentes facultatem, & in hoc ſubditi conſentiant, vel habeat juſtam cauſam negandi, qualis eſt infirmitas, laſſitudo gravis, vel ſi fœminæ de nocte confiteri velint, &c.

Diſpoſitio requiſita in Sacerdote Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrante.

Cap. 63.

1 IN Sacerdote adminiſtrante, vel conficiente Sacramentum Euchariſtiæ, requiritur gratia, unde debet eſse in gratia, ex officio deputatus ad miniſtranda Sacramenta, alioquin graviter peccat, licet aliqui Doctores oppoſitum ſentiant circa adminiſtrationem in peccato mortali.

2 Non

2 Non graviter peccat, qui attingit Euchariſtiam in peccato ob rationabilem cauſam, ut ſi eam elevat de terra, etiam ſi ſit laicus, quia prædictus tactus non videretur adminiſtratio Sacramenti.

3 Sacerdos, quando habet peccatum mortale, antequam Euchariſtiam adminiſtret, debet ſe præparare ad gratiam per Confeſſionem, vel ſaltem per contritionem.

4 Sacerdos in peccato mortali conficiens Sacramentum, committit unum numero peccatum Sacrilegii ſub multis titulis, quia reputatur moraliter una actio, cum ſit unum numero Sacrificium.

5 Sacerdos pluribus ſucceſſivè adminiſtrans Euchariſtiæ Sacramentum in peccato mortali, vel Sacramentum pœnitentię adminiſtrans pluribus nulla interpoſita mora, licet unum tantum peccatum committere dicant aliqui; nobis autem plura peccata committere videtur: quia prędictæ actiones habēt ſingulæ ſuum definitum terminum, in quo conficiuntur, & complentur.

6 Sacerdotem, in adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ, non requiritur eſſe jejunum, debet tamen cum debita reverentia adminiſtrare, & propterea habitu decenti debet Euchariſtiam infirmo deferre; ſecus dicendum de extrema unctione, quæ cum ſit materia Sacramenti extremæ unctionis, & non Sacramentum, non indiget tanta veneratione, quanta adhibenda eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento; nec tenetur currere, etiam ſi timeat, eam poſteà non poſſe adminiſtrare infirmo, ſi non feſtinet; quia videtur repugnare reverentiæ debitæ tanto Sacramento; & habeatur fatuus, & irreprobabiliter tenet, pœnitentem, vel infantem, decedere abſque Baptiſmo, vel cum peccato mortali, niſi feſtinaverit, tunc enim cenſetur, proximum eſſe in extrema neceſſitate propriæ ſalutis; Nō debet cum aliis digitis, quàm Pollice, & Indice adminiſtrare Euchariſtiam, licet detineatur infirmitate, vel Chiragra: quia à communi uſu, & conſuetudine non eſt recedendum: nec celebrare ſine veſtibus ad communicandum infirmum, & ſic tempore peſtis ſacerdos propria manu, & abſque alio inſtrumento debet miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, Sacerdos ad altare ſi nequeat accedere, poteſt ipſi deferri, & ibi Euchariſtiam alii adminiſtrare.

De Suſceptore Euchariſtiæ, & diſpoſitionibus in eo requiſitis. Cap. 64.

1 SUſceptor Euchariſtiæ eſt quilibet homo Baptizatus; dicitur homo, nam hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum cibi, & quilibet homo cibum capere poteſt: dicitur Baptizatus; quia carens Baptiſmo, qui eſt janua, non poteſt Euchariſtiam ſacramentaliter recipere.

2 Ad ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum cum fructu, tres diſpoſitiones requiruntur. Prima, ut ſuſcipiens ſit baptizatus, & habeat fidem. Secunda, ut habeat intentionem actualem, virtualem, & implicitam, vel etiam habitualem. Tertia, ut non habeat conſcientiam peccati mortalis, ſed ſit in gratia.

3 Infidelis communicans non recipit Euchariſtiam Sacramenti, ſed materialiter.

4 Poteſt Sacramentum adminiſtrari amenti, quia videtur habere diſpoſitionem habitualem, ſi tamen antea Chriſtianè viveret; propterea tempore Phreneſis poteſt illi conferri Euchariſtia. Illi autem, qui poſt uſum rationis lapſus eſt in amentiam, vel Phreneſim, non ſtatim adminiſtranda eſt Euchariſtia, ſed expectandum, donec habeat lucida intervalla, ſi verò amentia ſit perpetua non eſt adminiſtranda Euchariſtia; niſi in articulo mortis quando tamen antea quam incidit in amentiam petiit Euchariſtiam explicitè, vel ſaltem implicitè, modò non ſit periculum vomitus, vel alterius irreverentię, quia hoc nullo jure prohibetur, & propterea, qui ante amentiam Chriſtianè vivebat, vel dedit ſigna contritionis, poteſt illi Euchariſtia adminiſtrari, quia cenſetur adeſſe ſufficiens intentio ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, non autem idem dicendum eſt de iis, qui nunquam rationis uſum habuerunt, quia non cenſentur petiiſſe implicitè, vel explicitè, cum uſu rationis ſemper caruerint.

5 In obſeſſo à Dæmone, ſi careat uſus rationis, ſervandū eſt ſupra dictum de amente, ſi verò amētia ſit perpetua, & amens ita obſideatur, ut adhuc utatur uſu rationis, huic adminiſtranda eſt Euchariſtia, quoties prudens ſacerdos judicaverit; quia nullo jure privandus eſt obſeſſus Sacramento.

6 Semifatui admittendi ſunt ad Communionem tempore præcepti, ut tempore Paſchatis, & in Articulo mortis, quia hi

tenetur ad Euchariſtiam, & nullo jure denegari poteſt Euchariſtia tempore præcepti, præciſo tamen irreverentiæ periculo, non tamen admitti debent ad frequentem Euchariſtiæ ſuſceptionem.

7 Qui accedit ad Euchariſtiam cum affectu peccandi, vel cum peccato mortali graviter peccat, quia indignè ſumit Euchariſtiam, quæ per ſe fuit inſtituta ad conferendam ſecundã gratiam, & quo grauiùs eſt peccatum, gravius peccat, quia videtur habere majorem repugnantiam cum auctore gratiæ, qui in hoc Sacramento continetur, & percipitur, qui autem accedit cum conſcientia peccati venialis non impeditur quin Euchariſtię fructum recipiat, cum peccatum veniale, quamvis actualiter cōmittatur, non ſit obex ad divinam gratiam.

8 Qui habet conſcientiam peccati mortalis tenetur præmittere Confeſſionem Sacramentalem ante Euchariſtiæ ſumptionem *ex Conc. Trid. ſeſſ.13. can. 7. & can.11.* ubi pęna excommunicationis ipſo facto imponit contra eos, qui aliter docuerint, aut aſſeruerint cum pertinacia.

* *Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. damnat infraſcriptas Propoſitiones. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

Similiter arcendi ſunt à ſacra communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

9 Qui magis credit, ſe mortaliter peccaſse, vel peccatum mortale confeſsum non fuiſse, vel conſenſiſse peccato, tenetur confiteri ex præcepto, quamvis habeat aliquam ſuſpicionem, vel formidinem in oppoſitum ante Euchariſtiæ ſumptionem.

10 Qui æqualiter dubitat, ſe mortaliter peccaſſe, vel mortale peccatum confeſſum fuiſſe, obligandus eſt ad confeſſionem ante Euchariſtiæ ſumptionem ex *Conc. Tri. ſeſſ. 4. can. 15. can. 7.* in quo excipiuntur ſola peccata venialia ab obligatione confeſſionis, ergo peccata mortalia dubia ſunt materia neceſſaria; & ideo ante communionem confiteri debent; ſecus dicendum de eo, qui probabiliter opinatur, ſe non peccaſſe mortaliter, vel ſe confeſſum fuiſſe peccata mortalia: quia licitum eſt cuique ſequi opinionem probabilem: etiam ſi contraria ſint probabiliora.

11 Qui probabiliter credit, ſe non conſenſiſſe alicui peccato mortali, vel ſe non peccaſſe mortaliter, vel ſe confeſſum fuiſſe, vel confeſſionem fuiſſe validam, vel tales circumſtantias non eſſe confitendas, non teneri ad confeſſionem; etiam ſi fortè probabilius ſit conſenſiſſe, vel peccaſse mortaliter ante Euchariſtiæ ſumptionem.

12 Quando adeſt neceſſitas communicandi, vel celebrandi, nec adſit copia Confeſsarii, licet communicare non præmiſsa confeſſione: quia præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ, cum ſit affirmativum, non ſemper obligat: tamen præmittendus eſt ſaltem contritionis actus, ne indignè ſuſcipiatur Euchariſtia cum peccato mortali: nam actus contritionis eſt in noſtra poteſtate, poſito Divino auxilio, quo Deus nunquam nos deſerit.

13 Qui habet neceſſitatem communicandi, vel celebrandi, ſed non poteſt confeſſionem pręmittere abſque ſcandalo, non tenetur confeſſionem præmittere, nam habet neceſsitatem celebrandi abſque præmiſſa confeſsione, quamvis forte habeat copiam Confeſsarii; tenetur tamen elicere contritionis actum.

14 Sacerdos, qui inchoata miſſa meminit alicujus peccati mortalis, non tenetur inchoatam miſſam relinquere, ut confiteatur, neque tenetur ad ſe vocare confeſsarium ad altare, ſi periculum ſit ſcandali: immo Doctores dicunt non teneri ad ad ſe vocare Confeſsarium, etiam ſi commodè, & ſine ſcandalo poſsit accerſere, licet contrarium ſit verius, ſcilicet teneri confeſsarium vocare, ſi commodè poteſt.

15 Confeſsio facienda eſt etiam, ſi fortè ſacerdos committat aliquod mortale peccatum poſt conſecrationem, vel recordetur alicujus peccati mortalis antè commiſsi; ſi Sacerdos commodè poteſt, & ſine ſcandalo ad ſe Confeſsarium accerſere, nec interrumpatur miſsæ ſacrificium, cum aliquid fiat, quod dirigitur ad ipſum miſsæ ſacrificium dignè conficiendum.

16 Sacerdos, qui inchoata miſsa recordatur ſe eſse excommunicatum, aut etiam non jejunum, non poteſt eam dimittere, ſi nequeat dimittere ſine ſcandalo, nec commodè poſsit habere copiam Confeſsarii pro abſolutione excommunicationis: ſecus ſi

poſsit

poſsit miſsam ſine ſcandalo dimittere, modo tamen nondum facta ſit conſecratio, tunc enim adeſt neceſsitas ad miſsā inchoatam proſequendā ſine præmiſsa cōfeſsione; immò S.Bonaventura obſervat, inchoatam miſsam ſemper eſse perficiendam, quia ferè nunquam omitti ſolet ſine ſcandalo.

17 Laicus, qui præmiſsa confeſſione poſtquam ad linteum acceſſit, recordetur alicujus peccati obliti, non tenetur recedere, & ſtatim adire confeſsarium, nam exponeret ſe periculo infamiæ, immò excuſatur etiam præciſa nota, & ſcandalo, nam hic dicitur juſtificatus, & jam probatus per confeſsionem præmiſsam, ſic aſserunt multi Doctores; Sed mihi videtur verius non eſse excuſandum, niſi confeſsionem omittat ex juſta, & rationabili cauſa.

18 Si autem ſequatur tantummodo quædam admiratio, non dicitur ſcandalum ſequi, & propterea præciſo ſcandalo, & infamiæ periculo, vel alia juſta & rationabili cauſa, non videtur adeſse ſufficiens cauſa communicandi ſine confeſsione, & tunc dicitur ſcandalum ſequi, quando datur occaſio detrahendi, vel temere judicandi, vel proximum infamandi &c. non verò quando datur ſolum occaſio admirationis quæ ab aliquibus accipitur pro ſcandalo.

19 Non expedit, ut Sacerdos ad altare audiat reconciliationem alicujus communicaturi, nam experientia docet nonnullos caſus aliquando evenire, à quibus Confeſſarius non ſe poteſt expedire, niſi cum difficultate, & cum aliqua aſtantiū cōmotione.

20 Sacerdos morti proximus, non habens copiam Confeſsarii poteſt celebrare, vel etiam accedere ad Sacrarium, ſeque communicare præmiſsa contritione, quamvis nondum confeſsus ſit, habet enim neceſsitatem communicandi, licet non habeat copiam Confeſsarii.

21 Parochus non habens copiam Confeſsarii poteſt, præmiſsa contritione, celebrare ad communicandum infirmum, nam cēſetur adeſse neceſſitas proximi, quæ tamquā propria reputatur: poteſt etiam non habens copiam Confeſsarii, prēmiſsa cōtritione celebrare in die feſto, ne Parochiani careant miſsa, quia adeſt neceſsitas præcepti audiendi miſsam, quod curare debet Parochus, ut Parochiani non careant miſsa.

22 Qui ratione ſcandali vitandi, vel alia juſta de cauſa cogitur communicare, vel celebrare, non tenetur cōfeſſionem præmittere, ſi non habeat copiam confeſſarii.

23 Qui tenetur in Paſchate communicare, non poteſt per ſe loquendo communicare, non præmiſſa confeſſione: nam hic non videtur eſſe in neceſſitate communicandi: cum præceptum Divinum præmittendæ confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ prævaleat præcepto poſitivo Eccleſiaſtico communicandi in Paſchate.

24 Qui ratione prēcepti Eccleſiaſtici tenetur in die feſto Miſſam audire, vel celebrare, hic, ut ſatisfaciat Miſſæ audiendæ, non poteſt celebrare non præmiſſa confeſſione habens peccatum mortale, non enim dicitur eſſe in neceſſitate, cum præceptum Divinum confeſſionis præponderet præcepto Eccleſiaſtico Miſsæ audiendæ.

25 Qui habet peccatum mortale non poteſt Euchariſtiam ſumere, prætermiſsa cōfeſſione, quoties non tenetur ex Divino, vel naturali præcepto communicare, ſed ſolum vult communicare ex devotione, vel ob diei feſtivitatem, vel in ſuffragium Defunctorum, quia non præſumitur adeſse neceſſitas communicandi, & præceptum Divinum prætermittendæ confeſſionis prævalere debet actui, qui non eſt in præcepto.

26 Ille non poteſt ad Euchariſtiam accedere ſine præmiſsa confeſſione, qui non habet copiam proprii Confeſsarii; ſed alterius, cum non conſuevit propria peccata confiteri; non enim eſt in neceſſitate communicandi ſine confeſſione, cum habeat copiam alterius Confeſſarii, licet proprio confeſſario ſoleat confiteri cum majori devotione, nam major devotio non tollit obligationem præcepti.

27 Qui habet unum peccatum mortale, & rationabiliter timet manifeſtandum à Confeſſario, ſi illud ei fateatur, vel ſi habet alia peccata, quę non putat eſſe manifeſtanda, ſi habeat unum ſolum, poteſt abſque confeſſione ſe communicare, quando habeat neceſſitatem communicandi: ſi habeat etiam alia peccata, tenetur illa manifeſtare tacito illo, quod rationabiliter timet manifeſtandum, & habeat neceſſitatem communicandi, nec habet copiam alterius Confeſſarii.

28 Qui habet neceſſitatem communicandi, ſed non habet copiam Confeſsarii approbati, poteſt licitè communicare non præmiſsa confeſſione: niſi fortè habeat pri-

vilegium eligendi ſibi confeſſarium non approbatũ, cum poſſit illi ſacerdotem eligere ex privilegio,& nõ dicitur eſſe in neceſſitate comũnicandi ſine confeſſione.

29 Ut pœnitens dicatur non habere copiam Confeſſarij, requiritur diſtantia inter pœnitentem, & confeſſarium juxta judicium prudentis viri habita ratione circumſtantiarum, loci, temporis, & perſonæ, & puto illam diſtantiam ſufficere, quam ob difficultatem itineris, vel brevitatem temporis, vel ob urgentia negotia, vel ob periculum ſcandali, vel infamiæ,Sacerdos non poteſt hic, & nunc Confeſſarium adire ſine magno incommodo.

30 Celebraturus ex neceſſitate habens peccata reſervata, & non reſervata, ſi habeat copiam Confeſſarii facultatem habentis tantum abſolvendi à nõ reſervatis debet confiteri etiam reſervata; quia ex juſta cauſa poteſt directè abſolvi à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, modo Sacerdos ex neceſſitate celebraturus propoſitum habeat comparendi coram ſuperiore habente facultatem adſolvendi à reſervatis.

31 Qui habet peccatum mortale reſervatum & aliqua venialia, non tenetur, per ſe loquendo, præmittere confeſſionem venialium: quia non eſt obligatio ſubjiciendi peccata venialia confeſſioni: per accidens autem fieri poteſt, ut comunicaturus teneatur præmittere confeſſi nem venialium; ut ſi comunicaturus putat,ſe non eſſe contritum,ſed ſolum attritum.tenetur confiteri venialia: & hoc pacto ſaltem indirectè obtineat remiſſionem peccati mortalis reſervati, & ſic fiat capax gratiæ Sacramentalis,cum non poſſit peccatum mortale reſervatum confiteri Sacerdoti approbato habendi facultatem reſervatorum.

32 Qui præmiſſo examine conſcientiæ credit ſe eſse in ſtatu gratiæ, cum re ipſa habeat peccatum mortale, quod invincibiliter ignorat, recipit fructum,& effectum Sacramenti, ſi actum contritionis, vel ſaltem attritionis elicit: nam Sacramentum Euchariſtiæ poteſt aliquando conferre primam gratiam: & propterea ſuſcipiens Euchariſtiã tenetur elicere aliquem contritionis, vel attritionis actum, ne careat fructu Sacramenti: nam fieri poteſt, ut ſit in peccato mortali, & conſequenter non recipiat gratiam, niſi contritionis vel attritionis actum eliciat.

33 Qui ſuſcipit Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, committit unum peccatum, ſi confeſſio tunc temporis obligat ſolum per ordinem ad communionem: ſecus dicendum, ſi alio titulo tenetur confiteri: tunc enim duplex peccatum committit,unum omiſſionis contra præceptum confeſſionis, alterum commiſſionis per indignam Euchariſtæ ſumptionem.

34 Duplex peccatum committit Excommunicatus, qui ſumit Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione, ſciens, ſe teneri vinculo peccati, & cenſuræ, facit enim contra religionem indignè ſumendo Euchariſtiam, & facit contra obligationem cenſuræ, qua excõmunicatus repellitur à participatione Sacramentorum aliorumque comunione, & hæ obligationes videntur diſtinctæ rationis; conſequenter utraque circumſtantia aperienda eſt in confeſſione.

35 Accedens ad Euchariſtiam non præmiſſa confeſsione pecc ti mortalis peccat contra jus Divinum: quia præceptum præmittendę confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ, ab eo qui eſt in peccato mortali, eſt Divinum, *ex Conc. Tr. ſeſſ.13. can.7.*

36 Sacerdos, qui urgente neceſſitate celebravit non præmiſsa confeſſione peccati mortalis, tenetur quamprimum confiteri *Con. Trid. ſeſſ.13 can. 7.* laicus vero non præmiſsa confeſſione ſi ſuſcipiat Euchariſtiam, non tenetur ſtatim confiteri, quia præceptum poſitiuum extenditur ſolum ad eos, quorum facit mentionem; *Trid.* autem non facit mentionem laicorum, ſed Sacerdotis celebrantis in neceſſitate non pręmiſſa confeſſione, qui ſi celebrat ex ſua malitia in peccato mortali non præmiſsa confeſſione non tenetur quamprimũ confiteri: quia non celebravit urgente neceſſitate,ſed ex malitia abſque confeſſione, Tridentinũ autem loquitur de Sacerdote celebrante ex neceſſitate abſque confeſſione: idem dicendum de Sacerdote celebrante cum ignorantia peccati mortalis,cujus ante celebrationem, vel in ipſa celebratione non meminit: ſed ſolum recordatus eſt poſt celebrationem, non teneri ex vi præcepti Tridentini quamprimum confiteri: quia Tridentinum præcipit celebranti urgente neceſſitate: idem dicendum de Sacerdote communicante more Laicorum abſque præmiſsa confeſſione, non teneri ex vi

Tri-

Tridentino confiteri ſtatim, quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante.

37 Sacerdos celebrans ſine præmiſſa confeſſione, præciſo Tridentini præcepto, non tenetur ſtatim iure divino confiteri, ſive celebraverit in peccato mortali ex malitia, ſive ex inadvertentia, & oblivione peccati: nam præceptum confeſſionis faciendæ ante communionem eſt preceptum Divinum affirmativum, quod non obligat pro ſemper; & propterea præceptum Divinum confitendi ante communionem non obligat poſt communionem, ſed ante; unde concluditur, Sacerdotem celebrantem in neceſſitate ſine præmiſſa confeſſione, non teneri præcepto Divino, ſed Eccleſiaſtico quamprimum confiteri poſt celebrationem.

* *Sententia eorum, qui docent mandatum Tridentini Sacerdoti ſacrificandi cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſſe conſilium, non præceptum, damnata fuit ab Alex. VII. anno 1666.*

38 Euchariſtia miniſtranda eſt infirmo: de quo non conſtat eſſe rite diſpoſitum nam præſumitur diſpoſitus, quando non conſtat eſſe in peccato mortali, cum nullus præſumatur malus, niſi probetur: ſi verò antea fuit in ſtatu peccati mortalis, neceſſe eſt, ut Sacerdos miniſtraturus Euchariſtiam, ſciat ipſum eſſe confeſſum, vel ſigna contritionis exhibuiſſe poſt patrata delicta, ne Sacramentum indigno adminiſtret: ſufficit autem, ut hoc ſciat per teſtem fide dignum, aut aliunde probabiliter credat, ipſum eſſe ritè diſpoſitum.

De Diſpoſitionibus ex parte Corporis requiſitis in ſuſcipiente Euchariſtiam. *Cap. 65.*

1 Iure communi non requiritur aliqua particularis diſpoſitio ex parte corporis in ſuſcepturo Euchariſtiæ Sacramentum: ſed in qualibet regione quilibet curare tenetur, ut ad Euchariſtiam accedat eo habitu, & ea corporis diſpoſitione, quam decreta locorum, vel conſuetudo poſtulat: Sacerdotes autem, quoties communicant, tenentur ex præcepto Concilii Braccarenſis, induere ſtolam in modum crucis ad pectus ſub pœna excommunicationis; ſed quamvis iſta conſtitutio videatur obligare ſub mortali, cū tranſgreſſor puniri præcipiatur pœna excommunicationis, ad quā incurrēdam requiritur peccatum mortale; nihilominus re ipſa non obligat ad mortale: quia non videtur uſu recepta cum tanto onere.

2 Qui peccatum carnale commiſit, ut fornicationis, vel pollutionis, debet per diem abſtinere ſub veniali à communicatione, etiam ſi de iis confeſſionem fecerit, niſi juſta cauſa adſit communicandi, quia hujuſmodi peccata non mediocriter abſtrahere conſueverunt mentem à divinis, nec permittere ſolent, ut Euchariſtia ſumatur cum ea devotione, cum qua ſumenda eſt: hac de cauſa Doctores advertunt coniugibus, qui ſe nocte antecedente carnaliter cognoverunt, abſtinendum eſſe ſequenti die ab Euchariſtia, ſaltem ex conſilio, & devotione, niſi juſta cauſa ſuadeat eo die communionem ſumere, ut ſi fuerit feſtum magnæ ſolemnitatis, aut Dies Iubilæi, aut ſi communio commodè differri nequeat in ſequentem diem.

3 Pollutio involuntaria, quæ contingit, non impedit communionem, & excuſatur ab omni peccato, qui ad communionem accedit poſt pollutionem: præſertim ſi pollutio non reliquit aliquem effectum, vel ſi contingat ex Dæmonis ſuggeſtione contra voluntatem illius: quia par non eſt, ut ſit pœna, ubi non eſt culpa.

4 Suſcepturus Euchariſtiam debet à media nocte eſſe jeiunus, non ſolum jejunio Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, ut patet ex uſu Eccleſiæ accepto ab Apoſtolis: & licet Chriſtus communicaverit Apoſtolos non jejunos poſt eſum agni, tamen hoc tradendum non eſt in exemplum; quia non quidquid Chriſtus fecit, nos etiam facere poſſumus: & licet olim adeſſet in Eccleſia conſuetudo ſumendi Euchariſtiam feria quinta diei Cœnæ fracto jejunio, tamen illa conſuetudo abrogata fuit *in Concil. Toletano 7. Cap. 2.*

5 Jejunium duplex eſt, Eccleſiaſticum ſcilicet, & naturale. Eccleſiaſticum eſt illud, quo præcipitur una comeſtio in die: jejunium verò naturale importat abſtinentiam à qualibet re, etiam modica comeſtibili per modum cibi, aut potus: unde qui in celebratione primæ miſſæ in die Nativitatis Domini ſumpſit ablutionem, aut lambendo digitos aliquid aquæ, aut vini tranſmiſit ad ſtomacum, non poteſt illa die aliam miſſam celebrare, cum dica-

tur jejunium naturale perfregiſſe.

6 Dicitur per modum cibi, aut potus: quia ſi quis per modum ſalivæ aliquid trajiciat, ut ſi os abluendo parum aquæ, aut vini præter intentionem tranſmittat ad ſtomacum per modum ſalivæ; aut etiam caſu trajiciat reliquias cibi, quæ heſterna die dentibus adhæſerunt, aut deglutiat ſanguinem ex gingiva, vel ex capite in os deſcendentem, aut aliquas pluviæ guttas inadvertenter recipiat in ſtomachum, aut per modum reſpirationis attrahat parum terræ, vel pulveris, aut muſcam volantem in os apertum, aut cum juſculo deguſtando aliquid contra voluntatem deglutiat, non dicitur frangere jejunium naturale, quia nihil ſumit per modum cibi.

7 Tunc dicitur aliquid ſumi per modum cibi, vel potus, quando accipitur ab extrinſeco, & propria actione vitali tranſmittitur ad ſtomachum, edendo, aut bibendo, etiam ſi cibus ſit parvæ quantitatis, & propterea, qui ſuſcepta parva ſibi quantitate communicat, graviter peccat, quia dicitur communicare poſt cibum, & violare præcepti ſubſtantiam, neque obſtat parvitatem materiæ excuſare à mortali, quia prohibetur communio poſt cibum: qui autem communicat fracto jejunio, dicitur communicare poſt cibum, & conſequenter facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi; etiam ſi materia, per quam fractum eſt jejunium, eſſet levis.

8 Qui tranſacta nocte media deglutit aliquid Savari, quod veſperiore acceperat frangit jejunium, & non poteſt ſequenti mane ad Euchariſtiam accedere, ſic qui ad vitandam faucium raucedinem aliquid ori impoſuerit, & tranſacta media nocte degluti verit, ſic qui medicinam ore ſumit, ſic qui trajicit papirum edendo; non autem frangit jejunium, qui aromata ori imponit, eaque dentibus terit ante ſumptionem Euchariſtiæ, cauſa vitandi noxii aeris, modo nihil glutiat.

9 Qui cibum non digeſſit, aut poſt cœnam non dormierit poteſt ad Euchariſtiam accedere; quia hoc nullo jure cautum eſt; & quia aliquis poteſt dici jejunus à media nocte, quamvis cibum non digeſſerit; & propterea, qui in vigilia Nativitatis Domini jentaculum ſumpſit propè mediam noctem, poteſt poſt mediam noctem celebrare, quamvis non dormierit: nam dicitur jejunus à media nocte.

10 Sacerdos, qui poſt ſumptam ablutionem habet reliquias hoſtiæ palato affixas; poteſt novam ablutionem ſumere, ut hujuſmodi reliquias trajiciat, quia magis decet, reliquias trajicere per novas, & iteratas ablutiones, quam digitum in os apponere; idem dicendum ſi particula aliqua adhæſit calici: nec poteſt dici, iſtum non eſſe jejunum ob præcedentem ablutionem, nam reputatur unica actio, quam ſacerdos jejunus inchoavit: idem dicendo de eo, qui poſt ſumptam ablutionem, aut poſt dictas orationes aliquam hoſtiæ particulam reperit in patena poteſt eam ſtatim ſumere, quia tota illa actio reputatur unus actus perfecta ſacrificii conſumptione; quod etiam procedit, non ſolum ſi particula hoſtiæ ſit parva, verum etiam ſi grandiuſcula ſit, & ab eodem ſacerdote conſecrata, & oblata in illa miſſa; cum enim ſit pars illius ſacrificii, ad illius conſumptionem pertinet. Secus dicendum, quando magna interceſſit mora inter ablutionis ſumptionem, & reliquiarum: cū ſcilicet ſacerdos receſſit ab altare.

11 Sacerdos, qui ſtatim poſt miſſæ ſacrificium nullo tempore ſe detinuit in diſpenſanda Euchariſtia, poteſt vaſa purificare, & reliquias ſumere, ſi reliquiæ fuerunt conſecratæ in illo ſacrificio: nam cenſetur unica actio moralis, ſi verò ab alio fuerunt conſecratæ, melius eſt eas, niſi ſumantur ante purificationem, ſervare, modo ſervari poſſint ſine majore irreverentia, quàm ſit ea, quæ committitur in aſſumendis hujuſmodi reliquiis poſt purificationem: nam jejunium ab Eccleſia præſcribitur in reverentia Euchariſtiæ; quod autem præſcriptum eſt in reverentia Euchariſtiæ, non debet ipſius irreverentia uſurpari.

12 Reliquiæ quæ remanent poſt diſpenſationem Euchariſtiæ, non poſſunt dari laicis, nec ante nec poſt purificationem, niſi prius moraliter dentur cum priori hoſtiola, nam ipſius actio tenetur omnino conſummari in prima ſuſceptione.

13 Quando ſacerdos reperit particulas hoſtiæ, quas dubitat eſſe conſecratas, poteſt illas ſumere poſt ſumptionem Euchariſtiæ, & ſanguinis, & etiam poſt ablutionem: nam hæc reputatur una actio, quæ fuit inchoata cum jejunio.

14 Licet ſumere Euchariſtiam fracto jejunio: Primò quando poſtulat reverentia

cta ſacramenti: Secundò quando ita fert neceſſitas hominis, aut gravioris præcepti: & ſic ſacerdos non jejunus poteſt ſumere Euchariſtiam, ne perveniat ad manus in fidelium: ita quando ſacerdos loco vini conſecravit aquam, non advertens hunc errorem, niſi poſt aquæ ſumptionem: debet de novo vinum conſecrare, & ſumere, licet fregerit jejunium per ſumptionem aquæ, nam conſecratio, & ſumptio vini ſpectat ad integritatem ſacrificii: ita etiam qui poſt conſecrationem advertit, ſe non eſſe jejunum, aut ſumpto jam cibo conſecravit, tenetur ſacrificium perficere: ob eandem rationem, ſi ſacerdos peracta conſecratione pereat, nec adeſt alius præter Sacerdotem, non jejunum, tenetur ſacerdos non jejunus perficere ſacrificium: quando verò pereat ante conſecrationem, nullus tenetur miſſam perficere: quia ſacrificium non relinquitur imperfectum. Idem dicendum ſi ſacerdos pereat poſt ſumptionē utriuſque ſpeciei: nihil enim ab alio ſupplendum, eſt cum ſacrificium ſit integrum. Idem dicendum eſt de Epiſcopo celebrante miſſam ritu Pontificali, nam ſi pereat ſumpta utraque ſpecie, nihil ſupplendum eſt: niſi verò pereat poſt conſecrationem, ſumpta una tantum ſpecie, poteſt ſacerdos ſimplex, ſi non adſit Epiſcopus, peragere, & perficere ea, quæ pertinent ad integritatem ſacrificii, omiſſis Pontificalibus, quæ non pertinent ad integritatem ſacrificii, & ſubſtantiam.

15 Euchariſtia ratione neceſſitatis adminiſtrari poteſt per modum Viatici infirmo exiſtenti in articulo mortis non jejuno; ſi non poteſt commodè, ut ſit jejunus: quia adeſt neceſſitas infirmi indigentis auxilio Eccleſiæ; & adimplendi præcepti Divini, quod ſi unquam obligat, obligat maximè in articulo mortis: & etiam quia hoc privilegium eſt conceſſum infirmo: immò poteſt adminiſtrari Euchariſtiæ Sacramentum homini non jejuno, non ſolum in caſu mortis naturalis, verum etiam in caſu mortis violentæ, ſi communio commodè nequit anticipari, vel differri, & ratio eſt, quia hic dicitur exiſtere in articulo mortis: & ſicut poteſt in tali eventu abſolvi à reſervatis, ita etiam admitti poteſt ad Euchariſtiam non jejunus, modo Princeps iubeat mortem eo die inferri abſque dilatione. Ægrotus autem ſi commodè poteſt, tenetur jejunus Euchariſtiam ſumere: cavere tamen debet, ne ob fractum jejunium differat ſumptionem Euchariſtiæ in ſequentem diem cum periculo decedendi ſine Euchariſtia, vel eam ſumendi, dum fuerit ſenſibus deſtitutus, nam præceptum communicandi cum jejunio non obligat ita ſtrictè, & cum tanto periculo; ob id etiam infirmus, ut jejunus communicet, non tenetur differre ſumptionem medicinæ, vel cibi cum gravi incommodo Præterea non tenetur curare, ut Euchariſtia nocte ad ſe deferatur: quia hoc fieri non ſolet ſine magno incomodo, nec uſu receptum eſt, ut Euchariſtia, quæ magno cum honore deferenda eſt, deferatur intempeſta hora.

16 Infirmus, qui ſemel non jejunus communicavit per modum viatici, poteſt iterum ad communionem admitti ſine jejunio, aut cum jejunio, nam nulla ſufficienti ratione probari poteſt, infirmum jejunum, & ſufficienter diſpoſitum privandum eſſe tanto Sacramento; de non jejuno autem, quia Concilium Conſtantienſe conceſſit, ut infirmus non jejunus communicet, & cum non reſtrinxerit ad unam vicem non videtur negandum, quod infirmus poſſit iterum non jejunus ad Euchariſtiam admitti: propterea concedendum videtur, infirmum, qui ſex, vel octo dies antea communicavit per modum viatici, poſſe iterum ad communionem admitti per modum viatici, ſi commodè nequeat jejunus communicare, non tamen licet quotidie infirmum non jejunū communicare propter reverentiā Euchariſtiæ Sacramento debitā.

17 Sacerdos non jejunus non poteſt conſecrare ad communicandum infirmum, ſi careat hoſtiis conſecratis, quia ſicut non licet ſine debito ritu celebrare; ita non licet Sacerdoti non jejuno celebrare ad communicandum infirmum; quia ſicut hoc Sacramentum eſt maioris dignitatis, ita eſt minoris neceſſitatis, & quia non eſt uſu receptum, ut Sacerdos non jejunus celebret ad communicandum infirmum; ſed potius in contrarium eſt conſuetudo Eccleſiæ, & ideò Sacerdos tenetur ex præcepto Eccleſiæ jejunus celebrare: & ab hoc præcepto non eximitur ob neceſſitatem infirmi ſupervenientem: alioquin non conſuleretur reverentiæ tanto Sacramento debitæ, & ab Eccleſia intentæ, nec vitarentur magna incom-

incommoda, & inconvenientia, quæ aliquando ſuboriri poſſent: Infirmus verò in tali caſu excuſatur quia per ipſum non ſtat, ne comunionem ſumat.

18 Infirmo non jejuno licet poſſit communicare, non tamen licet Sacerdoti non jejuno conſecrare ad communicandum infirmum, quia infirmo non jejuno licet communicare propter obligationem juris Divini, & ob privilegium ab Eccleſia conceſſum, & ob praxim communiter receptam: nec dicas, ſicut Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, poteſt abſque prævia confeſſione, dum non habet copiam Confeſſarij, celebrare ad communicandum infirmum: ita etiam poteſt non jejunus, quia confeſſio ſuppletur per contritionem, non autem jejunium: caveant autem Sacerdotes, ne Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrent moribundo, quando moraliter timent, ne infirmus eam per vomitum, vel expuitionem objiciat, tenetur enim evitare decentiam tanti Sacramenti.

19 Sacerdos, vel alius, qui Euchariſtiam ſuſcepit, non peccat comedendo ſtatim ſuſcepto Euchariſtiæ Sacramento: quia Eccleſia requirit ſolum jejunium ante ſumptionem Euchariſtiæ, non verò poſt communionem; tamen ob majorem Sacramenti reverentiam expedit poſt communionem aliquantulum abſtinere à communi cibo, & potu.

Quando fideles obligentur ad Communionem ex præcepto Divino. Cap.66.

1 PRæceptum Divinum ſumendæ communionis obligat ſub mortali in articulo mortis naturalis, aut violentæ, quia qui non communicat in articulo mortis, videtur occaſionem magni ſcandali præbere, ergo ſequitur extare obligationem communicandi in articulo mortis, & poſteà, quia non jejunus poteſt in articulo mortis communicare, quamvis extet præceptum Eccleſiaſticum communicandi cum jejunio, ergo ſignum eſt præceptum communicandi in articulo mortis, eſſe præceptum Divinum, cui cedit Eccleſiaſticum, quod videtur colligi poſſe ex *Con.Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 6. & quamquam alicui forte non videatur improbabilis ſententia eorum, qui aſſerunt, eum, qui communicavit in Paſchate, non peccare mortaliter, ſi non communicet in articulo mortis, tamen omnino conſulendum eſt, ut exiſtens in articulo mortis, quamprimum fieri poteſt communionem ſumat, cum conſuetudo fidelium invaluit, ut in articulo mortis Euchariſtia ſumatur.

2 Qui autem paulo ante, quam incideret in periculum mortis communicavit, non tenetur ex vi præcepti Divini communicare in articulo mortis, in quo tenetur communicare, ut hoc Sacramento ſe præparet ad tranſitum ex hac vita, cenſetur autem, ſe præparaſſe ad hujuſmodi tranſitum per Euchariſtiam ſumptam paulo ante, quam incideret in periculum mortis, & ſatisfeciſſe præcepto communicandi in articulo mortis: qui autem ſumpta communione in articulo mortis commiſit peccatum mortale, non tenetur ex præcepto Divino iterum communicare, quia Euchariſtia non eſt inſtituta per ſe ad delenda peccata mortalia, ſicut inſtituta fuit pœnitentia, conſequenter uſus Euchariſtiæ non ita obligat, ſicut obligat uſus Confeſſionis, nec tenetur, qui non communicavit in mortis periculo, illo tranſacto, communicare, ut adimpleat præceptum, quia terminus conſtitutus ad communicandum eſt in articulo mortis.

3 Judex tenetur Reo concedere tempus communicandi præciſo notabili damno communi, aut alia juſta cauſa, quia præceptum communicandi obligat in articulo mortis ex jure Divino, ergo tenetur reo concedere tempus ſumendæ Euchariſtiæ, etiam ſi timeatur fore, ut conceſſo debito tempore ad ſumendam Euchariſtiam reus eripiatur, & aliqui ſcandalum patiantur, nam Judex tenetur facere id, quod eſt per ſe: per ſe autem tenetur concedere tempus ſumendæ Euchariſtiæ, ut valeat divinum præceptum adimplere, immo ſi reus noluerit intra tempus conſuetum ſibi à Judice conceſſum, ſe præparare ad confeſſionem, & Euchariſtiam tenetur aliquam dilationem, ſcilicet duorum, vel trium dierum concedere: ſi ſperet fore, ut reus intra illud tempus pœnitentiam agat, nec ſit periculum alicujus ſcandali, vel damni ex ea dilatione, & licet aliquando fuerit in uſu aliquem privare Sacramento Euchariſtiæ in articulo mortis ad aliorum exemplum, & correctionem, ut patet ex Concilio Elibertino, tamen non eſt amplius in uſu, ut reus privetur Euchariſtia, ſed

poti-

potius contrarium in praxi ſervatur.

4 Judex non tenetur liberare à morte, ſed potius poteſt adiudicare morti reum, cui conceſſit opportunam, & ſufficientē dilationem ad pœnitentiam, & communionē: ſed reus noluit pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum ſumere: & licet Iudex ſciat reum in peccato mortali moriturum, tamen tenetur morti adiudicare: quia alias daretur occaſio reis non ſumendi Euchariſtiam, & pœnitentiam, ut ſe eriperet à morte, & ſic publica poteſtas eluderetur, & magna ſequerentur incommoda in Republica.

5 Fideles tenentur non ſolum ex præcepto Divino communicare nō ſolum in articulo mortis: verum etiam alioquoties in vita, nam cum inſtitutum ſit hoc Sacramentum in memoriam paſſionis, quæ non ſolum in articulo mortis recolenda eſt per communionem, verum etiam in vita, quoties autem recolenda ſit memoria paſſionis per communionem, judicavit Eccleſia, cum præcepit communionem ſaltem in anno: præterea cum inſtitutum ſit Sacramentum Euchariſtiæ per modum cibi, & cibus non ſolum ſemel in vita ſumendus ſit; ſequitur, Euchariſtiam non ſolum ſemel in articulo mortis ſumendam eſſe, verum etiam aliquoties in vita.

6 Quando autem extra mortis articulum, & præciſa determinatione Eccleſiæ præceptum Divinum obliget communicare, non poteſt indiviſibiliter definiri, ſed prudentis viri judicio definiendum: patet tamen, eum, qui ſemel in anno communicavit, ſatisfacere præcepto Divino: quia non dicitur nimium differre ſumptionem Euchariſtiæ.

7 Nemo poteſt ſæpius in die communicare; quia ſancitum eſt, ne Sacerdos in die ſæpius celebret, aut communicet, excepta nativitatis ſolemnitate, aut privilegio, aut particulari caſu: qualis eſt ſi periculum ſit, ut Sacramentum veniat in manus hæreticorum, vel comburatur. Dies autem computandus eſt à media nocte uſque ad mediam noctem ſequentem, & privilegium ter communicandi in die Nativitatis Domini extenditur ſolum ad celebrantes, non verò ad laicos, ſed ad alios, qui more laicorum communicant.

8 Qualibet autem hora diei poteſt communicare, ſed Sacerdos poſt meridiem non poteſt celebrare, nihilominus poteſt qualibet hora diei communicare, & adminiſtrare Euchariſtiam, modò ſuſcipientes ſint jejuni: quia circa hoc nulla extat prohibitio: ſed ratione ſcandali vitandi Euchariſtia non poteſt qualibet hora diei ſumi, quare extra neceſſitatem non videtur permittendum, ut aliquis Euchariſtiam ſumat ſub veſperis, vel intempeſta nocte, quia deeſt periculum ſcandali; cum aliquis judicare poſſit, Euchariſtiam dari non jejuno, & quia eſt contra communem conſuetudinem, & praxim.

* *In nocte Nativitatis D.N.J.C. poſt decantatam primam Miſſam nequeunt aliæ duæ ſucceſſivè celebrari, neque in ea ſacra communio fidelibus etiam illam depoſcientibus exhiberi poteſt, id enim omnino prohibuit Sac. Rit. Con. ac non niſi orto lucis ſydere eam miniſtrandam decrevit die 20. Aprilis 1664. ſub pœnis in decreto contentis.*

Quando fideles obligentur ex vi præcepti Eccleſiaſtici communicare. 67.

1 PRæceptum Eccleſiaſticum ſumendæ communionis obligat omnes fideles utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis pervenerunt, ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 9.* ubi excommunicantur contrarium eſſerentes, ex quo excluduntur infideles: ſed fideles ſtatim atque pervenerunt ad uſum rationis, obligantur ad communionem, ſicut obligantur ad confeſſionem: ſed ad communionem ex præcepto Eccleſiæ obligaretur, poſtquam compleverunt annos diſcretionis requiſitæ ad diſcernendum inter hunc cibum ſpiritualem, & cibum corporalem; quæ diſcretio advenire ſolet à decimo anno, nec differri ultra decimum quartum annum: adultus autem, quando dubitat, utrum teneatur communicare, debet conſilium à confeſſario, vel parentibus petere, ſeque illorum conſilio accomodare, & propterea excuſantur à communione, quando à parentibus prohibentur communicare.

2 Adultus non obligatur ad communionem ſtatim atque habet ſufficiens judicium, & diſcretionem, ſed poſt unum, aut duos annos, quia cum majori reverentia recipitur Sacramentum, ſi non ſtatim recipiatur, acquiſita diſcretione; & licet adoleſcens teneatur ſtatim atque pervenit ad uſum rationis, confiteri, non tamen tenetur etiam communicare, quia majus

judi-

judicium requiritur ad communicandum quam ad confeſſionem, cum Sacramentum Euchariſtiæ ſit excellentius, & dignius Sacramento conf. ſſionis, & propterea major ætas, & judicium requiritur ad communionem, quam ad confeſſionem.

3 Filius habens uſum rationis ſi incidat in infirmitatem, licet anteà communionem non ſumpſerit, ſed ſit prӕditus uſus rationis, & capax confeſſionis, & extremæ unctionis, debet non ſolum ex conſilio, verum etiam ex præcepto cômunicari in mortis articulo, quia præceptum communicandi in articulo mortis, eſt præceptum Divinum, ut dictum eſt, & præceptum ab Eccleſia non fuit limitatum, & propterea cum præceptum Divinum obliget hominem prӕditum uſu rationis, ſequitur Adoleſcentem prӕditum uſu rationis teneri ex præcepto Divino in articulo mortis communicare, quamvis nondum teneatur ex præcepto Eccleſiaſtico.

4 Omnes fideles poſtquam ad annos diſcretionis pervenerunt, obligantur ad communionem ſumendam à proprio Sacerdote, ſaltem ſemel in anno in Paſchate, immò antiquitus impoſitum erat præceptum fidelibus ſæpius communicandi, ſed refrigeſcente fidelium pietate præceptum Eccleſiaſticum reſtrictum fuit ad unam vicem in Paſchate; nomine autem Paſchatis intelligitur à die cœnæ Domini uſque ad octavam Paſchæ, vel ſi adſit alia locorum conſuetudo, ut extendatur, ad aliud tempus obſervandum eſt.

5 Præceptum communicandi in Paſchate non impletur, niſi Euchariſtia ſumatur in propria Parochia de manibus proprii paſtoris, aut alterius Sacerdotis de licentia Paſtoris, quare qui communicavit in Paſchate extra propriam parochiam abſque conſenſu ſui Paſtoris, non dicitur ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiaſtico, licet communicaverit in Eccleſia Religioſorum habentium facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam. Sacerdos autem quovis in loco celebret, ſatisfacit præcepto communionis tempore Paſchatis, non propterea fideles ſatisfaciunt præcepto, quovis loco ſumant communionem tempore Paſchatis, quia præceptum communicandi in Parochia extenditur ſolum ad eos, qui Euchariſtiam ab aliis ſumunt, non verò ad Sacerdotes.

6 Eugenius IV. vivæ vocis oraculo declaravit viatores, ubi ſe invenerint in Paſchate, cenſeri ac ſi adepti fuiſſent habitationem quo ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, unde qui in aliena Parochia ad certum tempus commorantur, vel domicilium habent viatores, aut alii in aliena Parochia exiſtentes, qui tempore Paſchatis non poſſunt propriam parochiam adire, ut ſunt peregrini, viatores, &c. poſſunt Euchariſtiam ſumere in ea Parochia, in qua tempore Paſchatis reperiuntur.

7 Qui præceptum communionis adimplevit in hebdomada ſancta, ſi vellet in die Paſchatis Euchariſtiam ſumere, poteſt eam ſumere à quocumque Sacerdote in alia Eccleſia, modo Sacerdos, qui adminiſtrat Euchariſtiam, alias habeat facultatem adminiſtrandæ Euchariſtiæ, quia preceptum communionis adimplevit in hebdomada ſancta, & nullo jure obligatur in die Paſchatis communicare.

8 Laici inſervientes Religioſis debent tempore Paſchatis communionem ſumere in propria parochia, quia in capite utriuſque ſexus decernitur, ſumendam eſſe Euchariſtiam à proprio Sacerdote; Secus dicendum de iis, qui degunt in monaſteriis, & aliis locis à cura Parochorum exemptis, quia videntur exempti à parochia, cum ibi poſſint ſepeliri inconſultis Parochis: & ita ſacramenta ſumere.

9 Quilibet fidelis poteſt Euchariſtiam, & alia Sacramenta in ſua cathedrali Eccleſia ſumere, modo ſit ſubditus illius Diœceſis, nam Eccleſia Cathedralis videtur communis illius diœceſis: cum in ea reſideat communis illius diœceſis paſtor, qui poteſt appellari proprius Sacerdos omnium fidelium illius diœceſis, immò quilibet etiam invito parocho adire po.eſt Epiſcopum pro Sacramentis ſuſcipiendis, nam Epiſcopo principaliter commiſſa eſt cura animarum omnium ſuæ Diœceſis.

10 Qui tempore Paſchatis communicat in peccato mortali, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: ſed peccat contra præceptum Divinum, ſumendo indignè Euchariſtiam, non tamen contra Eccleſiaſticum.

11 Qui non communicavit in Paſchate, elapſo tempore Paſchatis, probabiliter ſuſtineri poteſt, non teneri quam primum commodè poteſt, eodem anno communicare, niſi fortè diſtulerit communionem ob

ob conſilium neceſſarii, aut niſi lata ſit Excommunicatio, vel niſi extet lex aliqua particularis, vel conſuetudo contra non communicantes elapſo Paſchatis tempore: dixi, probabiliter ſuſtineri poſſe, quia etiam valde probabile videtur, eum qui non communicavit in Paſchate, teneri adhuc, tranſacto tempore Paſchali, quamprimum commodè poteſt communicare, quia ſumptio Euchariſtiæ abſolutè præcipitur ſaltem ſemel in anno, & tempus Paſchatis nō eſt poſitum ad finiendam obligatio em ſed ad ſolicitandam, & ad non differendam communionem ultra tempus Paſchatis, quod tempus eſt magis opportunum, & conveniens adimpletioni præcepti; quando autem aliquid abſolutè præcipitur, illique aſſignatur aliquod tempus tanquam magis congruum adimpletioni præcepti: elapſo eo tempore, non ceſſat obligatio, ergo elapſo tempore Paſchatis non ceſſat obligatio communicandi; quod autem præceptum communionis ſit abſolutum; patet ex illis verbis, quæ habentur in capite omnis utriuſque ſexus, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum, & quia ſic videtur communi uſu, & conſuetudine Eccleſiæ receptum, cum Eccleſia ſoleat eos, qui non communicantur in Paſchate, vel poſt aliquod tempus interducere, eoſque ab interdicti vinculo non abſolvere, donec confiteantur, & decernant communicare, hinc ſequitur eum, qui non communicavit in Paſchate, non peccare mortaliter, ſi elapſo tempore Paſchali data opportunitate non communicet, niſi fortè diſtulerit communionem ob conſilium confeſſarii, vel niſi extet aliqua ſpecialis prohibitio, & hoc verum eſt adhęrendo primæ ſententię. Secus ſi velimus ſecundam ſuſtinere, quam diximus eſſe valdè probabilem.

12 Qui prævidet, ſe ita impediendum in Paſchate, ut intra illos quindecim dies non poſſit communicare, non tenetur anticipatè communionem ſumere, quia ante prædictum tempus præceptum communionis non obligat: immo ſi quis Euchariſtiam ſumpſiſſet antecedenti tempore, & poſteà tempore Paſchatis poſſet communicare, teneretur adhuc communicare, ergo ſequitur non ſatisfeciſſe anticipando & conſequenter non teneri anticipatè communionem ſumere, ſecus dicendum eſt de eo qui in hebdomada ſancta animadvertit, ſe non poſſe ſequentibus diebus communicare ob ſuperventura impedimenta: quia tunc temporis afficitur obligatione præcepti, & poteſt illud adimplere, unde dicendum eſt teneri ea hebdomada communicare.

* *Innoc. XI. die. 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem: Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

13 Melius eſt frequentibus communicare, quàm rarò, quia uberrimi fructus ex Euchariſtia percipiuntur, & quia communicare cum debita diſpoſitione eſt opus per ſe bonum, abſtinere autem eſt bonum ſolum per accidens; & ideo quod bonum eſt per ſe, melius eſt quàm bonum per accidens, licet melius ſit aliquando abſtinere à communione, ut quando poſtulat ita decentia, & honeſtas.

14 Quoties ſumenda ſit Euchariſtia, non poteſt certa regula præſcribi, & aſſignari, ſed pro diverſitate ſtatuum, & perſonarum præſcribenda eſt, nam Religioſo expedit frequentius communicare, quàm ſeculari, Sacerdoti quàm clerico, ſoluto quàm conjugato, rarò tamen perſonis non religioſis conſulendum eſt, ut frequentius communicent, quàm octavo quoque die, ut majori cum reverentia, & judicii maturitate diſcernant cibum à cibo.

15 Sacerdos poteſt ſingulis diebus celebrare: quia non eſt prohibitum quotidie celebrare, & quia miſſæ ſacrificium cedit in magnum Dei cultum, & uberes fructus reddit; Excipiendi tamen ſunt aliqui dies: quales ſunt feria ſexta, & ſabbatum ſanctum, aut etiam feriæ ſextæ quadrageſimæ, in quibus miſſa non celebratur ritu Ambroſiano, aut in Eccleſiis Ambroſianis; excipi poſſunt etiam alii dies juxta locorum conſuetudinem, quæ in hac reſervanda eſt, inſuper excipienda eſt feria quinta hebdomadæ Sanctæ, quo die non poteſt miſſa celebrari à ſingulis Sacerdotibus, nam conſuetudine receptum eſt, ut eo die una tantum miſſa celebretur in Eccleſiis, licet alii putent licitum eſſe cuilibet Sacerdoti eo die celebrare ſecluſo ſcandali periculo, nam prædicta conſuetudo non videtur inducta tanquam obligatoria, ſed potius ex devotione; ſed mihi videtur conſuetudinem inductam eſſe obligatoriè: niſi alieni conſtet ſolum inductam fuiſſe ex devotione.

16 Sa-

16 Sacerdos ſi poſſit privatim die ſabati ſancti; aut in feria quinta hebdomadæ ſanctæ celebrare, præſertim ſi in die incidat feſtus dies Annuntiationis, ſtandum eſt conſuetudini locorum receptæ, licet alii contrarium ſentiant; dicentes Sacerdotem præciſa quacunque conſuetudine, poſſe illis diebus celebrare: nam conſuetudo ſicut poteſt leges abrogare, ita etiam inducere, ſed hoc non videtur verum. præciſa conſuetudine ligitimè recepta, licitum eſt tamen in ſabato ſancto privatim celebrare ad communicandum infirmum ſi Sacerdos careat hoſtiis ad communicādum infirmum in articulo mortis exiſtentem.

17 Omittens communionem in Paſchate nullam incurrit cenſuram ipſo facto, ſed interdicendum eſt ingreſſu Eccleſiæ, & privandus Eccleſiaſtica ſepultura, ut habetur in capite *omnis utriuſque ſexus de pœnitentia, & remiſſione*.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

Quid ſit Miſſa quoad nomen, & Eſſentiam, & quænam ſint partes Eſſentiales Sacrificii Miſſæ. Cap 68.

1 NOmine Miſſæ intelligitur actio ſacra, qua conficitur Chriſti corpus, quod Deo in miſſa offertur, & à Sacerdote ſumitur per communionem: miſſa à Latinis dicitur, quia per conſecrationem Chriſtus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem ac ſumptionem à nobis remittitur ad patrem à Græcis: dicitur publicum munus, miniſterium ſacrificii: ab Hebræis Micha, ideſt oblatio.

2 Miſſa eſt ſacrificium, quia in ea continetur conſecratio, conſumptio, & oblatio, quæ omnia ſpectant ad eſſentiam ſacrificii: in miſſa repræſentatur ſacrificium, quo Chriſtus ſe ipſum Deo obtulit in Cruce moriendo.

3 Miſſæ Sacrificium eſt ceremonia ſacra: quia res aliqua ſacratur, aliquo modo conſumitur, & ſoli Deo offertur in ipſius cultum; dicitur ceremonia, ſeu actio ſacra, quia ſacrificium non eſt res ipſa, quæ offertur, ſed potius conſiſtit in actione circa rem oblatam, dicitur ſacra, quia verſatur circa rem ſacram, quæ offertur, dicitur, quia res aliqua ſacratur, & conſumitur aliquo modo, ad ſignificandum ſacrificium miſſæ in his tribus actionibus conſiſtere, ſcilicet in Conſecratione, conſumptione, & oblatione, dicitur in ipſius cultum, & recognitionem: quia ratio formalis ſacrificii in hoc conſiſtit, ut per ipſum Deus colatur, & recognoſcatur.

4 Miſſa quoad ſubſtantiam inſtituta fuit à Chriſto: Chriſtus enim in ultima Cœna ſacrificium obtulit: & præceptum de ſacrificando dedit: quoad ceremonias verò inſtituta fuit ab Eccleſia, ex *Trid. Conc. ſeſſ. 22.*

5 Partes eſſentiales ſacrificii miſſæ ſunt Conſecratio, oblatio, & conſumptio: conſecratio ſolum fit à Sacerdote in perſona Chriſti, quando dicit, Hoc eſt corpus meum, & propterea eſt de eſſentia, ſicut oblatio, quia non cenſetur ſacrificium donec res offeratur; nam ſi Sacerdos pereat facta conſecratione, tenetur alius Sacerdos offerre, & ſumere, ut integrum fiat ſacrificium, & ſic ſumptio, & conſumatio eſt etiam de eſſentia: quia de ratione hujus ſacrificii eſt, ut ſi repræſentatio Paſſionis Chriſti juxta illud, hoc facite in meam commemorationem, non autem repræſentatur paſſio, & mors Chriſti, niſi adſit conſumptio, ut colligitur ex *Corinthiorum 11.* quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

6 Sacrificium non fit, quando Sacerdos oſtendit populo hoſtiam pridie conſecratam, nec ipſe aliam conſecrat, quamvis eam frangat, & ſumat, deficit enim conſecratio, quæ eſt pars eſſentialis, nec in feria ſexta Paraſceves fit propriè ſacrificium, cum non adſit nova hoſtiæ conſecratio, fit autem ſacrificium, quando unus Sacerdos perficit miſſam inchoatam ab altero, qui periit poſt conſecrationem, fit etiam ſacrificium, quando ſacerdos hoſtiam, quam in miſſa conſecravit, reponit in ſacrario, & ipſe ſumit hoſtiam ab alio conſecratam.

7 Non cenſetur ſacrificium donec res offeratur: duplex autem oblatio contingit in miſſa. Prima quando offertur panis, ut fiat corpus Chriſti: Secunda quando poſt conſecrationem offertur ipſum Chriſti corpus: prima oblatio ordinatur ad ſecundam tanquam ad eam, quæ eſt de eſſentia, & propterea particulæ, quæ ad altare deferuntur pro communione laicorum debent in altari adeſſe ante primum offertorium.

8 Non

Digitized by Google

8 Non datur fructus & effectus ſacrificii ex opere operato, niſi facta ſumptione: non tamen requiri videtur ad eſſentiam ſacrificii ſumptio, & conſecratio utriuſque ſpeciei: nam ſacrificium Chriſti cruentum repræſentari poteſt per alteram tantum ſpecie.

Quos Effectus pariat Miſſæ ſacrificium, & ejus effectus, & valor ſit finitus, aut infinitus. Cap. 69.

1 TRes ſunt effectus ſacrificii miſſæ. Primus eſt conferre gratiam, & remittere peccata. Secundus eſt impetrare bona, quæ petimus. Tertius eſt, ſatisfacere pro peccatis.

2 Quia confert gratiam ſacrificium miſſæ, remittit peccata, ideò dicitur ſacrificium propitiatorium: qui effectus certus eſt apud fideles, ex *Concil. Trid. ſeſſ. 22. can. 2.* ubi de effectu hujus ſacramenti loquitur in hæc verba, hujus quippe ſacrificii oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit, non autem confert primam gratiam, & remiſſionem peccatorum per ſe, & immediatè: quia ſequeretur confeſſionem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad tollendum peccatum mortale omiſſum poſt baptiſmum; ſed aliquo modo, & mediatè confert primam gratiam, quatenus ſcilicet Deus, intuitu ſacrificii tribuit auxilium ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale: hoc autem auxilium licet aliqui exiſtiment eſſe efficacem, tamen cum aliis aſſero, eſſe tantummodo ſufficientem; quia experientia conſtat peccatorem, pro quo ſacrificium offertur, aliquando non converti, neque ſpecialiter moveri ad converſionem: & quia ſicut ſufficit, ut auxilia, quæ conferuntur à Sacramento, ſint ſufficientia, ita ſufficit, ut ſufficientia ſint auxilia, quæ per ſacrificium obtinentur: cui opinioni licet aſſentiar, non nego tamen auxilia eſſe efficacia reſpectu eorum, qui actualiter convertuntur, & contritionis actum eliciunt.

3 Sacrificium miſſæ remittit peccata venialia mediatè, quatenus confert ſpeciale auxilium ad eliciendum perfectum amoris, vel doloris actum, per quem remittuntur peccata venialia, & propterea homo attritus, cui miſſæ ſacrificium applicatur, non iuſtificatur, niſi contritionis actum eliciat, ad quem eliciendum confertur ſpeciale auxilium per ſacrificium.

4 Eccleſia conſuevit in hoc ſacrificio pro neceſſitatibus, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus orare, quamvis temporalia non obtineantur, aut non ſtatim, & petuntur ſub implicita conditione, ſi conducant ſaluti, tamen ſacrificium tribuit magnam vim orationi, eamque magis dignam efficit, ut exaudiatur, habetque ſuum effectum ex opere operato.

5 Primarius miſſæ effectus eſt ſatisfacere pro peccatis: & ideò dicitur ſacrificium ſatisfactorium, quia poteſt ad remittendam pœnam peccatorum, ut patet *ex 2. Machabæorum 12.* ubi dicitur ſancta: ergo & ſalubris eſt cogitatio offerre ſacrificium pro defunctis, & exorare, ut à peccatis ſolvantur, ideſt ut ſolvantur à pœnis peccatorum, cum defunctis non remittatur culpa ſaltem mortalis, ſed pœna ex Tridentino, ubi habetur, hoc ſacrificium offerri pro vivorum peccatis, & pœnis.

6 Patet igitur miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium, qui ſunt tres effectus ſacrificii miſſæ.

7 Valor infinitus dupliciter dicitur, intenſivè, & extenſivè: valor infinitus intenſivè eſt, qui parit effectum infinitum, infinitus extenſivè verò eſt, qui non tot prodeſt, quin poſſet prodeſſe pluribus.

8 Miſſæ fructus, & valor triplex eſt. Primus dicitur generalis, quem Eccleſia intendit applicari omnibus fidelibus vivis, & defunctis cujuſcunque conditionis, & in quocunque loco ſint: quem fructum quiſque recipit majorem, aut minorem juxta Chriſti determinationem, intentionem Eccleſiæ & propriam uniuſcujuſque cooperationem ad ſacrificium: quanta autem unicuique portio contingat, Deus novit; illud tamen conſtat unumquemque plus gratiæ recipere, quo plures habet titulos ad majorem portionem recipiendum. Secundus eſt ſpecialis, quem alii ſpecialiſſimum vocant, & eſt proprius ipſius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos non tenetur, nec etiam poteſt alteri applicare. Tertius eſt medius, quem alii appellant ſpecialem, hic competit iis, pro quibus Sacerdos intendit ſacrificium ſpecaliter offerre, & applicare juxta praxim Eccleſiæ; quæ ſacrificium

modò

modò pro uno, modò pro alio ſpecialiter offerre conſuevit.

9 Valor ſacrificii, quatenus offertur à Sacerdote non eſt infinitus intenſivè, ſive ſacrificium ſpectetur juxta valorem generalem, ſive medium, ſive ſpecialem; quia Sacrificium eſt inſtrumentum, quo nobis applicant merita paſſionis Chriſti, ſed inſtrumentum non habet tantum valorem, quantum habet ipſa paſſio Chriſti, Paſſio autem Chriſti habuit valorem infinitum; ergo ſacrificium miſſæ non habet valorem infinitum; Inſuper Sacramentum Euchariſtiæ confert ſuſcipienti effectum finitum, quamvis contineat Chriſtum gratiæ auctorem, ergo etiam miſſæ ſacrificium confert effectum finitum.

10 Dictum eſt, quatenus offertur à Sacerdote, nam ſi miſſæ ſacrificium conſideretur, quatenus continet Chriſtum, certum eſt eſſe infiniti valoris & propterea in Sacramento Euchariſtiæ duo conſiderantur. Primum eſt res contenta in Sacramento Euchariſtiæ, quæ eſt Chriſtus, qui eſt valoris infiniti. Secundum ſunt actus ſacrificii, qui fiunt à ſacerdote, & non habent valorem infinitum intenſivè, ita ut infinitum effectum pariant, ſed habent determinatum terminum, & gradum, & quàvis fortè ſit major gradus reſpectu magis diſpoſiti, quàm reſpectu minus diſpoſiti, tamen in magis diſpoſito eſt terminus, & gradus determinatus, nec propterea hoſtia, quæ offertur in hoc ſacrificio, ſit Chriſtus, & Chriſtus ſit infiniti valoris, dicendum eſt ſacrificium eſſe infiniti valoris, quia verum eſt eſſe infiniti valoris, quoad rem oblatam, quæ eſt Chriſtus, non verò ſi ſacrificium conſideretur, quatenus conſiſtit in conſecratione, oblatione, & ſumptione, quæ fiunt à Sacerdote.

11 Valor generalis ſacrificii miſſæ eſt infinitus extenſivè, & conſequenter non tot prodeſt, quin poſſit prodeſſe pluribus: quia in memento miſſæ non eſt determinatus numerus cogitandorum, ergo ſignum eſt ſacrificium miſſæ applicari poſſe pluribus, & pluribus in infinitum, conſequenter eſſe valoris infiniti extenſivè; verùm qui curat ſibi ſacrificium applicari particeps ſit non ſolum fructus generaliſſimi, quem communiter percipiunt alii, quorum ſit mentio, verum etiam medii, quem percipit iis, pro quo Sacerdos ſolet ſpecialiter offerri, unde habet plus meriti, quàm qui non dedit Eleemoſinam, nec curavit pro ſe miſſam ſpecialiter offerri.

12 Valor ſacrificii, qui medius nuncupatur, eſt finitus, conſequenter effectus ſacrificii quoad meritum, & ſatisfactionem, ſeu fructum reſpondentem oblationum Sacerdotis, ut ſic, quem fructum Sacerdos poteſt pro aliis offerre, finitus eſt, & limitatus, quia valor ſpecialis, qui ſpeciali modo competit ſacerdoti, finitus eſt, ergo etiam videtur finitus valor reſpondens oblationi, ut ſic, qui ſpecialiter alteri offertur à Sacerdote, & quia valor miſſæ non excedit terminos à Chriſto præſcriptos, Chriſtus autem non præſcripſit ſacrificio valorem infinitum, ſed finitum; ut patet ex praxi Eccleſiæ, quæ offerre conſuevit multas miſſas ad eandem rem obtinendam, conſequenter ſatis indicant valorem miſſę eſſe finitum.

13 Sacrificium non communicatur per modum ſpiritus, cum ſpiritus ſit indiviſibilis, & conſequenter non poſſit per partes communicari: effectus verò ſacrificii eſt aliquid diviſibile, ſicut eſt gratia, & charitas, quæ habent Latitudinem, conſequenter poteſt per partes communicari, ita ut non æquè proſit pluribus, ac uni, ſi pluribus applicetur; ſicut falſum eſt dicere miſſam ita prodeſſe illis, quibus non applicatur, ac illis, pro quibus ex intentione miniſtri offertur, ita miſſæ Sacrificium minus prodeſt ſingulis, ſi pro multis offeratur, quàm ſi pro paucis, nam res finita, & limitata quanto magis dividitur, tanto minus unicuique contingit.

14 Effectus ſacrificii quoad meritum, & ſatisfactionem, ſeu fructum reſpondentem oblationi Sacerdotis, ut ſic finitus eſt, nam ſi ſpectemus, quoad Impetrationem præciſo merito, & ſatisfactionem jam dicta, dicendum erit, eſſe valoris infiniti ſecundum ſe, quatenus Deus intuitu ſacrificii poteſt plura, & plura bona concedere, non tam uni, quàm pluribus, cum impetratio innitatur ſolum divinæ miſericordiæ, & reſpiciat meram Dei liberalitatem, & hac ratione ſacrificium pro pluribus oblatum habet virtutem impetrandi quodlibet beneficium, tam in ſingulis, q̄ ãm in uno, quamvis in actu exercito, & re ipſa fieri poſſit, ut non tantum pluribus, quantum uni impetret, cum ſit aliquando efficacius ad impetran-

petran-

petrandum, quod petitur pro uno, quàm quod petitur pro pluribus.

15 Sacrificium magis prodeſt vivis, quàm defunctis, non ſolum quatenus vivis prodeſt ad ſatisfactionem impetrationem, & propitiationem: defunctis verò ſolum ad ſatisfactionem, verùm etiam quatenus viventes ſimul cùm Sacerdote concurrunt ab oblationem, & ſacrificium.

16 Valor miſſæ ut ſacrificium eſt, eſt ex opere operato: quia Sacramenta novæ legis habent effectum ex opere operato: ergo etiam ſacrificium: quia valor ſacrificii confertur ultra meritum, & diſpoſitionem noſtram; ex opere operato dixi, ut ſacrificium, quia ſi miſſa conſideretur quatenus includit preces, & orationes, dicendum eſt, valorem miſſæ reſpondentem precibus, & orationibus eſſe ex opere operantis, quia confertur juxta merita, & diſpoſitionem recipientis.

17 Effectus ſacrificii miſſæ licèt creſcat in actu ſecundo ob majorem illorum, quibus, offertur diſpoſitionem, non tamen hinc ſequitur effectum ſacrificii non eſſe ex opere operato; ſacrificium autem prodeſt omnibus fidelibus: quia Eccleſia ſemper intendit miſſæ ſacrificio prodeſſe omnibus ipſius Eccleſiæ membris: non tamen omnes fideles æqualiter participant fructum ſacrificii: ſed inæqualiter juxta majorem diſpoſitionem illius, cui offertur: & juxta majorem, vel minorem cooperationem ad ſacrificium, ut ſupra dictum eſt: unde cum abſentes non offerant ſacrificium, ſequitur ipſos non percipere tantum fructum, quantum percipiunt præſentes, aut alii qui cum Sacerdote intendunt offerre; prodeſt autem omnibus ex opere operato, doctores enim communiter triplicem aſſignant ſacrificii valorem, & fructum, generalem ſcilicet, ſpecialem, & medium: generalem autem dicunt applicari, & prodeſſe omnibus Eccleſię membris. Sicut ergo miſſæ ſacrificium quoad valorem medium prodeſt ex opere operato iis, quorum fit mentio: ita etiam quoad valorem generalem videtur ex opere operato prodeſſe toti Eccleſiæ, cujus fit mentio in Canone juxta proportionem: quam Deus novit, quia prodeſt ultra meritum, & diſpoſitionem fidelium: ergo prodeſt ex opere operato.

De ſubjecto pro quo poteſt offerri, & applicari Miſſæ Sacrificium. Cap. 70.

1 Miſſæ ſacrificium prodeſt, & applicari debet fidelibus in hac vita degentibus, ſivè juſti ſint, ſivè peccatores nam fideles in hac vita degentes ſunt capaces fructus ſacrificii: ergo illis prodeſt & applicari debet, & in canone miſſę fit mentio Eccleſiæ; Eccleſia autem nihil aliud eſt, quam congregatio fidelium; hoc tamen intelligendum eſt de fidelibus non excommunicatis, pro quibus ſacrificium non eſt offerendum, qui hoc vetitum eſt ab Eccleſia; non autem Sacerdos poteſt aliquem fidelem excludere à miſſæ ſacrificio: quia non licet aliquem excludere à communibus orationibus, & bonis.

2 Miſſæ ſacrificium poteſt offerri pro Infidelibus, & paganis, ut convertantur, nam *ex Con. Trid.* univerſaliter dicitur; hoc ſacrificium eſſe pro omnibus neceſſitatibus, hæc autem eſt maxima neceſſitas: & in Die Paraſceves fit oratio pro ipſis, & prò Cathecumenis: & ſacrificium Crucis oblatum eſt prò omnibus, etiam infidelibus: quando autem illi, cui applicatus fuit ſacrificii fructus non profuit propter obicem peccati, vel excommunicationis, obice ſublato, nequaquam prodeſt: quia gratis aſſeritur illi prodeſſe; tum quia ſacrificium oblatum pro juſto tunc temporis non indigente ſatisfactione non ſuſpenditur, nec conſervatur donec indiguerit: ergo multo minus ſuſpenditur, vel conſervatur pro peccatore.

3 Miſsæ ſacrificium prodeſt defunctis exiſtentibus in purgatorio & ex uſu Eccleſiæ, quæ pro defunctis offerre conſuevit miſſæ ſacrificium; & ipſorum facere memoriam in miſſæ ſacrificio, & *ex Con. Trid. ſeſſ. 22 cap. 2 can 3* & ex ordinatione Sacerdotali, in qua dicitur: accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis, & defunctis, ergo ſacrificium prodeſt defunctis.

4 Beatis non prodeſt ſacrificium, niſi quatenus per ipſum coluntur, & honorantur, & propterea dicuntur miſsæ de ſancto, ut invocetur, colatur, & honoretur ſpecialiter, & ad gaudium quoddam accidentale, quatenus ſanctus gaudet honore qui in ſui memoriam Deo exhibetur, ob id in aſſertorio Romano dicitur, ut illis proficiat ad honorem, & gloriam.

5 Damnatis in inferno exiſtentibus non prodeſt miſſæ ſacrificium, quia in inferno nulla eſt redemptio: ex quo colligi poteſt, ſacrificium non eſſe offerendum pro eo, quem conſtaret mortuum eſſe in notorio peccato mortali: nec prodeſſe parvulis hac vita cum ſolo originali decedentibus.

6 Parvulis morientibus poſt baptiſmum, ſi decedant ante rationis uſum, non prodeſt miſſæ Sacrificium: quia ſtatim evolant in cœlum, & beatitudinem conſequuntur: beatis autem in cœlo degentibus non prodeſt miſſæ ſacrificium, ut ſupra dictum eſt: non nego tamen, quin miſſæ poſſint celebrari, quando parvuli ſepeliuntur: non enim pro parvulis offeruntur; ſed pro aliis in igne purgatorii detentis.

7 Verùm cui proſit fructus ſatisfactorius ſacrificii, quem quis applicavit defuncto incapaci, utpotè apud inferos exiſtenti; puto prodeſſe ipſimet ſacrificanti, ſi indigeat, & intentionem habeat applicandi ſibi hujuſmodi fructum in defectum alterius; ipſe enim eſt capax fructus, & poteſt illum ſibi applicare, ſi verò non indigeat, aut non intendat ſibi applicare, puto reponi in Theſauro Eccleſiæ.

8 In poteſtate Sacerdotis eſt applicare ſacrificium, cui vult uſque ad conſecrationem, quia illa eſt præcipua ſacrificii pars, quæ virtualiter etiam continet oblationem, tranſacta verò conſecratione, non poteſt ipſe præcipuum ſacrificii fructum applicare, quia in ipſius poteſtate non eſt ſuſpendere fructum ſacrificii, & propterea dicendum eſt, quando unus inchoavit, & alter perficit miſſam; ſi primus deficiat poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei, non poteſt alter Sacerdos illud miſſæ ſacrificium applicare: etiam ſi fortè primus nulli particulari applicaverit: ſi verò primus obiit ſtatim poſt conſecrationem hoſtiæ, valida erit applicatio poſterioris Sacerdotis; quamquam poſterior Sacerdos obligandus videtur ad applicandum ſacrificium illi, cui prior Sacerdos intendebat.

De Miniſtro à quo faciendum eſt Miſſæ Sacrificium, & de ejus obligatione. *Cap.* 71.

1 MIſſæ Sacrificium celebrandum eſt à Sacerdote, qui eſt miniſter conſecrationis, ut dictum eſt, qui debet habere intentionem celebrandi, ut dictum eſt, debet habere fidem, & gratiam, cum ſit miniſter conſecratus, & deputatus ad hoc.

2 Sacrificium oblatum à Sacerdote in peccato mortali prodeſt, & habet ſuum fructum, quatenus nomine Chriſti, & Eccleſiæ offertur, quia in *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. dicitur, eſſe mundam oblationem quæ nulla indignitate, & malitia offerentium inquinari poteſt, nam fructus, qui reſpondet ſacrificio ex inſtitutione Chriſti, & meritis Eccleſiæ, non poteſt impediri, vel minui per improbitatem Sacerdotis, cum hujuſmodi fructus conferatur ex opere operato, & non dependeat à diſpoſitione, ſeu probitate, vel improbitate Sacerdotis: ſi miſſa conſideretur, ut ſacrificium eſt: ſi verò Miſſa, ſeu ſacrificium conſideretur ſecundum merita ipſius Sacerdotis, minus valet, ſi offeratur ab improbo, quàm à probo, & juſto, nam Deus magis juſtos quàm improbos exaudit.

3 Miſſa mali Sacerdotis non prodeſt aliis ſecundum valorem reſpondentem precibus conſideratis, quatenus ſunt preces particularis perſonæ, ideſt Sacerdotis; ſi verò conſiderentur, quatenus Sacerdos repræſentat Eccleſiam, & offert nomine Eccleſiæ prodeſt.

4 Sacerdos, qui miſſæ ſtipendium accepit pro miſſæ celebratione, ſatisfacit miſſam celebrando in peccato mortali, nam applicat illum fructum, quem tenetur tanquam miniſter publicus applicare; quamvis non æqualiter valent; ſi conſideretur ſecundum preces dictas à Sacerdote, ut perſona particularis.

5 Miſſa mali Sacerdotis pro ſe offerentis non prodeſt ipſimet Sacerdoti: quia ponit obicem ad fructum ſacrificii, ſibique judicium manducat, & bibit.

6 Sacrificium factum ab Excommunicato non vitando prodeſt aliis fidelibus, quatenus fit nomine Chriſti, & in perſona Eccleſiæ: quæ tollerat excommunicatum, occultum, nec irritat ipſius acta: hic autem excommunicatus graviter peccat, ſe ſpontè ingerendo divinis: nam facit contra obligationem Cenſuræ in re gravi; dictum eſt autem ab excommunicato non vitando, nam ſi miſſæ ſacrificium fiat ab Excommunicato vitando non prodeſt quoad valorem, quem habet ſacrificium ex parte Eccleſiæ, quia Eccleſia non tollerat hujuſmodi

modi Sacerdotem, nec vult per ipſum orare; quoad valorem vero, quem habet ſacrificium ex virtute Chriſti, prodeſt etiam ſi fiat ab excommunicato vitando: nam hic valor, & fructus non impeditur per indignitatem miniſtri, cum ab ipſo non proveniat, ſed à Chriſto.

7 Ligatus excommunicatione occulta, vel ſuſpenſione vel Irregularitate, non ſolum prodeſt aliis celebrando; ſed etiam aliquando excuſatur à peccato, quoties alioquin incurreret gravem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud grave detrimentum non celebrando, vel non communicando, quia excommunicatus privatur celebratione, & ſumptione Sacramentorum ex præcepto Eccleſiæ; Eccleſia autem non videtur obligare cum tanto incommodo.

8 Probabilius eſt, Sacerdotem legitimè non impeditum, mortaliter peccare, ſi nunquam celebret toto anno, quia Chriſtus cum dixit Apoſtolis, hoc facite in meam commemorationem, videtur Sacerdotibus Miſſæ celebrationem præcepiſſe: & Pius V. ægre ferens opinionem Cajetani aſſerentis Sacerdotem nunquam celebrantem peccare ſolum venialiter, curavit in ultima Romana impreſſione operum Sancti Thomæ in opuſculis hanc opinionem corrigi,& deleri,dixi probabilius: nam multi Doctores opinantur, Sacerdotem ſimplicem, nullo detentum impedimento, non peccare mortaliter non celebrando, modo communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum,& contẽptus,& propterea ſimplex Sacerdos, ne in lethalem culpam incidat,debet aliquoties in anno celebrare,ſaltem diebus feſtis præcipuis, modo diebus feſtis Miſſam audiat, nec ullo jure conſtat ſimplicem Sacerdotem ſimpliciter teneri ſingulis omnino diebus feſtis præcipuis celebrare.

9 Simplex Sacerdos tenetur ſub mortali, ratione ſolius ordinis, in Diœceſi, & Provincia Mediolanenſi celebrare Miſſam ſingulis Dominicis, & feſtis ſolemnibus; niſi jure impediatur ex Decretis *Concil. Trid.* & Concilii noſtri Provincialis primi, quamvis Sacerdotes non celebrantes Dominicis, & feſtis ſolemnibus non peccant graviter, antequam præceptum illis injungatur ab Epiſcopis: ſed poſtquam præceptum celebrandi acceperunt,tenebuntur ſub mortali,ſingulis Dominicis, & diebus feſtis celebrare. Exiſtimo tamen ſimplicem Sacerdotem,qui ſingulis annis ſex, aut ſeptem diebus feſtis miſſę ſacrum non facit,excuſari poſſe à peccato mortali: quia præceptum non videtur uſu receptum cum tanto rigore. Ita cenſuit congregatio Pœnitentiariæ Mediolanenſis me præſente,& ita cõſulente.

10 Sacerdotes curam animarum habentes tenentur per ſe, vel per alios celebrare ſingulis ſaltem diebus, quibus opus eſt, ut ſatisfaciant muneri ſuo ex *Conc.Tr. ſeſſ.23.c.13.* ut autem muneri ſuo ſatisfaciant, præciſa alia obligatione,vel præcepto,tenentur celebrare ſaltem illis diebus, quibus populus tenetur miſſam audire,ex quo colligitur parochum nõ teneri ſingulis diebus celebrare niſi ſpecialem habeat obligationem: fieri tamen poteſt, ut parochus ſpeciali obligatione detineatur: aut particulari decreto Epiſcoporum obligetur ad certum miſſarũ numerum in hebdomada, ut eſt in Provincia,& Eccleſia mediolanenſi, in qua curati tenentur ſingulis hebdomadis in Eccleſia ſua parochiali miſſam celebrare, ſingulis Dominicis, & diebus feſtis, & tribus aliis diebus ferialibus, niſi propter inopiam ſpecialem obtinuerint ab Epiſc diſpenſationem, ſi verò major obligatio contineatur in fundatione parochiæ, illi omninò Parochus tenetur ſatisfacere.

11 Omiſſis opinionibus, quæ hinc inde aſſeruntur circa quæſtionem utrum Parochus in provincia mediolanenſi teneatur ſuis ovibus ſacrificium applicare diebus Dominicis, & feſtis, aliiſque tribus ferialibus, ego exiſtimo Parochum teneri miſſæ ſacrum ſuis ovibus applicare juxta viri prudentis arbitrium:ſic enim colligi videtur *ex Trid. loc. cit.* ubi indefinitè dicitur, parochum teneri Sacrificium pro ſuis ovibus offerre: & cum non teneatur ſingulis feſtis, aut ferialibus offerre, dicendum eſt teneri ſaltem juxta prudentis viri judicium: vir autem prudens, meo judicio, judicabit Parochum, præciſa alia conſtitutione, teneri in præcipuis ſolemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut ſemel ſaltem in hebdomada ſacrificium ſuo populo applicare: ſic enim mihi dictare videtur æquitas, & recta ratio poſita obligatione parochi, & indigentia populi.

12 Capellanus tenetur juxta inſtitutionem capellaniæ, & intentionem fundatoris miſſas celebrare, unde ſi capellania

inſtituta ſit ad celebrãdum quotidie, tenetur quotidie ſub mortali celebrare, niſi juſta de cauſa, vel ob legitimum impedimentum miſſæ ſacrum prætermittat, quia aliter faceret cõtra inſtitutionem capellaniæ, & cõtra conventionem, & defraudaret inſtitutoris mẽtem, dixi niſi juſta de cauſa omitteret; nam fieri poteſt, ut capellanus aliquando ſacrum omittat abſque peccato, & eſt ob infirmitatem, ob gravia negotia, aut ob honeſtatem, & decentiam; nam onus celebrandi quotidie intelligitur ſalva honeſtate, decentia, & devotione debita, unde uſu receptum eſt, ut Sacerdos, qui tenetur onere capellaniæ quotidianæ, poſſit ſemel in hebdomada ratione honeſtatis ſacrum prætermittere.

13 Hæc regula generalis colligitur, nempe Sacerdotem peccare, qui per ſe ipſum, vel per alium non celebrat miſſas quot, & quales, & quo in loco, vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, niſi aliud conſtet ex interpretativa voluntate fundatoris, vel niſi aliud honeſtas ſuadeat, & debita devotio, facit enim contra voluntatem fundatoris, & contra obligationem, cui ſe ſubjecit.

Explicantur particulæ ſcilicet per ſe ipſum quot, quale, in loco, & tempore. Cap. 72.

1 CApellanus, qui tenetur miſſas celebrare poteſt per alium ſupplere, quoties non conſtat fundatorem obligare capellanum per ſe ipſum, non per alium celebrare, qui capellanus, ſi nondum eſſet ſacerdos, & aliquibus annis poſſediſſet capellaniam, ſed per alium ſatisfeciſſet, peccavit recipiendo beneficium, cujus onus non poterat ipſe perſolvere, nam fecit contra intentionem fundatoris: immo ſi fuiſſet adjuncta pæna privationis contra capellanum per ſe ipſum non celebrantem poſſet per judicem privari: non tamen videtur obligandus ad reſtitutionem: quia tantum exhibuit per alium, quantum per ſe ipſum exhibuiſſet, ſi vero capellanus ter, vel quater in hebdomada celebrare tenetur, & in aliqua hebdomada impeditus, non poteſt ſatisfacere, poteſt in aliud tempus differre, dummodo fundator citiſſime ſacrificia perſolvere non exigeret: quia tunc per alium in hebdomada voluntatem teſtatoris poteſt adimplere; quæ tanquam lex habenda eſt, & modis omnibus adimplenda, quantum fieri poteſt, ſacerdos etiam poteſt celebrare miſſas; quas Titius celebrare tenetur, vel curare celebrandas, & applicare pro obligatione, quam Titius habet: & ſic dicere Titio, ſe celebraſſe pro onere, quod ipſi incumbebat: & poterit recipere eleemoſynam celebranti debitam, modo non intenderit gratis celebrare.

2 Sacerdos qui ex fundatione, aut alia de cauſa tenetur uni ſacrificium offerre, nullo juſto titulo poteſt novum recipere ſtipendium, non enim poteſt illud recipere pro ſacrificio, ſive ſit finiti, ſive infiniti valoris: cum temporale accipi non poſſit abſque ſimoniæ labe pro re ſpirituali: neque poteſt recipere pro ſuſtentatione, cum tantam ab alio ſtipem ad ſuſtentationem acceperit, quantam exiguus unius ſemihoræ labor poſtulat. Immo ſacrificium non eſt inſtitutum ad alendum Sacerdotem, cum ex uſu, & præſcripto Eccleſiæ nullus ad Sacerdotalem ordinem promoveri poſſit, niſi aliunde habeat, quo ſe congrue valeat ſuſtentare: tum quia ſicut exceſſus pretii in contractibus redolet inæqualitatem, & injuſtitiam; Ita exceſſus ſtipendii ſupra taxam lege, vel conſuetudine præſcriptam, æqualitati, & juſtitiæ adverſatur, niſi ultro, ſponte, & libere tradetur,

3 Non ſunt tuti in conſcientia, qui plures à pluribus colligunt ſtipes: illiſque unico miſſæ ſacrificio ſatisfacere arbitrantur, nec excuſantur, qui accepta ſtipe cum promiſſione ſæpius applicandi miſſæ ſacrificium, unica miſſa intendunt ſatisfacere; quia faciunt contra fidem datam, & contra voluntatem offerentium eleemoſynam; & quia miſſarum reductio non poteſt fieri privata auctoritate, *ex Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 4. Nec effugiunt gravem culpam, qui accepta eleemoſyna pro miſſæ celebratione non applicant ſacrificium: ſed tantummodo collectam, & orationes: ſecus dicendum de Sacerdote, qui cum alio titulo teneatur offerre ſacrificium: offerendi novam eleemoſynam oſtendit, ſe jam teneri miſſæ valorem alteri applicare: ſeque pro eo collectam recitaturum, vel in memento ſpecialiter rogaturum: volenti enim, & ſcienti non fit injuria; modo qui novam offert eleemoſynam non teneatur ex legato, aut alia obligatione ad miſſæ celebrationem, hæres enim tenetur voluntatem teſtatoris adimplere.

Digitized by Google

4 Cappellani, qui onere miſſæ quotidianæ detinentur, non ſatisfaciunt oneri ſuo illis diebus, quibus cauſa univerſariorum, vel aliarum miſſarum alio ſe conferunt ad celebrandum, & miſſam applicant iis pro quibus univerſaria, aut aliæ miſſæ celebrantur: ſi verò miſſam applicent fundatoribus ſuæ capellaniæ non videntur graviter peccare, ſi rarò hoc faciant, & non defraudent eas, à quibus ad officium ſuum miſſa pro mortuis accerſiti ſunt.

5 Qui plures eleemoſynas à pluribus collegit, illiſque unicum miſſæ ſacrificium applicavit, tenetur ſub mortali ad reſtitutionem miſſarum non celebratarum, quamvis ratione modicæ pecuniæ non teneatur ſub mortali reſtituere, tenetur tamen ratione violatæ promiſſionis in re gravi.

* *Sententia, quæ docebat non eſſe contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; Neque etiam eſſe contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata dandi ſtipendium, quod pro nullo alio offeram; damnata fuit ab Alex. VII. anno 1665.*

6 Canonicus, aut alius Sacerdos, qui tenetur onere Miſſæ quotidianæ ratione capellaniæ, aut eleemoſynæ acceptæ non poteſt ſatisfacere oneri tam capellaniæ aut eleemoſynæ acceptæ, quam Canonicatus, dum cantat Miſſam, quam conventualem appellant, quia Canonicus tenetur miſſam applicare pro capituli obligatione: quando tamen non conſtat utrùm cantans Miſſam teneatur illam applicare, quia tunc Canonicus, ſive alius Miſſam, quam ſolemni ritu cantat in Eccleſia collegiata, poteſt ad libitum applicare.

7 Sacerdos, qui tenuem eleemoſynam accepit pro Miſſa, tenetur totum Miſſæ valorem applicare illi, à quo eleemoſynam accepit, ſaltem quando omninò voluntariæ contentus fuit illo ſtipendio, & expreſsè promiſit, ſe Miſſam celebraturum, quia tenetur ſtare promiſſis: promiſit autem Miſſæ valorem, & non partem tantum; ſecus ſi tantum promiſit, ſe rogaturum: tunc enim ſatisfaciet promiſſioni rogando.

8 Miſſas reducere, & ad minorem numerum revocare pertinet ad Epiſcopum, in ſynodo dioceſana, & ad generales ordinum in capitulis generalibus, propterea quando ſtipendium eſt exiguum, habita ratione oneris Miſſarum, Epiſcopus poteſt numerum Miſſarum minuere conſtituta debita eleemoſyna *ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 4.* Non tamen poteſt Epiſcopus ex vi Tridentini Miſſas re viſitas in fundatione alicujus beneficii reducere ad minorem numerum Miſſarum, quia Concilium loqui videtur de Miſſis ex defunctorum diſpoſitione relictis; & ita ſenſit Cardinalium congregatio; quæ etiam declaravit reductionem fieri poſſe de Miſſis poſt Tridentinum relictis; ad reductionem autem Miſſarum neceſſaria eſt juſta cauſa, nam voluntas teſtatoris non poteſt abſque juſta cauſa violari.

9 Qui verò obtinet capellaniam, de cuius fundatione nullo modo conſtat, cum nulla reperiatur ſcriptura, ſed ſolum conſtat ipſum capellanũ teneri quotidie celebrare in tali Eccleſia, vel in tali altari, tenetur Miſſę valorem applicare pro fundatore capellæ quia fundator cenſetur voluiſſe ſibi conſulere omni meliori modo: quoties autem dubitatur de voluntate teſtatoris, præſumendum eſt; quod veriſimilius, & quod ipſe interrogatus reſponderet: teſtator autem de hac re interrogatus reſponderet, velle ſibi Miſſæ valorem applicari; cum agatur de ſalute animæ, de qua pręſumendum eſt, unumquemque curam habere: & quia Capellanię ſolent inſtitui cum onere applicandi miſſę ſacrificium pro fundatore; ergo etiam in propoſito caſu pręſumitur Capellania hoc modò inſtituta, cum fortiſſima præſumptio deſumatur ex conſuetis, & communibus accidentibus.

10 Capellanus tenetur miſſæ ſacrificium applicare fundatori, niſi de re conſtet teſtatorem in inſtitutione capellaniæ reſpexiſſe ſolum Eccleſiæ, vel altaris cultum, & venerationem, quia clarè conſtat de voluntate teſtatoris: quando aliter non conſtat in contrarium.

11 Sacerdos tenetur Miſſæ valorem applicare juxta intentionem illius, qui tradidit eleemoſynam, & ſimpliciter petiit Miſſam pro ſe, vel pro defunctis, vel pro alia neceſſitate: quia petens miſſam non cenſetur petere partem fructus, vel integrum fructum pro ſe, vel pro ſuis, nam appellatione rei omnis ejus pars continetur, nec ullus præſumitur juri ſuo cedere, niſi hoc exprimat.

12 Sacerdos, qui eo die, quo liber eſt, ſemel in hebdomada Miſſam intermittere non poteſt alibi, aut pro alio celebrare, niſi priùs aliquem in ſui locum ſubrogaverit,

& ſic nec Capellanus, qui titulo Capellaniæ tenetur quotidie celebrare, non poteſt uno die in hebdomada, accepta ab aliis ſtipite, celebrare in eadem Eccleſia: & ſacrificium applicare tradenti ſtipem: vel in alia capella: niſi fortè oneri Capellaniæ ſatisfaciat, & diei per alium Sacerdotem non enim poteſt duplicem ſtipem accipere ſed unam.

13 Pro declaratione majori de libertate non celebrandi ſemel in hebdomada dico obligatio, ſeu onus celebrandi Miſſas quotidiæ ſi ſalva reverentia debita Sacramento, & honeſtas, & decentia poſtulet, ut aliquando Miſſæ ſacrum prætermittatur, ſequitur potuiſſe legitimè introduci conſuetudinem prætermittendi ſacrificium aliquoties, ita exigente honeſtate: honeſtas autem, & decentia non poſtulat, ut Sacerdos, cui onus incumbit quotidianæ celebrationis, & applicationis, applicet alteri Miſſam eo die, quo poteſt miſſæ ſacrum, ex honeſtate intermittere: proptereà ſuppoſito quod velit celebrare debet miſſæ ſacrum juxta Capellaniæ inſtitutionem applicare.

14 Circa verò dubium ſi frequentem Miſſæ Celebrationem velit ſemel in hebdomada titulo honeſtatis, aut alia cauſa intermittere, teneatur per alium eo die ſupplere, dico teneri per alium ſupplere ſi in fundatione Capellaniæ non fuit electa perſona, ſed ſolùm habita fuit ratio loci, aut Miſſę celebrandæ, ut accidit, quando in fundatione dicitur. Volo Miſſam quotidie celebrari in tali altari: vel ſi dicatur obligo hęredem, vel Sacerdotem ad providendum de miſſæ ſacrificio: vel ſi dicatur Capellanus quotidie celebret per ſe vel providet per alium. Cum enim fundator non habuerit intentionem obligandi Sacerdotem ad miſſam quotidiè per ſe ipſum faciendum, ſed intenderit quotidianam Miſſam, abſolutè dicendum eſt, Capellanum teneri quotidiè ad miſſam celebrandam per ſe, vel per alium, quia non accidit impedimentum ex parte loci, ut Sacerdos eximatur ab obligatione celebrandi; nec eſt recedendum à voluntate Teſtatoris vel Fundatoris, qui verbis perſpicuis, & claris indicat: ſi verò electa ſit perſona, ut ſi dicatur eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret: aut volo, ut Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidie celebret, non tenetur Capellanus, qui ſemel in hebdomada juxta de cauſa ſacrum intermittit, Miſſam per alium ſupplere; nam obligatio Miſſæ quotidianæ impoſita Sacerdoti, intelligitur ſalva decentia, & honeſtate, alioquin videretur injungi obligatio ad rem illicitam.

15 Quoties Sacerdos duplici obligatione tenetur, nec poteſt utrique ſatisfacere per ſe, vel per alium, ſatisfaciendum eſt priori; quia in hoc caſu valet illa regula, qui prior eſt tempore, potior eſt jure, unde prima obligatio celebrandi prævalet poſteriori.

16 Qui tribus promiſit tres miſſas, ſingulis ſingulas ſatisfacit, ſi ter celebrando applicet ſingulis tertiam partem, quia tantum tradit quantum promiſit, nam valor miſſæ eſt diviſibilis, & poteſt pluribus applicari, hoc tamen in praxi non conſulerem.

17 Qui celebrat miſſam ex ſua devotione conſulendus eſt, ut celebret miſſam, quæ unoquoque die præſcribitur in miſſali, par enim eſt, ut ſe accomodet rubricis, & ritibus Eccleſiæ; poteſt tamen alia miſſa perſolvi ab eo, qui pro ſuo arbitrio recitat miſſam privatam, niſi aliud ſuadeant circumſtantiæ: & in rigore non videtur ſub mortali latum præceptum dicendi miſſam de feria, aut de ſancto, ex quo patet differentia inter ritum, quo celebratur miſſa privata: & inter ritum, quo miſſa ſolemnis, & conventualis perſolvitur: nam miſſa conventualis videtur graviori cum onere celebranda juxta ritum in miſſali pręſcriptum.

* *Item in eodem Decreto habetur, quod Miſſæ, quæ fuerint indultæ certis perſonis nempè Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipuè addictis, à conſtantibus quovis dignitate etiam Cardinalatus inſignibus maximè celebrentur.*

18 Gravius peccat, qui non obſervat rubricas in miſſali præſcriptas, quam qui privata auctoritate addit, vel omittit preces in miſſæ ſacrificio: nam rubricæ in miſſali præſcriptæ ſervandæ ſunt ſub mortali juxta probabiliorem Doctorum opinionem, niſi aliter ferat conſuetudo.

19 Qui ex promiſſione, vel ex fundatione tenetur celebrare certas, & peculiares miſſas ſcilicet de Spiritu Sancto, de Beatiſſima Virgine, vel de Requiem, &c. licet infideliter agere videtur, ſi alias celebret

bret miſſas, quia non ſtat promiſſis, & fidem datam violat: tamen fieri poteſt, ut non delinquat, ſi aliam miſsam ex juſta cauſa celebret, qualis eſt, ſi in eumdem diem incidat ſolemnitas alicujus ſancti, de quo celebretur officium duplex, vel ſolemne; tunc enim videtur poſse miſſam illius diei celebrare, quia celebranda eſt miſsa de eo, de quo fit officium, & reprehenſibile eſt Sacerdotibus ad inſtantiam laicorum dimittere miſsas proprias propter peculiares ex devotione, nam ſervandus eſt ritus Eccleſiæ, & quiſque debet miſsali, & communi uſu ſe conformare, & licet miſsa de requiem, quam quis tenetur pro defuncto celebrare, magis proſit defuncto, quam alia, ſi miſsa conſideretur ſecundùm preces ab Eccleſia inſtitutas ad hunc finem, tamen ſi conſideretur, ut ſacrificium æqualiter prodeſt, & defectus miſsæ petitæ ſuppleri poteſt, & compenſari devotione, & interceſſione illius ſancti, cujus miſsa celebratur, & ſic Sacerdos eo die, quo currentem miſsam celebrat, non tenetur collectam, ſeu orationem pro mortuis, quam promiſerat adjungere.

20 Qui ſuſcepit onus celebrandi triginta miſsas S. Gregorii pro defunctis, non tenetur ſingulas de requiem celebrare, iis præſertim diebus, quibus officium ſolemniter celebratur, neceſse tamen non eſt illas non interumpere, cùm interruptio non tollat miſsarum effectum, & miſsæ obligatio celebrandæ intelligitur ſalva decentia, & honeſtate, honeſtas autem patitur, ut aliquando miſsa intermittatur.

21 Sacerdos licitè poteſt in qualibet Eccleſia, vel oratorio, modo ſit benedicta, vel benedictum miſsæ ſacrum facere: tamen aliquando non licet, ſcilicet quando ratione fundationis capellaniæ præſcripta eſt Eccleſia, vel oratorium: tunc enim ſtandum eſt voluntati fundatoris: vel rationem peculiaris prohibitionis, ut hic Mediolani in Concilio provinciali VII. tit. de ſocietatibus, extat peculiari prohibitio ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto contra celebrantes feria Quinta, & Sabbato hebdomadæ ſanctæ in Eccleſiis, & oratoriis confratrum: Sacerdotes autem huic pęnæ non ſunt ſubjecti ſi his præfatis diebus in oratoriis Confratrũ Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrent, non eſt etiam poteſt abſque peccato mortali celebrare in alia Eccleſia, ſeu altari, dum tenetur ex titulo, vel conventione in aliqua Eccleſia, ſeu altari celebrare, niſi hoc faciat ex juſta, vel rationabili cauſa; quia non adimplet voluntatem, & intentionem teſtatoris, etiam ſi Sacerdos hoc faciat de conſenſu hęredum, nam adimplenda eſt voluntas teſtatoris, cui nequeunt hæredes derogare. Secus dicendum, ſi hoc faciat legitimè impeditus, immo ſi Sacerdos legitimè impeditus, ita ut non poſſit in loco à teſtatore conſtituto celebrare, debet in alio loco celebrare; hæc enim cenſetur interpretativa voluntas teſtatoris, qui majorem utilitatem, percipit ex miſsa alicubi, quam nullibi celebrata, & ſic Epiſcopus poteſt aliquando ex juſta cauſa concedere, ut miſſa in Eccleſia, vel in alio altari celebretur.

22 Sacerdos, qui abſque juſta cauſa alibi contra voluntatem teſtatoris celebrat, licet graviter peccat, non tamen improbabile videtur, non teneri ad reſtitutionem: quia non privavit fundatorem fructu ſacrificii, ſicut qui ratione beneficii tenetur ſingulis annis certas quaſdam miſsas celebrare, licet graviter peccaverit eas hoc anno omittendo: nihilominus ſi anno ſequenti ſuppleat miſsas hoc anno prætermiſsas, non tenetur ad reſtitutionem fructuum, cum ſolvat debitum ad æqualitatem licet peccaverit in dilatione; ſic non videtur obligandus ad reſtitutionem Cappellanus, qui miſsam alibi celebravit, niſi fortè quatenus intereſt fundatoris miſsam alibi fuiſse celebratam cum ſcilicet in altari privilegiato, in quo tenebatur miſsæ ſacrum facere, quatenus putaverit, ſe privilegio Calculi, vel imaginis benedictæ erepturum è pœnis Purgatorii animam: hic enim violavit fidem datam cum detrimento alterius, cui magis prodeſt miſsa in altari privilegiato celebrata: quam proſit brevis aliqua oratio privilegio calculi, vel imaginis recitata.

23 Sacerdotes, qui ſunt notabiliter in mora celebrandi miſsas pro lis, à quibus, vel pro quibus ſtipendium acceperunt, peccant mortaliter, quia fieri poteſt ut dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum eſt miſsæ ſacrificium; fieri enim poteſt, ut tempus ſit elapſum ad obtinendum, quod intendebatur ab eo, qui tradidit eleemoſynam, vel tardius illud conſequatur, & qua propter cavere debent Sacerdotes, ne multa ſtipendia congerant pro multis miſſis ad longum tempus duraturis alioquin expone-

nerent ſe periculo defraudandi mentem tradentium eleemoſynas, & non perſolvendi miſſas tempore opportuno.

24 Sacerdotes non habentes eleemoſynas ſatisfaciunt miſſas anticipatè dicendo hac intentione, ut illarum miſſarum valorem applicent pro eo, qui poſteà ſibi tradet eleemoſynam, modò non intendanr effectum ſacrificii ſuſpendere ad illud uſque tempus,quo ſibi tradetur,eleemoſyna; non enim eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere effectum ſacrificii: quia ſacrificium ſuum habet effectum ex opere operato: nec Miniſter poteſt ſua intentione illud in futurum ſalvare; Sacerdos igitur, qui anticipatè celebrat Miſsas, & non ſuſpendit effectum ſacrificii, ſed ex tunc applicat ſacrificii valorem pro eo, qui dabit eleemoſynam, ſatisfacit, & poteſt accipere eleemoſynam pro Miſſa jam celebrata: quia fructus Sacrificii anticipatè celebrari poteſt certæ perſonæ tradituræ eleemoſynam, cum perſona ſit certa in mente Dei, & ſit capax fructus, ut ſuppono, & Sacerdos mentem ſuam dirigat in ipſam, & pro ipſa Miſſæ ſacrificium offerat, in praxi autem hujuſmodi conſuetudo non eſt approbanda, & tolleranda; qui facilè homines ſibi perſuaderent, Sacerdotem accipere ſtipendium, & non perſolvere onus, pro quo ſtipendium accepit.

25 Capellani, qui tenentur ſingulis hebdomadi aliquas Miſsas celebrare pro fundatore, vel pro aliquibus defunctis, ſatisfaciunt illas in hebdomada antecedente celebrando, qui non defraudat eum, cui applicandum eſt ſacrificium: quia is participat fructum ſacrificii, qui in ipſum dirigitur, & ordinatur, & citiùs proderunt defunctis illa ſacrificia, quam ſi dilata fuiſset in hebdomadam ſequentem, dummodò contrarium non exprimatur in fundatione Capellaniæ, ut ſi in fundatione Capellaniæ dicatur nulla hebdomada Miſsæ ſacrificia omninò prætermittantur: mens enim teſtatoris tanquam lex adimplenda eſt.

26 Capellanus, qui tenetur ex fundatione Capellæ quinquies in hebdomada celebrare ſatisfacit celebrando diebus ferialibus: quia non tenetur ultra fundatoris intentionem: intentio fundatoris autem eſt, ut Capellanus abſolutè celebret quinquies in hebdomada, ſive ergo celebret diebus ferialibus, ſive feſtivis revera dicitur quinquies celebrare in hebdomada, ſicque ſatisfacere ſuæ obligationi, & voluntati fundatoris: niſi aliter colligatur de mente fundatoris.

27 Capellanus, qui ex onere capellaniæ tenetur miſsam celebrare diebus Dominicis, & bis in hebdomada feſtis præcipuè diebus, tenetur miſsam illis diebus, qui ex Eccleſiæ præcepto, aut ex loci conſuetudine, aut ex voto coluntur à populo fideli celebrare: quia verba accipienda ſunt juxta communem loquendi modum; cum autem juxta communem loquendi modum illi cenſeantur dies feſti, qui ex Eccleſiæ præcepto, aut loci conſuetudine, aut ex voto celebrantur à fidelibus non verò illi officium duplex, vel ſemiduplex peragitur ſequitur teneri miſsam perſolvere illis diebus; qui ex Eccleſiæ præcepto, aut conſuetudine, aut voto coluntur à fidelibus.

28 Canonicus, qui ex devotione, aut onere capellaniæ celebrat in Eccleſia ſua collegiata tempore divinorum officiorum non debet cenſeri præſens divino officio, ita ut diſtributiones, & eleemoſynas, quæ ſolis præſentibus conferuntur, recipere valeat, nam præciſis privilegiis, ſeu facultate Pontificia, non cenſetur præſens, & conſequenter non poteſt percipere diſtributiones reſpondentes illius horæ, quæ in choro perſolvitur, dum ipſe miſsæ ſacrum facit, quia cum non cenſeatur intereſse Divino officio in choro, ſic diſtributiones non poteſt percipere, quæ conferuntur iis, qui Divino officio interſunt, & hoc verùm exiſtimo, etiam ſi tunc temporis celebret de ſuperioris conſenſu: nam ſuperior non poteſt diſpenſare in jure communi, modò ſit inferior Summo Pontifice, verum ſi alicubi ſpecialia extent privilegia, & decreta illa ſervanda ſunt: verùm in diœceſi, & provincia Mediolanenſi ſervandum eſt decretum Concilii Provincialis IV. titulo de diſtributionibus.

29 Canonici non poſsunt ex liberalitate canonicum, qui præciſis privilegiis celebravit tempore divinorum officiorum aut etiam per aliquos dies abfuit abſque neceſſitate, vel Eccleſiæ propriæ utilitate habere tanquam præſentem, ipſarumque participem diſtributionem efficere, ut patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 12. & quia Canonici non habent facultatem diſpenſandi in jure communi,quo cautum eſt, ne

Ca-

Canonici abſentes abſque neceſſitate, vel Eccleſiæ propriæ utilitate tamquam præſentes habeantur.

30 Sacerdos non poteſt bis in die celebrare ex communi Eccleſiæ conſuetudine; ratio, ſeu congruentia eſt, quia ſacerdos vix poteſt ſe dignè, & ſufficienter ad unum ſacrificium diſponere, licet ob extraordinariam neceſſitatem multi Doctores exiſtimant, ſacerdotem poſſe bis in die celebrare, modo ſit jejunus, nec ſe purificaverit in prima miſſa: neceſſitas autem & cauſa ſufficiens ad celebrandam ſecundam miſſam contingit, inquiunt Doctores, quando ſacerdos poſtquam ſe communicavit admonetur de neceſſitate infirmi communicaturi, & non habet hoſtiam conſecratam: tunc enim videtur, poſſe de novo miſſam facere, niſi adſit alius ſacerdos celebraturus: contingit neceſſitas, quando unus Sacerdos præficitur duabus, vel tribus Eccleſiis parochialibus ob illarum paupertatem: & aliæ cauſæ enumerantur, in quibus licitum eſſe putant Sacerdoti jejunio bis in die celebrare, ſed ego dico, ſtandum eſſe legitimæ locorum conſuetudini: in noſtris autem regionibus videtur ſolum uſu receptum, ut miſſa ter celebretur in die Nativitatis, aut bis celebretur, quando quis perficitur duabus Eccleſiis parochialibus, modo ſacerdos ſit jejunus, unde bis, aut ter celebranti in die extra caſus à jure permiſſos gravis pœna infligi ſolet.

Sacerdotes an poſſint accipere eleemoſynam ad ſui ſuſtentationem pro miſſæ celebratione. Cap.73.

1 SAcerdos poteſt pro celebratione miſſarum accipere eleemoſynam, ſeu ſtipendium in ſubſtentationem: quia operarius dignus eſt mercede ſua, & ideò poteſt abſque labe Simoniæ exigere mercedem per viam juris, aut illum in pactum deducere, antequam miſſæ ſacrificium faciat, quia ſacerdos non recipit eleemoſynam tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed pro ſua ſuſtentatione, aut pro labore extrinſeco, aut pro obligatione celebrandi in tali loco, vel tempore, aut quia, privat dandi operam aliis rebus, ex quibus licitè poſſet lucrum referre, vel aliquid facere, quæ ſunt pretio æſtimabiles.

2 Canonici, aut Parochi, vel alii Sacerdotes, qui ex articulo, vel ex conventione tenetur miſſas quotidie celebrare, non poſſunt novas eleemoſynas accipere pro celebratione miſſarum, & omnibus unica, vel paucioribus miſſis ſatisfacere, etiam ſi plures collectas in celebratione miſſarum adjungant, aut hoc faciunt ſciente, & concedente ſuperiore, ſecus ſi hoc faciant ex privilegio Summi Pontificis, aut ſi offerentibus eleemoſynas conſtet, ipſos Sacerdotes teneri miſſæ Sacrificium aliis applicare, quia iam perceperant ſtipendium reſpondens ſuſtentationi debitæ pro exiguo, & modico ſemihoræ labore, nec ullo juſto titulo poſſunt aliam ſtipem recipere, nec ſufficit ad hoc, ſi multæ collectæ adiungentur, quia additio collectarum non æquivalet valori miſſæ, nec ſufficit ſi hoc faciat ſciente, & conſentiente ſuperiore: quia ſicut ipſe ſuperior non poteſt unica miſſa pluribus ſatisfacere; ita neque poteſt alteri hanc facultatem dare: non enim poteſt ſuperior remittere obligationem jure naturali, & divino debitum; ratione autem privilegii à Summo Pontifice obtenti fieri poteſt, ut liceat plures eleemoſynas colligere, & omnibus una, vel paucioribus miſſis ſatisfacere: quando autem conſtat offerentibus eleemoſynas ipſos ſacerdotes habere onus applicandi aliis ſacrificium, poſſunt eleemoſynas ab offerentibus jam conſciis obligationis, vel tunc admonitis recipere: quia nullam faciant offerentibus injuriam, & offerentes novam eleemoſynam contenti videantur eo fructu, quem poſſunt, percipere.

* *Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu Capellaniæ, legati, ſeu ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſunt eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere ex decreto Sac. Congregat. Concilii de celebratione Miſſarum.*

3 Qui plures collegit eleemoſynas, & unicum applicavit ſacrificium, tenetur ad reſtitutionem hoc modo, vel miſſas prætermiſſas celebrare, ſed curare, ut per alios celebrentur, vel reſtituere ſtipes acceptas, admonitis iis, qui eas dederunt non fuiſſe miſſas celebratas, hoc enim pacto tollitur inæqualitas, & occurritur damno illato.

4 Parochus illis diebus, quibus non tenetur ſacrum applicare, poteſt ab aliquo ſtipem accipere, & pro iſto miſſæ ſacrificium

cium offerre, quia non eſt deterioris conditionis cæteris ſacerdotibus, qui non habent onus miſſę applicandæ poſſunt eleemoſynam accipere.

5 Habens pingue patrimonium, aut beneficium poteſt eleemoſynam accipere pro miſſarum celebratione, quia non eſt deterioris conditionis cæteris.

6 Sacerdos poteſt pro miſsæ celebratione tamen eleemoſynam accipere, quanta fuit præfixa per Epiſcopum, vel per legitimam conſuetudinem, aut etiam per arbitrium viri prudentis, deficiente conſuetudine, aut taxa Epiſcoporum: quia illa eſt juſta eleemoſyna pro celebratione recipienda, quæ conformis eſt taxæ ab Epiſcopo præſcriptæ, vel per locorum conſuetudinem receptæ, vel etiam à viris prudentibus conſtitutæ, deficiente legitima conſuetudine, vel taxa Epiſcoporum; quare Epiſcopus poteſt legem concedere, ut tantum ſtipendium tradetur: ita ut laici non dent minus, nec Sacerdotes majus exigant; non autem poteſt Epiſcopus ſtatuere, ne Sacerdotes minorem accipiant pecuniam: nam Sacerdotes liberalitatem exercere poſſunt in remittendis eleemoſynis ſibi debitis; peccant autem, qui ſupra taxam aliquid accipiunt niſi forte excuſentur ratione laboris extraordinarii, aut alterius juſti tituli.

7 Quando ſacerdos accipit ſtipem ſupra taxam, vel exigat importunè ab invitis peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, ſecus ſi ex liberalitate offerentis recipiat: exceſſus cenſetur donari: ſi verò importunè recipiat non ſolum peccat mortaliter poſita materia notabili, verum etiam tenetur ad reſtitutione, quia facit contra juſtitiam augendo pretiū taxatū à ſuperiore.

8 Qui ſordida quadam lucri cupiditate deſerunt priorem Eccleſiam in qua celebrare tenetur, atque alio conferunt ad ſacrum faciendum ob pinguiorem eleemoſynam multari, & puniri debent, quia faciunt contra propriam obligationem, & ſcandali prębent occaſionem.

9 Sacerdotes in die feſto duplo majorem eleemoſynam accipere poſſunt celebrantes, maximè in Eccleſia Mediolanenſi ubi duplicata eleemoſyna taxata eſt, nec poſsunt Sacerdotes titulo pauperatis aliquid ſupra taxam exigere ad vitæ ſubſtentationem: quia non eſt inſtituta ad ſuſtentandam hominis vitam.

10 Sacerdos non ſatisfacit, duplici obligationi accepta à duobus ſtipe: ſi unus eorum tradidit eleemoſynam pro miſsam ad rem aliquam impetrandam, & alter promiſsam in ſatisfactionem, ſcillicet pro mortuo, & Sacerdos intendit, Primò applicare Sacrificium, ut impetratorium, Secundò verò ut ſatisfactorium, quia defraudat tradentes eleemoſynam; quia petentium unuſquiſque cenſetur petere integrum miſsæ fructum.

11 Sacerdotes non poſsunt applicare valorem alteri, qui ſibi ipſis debetur, & ſic duplicatum ſtipem accipere, quia hic ſpecialis valor, ex ſua natura pertinet ad Sacerdotes, nec poteſt alteri applicare, ut dictum eſt.

12 Sacerdos, qui tenetur quotidie celebrare, ſi per aliquos die infirmetur, & celebrare non poſſit, teneatur ad reſtitutionem, reſpondeo, diſtinguendo præciſa tamen conſuetudine, & decretis, aut infirmitas eſt brevis, ſcilicet quindecim dierum, aut eſt longior ſcilicet duorum, vel trium menſium: ſi longior eſt, puto Sacerdotem non eſse immunem ab obligatione celebrationis per alium, aut ab onere reſtituendi mercedem hæredibus, quam pro celebratione miſsarum accepit: ſi verò infirmitas ſit brevis dicendum videtur non teneri per alium ſupplere; quia non eſt credibile fundatorem voluiſse tam ſtrictè Sacerdotem pro modico infirmitatis tempore obligare, quando tamen expreſsè in fundatione Capellæ non exprimatur cauſa infirmitatis debere ſupplere per alium.

13 Sacerdos, qui plura colligit ſtipendia pro miſsarum celebratione, poteſt per alios Sacerdotes ſatisfacere, retenta ſibi parte eleemoſynarum inſcio dante, & inſciis Sacerdotibus, modò Sacerdotibus celebrantibus tantam tradat eleemoſynam, quantam fert communis taxa; quia nulli facit injuriam; non enim facit injuriam Sacerdoti miſsam celebranti, qui ei tantum ſtipendii tradit quantum poſtulat taxa; neque facit injuriam illi, qui ſibi eleemoſynam tradidit pro miſſis celebrandis, nam tantum obſervat, quantum promiſit cum re vera per alios ſuppleat.

14 Capellani habentes pingues Capellanias, reddentes ſcilicet ducentos, aut trecentos aureos ſingulis annis conſueverunt quadraginta aureos ſeu ſtipem juxta

loci

loci conſuetudinem traderi alteri Sacerdoti ad ſuſtinenda opera Capellaniæ, retentis ſibi reliquis: hi poſſunt: quia facti ſunt domini, & nulli faciunt iniuriam, nam ſatisfactione obligationi, & conſuetam taxam tradunt.

* *Alexand. VII. die 24. Septemb. 1665. damnat infraſcriptam propoſitionem: Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. Neque eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

* *Sacerdoti, qui recepit eleemoſynam, ut pro uno celebret, non licet aliam eleemoſynam ſacrificii ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatum) applicet ex declaratione S. Congreg. Concilii juſſu Alexandri VII. edita 1659. die 29. Octobris.*

* *Alexand. VII. die 24. Septembris 1665. damnat infraſcriptam propoſitionem. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.*

Qua hora, quo loco, & quibus veſtibus, ac vaſis celebranda ſit miſſa.
Cap. 74.

1 HOra miſſæ celebrandæ incipit ab Aurora uſque ad Meridiem ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. c. quanta de ſacrificio miſſæ. Aurora dicitur, quando incipit illuſtrari per primam ſolis irradiationem, vel paulo ante per quadrantem, aut per dimidiam horam, quare in neceſſitate licitum eſt media hora ante auroram, aut à poſt meridiem celebrare pro communicando infirmo; non tamen licet pro communicando infirmo media nocte celebrare.

2 Clericus ſuſcepturus iter ob honeſtam cauſam poteſt ſummo mane paulo ante lucem celebrare; & etiam dimidia hora ante auroram, imò non eſt lethalis culpæ reus, qui una hora cum dimidia miſſæ ſacrum fuit ante ſolis ortum, quia, non dicitur, celebrare ante auroram, nam aurora eſt initium crepuſcoli, quod plus minus præcedit ortum ſolis una hora cum dimidia.

3 Tres miſſæ, quæ in die Nativitatis celebrantur poſſunt noctu ante auroram celebrari, & licet videtur uſu receptum tantùm primam miſſam noctu poſſe celebrari, quia tantummodo prima miſſa dicitur *Communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes*; tamen poſſunt omnes ante auroram celebrari; quia non poteſt ulla ſufficiens ratio afferri cur una, & non omnes noctus celebrari poſſunt, nec obſtat conſuetudo, nam in aliquibus locis etiam per conſuetudinem introductum eſt, omnes tres miſſæ noctu celebrare; noſtra autem ſentent a communi uſui receptoeſt, poſſe tantum primam miſſam noctu celebrari.

* *In nocte Nativitatis Domini N. I. Chriſti poſt decantatam primam Miſſam nequeunt aliæ duæ ſucceſſivè celebrari, nec in ea Sacra Communio fidelibus etiam illam depoſcentibus exhiberi poteſt: id enim omnino prohibuit Sac. Rit. Congregat ac non niſi orto lucis ſydere eam miniſtrandum decrevit die 20. Aprilis 1664. ſub pœnis in Decreto contentis.*

4 Temporis ſpatium requiſitum, ut Sacerdos dicatur graviter peccare differendo miſſæ celebrationem poſt meridiem mihi videtur ſpatium triumquadratum, vel etiam horæ; ſicut etiam ſpatium horæ ſufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera ſervilia in die feſto exercentur: ita ſi quis per horam poſt meridiem non perficiat miſſam, non videtur à mortali excuſandus, præciſa juſta cauſa; Ob juſtam verò cauſam miſſæ celebratio poteſt ad longum tempus protendi, ut accidit in ſolemnitatibus, in quibus conſuetud ne conſtat, miſſam ſolemnem aliquando protrahi ad duas horas poſt meridiem, immo poſt hujuſmodi miſſam poſſe celebrare Sacerdotem, ne magna populi pars careat miſſæ auditione: licet ego puto non facilè permittendum hoc abſque licentia, quam poteſt Epiſcopus ex cauſa rationabili in caſu particulari concedere, tamen privilegium celebrandi una hora anticipata: vel differendi celebrationem poſt debitum tempus extendi poſſe ad illud tempus, in quo miſſæ ſacrum celebrari non poſſet abſque privilegio: alioquin privilegium parum, aut nihil prodeſſet.

5 Qui celebat miſſam aut officii matutini celebrationem non peccat mortaliter, quia non videtur tanta connexio inter miſſam, & horas Canonicas, ut pervertens hunc ordinem peccet mortaliter, quia ubi non eſt lex, nec prævaricatio, & nulla lex invenitur: quæ imperet miſſam ante matuti-

tutinum celebrantem graviter peccare, quamvis fieri poſſit ut peccet venialiter defectu debitæ devotionis, ſi recitet matutinum tardiùs, quam par eſt.

6 Miſſa celebranda eſt in Eccleſia Conſecrata ab Epiſcopo, aut ſaltem benedicta, & in altari lapideo conſecrato integro, & non enormiter fracto, verum ſi altare non ſit conſecratum, ſaltem altare portatile, quod communi vocabulo petra conſecrata nuncupatur debet eſſe conſecratum integrum, & lapideum, quamvis includi poſſit in aliqua tabella lignea, vel in alia materia, ut docet praxis, & experentia, unde abſque gravi peccato non poteſt celebrari extra eccleſiam: aut extra Oratorium ab Epiſcopo deſignatum, niſi adſit juſta neceſſitas: qualis eſt, ſi occaſione miſſæ novæ Eccleſia populum non capiat, nec aditus pateat ad Epiſcopum: vel ſi adſit licentia Epiſcopi, qui poteſt juxta de cauſa dare facultatem celebrandi in Capella domus privatæ adhibito utroque altari firmo ſcilicet, & portatili, & in caſu aliquo particulari juſta concurrente cauſa diſpenſare, ut miſsa extra Eccleſiam in loco honeſto celebretur.

7 Non poteſt miſſa celebrari in mari vel in flumine, ubi periculum imminet effuſionis ſanguinis: niſi aliter privilegio, vel conſuetudine conceſſum ſit, quia miſſa celebranda eſt in Eccleſia conſecrata, vel benedicta, nec poteſt celebrari ſine altari tam firmo, quam portatili conſecrato, quod fieri non poteſt ex duobus lapidibus invicem colligatis, ſed una tantùm; ſic enim conſuetudine conceſſum eſt ad indicandam unam in Chriſto perſonam: quando altare firmum, ſeu lapis integer, qui toti altari ſuper imponitur eſt conſecratus, non opus eſſet altari portatili.

8 Quod altare reſpicere debeat orientem dicendum videtur, ſervandum eſſe locorum conſuetudinem, ſecundum quàm in hiſce noſtris regionibus receptum videtur ut templa verſus orientem dirigantur, niſi legitimus ſuperior auctoritatem per diſpenſationem interponat.

9 Altare conſecratum deſint eſſe ſacrum quoties notabiliter, ſeu enormiter frangitur, aut quando frangitur repoſitorium reliquiarum; altare portatile dicitur notabiliter frangi, quando in reſiduo non poteſt commodè contineri per calicis, & hoſtia cum patena ſine periculo labendi, aut quando omnia cornua, quæ munguntur ſunt fracta, aut quando frangitur, aut amovetur loco ſepulcrum, in quo ſunt reliquiæ; non licet autem in eo altari celebrare eo die, in quo Epiſcopus celebravit, quia ſic poſtulat reverentia dignitatis Epiſcopalis, quando tamen non adſit conſenſus ipſius Epiſcopi, vel neceſſitas aliqua ſuperveniat.

10 Ad miſſam celebrandam requiritur patena, & calix conſecratus, & Chriſmate perunctus, confectus ex argento, vel aurō, vel ſtanno, non ex auricalco, vel ære ne vomitum provocet, neque ex ligno; qui enim utitur Calice ligneo, aut calice non conſecrato conſtituta eſt pæna contra eum depoſitionis ab officio, & beneficio, neque in hac materia poteſt diſpenſare Epiſcopus, quia non poteſt diſpenſare in lege Superioris.

11 Benedictio veſtium, Calicis, & aliorum, quæ ad divinum cultum adhibentur pertinet ad Epiſcopus, vel etiam ad Abbates habentes privilegium inſignorum Pontificalium, ubi talis conſuetudo recepta eſt. Calix ſignificat ſepulcrum Chriſti, patena lapidem ſepulcro ſuper impoſitam.

12 Calix, & patena amittunt conſecrationem ſi notabiliter frangantur, & ad uſum præfixum non poſſunt inſervire, quando hæc vaſa ſunt deaurata; & iterum poſteà deaurantur, quia tunc opus eſt nova conſecratione, quia conſecratio Calicis, & patenæ fit præcipuè propter contactum corporis, & ſanguinis: poſita autem nova deauratione contactus non poteſt fieri in parte conſecrata, cum aurum additum non ſit conſecratum; inſuper amittunt conſecrationem per aliquos ictus à fabro inflictos: ſed hoc gratis aſſeritur, & ſine fundamento in jure, non amittit conſecrationem quoties Calicis ſeparatio fit abſque fractione, ut accidit in calice tornatili, cujus partes ſeparantur abſque fractione, & deinde conjunguntur.

13 Calix, patena, & quæ immediatè attingunt corpus Chriſti, ut eſt palla, & corporalia non poſsunt tangi à laicis abſque peccato, immo nec Clerici ſolent hujuſmodi vaſa tangere niſi privilegium habeant: peccatum verò non videtur mortale, ſed veniale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu: & propteteà ſancitum eſt, ut corpora-

poralia laventur à Diacono, & lotio mittatur in piſcinam Sacram, quoad primam lotionem tantùm; nam quoad ſecundam fieri etiam poteſt à fæminis, hoc idem procedet in purificatoriis, licet non ſint benedicta.

14 Pixis, in qua ſervatur Euchariſtia non eſt neceſſarium ut ſit conſecrata: quia nullo jure conſtat requiri hoc, niſi forte alicubi aliter poſtulat loci conſuetudo; fiſtula autem, qua Sum. Pontifex ſanguinem attrahit, non debet eſſe conſecrata; aliqui innuunt Corporalia remanere conſecrata quam diu manent integra, & non fracta notabiliter, & proptera poſt lotionem non ſunt iterum benedicenda; ſi autem quis adhibeat corporalia immunda valde notabiliter, graviter peccat, quia facit contra reverentiam tanto Sacramento debitam.

15 Requiruntur duæ mappæ, vel ſaltem una duplicata, per quas repræſentantur linteamina, quibus Chriſti Corpus fuit involutum, quæ mappæ debent ex tela confici, & benedici, quanquam non adeo neceſſe eſt, ut ſint benedictæ, palla etiam quæ tangit, & cooperit Calicē debet eſſe lintea.

16 Requiruntur veſtes ſacræ ſcilicet Alba, Cingulum, Amictus, Manipulus, Stola, & Planeta, qualiter autem benedicantur veſtes recurrendum eſt ad librum Pontificalium, quæ amittunt benedictionem, & novam indigent, quando ita franguntur, ut non ſint aptæ ad uſum, ad quem fuerant deſtinatæ, non autem indigent nova benedictione, ſi ad eas reficiendas addatur aliquid, licet quod additur non ſit benedictum: Alba deſinit eſſe benedicta, ſi ex ipſa abſcindatur manica, licet poſtea eadem manica aſſuatur. Cingulus indiget nova benedictione ſi ita perfringatur, ut nulla ipſius pars ſufficiat ad cingendum, ſecus ſi aliqua pars ad cingendum apta remaneat, quamvis addatur alia pars minus apta.

17 Omiſſio harum veſtium præciſe inadvertentia inducit peccatum mortale: etiam ſi una tantum omittatur: cenſetur enim in re gravi violari uſus, & conſuetudo univerſalis Eccleſiæ, idem dicendum, ſi adhibeantur aliqua non benedicta: ſi vero adhibeatur veſtis immunda committitur peccatum ſaltem veniale.

18 Sacerdos debet ad celebrandum accedere veſtibus bene compoſitis, ne ſcandalum inducat aſtantibus, nec cooperto capite celebret, ſaltem tempore conſecrationis niſi aliter cogat neceſſitas morbi, aut calviciei, præciſo tamen ſcandalo, & petita licentia, quæ poteſt concedi ab Epiſcopo, ut putant aliqui, alii verò ſolum à Papa, quia nullus Papa inferior diſpenſare poteſt in jure communi, debet autem Sacerdos ob honeſtatem eſſe calceatus: requiritur etiam liber: unde Sacerdos, recitans miſſam ſine libro mortaliter peccat: quia ſe exponit periculo graviter errandi: requiritur Crux cujus omiſſio non videtur eſſe conjuncta cum magna irreverentia; requiritur lumen, quod ex conſuetudine conficitur ex cera quamvis in neceſſitate ſufficiat candela Sebacea, aut etiam ex oleo: & ex conſuetudine duæ ſaltem candelæ adhibentur, licet una ſufficere videatur, requiritur autem ut Sacerdos dum ſe veſtibus induit recitet preces ab Eccleſia præſcriptas: quarum omiſſio non videtur peccatum mortale: requiritur, ut Sacerdos adhibeat aliquem maſculum ſibi miniſtrantem, ut patet ex communi Eccleſiæ uſu, non tamen poteſt adhibere fœminam, ita, ut ſi neceſſitas aliquando ſuperveniat celebrandi prò communicando infirmo; nec alius ſit præter fæminam, non poſſit fæminam adhibere, ſed potius celebrandum ſine miniſtro.

19 Sacerdotes non excuſantur à mortali, ſi miſſam ſine miniſtro celebrent, quia faciunt contra præſcriptum Eccleſię in re gravi: licet aliqui excuſent à mortali Sacerdotes, qui miſſam in die feſto celebrant ſine miniſtro, ne careant miſſa; ſed hoc non facile admiſerim, cum teneantur ritus ab Eccleſia præſcriptos ſervare, nec tenentur miſſam celebrare contra Eccleſię ritum: hinc patet quid dicendum ſit de Eremita: arbitror enim non poſſe ſine miniſtro celebrare, niſi privilegium, & diſpenſationem habeat.

20 Miniſter autem adhibetur, ad inſerviendum, & reſpondendum juxtà Eccleſię præſcriptum non autem graviter peccat miniſter, ſi deficiat in iis, ad quę adhibetur etiam ſi inſerviat cum peccato mortali, quia non eſt miniſter deputatus ex officio ad ho munus: quando tamen non adſit ſcandalum, aut deſit in neceſſariis, ut ſi materiam ineptam tradat propria culpa Sacerdoti: tunc enim graviter peccat peccato ſacrilegii.

21 Miſſa verò non poteſt celebrari, materna

terna vel vulgari lingua ex uſu, & praxi Eccleſiæ patet, & ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 22.*c.* 8. & quia multæ parabolæ, & multa ænigmata Scripturæ in miſſa leguntur; quæ non poſſunt commodè in linguam vulgarem transferri, & converti.

De corrigendis vitiis, & defectibus in miſſa contingentibus. Cap.75.

1 DEfectus, ſeu error circa ſubſtantialia, ut circa materiam ſupplendus eſt, ſive advertatur ante conſecrationem, ſive poſt, unde ſi Sacerdos comperiat hoſtiam non eſſe confectam ex tritico, aut loco vini poſitam eſse aquam, vel acetum, vel alium liquorem: aut ſi advertat materiam appoſitam non eſſe certam, & indubitatam: ſed eam de qua dubitatur inter doctores, debet aliam ſumere aptam materiam, eamque conſecrare facta oblatione, ſi commodè eam poſſit facere, quia ſacrificium non perficitur, quoties omittuntur neceſsaria, & ſubſtantialia, ex præcepto autem divino ſacrificium perficiendum eſt, & non poteſt imperfectum relinqui: ſi verò contingat defectus circa ea, quæ non ſunt ſubſtantialia: ut ſi Sacerdos comperiat poſt conſecrationem calicis non appoſitam fuiſse aquam, aut hoſtiam eſse notabiliter fractam, non tenetur quidquam ſupplere: ſi Sacerdos hujuſmodi defectum cognoſcat poſt conſecrationem: hic enim defectus non poteſt ſuppleri ſine graviori incommodo, nec integritas ſacrificii poſtulat, ut ſuppleatur. Idem dicendum ſi hoſtia incidat in calicem, aut poſt longam interruptionem Sacerdos animadvertat, ſe hoſtiam non elevaſſe, aut hoſtiam non fregiſse, aut particulam Calici non impoſuiſse, aut hoſtiam eſse factam cum fermento; ſi verò Sacerdos ante conſecrationem advertat hoſtiam eſse notabiliter fractam, aut non miſcuiſse aquam vino, debet aliam hoſtiam accipere, & aquam vino miſcere: poſt conſecrationem verò non debet aquam miſcere.

2 Quando Sacerdos ſumpta hoſtia advertit materiam, quā in calice appoſuit non eſse materiam ſufficientem, debet curare, ut vinum deferatur, ſi fieri poteſt abſque ſcādalo; ſi verò periculum ſit gravis ſcandali, perficere poteſt ſacrificium in una tantum ſpecie, ſi poſt ſumptionem hoſtiæ advertit nihil eſse in calice, vel eſse ſolam aquā vel alium liquorem diſtinctum à vino, Sacerdos debet accedere ad cornu altaris diſſimulando, ſe velle purificationem accipere deindè poſito vino in calice, accedat ad medium altaris, ibique conſecret incipiendo ab illis verbis ſimili modo, & abſque elevatione ſubjungat, unde nos memores Domine offerimus, ſicque ſumat ſpecies vini conſecratas, & oblatas neque opus eſt, ut reliqua ſuppleat, ſi periculum ſit ſcandali, ſufficit enim ſupplere neceſſaria, cum Eccleſia non obliget cum tanto incommodo, & alii putant ſufficere, ut conſecret, & ſtatim ſumat, quia in conſecratione videtur contineri oblatio, quatenus hoſtia conſecratur per ordinem ad Deum.

3 Qui advertit poſt ſumptam hoſtiam, materiam Calicis non eſſe veram materiam, debet ſolum vinum conſecrare: quia nulla ſufficienti ratione probatur novam hoſtiam eſſe conſecrandam.

4 Sacerdos, qui malitioſè noluit conſecrare hoſtiam; ſed poſt ſumptionem Calicis pænituit erroris; debet hoſtiam conſecrare ob integritatem Sacrificii, ſi autem in neutra ſpecie conſecravit, non eſt opus ullam materiam conſecrare; non enim in hoc caſu militat integritatem Sacrificii.

5 Sacerdos, qui in ſuſcipiendo calice advertit eſſe acetum; vel aliud debet deglutire; quia non videtur poſſe in calicem expuere abſque indecentia, & fortaſſe non ſine ſcandalo, & poſteà perficere ſacrificium fracto iejunio.

6 Si aliquod animal, aut aranea cecidit in calicem ante conſecrationem, alia materia ſumenda eſt, & ea offerenda, & conſecranda; ſi verò poſt conſecrationem: & Sacerdos nō poteſt utrumque ſine incommodo ſumere; ſumere debet ſpecies conſecratas extracta aranea, vel animali, cujus poſteà, combuſtio cineres mittēdi ſunt in locum ſacrū.

7 Quando animal quod cecidit in Calicem poſt cōnſecrationem ſit venenoſum, aut Sacerdos poſt conſecrationem admoneatur vinum fuiſſe veneno infectum non debet vini ſpecies conſecratas ſumere: quia non poteſt eſſe ſui homicida, nec Sacramentum vitæ debet recipi cum periculo vitæ; ſed eſſe hujuſmodi ſpecies conſervandas; donec corrumpantur, & poſteà mittendas eſſe in piſcinam ſacram, nam Chriſtus non amplius exiſtit ſub illis ſpeciebus: ego tamen conſulerem eas vini ſpecies linteo,

aut

aut ſtuppa exſiccari, exſiccataſque cōburi, & combuſtas in ſacram piſcinam projici.

8 Euchariſtiam, quam quis evomit puto aſſervandam eſse donec corrumpatur; ſicut ſi animal comedit Euchariſtiam: extrahenda eſt Euchariſtia, ſi poteſt, & conſervanda donec corrumpuntur poſt corruptionem comburenda, ſicut etiam ipſum animal conburendum eſt, & ipſius cineres mittendi ſunt in piſcinam, ſi verò hoſtia cadat in terram, vel ſuper tapetum, Sacerdos radere debet, mundare, ac lavare locum, & pulverem projicere in piſcinam: ſi verò ſanguis decidat debet abſorberi, ſi cōmodè ſorberi poſſit: deinde locus radi, & lavari, ſicut dictum eſt de hoſtia; ſi autem cadat ſuper Barbam Sacerdotis poſt trinam lotionem abradendam, & comburendam eſse barbam ſed mihi ſufficere videtur, ſi repetita lotione barbam purgavit, juxta receptam conſuetudinem.

9 Quando Sacerdos qui tantummodò poſt ſumptionem advertit, vel admonitus fuit vinum fuiſse veneno infectū, poteſt curare aliqua arte, ut è ſtomaco extrahantur ſpecies conſecratę, & eas evomere in vas mundum: quia ſacerdos non videtur obligandus cum tanto ſuo incōmodo ad eas retinendas, ſicut neque tenetur eas ſumere, ut dictū eſt.

10 Sacerdos ſi ad vertit ſe aliquid ſpectās ad integritatem formæ omiſiſſe, debet defectum ſupplere; ut validum efficiat Sacramentum, quia hic defectus eſt ſubſtantialis, idem dicendum eſt quando aliquod verbum omiſſum eſt, de quo dubitatur inter Doctores an ſit de integritate, & de eſſentia formæ, & non ſatisfacit repetendo ſolum verbum omiſſum: ſed debet totam formam repetere, ſi alia verba interjecta fuerunt, aut longum tempus interceſſit: ita ut repetitis ſolum verbis omiſſis non ſubſiſtat integra ſignificatio totius formæ.

11 Quando Sacerdos dubitat; an habuerit intentionem conſecrandi formalem, aut virtualem, debet repetere verba conſecrationis cum intentione conſecrandi; quia defectus intentionis eſt ſubſtantialis. Sacerdos eo ipſo, quo detulit hoſtias ad Altare, videtur habuiſſe intentionem conſecrandi ſufficientem ad conſecrationem, niſi eam moraliter interruperit, intentio enim virtualis ſufficit. Verum ſi Sacerdos revera dubitet de intentione debita, dicat Sacerdoti celebraturo, ut eas ſub conditione conſecret, modò dubium ſit probabile.

12 Si pretermiſſum ſit aliquid, quod non eſt de ſubſtantia ſacrificii, non eſt ex neceſſitate poſteà ſupplendum cum perturbatione ordinis ab Eccleſia præſcripti, ut ſi quis omiſit Gloria In Excelſis Deo, & recordetur poſtquam progreſsus eſt aliquantulum, hoc fieri non poteſt commodè, & ſine aliqua ordinis perverſione.

13 Si hoſtia cadat in calicem dum frangitur poteſt miſsa perfici abſque alia iteratione, ſi ſpecies vini conſecratæ congelentur, non iterum facienda eſt conſecratio, quia nihil ſubſtantiale deſideratur; ſed ſpecies congelatæ calefaciendæ ſunt admotis ad Calicem linteis calidis, ut ſumantur per modum potus.

14 Quando omittitur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia, ſi ſit materia gravis mortale peccatum incurritur: ſi levis veniale, & ideò, qui novas orationes addunt videntur graviter peccare, ſaltem ſi materiam notabilem publicè recitent, & non ſecreto, tanquam privata perſona, faciunt contra rubricam Miſsalis.

15 Si moriatur Sacerdos, aut aliquo morbo corripiatur, aut alio caſu impediatur poſt conſecrationem, nec poſſit Sacrificium perficere, debet perfici ab alio Sacerdote jejuno, ſi adſit vel à non jejuno ſi nullus alius adſit, ſi verò Sacerdos ſit in peccato mortali, nec habeat copiam Confeſſarii, debet elicito actu contritionis ſacrificium perficere: nam major videtur obligatio perficiendi ſacrificium, quàm præmittendi confeſſionem, licet utrumque ſit de jure divino, ſi autem moriatur ante conſecrationem nulla eſt obligatio perficiendi ſacrificium.

16 Si Sacerdos moriatur poſt ſumptionem hoſtiæ, non tenetur alter perficere: verum ſi vellet aliquis miſſam perficere probabile eſt poſſe ſolùm ſanguinem ſumere, verum ſanguis, qui non fuit ſumptus à Sacerdote mortuo, poteſt ſumi à Sacerdote aliud ſacrificium faciente: ſicut enim duæ hoſtiæ ſumi poſſunt ſimul, ita ſpecies vini ſimul poſſunt ab uno, & eodem Sacerdote ſumi, quamvis à duobus fuerint conſecratæ; quando verò perficiendum eſt ſacrificium ab alio inchoatum, incipiendum eſt ab eo loco, ubi alter reliquit: ſi verò dubitatur, an Sacerdos, qui defecit, conſecraverit hoſtiam, Sacerdos ſupplens debet aliam hoſtiam ſumere, eamque conſecrare, & illam ſimul

ſimul de qua dubium eſt, an fuerit conſecrata, conſecrare ſub conditione: vel poſſe novam hoſtiam conſecrare, eam verò de qua dubitatur, an fuerit conſecrata ſumere poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei antequam ſumat purificationem.

17 Miſſa cum dicatur, una, non poteſt interrumpi, ſed ſucceſſivè, & ſine interruptione celebrari; quare graviter peccat Sacerdos, qui partem notabilem ſicut ſi offertorium ſcienter prætermittat, ita graviter peccare videtur, qui notabiliter interrumpit partes Sacrificii ſaltem eſſentiales; ita ut poſita interruptione, non dicatur moraliter unum ſacrificium, juſta verò cauſa poteſt Sacerdos pauliſper interrumpere, ut ſi baptizandus ſit infans in periculo mortis exiſtens, nec poteſt ab alio baptizari.

Utrum fideles teneantur Miſſam audire. Cap. 76.

1 Nomine auditionis Miſſæ debet intelligi ea actio, per quam quis intereſt Miſſæ humano modo, corpore ſcilicet, & mente in tali diſtantia, ut poſſit ſaltem videre Sacerdotem, & attendere ad illius miniſterium: propterea amentes, & Ebrii exiſtentes in Eccleſia non dicuntur miſsam audire; quia nequeunt humano modo intereſſe, nec qui mentem ſuam circa miſteria miſſæ applicet, quia mentaliter tantum non corporaliter intereſt, nec qui commoratur in Eccleſia, mente ſua revolvens aliqua negotia: quia non intereſt mentaliter.

2 Fideles tenentur ex præcepto Eccleſiaſtico miſſam audire diebus feſtis, & eſt de fide, & quamvis hoc præceptum ſimpliciter ſit humanum Eccleſiaſticum: tamen eſt conſentaneum juri naturæ, & divino, ut patet ex tertio præcepto Decalogi de colendis diebus feſtis. Poteſt autem Summus Pontifex diſpenſare in præcepto hoc, quia in jure humano diſpenſare poteſt.

3 Quemlibet fidelem adultum baptizatum dico teneri diebus feſtis miſſam audire, niſi legitimo impedimento detineatur, quia extat præceptum, & propterea pueri fideles completis ſeptem annis obligantur hoc præcepto, & graviter peccant non audiendo miſſam, niſi excuſentur ratione ignorantiæ, eo quòd ignorent obligationem præcepti, non autem infideles tenentur, nec Cathecumeni. Miſſam autem audientes in die Nativitatis Domini unam tantùm ſatisfaciunt præcepto, quia dicitur audire miſſam non miſſas. Parochus tenetur tres miſſas dicere in die Nativitatis, ne defraudet fideles debitis ſuffragiis, & devotione; quia multi volunt eo die tres miſſas audire, & quia facilè incurreret periculum ſcandali.

4 Qui miſſam vel ejus partem notabilem diebus feſtis non audit, peccat mortaliter, quia eſt præceptum, & qui facit contra præceptum in re gravi, graviter peccat, poteſt tamen à mortali excuſari inadvertentia, vel inculpabili ignorantia, vel parvitate materiæ: ut ſi quis diſcedat finita ſumptione, hic non peccat mortaliter, quia non videtur omittere partem notabilem: peccat verò venialiter, quia Eccleſia præcipit integram miſſam audire à confeſſione uſque ad benedictionem.

5 Satisfacit miſsæ audiendæ præcepto qui miſsam audit de Sancto, ſive de mortuis, ſive privatam, ſive ſolemnem quamvis melius ſit audire miſsam tempori accomodatam, quia Eccleſia ſolum præcipit audiri miſsam, & eodem modo adimpletur præceptum, ſi audiatur miſsa ritu Romano vel Ambroſiano, ſive Græco: vel qui audit partem miſsæ ab uno Sacerdote, & aliam ab alio, quia dicitur miſsam audire, & Eccleſia non præcipit, ut miſsa audiatur ab uno Sacerdote, ſimiliter ſatisfacit præcepto audiendi miſsam, qui Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit eodem tempore, ſicut poteſt eodem tempore ſatisfacere, qui in eadem Eccleſia eodem tempore celebrantem audiendo illius tres miſsas ratione injunctæ pœnitentiæ de audiendis tribus miſſis, unde in rigore loquendo, videtur ſatisfacere præcepto miſsæ, quia ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit: contrarium tamen tutius mihi videtur, & conſentaneum pietati in praxi conſulendum.

* *Innoc. XI. die 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.*

6 Non ſatisfacit præcepto, qui non intereſt miſsæ, dum fiunt tres partes Sacrificii, quæ ſunt conſecratio, oblatio, & ſumptio, non enim poteſt excuſari parvitate materiæ, ſi pars omittatur pertinens ad ſubſtantiam ſacrificii, peccat etiam mortaliter

liter partem notabilem miſſę omittens,quę æſtimatur eſſe dimidia miſſa, aut etiam tertia pars: qui autem omittit uſque ad Epiſtolam excluſivè, non dicitur omittere partem ſufficientem ad mortale, ſi verò uſque ad Epiſtolam incluſivè, mortaliter peccat.

7 Qui prætermittit principium miſſæ dicunt aliqui, uſque ad Euangelium ſatiſfacere præcepto, ſi eam partem per ſe ipſum legat, vel ab alio attentè audiat; alii etiam putant, qui primum Euangelium non audivit, ſatisfacere audiendo ultimum Euangelium, cum enim putent, eum ſatisfacere præcepto miſſæ, qui à principio ab fuit uſque ad Epiſtolam, nec ſit neceſſe Euangelium alicujus diei audire, aut audire duo Euangelia, ſequitur eum ſatisfacere qui audit ultimum Euangelium, non audito primo, & hoc mihi, non videtur improbabile.

8 Satisfaciunt præcepto audiendi miſſam, qui dum inſerviunt, recedunt à Sacrificio, ut deferant vinum, aut hoſtiam, aut thus, præſumuntur non abeſſe dum hæc faciunt, quæ ordinantur in ſolemnitatem ejuſdem Officii, modò non recedant ab Eccleſia: niſi fortè abſint brevi temporis ſpatio.

9 Cæcus aſſiſtens cum Devotione ſatisfacit, quia intereſt mente, & corpore: ſurdus, & qui Sacerdotem ſubmiſſa voce celebrantem non audit, aſſiſtentes cum devotione ſatisfaciunt, quia interſunt mente, & corpore: nam miſſam audire in jure, accipitur pro intereſſe cum devotione, & proptereà majorem attentionem dicitur requiri ad horas, quàm ad miſſam, quia ad horas tenetur ſocius alium audire, quod non accidit in miſſæ auditione, ob id aliqui excuſant, Sacerdotem ſubmiſſa voce celebrantem, ita ut aſtantes nequeant audire, licèt miſſa celebranda ſit cum his quatuor litteris A. B. C. D. ideſt Altè, Breviter, Clarè, & Devotè.

10 Qui adierit Eccleſiam per metum ab aliis incuſſum, aut animo inſpiciendi fœminas, ſi attentè audit miſſas, ſatisfacit pręcepto, cui non ſatisfacit, qui omninò invitus eam audit.

11 Qui miſsam audivit neſciens eſse diem feſtum, ſi poſteà non elapſo meridie intelligat eſse diem feſtum, non tenetur aliam miſsam audire, nam re ipſa miſsam andivit: ſic qui ſemel audivit miſsam animo non ſatisfaciendi Præcepto auditione illius miſſæ, ſed cum intentione audiendi aliam, non tenetur aliam re ipſa audire, quia jam adimplevit præceptum, cum miſsæ interfuerit mentaliter, & corporaliter, nec Eccleſia præcipit miſsam audire animo adimplendi præceptum; ſic pari ratione, qui audita miſsa, agitatus ſcrupulis debitæ attentionis dicit, habeo pro non audita, aut iterum miſsam audiam, non tenetur depoſitis ſcrupulis aliam miſsam audire, nam re ipſa adimplevit pręceptum. Ita ſi feratur Excommunicatio contra non audiẽtes miſſam, & aliquis cum debita attentione miſsã audiat, non intentione obediendi Eccleſię, ſed ne ab aliis arguatur, nõ incurrit excommunicationem, etiam ſi poſteà nullam aliam miſsam audiat, tenetur tamen deſiſtere ab actuali intentione nõn ſatisfaciendi, cum affectus actualis non obediendi præcepto Eccleſiæ ſit peccatum contra virtutem, ad quam pertinet illud præceptum.

12 Non ſatisfacit præcepto, qui tempore miſsæ notabiliter confabulatur, vel dormiat, nugatur, vel ridet cum aliis, ita ut omnino impediatur attentio miſsæ, nec ſatisfacit, qui tempore miſsæ pingit, aut alios docet; &c. hic enim non intereſt mentaliter. Secus dicendum de eo, qui ita confabulatur, aut ridet, ut non omninò impediatur attentio, dicitur enim habere ſufficientem attentionem; & intereſse miſſæ corporaliter, & mentaliter, idem dic de eo, qui ſe veſtiens miſſam andit, aut oratione.

13 Satisfacit præcepto, qui in miſſa recitat horas canonicas, quas tenetur ex præcepto recitare, aut recitat pœnitentiam injunctam à Confeſſario, aut cogitat res divinas, quia intereſt miſſæ corporaliter, & moraliter: ſecus dicendum de eo, qui confitetur peccata ſua tempore miſſę, ſi poteſt commodè confeſſionem in aliud tempus differre, nec adeſt neceſſitas pręcepti confeſſionis, quia non ſufficit mentalis, & corporalis aſſiſtentia, niſi fiat per modum orationis: qui autem peccata ſua confitetur, aut examen ſuæ conſcientiæ facit tempore miſſæ, non videtur aſſiſtere per modum orationis.

* *Innoc. XI. die 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.*

Cujus Sacerdotis, quibus diebus, & in quo loco audienda ſit miſſa. Cap. 77.

1. MIſſa cujuſvis Sacerdotis, non ſolùm validè, votum etiam licitè audiri poteſt, modò non adſit aliqua prohibitio; quia Eccleſia ſimpliciter obligat ad miſſam, non autem poſſumus audire miſſam Excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti vitandi, nec Sacerdotis degradati & depoſiti, nam hujuſmodi Sacerdotes prohibentur ab Eccleſia celebrare, poſſumus autem miſſam audire Presbyteri concubinarii, qui non videtur amplius vitandus.

2. Miſſa audienda eſt diebus feſtivis ab Eccleſia præſcripta: idem dicendum de illis diebus, quos populus alicujus Parochiæ celebrat ex voto vel ex conſuetudine confirmata tacitè, vel expreſsè ab Epiſcopo; aliis verò diebus non eſt præceptum audiendi miſſam, quamvis aliàs eſſet obligatio audiendi miſſam diebus Quadrageſimæ, & tribus diebus rogationum, ſed hoc præceptum apud nos non viget, poteſt tamen obligari alio die ad miſſam, ſcilicet ex voto, ex penitentia, & ex juramento; nam miſſa eſt materia debita voti pœnitentiæ, & juramenti.

3 Præceptum audiende miſſæ adimpletur quocumque in loco miſſa audiatur, quia Eccleſia præcipit miſſæ auditionem, ſed non locum; poteſt tamen fieri, ut quis peccet non audiendo miſſam in propria Parochia, ut ſi quis nolit eam audire ex contemptu, aut quando Parochus declarat ea, quæ Parochiani ſcire tenentur, non autem licet omnibus in privato oratorio audire miſsam: quia privilegiatus, & ipſius familiares audiendo miſsam in oratorio ſatisfaciunt præcepto, & propterea extraneus, qui in præfato oratorio in die feſto audit miſsam, tenetur aliam miſsã audire, ut præcepto ſatisfaciat.

4 Extraneus qui pervenit ad locum, ubi celebratur dies feſtus, qui non celebratur in proprio territorio, non tenetur miſsam audire in eo loco ubi pervenit, niſi habeat intentionem ibi manendi majori parte anni: non enim eſt ſubditus legibus illius loci, ſecus ſi dies ille feſtus celebretur etiam in proprio territorio, aut ſit colendus, & celebrandus ex jure communi, quamvis fortè ex conſuetudine non celebretur in proprio territorio.

5 Parochianus, in cujus Parochia celebratur dies feſtus, non peccat mortaliter miſsam non audiendo, ſi ante meridiem futurus ſit extra limites Parochiæ, in qua celebratur dies feſtus; nam iſte pro tempore, quo reperitur extra terminos illius Parochiæ, exemptus manet ab obligatione audiendi miſsam, & gaudet privilegio loci, in quo reperitur; nec ante lapſum meridiem peccavit miſsam non audiendo, cum poſset illam differre uſque ad meridiem: in meridie autem liber eſt ab obligatione.

6 Qui prævidet fore, ut circa meridiem nequeat miſsam audire ob aliqua impedimenta, non eximitur ab onore præcepti: præceptum enim obligat, ut miſsa audiatur quacumque hora, moraliter loquendo, fieri poteſt intra meridiem, cum autem hic poſſit ſummo mane miſsam audire, tenetur illam audire.

Quibus de cauſis excuſentur fideles ab audienda miſſa. Cap. 78.

1. IMpotentia excuſat illum, qui non poteſt miſsam audire abſque gravi detrimento ſpirituali proprio, vel alieno; undè, excuſatur mater quæ domi remanet ad cuſtodiendã filiam, cui probabile periculum eſt, ſi eam ducat ad Eccleſiã aut ſolam domi relinquat; ſic excuſatur, qui non poteſt abſque damno gravi corporali proprio, vel alieno, ut eſt infirmus, qui timet periculum gravioris morbi, ſi Eccleſiam adeat ad miſſam audiendam: ſi verò ſit dubius incidendi in graviorem morbum, debet conſilium petere, à quo poſſit reverà accipere, niſi ipſe ſit virtutis prudens, manente autem dubio non poteſt domo exire, quilibet enim tenetur ſe ipſum diligere item excuſantur, qui ſunt deputati ad cuſtodiam ægroti, ad miſsam audiendam: inſuper excuſantur, qui nequeunt audire miſſam abſque gravi detrimento ſui, aut proximi, ſive ſit detrimentum animæ, ſive corporis; ſive famæ, ſive honoris, ſive lucri, ſivè alterius boni; excuſatur nutrix, quæ non poteſt ſecum ferre puerum adhuc lactantem, & quem non poteſt domi relinquere; idem dicendum meo judicio de ea, cui credita eſt cuſtodia puerorum, qui non poſſunt in Eccleſia retineri abſque gravi moleſtia: excuſantur etiam, qui nequeunt audire, niſi aliquod grave negotium prætermittant;

quod

quod in aliud tempus differre nequit. Excuſantur curſores, Nautæ, Muliones, qui cogerentur magnas expenſas facere, ſi immorarentur in miſſa audienda. Excuſantur itinerantes, ſi audiendo miſſam amittent ſocios, quibus opus habent ad iter peragendum, Secus ſi hoc faciat tantummodo, ut habeant ſocios. Excuſantur molitores, quibus licitum eſt die feſto laborare ob neceſſitatem, quæ ſicut excuſat ab opere ſervili in die feſto, ſic excuſat à miſſæ auditione, ſi nequeat miſſa audiri, non intermiſſo opere, & labore: ſic excuſantur paſtores, qui non poſſunt ſine periculo gregis, aut gravis detrimenti miſſam audire, ſic excuſantur, qui in oppidis, ubi unica miſſa celebratur, remanent domi ad cuſtodiam domus, vel cibos præparandos: excuſatur fœmina honeſta, quæ caret veſte, aut focia: excuſatur qui timet domo exeundo ſe invadendum ab hoſtibus, aut à Satellitibus comprehendendum: Excuſatur famulus, ſeu uxor quæ timet rixas, aut verbera, ſi ad miſſam accedat: Excuſantur famuli, ab aliquibus, quando eis præcipitur à Dominis faciendum, tunc temporis, quo miſſa facienda eſt; etiam ſi non timeant ſibi grave damnum, ſed aliquam reprehenſionem, quod non facilè admiſerint, quia quilibet tenetur adimplere præcepta quoties poteſt adimplere abſque gravi incommodo. Excuſantur, qui à principio miſſam non audiunt, qui ad Eccleſiam pervenerunt inchoata jam miſſa, nam per ipſos non ſtat, ne miſſam audiant; cum non habeant copiam alterius Sacerdotis, à quo miſſam audiant à principio, dummodo iſti præviderint fore, ut non pervenerint opportunè ad Eccleſiam, qui item tenetur aliam miſſam audire quatenus opus eſt, ut miſſam audiant, ut ſatisfaciant præcepto, ſi adſit copia alicujus Sacerdotis celebraturi: excuſatur, qui longiùs diſtat ab Eccleſia, in qua re judicanda eſt prudentia habita ratione loci, temporis, & perſonæ, fieri enim poteſt, ut qui tempore ſudo, & ſereno non excuſatur ob gratiam duorum milliarium, exuſatur tamen tempore nivis, aut magnæ pluviæ. Excuſantur demum, qui tenentur in vinculis, aut quibus domus loco carceris conſtituta eſt: verùm qui detinetur domi per vim, vel ægritudine, vel titulo carceris, habens oratorium domi approbatum non teneri quærere Sacerdotem præſertim ſtipendium, ut miſſam in oratorio audiat, quia præceptum non obligat ad hanc diligentiam adhibendam, & ad procurandā miſſam, ſed ad audiendam miſſam. Puella inſuper, quæ credit ab adoleſcente laſcivo, & fragili concupiſcendam, ſi domo exeat, tenetur miſſam prætermittere: quia præceptum miſſæ non obligat quoties illius omiſſione impeditur damnum proximi notabile.

2 Quinam poteſt miſſam audire ob aliquid impedimentum, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die miſſam audire, quia cum præceptum ſit de miſſa audienda diebus feſtis, & non de aliis orationibus recitandis, aut de miſſa alio die audienda, non tenetur recitare alias orationes, aut miſſam alio die audire, ſic qui non poteſt integram miſſam audire, non tenetur partem, quia præceptum eſt de audienda miſſa; non verò de audienda parte.

3 Inculpabilis ignorantia excuſat fideles ab audienda miſſa, & propterea ex culpatur illi, qui miſſam aliquo die prætermittunt, invincibiliter ignorātes eſſe diem feſtum, & ſub ignorantia comprehenditur rationabilis oblivio, vel inconſideratio: eadem enim ratio ignorantiæ, & inconſiderationis eſt.

4 Cenſura excuſat fideles ab audienda miſſa, nam impoſſibile eſt aliquem obligari ad id, à quo per cenſuram tenetur abſtinere, & quod ſine peccato præſtare non poteſt; excuſatur igitur interdictus perſonalis, & excommunicatus: excuſatur qui non habet alium Sacerdotem, quàm Sacerdotem Excommunicatum; vel ſuſpenſum, vel interdictum; ſic tantum excuſatur qui lato interdicto locali generali, non poteſt commodè adire locum non interdictum, nec tenetur fideles tempore interdicti procurare privilegium audiendi miſſam, quia Eccleſia non obligat.

5 Excommunicatus, qui facilè poteſt obtinere abſolutionem excōmunicationis, & ſic miſſam audire, non tenetur ob præceptum miſſæ tollere impedimentum cēſuræ, nec peccat contra præceptum audiendi miſſam, quia per excommunicationem impeditur; ſi autem aliquis prævideat, ſe excommunicandum ob aliquod delictum peccaret ſpecialiter contra præceptum audiendæ miſſæ, non præcavendo delictum, qui autem habet privilegium miſſæ audiendæ, tempore interdicti, peccat eam non audiendo, quia nullum habent impedimentum.

 6 Con-

6 Conſuetudo regionis poteſt aliquando excuſare ab audienda miſſa in die feſto; & propterea per conſuetudinem excuſari poſſunt viduæ, quæ mortuo marito ad certum tempus nō exeunt Domo. Excuſantur puellæ nobiles, quæ non permittuntur miſſā audire donec nuptui tradantur, verùm ſi hujuſmodi puellę ſoleant domo exire ad ludos, & ad alia, conſentaneum eſt, ut etiam ad miſſum audiendam; non tamen damnarem ſub mortali, ubi recepta eſt conſuetudo non exeundi: contrà dicendum fęminas non excuſari à miſſa audienda ob monſtrua temporalia, præciſa debilitate, quia non eſt talis conſuetudo legitima: excuſantur autem fęminæ, quæ domi ſe continent poſt partum non ſolum ob debilitatem, verum etiam ob reverentiam, ubi talis eſt conſuetudo, modò hoc non faciant ad ſervandam purificationem antiquę legis, & moſaicum ritum; non enim hoc tempore ſervanda eſt purificatio antiquę legis, etiam ſi hoc fiat in honorem Beatiſſimæ Virginis.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

Quid ſit Pœnitentia, & quid ſit ejus virtus. Cap. 79.

1 POenitentia venit à verbo pęnitere, quaſi quod ſignificat pęnam tenere, ideſt punire in ſe peccata commiſſa, & pęnitentia dicitur, quaſi pœnam tenenti, quia homo per pœnitentiam pœnam ſubit, & pœnitentia dicitur, quaſi pœnæ tenentia, plangendo iterum non idem admittere, & eſt dolor de peccatis commiſſis.

2 Pęnitentia ſpecialis eſt virtus ſupernaturalis inclinans hominem ad ſatisfaciendum Deo pro injuria & offenſa illi facta, & ad conſervandum jus divinum illęſum. eſt enim virtus, quia inclinat ad honeſtos actus, quod eſt propium virtutis, & eſt virtus ſupernaturalis, quia actus iſtius virtutis diſponunt ad gratiam: actus autem diſponentes ad gratiam ſunt ſupernaturales, ex *Concil. Tri. ſeſ. 6. c. 6. & can. 3.* propriam verò, ut virtutis pęnitentiæ, ut inclinet ad ſatisfaciendum Deo, non enim poteſt alia virtus aſſignari, quæ hoc munus exerceat pręter dictam Pœnitentię virtutem, & cum ſit virtus ſpecialis, eſt virtus diſtincta ab aliis virtutibus, quæ non habent pro objecto ſatisfactionem injurię: objectum verò materiale virtutis pœnitentię eſt peccatum, quod homo deteſtatur, quatenus eſt contra honorem, & auctoritatem Dei, qui habet jus ſuper omnes homines, ratione cuius juris, Dominii, & ſuperioritatis homo ſtare debet voluntati Dei, & ipſius jus ſervare integrum, & illæſum: cum autem hoc jus violetur per peccata & reſarciatur per virtutem pęnitentiæ, ſequitur pęnitentiam habere pro objecto deteſtationem injuriæ Deo factæ, & ſatisfactionem pro injuria, & offenſa divina, & eſſe virtutem diſtinctam ab aliis virtutibus, nam aliæ virtutes licet deteſtentur peccata, tamen non deteſtantur ſub ea ratione, ſub qua deteſtatur pęnitentia, ſcilicet quatenus ſunt injuria Dei, nam Temperantia deteſtatur ebrietatem, quatenus eſt contra objectum Temperantiæ, non quatenus eſt contra jus divinum. Charitas deteſtatur peccata, non ut ſunt injuria, & offenſa Dei, ſed ut ſunt contra Deum ſummè dilectum, & ſic de cæteris virtutibus; ſola virtus Pęnitentiæ deteſtatur peccata, quatenus ſunt injuria Dei.

De neceſſitate Pœnitentiæ. Cap. 80.

1 POenitentia in genere eſt ſimpliciter neceſſaria *ex Luc. 3.* ubi dicitur, niſi pęnitentiam egeritis ſimul omnes peribitis.

2 Actus ſpecialis virtutis pœnitentiæ eſt ſimpliciter neceſſarius ad juſtificationem nonquidem explicitè, ſed implicitè, & æquivalenter, nam ad juſtificationem neceſſe eſt, ut homo velit ſatisfacere Deo, & ſatisfacere eſt actus virtutis pœnitentiæ implicitus, ſicut velle Deo ſatisfacere eſt actus explicitus; ergo actus virtutis pęnitentiæ eſt ſimpliciter neceſſarius ad juſtificationem, ſi non explicitè.

3 Actus dilectionis Dei ſuper omnia, & contritionis continent virtualiter, & æquivalenter actum pęnitentiæ; nam cum in ſe contineant actualem ſatisfactionem, continent etiam voluntatem interpretativam ſatisfaciendi, & actum implicitum pœnitentiæ, undè homo non juſtificatur abſque aliquo actu ſaltem implicito pœnitentiæ, & propterea Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe ſine aliquo actu ſpe-

ſpecialis virtutis pęnitentiæ: & ideò qui vult recipere Sacramentum, vult etiam dolere de offenſa, & injuria Dei, vult Deo ſatisfacere, & inæqualitatem per peccatum poſitam inter Deum, & hominem reſarcire, qui ſunt actus virtutis pœnitentiæ.

4 Actus virtutis pęnitentiæ, quamvis ſit diſpoſitio ad gratiam recipiendam, non tamen eſt ultima diſpoſitio, quia ſolus actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia eſt ultima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum: unde qui cupit extra pęnitentiæ Sacramentum juſtificari, non ſolum debet velle Deo ſatisfacere pro injuria illata, qui eſt actus virtutis pęnitentiæ, verùm etiam debet huic actui actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia conjungere.

De exiſtentia, definitione, neceſſitate, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.
Cap. 81.

1 QUòd ſit, & detur Sacramentum Pœnitentiæ, patet ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 1. & 2. *ex Ioan.* 20. quorum remiſeritis peccata &c. ergo datur pęnitentiæ Sacramentum.

2 Abſolutio à Cenſuris per ſe ſumpta nō eſt Sacramentum: non enim per hanc abſolutionem remittuntur peccata; ſed relaxatur vinculum, & pęna ab Eccleſia impoſita.

3 In lege veteri, in lege ſcripta, vel etiam naturæ non extat pœnitentiæ Sacramentum, quia in *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 3. habetur pęnitentiam non fuiſſe Sacramentum ante Chriſti adventum, nec eſſe poſt adventum illius quidquam ante Baptiſmum, licet extiterit virtus Pœnitentiæ, ideò cum in ſcriptura fit mentio pœnitentiæ, cui Deus promiſit remiſſionem peccatorum, ſermo eſt de pęnitentia interna, ideſt contritione, juxtà illud *Joelis* 2. ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

4 Sacramenti Pœnitentiæ variæ aſſignantur definitiones, ſcilicet pœnitentia eſt Sacramentum abſolutionis, quo Sacerdos ſibi ſubditum peccata ſua cum juſto dolore, & propoſito ſatisfaciendi legitimè confitentem abſolvit ab iiſdem peccatis; ſed nos dicimus Sacramentum Pęnitentiæ eſſe Sacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis, & abſolventis, inſtitutum à Deo per modum judicii emendativi ad remiſſionem peccatorum; quæ definitio eſt optima, nam conſtat ex genere, differentia, & in ea comprehenduntur omnia genera cauſarum. Genus eſt Sacramentum: differentia conſiſtens in actibus, &c. cauſa materialis conſiſtit in actibus pœnitentis, formalis in forma abſolutionis, efficiens miniſterialis eſt Sacerdos, principalis eſt Deus, finalis eſt remiſſio peccatorum.

5 Pęnitentię Sacramentum neceſſarium eſt neceſſitate medii in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccaverunt poſt Baptiſmum, quia ſalus non aliter obtinetur ab illis, qui lapſi ſunt poſt Baptiſmum, quàm per Pęnitentię Sacramentum in re, vel in voto, *ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 2. undè qui mortaliter peccavit poſt Baptiſmum non eſt ſalvandus, niſi recipiat Pœnitentiæ Sacramentum in re, aut eliciat actum contritionis, in qua continetur votum Sacramenti Pęnitentiæ, aut niſi eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia, qui æquivalet actum contritionis.

6 Sacramentum Pęnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate præcepti *ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 2. ubi dicitur: Pœnitentiæ Sacramentum ita neceſſarium eſt lapſis poſt Baptiſmum, ſicut eſt Baptiſmus nondum regeneratis.

7 Tunc remittuntur peccata per Sacramentum Pęnitentiæ in voto, quando remittuntur per contritionem, quæ dicitur votum Sacramenti Pęnitentiæ, ad quod ordinatur cum onere, & propoſito confitendi peccata ſuo tempore, nam qui contritionis actum elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per actum contritionis obtinuit, ſubjicere ſuo tempore Sacramento Pœnitentiæ, nam qui contritionis actum elicit, obtinet remiſſionem peccatorum non ſimpliciter, & abſolutè, vel per ordinem ad futuram confeſſionem, cui Deus vult eadem illa peccata ſubjici; facta autem confeſſione, pęnitens liber remanet ab obligatione, & proptereà contritus tenetur peccata deleta per contritionem aperire in confeſſione ex vi propoſiti, & voti contenti in contritione, unde juſtificatus per contritionem, tenetur adhuc confiteri peccata, à quibus extra confeſſionem media contritione fuit juſtificatus, & ſicut in veteri lege quiſque erat juſtificatus media tantum contritione; non proptereà contritio novæ legis eſt deterioris conditionis, quia contineat oblationem ad confeſſionem, ſed eſt facilius, & certius remedium; quàm ſit ſola

contritio, qui verò non habet copiam confeſſarii, cui peccat confiteatur non ſalvari cum ſola attritione, quia non dicitur habere Sacramentum Pęnitentię in re, vel in voto.

8 Votum Sacramenti Pœnitentiæ quatenus dicit propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, debet eſſe implicitum *ex Trid. ſeſſ.* 14 *cap.* 4. ubi habetur remiſſionem peccati non eſſe attribuendam contritioni, ſine voto Sacramenti, quod in illa includitur; votum autem quod includitur in contritione, eſt implicitum, ergo ad juſtificationem ſufficit votum Sacramenti Pœnitentiæ implicitum.

9 Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè inſtitutum fuit *Joan.* 20. quando Chriſtus poſt Reſurrectionem inſuflavit in diſcipulos ſuos dicens; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, licet inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ fuit inchoata in nocte Cœnæ, quando Chriſtus ordinavit Apoſtolos, eiſque per ordinationem contulit characterem, qui eſt fundamentalis poteſtas abſolvendi; nec eſt dicendum neceſſariò fuiſſe inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ ante inſtitutionem Euchariſtiæ, quæ fuit inſtituta in ultima cœna, nam potuiſſent Apoſtoli accedere cum conſcientia peccati mortalis; quia ſi quis Apoſtolorum habuiſſet conſcientiam peccati mortalis, ſicut habebat Judas, ſufficienter ſe potuiſſet diſponere ad Euchariſtiam abſque confeſſione, præmiſſo contritionis actu; ſed reverà Apoſtoli non habebant conſcientiam peccati mortalis, excepto Juda, ſed receperunt Euchariſtiam in gratia, ut patet ex illis verbis: vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.

10 Quia verò in ultima cœna receperunt Apoſtoli ſacerdotalem ordinem, videtur etiam recepiſſe poteſtatem abſolvendi, undè non videtur inſtitutum eſſe poſt reſurrectionem, ad quod dico Sacerdotes in ſacra ordinatione, non recipere ſimul, & eodem actu poteſtatem conſecrandi, ſed poteſtatem completam abſolvendi, ſed diverſo actu, nam iis verbis, accipite poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia, &c. accipiunt ſolum poteſtatem radicalem abſolvendi, quæ continetur in charactere, non verò accipiunt poteſtatem completam abſolvendi, ſed hanc recipiunt, dum Epiſcopus dicit: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. nec confertur novus character, ſed præcedens extenditur, & perficitur ad completam auctoritatem abſolvendi conferendam, & propterea Pœnitentiæ Sacramentum præcipuè inſtitutum fuit, quando Chriſtus dixit: accipite Spiritum Sanctum, &c. licet Chriſtus ante reſurrectionem remittebat peccata, nam Magdalenæ dixit; remittuntur tibi peccata, &c. non propterea remittebat peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, cum nondum erat inſtitutum, ſed ſua virtute.

De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 82.

1 MAteria remota Sacramenti pœnitentiæ ſunt peccata, quia circa eam verſatur materia proxima, qui ſunt actus pœnitentis, quia verſantur circa peccata, tamquam circa materiam deſtruendam.

2 Peccatum originale, ſive actuale commiſſum ante Baptiſmum non ſunt materia ſufficiens iſtius Sacramenti, quia non ſubjiciunt juriſdictioni, & judicio Eccleſiæ, cum homo dum ea commiſit, non eſſet ſubditus Eccleſiæ, & Eccleſia non judicat de illis, qui non ſunt ſubditi, & ſic definitum eſt in *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 1. & 2. ubi dicitur pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum eſſe ad reconciliandos fideles lapſos poſt Baptiſmum, & propterea hujuſmodi peccata non ſunt materia ſufficiens hujus Sacramenti.

3 Peccata venialia poſſunt eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ, dummodò ſint commiſſa poſt Baptiſmum, quia ut dictum eſt circa ea verſatur materia proxima, qui ſunt actus pœnitentis: non autem ſunt materia neceſſaria, & ſufficiens hujus Sacramenti: quia *Concil. Trid.* aſſerit peccata venialia omitti poſſe in confeſſione abſque peccato, ergo non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, niſi fortè pœnitens dubitat eſſe mortalia: tunc enim tenetur ſubjicere confeſſioni: non tenetur igitur pœnitens in confeſſione manifeſtare peccata venialia, ſive habeat ſola venialia, ſive etiam habeat mortalia ſimul, cum non ſint materia neceſſaria, ſed tantummodò ſufficiens, & licet præcipiatur confeſſio omnium pecca-

cato-

catorum, tamen præceptum divinum non obligat ad confeſſionem venialium, ſed mortalium, ſi quis pœnitens habeat plura venialia, poteſt aliqua confiteri, & alia retinere, ſi voluerit, cum non ſint materia neceſſaria, ſed ſufficiens, poteſt tamen Eccleſia præcipere confeſſionem venialium, quia poteſt plura præcipere ad utilitatem fidelium, ergo poteſt præcipere confeſſionem venialium, quæ eſt opus religioſum, & non excedit materiam præcepti, non autem poteſt ad confeſſionem omnium venialium, cum impoſſibile videatur omnia venialia in memoriam revocare, & ad impoſſibile nemo poteſt obligari.

4 Peccatum dubium non eſt materia ſufficiens hujus ſacramenti, quia re vera non dicitur peccatum, cum dubitatur an ſit peccatum, & in ſacramento pœnitentiæ debet adhiberi materia certa; qui autem habet peccatum dubium debet confiteri, & ſi pœnitens non habet aliud peccatum, quàm peccatum dubium, cum non ſit materia ſufficiens, debet confeſſarius abſolutè, & ſimpliciter impendere abſolutionem pœnitenti, à quo non poteſt extorquere materiam certam, dubius autem debet eſſe pœnitens de facto, cum ſcilicet, an commiſerit tale peccatum, quia quando ſcit ſe commiſiſſe peccatum, ſed dubius eſt, an ſit mortale, tunc confeſſarius, cum habeat materiam certam pœnitentiæ non tenetur impedire abſolutionem.

5 Peccata ſemel dimiſſa poſſunt eſſe materia novæ confeſſionis: quia ad huc pœnitens eſt ſubditus Eccleſiæ, ideò adhuc judicari poterit ab Eccleſia ſi voluerit, quia circa hujuſmodi peccata poteſt adhuc verſari materia proxima: undè peccata eadem poſſunt inſervire pro materia plurium Sacramentorum pœnitentiæ, modò adſit diſtincta materia proxima, idest diſtinctus dolor, & diſtincta confeſſio, & ita pœnitens poteſt aliqua peccata ſemel ritè confeſſa manifeſtare in confeſſione, & alia retinere, quia hujuſmodi peccata non ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiēs, & quia nullo jure conſtat, pœnitentem teneri ad peccata ſemel ritè confeſſa, iterum exponenda in confeſſione, immò liber eſt pœnitens partem peccatorum ſemel ritè confeſſorum manifeſtare hodie, & partem cras in diſtinctis confeſſionibus, ſivè confeſſiones fiant uni, & eidem Sacerdoti, ſivè diverſis, non enim ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens.

Quæ ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 83.

1 Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, videlicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 3.* & licet à Concil. iſti tres actus appellentur quaſi materia, non propterea adhibetur quaſi ad diminuendam proprietatem rei; ſed ad diſtinctionem aliquorum Sacramentorum, quæ habent pro materia res extrinſecas appoſitas, & apparentes, qualis eſt aqua in baptiſmo, panis in Euchariſtia, &c. cum autem actus pœnitentis non ſint res extrinſecus appoſitæ, & viſibiles, dicuntur quaſi materia, non quia ſunt propria materia, ſed quia non ſunt materia extrinſeca, & viſibilis.

2 Contritio, & confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ, ſicut ſatisfactio à confeſſario juncta eſt pars integralis: non enim ſalvatur in ſua eſſentia Sacramentum pœnitentiæ ſine contritione, & confeſſione, ſicut ſalvatur ſine ſatisfactione, & propterea eſt neceſſaria confeſſio, & contritio, ſeu aliquis dolor de eſſentia Sacramenti, alioquin eſſet ſimplex, & hiſtorica narratio: non poteſt autem eſſe accuſatio ſui ipſius ſine aliquo dolore; nec ullus poteſt velle remiſſionem peccatorum, niſi illa aliquo modo oderit; & deteſtetur, & ab eorum affectu recedat: & conſequenter, niſi habeat aliquem dolorem peccatorum; cujus doloris mentionem ſufficientem fecerunt Concilia, dum aſſeruerunt ad confeſſionem requiri ſui ipſius accuſationem, quæ non poteſt eſſe ſine aliquo dolore, ut indicarent Sacramentum non ſolum validè recipiendum eſſe, verum etiam cum fructu; dolor enim requiritur ad ſacramentum cum fructu recipiendum.

3 Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur dolor formalis, ut conſtat ex *Conciliis Florentino, & Tridentino, qui* dum aſſignant partes eſſentiales iſtius Sacramenti, mentionem faciunt doloris formalis: ergo ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur dolor formalis, & propterea ille non recipit Sacramentum Pœnitentiæ, qui cum ſolo actu dilectionis Dei

Digitized by Google

accedit ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, non enim habet dolorem formalem: verùm ſi aliquis accederet ad Sacramentum cum ſolo actu dilectionis Dei, poſſet à peccato excuſari ob ignorantiam, & inadvertentiam, nam hoc faceret bona fide, & implicat aliquem habere actum dilectionis Dei ſuper omnia, & graviter peccare, non tamen reciperet Sacramentum cum ſolo dilectionis actu.

4 Non eſt valida confeſſio venialium facta ſine ullo dolore; & licet homo non teneatur ad confitenda peccata venialia, tamen ſi velit aliqua confiteri, tenetur illorum, quorum intendit abſolutionem obtinere, dolorem formalem habere, cum aliquis dolor formalis ſit de eſſentia iſtius Sacramenti, unde ad validam confeſſionem venialium non ſufficit actus dilectionis Dei, cum dilectio non ſit dolor formalis.

5 Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiritur dolor ſupernaturalis, ſed ſufficit dolor naturalis: nam Chriſtus pro materia Sacramentorum inſtituit rem naturalem, ut aquam naturalem, panem naturalem, oleum naturale, &c. ergo etiam dolorem naturalem; quia cum dolore naturali poſſunt concurrere omnes partes neceſſariæ, & fieri poteſt vera accuſatio; concedo quidem ad valorem Sacramenti, & ad ipſius fructum ſufficere contritionem, aut attritionem ſupernaturalem, quæ perfectior eſt actu naturali, ſed nego eam requiri, & non ſufficere dolorem naturalem ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, quamvis ad ipſius fructum requiratur dolor ſupernaturalis, & propterea, quando Concilia aſſerunt ad Sacramentum requiri attritionem, quæ eſt donum Dei, & conſequenter actus ſupernaturalis, loqui de attritione requiſita ad fructum; unde licet validum ſit Sacramentum pęnitentię, quando pœnitens accedit ad accipiendam abſolutionem, cum ſola naturali attritione, tamen Sacramentum eſt informe, & non confert fructum: illud autem eſt ſacramentum informe, quod non eſt conjunctum cum gratia, & charitate, cum charitas dicatur forma omnium virtutum, & ſic Sacramentum pœnitentiæ dicitur formatum, quando conjunctum eſt cum charitate, quæ gratiam comitatur.

* *Innoc. XI. die 2. Martii 1679 damnat infraſcriptam propoſitionem. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.*

6 Ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ non requiritur, ut dolor, qui eſt pars eſſentialis Sacramenti, ſit vera attritio: quia ad validitatem Sacramenti ſufficit dolor naturalis: vera autem attritio eſt dolor ſupernaturalis, ut dicetur; nam poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ, & non conferre gratiam defectu doloris: ſed ſi dolor, qui eſt pars eſſentialis, debet eſſe vera attritio, numquam daretur Sacramentum pœnitentiæ, abſque gratia: quia poſita vera attritione, Sacramentum producit ſuum effectum, *ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & 5.* dolor autem, qui eſt pars eſſentialis, debet eſſe efficax, ut videlicet excludat voluntatem abſolutam peccandi in futurum, ut patet, *ex Conc. Trid. ſeſſ. 24.* ubi dicitur, ad confeſſionem requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat.

7 Satisfactio non eſt pars eſsentialis, ſed integralis Sacramenti pœnitentiæ; quòd non ſit pars eſsentialis patet, quia eſsentia Sacramenti ſalvatur ſine ſatisfactione; immò Sacramentum ante ſatisfactionem expletam confert ſuum effectum, ideſt remiſſionem culpæ, ut patet in eo, qui facta confeſſione, & obtenta abſolutione, ſtatim moritur, antequam adimpleat pœnitentiam, vel eam recipiat: quòd autem ſit pars integralis ſatisfactio injuncta à confeſsario eſt certum; quia ſatisfactio eſt pars materiæ proximæ Sacramenti pœnitentiæ, & ut ad integritatem Judicii pertinet punitio, ſeu ſatisfactio pro delicto, ita cum hoc Sacramentum exerceatur per modum judicii, ſequitur ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ pertinere ſatisfactionem, ſine qua, ſi aliquando Sacramentum recipiatur, vel ſine actuali ſatisfactione, non autem eſt integrum, & perfectum ſine ſatiſfactione.

8 Tres actus, & non plures ſunt inſtituti pro materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, quia cum offendatur Deus corde, ore, & opere, par fuit, ut aliquid inſtitueretur, per quod poſsemus Deo ſatisfacere corde, ore, & opere; corde per contritionem; ore per confeſſionem, & opere per ſatisfactionem.

9 Dolor tempore antecedens confeſsionem ſufficit ad Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum, ſi formaliter, aut virtualiter referatur ad confeſsionem, ut ſi quis doleat de peccatis cum propoſito illa confitendi,

vel

vel eum dolore recogitet peccata ſua, ut ea confiteatur, deinde virtute illius propoſiti, ſeu intentionis confiteatur illa peccata, & licet dolor præceſſerit confeſſionem, moraliter tamen conjungitur confeſſioni, quæ fit virtute illius doloris anteà eliciti, & illa confeſſio cenſetur accuſatoria, cum fiat virtute præcedentis doloris relati ad confeſſionem, & propterea, qui ante confeſſionem recogitavit peccata ſua cum dolore, & poſteà virtute illius præcedentis recogitationis, & doloris confitetur peccata ſua, obtinet Sacramentum Pænitentiæ, quamvis poſteà in confeſſione ob diſtractionem, vel ob aliam cauſam non renovet dolorem; non eſt autem opus, ut dolor antecedat tempore ipſam confeſſionem, ſed ſufficit, ut eliciatur in ipſamet confeſſione, vel etiam facta confeſſione, antequam pœnitens abſolvatur, quià uſu receptum eſt, ut pœnitens facta confeſſione excitetur ad deteſtationem, & dolorem peccatorum, antequam ipſi Sacramentalis abſolutio impendatur; ergo ſignum eſt non opus eſſe, ut dolor tempore præcedat confeſſionem, ſed ſufficere, ſive dolor antecedat confeſſionem, & non ſit revòcatus, ſive ipſam comitetur, ſive ipſam ſubſequetur, modò eliciatur ante abſolutionem.

10 Confeſſarius liber eſt ad injungendam pœnitentiam ante, vel poſt abſolutionem, niſi timeatur fore; ut pœnitens obtenta abſolutione non acceptet iſtas pœnitentias; quia nihil refert, ſivè injunctio pœnitentiæ antecedat, ſive ſubſequatur abſolutionem, modò impſitio pœnitentiæ moraliter jungatur cum abſolutione. Caveat confeſſarius, ne pœnitentiam ſtatim poſt confeſſionem adimplendam injungat, quando pœnitentia talis naturæ eſt, ut ſecretò fieri non poſſit; confeſſarius enim curare debet, ne cæteri videntes fieri graves pœnitentias ſtatim poſt confeſſionem, vel paulò pòſt, ſuſpicentur eas fieri ob gravia peccata.

Quæ ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 84.

1 FOrma Sacramenti Pœnitentiæ eſt, ego te abſolvo à peccatis tuis, immò ad valorem, & eſſentiam Sacramenti ſufficiunt hæc duo verba explicitè prolata, abſolvo te, ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c.*3. ubi habetur formam hujus Sacramenti præcipuè ſitam eſſe in his verbis, ego te abſolvo, &c quibus licet de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjungantur, tamen ad ipſius eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ, ſicut non eſt neceſſarium adjungere invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, putarem tamen non poſſe omitti abſque peccato ſaltem veniali, quia non licet facere contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, remanet tamen abſolutus in eo inſtanti, in quo perficiuntur illa duo verba, abſolvo te, modò Sacerdos ſufficientem habeat intentionem.

2 Valida eſt abſolutio hoc modo collata, ſcilicet abſolvatur ſervus Chriſti, quia his verbis exprimitur actio, quatenus exercetur à miniſtro per modum impetrativum ſi quis verò dicat: abſolvat te Deus, non validè abſolvit, quia oſtendit tantum, quod Deus facit, non autem oſtendit ſe hoc facere tamquam judicem, ſed potius tamquam præconem.

3 Sacerdos ſemper verè abſolvit à peccatis, modò non adſit obex ex parte pœnitentis, quamvis autem Deus ſit auctor principalis, cui ſimpliciter tribuitur remiſſio peccatorum, & pœnæ, non tamen excluditur, quin ſacerdos ſit cauſa minus principalis, & miniſter remiſſionis peccatorum, & quin propriè dicatur abſolvere à peccatis, quæ ſunt quædam vincula, quibus vinctus detinetur peccator, & ſunt quædam maculæ diluendæ per Sacramentum Pœnitentiæ, ita colligitur ex *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *can.* 9.

4 Sacerdos poteſt his verbis, abſolvo te uti validè ad abſolvendum à peccatis, & ſimul à cenſuris, modò tamen Sacerdos iiſdem verbis intendat abſolvere à cenſuris, & à peccatis, in quo caſu abſolutio à cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis: & licet abſolutio à cenſuris non ſit Sacramentalis, & à peccatis ſit Sacramentalis, non tamen dicendum unam eamdemque formam non poſse eſse Sacramentalem & non Sacramentalem habita ratione ad diverſos effectus, & fines à Sacerdote intentos; unde eadem forma materialiter ſumpta poteſt eſse Sacramentalis, & non Sacramentalis: formaliter verò ſumpta non poteſt eſse Sacramentalis, & non Sacramentalis.

Utrum

Utrum Pœnitentiæ Sacramentum ſit validum, ſi contingat aliqua mutatio in verbis formæ. Cap. 85.

1 SI mutatio in verbis formæ eſt ſolum accidentalis, & non ſubſtantialis, eſt ſemper validum Pœnitentiæ Sacramentum; quià mutatione ſubſtantiali non remanet idem ſenſus, ut eſt neceſſarium: ſecus dicendum, quandò mutatio eſt tantùm accidentalis, quià remanet idem ſenſus, & eadem ſignificatio, & conſequenter eadem forma à Chriſto præſcripta, undè valida eſt forma, ſi loco abſolvo, dicatur remitto, vel condono peccata, vel Sacramentum abſolutionis impendo: vel ſi di at abſolvendo Regem, abſolvo majeſtatem tuam, vel ſi loco ego, dicat nos, vel ſi plures abſolvendo dicat vos, vel ſi plures in periculo naufragii exiſtentes unica forma abſolvat, vel ſi dicatur: remittuntur peccata, vel tu abſolveris, vel ſi dicatur, ego peccator, & indignus Sacerdos abſolvo te non mea poteſtate, ſed auctoritate Chriſti, quia ſubſtantialiter non mutat ſignificationem formæ, ſic validum eſt Sacramentum cum forma modo imperativo prolata, ut ſi dicatur abſolvaris à me, vel abſolvatur ſervus Chriſti.

2 Non eſt validum Sacramentum pœnitentiæ adminiſtratum ſub forma modo deprecativo, ut ſi dicatur abſolvat te Deus, quia non remanet idem ſenſus in verbo deprecativo, & in verbo abſolvo, quia per verbum abſolvo oſtenditur id, quod fit per deprecativum, vel deſiderium illius, quod fieri optatur. Potuiſſet tamen Deus pœnitentiæ Sacramentum inſtituere cum forma deprecativa, ſicut fecit in forma extremæ unctionis, cum infinita virtus Dei non ſit alligata: hoc tamen de facto non facit, ſed ipſa pœnitentiæ Sacramentum inſtituit per modum judicii: ſicut autem in judicio non ſufficit ferre ſententiam modo optativo, ita neque ſufficit in Sacramento pœnitentiæ formam abſolutionis modo optativo proferre.

3 Non eſt valida hæc forma: jubeo te abſolutum, vel placet te non teneri, &c. quia vid. tur adeſſe mutatio ſubſtantialis, cum per iſtum modum loquendi non ſignificetur actualis actio, ſcilicet liberatio, & abſolutio à peccatis, nec eſt valida, ſi omittatur particula, te; ratio patet ex auctoritate Tridentini, & Florentini aſſerentium formam abſoluti nis eſſe, te abſolvo.

4 Mortaliter peccat, qui dubiam formam adhibet, de qua inter doctores dubitatur an ſit ſufficiens, & conſequenter verum Sacramentum conficiatur, ſicut etiam peccat, qui mutat formam, etiam ſi eadem ſignificatio remaneat, nam tenetur quiſque ſe communi uſui Eccleſiæ, accomodare, & hoc peccatum videtur mortale ex ſuo genere, cum ſit peccatum ſacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam.

Utrum ſit validum Pœnitentiæ Sacramentum, quando in forma apponitur aliqua conditio. Cap. 86.

1 VAlidum eſt Sacramentum pœnitentiæ, quando aliqua conditio de præſenti, vel de præterito apponitur in forma, ut ſi dicatur, ſi non es abſolutus, ego te abſolvo, vel ſi Deus vult, vel ſi poteſt abſolvi, vel ſi ego poſſum te abſolvere; te abſolvo idem dici poteſt, quando vix colligitur, an ea, quæ fatetur, ſint peccata; tunc enim manente dubio poterit confeſſarius juxtà ſuum prudens judicium abſolutionem conferre ſub hac conditione exterius prolato, vel mente retenta, ſi habes peccatum ego te abſolvo, &c. melius tamen eſt in tali eventu curare, ut pœnitens aliquod anteactæ vitæ peccatum exprimat; idem dicendum eſt, quando confeſſarius dubitat, an protulerit formam abſolutionis, tunc enim facilè poteſt repetere formam ſub conditione; ſi non es abſolutus: conditio autem de præſenti, vel de præterito non eſt propriè conditio, neque ſuſpendit actum; cum Sacerdos intendat abſolvere de præſenti, ſi res ita ſe habet ſicut exprimitur in conditione.

2 Sacramentum pœnitentiæ non eſt validum, quando formæ additur conditio de futuro, quia vel Sacramentum eſt validum ſtatim prolata forma, vel eſt validum adveniente conditione; non eſt validum ſtatim prolata forma, quia Sacerdos non habet tunc intentionem abſolvendi, & ſine miniſtri intentione non ſit Sacramentum, nec eſt validum adveniente conditione, quia tunc non adeſt materia, & forma, ſine quibus non poteſt fieri Sacramentum, ergo Sacramentum nullo modo eſt validum,

quan-

quando formæ additur conditio de futuro, & propterea non eſt validum pœnitentiæ Sacramentum, ſi dicatur; ego te abſolvo, ſi Epiſcopus conſenſerit, vel ſi ſatisfecerit, vel Sacerdos carens jurisdictione dicat abſolvo te, ſi Epiſcopus ratam habuerit abſolutionem.

Utrum abſolutio circa eadem peccata ſemel ritè confeſſa poſſit iterari. Cap. 87.

1 INdiſtinctis confeſſionibus validè, & licitè iterari poteſt abſolutio ſuper iiſdem peccatis ſemel ritè confeſſis, quia ex uſu Eccleſiæ confeſſionis generales peccatorum ritè confeſſorum denuò confiteri poſſunt, dico indiſtinctis confeſſionibus, quia forma abſolutionis non poteſt abſque peccato mortali ſacrilegii in eadem confeſſione iterari: quia ſuper eadem materia proxima non poteſt iterari forma, niſi pœnitens novam materiam primam ſubjiciat, & nova peccata ſubjungat, ſeu niſi repetat peccata, aut ſe iterum ſaltem in genere accuſet de peccatis ante dictis addito novo doloris actu.

2 Extat obligatio confitendi peccata, quorum quis ſemel obtinuit abſolutionem: quando pœnitens ſolùm indirectè abſolutus fuit à peccatis, & quando quis confitetur peccata ſua inferiori Sacerdoti: à quo abſolvitur: ſed pro abſolutione reſervatorum mittitur ad Superiorem, quamvis enim indirectè abſolvatur à reſervatis per abſolutionem obtentam ab inferior nihilominus tenetur eadem peccata reſervata confiteri ſuperiori, ut directam obtineat abſolutionem: præterea ſi quis in confeſſione inculpabiliter alicujus peccati mortalis, tenetur illud ſi venerit in mentem in alia confeſſione confiteri, quamvis in prima confeſſione abſolutionem illius indirectè obtinuerit.

3 Non extat obligatio univerſalis, qua fideles teneantur iterum confiteri peccata, à quibus directam anteà obtinuerunt abſolutionem, quia in *Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* dicitur ea peccata eſſe confitenda, quorum quis habet conſcientiam; dixi non extare obligationem univerſalem, &c. quia non loquor de particulari obligatione, quam conſtat apud nonnullos religioſos vigere, ut apud Ciſtercienſes, qui ex præcepto regulæ, in quam ipſi conſenſerunt, tenentur eadem peccata, quæ aliis confeſſariis expoſuerunt, ſemel in anno ſuis abbatibus confiteri; præterea conſtat hujuſmodi obligationem particularem extare apud eos, qui voverunt confeſſiones generales: nam hæc eſt materia voti, & præcepti.

4 Eccleſia poteſt concedere legem obligantem fideles ad iterum confitenda peccata, ritè ſemel confeſſa ob juſtam, & rationabilem aliquam cauſam: quia ſi Chriſtus facta confeſſionis inſtitutione non præcepiſſet confeſſionem, Eccleſia poſſet illam præcipere, & ſicut Eccleſia poteſt præcipere confeſſionem peccatorum venialium ergo poteſt etiam præcipere confeſſionem peccatorum mortalium aliàs per confeſſionem abſolutos.

Utrùm abſolutio Sacramentalis poſſit abſenti validè conferri. Cap. 88.

1 ABſolutio collata pœnitenti abſenti non eſt valida, licet pœnitens in articulo mortis exiſtat ex decreto Clementis VIII. ſuper hoc edito decernitur abſolutionem abſenti collatam eſſe invalidam, & afficiuntur excommunicatione Summo Pontifici reſervata, qui abſolvunt abſentem, vel dicunt, vel docent aliquem poſſe per litteras, vel per nuntium confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, valida tamen eſt, ſi pœnitens mittat peccata ſua confeſſario, deinde in præſentia ejuſdem confeſſarii dicat ſe de omnibus illis accuſare, & ab eodem confeſſario abſolutionem obtineat in præſentia, quia nihil deſiderari videtur ad validitatem confeſſionis.

Utrùm abſolutio dari poſſit in ſcriptis, vel neceſſariò voce referenda ſit. Cap. 89.

1 ABſolutio non poteſt dari in ſcriptis, vel aliis ſignis, ſed neceſſariò voce ferenda eſt, quia *Concil. Florent.* loquens in ſpecie de forma Sacramenti pœnitentiæ dicit formam hujus Sacramenti eſſe verba abſolutionis, quæ proferuntur à Sacerdote, cum dicit ego te abſolvo: unde non ſufficit dare eam in ſcriptis, vel aliis ſignis: differentia autem eſt inter confeſ-

feſſionem, & abſolutionem, quæ debet proferri: confeſſio verò fieri poteſt aliquando nutibus, & ſignis; ſimiliter differentia eſt inter Sacramentum matrimonii, & Pœnitentiæ, cujus abſolutio non poteſt dari nutibus, & ſignis: matrimonium verò poteſt celebrari per nutus, ſigna, & inter abſentes: inſuper eſt differentia inter abſolutionem cenſurarum, & peccatorum, quorum abſolutio non poteſt dari per nutus, & ſigna: cenſurarum verò poteſt ſolis ſignis ſaltem à Summo Pontifice.

Quid ſit contritio, & ad quam virtutem pertineat, & de ejus neceſſitate.
Cap. 90.

1 CONtritio eſt actus Charitatis, quo quis deteſtatur omnia ſua peccata ſuper omnia deteſtabilia, quatenus ſunt malum Dei, ſeu quatenus ſunt offenſa Dei, cum propoſito non peccandi in futurum: per verbum deteſtatur poſitum in definitione, intelligitur actus diſplicentiæ, quo diſplicent peccata: contritio autem non eſt quæcunque deteſtatio, & diſplicentia, ſed eſt deteſtatio cauſativa doloris, triſtitiæ, & afflictionis: qualis deteſtatio non poteſt eſſe in Deo, in Angelis, & Beatis, quia ipſis diſplicent, & deteſtantur peccata: quamobrem *Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 14. definiens contritionem, dicit eſſe animi dolorem, & deteſtationem: duplex autem eſt dolor, unus in voluntate, qui eſt diſplicentia, & deteſtatio peccatorum, alter in ſenſu, qui provenit à primo, & eſt triſtitia, & afflictio conſtringens, & affligens cor; cum autem diſplicentia, & deteſtatio peccatorum, quam Beati habent, non ſit cauſativa doloris, ſicut eſt in viatoribus, ſequitur in Beatis, & Angelis non dari contritionem, ſed in viatoribus.

2 Contritio eſt actus elicitus non ab habitu pœnitentiæ, ſeu ab habitu Charitatis, ſed ad Charitatem pertinens: quia contritio, & deteſtatio peccatorum pertinet ad illam virtutem, ad quam ſpectat gaudere de bonis Dei; ſed ad charitatem pertinet gaudere, & delectari de bonis Dei, ergo contritio ſpectat ad charitatem, & eſt actus ab habitu charitatis elicitus, quando eliciens actum contritionis habet habitum charitatis, non nego tamen quin etiam pœnitentiam deteſtetur peccata ſub ſua ratione formali, ſed nego actum contritionis, quo, qui deteſtatur peccata, ut ſunt offenſa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei eſſe actum elicitum à pœnitentia, cum contritio ex ſe ſufficiens ſit ad recipiendam gratiam.

3 Contritio duplex eſt, prima ſcilicet, & ſecunda; ſecunda eſt illa, quæ elicitur ab homine juſto in gratia Dei exiſtente: prima verò eſt illa, quæ cum auxilio Dei ſupernaturali elicitur ab homine peccatore: ſecunda contritio elicitur ab habitu charitatis, qui ſupponit hominem juſtum habentem gratiam, cum qua conjunctus eſt habitus charitatis: prima verò contritio, non eliciatur ab habitu charitatis; cum non elicitur ab homine juſto habente gratiam, & charitatem, ſed elicitur à voluntate cum auxilio ſuperna urali ſupplente habitum charitatis.

4 Contritio, quæ eſt & diſpoſitio ad gratiam, & remiſſionem peccatorum, poteſt dici informis, ideſt ſine gratia, & charitate habituali, ſi contritio conſideretur, ut diſpoſitio, quia diſpoſitio prius concipitur, & eſt prior eo, ad quod eſt diſpoſitio: ſic eſt contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, & remiſſionem peccatorum, ut patet ex *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. ergo prima contritio eſt prior natura ipſa gratia, & remiſſione peccatorum, & habitu ipſo charitatis, & licet ſit ſimul tempore cum gratia, & habitu charitatis, tamen natura eſt prior ipſa gratia, ſi conſideretur, ut diſpoſitio ad gratiam; conſequenter prima contritio non eſt diſpoſitio ad gratiam, ut formata, ſed ut informis, nec eſt actus elicitus ab habitu charitatis, ſed à voluntate auxilio ſupernaturali ſupplente vicem habitus charitatis, & ſic quando dicitur contritionem eſſe actum elicitum ab homine charitatis, intelligitur quoties elicitur ab homine juſto: quando verò dicitur ſpectare ad habitum charitatis, intelligitur quatenus dicitur ab homine peccatore, cum auxilio ſupernaturali ſupplente vicem habitus charitatis.

5 Contritio propriè accepta, in lege nova non eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medii ad juſtificationem, & ſalutem, quia aliquando poteſt obtineri ſalus abſque contritione, ut patet in homine juſto, qui ſi repente moriatur, ſalutem obtinet, eti-

etiam ſi contritionis actum non habeat, habet enim gratiam, & conſequenter jus ad gloriam: ſic etiam pœnitens, qui pœnitentiæ ſacramentum recipit cum ſola attritione, & ſine contritione juſtificatur, conſequenter poteſt ſalvari: ergo contritio non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, & ſalutem.

6 Contritio dicenda eſt neceſſaria ex ſuppoſitione, quod aliquis juſtificari velit extra uſum Sacramenti, cum ad juſtificandum extra ſacramentum requiratur contritio formalis, aut virtualis, quæ conſiſtit in dilectione Dei: homo enim, quod juſtificetur extra uſum ſacramenti per contritionem formalem colligitur ex 18 *Ezech.* ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita vivet, & non morietur, quod verò juſtificetur aliquando per contritionem virtualem, ſeu per dilectionem Dei, colligitur ex *Proverb.* 8. Ego diligentes me diligo, & *Io.*14. Qui diligit me, diligetur à fratre meo.

7 Qui fuit juſtificatus per dilectionem Dei, quæ dicitur dolor virtualis, tenetur dolore formaliter de peccatis mortalibus quando venerint in memoriam, & hæc eſt differentia inter actum dilectionis, quo remittuntur peccata mortalia, & actum dilectionis, quo remittuntur venialia; nam ille includit votum, & propoſitum dolendi de mortalibus, quando venerint in memoriam, hic verò non includit votum, ſed propoſitum, aut obligationem dolendi de venialibus, quando venerint in mentem.

8 Patet præceptum eſſe pœnitentiam de mortalibus, ut fiat compenſatio pro culpa commiſſa, non verò de venialibus: quamobrem qui in periculo mortis exiſtit, ſi actum contritionis de mortalibus non eliciat graviter peccat, ſecus de venialibus, quamvis cognoſcat ſe habere peccata venialia, aut quamvis in illis complaceat, nam peccata venialia non ſunt propriè injuria Dei, cum non avertant à fine ultimo.

9 Licet probabile ſit, & in praxi conſulendum quod dictum eſt in ſuperioribus ad ſeptimum ſcilicet, qui fuit juſtificatus per dilectionem Dei, quæ dicitur dolor virtualis, tenetur dolere formaliter de peccatis mortalibus, quando venerint in memoriam; nihilominus in rigore loquendo probabilius cenſeo, cum qui fuit juſtificatus per pœnitentiam ſolum virtualem, non recordans alicujus mortalis peccati, non teneri ad eliciendum actum doloris poſtquam peccata venerint in mentem, niſi fortè velit pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere, aut niſi alio titulo teneatur contritionis actum elicere, quia vel tenetur jure poſitivo divino, vel jure naturali: non jure naturæ, nam jure naturę tenemur ad pœnitentiam formalem, juſtificemur, & reconciliemur Deo, hic autem juſtificatus fuit, & reconciliatus Deo per pœnitentiam virtualem, ſeu per dilectionem: neque tenetur jure divino poſitivo, quia hoc jus non poteſt aſſignari, & quia ubi ſcriptura loquitur de neceſſitate pœnitentiæ, ſermo eſt de peccatoribus, nam juſti non indigent pœnitentia.

10 Contritio in veteri lege fuit neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, & ad tollendum peccatum actuale, quia Sacramenta cum in veteri lege non conferrent ipſo facto gratiam, nec aliud eſſet remedium, quo ſe poſſent homines in gratia Dei conſtituere præter contritionem juxta illud *Ezech.* 18 Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita vivet, & non morietur, ſequitur contritionem in veteri lege fuiſſe neceſſariam ad tollendum peccatum actuale neceſſitate medii.

11 Contritio propriè ſumpta neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quia ea prætermiſſa ſalus non obtinetur, ergo neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, & licet aliquando homo poſſit ſalvari, & juſtificari ſine contritione, non tamen ſequitur præceptum contritionis nunquam obligare, aut non extare præceptum contritionis, obligans in aliquibus caſibus, quod præceptum eſt naturale, & divinum, naturale quatenus poſita offenſa, jus naturale dictat offenſam reſarciri, & ſatisfactionem pro offenſa præſtari; Divinum verò quatenus Deus non vult peccatum remitti, niſi per dolorem perfectum contritionis, aut per imperfectum conjunctum cum Sacramento.

12 Præceptum contritionis de ſe, & vi propria obligat in periculo mortis; corporalis verò, vel putato, vel etiam in periculo amentiæ, ſaltem quando non adeſt copia confeſſarii, cui fiat confeſſio cum attritione, quia in tali eventu maxima eſt neceſſitas, per quam homo ſe debet ad Deũ convertere, alioquin prætermiſſo contri-

tionis

tionis actu exponit ſe periculo damnationis, ergo ſi præceptum contritionis unquam per ſe obligat, arctè obligat in periculo mortis; vel etiam perpetuæ amentiæ.

13 Qui ſuſcepturus eſt, vel adminiſtraturus aliquod Sacramentum, & ſit in mortali peccato, tenetur actum contritionis elicere, ut dignè recipiat, vel adminiſtret Sacramentum, non poteſt autem dignè ſuſcipere, vel adminiſtrare, niſi peccatum deleat per confeſſionem, vel contritionem ſaltem.

14 In ſuſceptione Baptiſmi, vel Pœnitentiæ non requiritur contritio, ſed ſufficit attritio, quia hæc duo ſacramenta cum ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam, non ſupponunt gratiam in ſubiecto, ſed eam conferunt ſubiecto attrito.

15 Preceptum contritionis non obligat, quando facienda eſt publica oratio, quia ex nullo jure colligitur præceptum contritionis in tali eventu obligare, cum Deus exaudiat etiam peccatores cum fide petentes, nec obligat in die feſto, quia nullibi extat præceptum hoc; nec obligat ſtatim, atque mortaliter peccavit, quia homines communiter non putant ſe reos novæ culpæ, ſi pœnitentiam non agunt ſtatim poſt peccatum, neque ſolent de hujuſmodi peccato in confeſſione accuſare, nec obligat contritionem habere de peccatis commiſſis, quoties memoriæ occurrunt, quia nulla ſufficienti ratione probatur teneri contritionem de hujuſmodi peccatis habere, & nimis durum eſſet obligare peccatorem ad contritionem habendam de peccatis, quoties illorum recordatur. Jugum enim Chriſti ſuave eſt.

De neceſſitate doloris, vel attritionis requiſitæ ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu.

Cap. 91.

1 Attritio eſt quidam dolor imperfectus de peccatis ad diſtinctionem contritionis, quæ eſt dolor quidam perfectus, quo quis deteſtatur peccatum, ut eſt offenſa Dei.

2 Attritio neceſſaria eſt ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu, quia ad Sacramentum requiritur materia: attritio autem eſt pars materiæ Sacramenti, & Chriſtus dixit: niſi pœnitentiam egeritis ſimul omnes peribitis; hæc autem pœnitentia eſt ſaltem attritio conjuncta cum Sacramento pœnitentiæ, ergò non poteſt aliquis ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum cum fructo accedere, niſi ſaltem attritionis actum habeat, alioquin poſſet aliquis ſalvari ſine pœnitentia.

3 Non ſufficit quælibet attritio ad gratiam, & ad fructum in Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendum, nam ſi ſit dolor ex motivo turpi, vel ſit ob finem naturalem, non ſupernaturalem, qualis finis requiritur; vel attritio ſit particularis, non univerſalis, ut ſi doleat de peccato carnis, non de furtis, vel attritio ſit inefficax, quando quis dolet de peccatis, ſed non habet abſolutum propoſitum formale, aut virtuale vitandi peccata in futurum, nulla harum attritio eſt ſufficiens ad gratiam, & ad fructum in Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendum: quod non ſufficiat ex motivo turpi patet, quia potius erit peccaminoſa, & pernicioſa, & contraria gratiæ: quod non ſufficiet ob finem naturalem: ratio eſt, quia actus naturalis non poteſt eſſe diſpoſitio ad formam ſupernaturalem, qualis eſt gratia, non ſufficit attritio inefficax, quia ex *Trid.* requiritur talis dolor, qui excludat voluntatem peccandi, attritio debet eſſe univerſalis, non particularis, dolor enim debet eſſe talis, quo retractetur voluntas, & tollatur effectus ad peccatum, & excludatur omnis voluntas peccandi, talis autem dolor non poteſt eſſe, niſi ſit univerſalis de omnibus peccatis, cum fieri poſſit, ut quis deteſtetur unum genus peccati, & aliud amet, & appetat, ex quo ſequitur, qui facto examine conſcientiæ, recordatur aliquorum peccatorum, & aliquorum obliviſcitur, non obtinere remiſſionem peccatorum, ſi dolorem ſolum habeat eorum peccatorum, quæ menti occurrunt: hic enim non dicitur habere dolorem univerſalem: proptereà conſulendum eſt pœnitentibus, ut facto examine conſcientiæ non ſolùm deteſtentur peccata, quæ in mentem venerunt, verùm etiam alia, ſi quæ fortè commiſerunt.

4 Attritio ſupernaturalis, & efficax eſt ſufficiens ad recipiendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ: quæ elicitur impulſu Spiritus Sancti excitantis, & moventis hominem ad talem actum eliciendum, & hæc attritio duplex eſt; una, qua quis deteſtatur peccatum ob turpitudinem ipſius pec-

Digitized by Google

peccati, vel quatenus eſt injuria Dei, vel quatenus eſt malum, vel quatenus eſt cauſa mali; altera eſt, qua quis deteſtatur peccatum ob timorem gehennæ, aut aliarum pœnarum, & ad iſtam attritionem revocatur dolor, & deteſtatio peccati ex amore vitæ æternæ, & ſic dum non ſufficit aliqua ex narratis attritionibus, & conſequens eſt, ut hæc ſola ſit ſufficiens ad gratiam conſequendam in Sacramento pœnitentiæ, ut habetur in *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* unde qui recipit Sacramentum pœnitentiæ cum deteſtatione omnium ſuorum peccatorum ob timorem gehennæ, vel alterius pœnæ, quæ à Deo infligitur, ſequitur obtinere remiſſionem ſuorum peccatorum.

5. Homo tripliciter poteſt dolere de peccatis ob timorem pœnæ, primò ob timorem pœnæ excitativæ, ſeu ob cauſam extrinſecam, quatenus ſcilicet homo timorem pœnæ accipit occaſionem dolendi de peccatis, & præſtandi aliquod bonum opus, & hic eſt bonus dolor, quia eſt conſuetus, & ordinarius modus, quo Deus pertrahit ad meliorem frugem, ut patet ex illo loco: niſi pœnitentiam egeritis ſimul omnes peribitis. Secundò poteſt dolere de peccatis ob timorem pœnæ tanquam ob finem proximum, non excludendo ultimum finem, ideſt Deum, ad cujus gloriam hoc totum referri poteſt, qui eſt bonus, & laudabilis ex *Trid ſeſſ. 14. Can. 4. & ſeſſ. 6. can. 8.* quia deteſtetur peccatum ob pœnam, quæ licet in hoc caſu ſit finis proximus, non tamen excludit ultimum finem. Tertiò dolere poteſt de peccatis ob timorem pœnæ; ſed cum tali affectu, ut ſi pœna non eſſet, non præcaveret peccatum, qui dolor non eſt bonus, ſed malus, & peccaminoſus, nam includit effectum actualem ad peccatum.

6. Ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum requiritur attritio ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14* ubi dicit in ſuſceptione Sacramenti non remitti peccata ſine motu pœnitentiæ, quam pœnitentiam poſteà *ſeſſ. 14. c. 4* dividit in contritionem, & attritionem, ergò ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu requiritur motus pœnitentiæ, ideſt attritio, & non ſufficit deteſtatio peccatorum incluſa in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, nec ſufficit attritio putata, niſi verè ſit attritio, nec ſufficit actus, quo quis dolet ſe non habere attritionem peccatorum, quia hujuſmodi dolor carentiæ attritionis: ad recipiendum igitur Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu requiritur attritio ſupernaturalis, efficax, univerſali cum propoſito non peccandi de cætero, non enim poteſt attritio eſſe efficax, & univerſalis, niſi excludatur voluntas peccandi in futurum, & includatur propoſitum non peccandi, quare, qui ſecum deliberavit potiùs peccare mortaliter, quàm mori, illi deneganda eſt abſolutio, quia non habet propoſitum non peccandi.

7 Sufficit tamen propoſitum virtuale, quo quis ita deteſtatur peccatum, ut ſi menti occurrerent peccata, futura firmum eliceret propoſitum illud præcavendi in futurum, nam quis poteſt efficaciter dolere de peccato cum propoſito virtuali, non advertens ad peccata in futurum.

8 Ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur contritio, ſed attritio: quamvis non putetur contritio, ſed cognoſcatur eſſe attritio; quia in *Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* habetur hominem virtute Sacramenti juſtificari cum attritione.

9 Attritio multum differt à contritione, quia attritio dicitur dolor imperfectus, & contritio perfectus, nam contritio deteſtatur peccata, quatenus ſunt Dei offenſa, ſeu malum, attritio verò deteſtatur ob metum gehennæ, aut aliarum pœnarum, ut pœnæ damni, aut amiſſionis gloriæ, & gratiæ, vel ob turpitudinem illius peccati. Contritio eſt actus charitatis; attritio eſt actus virtutis pœnitentiæ. Contritio eſt ex ſe diſpoſitio ad gratiam, nam peccator per contritionem conſtituitur in gratia, attritio verò ex ſe non ſufficit ad conſequendam gratiam, niſi conjungatur cum Sacramento, ſi verò conjungatur cum Sacramento, ſufficit ad conſequendam gratiam, & dicitur efficere hominem de attrito contritum, non quia attritio fiat intrinſecè contritio, ſed quia attritus vi ſacramenti recipit gratiam, quam etiam recipit contritus per contritionem, & hoc eſt fieri de attrito contritum non intrinſecè, ſed extrinſecè.

10 Attritio, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti, differt ab attritione requiſita ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu, quam ſuperius diximus appellari poſse partem integralem, quia attritio, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti, poteſt

eſſe

eſse dolor naturalis, dolor verò requiſitus ad fructum, & effectum Sacramenti debet eſse ſupernaturalis.

Quodnam ſit ſubjectum materiale, & formale contritionis, & attritionis.
Cap. 92.

1 OBjectum materiale contritionis eſt peccatum commiſſum, & nondum demiſſum, ſeù id, quod facit inimicum Dei, ſeù quod eſt malum, & offenſa Dei, & propterea poteſt contritio actum elicere de iis, quæ trahunt ad peccatum, ut de malis habitibus; nam aliquo modo efficiunt hominem Deo inimicum, & ſic de aliis: non autem poteſt actum elicere de peccato dimiſſo, ſi peccatum conſideraretur, ut dimiſsum, nam hoc peccatum non facit hominem Deo inimicum, ſecus ſi conſideretur, ut fuit ab homine commiſſum, & ut aliàs facit Deo inimicũ peccatum dimiſſum; quod neſcitur, an ſit dimiſsum, poteſt eſse objectum contritionis, poteſt enim repræſentari intellectui, quia fecit hominem Deo inimicum: actus contritionis poteſt elici de peccatis venialibus, quia ſunt aliqua offenſa Dei, & aliquo modo efficiunt hominem Deo inimicum diſponendo ad peccatum mortale. De peccato originali actum contritionis haberi non poteſt, ſi peccatum originale conſideretur ut dimiſsum per Baptiſmum, ſi verò conſideretur ut non dimiſsum poteſt de ipſo haberi, nam efficit hominem Deo inimicum.

2 Objectum materiale attritionis poteſt eſse peccatum, quamvis non feratur peccatum ſub ea ratione formali, ſub qua fertur contritio.

3 Peccatum futurum non eſt objectum directum contritionis, ſed ex conſequenti, quatenus in contritione includitur propoſitum non peccandi in futurum; non poteſt eſse objectum contritionis peccatum alienum, quia contritio eſt actus deteſtationis peccatorum, quæ nos efficiunt Deo inimicos, aliena autem peccata non faciunt nos Deo inimicos: poſsumus autem de peccatis alienis dolere, ſed talis dolor non eſt propriè contritio; non poſsumus autem unum peccatum mortale deteſtari, non deteſtando cætera, niſi ſaltem virtualiter deteſtando cætera.

4 Objectum formale contritionis eſt peccatum, quatenus eſt offenſa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei: peccatum enim ut ſic non eſt objectum alterius actus, quàm contritionis, ergò &c. objectum autem formale attritionis ſunt peccata, ut ſunt injuria Dei; attritio enim eſt actus Pœnitentiæ, qui conſequenter habet pro objecto formali objectum formale virtutis.

Utrùm unus actus contritionis ſufficiat ad delenda omnia peccata, vel utrùm ad delenda ſingula peccata requirantur ſingulæ contritiones. Cap. 93.

1 AD delenda ſingula peccata non requiruntur ſingulæ contritiones, ſed ſufficit unus contritionis actus reſpiciens omnia peccata; quia nullum extat præceptum Divinum, vel naturale obligans homines ad ſingulas contritiones ſingulorum peccatorum, & ſic patet pœnitentem, qui ſe præparat ad confeſſionem ſatisfacere, ſi ante examen, aut facto examine, aut inter examinandam conſcientiam uno actu deteſtetur omnia ſua peccata.

2 Non tenemur eodem actu deteſtari mortalia, & venialia, ſed poſsumus mortalium remiſſionem obtinere, quamvis remiſſionem venialium non obtineamus, quia non tenemur eodem actu deteſtari peccata, ut ſunt gravis, & ut ſunt levis offenſa Dei: & proptereà remiſſio peccatorum venialium non obtinetur per quemlibet contritionis actum, ſed per eum actum, qui cum peccatis venialibus oppoſitionem habet: omnis enim expulſio fit per aliquam oppoſitionem, & ideò actus quo quis deteſtatur peccata, ut ſunt gravis offenſa Dei, non ſufficit ad delenda venialia, cum talis actus non habeat oppoſitionem venialibus: ſufficit verò actus, quo quis deteſtatur peccata venialia, ut ſunt aliqua offenſa Dei, aut actus, quo quis vult placere Deo etiam in minimis, nam iſti duo actus oppoſitionem habent cum peccatis venialibus.

3 Perfectior actus requiritur ad delenda venialia, quàm ad delenda mortalia: nam mortalia delentur immediatè per gratiam; & mediatè per actum contritionis, quo quis deteſtatur peccata, ut ſunt gravis offenſa Dei, ſeu per actum dilectionis, que

quo quis vult placere Deo in rebus gravibus: venialia verò delentur immediatè per actum contritionis, quo diſplicent peccata, ut ſunt levis, ſeu aliqua offenſa Dei, aut per actum dilectionis, quo quis vult Deo etiam in minimis placere, per gratiam habitualem, & ſic non delentur peccata venialia; gratia enim non habet ſufficientem oppoſitionem, cum peccatis venialibus, alioquin ſequeretur ſemper carere peccatis venialibus; quod non eſt admittendum, cum ſepties in die cadat juſtus.

Utrum ad contritionem, & juſtificationem requiratur conſideratio, & recognitio peccatorum. Cap. 94.

1 AD juſtificationem obtinendam per contritionem requiritur ſaltem confuſa peccatorum commiſſorum conſideratio, quia contritio eſt actus voluntatis, voluntas autem non fertur in cognitum, & nullus dolere poteſt de offenſa alteri facta, illique congruam pro offenſa ſatisfactionem exhibere, niſi aliqua ratione cognoſcat, in quo illum offenderit. Non nego tamen, quin aliquis poſſit aliquando juſtificari, etiam ſi non revocet ullum peccatum in mentem, ut patet in eo, qui elicit actum dilectionis Dei ſuper omnia, nullo modo cogitans de peccatis, ſed nego aliquem juſtificari poſse per actum contritionis, niſi cognitionem aliquam peccatorum habeat.

2 Ad contritionem, & juſtificationem non requiritur per ſe loquendo diſtincta ſingulorum peccatorum recogitatio, ſed ſufficit confuſa: quia nullum extat jus naturale, aut poſitivum, obligans hominem ad diſtinctam ſingulorum peccatorum recognitionem, vel etiam poſt contritionem.

3 Quandò poſt contritionem facienda eſt confeſſio, tunc eſt neceſſarium examen conſcientiæ: nemo poteſt peccata ſua confiteri, niſi facto examine conſcientiæ, quantum poſtulat ratio loci, temporis & perſonæ.

4 Quandò extat obligatio reſtitutionis faciendæ, tunc qui ratione damni injuſtè illati, aut ratione contractus obligationem habet reſtituendi, tenetur diligenter ſingula ſua peccata perpendere, quando opus eſt ad integram reſtitutionem faciendam, ſic quando remedium aliquod aſſumendum eſt ad evitanda peccata, vel quando aliqua peccatorum occaſio auferenda eſt.

5 Ille juſtificatur, qui facto peccatorum examine recordatur unius ſolùm peccati, ſi de illo contritionem eliciat, quamvis alia peccata commiſerit, quorum non recordatur: quia ille actus contritionis virtualiter, & interpretativè includit deteſtationem omnium aliorum peccatorum, quorum non recordatur, pœnitens verò, qui recordatur alicujus ſolùm peccatis, tutius aget, ſi non ſolum doleat da peccato, cujus recordatur, verum etiam de aliis ſi fortè commiſit: ſic enim eligit viam tutiorem, & certiorem.

Quanta debeat eſſe deteſtatio, ſeu contritio quoad durationem temporis, & quoad intenſionem, ut per ipſam peccata remittantur. Cap. 95.

1 AD juſtificationem non requiritur ut deteſtatio peccatorum, ſeu contritio, duret longo tempore, ſed ſufficit quovis parvo tempore duret; immò ſufficit ſi fiat in inſtanti: quia homo poteſt juſtificari in exiguo momento temporis, aut inſtanti, quia actus contritionis, quamvis fiat in inſtanti eſt vera contritio.

2 Ad contritionem, & conſequenter ad juſtificationem non requiritur certa intentio, & ut contritio ſit magna intenſivè intenſione Phyſica: ſed ſufficit quælibet contritio licet remiſſa; modò ſit vera contritio, quia in ſcriptura nulla ſit mentio ullius intenſionis.

3 Ad juſtificationem non requiritur, intenſio Phyſica, & entitativa actus contritionis, ſed intenſionem quandam moralem, quæ conſiſtit in appretiatione, æſtimatione Dei ſuper omnia bona, & in deteſtatione peccati ſuper omnia mala: quare ad juſtificationem non requiritur intenſio Phyſica actus contritionis, ſed ſufficit intenſio moralis, qua quis deteſtatur peccata ſuper omnia deteſtabilia: peccatum enim deteſtandum eſt ſuper omnia mala, quia eſt ſummum malum, quia opponitur divinæ bonitati, ſummum autem malum deteſtandum eſt ſuper omnia mala, quæ non ſunt peccata, quia actus contritionis fundatur in dilectione Dei; ſed dilectio Dei debet eſſe major appretiativè omni alio

amore propter ſummam Dei bonitatem, ergo etiam deteſtatio peccati debet eſſe major appretiativè omni alia deteſtatione conſequenter juſtificandus debet deteſtari peccata ſuper omnia mala, quæ videlicet non ſint peccata.

4 Sufficit ut pœnitens in genere deteſtetur peccata ſuper omnia deteſtabilia in communi, cum propoſito vitandi omne peccatum ſuper omnia deteſtabile in communi, aut etiam ſufficit, ſi malit quodlibet malum ſubiiſſe quem offendiſse Deum, cum propoſito potius ſubeundi quodlibet malum, quàm offendendi Deum, quia homo poteſt deteſtari peccata per actum contritionis nulla facta comparatione aliorum malorum.

5 Major deteſtatio, ſeu dolor requiritur de graviori peccato, quàm de leviori, ſi pœnitens faciat comparationem inter majus, & minus peccatum; verum ſi pœnitens non facit comparationem inter majus, & minus peccatum, non tenetur expreſsè magis de uno, quàm de alio dolore, ſi peccatum conſideretur quoad culpam, quia unus actus contritionis ſufficit ad delenda omnia mortalia, cum per quemlibet actum contritionis conferatur gratia, quæ eſt incompoſſibilis omnibus peccatis: quia alioquin homo teneretur ſcire ſpecies, & qualitates omnium peccatorum.

6 Si verò peccatum conſideretur quoad pœnam, perſpicuum eſt majus delictum majorem pœnam mereri, conſequenter etiam majorem ſatisfactionem exhibendam eſse: & magis eſse dolendum, ſi pœnitens velit per actum contritionis pro tota pœna ſatisfactionem exhibere: & quamvis non ſit neceſse pœnitentem magis deteſtari explicitè unum peccatum, quàm alind niſi comparationem faciat inter majus, & minus peccatum, tam actus deteſtationis, quo quis deteſtatur omnia peccata, ut ſunt offenſa Dei eſse majorem æſtimativè de majori peccato, quàm de leviori: nam ſi homo contritus per impoſſibile deberet unum peccatum eligere minus, ut futurum potiùs, quàm homicidium, vel quàm adulterium.

7 Omnia peccata ſunt deteſtabilia in ſummo, & appretiativè, idest ſuper omnia alia mala, quæ non ſunt peccata, non verò ſunt deteſtabilia in ſummo, ſi fiat comparatio inter ipſa peccata, nam unum eſt deteſtabilius alio.

8 Qui explicitè magis deteſtatur peccatum levius, quàm gravius, peccat mortaliter, ſi inter illa duo peccata ſit notabilis exceſsus, ut ſi quis malit commiſiſse homicidium, quàm furtum, aut adulterium, quam ſimplicem fornicationem: quia ſi fiat dicta comparatio inter peccatum mortale, & veniale committitur peccatum mortale: ergo etiam committitur peccatum mortale, quando quis facta comparatione inter longè gravius, & levius peccatum, magis deteſtatur levius, quam longè gravius, quia qui vult potius commiſiſse duo peccata mortalia, quàm unum, peccat mortaliter: ergò etiam mortaliter peccat, qui potius cupit commiſiſse peccatum gravius, quàm longè levius: peccatum enim longè gravius videtur æquivalere duplici peccato leviori, tum quia qui de duobus malis gravius eligeret, graviter peccaret: faceret enim contra jus naturę dictans de duobus malis minus eligendum, ergo etiam graviter peccat, qui levius delictum magis deteſtatur, quàm gravius.

Utrum ad contritionem requiratur propoſitum non peccandi in futurum. Cap. 96.

1 AD Contritionem requiritur propoſitum non peccandi in futurum (ex Trid. ſeſs. 6 c. 6.) & quia qui diligit Deum ſuper omnia, non dolet de offenſa ei facta, niſi habeat propoſitum de cętero non peccandi, aut vitandi peccata: per contritionem autem implicitè diligitur Deus ſuper omnia, ergo ad contritionem requiritur propoſitum vitandi peccata in futurum.

2 Probabile eſt ad contritionem ſufficere propoſitum implicitum vitandi peccata in futurum, & non requiri explicitum, ut ſi quis deteſtaretur peccata ſuper omnia, nihil advertens ad futuram viam hic habet actum contritionis ſine propoſito explicito: licet hoc ſit probabile, tamen in praxi conſulendum eſt propoſitum actuale, cum hoc ſit tutius, & ſecurius remedium ad juſtificationem, & uſu magis receptum.

3 Non requiritur ad contritionem, ut pœnitens credat ſe non amplius dolere peccatorum mortalium, ſed ſufficit, ut habeat propoſitum non amplius peccandi in futu-

futurum nam poteſt deteſtari peccata ſuper omnia deteſtabilia cum propoſito non amplius offendendi Deum, licet timeat ore ut Deum in futurum offendat.

4 Contritionem juxta meam opinionem dico definiendo eam eſſe actum Charitatis, quo quis deteſtatur omnia ſua peccata ſuper omnia deteſtabilia, quatenus ſunt malum Dei, ſeu quatenus ſunt offenſa Dei, ſeu quatenus ſunt contra amicitiam, & voluntatem Dei, cum propoſito non peccandi in futurum: dicitur actus charitatis, quia vel elicitur ab habitu Charitatis, vel à voluntate Deo ſupplente habitum charitatis per ſuum auxilium, dicitur quo qui deteſtatur peccata, ut oſtendatur objectum materiale, circa quod deſtruendum verſatur contritio, per diſplicentiam cauſativam doloris, & afflictionis: dicitur omnia peccata, quia non de uno tantum, & non de aliis; dicitur ſua, quia non poteſt de alienis: dicitur ſuper omnia deteſtabilia, quia peccata deteſtanda ſunt appretiativè ſuper omnia mala: dicitur quatenus ſunt malum Dei &c. ideſt quatenus diſplicent Deo, vel quatenus ſunt contra voluntatem Dei &c.

Utrùm homo juſtificari poſſit abſquè ullo pœnitentiæ, vel Contritionis actu.
Cap. 97.

1 NOn poteſt homo de potentia juſtificari abſque actu Pœnitentiæ *ex Trid. ſeſſ. 7. c. 6. 5. & 14.* ubi Concilium requirit diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum obtinendam: præcipuam diſpoſitionem dicit eſſe pœnitentiam: ergo de potentia Dei ordinaria homo non poteſt abſque ullo pœnitentiæ actu juſtificari.

2 De potentia Dei abſoluta poteſt homo juſtificari à peccato mortali abſque ulla pœnitentia, modò ceſſet actus peccati, quia non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum ſine alia diſpoſitione, modò ceſſet actus peccati, non ceſſante verò actu peccati implicat hominem juſtificari: quia peccatum actualiter perſeverans eſt forma, ſeu principium quo homo denominatur peccator, & injuſtus: ergo perſeverante peccato impoſſibile eſt hominem non denominari peccatorem, & injuſtum: cum autem implicet hominem eſſe juſtum, & injuſtum, implicat etiam hominem iuſtificari perſeverante actu peccati.

3 Peccator juſtificari non poteſt abſque reali mutatione, ſeu infuſione alicujus doni peccato incompoſſibilis: quia peccatum opponitur amicitiæ Dei; & avertit hominem à fine non ſolum naturali, verum etiam ſupernaturali: ſed hujuſmodi de ordinario auferri non poteſt abſque aliqua forma, per quam peccatori iterum Deo conjungatur, ergo neceſſaria eſt aliqua forma realis incompoſſibilis peccato, nam poteſt condonare injuriam ſibi factam, & ordinationem ad pœnam ſine mutatione offendentis: ſed non poteſt peccati maculam tollere ſine peccatoris mutatione.

4 Peccatum veniale non poteſt remitti ſine forma incompoſſibili, quamvis enim gratia ſanctificans per ſe, præciſè ſumpta non ſit incompoſſibilis peccatis venialibus, nihilominus ſi gratia Sacramentalis ſpectetur quatenus confertur ex vi diſpoſitionum peccatis venialibus repugnantium, dicendum eſt Sacramentalem gratiam tunc temporis incompoſſibilem eſſe peccatis venialibus, quatenus confitetur ex vi diſpoſitionum, quibus peccator aliqua ratione deteſtatus fuerat peccata venialia; licet illa deteſtatio ex ſe ſufficiens non eſſet ad tollenda peccata venialia, conſequenter peccata venialia non tolluntur ſine forma phyſica ipſis repugnante.

5 Ordinatus ad Gloriam ſola Dei voluntate habet ſolum jus quodammodo extrinſecum ad gloriam, & illud jus non eſt incompoſſibile cum peccato, conſequenter peccatum non tollitur per ullam extrinſecam ordinationem præciſè, niſi poſteà ſuperveniat gloria, & beatitudo, aut gratia, quæ ſemen gloriæ nuncupatur.

De Confeſſione, quæ Secunda Pars Sacramenti pœnitentiæ nuncupatur.

Quid ſit confeſſio, conditiones requiſitæ ad Confeſſionem, & examen requiſitum ad Confeſſionem. Cap. 98.

1 COnfeſſio eſt legitima, & Sacramentalis accuſatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti ad obtinendam remiſſionem peccatorum per abſolutionem.

2 Sexdecim conditiones ad confeſſionem enumerantur his verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis & Accuſans & ſit parere parata.

Sed quamquam non omnes ſint neceſſariæ ad confeſſionem, tamen ſunt valdè utiles, & conducunt ad recipiendum Sacramentalis confeſſionis effectum.

3 Ad confeſſionem jure divino prærequiritur examen conſcientiæ *ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *&* 7.) quia nullus poteſt integrè fateri omnia, & ſingula peccata mortalia juxta Chriſti præceptum, niſi præmittat examen conſcientiæ.

4 Pœnitens circa peccata mortalia tenetur tantam inquiſitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, quia cum opus confeſſionis magnum cenſeatur negotium, tanta diligentia requiritur, quanta requiritur in negotio magni momenti: non autem tenetur maximam, ſed mediocrem diligentiam adhibere; quia ſi majorem diligentiam adhibere teneretur ſemper angeretur, ſemperque dubitaret, an ſufficientem adhibuerit diligentiam, ſicque multis ſcrupulis vexaretur, ſed tantum tenetur efficere quantum decet pro rei qualitate & conditione legis Chriſti, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve; quare qui diutius confeſſionem differre conſuevit licet majorem diligentiam adhibere teneatur in inquirendis peccatis, quàm qui ſæpius confitetur, nihilominus non tenetur maximam diligentiam adhibere.

5 Qui lubricam, & debilem habet memoriam non tenetur ſcribere peccata, ut illa confiteatur, ſicut nec tenetur ſtatim confiteri ſi prævideat fore, ut niſi ſtatim confiteatur, peccatorum obliviſcatur, nec extat præceptum divinum retinendi memoria peccata, ſed dum adeſt tempus confeſſionis tenemur ea confiteri, quorum recordamur facto debito examine, quamobrem fideles non tenentur jure divino prævenire tempus confeſſionis, aut ſua peccata ſcribere; ſed ſolum ſuperveniente tempore obligationis, aut voluntate confitendi tenentur mortalem diligentiam adhibere ut peccata revocent in memoriam, & integrè confiteantur, nec major obligatio colligitur ex ſcriptura vel Eccleſię traditione.

6 Qui confeſſus eſt non pręmiſſo examine conſcientiæ, tenetur ad novam confeſſionem, etiam ſi ſuam negligentiam aperuerit in confeſſione, & à confeſſario obtinuerit abſolutionem, nam hic peccavit mortaliter non adhibendo debitam diligentiam: nec eam cenſetur adhibuiſſe aperiendo negligentiam in confeſſione, modò confeſſarius non ſuppleverit defectum examinis per diligentem interrogationem, & hujuſmodi defectus ſuppleri poteſt ope Confeſſarii; ſed non dicuntur dignè accedere ad Confeſſionem, qui adhibita modica diligentia accedunt ad Confeſſarium animo reſpondendi ad quæſita, & interrogationes ipſius Confeſſarii, cui exiguam in examine diligentiam aperiunt: & propterea ſi Confeſſarius advertat pęnitentem notabiliter defeciſſe circa examen conſcientiæ, & ipſe Confeſſarius non poſſit defectum examinis per interrogationes ſupplere, dimittat pęnitentem, eique imperet, ut debitam præſtet diligentiam, eaque præſtita redeat, hoc tamen intelligitur modò non adſit articulum mortis, Confeſſarius enim tali periculo debet eam diligentiam adhibere, quam ipſe pro circumſtantia temporis & quantitate perſonæ judicaverit expedire, eaque adhibita beneficium abſolutionis impendere debet, ne pœnitentem in ſtatu damnationis relinquat.

7 Confeſſarius non tenetur pęnitentem examinare, & interrogare, ſi probabiliter, & prudenter judicet pœnitentem integrè confeſſum fuiſſe ſua peccata: ſi verò Confeſſarius credat pœnitentem defectu examinis non integrè confeſſum fuiſſe, aut aliquod peccatum omiſiſſe, debet illum dimittere ad diſcutiendum perfectius conſcientiam: ſedipſe debet per interrogationes defectum examinis ſupplere habita ratione qualitatis, & ſtatus perſonæ, ſicut etiam tenetur interrogare pęnitentem, & ipſius defectum ſupplere, ſi advertat pęnitentem ſilere aliquod peccatum per inadvertentiam, vel per oblivionem inculpabilem.

8 Confeſſarius, qui certò novit pœnitentem mentiri dicendo ſe conſcientiæ examen præmiſiſſe, non debet illi abſolutionem impendere, nam impenderet abſolutionem indigno: & idem dicendum de eo qui mentitur in alia re gravi: nec obſtat illud axioma Confeſſarium teneri

ſtare

ſtare dictis pœnitens tam pro ſe, quàm contra ſe, nam illud axioma explicandum eſt niſi evidenter conſtet oppoſitum, & niſi nota ſit pœnitentis indiſpoſitio.

Conditiones, quæ requiruntur ad Confeſſionem. Cap 99.

1 Conditiones requiſitæ ad confeſſionem explicabuntur ſingulæ ſingillatim appoſitæ in medio paginis, cum ſua expoſitione poſteà ſuppoſita.

Simplex.

1 Confeſſio debet eſſe ſimplex, ita ut ſuperflua prætermittantur, & amputentur inutilia: quare pœnitens curare debet, ut clarè, & diſtinctæ fateatur ſua peccata ita ut Confeſſarius non ſolùm illa intelligat quoad numerum, verum etiam quoad ſpecies, hæc tamen conditio non eſt neceſſaria vel conveniens.

Humilis.

1 Confeſſio debet eſſe humilis, ita ut pœnitens peccata ſua cum humilitate fateatur, & cum debita corporis compoſitione ſcilicet genibus flexis, & aperto capite, niſi aliter ſuadeat neceſſitas; verum ſi aliter abſque neceſſitate fiat, peccat venialiter: quæ conditio hoc modo explicata non eſt de neceſſitate confeſſionis, cum validè fieri poſſit confeſsio non ſervata prædicta conditione.

2 Invalida eſt confeſsio facta jactando, & gloriando ſe in peccatis tum defectu doloris, quem non poteſt habere jactando ſe de peccatis, tum defectu integritatis, cum tunc novum committat peccatum, quod non cenſetur in confeſſione expreſsum.

Pura.

1 Confeſsio debet eſſe pura quoad intentionem, ita ut non fiat ob parvum finem, ſed potiùs ſpe remiſſionis obtinendæ, ſeu placandi Deum, &c. nam ſi confeſſio fiat ob parvum aliquem, & mortaliter peccaminoſum finem, confeſsio redditur invalida: ſi verò fiat ob finem venialiter malum ſcilicet ob vanam gloriam confeſsio ſubſiſtit, nec ſuo caret fructu, quia non fit gravis injuria Sacramento confeſsionis.

2 Ille non peccat mortaliter, qui ut bonam retineat opinionem apud Confeſſarium virum gravem, & ſibi notum, fatetur illi ſolum levia peccata; verum ſi quoties incidit in mortale, accedit ad alium confeſſarium: quia finis propter quem alteri peccata ſua confitetur; non eſt mortalis. Secus dicendum de eo qui hoc facit ob hippocriſim, & finem mortalem.

Fidelis.

1 Confeſsio debet eſſe fidelis, ideſt vera, & ſine fallacia, & deceptione: quæ conditio neceſſaria eſt.

2 Mendacium circa materiam neceſſariam confeſſionis eſt peccatum mortale, & reddit irritam confeſſionem; quia decipitur confeſſor in re gravi, & confeſſio non eſt integra, cum mendacium in confeſſione ſileatur.

3 Invalida efficitur confeſſio, ſi pœnitens mentiatur circa peccatum mortale nunquã alias confeſsum; ſecus ſi ſit peccatum alias ritè confeſſum: nam peccatum ſemel ritè confeſsum non eſt materia neceſsaria Sacramenti pœnitentiæ, hoc tamen intelligitur modò confeſsarius de peccato ſemel ritè confeſsio non inquirat ex juſta cauſa ad cognoſcendum pœnitentis ſtatum, & ad debita remedia exhibenda: pœnitens enim tenetur reſpondere confeſsario juſta de cauſa interroganti in ipſius pœnitentis utilitatem: licèt pœnitens per ſe loquendo non peccet mortaliter, ſi à confeſſario interrogatus num tale peccatum aliquando commiſerit, falſum negat, ſe commiſiſſe, nolens idem peccatum quod anteà confeſsus eſt iterùm confeſsioni ſubjicere.

4 Ille peccat mortaliter, & invalidè confitetur, qui majorem numerum peccatorum mortalium in confeſsione exprimit, quàm commiſerit, nam decipit judicem circa materiam neceſsariam, de qua primariò ferendum eſt judicium; per accidens autem fieri poteſt, ut pœnitens in propoſito caſu non peccet mortaliter, & non ſit invalida confeſsio, ſi pœnitens bona fide majorem numerum fateatur: unde excuſantur aliqui rudes, & ſimplices homines, qui nulla ratione credunt ſe mortaliter peccare, immò potiùs ſibi perſuadent ſe tutiorem viam eligere explicando majorem numerum peccatorum, & conſultius putant ſe majori numero gravare quàm exonerare expreſso juſto, & probabiliori peccatorum numero.

5 Ille peccat mortaliter, qui peccata mortalia dubia pro certis exprimit, & certa pro dubiis, quia mendacium committit,

& confeſſarium decipit: debet enim dubia pro dubiis, & certa pro certis confiteri.

6 Graviter peccat, qui mentitur circa peccatum mortale, quod dubitat, vel ſcit commiſiſſe, ſed non recordatur ſpecie talis peccati: mentitur enim circa materiam neceſſariam, cum pœnitens teneatur ſe accuſare de peccato mortali prout dubitat, vel at ſe commiſiſſe, quamquam poſteà ſi ſpecies peccati venerit in mentem tenebitur ipſius ſpeciem in particulari explicare: quia prius non plenè explicaverat peccatum mortale, quod expreſsè explicandum eſt, ut illius directa abſolutio obtineatur.

7 Valida eſt confeſſio, quando pœnitens mentitur ſolùm circa peccata venialia: nam hujuſmodi mendacium non cenſetur circa materiam neceſſariam nec infert gravem injuriam Judici, cum judex non videatur decipi in materia gravi, modò pęnitens non ſit confeſſus unum tantummodò peccatum veniale, & circa illud mentitus ſit: quamvis enim peccatum veniale non ſit materia neceſſaria Sacramenti, tamen poſito, quod aliquis velit tantummodò confiteri unum peccatum veniale, fiet materia neceſſaria ex ſuppoſitione, & ideò ſi quis fateatur ſe commiſiſſe aliquod veniale quod non commiſit, peccat mortaliter, & reddit Sacramentum invalidum, ſi ponamus aliud peccatum non exprimi in confeſſione, nam mendacium cenſetur circa materiam neceſſariam ex ſuppoſitione: cum nullum aliud peccatum pro materia Sacramenti exhibeatur præter unum peccatum veniale circa quod contingit mendacium ut ſupponimus.

8 Qui ſcit ſe aliquid feciſſe, ſed dubitat, an illud confeſſus ſit, poteſt abſolutè illud confiteri, nam abſolutè confitendo non mentitur circa materiam, quam exponit, cum dicat ſe tale peccatum commiſiſse, quod re ipſa commiſit, non verò neget ſe illum eſse confeſsum: ſicut etiam, qui ſemel confeſsus eſt aliquod peccatum mortale, & certò novit ſe illud confeſsum fuiſse, poteſt illud iterum confiteri, quamvis non dicat ſe illud alias confeſsum fuiſse, non enim mentitur circa materiam, quam exponit confeſſioni, cum aſserat tale peccatum à ſe fuiſse commiſsum: non verò neget, ſe illud fuiſse confeſsum.

Frequens.

1 Confeſſio debet eſse frequens, nō quia neceſse ſit neceſſitate medii, vel præcepti ſæpiùs confiteri in anno, & extra mortis articulum, aut extra tempus ſuſcipiendæ Euchariſtiæ; ſed quia opus conſilii eſt ſæpiùs confiteri ob magnas utilitates, & uberes fructus, qui ex frequenti Confeſſione percipiuntur.

Nuda.

1 Confeſsio debet eſse nuda, ideſt non palliata, neque verborum obſcuritate velata, quia peccata ita ſunt manifeſtanda, ut Confeſsarius naturam, & qualitatem ipſorum peccatorum valeat cognoſcere, & dijudicare, an ſint mortalia, aut venialia, &c.

2 Sacerdos de ſingulis, quę audit in confeſſione non tenetur determinatè judicare eſse mortalia, aut venialia, niſi conſtet talia eſse: quare pœnitens ſi neſciat exprimere conſenſum, vel tempus circa aliquod peccatum: ita ut Confeſſarius nequeat cognoſcere an ſit mortale, non eſt cur Confeſsarius determinatè judicet eſse mortale.

Diſcreta.

1 Confeſſio debet eſse diſcreta hoc modo: primò ut pœnitens eligat Confeſsarium eruditum, & probum qui ſciat diſcernere inter lepram, & non lepram & debita remedia conferre. Secundò ut pęnitens cautè confiteatur peccata ſua, præſertim impudica, & carnalia adhibendo quantum fieri poteſt verba publica, & honeſta, non deſcendendo ad ſingula.

2 Pœnitens dubius de contractu fœneratitio, ſi confeſsarium eligat, quem novit eſse indoctum, putans propter ipſius non inſcitiam obligandum ad reſtitutionem non ſolum non excuſari à reſtitutione, verum neque obligatione iterum confitendi, hic enim non videtur habuiſse debitum dolorem cum firmo propoſito vitandi peccata in futurum.

3 Quando pœnitens confitetur peccata carnalia, & impudica ſufficit, ut explicet ſpecies, & circumſtantias neceſsarias: neque neceſse eſt explicare alios actus, qui tanquam media, & principia ad peccata completa ſolent adhiberi, ut ſunt tactus, & oſcula reſpectu Copulæ: ideo ſufficit explicare copulam tacitis oſculis, & tactibus, qui copulam præceſserunt, modò non interceſserit moralis interruptio inter tactus, & copulam.

Li-

Digitized by Google

Libens.

1 CONfeſſio debet eſſe libens, ita ut voluntariè fiat.

2 Confeſſio facta libens dicitur, quandò adeſt in pœnitente voluntas, & intentio confitendi, & hoc modo libens conditio eſt neceſſaria ad validatem Confeſſionis, cum nullus ſuſcipere valeat pœnitentiæ Sacramentum abſque intentione illius ſuſcipiendi.

3 Confeſſio facta libens dicitur, cum ſit cum omni voluntario excludente quodlibet involuntarium, & hoc modo libens conditio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum: nam ſi quis trahatur ad confitenda ſua peccata timore excommunicationis, infamiæ, &c. validè confitetur, modò confiteatur omnia ſua peccata, cum debito, & ſufficienti dolore: habet enim voluntatem, & intentionem, ſufficientem ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum, quamvis cum aliquo involuntario peccata ſua confiteatur.

Verecunda.

1 CONfeſſio debet eſſe verecunda, non quia neceſſe ſit, ut pœnitens, qui ſua peccata confitetur erubeſcat, ſed quia congruum, & conveniens eſt, ac fructuoſum interius apud ſe ipſum erubeſcere, de turpitudine, & fœditate animæ propriæ, & exterius apud Confeſſarium cum erubeſcentia, & verecundia proſit ad pœnæ remiſſionem.

2 Confeſſarius non debet deterrere pœnitentem verbis duris, & aſperis, ne illum retrahat à confeſſione: ſed potius illum allicere debet ad explicanda confidenter ſua peccata relata coargutione, & repræhenſione ad finem uſque confeſſionis, prout dictabit recta ratio, & prudentia.

Integra.

1 CONfeſſio debet eſſe integra: ita ut omnia peccata mortalia nunquam aliàs confeſſa ſingillatim exprimantur in confeſſione quoad ſpeciem (ex Conc. Trid ſeſſ. 15. c.6) quare qui confecit venenum, illudque miſcuit vino, & propinavit inimico, non tenetur has omnes actiones explicare, niſi tanta inter unum, & alium actum interceſſerit mora, ut efficiat peccata numerò diſtincta: hinc ſequitur, eum qui ad occidendum virum inimicum emit gladium, conſcendit equo, ſuſcepit iter, enſem evaginavit vulneravit, &c ſatisfacere dicendo in Confeſſione, ſe hominem occidiſſe.

2 Qui dum iter ſuſcepit ad occidendum virum, conculcavit ſegetes, vel furtum commiſit, tenetur confiteri conculcationem ſegetum, & furtum commiſſum; quia ad nexum habent malitiam diſtinctam ab homicidio.

3 Qui peccatum beſtialitatis commiſit cum diverſis ſpecie animalibus, ſatisfacit in confeſſione dicendo in genere ſe toties peccatum beſtialitatis commiſiſſe non expreſsa ſpecie animalium.

4 Qui peccatum ſuperſtitionis commiſit ſatisfacit per ſe loquendo, confitendo numerum ſuperſtitionum ſub generico, & communi nomine; ita explicandum eſt an furtum fuerit in magna, vel in parva quantitate.

5 Præceptum quod obligat ad vitandum peccatum, obligat etiam ad vitandum proximum ipſius periculum: ſicut ergo exprimendum eſset in confeſſione peccatum completum, ſi peccatum completum commiſsum fuiſset, ita exprimendum eſt peccatum, cujus periculo ſe pœnitens expoſuit, qui autem commiſit aliquod peccatum, cujus periculo ſe expoſuit, & re ipſa commiſit, puto ſatisfacere confitendo peccatum commiſsum, modò inter periculum, cui ſe pœnitens expoſuit, & inter actum completum non interceſserit mora, quæ conſtituit peccata numero diſtincta.

6 Qui concupiſcit fœminam in communi, aut aliquam, cujus ſtatum ignorat, tenetur in confeſſione dicere ſe fœminam in communi concupiſiiſse, aut aliquam, cujus ſtatum ignorabat.

7 Qui in confeſſione oblitus eſt alicujus circumſtantiæ mortalis, non dicitur confeſſus omnia ſua peccata mortalia, ſufficit tamen eam ſolum circumſtantiam aliàs in confeſſione per oblivionem prætermiſsam in nova confeſsione explicare ſi pœnitens poteſt eam exprimere non expreſſo peccato confeſſio cujus eſt circumſtantia.

8 Omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſsa neceſsariò explicanda ſunt in confeſſione quoad numerum ex Conc. Trid. ſeſs 14 c.5. & can.7. ubi habetur omnia peccata explicanda eſse non ſolum in ſpecie verum etiam ſigillatim, & illi, qui ſcienter aliquid retinent, nihil divinæ bonitatis per Sacerdotem remittendum.

9 Sufficit uno verbo dicere numerum peccatorum unius ſpeciei, ſcilicet toties jejunium ab Ecceſia indictum perfregi, toties miſſam in die feſto non audivi, &c. & numerum fornicationum exprimere debet: ſicut etiam ſe decies ſurripuiſſe nummum aureum.

10 Pęnitens tenetur numerum actuum odii repetitorum, & moraliter interruptorum explicare modò recordetur numeri certi: at ſi verò facto examine non recordetur numeri certi, dicere poteſt ſe toties peccaſſe peccato odii plus, vel minus: ſi poſteà facta confeſsione recordetur ſe bis, vel ter, ſupra decies peccaſſe peccato odii; vel alterius ſpeciei in confeſſione expreſsæ non tenetur iterum confiteri, ſe bis peccaſſe peccato odii; vel alterius ſpeciei: nam eo ipſo, quod in prima confeſſione dixit ſe decies plus, vel minus peccaſſe peccato odii ſatis indicavit ſe duodecies peccaſſe; ſecus dicendum ſi poſteà recordetur numeri notabiliter majoris, ut ſi confeſſus ſit ſe decies plus, vel minus peccato odii peccaſſe, & poſteà recordetur ſevigeties peccaſſe, tunc tenetur in alia confeſſione explicare numerum, cujus oblitus erat in prima confeſſione, quia numerus denarius ſupra numerum in confeſſione explicatus eſt numerus notabiliter major, & non cenſendus ſufficienter explicatus in confeſſione prima.

11 Qui cum peccato mortali plures ſucceſſivè communicavit, aut plurium confeſſiones excepit, tenetur numerum perſonarum, ſeu actuum quantum poteſt explicare, quia tot peccata commiſit, & propterea Sacerdos, qui Sacramentum Euchariſtiæ, aut pœnitentiæ adminiſtraturus eſt, tenetur ſe in gratia conſtituere, ſi ſit in peccato mortali per confeſſionem, aut contritionem. Confeſſor autem exiſtens in peccato, dum à principio audit confeſſionem non peccat mortaliter, ſi propoſitum habeat pęnitendi antequam impendat abſolutionem; ſed mihi videtur graviter peccare Confeſſarium, qui à principio confeſſionis non ſe conſtituit in gratia: niſi fortè excuſetur ratione parvitatis materiæ: quia tota illa actio auditionis eſt opus Sacramenti; & miniſterium Sacerdotis pertinens ad functionem Sacerdotalem, ad quam Sacerdos eſt ſpecialiter deputatus, & conſecratus: qui autem functiones Sacerdotales exercet in peccato mortali, graviter peccat, niſi excuſetur ratione parvitatis materiæ.

12 Qui confeſſus eſt numerum certum, & determinatum, non dicendo plus, vel minus: ut ſi dixit ſe dies ſurripuiſſe, ſed facta confeſſione recordetur ſe duodecies ſurripuiſſe tenetur in ſequenti confeſſione fateri duplex peccatum furti prætermiſſum in antecedente confeſſione.

13 Tenetur pœnitens confiteri illa peccata, quæ nota ſunt Confeſſario extra confeſſionem, quia aliter Confeſſarius non poſſet cognoſcere pęnitentem habere propoſitum emendationis, & conſequenter dignum abſolutionis; puto tamen ſufficere, ſi pœnitens Confeſſario, cui nota ſunt ipſius peccata, dicat, accuſo me de illis peccatis, quæ nollem commiſiſſe, hoc enim pacto ſufficienter aperit ſtatum ſuum Confeſſario: non autèm cenſetur teneri pęnitentem voto caſtitatis aſtrictum, cum id notum ſit confeſſario, quando pęnitens peccatum carnale commiſit: non tenetur in quam circumſtantiam voti exprimere confeſſario, ſed ſatisfacere dicendo, ſe peccatum carnale commiſiſse, quia eo ipſo, quod in confeſſione exprimit actum principalem, cenſetur etiam exprimere circumſtantiam illius actus, & ſufficienter ſtatum manifeſtare confeſsario.

14 Actus externus eſt neceſsariò explicandus, non enim explicarentur peccata ipſa, ſi actus exterior non manifeſtaretur; cum actus externus ſit peccatum: ſed explicato actu exteriori, non videtur explicandus actus interior, quia peccatum exterius non ſubſiſtit ſine peccato interiori: ut qui fornicatus eſt, vel ſurripuit, non tenetur dicere ſe fornicatum fuiſse cum animo fornicandi, vel ſurripiendi, ſed ſatisfacit, dicendo, ſe toties fornicatum fuiſse vel ſurripuiſse talem quantitatem, modò non fuerint moraliter interrupti, & multiplicati actus interni non coaleſcentes in unum numerum peccatorum: & ideò qui heſterna die habuit intentionem furandi, & hodie furatus eſt, non ſatisfacit dicendo ſe ſemel furatum fuiſse, ſed etiam tenetur exprimere intentionem furandi, quam habuit externa die.

15 Explicato actu principali, non ſunt neceſsariò explicandi actus minus principales, ſeu circumſtantiæ comitantes, vel præcedentes actum; quia licet hujuſmodi

actio-

Digitized by Google

actiones ſingulæ ſint malæ, & mortaliter peccaminoſæ: nihilominus cum ipſæ, ſeu æquivalentes ſoleant cum actu, & effectu principali conjungi, & ad illum ordinari, & cum eo conſtituant unum numero peccatum, explicato actu principali, cenſentur etiam hujuſmodi actiones explicatæ; ſi verò principalis effectus, ſeu actus non fuerit ſequutus, Ipſæmet actiones præviæ exprimendæ ſunt, quia ipſæ ſunt peccaminoſæ, & non poſſunt exprimi cum effectu principali, quia hic non ſubſiſtit: idem dicendum de actionibus quæ non habent connexionem cum effectu principali, niſi ex intentione peccantis; unde qui ad obtinendam copulam à fœmina uſus eſt opera alterius, nõ ſatisfacit dicendo ſe copulam cum fęmina habuiſſe, ſed tenetur adhuc exprimere actionem, qua ſocium induxit ad obtinendum copulam. Secus dicendum de eo, qui ſe periculo fornicationis expoſuit, & non interpoſita mora fornicatus eſt; hic enim ſatisfacit, dicendo ſe fornicatum eſse.

16 Actus, & circumſtantiæ, quæ ſequuntur actum principalem, ſunt explicandæ, quia hujuſmodi actus ſubſequentes ſunt principia alterius copulæ, & alterius peccati, & ideò efficiunt novum peccatum, & ideò explicanda.

17 Qui facit confeſſionem generalem peccatorum alias vite confeſſorum, non tenetur ſingula peccata mortalia vite alias expiata iterum In confeſſione exprimere, quia poteſt aliqua retinere, unde aliqui conſueverunt generales confeſſiones paulatim facere obtenta quotidie abſolutione ab illis peccatis, quæ paulatim, & quotidie fatentur.

18 Qui non habet peccata mortalia, ſed tantumodò venialia non ſatisfacit dicendo ſe venialiter peccaſſe, quia exiſtimo in praxi explicandum eſſe aliquod peccatum quia licet non teneamur confiteri peccata venialia: tamen ex ſuppoſitione quod velimus confiteri, tenemur materiam omninò certam exhibere unde illi poſſunt abſolvi, qui cum ſola peccata venialia commiſerint, ſolum fatentur, ſe otioſa verba protuliſſe, nam hoc pacto materiam exibentatis certam, ſic etiam poteſt abſolvi, qui ſcit ſe peccatum aliquod admiſiſſe, ſed dubitat: an illud ſit mortale, vel veniale, quia exhibet materiam certam: ita etiam peccata venialia non quoad numerum, ſed quoad ſpeciem explicanda ſunt In confeſſione, quoties pro Sacramentali abſolutione aliam non exhibeamus materiam.

19 Concubinarius ſatisfacit dicendo, ſe tandiu uſum ſuiſſe concubina loco uxoris dum non poteſt certum, & determinatum explicare, vel tandiù permanſiſſe in concubinatu; ſic meretrix ſi non poteſt certum, & determinatum numerum peccatorum exprimere, ſatisfacit explicando tempus; quo fuit omnibus expoſita: tenetur tamen quantum poteſt exprimere, quoties admiſerit viros conjugatos, aut Clericos habentes votum caſtitatis, aut conſanguineos, &c. peccatum enim eſt explicandum non ſolum quoad numerum, verum etiam quoad ſpecies, & circumſtantias ſpeciem mutantes quantum poteſt fieri; ſic etiam qui rem alienam detinuit, quam potuit Domino reſtituere, ſatisfacit explicando tempus, quo rem detinuit, quam potuit Domino reſtituere, quia præceptum explicandi numerum peccatorum non obligat ad impoſſibile: ſed ad id quod fieri poteſt à pœnitente.

* *Innocentius XI. die 2 Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

20 Numerus peccatorum cognoſci poteſt ex multiplicatione actuum voluntatis moraliter interruptorum; actus autem voluntatis moraliter interrumpitur quoties aliquis nec formaliter, nec virtualiter perſiſtit in priori voluntate, quamdiù intendit, & vult aliquid facere, virtualiter verò perſiſtit in priori voluntate quamdiù aliquid fuit virtute illius voluntatis, ſeù intentionis præcedentis, quamvis illa prior intentio, ſeù voluntas non amplius formaliter perſeveret; unde ſi quis elicito ſemel actu odii, & deinde aliqua mora interpoſita novum actum odii eliciat, dicitur novum odii peccatum committere: quia prior actus odii nullo modo perſeveret formaliter, aut virtualiter: qui verò intendit inimicum occidere, & ob id præparat enſem, ſuſcipit iter ad illum occidendum &c. unum numero peccatum committit: quamvis ſæpius in via repetat intentionem occidendi: quia prior intentio non fuit revocata; ſed virtualiter perſeverat in illa actione externa itineris ſuſcepti ad occidendum inimicum.

21 Cir-

21 Circumſtantiæ, ex quibus augeri, vel minui poteſt peccatum, vel illi nova ſpecies addi, poſſunt ad has ſeptem revocari: quæ hoc verſu exprimuntur

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quis, pertinet ad conditionem, & qualitatem perſonæ patrantis delictum, propter quam poteſt actui nova ſpecies peccati tribui, ut ſi committens copulam adſtrictus ſit voto caſtitatis, vel ſi conjugatus, &c.

Quid, pertinet ad quantitatem, vel conditionem objecti, vel ad multitudinem materiæ, circa quam peccator ſuam actionem exercuit, ut ſi perſona cum qua quis copulam habuit, ſit conjugata, aut voto caſtitatis adſtricta, &c.

Ubi, continet circumſtantiam pertinentem ad locum, in quo delictum fuit perpetratum, qualis eſt circumſtantia Eccleſiæ reſpectu copulæ in ea habitæ, &c.

Quibus auxiliis, adhibetur ad exprimendam circumſtantiam perſonæ, cujus opera, vel conſortio utitur quis in patrando delicto, ut ſi quis ad ſollicitandam fœminam utatur aliquo mediatore, hunc enim conſtat novum committere peccatum, cum ſit cauſa ruinæ proximi.

Cur, reducitur ad finem, propter quem actui nova ſpecies malitiæ tribui poteſt, ut ſi quis furetur gladium ad occidendum hominem, hic duo peccata commiſit, dum finis diverſam ſpecie malitiam habet ab ea, quam habet actus furti ex ſua natura.

Quomodo ſpectat ad modum, quo delictum committitur: nam circumſtantia modi poteſt aliquando ſpeciem malitiæ variare, quandò enim aliquid accipitur domino neſciente, appellatur furtum, quandò autem accipitur Domino ſciente, & invito dicitur rapina.

Quandò, adhibetur ad explicandam circumſtantiam temporis, propter quam fieri poteſt, ut aliquando mutetur peccati ſpecies, ut ſi quis celebret poſt prandium, aut bis comedat in die jejunii, aut operetur in die feſto.

22 Circumſtantiæ notabiliter minuentes non ſunt neceſſariò exprimendæ, niſi ſpeciem mutent, quia in Tridentino generaliter aſſeritur omnes circumſtantias mutantes ſpeciem confitendas eſſe; ergo circumſtantiæ notabiliter minuentes non ſunt neceſſariò explicandæ in confeſſione, niſi mutent ſpeciem.

23 Probabiliſſimum eſt circumſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem non eſſe neceſsariò explicandas in confeſſione, quia ſicut non ſunt neceſsariò explicandæ circumſtantiæ notabiliter minuentes: ergò neque notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem.

24 Circumſtantiæ mutantes ſpeciem neceſsariò explicandæ ſunt in confeſſione: quià ſic expreſsè decernitur in *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. & quia communi fidelium uſu, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine, receptum eſt, ut hujuſmodi circumſtantiæ aperiantur in Confeſſione: & quia in confeſſione aperienda ſunt omnia peccata, quantum moraliter fieri poteſt: non apperirentur autem omnia peccata tacitis circumſtantis mutantibus ſpeciem, cum hujuſmodi circumſtantiæ peculiarem habeant malitiam, & deformitatem.

25 Vir carnaliter peccans non tenetur in confeſſione dicere ſe fuiſse, vel non fuiſse virginem antequam patraret illud delictum, quando exprimit in confeſſione, licet per talem actum amiſerit laureolam debitam virginibus, non tamen commiſit peccatum, quod habeat ſpecialem malitiam, nam hæc ſpecialis malitia non poteſt aſſignari.

26 Qui virginem concupuit, aut defloravit, tenetur circumſtantiam virginis fateri, quamvis illam conſentientem defloraverit, ſi ſequamur communionem Doctorum ſententiam, aſſerentium ſtuprum habere ſpecialem malitiam, ſive puella conſenſerit, ſive diſsenſerit.

27 Confeſsarius, qui carnaliter cognovit pœnitentem non tenetur in confeſſione exprimere ſe copulam cum pœnitente habuiſse: ſed ſatisfacit dicendo ſe copulam cum fœmina conjugata, vel ſoluta habuiſſe, nam copulam cum penitente non eſt inceſtus, neque habet adnexam circumſtantiam Sacrilegii, aut aliam circumſtantiam neceſsariò exprimendam, modò Confeſsarius non ſollicitaverit pœnitentem in confeſſione, aut non ſit parochus, aut alius, cui ex officio incumbit onus procurandę ſalutis penitentis; tunc enim in noſtra ſententia ſpecialiter peccat ratione ſpecialis circumſtantię, quæ circumſtantia ſemper exprimenda eſt in confeſſione.

28 Qui

28 Qui carnaliter cognovit conſanguineam, vel affinem, tenetur in confeſſione exprimere circumſtantiam affinitatis, vel conſanguinitatis, nam hujuſmodi circumſtantia addit ſpecialem malitiam ſupra peccatum contra caſtitatem, & explicandi ſunt gradus inceſtus.

29 Vir Conjugatus habens copulam cum ſoluta, tenetur hanc circumſtantiam exprimere, nam mutat ſpeciem, & duplicem habet malitiam; unam contra fidem Matrimonii, alteram contra virtutem caſtitatis: immo ſi conjugatus copulam habeat cum coniugata tenetur utramque circumſtantiam fateri; quia facit injuriam pluribus.

30 Qui copulã habet cum Monlali, aut cum alia votum caſtitatis habente, tenetur circumſtantiam perſonæ exprimere, quia talis circumſtantia ſpeciem mutat.

31 Obſtrictus voto caſtitatis, ſi carnaliter copuletur cum fęmina habente votum caſtitatis tenetur utramque circumſtantiam exprimere: & ſi quis habeat duo vota caſtitatis, & cognoſcat fęminam ſolutam nudo voto caſtitatis adſtrictam, ſufficit dicendo, ſe feciſse contra votum caſtitatis cognoſcendo fęminam ſolutam, & non tenetur utrumque votum exprimere, dummodò unum non ſit ſimplex, & alterum ſolemne: in tali enim caſu utrumque exprimendum eſt.

32 Qui fornicatus eſt cum tribus fęminis, ſatisfacit dicendo ſe ter fornicatum fuiſse, quià actus fornicationis eandem habet malitiam, ſive committatur cum una, ſive cum diverſis ejuſdem rationis: ſecus ſi fœminę non ſunt ejuſdem conditionis, ut ſi qui copulam habuit cum Virgine, ſoluta, & conjugata, nam tunc tenetur exprimere, ſe toties copulam habuiſſe cum Virgine, toties cum ſoluta, & toties cum conjugata: nam iſtæ circumſtantię mutant ſpeciem: idem dicendum de eo, qui in actu molitiei concupit Virginem, aut conjugatam, aut monialem, hic tenetur dicere, & exprimere conditionem perſonarum: idem dicendum de eo qui intulit injuriam Patri, vel Principi, vel Superiori, tenetur enim hic in confeſſione aperire circumſtantiam perſonæ, non enim ſatisfacit dicendo, ſe injuriam alteri intuliſſe: quia hoc peccatum ſpecialem habet malitiam, ob reverentiam ſpecialiter debitam patri, & Superiori, ut patet ex quarto Decalogi præcepto: explicanda ſimiliter eſt circumſtantia perſonæ, quando injuria illata fuit perſonæ Sacerdotis: cui peculiaris debetur reverentia, ſecus ſi injuria illata fuit viro nobili, vel cognato, vel etiam benefactori: nam hujuſmodi circumſtantia non ità videtur peccatum aggravare, ut malitiam mortalem ſpecie diverſam actui ſuperaddat.

33 Qui uno actu plures percuſsit, aut infamavit, aut plurbus injuriam intulit tenetur numerum perſonarum exprimere, non quia pluralitas perſonarum præciſe ſit circumſtantia mutans ſpeciem, ſed quia eſt objectum terminans: & determinans ipſum actum, ut aliquid ſpectans ad ipſius ſubſtantiam quaſi individuam: cum autem ipſe actus individualis exprimendus ſit in confeſſione, & hic exprimi ſufficienter nequeat, non expreſſo numero perſonarum: ſequitur numerum perſonarum exprimendum eſſe: idem dicendum de eo, qui uno, & eodem actu ſurripuit à pluribus quantitatem notabilem, tenetur numerum perſonarum exprimere: quia facit injuriam pluribus, ſicut qui uno actu uni familiæ, aut pluribus maledicit, aut plures occidit, plura peccata committit.

34 Exiſtimo non eſse neceſsariò exprimendam circumſtantiam quantitatis furti aut damni illati, modò Confeſsarius cognoſcat, an pęnitens peccaverit mortaliter aut ſolum venialiter peccato furti, aut damni: ſicut etiam concupiſcens, aut accipiens res varias valoris, ſatisfacit dicendo ſe concupiviſse, vel accepiſse res alienas in magna quantitate etiam ſi non exprimat quantitatem, aut qualitatem, utrum ſcilicet acceperit argentum, aut pannum in tanta quantitate: nam videtur unum numero peccatum ejuſdem rationis: ſic qui uno impetu, aut pluries aliquem appellavit furem, vel ad ulterum, non tenetur in confeſſione dicere, ſe ter appellaſse furem, vel adulterum: ſed ſatisfacit dicendo ſe aliquem affeciſse gravi injuria: hoc enim eſt numero peccatum, cum tales actus moraliter continuentur; quare, qui bis, vel ter, aliquem appellavit furem, ſemel tantum appellaſſe dicitur, nec mihi videtur improbabile, cum, qui ſæpius aliquem affecit gravibus injuriis ejuſdem, aut etiam diverſæ rationis ſatisfacere dicendo, ſe aliquem gravibus

bus injuriis toties affeciſſe, non expreſſa qualitate injuriæ.

35 Qui aliquem occidit non ſatisfacit dicendo ſe aliquem percuſſiſſe, aut vulneraſſe: quia non videtur ſufficienter exprimere actum externum neceſſariò exprimendum in confeſſione, qui verò hominem occidit, & adhuc poſt occiſionem proſequitur vulnerare mortuum, vel in fruſta ſecare ex odio, ſeu ex vindicta, non videtur committere peccatum neceſſariè exprimendum in confeſſione, quia hæc non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, nec videtur habere adjunctum majus documentum, ſecus dicendum videtur ſi hoc faciat non ex vindicta ſed ex feritate nam feritas eſt peccatum ſpecie diſtinctum.

36 Qui fuit cauſa ſcandali, ut ſi peccavit publica cum ruina proximi, aut alia ratione alterum induxit ad peccatum: præſertim ſi alter non erat pratus, ſeu actualiter diſpoſitus ad tale peccatum perpetrandum, tenetur circumſtantiam inductionis exprimere, ratione ſcandali, & ruinæ, cujus ipſe fuit cauſa: qui verò peccat cum alio non inducendo, ſed ſolum cooperando peccato, ad quod alter jam paratus erat voluntate actuali aut virtuali, vel ad quod ipſe fuit ab altero inductus, ut ſi carnaliter cognovit meretricē jam paratam: probabilius mihi videtur, explicandam eſſe circumſtantiam inductionis ad peccatum, licet aliter paratus eſſet: quia re ipſa cooperatus eſt peccato alterius: qui autem cooperatur peccato gravi alterius, graviter peccat non ſolum peccato proprio, ſed etiam alieno, quando imputatur ipſi cooperanti Circumſtantia autem inductionis, & cooperationis ad peccatum alterius explicanda eſt quoties talis circumſtantia non cenſetur ſufficienter explicata explicato actu principali, ſecus ſi ſufficienter explicata cenſeatur explicato actu principali: unde non puto neceſſariò explicandam eſſe circumſtantiam inductionis, cum quis invitat fœminam ad peccatum: quia hoc eſt medium ordinatum ad talem finem, & quia non eſt circumſtantia ſpecialis ſcandali, cum invitans non intendat formaliter ruinam proximi, & quia explicato actu principal ſufficienter explicata videtur prædicta circumſtantia, qui verò invitat fęminam licet paratam ad peccatum fornicationis; ſed cum ea non fornicatur: tenetur circumſtantiam indictionis fateri, & non ſatisfacit dicendo fæminam concupiviſſe, nam circumſtantia inductionis non exprimitur expreſſo ſolo deſiderio.

37 Qui coram pluribus detrahunt, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confeſſione exprimere numerum perſonarum, quibuſcum detrationis peccatum commiſerunt: quia explicato ſimpliciter peccato detractionis non cenſetur ſufficienter expreſſa circumſtantia ſcandali, & ruinæ proximi, quæ ipſi imputatur, quia peccata præſentium perſonarum imputantur ſociis cooperantibus: ſicut autem ſocii plura numero peccata contraxerunt, ita etiam detrahentes coram pluribus, videntur plura peccata commiſiſſe: pluralitas autem, & numerus peccatorum explicanda ſunt in confeſſione: qui verò de rebus turpibus loquuntur cum delectatione; non ſolius narrationis, ſed rerum per verba repręſentatarum non ſatisfaciunt dicendo, ſe de rebus turpibus cum delectatione ſermonem coram pluribus, aut coram ter perſonis habuiſſe, ſed teneri exprimere conditionem perſonarum aſtantium: utrum ſcilicet eſſent conjugatæ, vel ſolutæ, vel caſtitatis voto adſtrictæ; item tenentur exprimere qualitatem ſermonis; utrum eſſet ſermo de rebus turpibus circa conjugatos vel circa ſolutos, vel nefando vitio, &c. delectatio enim malitiam ſumit ab obiecto, & motivo de quo ſequitur delectatio.

38 Conſuetudo peccandi per ſe loquendo non eſt neceſſariò explicanda in confeſſione, quia cum non mutet ſpeciem, non eſt cur pœnitens obligetur ad hanc circumſtantiam explicandam, modò cum debito dolore ſufficienter explicet numerum peccatorum, quæ commiſit, & quorum periculo ſe expoſuit, modò confeſſarius de conſuetudine non interroget pęnitentem; ſi verò Confeſſarius juſta de cauſa pęnitentem interrogat de conſuetudine peccandi, ut pęnitentis diſpoſitionem intelligat, tunc pœnitens tenetur conſuetudinem explicare, quia conſuetudo peccandi arguit infirmum emēdationis propoſitum, & proptereà alii putant abſolutè peccandi cōſuetudinem exprimendam eſſe in confeſſione.

39 Non eſt neceſſariò explicanda circumſtantia generalis ingratitudinis, quam peccator commiſit poſt remiſſionem priorum peccatorum: quia hæc ingratitudo

non

non habet ſpecialem malitiam; quæ non cenſeatur ſufficienter explicata expreſſo peccato principali.

40 Qui die Dominico, in quem incidit dies feſtus alicujus Sancti, ſacrum non audivit ſatisfacit dicendo, ſemel miſſæ ſacrum in die feſto culpabiliter prætermiſit ſe: nam hæc omiſſio eſt unum numero peccatum, nec habet circumſtantiam mutantem ſpeciem: ex oppoſito qui jejunium prætermiſit aliquo die quadrageſimæ, in quo tenebatur jejunare non ſolum ex præcepto Eccleſiæ, verum etiam ex voto non ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe jejunii præceptum ſemel fregiſſe, nam commiſit duo peccata, unum contra præceptum Eccleſiæ, alterum contra religionem, quæ cum ſint ſpecie diverſa, in confeſſione explicanda ſunt.

41 Qui furatus eſt ad mœcandum, non ſatisfacit dicendo, ſe tantum rem alienam ſurripuiſſe, ſed tenetur exprimere circumſtantiam finis, quæ ſuperadditur furto; medium enim participat ratione finis.

42 Qui in die feſto miſſam non audivit propter ſtudium, non tenetur in Confeſſione dicere ſe miſſam omiſiſſe propter ſtudium, ſed ſatisfacit dicendo, ſe toties miſſam omiſiſſe, dummodò non fuerit alius finis omiſſionis, quàm ſtudium, quia cum non ſit malum, ſed malum ſit quatenus eſt cauſa talis omiſſionis, ſequitur totam malitiam conſiſtere in omiſſione Sacri: & ideò explicata omiſſione Sacri ſufficienter cenſetur explicata ſpecies peccati; ſi verò finis ultimus conſtituatur in ſtudio, explicanda eſt iſta circumſtantia ſignis, nam peccatum veniale efficitur mortale quoties in ipſius objecto conſtituitur ultimus finis.

43 Qui furatus eſt calamum, ut invitaret alterum ab blaſphemandum, non ſatisfacit dicendo ſe Calamum ſurripuiſse; ſed tenetur exprimere circumſtantiam finis, quæ eſt mortaliter mala, non expreſso furto Calami, nam furtum calami non eſt mortale, niſi quatenus dirigitur ad finem mortaliter malum, & ideò explicata circumſtantia finis cenſetur ſufficienter explicatum peccatum neceſſariò exprimendum in confeſſione, ſecus dicendum de eo, qui rem magni momenti ſurripuit, prævidens alterum ad blaſphemiam, aut ad aliud grave peccatum trahere: huic enim imputantur ſaltem duo peccata mortalia ſpecie diverſa, & ideò neceſsario exprimenda in confeſſione.

44 Circumſtantia temporis, aut durationis, loci, aut modi per ſe loquendo non eſt neceſsariò explicanda in confeſſione: quia hæc non addit malum ſpecie diverſum, ſed tantummodò videtur aggravare, vel minuere.

45 Qui commiſit aliquod peccatum in die feſto, non tenetur hanc circumſtantiam exprimere: quia non ſuperaddit peccato diſtinctam ſpecie malitiam, cum non ſit ſpecialiter prohibitum in die feſto fornicari, vel furari, vel aliud peccatum committere: modò non exerceatur opus ſervile, aut miſsa omittatur, nam ſpecialiter vetitum eſt opus ſervile in die feſto exercere, aut miſsam prætermittere.

46 Qui dubitat ſe peccatum aliquod mortale commiſiſse; vel ſcit, ſe commiſiſse peccatum aliquod, quod dubitat eſse mortale tenetur illud confiteri: quia qui non confitetur exponit ſe periculo non faciendi confeſſionem integram, nam peccata dubia ſunt confitenda.

47 Qui dubitat ſe votum omiſiſse, vel damnum intuliſse, non tenetur ad voti adimpletionem vel reſtitutionem: quia poſſeſſio ſtat pro dubitante, qui ſuam libertatem poſſidet.

48 Qui propriè dubitat, an habuerit delectationem veneream, vel aliquid fecerit quod eſt peccatum mortale, tenetur ad confeſſionem iſtius dubii, explicatis ſimul eo modo, quo recordatur circumſtantiis perſonę, de qua dubitat delectationem extitiſse idem dicendum de eo, qui ſcit ſe peccatum mortale commiſiſſe, ſed dubitat, an illud confeſsus ſit, vel an validè confeſsus ſit, tenetur illud confiteri, nam conſtat de obligatione, quod debet intelligi de dubio propriè dicto, non autem de opinione: nam ſi quis probabiliter opinetur aliquod peccatum nõ eſse mortale, ſeu non peccaſse mortaliter, nõ tenetur tale dubium in confeſſione explicare: quia liberum eſt cuilibet opinionem probabilem ſequi Idem dicendum puto de illo, qui ſcit ſe mortaliter peccaſse, ſed probabiliter opinatur ſe illud confeſsum fuiſse, vel illius confeſſionẽ, validam fuiſse.

49 Qui confitetur aliquod peccatum certum, de quo dubitat, an aliàs confeſſus ſit ſatisfacit dicendo, ſe tale peccatum commiſiſ-

miſiſſe, quia cum conſtet de peccato commiſſo, nihil referre videtur ad præſentem confeſſionem, illud alias confeſſum fuiſſe, & eodem modò pœnitens in confeſsione non tenetur dicere ſe tale peccatum commiſiſſe poſt ultimam confeſſionem, niſi ob aliquam peculiarem circumſtantiam mutantem ſpeciem, neceſſe ſit hoc exprimere.

Secreta.

1 Confeſſio facienda eſt ſecretò, quia licet ex præcepto divino non extet obligatio confitendi ſecretò; nihilominùs rationi conſentaneum eſt, & non alienum à præcepto divino, & naturali ſecretò confiteri, ut ait *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. nam publicare peccata ſine juſta cauſa videtur juri naturæ adverſari.

2 Nemo tenetur per ſe loquendo confeſſionem facere per interpretem: quia confeſſio facienda eſt ſecretò: nec eſt credendum, præceptum confeſſionis obligare cum tanto incommodo.

3 Illicitum eſt ſaltem ſub veniali confiteri peccata alio audiente, nam abſque iſta prodigitur fama propria: prodigere autem propriam famam eſt peccatum ſaltem veniale.

4 Illicita faciunt Sacerdotes, qui multos pueros, doli capaces in unum congregatos ſimul audiunt.

5 Confeſſio aliquando publicè fieri poteſt, nec eſt de eſſentia confeſſionis, ut ſecretò fiat coram ſolo Sacerdote; quia valida eſt confeſſio, ſi fiat per interpretem coram Sacerdote præſente pœnitentem annuente, ſeu confirmante nutibus, quæ per interpretem exprimuntur: item valida eſt confeſſio facta ab exiſtentibus in periculo naufragii: qui nequeunt ſua peccata, niſi alta voce confiteri, & niſi ab aſtantibus audiantur: quia non conſtat Chriſtum prohibuiſse, quin aliquis poſſit juſta de cauſa publicè confiteri: item tenetur pœnitens publicè confiteri quando in articulo mortis exiſtens, advertit, ſe non poſse contritionis actum elicere de gravibus peccatis, quorum aliàs non obtinuit abſolutionem directè, vel indirectè; tunc enim confitetur coram aliis, ſi cõfiteri nequeat in aliorum abſentia: nam periculum animæ præponderat jacturæ famæ, & aliorum bonorum externorum.

6 Eccleſia ſi legem ferret univerſalem, præcipiens Confeſſionem publicè fieri, non ſatis conſultè faceret: niſi hoc faceret ex gravi aliqua neceſſitate: quia hæc lex difficillima eſt, nec per ſe valdè utilis, lex autem humana non videtur præcipere res adeò difficiles, & arduas.

7 Confeſſarius non poteſt pœnitenti præcipere ut confiteatur coram teſte; quia confeſſio fit Sacerdoti in perſona Chriſti intimè cognoſcentis omnia, & non indigentis teſte.

8 Pœnitens tenetur ſua peccata propria voce, & propriis verbis confiteri: quia modus manifeſtandi peccata propria voce, eſt omnium optimus: & per accidens fieri poteſt, ut liceat confiteri non adhibitis propriis verbis: non enim eſt de neceſſitate Sacramenti propriis verbis confiteri: nam peccata poſſunt ſufficienter manifeſtari per nutus, ſigna, & ſcripturam: & propterea uſu receptum eſt, ut mutus per ſigna confiteatur quantum commodè poteſt, quare ſi detur caſus, ut quis nequeat loqui, aut nimia ſuffundatur verecundia confitendo propria voce, poteſt adhibitis ſignis doloris, per ſigna confiteri Sacerdoti.

9 Contra ſupradicta non obſtat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii: ubi aſſeritur materiam hujus Sacramenti eſſe confeſſionem oris: nam per confeſſionem oris intelligitur præſentis pœnitentis confitentis coram Sacerdote, & Concilium reſpexiſſe ad id, quod ordinariè fieri ſolet: Confeſſio autem ordinaria fit ore proprio.

Lacrymabilis.

1 Confeſſio debet eſſe lacrymabilis, non quia ad ipſam requirantur exteriores lacrymæ, ſed quia neceſſarius eſt internus animi dolor.

Accelerata.

1 Confeſſio debet eſſe accelerata hoc pacto, ut peccator ſua crimina quamprimum confiteatur, ut non maneat in ſtatu peccati, & damnationis, & bona opera ipſius ſint meritoria: non tamen eſt neceſſe, ut peccator ſtatim poſt peccatum confiteatur, cum poſſit ſe per contiritionem in gratia conſtituere.

Fortis.

1 Confeſſio debet eſſe fortis, ita ut pœnitens non ſinat ſe tentationibus ſuperari ad negligendam, & omittendam Confeſſionem, vel ad quid præ pudore, vel timore in Confeſſionem prætermittendum.

Ac-

Accuſans.

1 CONfeſſio debet eſſe accuſans, ita ut Pœnitens ſe accuſet, ſibique imputet peccata, non verò ea laudet, aut excuſet.

2 Fœmina, quæ fornicationis peccatum commiſit, non debet ſuum peccatum excuſationibus involvere, niſi neceſſe ſit hoc exprimere ad famam tuendam apud Confeſſarium, tunc enim videtur juſtam habere cauſam afferendi excuſationem, quæ ipſam impulit ad tale peccatum.

Parere paratus.

1 COnfeſſio talis eſſe debet, ut pœnitens paratus ſit obedire Confeſſario in his, in quibus tenetur obedientiam pręſtare, ut vitandis occaſionibus in acceptanda pœnitentia &c.

2 Pœnitens dum accedit ad confeſſionem debet eſſe animo paratus ad acceptandam ſatisfactionem, quia debet habere intentionem recipiendi Sacramentum perfectum, & integrum, quantum in ipſo eſt: Sacramentum autem non cenſetur perfectum deficiente ſatisfactione, ut conſtat ex ſupradictis.

De Cauſis excuſantibus ab explicandis omnibus peccatis mortalibus, ſeù ab integritate. Cap. 100.

1 AB integritate confeſſionis excuſatur primò pœnitens, qui peccatum aliàs commiſſum, dum adhuc rudis eſſet, aut dum in puerili exiſteret ætate, conticuit ignorans ſe teneri ad illius confeſſionem: modò autem acquiſita majori ætate, aut ſeniori judicio, cognoſcit eſſe peccatum neceſſario ſubjiciendum confeſſioni: undè ſicut ignorantia excuſatur ab aliis præceptis, ita etiam excuſat ab integritate materiali confeſſionis.

2 Pœnitens excuſatur, qui ex oblivione non culpabili moraliter prætermiſit in confeſſione peccatum mortale, & impoſſibile eſt pœnitentem fateri peccata oblita; & ſatisfacere exprimendo poſteà in alia confeſſione peccatum, cujus anteà oblitus fuerat nec tenetur iterum repetere priora peccata ſemel ritè confeſſa.

3 Excuſatur pœnitens, cui Sacerdos ſubitò contulit abſolutionem; antequam pœnitens integrè fateretur ſua peccata.

4 Poteſt complex in confeſſione manifeſtari, quoties non adeſt copia alterius confeſſarii, cui ſit ignotus complex.

5 Mutus, qui ſua peccata nutibus confitetur, abſolvendus eſt ſaltem tempore præcepti, quamvis confeſſarius ipſius peccata percipere nequeat, nam impotentia loquendi excuſat ab integritate materiali confeſſionis. Idem dicendum puto de extraneo loquente eo idiomate, quod à confeſſario non ſatis benè percipitur: modò non adſit alius Sacerdos, qui benè percipiat ipſius idioma: quia pœnitens moraliter fecit, quod in ſe eſt.

6 Ille poteſt abſolvi, qui petito pœnitentiæ Sacramento, ſed poſteà adveniente confeſſario non poteſt amplius loqui, vel aliquod peccatum exprimere in particulari propter infirmitatem, ſed tantummodò exprimit aliquid in genere, vel ſolum oſtendit ſigna pœnitentiæ, & peccatorum in communi, quia adeſt vera accuſatio, & materia Sacramenti cum debita forma & intentione miniſtri, ſic etiam confeſſarius non ſolum poteſt; verum etiam tenetur ſaltem ex charitate abſolvere pœnitentem, qui dat ſigna contritionis in periculo mortis, & non poteſt ullum peccatum in particulare explicare, ita tenetur confeſſarius ſub conditione abſolvere pœnitentem, qui in abſentia confeſſarii exhibuit ſigna contritionis, ſed adveniente confeſſario ita ſenſibus eſt deſtitutus, ut nullum exhibere poſſit ſignum, quo indicet ſe peccaſſe, & velle ſibi pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrari; aſtantes tamen fatentur ipſum dediſſe ſigna contritionis, aut petiiſſe confeſſionem, quia videtur adeſse ſufficiens materia, cum atteſtatio aliorum aſtantium vicem confeſsionis ſuppleat; eodem modo abſolvi poteſt amens, qui anteà dederat ſigna contritionis, ſeu doloris; in quibus caſibus confeſſarius non debet relinquere pœnitentem in ſtatu damnationis, cum fieri poſsit, ut per abſolutionem efficiat illum de attrito contritum illumque conſtituat in ſtatu ſalutis, & melius eſt infirmum decedere cum dubio Sacramento, quàm ſine ullo Sacramento, immò exiſtimo in tali caſu adeſse confeſsionem, qualis fieri poteſt in tali eventu, & pœnitentem cognoſci peccatorem, quantum in tali eventu ſufficit ad confeſſionem: nam anteà non cognoſcebatur ut peccator ſe accuſans: modò autem cognoſcitur, ut peccator

cator ſe accuſans per petitionem confeſſionis, aut per ſigna contritionis, aut per atteſtationem hominum præſentium affirmantium petiiſse confeſſionem, aut dediſse ſigna contritionis directa ab ipſo pœnitente ad confeſſionem peccatorum, ſed illa peccata in genere, tantummodò explicata per petitionem confeſſionis, aut ſigna contritionis, iterum in particulari confitenda ſunt ſi pœnitens convaluerit, nam in particulari non fuerunt expoſita: peccata autem mortalia ſigillatim exponenda ſunt in confeſſione.

7 Pœnitens in articulo mortis abſolvi poteſt, qui petiit confeſsionem, aut ſigna doloris ordinata ad confeſſionem exhibuit coram aliis, qui fidem faciant, ita etiam poteſt abſolvi, qui expreſso aliquo peccato, non poteſt pro morbo alia explicare, aut qui ſolùm in genere dat ſigna contritionis, ſtringendo manum, aut percutiendo pectus, aut manus, vel oculos in cœlos elevando, aut aliud ſimile ſignum exhibendo per ordinem ad confeſsionem.

8 In praxi, quando pœnitens nequit omnia ſua peccata explicare, aut quando periculum eſt, ut pœnitens inchoata confeſsione decedat, nondum facta integra confeſſione confeſsarius curet proferri ſibi materiam certam, quamvis illa ſit tantummodò peccatum veniale: debet enim exhiberi materia certa quantum fieri poteſt, & potiùs mortalia, quàm venialia, quia ſunt materia neceſſaria, verùm ſi pœnitens inchoata confeſsione ob probabilem mortis metum abſolvatur, antequam perficiat confeſsionem, & poſteà obtenta abſolutione ſtatim non moriatur, debet ſi tempus concedit, proſequi confeſsionem, ut integrè ſua peccata confiteatur; perfecta autem confeſſione iterum abſolvatur, modò pœnitens eorum attritionis actum eliciat: non enim poteſt forma iterari ſuper eandem materiam proximam.

9 Sacra Cardinalium congregatio declaravit, poſse pœnitentem abſolvi, qui confeſsionis indicia dedit, coram eo, qui ſtatim ad confeſsarium accurrit: ſed pœnitens adveniente confeſsario ita ſenſibus deſtitutus eſt, ut nullum doloris, vel contritionis ſignum exhibere poſsit. Idem etiam ex Romano rituali colligi videtur, item infirmus abſolvi poteſt, ſi aliquo pacto innuat, ſeu petat abſolutionem à Sacerdote per ſigna doloris, vel per confeſſionem peccati in genere, aut per teſtes præſentes manifeſtantes ipſius diſpoſitionem, nam teſtium præſentium manifeſtatio ſupplere poteſt vicem confeſſionis in præſentia factæ, & moribundus videtur per atteſtationem præſentium confiteri Sacerdoti præſenti, ſicque materiam ſufficientem exhibere, quantum fert circumſtantia temporis, & perſonæ, ita Clementem VIII. vivæ vocis oraculo reſpondiſſe fertur.

10 Pœnitens poteſt aliquod peccatum mortale reticere in confeſſione ad vitandū proprium vel alienum grave detrimentum, & propterea ſi pœnitens habeat neceſſitatem confitendi, & non habeat copiam confeſſarii, cui poſſit abſque periculo confiteri, debet reticere peccata, quorum eſt periculum, nam unuſquiſque debet ſibi, & aliis conſulere, ita fœmina ſi confitendo peccatum timeat confeſſarium ſcandalizandum, aut ſe ab eo ſollicitandum, tenetur abſtinere à confeſſione talis peccati, ſi non habeat copiam alterius confeſſarii, aut non ſperet fore, ut brevi adventurus ſit confeſſarius à quo non timet hæc incommoda, immò prædicta fœmina tenetur abſtinere à manifeſtatione peccati, cujus eſt periculum, quoties adſtringitur ad confeſſionem faciendam ratione vitandi ſcandali, quod probabiliter timetur ex dilatione aut omiſſione confeſſionis.

11 Pœnitens: qui probabiliter non timet grave periculum, ſed tantumodo dubitat, aut leviter ſuſpicatur grave periculum gravis infamiæ, vel alterius ſimilis incommodi temporalis, non poteſt peccatum in confeſſione reticere, quia præceptum confeſſionis obligat, quoties ſervari poteſt abſque gravi incommodo.

12 Quando infirmus laborat morbo contagioſo, & confeſſarius non poteſt ipſum etiam è longè abſque periculo audire, diutius immorando in peccatis audiendis confeſſarius poteſt, auditis aliquibus peccatis, abſolvere.

13 Pœnitens, cui imminet præceptum annuæ confeſſionis, aut neceſſitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, vel celebrandi Miſſam poteſt confiteri ſua peccata, tacito peccato de quo probabiliter timet grave damnum, licet aliqui affirmant, huic licitum eſſe omiſſa tota confeſſione contritum communicare: ſed noſtra ſententia eſt non ſimpli-

pliciter excuſari à confeſſione, ſed ab integritate materiali confeſſionis.

14 Pœnitens, qui habet tantummodo unum peccatum, de quo dubitat probabiliter grave damnum: non poteſt præciſo mortis articulo tale peccatum in genere confiteri: quia non poteſt ullam excuſationis cauſam afferre confeſſario, cur ita in genere confiteatur peccatum, ſicut poteſt afferre, qui novit ſe mortaliter peccaſse, ſed non amplius recordatur ſpeciei peccati.

15 Pœnitens qui unum ſolum peccatum mortale habet, timet graviter periculum: ſed præter illud peccatum mortale habet peccata venialia, non tenetur ante ſumptionem Euchariſtiæ, peccata venialia confiteri, tacito peccato mortali, de quo grave periculum probabiliter timet, quia non eſt præcepta confeſſio peccatorum venialium, ſed mortalium.

16 Confeſſarius poteſt exiſtentes in periculo naufragii, aut in domo igni conflagrante abſolvere, etiamſi non omnia ipſorum peccata mortalia audierit: immo poteſt uno audito à ſingulo peccato ſimul omnes abſolvere dicendo vos abſolvo, nam pœnitentes excuſantur ab integritate confeſſionis; propter magna ipſorum utilitatem, cum ſit periculum in mora decedendi ſine Sacramento: niſi hoc pacto abſolvantur.

17 Confeſſarius, qui dubitat fore, ut infirmus morte corripiatur, decedens ſine abſolutione, poteſt talem infirmum audito uno peccato, antequam perficiat confeſſionem abſolvere, & deinde reliqua audire ut confeſſio fiat integra quantum fieri poteſt. Curet tamen in tali caſu, primò ut pœnitens fateatur prius aliquod peccatum mortale, quod eſt materia neceſſaria; ſecundò ut fateatur aliquod peccatum certum: ſic enim poſtulat reverentia Sacramenti.

18 Qui habet juſtam cauſam reticendi aliquod peccatum, non poteſt plura reticere quam poſtulet juſta cauſa, ſeu periculum probabiliter imminens, & propterea qui habet juſtam cauſam reticendi actum externum, tenetur actum internum manifeſtare, de quò nullum probabiliter impendet periculum: qui autem peccatum aliquod ex juſta cauſa conticuit non tenetur ſtatim oblata opportunitate confiteri, ſed ſuo tempore mortis, aut inſtante præcepto annuæ confeſſionis.

Quandonam iteranda ſit Confeſſio.
Cap. 101.

1 QUoties pœnitens culpabiliter mortaliter non confitetur integrè, aut quoties confitetur ſine dolore requiſito ſaltem ad ſubſtantiam, aut quoties confitetur culpabiliter ſine dolore ad fructum requiſito aut quoties mortaliter peccat in actuali ſuſceptione Sacramenti, in quibus caſibus quia deficit integritas formalis; videtur confeſſio invalida, & ideò iteranda.

2 Pœnitens tenetur ad iterandam confeſſionem, quando voluntariè conticuit aliquod peccatum mortale, aut non præmiſit debitum examen conſcientiæ; graviter enim peccat non præmiſſa debita conſcientiæ diſcuſſione ante confeſſionem; quia facit contra præceptum divinum de integritate Confeſſionis.

3 Quando Pœnitens Sacerdoti dormienti, aut ſurdo non audienti, confeſſus eſt ſua peccata, hic non cenſetur integrè confeſſus: ſed perinde eſt, ac ſi confeſſus non fuiſset.

4 Quando non habuit debitum dolorem: loquor hic non ſolum de dolore, qui eſt pars eſsentialis, verum etiam de illo, qui eſt pars integralis, & culpabiliter prætermittitur, graviter enim peccat, qui dolorem ad confeſſionem requiſitum propria culpa prætermittit, nam ponit obicem ad Sacramentum & deficit in materia Sacramenti.

5 Quando pœnitens noluit deſerere ſtatum, & occaſionem proximam peccandi peccat mortaliter, cenſetur enim voluiſse permanere in ſtatu peccati mortalis, & non habuiſse debitum dolorem.

6 Graviter peccat, qui prius recipit abſolutionem peccatorum, quàm excommunicationis: nam excommunicatus privatur ſuſceptione Sacramentorum, & ideò facit contra prohibitionem cenſuræ in re gravi, unde invalidè confitetur, non tenetur autem confeſſionem iterare ſi ignorabat ſe eſſe excommunicatum, aut obtinendam eſſe prius abſolutionem excommunicationis, quam peccatorum: quia excommunicatus non eſt incapax Sacramentorum; quamvis prohibeatur illa recipere.

7 Qui aliquod mortale peccatum in confeſſione prætermiſit putans non eſſe mortale etiam ſi fortè ob ignorantiam

vicibilem non fuerit excuſatus à mortali, quando peccatum commiſit, excuſatur ab iteranda confeſſione, & ſatisfacit repetendo peccata in confeſſione prætermiſſa, quia non adeſt ulla cauſa, propter quam teneatur repetere confeſsionem, & ſic excuſantur à repetenda confeſſione pueri, puellæ; qui in confeſſione aliquod mortale tacuerunt, ignorantes eſse mortale: ſed grandiores factæ agnoſcunt eſse mortale: hoc idem procedit in circumſtantiis non expreſſis, aut in numero non explicato; ſufficit enim ut pænitens cognita obligatione explicandi numerum, & circumſtantias fateatur numerum & circumſtantias aliàs in confeſſione prætermiſsas.

8 Pœnitens, qui cogitur repetere confeſſiones, non ſemper tenetur omnes, & ſingulas confeſſiones repetere: non enim tenetur eas repetere, quas bona fide fecit præmiſso debito examine, cum non deliquerit in confeſsionibus bona fide factis.

9 Qui majorem numerum peccatorum venialium expreſsit in confeſsione, ſive bona, ſive mala fide fecerit, non tenetur iterum numerum verum, & certum aperire: quia non decepit confeſsarium in materia neceſsaria.

10 Qui majorem numerum mortalium peccatorum mala fide in confeſsione expreſſit, tenetur non ſolum iterum aperire numerum verum, & certum, verum etiam tenetur repetere confeſsionem invalidam ob deceptionem mortaliter peccaminoſam, in materia gravi, & neceſsaria.

11 Qui bona fide majorem numerum peccatorum mortalium expreſſit in confeſſione ſolum non tenetur repetere confeſſionem, utpotè integra, & valida formaliter, verùm etiam neque tenetur errorem majoris numeri confiteri; quia peccata ſua confeſſioni ſemel ſubjecit, eorumque abſolutionem obtinuit à confeſsario circa minorem numerum in maiori contentum.

12 Qui nondum eſt Baptizatus, vel non eſt Sacerdos, non poteſt abſolvere, quia caret poteſtate abſolvendi, quæ fundatur in charactere ſacerdotali: idem dicendum de eo, qui non habet jurisdictionem ordinariam, aut delegatam abſolvendi, invalidè abſolvit, & nullus poteſt ab eo abſolvi, qui non habet poteſtatem, abſolvendi niſi fortè communi errore, & titulo colorato credatur habere juriſdictionem, & poteſtatē validè abſolvendi: quia tunc Eccleſia ſupplet juriſdictionem, quam ſupplere poteſt.

13 Iteranda eſt confeſſio, quoties Sacerdos non habuit ſufficientem intentionem abſolvendi, vel quoties verbum aliquod formæ neceſsarium prætermittit, aut morte præventus non potuit abſolvere.

14 Quandò pænitens bona fide confeſsus eſt Sacerdoti indocto, & minus ſufficienti ad confeſſionem excipiendam, quem poſt confeſsionem cognovit neſciviſse diſtinguere inter peccata mortalia, & venialia, vel inter reſervata, & non reſervata: non tenetur iterum confeſſionem repetere, modò confeſsarius facultatem haberet abſolvendi à peccatis reſervatis: quia obtinuit abſolutionem ab habente facultatem abſolvendi, & plenè ſua peccata confeſsus eſt, nec obicem poſuit valori Sacramenti: idem dicendum de pænitente, qui integrè confeſsus eſt peccatum, quod ipſe dubitabat eſse mortale; & poſtea certò cognoſcit eſſe mortale: quia ad validitatem confeſſionis non requiritur, ut pænitens, aut confeſsarius ſciat determinatè peccatum manifeſtum eſse mortale.

15 Qui tenetur confeſſionem invalidè factam repetere, tenetur ſingillatim omnia peccata repetere, ſi confiteatur coram alio confeſsario, qui non poteſt abſolvere niſi ipſi omnia peccata confiteantur, ſi verò confeſſio iteretur coram eodem confeſsario qui prius eadem peccata in confeſſione audiat, ſufficit Pænitentem dicere, confiteor tibi omnia peccata, quæ antea dixeram, ſubjunctis tamen peccatis in prima confeſsione prætermiſſis, & aliis poſt illam confeſſionem commiſſis: modò confeſsarius aliquo modo ſaltem in confuſo, & in genere recordetur ſtatus pœnitentis, vel ſaltem recordatur pœnitentiæ injunctæ. Secus ſi oblitus ſit ſtatus pœnitentis, vel pœnitentiæ antea injunctæ; tunc enim pœnitens tenetur ſingula peccata repetere, cum præcedens confeſſio perinde ſe habeat, ac ſi facta non fuiſset.

16 Valida eſt confeſsio, quam pænitens non potuit unica vice perficere, ſed eam iteratis vicibus perficit ſpatio multorum dierum, & in fine obtinuit abſolutionem à Sacerdote, cui notus erat ſtatus pœnitentis, quamvis Sacerdos tempore abſolutionis non recordaretur omnium peccatorum in particulari.

17 Qui

17 Qui prius confeſſus eſt Sacerdoti non habenti facultatem abſolvendi, ſi confeſſionem repetat coram eodem Sacerdote, poſtquam idem Sacerdos obtinuit facultatem abſolvendi, ſatisfacit accuſando ſe in genere de peccatis aliàs eidem confeſſis, modò confeſſarius aliquo pacto recordetur ſtatus pœnitentis: quia hoc modo ſufficit, ac ſi confiteretur ſingillatim.

* *Die 24. Sept. 1665 damnata fuit ab Alexand. VII. hæc propoſitio. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

De Obligatione ad Confeſſionem. *Cap. 102.*

1 OMnes fideles baptizati habentes peccata mortalia commiſſa poſt baptiſmum, aut in ipſa ſuſceptione baptiſmi tenentur confiteri *ex Trid. ſeſſ. 14 c. 5.* quia peccata mortalia commiſſa poſt baptiſmum, aut in ipſa ſuſceptione Baptiſmi non poſſunt aliter remitti, quàm per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem in ordine ad confeſſionem.

2 Adulti, & pueri uſum rationis habentes, exiſtentes in mortali peccato, tenentur ad confeſſionem non ſolum ex præcepto divino, verum etiam ex præcepto Eccleſiaſtico, quod obligat fideles ad confeſſionem ſemel in anno faciendam: pueri autem tenentur completo ſeptennio; ſed ut afferunt communiter Doctores, pueros, qui ante duodecimum annum, non confitentur, non eſſe puniendos ea pœna, qua puniuntur cęteri, ut habetur in cap. 1. & 2. de delictis puerorum. In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanas leges ducunt ſeverius puniendum, ex quo loco ſumunt occaſionem Doctores dicendi Excommunicationem contra pueros non eſſe ferendam, ſi tranſgrediantur legem continentem excommunicationem ferendam, quæ intelligitur de illa ferenda contra tranſgreſſores præcepti annuę confeſſionis, & proptereà non debet intelligi de excōmunicatione, qua incurritur ab iis, qui manus violentas injiciunt in clericos, nam pueri ante duodecimum, vel decimum quartum annum afficiuntur excommunicatione, ſi manus violentas injiciunt in Clericum: nam hac occaſione ipſo facto incurritur, & proptereà huic excommunicationi ſubjiciuntur: quæ ipſo facto incurritur, & liberantur ab illa, quæ eſt ferenda contra tranſgreſſores præcepti.

3 Papa tenetur non ſolum jure divino confiteri, cum divinis legibus ſit ſubjectus, verum etiam pręcepto Eccleſiaſtico, quod fideles obligat ad confeſſionem peccatorum mortalium ſemel in anno faciendam; quia Summus Pontifex, licet ex vi coarctativa non ſit ſubditus legibus Eccleſiaſticis, nihilominus ex vi directiva, & ex honeſtate tenetur ad obſervantiam legum propria auctoritate conſtitutarum.

4 Infideles, aut Catechumeni non obligantur ad confeſſionem iure Eccleſiaſtico, ſed divino, quia *ex Trid.* habetur hoc Sacramentum neceſſarium eſſe elapſis poſt Baptiſmum; ergo non eſt neceſſarium infidelibus, qui nondum ſunt baptizati.

5 Fideles habentes peccata mortalia opere paterno perpetrata, aut etiam habentes ſola peccata interna commiſsa poſt Baptiſmum tenentur ad illorum confeſſionem *ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* & in c. omnibus utriuſque ſexus dicitur omnia peccata ſaltem ſemel in anno confitenda eſſe; nec ibi ſit diſtinctio inter peccata interna & externa, ubi autem ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

6 Qui probabiliter dubitat ſe mortaliter peccaſse, tenetur ad confeſſionem, ut præcepto confeſſionis ſatisfaciat, nam cum ſit peccatum commiſſum poſt Baptiſmum, & ſic materia neceſsaria Sacramenti, ut dictum eſt, tenetur confiteri peccatum, tanquam dubium eo modo, quo dubitat ſe peccaſse.

7 Qui habet ſolum peccata venialia, non tenetur ad illorum confeſsionem, nam non tenetur ex pręcepto divino, nullibi enim hoc præceptum invenitur: nec ex præcepto Eccleſiaſtico, quia Eccleſia non imponit præceptum confitendi; ſed determinat tempus adimplendi præceptum divinum: tamen fideles debent coram proprio Sacerdote comparere tempore Paſchatis, etiam ſi habeant ſola venialia, ut evitent ſcandalum, & non excommunicentur, vel interdicentur; nam qui confeſſionis atteſtationem non deferunt, ſolent ab Eccleſia interdici.

8 Fideles tenentur ex præcepto divino confiteri *ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4* & ex præcepto Eccleſiaſtico, ut in c. omnis

utriuſque ſexus, de pœnitentiis, & remiſſionibus, ubi annua confeſſio præcipitur ſub pœna privationis Eccleſiasticæ ſepulturæ, & privationis ab ingreſſu Eccleſię, quod præceptum annuæ confeſſionis eſt Eccleſiaſticum non ſimpliciter, ſed quoad determinationem temporis, quia Eccleſia ſolum determinavit confeſſionem ſemel in anno fieri, non verò abſolutè præcepit confeſſionem: nam fideles adhuc tenerentur confiteri, quamvis tempus ad confeſſionem faciendam non eſſet ab Eccleſia præfixum: unde ſequitur Eccleſiam poſſe hujuſmodi determinationem auferre; quia ſicut poſt condere ſic etiam poteſt auferre leges à ſe conditas.

9 Eccleſia non poteſt cum aliquo diſpenſare, ut nunquam confiteatur, vel ut in articulo mortis non confiteatur: nam confeſſio eſt de jure divino, in quo non poteſt Eccleſia diſpenſare.

10 Omnes fideles uſum rationis habentes tenentur ſemel in anno confiteri ut dictum eſt, ſi habent peccatum mortale; item tenentur quoties Sacramentum Euchariſtiæ volunt ſumere, & habent peccatum mortale, quia ut dictum eſt ante ſumptionem Euchariſtiæ neceſſaria eſt peccatorum confeſſio: inſuper tenentur quoties exiſtunt in articulo mortis; etiam ſi eodem anno confeſſi fuerint, quia præceptum divinum confeſſionis, ſi unquã obligat certè obligat in probabili mortis periculo.

11 Probabiliter imminet mortis periculum, quando ſuſcipiunt periculoſas navigationes: hi tenentur ad confeſſionem; ſicut etiam tenentur milites, quando inſtat prælium, quia probabile mortis periculum imminet, ita fœmina, quæ prima paritura eſt, aut quę aliàs peperit magna cum difficultate, ſeu vitæ periculo, tenetur ad confeſſionem, ita infirmus graviter laborans, & peccavit mortaliter poſt confeſſionem, tenetur adhuc confiteri; tenetur enim huic neceſſitati ſpirituali quantum poteſt confeſſionis remedio conſulere, item damnatus à judice ad mortem tenetur ad confeſſionem, quia in probabili periculo mortis exiſtit.

12 Si Eccleſia tempus confeſſionis non determinaſſet, facienda eſſet confeſſio ex præcepto divino juxta prudentis viri judicium, quatenus non differetur nimium differri; nimium autem differri videretur, ſi ultra quatuor, aut quinque annos differretur, & propterea præceptum confeſſionis ex vi ſua non ſolum obligat in articulo mortis, verum etiam aliquoties extra mortis periculum, quia ex vi ſua obligat, ut nimium non differatur juxta prudentis viri judicium.

13 Qui eodem anno prętermittit confeſſionem, & communionem committit plura præcepta de re diverſa.

14 Quia ſemel in anno ex præcepto Eccleſiaſtico facienda eſt confeſſio, annus computandus eſt ab uno Paſchate, ad ſequens Paſcha, ſeu ab una Quadrageſima ad aliam Quadrageſimam: unde qui in nativitate Domini, aut alio die confitetur, ſatisfacit pręcepto annuæ confeſſionis nec poſteà tenetur ex vi iſtius pręcepti in Quadrageſima confiteri, cum jam adimpleverit præceptum.

15 Qui prævidet fore, ut non ſit habiturus copiam confeſſarii in articulo mortis, aut ſequenti tempore præſentis anni, tenetur prævenire confitendo, antequam adveniat mortis articulus, vel antequam elabatur annus, in quo tenetur confiteri.

16 Qui facit confeſſionem informem ſatisfacit pręcepto confeſſionis, quia Eccleſia pręcipit confeſſionem, & ut dicatur confeſſio informis eſt valida, ergo ſatisfacit præcepto; ſicut ſatisfacit præcepto ſumendæ Euchariſtiæ, qui indignè recipit Euchariſtiam ſine fructu: nam Præceptum Eccleſiæ obligat ad ſubſtantiam actus, non verò ad modum.

17 Qui non facit confeſſionem perfectam, ſcilicet quia non confitetur omnia ſua peccata mortalia ex malitia, vel ex ignorantia craſſa, aut quia non habet debitum dolorem: aut quia non abſolvitur ex malitia confeſſarii, aut alia de cauſa non adimplet præceptum confeſſionis, quia cum præceptum confeſſionis, ſit præceptum divinum, quod non adimpletur perfecta confeſſione.

18 Qui non facit confeſſionem perfectam eo modo, quo dictum eſt ſuperius, incurrit cenſuras contra eos inflictus qui non ſunt confeſſi: quia cenſetur contumax contra Eccleſiam, cum non adimpleat præceptum, ob cujus tranſgreſſionem impoſita eſt cenſura.

19 Qui non eſt confeſſus anno præterito, tenetur hoc anno quam primum confiteri

teri ex precepto annuo confeſſionis, quia annus non præfigitur ad finiendam, ſed ad ſollicitandam adimpletionem precepti confeſſionis; non idem dicendum de eo, qui in periculo mortis non eſt confeſſus: nam elapſo mortis articulo non tenetur quam primum confiteri: quia præceptum confeſſionis in articulo mortis obligat, ut occurratur periculo damnationis: ſublato autem periculo mortis, non adeſt periculum damnationis, & ideò non tenetur quam primum confiteri.

20 Qui uno anno prætermiſit confeſſionem toties peccat mortaliter: quoties elapſo anno non confitetur oblata opportunitate confitendi: nam ſi tenetur quam primum confiteri, quomodo non peccabit prætermittendo confeſſionem, oblata poſt annum confitendi opportunitate?

21 Qui diſtulit confeſſionem anni præteriti, uſque ad præſentem annum, non ſatisfacit unica confeſſione præcepto anni præteriti, & præſenti; proptereà ſi unam tantum fecit confeſſionem, & iterum nolit pro anni præſentis obligatione confiteri, poteſt per cenſuram ab Epiſcopo compelli ad confitendum, modò utroque anno habeat peccata mortalia neceſſario confitenda.

22 Qui per oblivionem, vel aliam cauſam in confeſſione pretermiſit aliquod peccatum, cujus recordatur poſt ſumptionem Euchariſtiæ, aut poſt Paſcha non tenetur quàm primum confiteri, quia iam ſatisfecit precepto confeſſionis, quia re vera ſemel in anno confeſſus eſt; unde differre poteſt confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur; ſecus dicendum, ſi ante communionem recordetur, nam tenetur antequam ad communionem accedat confiteri, ut patet ex dictis.

23 Qui poſt confeſſionem, & communionem commiſit aliquod peccatum mortale, nondum elapſo anno, in quo prius confeſſus eſt, non tenetur illud peccatum confiteri, ut ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, quia cum ſemel integrè confeſſus ſit peccata, quorum tunc conſcius erat, videtur ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ, quo præſcribitur confeſſio ſemel in anno: hæc opinio poteſt ſuſtineri, ſed oppoſita tutior eſt.

24 Qui confeſſus eſt hoc anno ſolum peccata venialia, cum non haberet mortalia, ſi poſt confeſſionem committat aliquod peccatum mortale nondum elapſo anno, tenetur eodem anno iterum confiteri, quia nunquam hoc anno confeſſus eſt peccata mortalia. Præceptum confeſſionis in c. omnis utriuſque ſexus obligat ad mortalia confitenda ſemel in anno ſi pænitens intra annum conſcius ſit alicujus peccati mortalis.

25 Confeſſio facienda eſt Sacerdoti approbato ad excipiendas confeſſiones: quia non quilibet Sacerdos eſt legitimus judex in foro Sacramentali ut infra dicetur; quare non ſatisfacit præcepto confeſſionis, ſi Religioſo non approbato confiteatur, ſecus dicendum ſi Religioſo approbato confiteatur; quare non poteſt Parochus ſuis ſubditis prohibere, ne confiteantur hujuſmodi Sacerdoti, ſeu Religioſo approbato, quia facultas conceſſa Sacerdoti, ſeu Religioſo approbato cenſetur quaſi relativa, ità ut eo ipſo, quod Religioſus fuit ab Epiſcopo approbatus, & admiſſus ad confeſſiones audiendas, cenſetur etiam data facultas Parochianis, ut poſſint huiuſmodi Sacerdoti confiteri, nec ampliùs teneantur eadem peccata proprio Parocho confiteri, & licet in cap. utriuſque ſexus habeatur peccata confitenda eſſe proprio Sacerdoti, aut alteri de licentia proprii Sacerdotis, & proptereà ſi quis confiteatur alteri, quàm proprio Parocho, dicunt aliqui, non ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis; tamen dicendum eſt ſatisfacere, quia non ſolùm Parochus, ſed etiam Epiſcopus eſt proprius ſacerdos; quare dum Epiſcopus approbat aliquem Sacerdotem ad confeſſiones audiendas, dat etiam facultatem ſuis ſubditis, ut confiteantur Sacerdoti à ſe approbato, & ideò, qui confitetur hujuſmodi Sacerdoti approbato ſatiſfacit præcepto, quia cenſetur confiteri de licentia proprii Sacerdotis, cum Epiſcopus ſit proprius Sacerdos omnium Parochianorum ſuæ diæceſis.

26 Parochus non debet denegare in Paſchate Euchariſtiam illi, qui ſe dicit confeſſum eſſe Sacerdoti approbato, modò ſit fide dignus, & non ſit peccator publicus: & licet in aliquibus locis per decreta, vel per conſuetudinem receptum ſit, ut parochi iis non præſtent fidem, qui ſe dicunt confeſſos, niſi ſchedulam, & atteſtationem confeſſioni afferant, quamquam ſi perſona

gravis, & honeſta dicat ſe ſchedulam amiſiſſe, aut ſe illius oblitam fuiſſe, poteſt tamen Parochus illi fidem præſtare, illamque ad Euchariſtiam admittere, quia viro fide digno præſtari poteſt.

* *Die 24. Septemb. 1665. damnata fuit ab Alexand. VII. hæc propoſitio. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Quibus de cauſis excuſentur fideles à confeſſione. Cap. 103.

1 FIdeles excuſantur ab obligatione confeſſionis, quoties abſolutè, aut ſine gravi detrimento nequeunt ſua peccata confiteri, quia nec Chriſtus, nec Eccleſia obligat cum gravi incommodo.

2 Qui non habet copiam confeſſarii, nec habere poteſt niſi longum iter faciat, excuſatur ab obligatione confeſſionis, ſi nequit iter facere abſque gravi incommodo judicio prudentis viri.

3 Qui ſibi, aut alteri probabiliter timet revelationem peccati, aut aliud grave detrimentum, excuſatur à confeſſione eorum peccatorum, ex quorum manifeſtatione probabiliter timet revelationis periculum, aut aliud detrimentum: non autem excuſatur à confeſſione aliorum peccatorum, quę probabiliter non timet manifeſtanda.

4 Ille excuſatur à præcepto non ſolum Eccleſiaſtico, verum etiam divino, qui non poteſt ſua peccata confiteri ſub ſecreto ſigilli confeſſionis: vel ſi nequeat confiteri niſi ab aliis audiatur, præceptum enim confeſſionis non obligat cum tanto incommodo, quod à Doctoribus admittitur non ſolum quando pœnitens ſuſcepturus eſt Euchariſtiam, ſed etiam quando in periculo mortis exiſtit.

5 Qui niſi per interpretem confiteri poteſt, excuſatur à præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis, & à præcepto divino, non ſolum tempore communionis, verum etiam mortis, niſi fortè pœnitens nequeat in tali caſu actum contritionis elicere: quia in c. utriuſque ſexus præcipitur confeſſio facienda ſoli Sacerdoti: non fieret autem ſoli Sacerdoti ſi pœnitens teneretur ſua peccata per interpretem confiteri. In articulo verò mortis ſi peccator nequeat obtinere abſolutionem à peccatis, niſi publicè, vel per interpretem confiteatur, nec poſſit actum contritionis elicere, aut dubitat de ſua contritione, tenetur publicè, vel per interpretem confiteri, quia tenetur quantum poteſt adhibere media ad ſalutem propriam. Secus dicendum ſi habeat actum contritionis.

6 Qui non poteſt aliter confiteri, quàm per ſcripturam, dicendum eſt, quòd commodè, & ſine periculo non poteſt confiteri per ſcripturam, non tenetur per ſcripturam confiteri, ſi verò commodè, & ſine periculo poteſt, per ſcripturam confiteri tenetur per ſcripturam confiteri, quoties inſtat præceptum confitendi: poteſt enim ſcribere ſua peccata coram Sacerdote, & ſtatim perſtringere chartam, in qua ſcripta erant peccata, poteſt etiam habere librum typis impreſſum in quo digitis indicet peccata confeſſario, deſcripta in alia charta numero peccatorum, ita ut non incurrat periculum infamiæ, aut gravis damni: ergo pœnitens poteſt confiteri per ſcripturam, quoties per ſcripturam poteſt confiteri abſque periculo, & damno.

7 Qui lubricam habet memoriam, non tenetur peccata ſcribere, aut ſtatim confiteri ne obliviſcatur, qua hęc non ſunt media ordinaria, & fieri poteſt, ut ſcriptura deperdatur cum periculo infamiæ, ſecus dicendum eſt ſi poſſit ſua peccata ſcribere abſque probabili periculo tempore confeſſionis, aut etiam anteà.

De Satisfactione.

De Definitione, & neceſſitate Satisfactionis. Cap. 104.

1 SAtisfactio eſt compenſatio pęnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis taxatis à confeſſario: dicitur compenſatio pœnæ temporalis, pœnitentia enim Sacramentalis injungitur in ſatisfactionem pro reatu pœnæ temporalis remanente poſt culpam jam deletam: dicitur debitæ ob injuriam Deo illatam, quia cum homo per peccatum inferat Deo injuriam, dignus eſt aliqua pœna, in cujus ſatisfactionem imponitur pœnitentia in confeſſione: dicitur conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis &c ut oſtendatur, quænam opera injungantur in ſatisfactionem.

2 Satisfactio impoſita à confeſſario non ſemper remittit omnem pęnam: nam ut aliquis

quis pœnam peccatis debitam imponat ad æqualitatem cognoſcere debet, quanta pœna peccatis debeatur: ſed confeſſarius non cognoſcit quanta pœna peccatis debeatur, igitur per ſatisfactionem impoſitam non tollitur omnis pœna peccatis debita ita, ut pœnitentia peracta ſatisfactione nihil in purgatorio lugendum remaneat.

3 Proprium eſt ſolius Baptiſmi tollere omnem culpam, & pœnam.

4 Gratis aſſeritur ab illis, qui dicunt pro peccato mortali deberi pœnam ſeptem annorum, cum non conſtet illam ſeptemnalem pœnitentiam pertinuiſſe ad forum Sacramenti pœnitentiæ: nec apparet, ubi nam ſancita fuerit pro ſingulis mortalibus ſeptemnalis pœnitentia in foro Sacramenti pœnitentiæ injungenda.

5 Validum eſt pœnitentiæ Sacramentum, in quo Sacerdos nullam injungit ſatisfactionem, modò pœnitens malitiosè non concurrat ad ommiſſionem injungendæ pœnitentiæ: & jam ſi fortè Sacerdos peccat non injungendo pœnitentiam abſque rationabili cauſa tamen eſt validum: quia ſi pœnitens non adimpleat ſatisfactionem acceptam, non reddit invalidum pœnitentiæ Sacramentum antea ſuſceptum cum animo adimplendæ pœnitentiæ, & ſic etiam erit validum etiam ſi Sacerdos eam non injungat, quia injuncto pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis non eſt pars eſſentialis Sacramenti, & ideò poteſt eſſe validum non injuncta pœnitentia, cum tantummodo deficiat pars integralis, non eſſentialis.

* *Alex. VIII die 7. Decembris 1690. damnat inſcriptam propoſitionem. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

De obligatione confeſſarii circa pœnitentiam injungendam. Cap. 105.

1 Confeſſarius per ſe loquendo tenetur ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungere, quia confeſſarius curare tenetur, ut Sacramentum ſit integrum; ad integritatem autem Sacamenti pœnitentiæ pertinent ſatisfactio, quæ ut dictum eſt, eſt pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, & propterea aliquòd aſſerunt confeſſarium teneri ſub mortali pœnitentiam injungere alioquin peccaret contra proprium officium in re gravi.

2 Proximo morti Impendenda eſt abſolutio abſque ſatisfactione, dum ſperatur non poſſe adimplere, ſeu nihil percipiat, & propterea prudenter aget confeſſarius non injungendo gravem, ſed levem aliquam pœnitentiam, ut percuſſionem pectoris, aut brevem orationem, aut invocationem nominis Jeſu, aut aliquem actum bonum.

3 Scrupuloſus quando intra eandem horam frequenter accedit ad confeſſarium aliquid non ſemper confitens; huic Sacerdos poteſt injungere pœnitentiam, jam aliàs injunctam, nam opus aliàs debitum poteſt in ſatisfactionem Sacramentalem injungi.

4 Quando confeſſarius ex ſignis advertit, pœnitentem ad pœnitentiæ Sacramentum cum tanto dolore accedere, ut credat ipſum integrè Deo ſatisfeciſſe, & propterea qui integrè ſatisfacit, non videtur obligandus ad novam ſatisfactionē: verum quia difficilè eſt cognoſcere integrè pœnitentem ſatisfeciſſe, tutius aget Sacerdos, ſi injungat aliquam pœnitentiam, ne relinquat Sacramentum, quoad ſatisfactionem imperfectū.

5 Quando probabiliter creditur pœnitentem nullam acceptaturum eſſe pœnitentiam, licet aliqui Doctores dicant abſolvi poſſe nulla injuncta pœnitentia: tamen hunc caſum rarò puto admittendum, quia hujuſmodi pœnitens non cenſetur diſpoſitus ad recipiendum beneficium abſolutionis.

6 Sacerdos tenetur ſatisfactionem pœnitenti præcipere *ex Trid. ſeſſ. 14. c. 8. & c. 15.* tamen fieri poteſt, ut confeſſarius aliquando non teneatur præcipere, ſed poſſit eam conſulere hoc modo, ſi tale opus feceris ſerviat tibi in ſatisfactionem, vel ſi reincideris in tale peccatum jejunabis, &c. quia ſatisfactio injungitur in medicinam, quatenus Sacerdos judicaverit expedire; igitur dum Sacerdos judicat expedire, ut pœnitentia non injungatur per modum præcepti, poterit eam ſub forma, quaſi conditionata injungere.

7 Sacerdos poteſt pœnitentiam injungere ſub disjunctione. & ita dicere pœnitenti, tantam impende eleemoſynam pauperibus, vel ſi malueris, toties recitabis coronam, aut ſi coronam uno die omiſeris, repetes bis ſequenti die.

8 Opus, quod in ſatisfactionem injungitur, debet eſſe opus bonum pœnale, quia homo non ſatisfacit pro pœna, niſi opus pœnale exhibeat, & præſtet.

9 Opera bona pœnalia, quæ ſunt injungen-

jungenda à confeſſario,ut pœnitens ſatisfaciat à Deo pro pęna peccatorum *in Tr. ſeſſ. 14.c. 13.* decernitur ſatisfactionem præſtari poſſe jejuniis, orationibus, & elemoſynis, quæ ſunt bona, & pœnalia; nam peccatum vel eſt contra Deum, & ſic datur oratio, vel contra proximum, & ſic imponitur eleemoſyna; vel contra ipſum: & ſic reſpondet jejunium, ita etiam contra concupiſcentiam carnis dirigitur jejunium, contra concupiſcentiam oculorum dirigitur eleemoſyna, contra ſuperbiam vitæ, oratio.

10 In ſatisfactionem injungi poteſt aliqua meditatio, vel aliquod propoſitum vitandi peccatum, quia ſunt bona opera pœnalia, & fiunt cum fatigatione corporis propter attentionem.

11 In ſatisfactionem injungi poteſt opus aliàs præceptum, ut miſſæ auditio in die Dominico, aut jejunium in quadrageſima, cum ſint opera bona pænalia, & pendent à voluntate confeſſarii, & pænitens poteſt aliquando eodem actu duabus obligationibus ſatisfacere.

12 Confeſſarium imponentem pœnitentiam, ſi nihil aliud exprimat non cenſetur injungere opus aliàs debitum ex præcepto: & ideo pœnitens, cui injunctum eſt v. g. jejunium, non ſatisfacit eo die, quo ex Eccleſiæ præcepto tenetur jejunare, ſi jejunet, & ideò quando non conſtat de mente confeſſarii, neque ex circunſtantiis colligitur mens ipſius, pænitens non ſatisfacit pęnitentiæ injunctę prę́ſtando opus aliàs debitum, quia præſumitur confeſſarium injunxiſſe opus volũtariũ,& aliàs non debitũ.

13 Injungi poſſunt non ſolum opera in particulari, ſed etiam in generali, ut eſt quando Confeſſarius dicit: quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, &c. nam injunguntur opera bona pænalia, & ſic in quo deficiunt pœnitentiæ injunctæ ſuppleri poteſt per bona opera, quæ communiter, & ut plurium ab hominibus præſtantur.

14 Pro peccatis occultis non eſt injungenda pœnitentia publica, quia frangitur ſigillum, pro peccatis verò publicis injungenda eſt publica pœnitentia, quia hoc expedit ad aliorum ædificationem.

15 Confeſſarius poteſt, & tenetur juxta ſuum prudens arbitrium injungere pęnitentiam, conſiderata peccatorum gravitate, & qualitate pęnitentis *ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 8* & ideò cavere debet, ne pro graviſſimis peccatis leviſſimas injungat pænitentias, ita ut fiat particeps alienorum peccatorum, præbendo pænitenti occaſionem facilè relabendi, & propterea ſtudebit imponere pænitentiam aptam ad curationem & præſervationem à peccatis, & quando modicam pænitentiam imponit ob peccata mortalia dicere poteſt pænitenti, ſe ob ipſius fragilitatem multò leviorem pænitentiam conferre, quàm ipſius peccata mereantur, illamque pænitentiam non eſſe ſufficientem, hæc enim admonitio poteſt efficere, ut pænitens cognita levitate pænitentiæ ſibi impoſitæ occaſionem voluntariè arripiat alias ſatisfactiones præſtandi.

* *Alex. VIII. die 7. Decemb. 1690. damnat infraſcriptam propoſitionem. Parochianus poteſt ſuſpicari de mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu jurium ſubſidii temporalis.*

16 In praxi receptum eſt, ut minor pæna injungatur, ne pænitens gravitate pęnæ terreatur, ſed potius levitate pænitentiæ alliciatur ad Sacramentum.

17 Confeſſarius poteſt ſatisfactionem injungere tam ante, quam poſt abſolutionem Sacramentalem, nam ſi conſideretur ut compenſatio impoſita pro pæna temporali, hujuſmodi compenſatio exhibetur poſt remiſſionem peccatorum, cum ſatisfactio præſtetur, ut tollatur reatus pęnæ temporalis; Sic autem non tollitur nondum deleta culpa: quando verò pænitentia conſideratur, ut medicina poteſt obligare pænitentem confeſſarius ad pænitentiam ante abſolutionem adimplendam, & ſic pænitens tenetur acceptare, & ante abſolutionem adimplere; verùm pænitentia adimpleta ante abſolutionem non conſequitur ſuum effectum, niſi poſt remiſſionem culpæ, quæ remiſſio culpæ non obtinetur, niſi poſt abſolutionem, & remiſſio pænæ non obtinetur, niſi poſt abſolutionem, licet facta ſit ſatisfactio ante abſolutionem.

* *Alex. VIII. die 7. Decemb. damnat has propoſitiones infraſcriptas.*

De poteſtate confeſſarii circa communionem Pœnitentiæ. Cap. 106.

1\. Confeſſarius ex juſta, & rationabili cauſa poteſt in confeſſione diminue-

nuere, & communicare pænitentiam à ſe, vel ab alio confeſsario inferiori, vel æquali, vel etiam Superiori injunctam quia cum Sacramentum pænitentiæ ſit inſtitutum ad bonum animarum, & bono animarum aliquando expediat pænitentiam à ſe, vel ab alio injunctam mitigare, vel commutare, ſequitur confeſſarium poſse pænitentiam à ſe vel ab alio injunctam minuere, mitigare, commutare juſta, & rationabili de cauſa, ſecus autem abſque rationabili cauſa, juſta autem cauſa commutandæ pænitentiæ eſt neceſſitas, vel notabilis, utilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pænitentia, vel oblivio pænitentiæ aliàs injunctæ.

2 Confeſsarius poteſt aliquando pænitentiam à ſe injunctam commutare, quia alienam non uſurpat juriſdictionem, nec ulli facit injuriam.

3 Confeſsarius poteſt pænitentiam ab alio confeſsario æquali injunctam commutare, quia confeſsarius æqualis habet facultatem, quam qui abſolvit, ſi ergo qui abſolvit poteſt commutare pœnitentiam, ergo etiam alter æqualis poterit.

4 Confeſsarius poteſt pęnitentiam à ſuperiore impoſitam commutare, quia confeſsarius poteſt circa pœnitentem, quod expedit pœnitenti ſibi ſubjecto, & propterea cum aliquando expediat pęnitenti pænitentiam commutare, ſequitur confeſsarium poſse eam commutare, quamvis injuncta fuerit à ſuperiore.

5 Confeſsarius in foro interiori commutans pœnitentiam non dicitur exercere auctoritatem, & juriſdictionem circa confeſsarium æqualem, & ſuperiorem, ſed circa pænitentem ſibi ſubditum, in quem habet juriſdictionem.

6 Licet aliqui aſserant non poſse confeſsarium pęnitentiam pręſervativam commutare, tamen puto ſalvo meliori judicio poſse rationabili circa pænitentiam præſervativam in aliam præſervativam, & ſalutarem commutare.

7 Cenſeo confeſsarium inferiorem poſſe pænitentiam pro reſervatis à ſuperiore injunctam commutare, juſta interveniente cauſa, qualis eſt pia utilitas pænitentis, vel neceſſitas, vel magna difficultas in perficienda pænitentia, quia confeſsarius, ſicut poteſt pænitentiam peccatorum non reſervatorum commutare, ita etiam poteſt pænitentiam reſervatorum commutare, cum adempta ſit reſervatio per abſolutionem ſuperioris, & ipſe confeſſarius inferior non exerceat juriſdictionem in ſuperiorem, ſed in pœnitentem ſibi expoſitum, & ſubjectum non habentem amplius caſus ſuperiori reſervatos, tum quia præſumitur ſuperiorem rationabiliter velle, quod expedit ſaluti pænitentis.

8 Confeſſarius non poteſt pænitentiam extra confeſſionem commutare, quia in foro pænitentiali eadem eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, & ideò ſicut ſuperior non poteſt ligare, ſed imponere pænitentiam extra confeſſionem, ità neque poteſt relaxare, ſeù commutare; adde cum ſatisfactio ſit Sacramentalis, & ſit actus juriſdictionis clavium in foro Sacramentali, ſequitur pęnitentiam non poſſe extra confeſſionem commutari.

9 Quando autem pænitens oblitus eſt totius pænitenitæ aliàs injunctę, neſciens an conſiſteret in jejunio, vel oratione, in magna, vel parva quantitate; tenetur ſaltem præcipua peccata confiteri, ut nova pænitentia injungatur, cum pęnitentiæ impoſitæ non recordetur, & ſic erit completum pænitentiæ Sacramentum, cum aliàs non ſit integrum, nec omnino completum non adimpleta pęnitentia.

10 Pænitens non poteſt propria auctoritate pænitentiam inæqualem, aut in meliorem commutare; quia commutatio pænitentiæ eſt actio ſacramentalis, & eſt actus juriſdictionis, qui fit à confeſſario tanquam à ſuperiore; pænitens autem non poteſt in ſe actionem juriſdictionis Sacramentalis exercere, cum nullus ſit ſibi ſuperior.

11 Facta commutatione pænitentiæ pænitens poteſt eligere quam pænitentiam voluerit, primam ſcilicet, vel ſecundam; quia commutatio fit in favorem pænitentis, pænitens autem poteſt cedere juri, & favori ſuo.

De Obligatione pænitentis circa pænitentiam acceptandam, & acceptatam adimplendum.
Cap. 107.

1 Poenitens tenetur pænitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitatis accommodatam acceptare, acceptamque adimplere, quod adeò verum eſt, ut multi

multi dicunt opinionem contrariam eſſe improbabilem, immo alii affirmant eſſe de fide: pęnitens autem, cui nimia videtur pœnitentia poteſt rogare confeſſarium, ut eam mitiget quantum poteſt, & Confeſſarius debet pœnitenti annuere quantum poteſt, ut ſuavius efficiatur jugum cōfeſſionis.

2 Pœnitens poteſt abſque peccato mortali ante acceptatam abſolutionem ſi confeſſarius nolit pęnitentiam moderari, dicere, ſe malle alteri Sacerdoti confeſſionem facere, quàm adeò gravem pęnitentiam acceptare, hic enim non habet affectum ad peccatum mortale, cum intendat alteri legitimo Sacerdoti confiteri.

3 Pęnitens peccata mortaliter non adimplendo pęnitentiam gravem acceptatam, ſive gravis illa pœnitentia fuerit injuncta pro mortalibus, aliàs non confeſſis, ſive pro mortalibus aliàs confeſſis, ſive etiam pro venialibus; quia facit contra obligationem in re gravi.

4 Pœnitens non adimplens pęnitentiam levem non peccat mortaliter, etiam ſi pœnitentia injuncta fuerit pro peccato mortali, nunquam aliàs confeſſo. Idem dicendum de omittente partem levem magnę pœnitentiæ, nam parvitas materiæ excuſat à peccato mortali.

5 Confeſſarius non poteſt gravem pœnitentiam injungere tantum ſub veniali, cum enim nomine Dei ſatisfactionem imponat, & non proprio nomine, non eſt in ipſius confeſſarii poteſtate temperare actionem ſuam prout voluerit, ſed juxta inſtitutionem, & naturam Sacramenti, & ideò cum natura Sacramenti poſtulet, ut pœnitentia præcipiatur, & præceptum in re gravi obliget ſub mortali, ſequitur confeſſarium non poſſe gravem pęnitentiam imponere ſub veniali.

6 Pœnitens, cui tempus adimplendæ pœnitentiæ præfixum fuit à confeſſario, debet intra tempus præfixum pœnitentiam adimplere, alioquin graviter peccaret valde diu pœnitentiæ adimpletionem differendo, quia facit contra obligationem in re gravi.

7 Qui intra tempus præfixum pœnitentiam non adimplevit, tenetur adhuc elapſo eo tempore pęnitentiam adimplere, quia tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam, & non differendam abſque juſta cauſa: licet aliquando pœnitentia alligatur tempori, & terminus juſta de cauſa apponitur ad finiendam obligationem, præſertim quando pœnitentiæ diuturnæ ſunt, & certis temporibus definitæ, ut ſi præſcribatur iejunium ſingulis hebdomadis in die veneris, aut ſumptio Euchariſtiæ ſingulis diebus Sabbati, &c.

8 Pœnitens tenetur adimplere pœnitentiam, quamprimum commodè poteſt, quia hæc cenſetur rationabilis voluntas confeſſarii, ut pœnitens quamprimum ſatisfaciat pro pœnis debitis, & retrahatur à peccatis futuris, unde ſi valdè diu differat graviter peccat, cum faciat contra voluntatem confeſſarii, & finem Sacramenti in re gravi, ſecus ſi non multum differat, vel pœnitentia non gravis.

9 Pœnitens poteſt injunctæ ſibi pœnitentiæ ſatisfacere per ſuſceptionem indulgentiæ, nam pœnitens tenetur adimplere pęnitentiam, maximè ut ſatisfaciat pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ſed pœnæ pro peccatis debitæ ſatisfacit per ſuſceptionem indulgentiæ; unde qui obtenta indulgentia plenaria moritur, in cœlum evolat, cum nullam habeat pęnam in purgatorio luendam, ipſumque remorantem à conſecutione gloriæ. ergo pœnitens non tenetur amplius ſatisfactionem ſibi injunctam adimplere: addo obligationem pœnitentiæ ceſſare non ſolum per indulgentias, verum etiam per remiſſionem pœnæ alia via obtentam.

10 Pœnitentia dupliciter injungi poteſt. Primò in ſatisfactionem peccatorum pro pęna peccatis debita. Secundò in medicinam, remedium, & præſervationem à peccatis, pœnitentiæ primo modo injunctæ, ſatisfacit pœnitens per ſuſceptionem indulgentiæ, & per alia pia opera ſatisfactoria; Secundo verò modo non ſatisfacit.

11 Raro remittendæ ſunt pœnitentię Sacramentales ob ſuſceptionem indulgentiarum, vel ob alia pia opera, quia pœnitentię Sacramentales juvant ad majus meritum, & ad majorem gloriam, & quia non conſtat pęnitentem plenè ſatisfeciſſe pęnis pro peccatis debitis, poteſt tamen excuſari pęnitens, ſi conſtaret totam pęnam per indulgentias, vel alia opera ſatisfactoria ſublatam eſſe, ſicut prudenter conjicere poteſt remiſſam eſſe per indulgentiam plenariam, quam pęnitens probabiliter credit,

credit, ſe fuiſſe conſecutum: quamquam conſulendum cuique eſt, ne ſatisfactiones prætermittat per indulgentias, vel ob alia pia opera, ſic enim certior via eligitur, & magna percipitur utilitas ex ſatisfactione ad peccata in futurum præcavenda.

12 Satisfactio injuncta à confeſſario non poteſt per alium adimpleri, ſed per ipſummet pœnitentem adimplenda eſt, niſi confeſſarius aliter expreſſerit, quia obligatio pęnitentiæ eſt perſonalis, & obligatio perſonalis per ipſum adimplenda eſt, qui hujuſmodi obligatione tenetur.

13 Pœnitens non ſatisfacit, ſi pœnitentiam ſibi injunctam præſtet per alium: ac etiam ſi illam nequeat per ſe ipſum adimplere, modò pęnitentia nõ conſiſtat in actione perſonali, ſed in illis operibus, quæ per alium, tanquam per merum inſtrumentum fieri poſſunt, qualis eſt traditio eleemoſynę; quę per alium fieri poteſt cum eadem bonitate: quando verò pęnitens tenetur per ſeipſum adimplere; ſed non poteſt adimplere, nõ tenetur eam per alium adimplere.

14 Satisfactio de conſenſu confeſſarii facta per alium, ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto confeſſarii, non verò prodeſt ad ſatisfaciendum ex opere operato pro pænitente, nam ſatisfacit pręcepto, quia voluntas confeſſarii adimpleta, non ſufficit ad ſatisfaciendum ex opere operato, quia opus exhibitum ab alio pro pęnitente non eſt pars, ſeu materia Sacramenti, nam Florentinum, & Tridentinum dicunt materiã Sacramenti eſſe tres actus pænitentis, ſed illud opus cum non ſit actus pęnitentis, non poteſt dici materia Sacramenti, & conſequenter neque dici poteſt prodeſſe ad ſatiſfaciendum ex opere operato. Concedo ſatisfactionem factam per alium juxta mentem confeſſarii, eſſe actum pęnitentis, & conſequenter eſſe partem Sacramenti, & ſic prodeſſe ex opere operato ad remiſſionem pœnę, ſed nego opus pręſtitum ab alio eſſe partem Sacramenti, & valere ad ſatisfaciendum ex opere operato.

15 Pęnitens debet pænitentiam adimplere in ſtatu gratię, non verò in ſtatu peccati: & propterea ſi eam in ſtatu peccati adimpleat peccat, quamvis obligationi pęnitentiæ ſibi à confeſſario injunctæ ſatisfacit, nam ſatisfacit præcepto impoſito à confeſſario, qui præcipit abſolutè non præſcripto modo, an in ſtatu gratiæ an in ſtatu peccati, non autem peccat mortaliter: peccat tamen, quia ponit obicem effectui ſatisfactionis, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, illamque indignè tractat.

* *Die 24. Septembris 1665. damnata fuit ab Alexandro VII. hæc propoſitio. Pænitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.*

16 Pęnitentia facta in ſtatu peccati mortalis non prodeſt ad remittendam pœnam durante ſtatu peccati mortalis, quia peccatum mortale nondum remiſſum eſt obex, & impedimentum ad remiſſionem pœnæ, & ſicut Sacramentum non priùs remittit pœnam, quàm culpam, ſic neque ſatisfactio, quæ eſt pars Sacramentalis, tollit pœnam, antequam ablata ſit culpa: ſecus dicendum ſi pœnitentia in peccato tantum veniali adimpleatur: nam peccatum veniale non impedit opera meritoria, & ſatisfactoria, neque eſt obex ad remiſſionem pœnæ, & ſicut non tollit fructum Sacramenti ſuſcepti cum peccato veniali, ita neque tollit fructum, quem ſatisfactio Sacramentalis habet ex opere operato.

17 Pęnitentia facta in ſtatu peccati mortalis ſortitur ſuum effectum, & prodeſt ad remiſſionem pœnæ ſublato obice, ideſt ſtatu peccatis mortalis, nam ſicut Sacramenta recedente fictione ſuum ſortiuntur effectum: ſic ſatisfactio Sacramentalis facta in peccato mortali ſuum ſortitur effectum recedente fictione, ſeu ſtatu peccati.

18 Differentia inter pœnitentiam Sacramentalem, & reliqua bona opera facta in ſtatu peccati mortalis eſt iſta, ſcilicet reliqua opera in ſtatu peccati mortalis facta ſunt mortua, & non reviviſcunt pœnitentia verò cum opus ſit Sacramentale, eſt opus ex ſe vivum, licet quodammodo mortificatum ob ſtatum peccatoris: ſicut autem opera mortificata reviviſcunt adveniente gratia, ita ſatisfactio ſublato obice quodammodo reviviſcit ad ſuum effectum.

De

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

De Effectu Sacramenti Pœnitentiæ circa remiſſionem peccatorum mortalium.

Utrum Sacramentum pœnitentiæ conferat gratiam, & remittat peccata mortalia. Cap. 108.

1 Sacramentum pœnitentiæ confert gratiam habitualem: quia Sacerdos oſtendit non ſolùm pœnitentem eſſe abſolutum, verum etiam ut Dei miniſter, & Vicarius Chriſti verè abſolvit à peccatis: dicitur, confert gratiam, quia omnibus Sacramentis commune eſt gratiam conferre: dicitur non ſolum declarare pænitentem abſolutum, verum etiam abſolvere à peccatis, ex *Trid. enim ſeſ.* 14. *c.* 3. habetur effectum hujus Sacramenti eſſe reconciliationem cum Deo, ſed reconciliatio cum Deo fit per abſolutionem peccatorum, & homo cùm quamdiu in ſtatu peccati mortalis exiſtit ſit Dei inimicus, ergo effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio peccatorum, & ideò ſacerdos verè abſolvit à peccatis, & non tantum oſtendere pænitentem abſolutum.

2 Deus confert gratiam, & remittit peccata principaliter, Sacerdos verò miniſterialiter, & inſtrumentaliter confert gratiam, & remiſſionem peccatorum, & pœnæ, nam per eandem abſolutionem, ſeu actionem abſolutivam, & juſtificativam Deus abſolvit, & homo abſolvit, ſed Deus principaliter, & homo miniſterialiter, & inſtrumentaliter, modò non accipiamus actionem abſolutionis pro ipſa prolatione verborum, quatenus eſt actus vitalis: ſic enim principaliter provenit à Sacerdote tanquam à cauſa ſecundaria principali, ſi verò accipiamus actionem abſolutionis pro abſolutione peccatorum, quæ eſt quid conſequens ad prolationem verborum, dicendum, eſt talem abſolutionem principaliter à Deo provenire, miniſterialiter verò, & inſtrumentaliter à Sacerdote.

Utrum pœnitentiæ Sacramentum remittere poſſit omnia peccata mortalia. Cap. 109.

1 Pœnitentia ſufficiens eſt ad delenda peccata mortalia licet gravia, & multa, toties, quoties homo peccaverit, & legitimè pænitentiam ſuſceperit: hæc propoſitio eſt de fide, ſive loquamur de Sacramento pœnitentiæ, ſive de perfecta virtute pœnitentiæ, quam diximus eſſe contritionem, quia certum eſt de fide omnia Sacramenta conferre gratiam habitualem; gratia autem habitualis incompoſſibilis eſt cū omni peccato mortali, & debet omnia peccata mortalia, niſi ponatur obex ad gratiam in Sacramento recipiendam, ſic enim habetur in (*Ezech.* 18.) quoties ingemuerit omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius; & (*Pſalm.* 15.) Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet, & quod peccata per pænitentiam deleantur toties quoties homo peccaverit, ſi peccatori applicetur pænitentia poſt peccatum, patet ex *Matth.* 18. Non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, ergò pænitentia quotieſcunque applicetur ſufficiens eſt ad delenda peccata toties, quoties homo peccaverit.

2 Peccatum, ſeu Blaſphemia in Spiritum Sanctum dicitur irremiſſibilis, & ideò de cauſa poſſet aliquis objicere non omnia peccata eſſe remiſſibilia, ad quod declarandum dico Blaſphemiam in Spiritum Sanctum, aut intelligi finalem impœnitentiam, & ſic certum eſt hujuſmodi Blaſphemiam eſſe irremiſſibilem, vel intelligi peccatum ex certa malitia, & ſic dicitur irremiſſibilis, quia difficilè remittitur, cum non habeat in ſe cauſam excuſationis, aut per Blaſphemiam in Spiritum Sanctum intelligi eam, qua quis agnitam fidei veritatem malitiosè oppugnat, & miracula, quibus fidei veritas comprobatur, ad artem magicam refert, & hoc peccatum dicitur irremiſſibile, non quia ſimpliciter ſit irremiſſibile, ſed quia cum difficultate remitti conſuevit, eo quod committentes hujuſmodi peccatum raró convertuntur, reſpuentes fundamentum converſionis, quod eſt fides, & ideò dicitur peccatum irremiſſibile, quia ex hac vita decedunt cum hoc peccato: non tamen hinc ſequitur dari aliquod peccatum, quod in hac vita remitti non poſſit, ſi pœnitentiæ remedium legitimè adhibeatur.

3 Homo ſemper poteſt à peccatis reſurgere, ſeque ad Deum convertere, immò ſæpius, & ſæpiſſimè; ut eſt in (*Ezech.* 58. & 33.) nolo mortem peccatoris, ſed ut ma-

Digitized by Google

magis convertatur &c. *& Matthæi* 9. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pęnitentiam, & quia Deus quantum ex parte ſua non denegat auxilia ſufficientia ad reſurgendum cuilibet peccatori: cum enim velit Deus omnes homines ſalvos fieri: ſequitur ipſum dare auxilia ſufficientia ſaltem remota, quibus homines ſalvari poſſunt, & quamvis multi re ipſa non reſurgant à peccatis, & aliqui poſtquam certum aliquod peccatum commiſerunt graviſſimè puniantur, non tamen ſequitur hoc fieri cum omnibus, & reſpectu omnium aſſignatum eſſe certum peccatorum numerum, quo poſito Deus noluit amplius homines tolerare, eiſque auxilium ad reſurgendum concedere.

Utrum pœnitentiæ Sacramentum poſſit remittere unum peccatum mortale ſine alio. Cap. 110.

SAcramentum Pœnitentiæ non poteſt unum peccatum mortale remittere ſine alio, non ſolum de potentia Dei ordinaria, verum etiam de abſoluta, & ſi loquamur de poteſtate Dei ordinaria eſt de fide in *Trid. ſeſſ. 6. c. 7. & ſeſſ. 5. c. 6.* ſi loquamur de poteſtate non ſolum ordinaria, verum etiam abſoluta ratio eſt, quia peccatum non juſtificatur ſine receptione gratiæ habitualis: gratia autem habitualis formaliter ita opponitur omnibus peccatis mortalibus, aut cum omnibus ſit omnino incompoſſibilis: cum primarius peccati mortalis effectus ſit efficere hominem inimicum Dei, & filium Diaboli &c. primarius verò effectus gratiæ ſit facere amicum Dei, filium Dei, & eis inimicum, & eſſe amicũ Dei, & eis inimicum, & eſſe filium Dei, & filium Diaboli, cum ergo Deus non poſſit hujuſmodi effectus primarios peccati, & gratiæ impedire, ſequitur unum peccatum mortale remitti non poſſe ſine alio, alioquin quis poſſet eſſe amicus Dei, & ejus inimicus, & filius Dei, & filius Diaboli; quod eſt abſurdum, & magnã involvit implicãtiam.

Utrum Sacramentum pœnitentiæ remittat peccata non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad reatum pœnæ. Cap. 111.

1 REmiſſio peccati mortalis quoad culpam neceſſe eſt de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ *ex Trid. ſeſſ. 6. c. 14.* dicitur pœnam æternam unà cum culpa remitti per Sacramentum pœnitentiæ, vel ejus votum: ergo remiſſo peccato mortali neceſſe eſt de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ; dictum eſt de potentia Dei ordinaria, quia de potentia Dei abſoluta remitti poteſt culpa remanente reatu æternę pœnæ, quia Deus poſſet de potentia abſoluta remittere peccatũ per aliam qualitatem, quàm per gratiam; quę non efficeret hæredẽ vitæ æternæ ſicut efficit gratia.

2 Remiſſo peccato quoad culpam, non ſemper remittitur totus reatus pœnæ temporalis, de fide definitum eſt in *Trid. ſeſſ.*.... *c. 14* ubi habetur in Sacramento pœnitentiæ injungi ſatiſfactionem non pro pœna æterna, quæ ſimul cum culpa remittitur per Sacramentum, vel Sacramenti votum, ſed pro pęna temporali: ergo pęna temporalis non ſemper remittitur remiſſo peccato quoad culpam, quia ex multis exemplis ſcripturæ conſtat, Deum voluiſſe pro debito, quamvis demiſſo, pœnam ſumere.

3 Reatus pœnę æternę fundamentum eſt culpa nondum deleta, ſed adhuc habitualiter perſervans, per quam homo remanet inimicus Dei, & dignus æterna pęna fundamentum autem reatus pœnæ temporalis eſt culpa, quę præceſſit, & pro qua nondum eſt ſatiſfactum: cum ergo recipiens Sacramentum pœnitentiæ, aut eliciens actum contritionis poſt peccatum commiſſum non ſemper plenè ſatisfaciat pro peccato commiſſo, dicendum eſt dimiſſa culpa non ſemper remitti totum pœnę temporalis reatum.

4 Deus dimiſſa culpa non recordatur peccatorum quoad pœnam æternam, recordatur verò quoad pœnam temporalem, vel dicas, Deus non recordatur peccatorum quoad reditionem ipſorum peccatorum: nam peccata ſemel dimiſſa non redeunt.

5 Deus ab æterno pręfinivit pęnas luendas pro diverſitate ſtatus peccati, ita ut pro peccato mortali non deleto injungatur æterna pœna; pro peccato verò mortali cõmiſso, ſed poſteà deleto, Deus præfixit pęnam temporalem, niſi pro illa plenè ſatiſfecerit in hac vita; deleto igitur peccato mortali per Sacramentum aut alia ratione tollitur reatus pœnę æternę, non tamen tollitur reatus pœnę temporalis, niſi homo ple-

pl ené ſatisfecerit pro pænapeccatis debita, ex quo patet quomodò ſublata pæna æterna remaneat adhuc pæna temporalis, quæ eſt major, vel minor juxta majorem, vel minorem contritionem.

6 Differentia inter Baptiſmum, & Pęnitentiam colligitur ex hoc, quia Baptiſmus remittit totam pænam, etiam temporalem non verò pænitentia: quia per Baptiſmum regeneratur ad novam viam, & totus renovatur, conſequenter liber eſt ab omni pæna; per pęnitentiam verò ſanatur quidem à peccatis, ſed non regeneratur, conſequenter neque remittitur omnis pæna.

Vtrum pænitentiæ Sacramentum ſuſceptum cum obice conferat ſuum effectum recedente obice. Cap. 112.

1 DAtur Sacramentum pænitentiæ Informe defectu attritionis, ut quando ponitur integra confeſſio, & dolor eſſentialis cum abſolutione: in quo caſu validum eſt Sacramentum pænitentiæ, vel informe, ſi bona fide ſuſcipiatur ſine attritione ſupernaturali ad fructum requiſita: nihil enim deſideratur quoad eſſentiam, & ſubſtantiam Sacramenti, niſi facta integra confeſſione, & dolore eſſentiali cum abſolutione: ideò Sacramentum ſubſiſtit, quia Sacerdos tunc verè abſolvit: ergo pænitens recipit abſolutionem, ſed non recipit gratiam, cum non adſit diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt contritio, vel attritio ſupernaturalis, ergo recipit abſolutionem informem, ſeu Sacramentum informem.

2 Si verò mala fide recipit hoc Sacramentum ſciens, vel dubitans, aut ignorans ignorantia mortaliter culpabili ſe non habere debitum dolorem, non recipit Sacramentum validum, & informe, quia Sacramentum non poteſt eſſe validum, cum actuali peccato mortali: quando autem recipitur abſolutio cum peccato mortali, quod in ipſa Sacramenti ſuſceptione committitur, confeſſio non eſt integra, ſed dimidiata, cum pænitens non explicet illud peccatum in confeſſione, aut ſaltem non ſufficienter explicet, nam hoc peccatum committitur, vel continuatur cum abſolutione, pænitens autem non poteſt dici feciſſe confeſſionem illius peccati, quod committitur tempore abſolutionis, cum peccatorum confeſſio ſit de præteritis, non de futuris: cum autem pœnitens, quando confeſſus eſt nondum commiſiſſe hoc peccatum, ſed adhuc eſſet commiſſurus, non poteſt dici integra, & ſufficienter confiteri ſua peccata, & quia Sacramentum pœnitentiæ non ſubſiſtit ſine dolore requiſito ad eſſentiam ipſius Sacramenti, non adeſt autem dolor eſſentialis, dum pœnitens mala fide recipit Sacramentum cum peccato mortali actuali

3 Sacramentum pœnitentiæ informe confert ſuum effectum ſublato obice, ſeu fictione: ideſt poſita attritione, ſeu dolore peccatorum, qui ſine culpa mortali prætermiſſa fuerat in ſuſceptione Sacramenti, quia peccata manifeſtata in ſacramento informi remittenda ſunt per aliquod Sacramentum pœnitentiæ; ſed non remittuntur per aliud, quàm per ipſummet Sacramentum informe; pœnitens enim non tenetur peccata in tali confeſſione manifeſtata iterùm confiteri, & poteſt habere propoſitum numquam illa de novo committendi: ergo remittuntur per ipſum Sacramentum informe poſita diſpoſitione neceſſaria ad fructum.

4 Sacramentum præcedens Informe ut conferat ſuum effectum, ſufficit attritio, quando poſt ſuſceptum pœnitentiæ Sacramentum informe nullum commiſſum eſt peccatum mortale, quia poſita attritione ſufficienter tollitur obex, & fictio præcedens, ratione cujus Sacramentum fuit informe: ſicut autem Sacramentum cum attritione produxiſſet effectum, ita modò illum producit poſita attritione, niſi aliud ponatur impedimentum, ſi verò poſt ſuſceptum pœnitentiæ Sacramentum informe commiſſum eſt aliquod peccatum mortale, non ſufficit attritio, ſed requiritur contritio, vel novum pœnitentiæ Sacramentum formatum: cum enim unum peccatum mortale non remittatur ſine alio, & præcedens Sacramentum non habeat efficaciam circa peccata poſt ipſum commiſſa, ſequitur neceſſariam eſſe talem diſpoſitionem, quæ ſufficiens ſit ad delenda priùs confeſſa, & ſimul ad delenda commiſſa poſt ſuſceptum Sacramentum informe, hæc autem diſpoſitio eſt contritio, aut pęnitentiæ Sacramentum cum attritione ſuſceptum.

De

De effectu pœnitentiæ quoad remiſſionem peccatorum venialium.

Utrum per Sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata venialia.
Cap. 113.

1 PEccata venialia remittuntur per Sacramentum pœnitentiæ; quia peccata venialia poſſunt eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ: peccata autem, quæ ſunt materia Sacramenti pœnitentiæ, poſita attritione ſupernaturali delentur per Sacramentum pœnitentiæ.

2 Per Sacramenta remittuntur omnia venialia, niſi ponatur obex, quia per Sacramenta remittuntur omnia mortalia niſi ponatur obex: ergo etiam remittuntur omnia venialia, quæ ſunt magis remiſſibilia, modò adſit debita, & ſufficiens diſpoſitio; quia non eſt major ratio, cur potiùs aliqua venialia remittuntur, & non omnia, modò non ponatur obex: tunc cenſetur poni obex, quando pœnitens actu venialiter peccat in ſuſceptione Sacramenti, aut habet complacentiam aliquorum peccatorum venialium, &c.

Utrum peccata venialia remittantur per Sacramentalia. Cap. 114.

1 NOmine Sacramentalium intelliguntur rei ſacræ actiones, quibus obtinetur remiſſio peccatorum, hæc autem Sacramentalia, ſeu res ſacræ, ſunt ſex, quæ hoc carmine continentur.

Orans, tinctus, edens, confeſſio, dans, benedicens.

1 PEr verbum, orans, intelligitur oratio dominica, aut illa quæ fit in Eccleſia conſecrata, aut illa quæ fit cum tunſione pectoris: per tinctus, intelligitur aqua benedicta: per edens, intelligitur Euchariſtia, aut etiam panis benedictus, at alia huiuſmodi: per confeſſio, non ſolum intelligitur confeſſio Sacramentalis, verum etiam non Sacramentalis, qualis eſt illa quæ publicè fit ante miſſam: per verbum dans, intelligitur eleemoſyna, vel etiam alia opera miſericordiæ corporalia, & ſpiritualia: per benedicens, intelligitur benedictio, quam Epiſcopus, vel Abbas conſecratus impendit, qui numerus Sacramentalium ab Eccleſia augeri poteſt, licet ab illis non poſſint inſtitui Sacramenta.

2 Peccata venialia remittuntur per Sacramentalia, quod perſpicuum eſt apud omnes Chriſti fideles, ſic enim communi uſu, traditione Eccleſiæ receptum eſt.

3 Sacramentalia non remittunt peccata ex opere operato, ſed ex opere operantis, quia vel remittuntur producendo gratiam habitualem, & hoc modo non alioquin eſſent Sacramenta, non Sacramentalia: vel remittunt excitando hominem ad eliciendum actum contritionis, vel amoris, per quem delentur: & hoc non eſt remittere peccata ex opere operato, ſed ex opere operantis, cũ remittantur immediatè ob diſpoſitionẽ ſubiecti, ideſt ob actum contritionis, ſeu amoris, qui diſponit ad gratiam, ſimulque remittit peccata venialia; & ſic Sacramentalia non remittunt peccata ex opere operato, ſed ex opere operantis excitando ad actum contritionis, ſeu amoris, per quem peccata venialia immediatè delentur: per Sacramentalia verò delentur mediatè.

4 Sacramentalia vim habent remittendi peccata venialia duobus modis. Primò ex promiſſione, vel ex inſtitutione Chriſti, qualem vim habet oratio Dominica, ut conſtat ex illis verbis, dimitte nobis debita noſtra &c. qualem vim etiam habent opera miſericordiæ *Lucæ 11* Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis, Secundò ex oratione Eccleſiæ quæ meretur exaudiri à Deo, ut hæc Sacramentalia, quæ ab Eccleſia conſecrata ſunt, vel benedicta, vim habent impetrandi divinum auxilium, quo homo excitetur ad tales actus, per quos peccata venialia deleantur, hanc vim habet confeſſio generalis, panis benedictus, aqua benedicta, & alia: & quamvis hujuſmodi auxilium non ſemper impetretur, hoc provenit ex indiſpoſitione ipſius ſuſcipientis Sacramentalia, qui non eſt diſpoſitus ad ea ſuſcipienda.

5 Qui accipit aquam non benedictam, credens eſſe benedictam, non obtinet remiſſionem venialium: quia remiſſio venialium obtinetur per Sacramentalia: hujuſmodi autem aqua non eſt Sacramentale, ideò non excitat actum, per quem peccata venialia delentur.

6 Qui aquam benedictam aſſumit, po-

teſt

teſt remiſſionem omnium venialium obtinere, ſi cooperetur gratiæ, & divino auxilio excitanti ad delenda venialia per actus incompoſſibiles cum peccatis venialibus, nam Sacramentale excitat ad actum perfectum charitatis incompoſſibilem cum omnibus venialibus.

Utrùm peccata venialia deleantur per actum contritionis, & dilectionis, & per alios virtutum actus. Cap. 114.

1 Contritio formalis, qua qui dolet de peccatis venialibus, ut ſunt aliqua Dei offenſa, ſufficit ad delenda omnia venialia quoad culpam: modò contritio ſit univerſalis, & generalis de omnibus peccatis venialibus, quia contritio ſufficit ad delenda mortalia, ergo etiam ſufficit ad delenda venialia, ſi de venialibus eliciatur; quæ contritio ut ſit ſufficiens ad delēda peccata venialia, debet eſſe dolor de peccatis non ut ſunt gravis offenſa Dei, ſed ut ſunt levis offenſa Dei: quia aliter fieri poſſet, ut aliquis doleat de peccatis, quatenus ſunt gravis offenſa Dei: & ſimul aliquid faciat quod ſit levis offenſa Dei: propterea ad delenda peccata venialia, requiritur deteſtatio venialium, ut ſunt levis offenſa Dei, requiritur actus perfectior ad delenda venialia, quàm ad mortalia, nam ad delenda mortalia ſufficit deteſtatio peccatorum, ut ſunt gravis offenſa Dei, ſed ad delenda venialia requiritur deteſtatio venialium, quatenus ſunt aliqua Dei offenſa, aut voluntas placendi Deo etiam in minimis.

2 Actus contritionis univerſalis requiritur ad delenda omnia venialia: quia ad delenda peccata venialia requiritur actus, qui oppoſitionem habent cum peccatis venialibus: actus autem contritionis non habet oppoſitionem cum omnibus venialibus niſi ſit univerſalis.

3 Contritio remittit omnia peccata venialia quoad culpam ſi ſit univerſalis contritio, non verò remittit quoad omnem pœnam, niſi contritio ſit fervens, & intenſa, quia ad tollendam omnem pœnam requiritur ſufficiens ſatisfactio, & compenſatio pro pœna peccatis debita, ſed non quilibet actus contritionis continet compenſationem pro pœna omnibus peccatis debita, ergo non quælibet contritio remittit omnia venialia quoad pœnam.

4 Peccata venialia non ſolùm delentur per contritionem formalem, verum etiam dilectionem, ſeu amorem Dei perfectum: quia hujuſmodi actus dilectionis eſt perfectiſſimus: habetque cum peccatis venialibus ſufficientem oppoſitionem, cum virtualiter includat deteſtationem peccatorum venialium, quatenus ſi peccata commiſſa, vel committenda venirent tunc temporis in mentem, neceſſariò ex vitalis actus odio haberentur, quamdiu talis actus durat.

5 Peccata venialia non remittuntur per quemlibet actum dilectionis, ſed per talem actum, qui ſit incompoſſibilis cum ipſis peccatis venialibus, qui eſt actus perfectus dilectionis, qualis actus eſt velle placere Deo etiam in minimis, aut deteſtari venialia, ut ſunt levis offenſa Dei.

6 Per nullos alios actus peccata venialia remittuntur extra Sacramentum, quàm per actum contritionis, & dilectionis, quia nullus actus remittit venialia, niſi cum ipſis oppoſitionem habeat, ſed nullus actus charitatis debitam habet oppoſitionem cum venialibus, ergo nullus actus alius præter actus charitatis remittit venialia extra Sacramentum.

7 Actus naturalis non ſufficit ad remiſſionem peccatorum venialium, quia actus naturalis non eſt actus charitatis, & non eſt diſpoſitio ſufficiens ad dona ſupernaturalia, nam diſpoſitio debet eſſe proportionata formæ.

8 Per attritionem non delentur peccata venialia, quia attritio non eſt actus charitatis, nec debitam habet cum peccatis venialibus oppoſitionem, alioquin ſequeretur numquam remitti peccata venialia per Sacramentum pœnitentiæ: cum enim ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur attritio, ſequeretur ante ſuſceptionem Sacramenti peccata venialia eſſe deleta, quod eſt contra *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. ubi dicitur peccata venialia expiari per Sacramentum pœnitentiæ, & per alia remedia.

9 Peccata venialia non delentur per quodlibet opus meritorium hominis juſti, quia non quodlibet opus meritorium habet ſufficientem cum peccatis venialibus oppoſitionem, cum opus meritorium ſimul fieri poſſit dum committitur aliquod peccatum veniale, ut quando vir juſtus orando ſeu celebrando committit peccatum veniale ambitionis; nam ipſius actio merito-

toria eſt quamvis ei peccatum veniale adjungatur.

Utrum per Sacramentalia, vel per alios actus poſſit unum peccatum veniale ſine alio veniali, aut mortale ſine veniali, aut veniale ſine mortali remitti.

Cap. 116.

1 QUando actus amoris, vel contritionis non eſt ita perfectus, ut oppoſitionem habeat cum omnibus venialibus ſed cum aliquibus tantum poteſt unum peccatum deleri ſine alio, cum ea ſola deleantur, cum quibus talis oppoſitionem habet: propterea per actum, quo quis vult placere Deo etiam in minimis circa aliquam virtutem, ut circa temperantiam, remittuntur ea ſolum peccata venialia, quę ſunt contra illam virtutem, non verò alia: quia cum aliis peccatis venialibus talis actus non habet oppoſitionem: unde ſequitur unum peccatum veniale remitti poſſe ſine alio, ſi actus amoris non ſit ita perfectus, ut habeat oppoſitionem cum omnibus; ſecus ſi ita perfectus ſit, ut debitam cum omnibus habeat oppoſitionem.

2 Peccata mortalia remitti poſſunt abſque remiſſione peccatorum venialium, quia non omnis diſpoſitio ſufficiens ad remiſſionem peccatorum mortalium ſufficit ad remiſſionem venialium: nam diſpoſitio ſufficiens ad remiſſionem mortalium, ſunt deteſtatio peccatorum, ut ſunt gravis offenſa Dei: Venialium verò ſunt levis offenſa Dei; ut ſupra dictum eſt, ergo non omnis diſpoſitio ſufficiens ad remiſſionem peccatorum mortalium, ſufficit ad remiſſionem venialium: ergo peccata mortalia remitti poſſunt abſque remiſſione venialiũ.

3 De potentia Dei abſoluta poſſunt peccata venialia remitti abſque remiſſione mortalium, quia Deus poſſet peccatori elicienti actum contritionis incompoſſibilem cum venialibus denegare gratiam: conſequenter per talem actum contritionis delentur peccata venialia utique incompoſſibilia cum tali actu, non verò delentur mortalia, quia peccata mortalia licet diſpoſitivè, & mediatè deleantur per actus charitatis, nihilominus formaliter delentur ſolum per gratiam: ipſum in tali caſu ſupponimus denegari, & ſine qua peccata mortalia deleri non poſſunt, cum omnis privatio excludi debeat per formam oppoſitam.

4 De potentia, & lege Dei non poſſunt peccata venialia remitti ſine remiſſione peccatorum mortalium, quia de potentia Dei ordinaria non remittuntur peccata venialia ſine infuſione, vel augumento gratiæ, cùm remittuntur per actum contritionis vel dilectionis, qui eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, ut ſupra dictum eſt, ſed gratia eſt incompoſſibilis cum peccatis mortalibus, ergo peccata venialia non poſſunt de potentia Dei ordinaria remitti abſque remiſſione peccatorum mortalium.

5 Remiſſio venialium in hac vita nunquam fit ſine infuſione, vel augumento gratiæ habitualis, quia in noſtra ſententia peccata venialia non remittuntur ſine actu contritionis, vel dilectionis Dei: ſed per actum contritionis, & dilectionis Dei ſemper infunditur gratia; igitur remiſſio venialium non fit ſine infuſione gratiæ, non tamen requiritur per ſe formaliter gratia: quia gratia habitualis quamvis intenſa non pugnat per ſe, & formaliter cum peccato veniali, cum poſſit eſſe ſimul cum peccato veniali, ut ſupra dictum eſt, ergo ad remiſſionem venialium non requiritur per ſe, & formaliter gratia, quaſi per ipſam formaliter tollantur peccata venialia.

6 Si de potentia Dei ordinaria peccata venialia non remittuntur abſque remiſſione mortalium, non propterea ſequitur morientem in peccato mortali, & veniali puniendum eſſe perpetuò ob peccatum veniale, quia peccata venialia non ſunt digna æterna pœna ſicut digna mortalia, ſed quia merentur pœnam quandiu non auferuntur; & propterea cum exaudienti contingat, ut nunquam auferantur ob conjunctionem cum peccato mortali, ſequitur etiam, ut ex accidenti puniantur pœna æterna.

7 Poteſt dari caſus, ut quis decedat cum ſolis peccatis venialibus, quia ſi vir juſtus commiſſo peccato veniali repentina morte corripiatur, negari non poteſt, quin decedat cum ſolo veniali, cum illud veniale non ſit remiſſum, ergo dari poteſt caſus, ut quis decedat cum ſolo veniali, qui frui poteſt gloria deleto peccato veniali, quod aufertur per actum dilectionis Dei, & contritionis, quem anima primo inſtanti ſeparationis à corpore elicit; cum enim anima in eo inſtanti benè cognoſcat ſuum

I ſta-

ſtatum, habeatque auxilium efficax ad hujuſmodi actum eliciendum, elicit talem actum, & per illum utpotè incompoſſibilem cum peccatis venialibus obtinet remiſſionem peccati venialis; non tamen per talem actum tollitur pœna illis peccatis debita, non enim tollitur per modum meriti, quia poſt hanc vitam non eſt tempus merendi: nec per modum ſatisfactionis, quia poſt hanc vitam ſicut non eſt tempus merendi, ſic non eſt tempus ſatisfaciendi: quare hujuſmodi pœna tollitur per ſuffragia.

De effectu Pœnitentiæ quoad irrevocabilitatem peccatorum ſemel dimiſſorum.

Utrum peccata ita deleantur per pœnitentiam, ut per ſubſequens peccatum non redeant in ſe formaliter quoad culpam. Cap. 117.

1 PEccata ita delentur per pœnitentiam, ut de lege ordinaria non redeant, nec etiam redire poſſint de potentia Dei abſoluta, etiam ſi nova peccata multiplicentur, nam ſi reviviſcentia daretur, principaliter tribuenda eſſet Deo tanquam opus miraculoſum; cum autem abſurdum ſit, reviviſcentiam peccati principaliter Deo tribuere aſſerere Deum peccati auctorem, & Deus cum odio habeat impium, & impietatem ejus, & intentator malorum ſit, inquit D. Jacobus, ſequitur peccata ſemel dimiſſa non poſſe reviviſcere nec de potentia Dei ordinaria, nec de potentia Dei abſoluta.

2 Deus dum concurrit cum homine peccante v. g. cum furante ad actionem: quæ eſt fundamentum malitiæ, & peccati non dicitur peccare, quia concurrit juxta exigentiam cauſæ ſecundæ, quæ ſine concurſu cauſæ primæ nihil operari poteſt.

Utrum peccata ſemel remiſſa per ſubſequens peccatum redeant ſaltem æquivalenter. Cap. 118.

1 PEccata commiſſa poſt obtentam aliorum peccatorum remiſſionem graviora ſunt, habentque majorem deformitatem, ratione ingratitudinis contra beneficium prius acceptum; conſequenter priora peccata dicuntur aliquo pacto redire non in ſe, & formaliter, ratione majoris deformitatis, quæ in peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſo continetur: quia peccatum, ſeu offenſa gravior eſt cæteris partibus, quo majora fuerunt auxilia, & dona à Deo accepta, nam Deus videtur aliqua ratione virtualiter contemni, cum de novo offendatur poſt tanti beneficii collationem, nec ipſius ratio haberi videatur.

2 Ingratitudo duplex eſt, una dicitur circumſtantia, ſeu conditio generalis peccatorum commiſſorum poſt remiſſionem aliorum, & dicitur ingratitudo materialis, & circumſtantia aggravans, & conſequens generaliter omne peccatum mortale peccatoris lapſi poſt remiſſionem præcedentium peccatorum; altera dicitur ingratitudo ſpecialis, ſed ſpeciale peccatum ingratitudinis, quod contingere conſuevit, quoties peccator eo animo committit peccatum, ut dipendatur beneficium acceptum in remiſſione peccatorum priorum, & hæc ſpecialis ingratitudo ſpecialem habet malitiam, & eſt gravior ingratitudine materiali, & eſt neceſſaria explicanda in confeſſione, cum ſit peccatum ſpecie diſtinctum à reliquis peccatis.

3 Ingratitudo materialis non eſt aperienda in Confeſſione, niſi fortè poſt frequentiſſimam, & graviſſimam reincidentiam in peccatum, quia hujuſmodi reincidentia notabiliter ſolum aggravat peccata ſubſequentia, & non mutavit ſpeciem. Circumſtantiæ autem aggravantes, & non mutantes ſpeciem in noſtra ſententia non ſunt neceſſariò explicandæ in confeſſione, & quia hujuſmodi ingratitudo vagari videtur per omnia peccata, quatenus homo quoties peccat facit quodammodò contra beneficium divinum, conſequenter expreſſo peccato principali cenſetur etiam ſufficienter expreſſum peccatum, quod omnia peccata comitari conſuevit.

4 Peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa ſunt quidem graviora ratione ingratitudinis, quàm alioquin eſſent præciſa circumſtantia ingratitudinis, non tamen ſunt ſic graviora, ac æqualia peccatis anteà remiſſis: quamobrem ſi quis committat furtum poſt obtentam remiſſionem adulterii, ſed homicidii, non ita graviter peccat ratione Ingratitudinis, ſicut peccavit adulterando, vel occidendo, quamquam ipſius furtum gravius ſi ratione ingra-

gratitudinis, qu'm alioquin eſſet præciſa ingratitudine, tamen aſcendit ad gravitatem adulterii, vel homicidii.

5 Peccatum ingratitudinis non ſolum cernitur in peccatis mortalibus, quæ poſt obtentam aliorum remiſſionem committuntur, verum etiam in venialibus cum deliberatione factis, obtenta aliorum remiſſione; quia ratio quæ affertur pro mortalibus, poteſt cum proportione applicari venialibus.

6 Peccatum ingratitudinis eſt majus quo quis peccat poſt plura, & majora beneficia ſcilicet poſt plura, & plura peccata dimiſsa, ut patet ex illo loco *Lucæ* 7. Cui plus dimittitur, plus debet diligere, & quia videtur magis Deus contemni.

7 Peccatum ingratitudinis commiſſum poſt pœnitentiam, eſt majus peccato commiſſo poſt innocentiam, ideſt poſt gratiam Baptiſmale, quia poſt remiſſionem peccatorum eſt major obligatio gratitudinis, cum beneficium remiſſionis conferatur in minus dignum, quàm beneficium innocentiæ, igitur major eſt ingratitudo peccare poſt obtentam peccatorum remiſſionem.

Utrum peccata ita deleantur per pœnitentiam, ut ſemel remiſſa non redeant quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum. Cap. 119.

1 PEccata prius remiſſa non redeunt, nec etiam redire poſſunt de potentia Dei ordinaria, quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum, quamvis aliquo modo, ratione ſcilicet majoris ingratitudinis dici poſſit redire, tamen in ſe formaliter non redeunt quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum, quia reatus pœnę ſequitur culpam, ſed culpa non redit in ſe formaliter, ſed ſolum aliquo modo ratione ingratitudinis, ergo neque reatus pęnæ redit in ſe formaliter, ſed ſolum quatenus peccatori ratione ingratitudinis major pęna debetur.

2 Per ſubſequens peccatum non redit privatio beatitudinis, ſeu reatus, quatenus proveniebat à priori peccato remiſſo, ſed quatenus provenit ab hoc actu malo commiſſo poſt remiſſionem præcedentium peccatorũ, & propterea peccata prius remiſſa per pęnitentiam nõ redeunt in ſe, & formaliter quoad reatum per ſubſequens peccatũ.

3 Peccator puniendus eſt perpetuò non ſolùm pro mortali, in quod lapſus eſt poſt obtentam aliorum remiſſionem, verum etiam pro peccatis quoad culpam remiſſis: pro quibus nondum in hac vita ſatisfecit, quia licet pro peccatis mortalibus quoad culpam dimiſſis debeatur pœna tantummodò temporalis, tamen per accidens pęna fit æterna, quia cum pœna tollatur ſatisfaciendo, & in inferno non ſit ſatisfactio, ſequitur eſſe damnatũ ob peccatum commiſſum poſt obtentam aliorum præcedentium remiſſionẽ, verum etiam pro peccatis anteà remiſſis, pro quibus in hac vita non ſatisfacit. Secus ſi pro illis in hac vita ſatisfecit.

4 Peccata non ita delentur per pœnitentiam, quia reatus peccatorum præcedentium de potentia Dei abſoluta redire poſſit per ſubſequens peccatum, quia peccata poſſunt remitti ſub conditione, ut ſi peccator de novo peccet redeat idem pœnæ reatus, ac ſi peccata remiſſa non fuiſſent. Cum ergò non implicet peccata remitti ſub hac conditione, ſequitur eundem pęnæ reatum poſſe de potentia Dei abſoluta per ſubſequens peccatum redire.

De effectu pœnitentiæ quoad recuperationem meritorum gratiæ, & virtutum.

Utrum opera facta ante pœnitentiam recuperentur ſuperveniente pœnitentia, itaut valeant ad vitam æternam. Cap. 120.

1 OPera mortua privativè, ut eſt eleemoſyna, jejunium, & alia pia opera facta à peccatore quamdiu carent divina gratia, quæ vita animę meritò nuncupari poteſt non reviviſcunt, nec fiunt meritoria vitæ æternę per ſubſequentem pœnitentiam, quia ut aliquod opus ſit meritorium vitæ æternę, neceſſe eſt, ut fiat ab homine exiſtente in gratia ex *Trid. ſeſſ. 6. c. 16.* ſed licet non proſint ad vitam æternam promerendam multum verò poſſunt ad alios fines, ſcilicet ad obtinenda bona temporalia, ad humiliationem, ad vitanda majora tormenta in inferno, qualia per hujuſmodi bona opera adimplentur divina præcepta, quorum violatione omnia tormenta ſubeunda eſſent in inferno. Quæ omnia his duobus verſibus comprehenduntur.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ.

Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

2 Opera mortificata, quæ ſunt bona opera præſtita à peccatore, antequam in gravem culpam prolaberetur; dicuntur autem mortificata, quia mortificantur per ſubſequens peccatum; valent per ſubſequentem pœnitentiam ad vitam æternam conſequendam, quia ſublata, cauſa ceſſat effectus: ſed cauſa, propter quam bona opera remanebant mortificata, fuit peccatum illis ſubveniens, ergò ſublato peccato iterum incipiunt valere, non enim per ſubſequens peccatum bona opera abſolutè extinguuntur, ſed retinentur in acceptatione Dei, ex cujus miſericordia reviviſcũt ſublato peccato poſt ea opera commiſſo, & non ſolum aliqua, verum etiã omnia merita per peccatũ mortificata reviviſcunt per gratiam ſubſequentem.

3 Deus collaturus eſt viſionem beatificam non ſolum propter merita facta poſt reſipiſcentiam, verum etiam propter merita, quæ per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcunt, cum enim hæc merita, quando facta fuerunt, digna eſſent vita æterna, & modò reviviſcant ſequitur Deum collaturum præmium, etiam intuitu meritorum & bonorum operum reviviſcentium: quamobrem Tridentinum teſtatur, ita præmianda eſſe merita antecedentia, ſicut alia quælibet bona opera, modò homo moriatur cum gratia.

Vtrùm per ſubſequentem pœnitentiam reſtituantur gratia præcedens, & virtutes. Cap. 121.

1 Gratia aliquando recipitur per merita, & diſpoſitiones ſubiecti, ſeu ex opere operãtis aliquando verò merita, & diſpoſitionẽ ſubiecti, ſeu ex opere operato.

2 Virtutes aliæ ſunt morales, & acquiſitæ, aliæ ſupernaturales, & infuſæ; virtutes morales non amittuntur per peccata, quia ſimul cum peccatis ſtare poſſunt virtutes autem ſupernaturales & infuſæ, quæ gratiam comitantur ſimul cum gratia per peccatum amittuntur, ut eſt virtus Charitatis, non autem omnes virtutes ſupernaturales infuſæ amittuntur per quodlibet peccatum mortale, fides enim amittitur per peccatum infidelitatis, & ſpes per peccatum deſperationis.

3 Per pœnitentiam recipitur nova gratia, quia homo juſtificatur per novam gratiam, qua vel illa confertur intuitu diſpoſitionis, ut contritionis, quam peccator elicuit, vel intuitu Sacramenti, quod ſuſcepit.

4 Per pœnitentiam reſtituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis reſpondebat, quia ut dictum eſt, merita præcedentia reviviſcunt; ergo etiam reſtituitur gratia præcedentibus meritis reſpondens; cum enim opera mortificata valere incipiant per pœnitentiam ad vitam, & gloriam æternam, ad vitam autem, & gloriam æternam de lege ordinaria non valeant, niſi mediante gratia, quæ eſt jus ad gloriam, ſequitur reviviſcentibus operibus, ſeu meritis reviviſcere, & recuperari gratiam illis operibus, ſeu meritis reſpondentem.

5 Per pœnitentiam non ſolum reſtituitur gratia reſpondens præcedentibus meritis, verum etiam reſpondens Sacramentis, & ex opere operato: homo enim ſemper reſurgit in meliori ſtatu; nam pœnitens recuperat totam gratiam præcedentem, quæ impediebatur per peccatum, ſimulque recipit eam gratiam, quæ reſpondet Sacramento, vel diſpoſitioni, ratione cujus reſurgit, conſequenter reſurgere videtur in meliori ſtatu; ſequitur ergò per pœnitentiam reſtituti gratiam præcedentem, quæ meritis, & Sacramentis præcedentibus reſpondebat; nõ enim eſt major ratio, cur una pars gratię potius, & quàm tota recuperetur.

6 Virtutes infuſæ, quæ ita connexę ſunt cum gratia, ut ſimul cum ea amittantur, beneficio pœnitentiæ ſubſequentis recuperantur juxta gradum gratiæ reſpondentem, quia, acceſſorium ſequitur principale: ſed principale eſt gratia, nam acceſſorium ſunt virtutes, quæ ita connexæ ſunt cum gratia, ut ſimul amittantur: ergo recuperata gratia, recuperantur etiam virtutes comitantes gratiam juxta gradum reſpondentem gratiæ, quam comitantur.

De effectu Sacramenti pœnitentiæ quoad obligationem ſigilli.

Quo jure Confeſſarius teneatur ad ſigillum Confeſſionis. Cap. 122.

1 Sigillum Confeſſionis eſt obligatio, qua confeſſarius tenetur ea reticere, quæ ſibi per confeſſionem manifeſtata fue-

fuerunt, quę non poſſunt verbis, aut ſignis, aut factis directè vel indirectè, manifeſtari: & non ſolum ea, quæ audita ſunt in confeſſione, ſed etiam ea, quæ aliquo modo pertinent ad confeſſionem, quatenus eſt confeſſio, & ſic obligatio ſigilli eſt effectus ex confeſſione conſurgens.

2 Confeſſarius tenetur iure naturæ ad ſigillum Confeſſionis, quia iure naturæ tenemur cavere infamiam proximi, & ſic tenemur etiam jure naturæ audita in confeſſione reticere, cum ex illorum manifeſtatione infamia pœnitenti poſſit exoriri.

3 Confeſſarius jure Divino tenetur ad ſigillum Confeſſionis, quia Confeſſarius vices Dei gerit, ſicut ergo Deus ita remittit peccata, ut ea tegat, & eorum obliviſcatur *Pſalm.* 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitatès, & tecta ſunt peccata, & *Ezech.* 18. Omnium iniquitatem ejus non recordabor amplius. Ita Confeſſarius tenetur peccata in Confeſſione audita omnino tegere, & celare.

4 Confeſſarius ad ſigillum Confeſſionis non ſolum tenetur jure naturæ, & Divino, verum etiam Eccleſiaſtico, ut colligitur ex c. utriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus, ubi hoc ſtrictiſſimè præcipitur Confeſſario ſub pœna comminatoria depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto monaſterio faciendæ, quæ pœna extenditur ſolum ad Confeſſarios: nam alii arbitrio judicis puniendi ſunt.

5 Qui ſigillum confeſſionis perfringit, peccat contra juſtitiam, ideò tenetur ad reſtitutionem damni inde ſecuti, cum ex violatione juſtitiæ conſurgat obligatio reſtituendi damna; & peccat contra religionem peccato ſacrilegii, quia facit injuriam Sacramento pœnitentiæ, quod cum obligatione ſigilli à Deo inſtitutum fuit

6 Mortaliter peccat qui ſigillum confeſſionis violat, non ſolum ſi deliberatè detegat peccatum mortale, verùm etiam ſi peccatum veniale cum ſufficienti deliberatione manifeſtet, etiam ſi audientes non intelligant illud peccatum veniale auditum fuiſſe in confeſſione, quia per manifeſtationem peccati in confeſſione auditi violatur ſigillum, & fit gravis injuria Sacramento, etiam ſi detegatur ſolum peccatum veniale.

7 In fractione ſigilli Confeſſionis non datur parvitas materiæ excuſans à mortali præſertim cum ex manifeſtatione cujuslibet rei in confeſſione auditæ gravia ſequi poſſint incommoda, & confeſſio reddi poſſit odioſa, & oneroſa.

8 Cognitio fractionis ſigilli pertinet ad judicem ordinarium ipſius Confeſſarii, quia ipſi ſubjectus eſt, modò hujuſmodi crimen non ſit conjunctum cum hæreſi, tunc enim cognoſcendum eſſet in Tribunali S. Inquiſitionis.

Quænam cadant ſub ſigillo Confeſſionis. Cap. 125.

1 EA omnia cadunt ſub ſigillo Confeſſionis, quæ manifeſtata ſunt Sacerdoti per ordinem ad confeſſionem Sacramentalem factam animo ſe accuſandi, quia ex horum manifeſtatione Confeſſarius cenſetur ſacrilegus ſigilli violator, & Confeſſio redditur odioſa, ſecus dicendum eſt iis, quæ non ſunt manifeſtata per ordinem ad confeſſionem Sacramentalem.

2 Non oritur obligatio ſigilli, quando quis ſcienter manifeſtat ſua peccata laico, vel Clerico, quem manifeſtans novit non eſſe Sacerdotem, etiam ſi credat ex tali Confeſſione oriri obligationem ſigilli, hic enim non dicitur manifeſtare ſua peccata Sacerdoti in ordine ad confeſſionem Sacramentalem.

3 Qui ſe finxit Sacerdotem, & ob talem fictionem cauſa fuit, cur pœnitens manifeſtaverit ſua peccata, tenetur ad obligationem ſigilli, quia pœnitens manifeſtavit illi ſua peccata animo ſe accuſandi, & in ordine ad Sacramentalem confeſſionem.

4 Is, cui aliquid ſub ſigillo Confeſſionis manifeſtatum eſt ab eo, qui non habebat intentionem confitendi non tenetur ad ſigillum Confeſſionis, ſed ad ſecretum naturale, quia non fecit animo ſe accuſandi, & per ordinem ad confeſſionem Sacramentalem.

5 Confeſſarius tenetur ad ſigillum Confeſſionis, quando dubitat, an aliquid ſibi revelatum fuerit à Pœnitente per ordinem ad confeſſionem, quia rationabiliter præſumendum eſt in favorem confeſſionis, & pœnitentis, nè confeſſio fiat odioſa.

6 Quando pœnitens objicit Confeſſario revelationem confeſſionis, incumbit Confeſſario onus probandi, ſe revelaſſe ex

licentia pœnitentis, ſaltem quando ex revelatione ſequitur detrimentum pœnitenti, aut alteri, nam præſumptio videtur eſſe contra Confeſſarium, ut ſigillum confeſſionis ſervetur illæſum.

7 Si verò qui objicit revelationem confeſſionis non ſit pœnitens, ſed tertius, niſi tertio incumbit onus probandi Confeſſarium revelaſſe abſque licentia, hoc autem probabit oſtendendo Sacerdotem revelaſſe ſimpliciter coram pluribus, nihil addendo de habita revelandi licentia.

8 Confeſſarius poterit ſe ipſum tueri atteſtatione ipſius pœnitentis, aut oſtendendo, ſe illud, quod manifeſtavit, accepiſſe ab aliis extra Confeſſionem.

9 Confeſſarius non tenetur ad ſigillum quando quis ipſum acceſſit, ut non confiteretur, ſed ut ipſum pertraheret ad peccatū.

10 Sacerdos tenetur ad ſigillum circa ea, quæ in confeſſione audivit, etiam ſi pœnitentem ob aliquem defectum non abſolverit, nam illa audivit per ordinem ad confeſſionem.

11 Propoſitum committendi aliquod peccatum cadit ſub ſigillo, quoties pœnitens illud manifeſtavit Confeſſario animo ſe accuſandi, ſeu per modum accuſationis coram Deo, ſecus ſi pœnitens declaravit non animo ſe accuſandi, ſed potius pervertendi Confeſſarium, illumque incitandi ad malum.

12 Parochus, qui in Confeſſione novit aliquod impedimentum, tenetur hujuſmodi impedimentum ſub ſigillo reticere, & conſequenter non poteſt matrimonium pœnitenti denegare, quem in confeſſione novit obſtrictum eſſe impedimento dirimente.

13 Peccata non ſolum mortalia, verum etiam venialia, non ſolum occulta, verum etiam publica, quæ aliàs ignota erant confeſſario cadunt ſub ſigillo, & ideò confeſſarius non poteſt loqui de republica in confeſſione audita, cujus ipſe aliũdè non habeat cognitionē ſi verò aliundè noverat, poteſt extra confeſſionem loqui eo modo, quo anteà noverat, modò non addat aliquid præter cognitionem in confeſſione habitam, ut ſi quis ſurripuit res meas, & ego novi extra confeſſionem ipſum mihi ſurripuiſſe, poſſum ipſum denunciare, poſtquam mihi confeſſus fuerit hoc furtum modò non utar ſcientia confeſſionis, nec majora adducam indicia ob audita in confeſſione, neque oſtendam me illa ſcire ex confeſſione. Eodem modò poteſt Parochus à communione repellere publicum concubinarium, quem extra confeſſionem novit eſſe publicum Concubinarium, etiam ſi hoc idem in confeſſione cognoverit; caveat autem, ne oſtendat ſe illum repellere ex ſcientia in confeſſione habita, hic enim perfringeret ſigillum.

14 Non ſolum peccata, ſed etiam circumſtantiæ, & ea omnia, quæ dicta ſunt in confeſſione ad declaranda peccata, cadunt ſub ſigillo, etiam ſi non eſſent utilia ab ea declaranda, ut ſi pœnitens ad manifeſtandum aliquod peccatum dixit, ſe eſſe ſpurium, aut pauperem, aut ſi defectum naturalem manifeſtavit, ſecus dicendum de iis, quæ incidenter tanquam nullo modò ſpectantia ad confeſſionem narrantur.

15 Confeſſor non tenetur ex vi ſigilli confeſsionis ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis, ſed ſolum teneri ex vi ſecreti naturalis juxta intentionem pœnitentis quia hujuſmodi bona non ſolent in confeſſione manifeſtari animo ſe accuſandi, & ex eorum manifeſtatione confeſſio non efficitur odioſa.

16 Peccatum confeſſum Superiori, ut ab ipſo, vel ab ejus delegato abſolvatur cadit ſub ſigillo.

Quinam teneantur ad ſigillum Confeſſionis.
Cap. 124.

1 Confeſſarius tenetur ad ſigillum, & qui aliquid norunt occaſione confeſſionis, vel cui manifeſtata ſunt per ordinem ad confeſsionem Sacramentalem.

2 Pœnitens non tenetur ad celanda, quæ ſibi dicta ſunt à Confeſſario, ſcilicet ad celandam pœnitentiam, vel quid ſimile, modò Confeſſarius non exigeret ſecretum, aut niſi inde oriatur infamia, vel aliud damnum Confeſſario; pœnitens tamen tenetur alio titulo retinere, quæ dicta ſunt ſibi à Confeſſario, & jure naturę ſervandum eſt ſecretum, & vitanda eſt proximi infamia, aliaque detrimenta.

3 Ad ſigillum obligantur ſuperiores, quibus Confeſſarius aliquid in confeſsione auditum aperuit, ut facultatem abſolvendi à reſervatis obtineret, quia ſuperior in hac parte gerit vices Confeſſarii, cum ad ipſum cauſa deferatur.

4 Ad ſigillum obligantur illi, quibus Con-

Confeſſarii, conſilii gratia, aliquid manifeſtantes imprudenter manifeſtarunt perſonam ipſius pænitentis: idem dicendum de iis, qui perſonam pænitentis indicarunt de licentia ipſius pænitentis, idem dicendum de iis, quibus Confeſſarii aliquid in confeſſione auditum dixerunt; quare Princeps, qui aliquid accepit à Confeſſario de aliquo pænitente, non poteſt hujuſmodi ſcientia uti contra reum abſque ſacrilegio, & fractione ſigilli.

5 Obligantur ad ſigillum interpretes, qui ſicut concurrunt ad confeſſionem, & cognoſcunt peccata pænitentis per ordinem ad confeſſionem, ita efficitur effectus confeſſionis, ejuſque ſigillo tenentur.

6 Tenentur ad ſigillum, qui ex malitia, vel caſu peccata pœnitentis audierunt ut ſi aliquid audierunt à confeſſario, vel pœnitente alta voce loquente, vel dum aſtarent propè confeſſionarium.

7 Ad ſigillum tenetur, qui invenit chartam, in qua ſcripta erant alicujus peccata, qui propriè non aſtringitur ad ſigillum, cum obligatio ſigilli propriè dependeat ex inchoata confeſſione; & ex iis, quæ pænitens aperuit confeſſario animo ſe accuſandi, unde tenetur ſaltem ad ſecretũ naturale.

8 Judex qui legit chartam, in qua deſcripta ſunt peccata pœnitentis non poteſt de hujuſmodi peccatis inquirere, ſed debet perpetuò tegere, quia licet propriè non teneatur ad ſigillum, tamen tenetur ad ſecretum naturale, niſi fortè aliter poſtulet commune bonum, tamen teſtantur aliqui illum eſſe abſolvendum, & dimittendum qui fuit accuſatus, & convictus de crimine ob notitiam tantum habitam per fractionem ſigilli, nam cognitio in confeſſione habita, cum cenſeatur facta Sacerdoti vicem Dei gerenti, non debet humano judicio deſervire, immò qui chartam invenit, in qua peccata alicujus ſcripta ſunt, graviter peccat, ſi aliquid ex ea legat poſtquam cognovit in ea contineri peccata, nam gravem infert injuriam pænitenti invito, ſicut etiam gravem facit injuriam, qui alterius confeſſionem audit ipſo neſciente.

Utrum Confeſſarius loqui poſſit de auditis in confeſſionem, aut uti ſcientia Confeſſionis. Cap. 125.

1 Confeſſarius loquens de auditis in Confeſſione abſque manifeſtatione perſonæ, & ſine periculo, ut audientes veniant in cognitionem, vel ſuſpicionem perſonę non dicitur frangere ſigillum: quia ex hujuſmodi locutione non revelatur peccator, nec ulli fit injuria, ſecus dicendum ſi de auditis loquatur, & manifeſtet perſonam, vel cum periculo ut audientes veniant in cognitionem perſonæ, videtur frangere ſigillum, nam revelat peccatorem, illique facit injuriam, dummodò tantum in genere manifeſtet peccata venialia, nam per hujuſmodi manifeſtationem non magis cognoſcitur peccator, quàm anteà cognoſceretur.

2 Confeſſarius dum loquitur de rebus in confeſſione debet ſe prudenter gerere, ne ſuſpicionem ingerat alicujus particularis perſonæ de gravi aliquo delicto, itaque cavere debet, ne de rebus in confeſſione auditis loquatur coram multis, præſertim in eodem oppido, & ſtatim poſt confeſſionem, item cavere debet, ne unum pœnitentem nimium laudet, quoties ex illius laude ſumi poteſt ſuſpicio de reliquis, qui eidem Sacerdoti confitentur; item caveat, ne dicat aliquem ſe confeſſum fuiſſe tali occaſione, vel ſe talia peccata in confeſſionibus audiviſſe quoties eſſet periculum audientes malè opinari.

3 Non frangitur ſigillum ſi confeſſarius dicat in tali civitate adeſſe multos improbos, vel alia crimina perpetrari, ſi non adſit periculum, ut auctor illorum peccatorum cognoſcatur; ſecus ſi loquamur de aliquo loco non valdè amplo, aut de aliquo Monaſterio, in quo dicat gravia ſcelera committi, nam fieri poteſt, ut non levis ſuſpicio de aliquo particulari concipiatur, & aliqui jacturam famę patiantur.

4 Non frangitur ſigillum ſi confeſſarius dicat (Abſolvi Petrum) aut ſi dicat (Petrus confeſſus eſt mihi peccata venialia, aut ſua peccata) modò confeſſarius non exprimat aliquod peccatum veniale in particulare, vel ſi dicat (Petrus gravi morbo detentus ſigna peccati dedit in genere, & ob id ipſum abſolvi, dedique levem hanc pœnitentiam) quia non videtur quidquam aperire, quo pœnitens reveletur, aut cognoſcatur magis peccator, quàm antea, ſecus dicẽdum ſi confeſſarius primus de uno dicat, hic mihi confeſſus eſt ſola venialia, nam hoc modo loquendo tacitè indicat, confeſſario ſecũdò confeſſũ eſſe peccata mortalia.

5 Frangitur ſigillum ſi confeſſarius dicat (Titius mihi confeſſus eſt caſum reſervatum vel gravia peccata) etiam ſi confeſſarius non explicet peccatum aliquod in particulari, nam efficit ut pœnitens magis peccator cognoſcatur, quam antea cognoſceretur; idem dicendum ſi confeſſarius dicat (Non abſolvi Titium) quia abſolutio denegari ſolet gravi de cauſa, & ob pravam pœnitentis diſpoſitionem, & propterea ſi confeſsarius interrogetur, utrum abſolverit Titium publicum uſurarium, & quare non abſolvit, dicat ſe functum eſſe munere ſuo, vel tranſmittat interrogantem ad ipſum pœnitentem, vel utatur emphibologia, ne periculum ſubeat frangendi ſigillum abſolutè dicendo ſe illi abſolutionem denegaſſe.

6 Non videtur ſigillum frangere, ſi Sacerdos confeſſarius dicat confeſſionem non fuiſſe perfectam ob ſuperveniens incommodum, aut pœnitentem non potuiſſe ſufficientem materiam exhibere, quia nullum peccatum in confeſſione auditum manifeſtat.

7 Sigillum frangitur à confeſſario dicendo ſe Titium non abſolviſſe, quoties conjecturis ingeri poteſt ſuſpicio gravis defectus, ſecus ſi nulla ſuſpicio impendat.

8 Confeſſarius tenetur ſchedulam, & atteſtationem facere illi, quem non abſolvit, quando hæc requiritur à pœnitente: quia aliter videretur aliquo modo prodere peccatum: nec confeſſarius dicit mendacium teſtando illum confeſſum fuiſſe; quia non dicit ſe eum abſolviſse, ſed confeſſum fuiſſe ut eſt veritas, quod mihi non probatur, quia confeſſarius denegans ſchedulā nihil tacere videtur, ex quo alter directè, vel indirectè poſſit cognoſcere delicta pœnitentis, immo aperiretur via fraudibus: nam multi improbi deciperent Parochos in Paſchate allato teſtimonio confeſſionis.

9 Confeſsarius non poteſt extra confeſſionem ſine licentia pœnitentis uti ſcientia confeſſionis ad aliquod faciendum, quoties ſit periculum revelationis peccati auditi in confeſſione, nam ſe gerere debet, ut ſi nihil ſciret, quod pudorem, confuſionem, aut damnum pœnitenti afferret, quia Clemens VIII. in motu proprio, quem pro regularibus edidit 1594 die 26. Maii, præcepit ne confeſsarii ad ſuperioritatis gradū evecti, ſcientia de aliorum peccatis habita in confeſſione utantur ad externam gubernationem, ſi autem liceret uti ſcientia in confeſſione habita, revelarentur peccata pœnitentis ſaltem indirectè, nam alii, aut ſaltem pœnitens conjicere poſſet, hoc fieri ob peccatum auditum in confeſſione.

10 Confeſſarius poteſt in confeſſione peccata reprehendere pœnitentis, ab eo in alia confeſſione confeſſis, eadem ob ſæpius peccata commiſſa, non enim frangit ſigillum, quia non loquitur extra confeſsionem de peccatis in confeſſione auditis.

11 Puto aliqua ratione confeſſarium violare ſigillum confeſſionis, ſi extra confeſſionem utatur ſcientia confeſſionis, & loquatur de auditis in confeſsione cum pœnitente abſque licentia ipſius pœnitentis, etiam ſi faciat animo illum adjuvandi, reprehendendi, aut peccata exprobandi, fortaſſe cum pudore, & confuſione ipſius pœnitentis, licet propriè non dicatur violare ſigillum, cum non alloquatur cum aliis de auditis in confeſsione, & propterea non videtur puniendus eadem pœna, qua puniuntur revelantes confeſsionem.

12 Confeſſarius, de licentia pœnitentis obtenta in confeſſione, aut extra confeſſionem, poteſt uti ſcientia confeſsionis, nam pœnitens poteſt juri, & favori ſuo credere, cum ſigillum ſit inductum in gratiam, & favorem pœnitentis.

13 Caveant pœnitentes, nè licentiam loquendi cum aliis de auditis in confeſsione confeſſario concedant abſque honeſta, & gravi cauſa, nam infamia pœnitentis non eſt permittenda abſque gravi cauſa.

14 Licet pœnitens dederit facultatem confeſsario loquendi de auditis in confeſſione, non cenſetur ceſsiſse licentiam revelandi perſonam ipſius pœnitentis, niſi aliter conſtet de mente pœnitentis: nam quilibet præſumitur velle ſibi quàm minimum præjudicium afferre.

15 Non autem ſufficit licentia tacita, vel præſumpta, quia revelans redderet confeſsionem odioſam, nec requiritur licentia expreſſa dicendo, concedo tibi facultatem loquendi de auditis in confeſsione, ſed requiritur, ut facultas verbis, vel factis exprimentibus facultatis confeſsionem, vel ſaltem æquivalentibus actu concedatur, nam ſic non redditur confeſsio odioſa, nec fit injuria pœnitenti.

16 Non frangitur à confeſsario ſigillum

ſi

Digitized by Google

ſi cum pœnitente loquatur de peccatis in confeſsione auditis, de quibus pœnitens cum ipſo confeſsario incœpit loqui, nam cenſetur ſic datam eſse facultatem loquendi de peccatis auditis in confeſsione.

17 Non frangit ſigillum confeſsarius, dum admonet hęredes pœnitentis de re aliqua, de qua pęnitens mandaverat confeſsario, ut poſt ſuum obitũ admoneret hæredes pro ſuæ conſcientiæ exoneratione, nam utitur ſcientia cõfeſsionis de licẽtia pęnitentis.

18 Confeſsarius, circa audita in confeſsione, ita ſe gerere debet, ac ſi nihil ſciret, quia ſi de iis loqueretur, ſequeretur pudor, confuſio, aut damnum pęnitentis, & ſigillum confeſsionis frangere.

19 Confeſsarius non debet ob peccatum in confeſsione cognitum privare pœnitentem officio, quamvis officium ſit ad arbitrium, & nutum amovibile, difficilè enim fieret abſque fractione ſigilli hujuſmodi privatio, maximè ſi alia cauſa non adeſset.

20 Non poteſt confeſsarius, qui ex ſola confeſsione novit ſuum famulum eſse furem, eum dimittere quia ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti.

21 Si confeſsarius ex confeſsione cognoſcit, pœnitentem eſse improbum, & indignum, licet communi opinione probus exiſtimetur, non poteſt ei ſuffragium, aut electionem ad beneficium denegare, nam ſequitur pudor, & damnum pœnitenti.

22 Confeſsarius, ſive ſit parochus, ſive alius, non poteſt Euchariſtiam denegare pœnitenti ob peccatum in confeſsione auditum, quia ſic confeſsio redderetur odioſa.

23 Epiſcopus non poteſt clericum ob crimen in confeſsione auditum repellere ab ordinationibus ſuſcipiendis, quia indè ſequeretur pudor, & confuſio pœnitenti.

24 Parochus non poteſt à matrimonio repellere pœnitentiam, ob impedimentum ſeu peccatum ſolum in confeſsione cognitum, & licet in confeſsione teneatur illum admonere, ut à tali matrimonio contrahendo deſiſtat, tamen extra confeſsionem non tenetur illum repellere, aut etiam admonere; & ſi velit extra confeſsionem admonere, debet prius petere licentiam loquendi de peccatis auditis in confeſsione, & ſi repelleret, eſset revelatio confeſsionis, cum alia via non conſtet, per quam repellatur à contrahendo matrimonium.

25 Confeſsarius non poteſt uti ſcientia confeſsionis cum revelatione, ſeu periculo revelationis alicujus pœnitentis ad tuendum bonum temporale, particulare, vel univerſale, aut etiam ad tuendum bonum ſpirituale, quia fideles retardarentur in perpetuum ab hoc Sacramento ſuſcipiendo.

26 Nullum eſt tam grave malum, quod pręponderet fractioni ſigilli confeſsionis, quæ ex Dei præcepto neceſsaria eſt ad reconciliationem hominis cum Deo.

27 Confeſſarius, qui ex confeſſione novit necem alicui parari, aut proditionem imminere civitati, non poteſt hæc manifeſtare, dum adeſt periculum detegendi auctorem, & deprehendendi reum, verùm pręciſo hoc periculo admonendus eſt in genere is, cui periculum imminet, ut ſibi conſulat; ſed ſi confeſſarius valet pœnitentem à peccato retrahere, non eſt admonendus cui malum impendet.

28 Differentia inter ſigillum confeſſionis & ſecretum in alia materia hæc eſt. Secretum, ſeù ſigillum confeſsionis numquam licitè violari poteſt, etiam ſi Summus Pontifex præciperet confeſſionem revelari, nam præceptum ſigilli ſtrictius obligat alio quovis præcepto, ſecretum verò in alia materia licitè poſt aliquando violari, ut propter periculum mortis.

29 Confeſsarius non poteſt ſuum errorem commiſsum in confeſsione audienda pœnitentis manifeſtare, quando ex illius manifeſtatione imminet periculum, ut confeſsor proprius, cui confitetur, veniat in cognitionem peccati pœnitentis, nam major eſt obligatio ſigilli, quam integritatis confeſsionis.

30 Confeſsarius ex ſententia habita in confeſsione non poteſt admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterii, vel alium, qui peccata impediat, ſi periculum ſit cognoſcendi aliqua ratione delinquentem, quia confeſsio facilè redderetur odioſa, & ſubditi à confeſsione retraherentur.

31 Conſultum eſt in his ſupradictis caſibus, in quibus imminet periculum pœnitentis ſi poteſt fieri abſque revelatione pœnitentis, & periculo, ut delinquens cognoſcatur, nec inde ſequatur pudor, & confuſio pœnitenti, petere licentiam ab ipſo pœnitente, antequam abſolvatur, hoc enim modo occurritur omni periculo fractionis ſigilli, & pœnitens tenetur hanc facultatem concedere confeſsario, quia quilibet

li bet tenetur proximi peccata præcavere.

32 Qui per confeſſionem novit pollutam eſſe Eccleſiam, non poteſt hoc detegere, ut reconcilietur, nec Eccleſia præſumitur, velle obligare Sacerdotem, ne celebret in loco, quem ex ſola confeſſione novit eſſe pollutum, cum ſcientia confeſſionis habita ſit loco Dei.

33 Confeſſarii, qui eiuſdem pœnitentis confeſſiones exceperunt, non poſſunt de peccatis illius pœnitentis in confeſſionem auditis, ſermonem ad invicem habere: nullus enim uti poteſt ſcientia confeſſionis extra confeſſionem cum manifeſtatione pœnitentis, ita poſtulante ſigilli natura.

34 Confeſſarius non poteſt ex notitia in confeſſione habita corrigere complicem pœnitentis, aut ejus delicta extra confeſſionem impedire, aut alioquin complicem de peccato, niſi hoc fiat de licentia pœnitentis.

35 Confeſſarius non poteſt ob peccata in confeſſione audita faciem, & vultum aſperiorem præbere pœnitenti, quàm anteà ſolvere, quia inde ſequitur confuſio pœnitenti.

36 Confeſſarius, qui novit in confeſſione ſibi ab aliquo inſidias parari, poteſt domi ſe continere, ne occidatur, ſicut etiam ab eo loco, in quo per confeſſionem novit ſibi necem parari, poteſt recedere, & fugere occaſione aliunde ſuſcepta; prætereà poteſt denegare petenti gladium ſuum apud ipſum confeſſarium depoſitum, ſi mortem ſibi ab eo intentari ſciat, occaſione aliunde arrepta, ſive adhibita amphibologia, ita ut pœnitens nequeat iudicare gladium ſibi ob audita in confeſſione denegari.

37 Si confeſſarius in confeſſione novit aliquem non eſſe Sacerdotem, poteſt abſtinere à confeſſione illi facienda, licet anteà conſuevisſet illi confiteri, quem per confeſſionem novit non eſse Sacerdotem, quià nullus pudor, nulla confuſio, aut nullum damnum ſequitur pœnitenti, ſed hoc potius confeſsario laudi, & prudentiæ ſcribetur.

38 Sacerdos, qui per confeſſionem novit vinum ad miſsam paratum eſse veneno infectum, poteſt miſsam prætermittere, utitur enim jure ſuo, occaſione tamen aliundè accepta dimittendæ.

39 Confeſsarius poteſt ob audita in confeſſione reddi cautior ad cuſtodiendas res proprias, vel attentior fieri, aut vigilantior circa ſuum gregem, modo ob aliis uſitato; ob id enim confeſſio non redditur odioſa, nec pudor aut damnum ſequitur pœnitenti.

40 Confeſsarius, qui de peccato in confeſſione audito, interrogatus, negare debet, ſe quidquam ſcire, etiam cum juramento, & ſi nequeat, ſe alia induſtria, & arte liberare ab hujuſmodi interrogatione, reprehendat interrogantes, ſimulque aperiat, quàm graviter hac in re peccent.

41 Si confeſsarius certò ſciat delictum pœnitentis extra confeſſionem, & pœnitens rogatus confeſsario nolit peccatum ſuum manifeſtare, & explicare, debet illum repellere: ratio eſt, quia pœnitens indignè petit abſolutionem; confeſsarius autem in praxi obſervare debet, ut antequam pœnitentem dimittat, dicat orationem aliquam deprecatoriam, vel aliquid aliud faciat, nè adſtantes veniant in cognitionem denegatæ abſolutionis, pravamque de pœnitente concipiant opinionem.

42 Quando confeſsarius novit delictum pœnitentis in confeſsione à complice, debet in genere pœnitentem interrogare num habeat aliud peccatum, aut etiam petere in particulari, modò complicem non manifeſtet, nec ſit periculum, ut pœnitens ſuſpicetur, complicem hoc ipſum crimen in confeſsione manifeſtaſse, hac verò interrogatione præmiſsa, ſi pœnitens adhuc fateatur delictum, confeſsarius tenetur abſolvere pœnitentem, quia uti non poteſt ſcientia confeſsionis, præſertim cum periculo, ut complex in cognitionem veniat alterius complicis prætereà exiſtimare poteſt, pœnitentem reticere peccatum rationabili de cauſa, aut complicem deceptum fuiſse.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quis ſit miniſter neceſſarius, & ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 126.

1 SOlus Sacerdos eſt miniſter hujus Sacramenti ex *Trid. ſeſ. 14. cap. 6.* & quia hic ſemper fuit totius Eccleſiæ ſenſus & poteſtas clavium, & remittendi peccati pœnas in ſolos Sacerdotes reſidet (*Io. 20.* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.) quibus verbis poteſtas abſolvendi collata eſt Apoſtolis, non ſolum quatenus repræſentant Epiſ-

Epiſcopos, verum etiam quatenus vicem Sacerdotum ſuſtinebant; cum enim pœnitentiæ Sacramentum ſit maximè neceſſarium, & frequenter ſuſcipiendum, æquum fuit, ut hujus Sacramenti adminiſtrandi poteſtas non ſolum conſerretur Epiſcopis qui modicam habent audiendi confeſſiones opportunitatem, verum etiam aliis Sacerdotibus communicatur.

* *Alex. VIII. die 7. Decemb. 1690. damnat infraſcriptam propoſitionem. Confeſſiones apud Religioſos factæ, ple æque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.*

2 Laicus non eſt miniſter Sacramenti pœnitentiæ, quia non eſt Sacerdos, & caret poteſtate ordinis, & juriſdictionis, & licet per illud *Jacob* 5. dicatur (Confitemini alterutrum peccata veſtra,) hoc debet intelligi non de Sacramentali confeſſione, ſed ea quæ humiliationis gratia fieri poteſt coram laico, nam ſi intelligatur de confeſſione Sacramentali explicari debet peccata eſſe alterutrum confitenda inter Sacerdotes, ita ut illa particula alterutrum referatur ad perſonas approbatas, & non ad laicos non approbatos.

3 Confeſſio facta ſubdiacono, vel diacono in articulo mortis non ſubſiſtit, quia ſolus Sacerdos eſt miniſter Sacramenti pœnitentiæ.

4 Clavium poteſtas intelligitur ea, quæ eſt collata Sacerdoti, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum; per quam aperitur janua cœli, quæ per peccatum originale aut per actuale clauditur, quæ poteſtas duplex eſt, ordinis ſcilicet, & juriſdictionis.

5 Clavis ordinis conſiſtit in charactere, qui in ordinatione Sacerdotali confertur, quæ non eſt ſufficiens ad auferendum peccatum, & ad dandam abſolutionem ſed huic debet addi clavis juriſdictionis, quæ vel erit delegata, vel ordinaria, unde per ſe loquendo, non omnis Sacerdos eſt ſufficiens miniſter iſtius ſacramenti, quando non habet juriſdictionem: nam non omnis ſacerdos habet juriſdictionem; poteſtas enim ordinaria competit illis, qui ex officio ſunt paſtores animarum, delegata verò eſt, quæ committitur, & conceditur ab habente poteſtatem ordinariam.

6 Omnis ſacerdos in mortis articulo poteſt abſolvere à quibuſvis peccatis, etiam ſi ſacerdos ſit excommunicatus, vel Hæreticus, vel degradatus: nam Summus Pontifex concedit cuilibet ſacerdoti facultatem abſolvendi in probabili periculo, ſeu in articulo mortis, dummodo non adſit alius ſacerdos, qui poſſit ex officio, aut facultate delegata extra mortis articulum abſolvere, & tunc velit abſolvere, nam præſente hujuſmodi ſacerdote non poteſt ſimplex ſacerdos aliàs non approbatus abſolvere; moribundus enim non dicitur in neceſſitate conſtitutus confitendi ſimplici ſacerdoti præſente approbato volente abſolvere.

7 Sacerdos licet habeat poteſtatem ordinis, quæ in omnibus ſacerdotibus eſt æqualis, cum hæc poteſtas fundetur in charactere, quem ſinguli ſacerdotes in ordinatione ſacerdotali indelebiliter recipiunt non tamen quilibet ſacerdos habet juriſdictionis poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad abſolvendum neceſſariam.

8 Quilibet ſacerdos modò non ſit excommunicatus vitandus, vel degradatus poteſt à mortalibus aliàs confeſſis, aut etiam à venialibus nunquam confeſſis abſolvere, cum ab Eccleſia, vel à jure divino conceſſa ſit juriſdictio abſolvendi.

9 Facultas conceſſa abſolvendi in articulo mortis cuilibet ſacerdoti eſt abſoluta, & directa, ita ut pœnitens in hujuſmodi caſu abſolutus non teneatur lapſo eo periculo iterum eadem peccata licet reſervata confiteri, cum ab illis directè fuerit abſolutus quod intelligendum eſt de peccatis reſervatis non habentibus annexam cenſuram; quia ſi habeat annexam cenſuram, & ſic abſolutus à ſacerdote non habente facultatem abſolvendi à cenſuris, tenetur ſe elapſo mortis periculo, quamprimum commodè poteſt coram ſuperiore præſentare, non ut iterum ab eo abſolvatur, ſed ut oſtendat ſe abſolutum obedientem, & paratum ad majorem pœnitentiam ſuſcipiendam, & faciendam, ſi illi à ſuperiore injungatur, aliter ſi ſe coram ſuperiore præſentare neglexerit in eaſdem cenſuras reincidit, & ideò confeſſarius debet admonere pœnitentem ut elapſo mortis periculo redeat ſuperiorem cum primum oblata opportunitate.

Quis

Quis ſit Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ reſpectu vagorum, aliorumque ſucceſſivè commorantium in diverſis locis.

Cap. 127.

1 HAbentes unum ſolum domicilium in aliquo loco poſſunt ſua peccata confiteri Parocho, in quo domicilium habent, cum ſit proprius eorum Sacerdos; item alteri in ea diœceſi approbato ad confeſſionem quia praxi ſic receptum eſt; inſuper Epiſcopo, aut Papæ, Summo pœnitentiario, legato à latere, & his ſimilibus quia omnes iſti ſunt proprii Sacerdotes.

2 Habentes duo domicilia poſſunt utrique Parocho confiteri, cum uterque ſit proprius Parochus, & Sacerdos, & in utroque loco poſſunt ſepeliri, matrimonium contrahere: idem dicendum de iis, qui habent in uno loco domicilium, & in alio loco quaſi domicilium, quia talis eſt conſuetudo introducta.

3 Portio canonica, ſeu quarta emolumentorum in funerali, quando quis moritur in ſua parochia, aut extra parochiam; debentur Parocho illius loci, in quo mortuus habebat domicilium, ſeu recipiebat Sacramenta, etiam ſi elegerit alibi ſepulturam, relicta Eccleſia, in qua maiores ſui ſunt ſepulti, ſi verò habebat domicilium in diverſis locis æquitas poſtulat, ut canonica portio dividatur.

4 Proprius Parochus vagorum eſt Parochus loci, in quo vagi reperiuntur, quia ſi vagi indigeant Sacramentis Parochus loci tenetur ea miniſtrare, & propterea vagi poſſunt peccata ſua confiteri Parocho illius loci, vel alteri Sacerdoti approbato in eo loco, in quo vagi pro tempore reperiuntur.

5 Iter agentes poſſunt ſua peccata confiteri parocho loci, ad quem pervenerunt, etiam alteri Sacerdoti approbato, quia ſic extat conſuetudo.

6 Iter facientes in fraudem legis ea ſolum de cauſa, ut poſſint aliis confiteri, & ut evitent proprium Parochum, & alteri confiteantur, non poſſunt validè confiteri coram Parocho, ſeu Sacerdote illius loci, ad quem pervenerunt, quia non fieret juxta intentionem, & conceſſionem Summi Pontificis, ſeu juxta conſuetudinem.

7 Sacerdos generaliter approbatus ad omnes audiendos in aliqua diœceſi, poteſt omnes illius diœceſis ad ſe concurrentes audire, etiam ſi ad ipſum accedant animo vitandi proprium Parochum, quia habet juriſdictionem abſolvendi omnes illius diœceſi ad ſe venientes.

8 Sixtus IV. conceſſit Religioſis facultatem audiendi confeſſiones extraneorum ſi ad ipſos accedant cauſa confeſſionis, modò religioſi ſint approbati ab Epiſcopo loci: ipſi verò religioſi non poſſunt ad aliam diœceſim proficiſci, ut ibi confeſſiones audiant, niſi ſpeciali privilegio gaudeant.

9 Parochus tempore Paſchatis poteſt denegare Euchariſtiæ Sacramentum pœnitentibus, qui debita opera ſe contulerunt ad confeſſarios extra diœceſim exiſtentes, & peccata confeſſi ſunt, quia ut patet in noſtro Concilio Provinciali III. hujuſmodi confeſſarii non habent facultatem abſolvendi pœnitentes ad ſe dedita opera accedentes, unde confeſſio prædictorum pœnitentium non eſt valida, & propterea Parochus poteſt denegare Euchariſtiæ Sacramentum illis, qui non ſunt validè confeſſi, ſecùs dicendum de iis pœnitentibus, qui non dedita opera ad hujuſmodi confeſſarios acceſſerunt.

10 Omnes poſſunt abſolvi à Religioſis habentibus privilegium abſolvendi quoſcumque cujuſcumque diœceſis, etiam ſi ad ipſos dedita opera accedant, & conſequenter non poteſt Parochus tempore Paſchatis Euchariſtiæ Sacramentum hujuſmodi pœnitentibus denegare: nam Parochus, aut Epiſcopus non poteſt derogare privilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis.

11 Epiſcopus, aut Parochus poteſt abſolvere ſuos ſubditos inventos aut ſecum ductos extra diœceſim, quia non eſt determinatus locus, in quo poſſint ſuo Epiſcopo, vel Parocho pœnitentes ſua peccata confiteri, quod non ſolùm debet intelligi de Epiſcopo, & Parocho, ſed de omni alio confeſſario facultatem delegatam in aliquas perſonas habente.

* *In Bulla Clementis X. quæ incipit*: Superna magni patris familias &c. *edita* 1670. *habentur hæc verba. Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eos abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.*

Qui-

Quinam facultatem habeant à jure eligendi ſibi Confeſſarios. Cap. 128.

1 QUamplures facultatem habent eligendi ſibi confeſſarium. Primò Summus Pontifex, ſecundò Cardinales, tertiò Epiſcopi jam confirmati, & Patriarchæ, & nomine Epiſcopi intelligitur is, qui jam electus, & confirmatus eſt, quartò Prælati exempti, qui Summum Pontificem tamquam immediatum ſuperiorem agnoſcunt, quantò habentes ſola venialia, vel mortalia ritè aliàs confeſſa.

2 Qui obtinuit à Sede Apoſtolica, vel ab Epiſcopo facultatem eligendi ſibi confeſſarium, poteſt ſibi eligere confeſſarium mortuo Summo Pontifice, vel Epiſcopo concedente, etiam ſi obtinuerit facultatem eligendi confeſſarium pro reſervatis ipſi Summo Pontifici vel Epiſcopo, quia hæc cenſetur gratia facta, gratia autem facta non expirat morte concedentis.

3 Jurisdictio Vicarii, aut Viſitatoris expirat mortuo Epiſcopo, & geſta per Vicarium Ep ſcopi mortuo Epiſcopo ſunt invalida, niſi fortè facta fuerint cum ignorantia mortis Epiſcopi longè diſtantis, tunc enim ſuppletur per errorem communem, & titulum coloratum juriſdictio.

4 Facultas eligendi confeſſarium non expirat per primam electionem, niſi aliter ex circumſtantiis colligatur de mente concedentis, quia facultas eligendi confeſſarium videtur favorabilis, favores autem ampliandi ſunt.

5 Qui habet facultatem eligendi confeſſarium debet eligere confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, nam Summus Pontifex non concederet in ſpecie facultatem confitendi cuicunque Sacerdoti, cum periculum ſit ut pœnitens Sacerdoti rudi, & indocto confiteatur.

6 Qui facultatem habet eligendi confeſſarium idoneum debet confeſſarium ab Epiſcopo approbatum eligere, nam Concilium Tridentinum requirit approbationem, ut aliquis judicetur confeſſarius idoneus.

Quænam requirantur in confeſſione, ſeu miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quid requiratur ad validam Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem. Cap. 129.

1 AD validam Sacramenti adminiſtrationem pœnitentiæ in Sacerdote requiritur poteſtas ordinis, & juriſdictionis, quia hæc poteſtas conſiſtit in ordine, & juriſdictione.

2 Sacerdos improbus poteſt pœnitentiæ Sacramentum validè adminiſtrare ſi habeat poteſtatem ordinis, & juriſdictionis, quæ per peccatum non amittitur *ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.*10.

3 Non eſt valida confeſſio facta extra mortis periculum coram Sacerdote ab Epiſcopo non approbato, vel ab alio facultatem Epiſcopalem habente in hac parte, quia caret poteſtate juriſdictionis.

* *Die 24. Septemb. 1665. damnata fuit ab Alex VII. hæc propoſitio. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui con, tetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

4 Valida eſt confeſſio facta proprio Parocho ordine ſacerdotali initiato, quia habet poteſtatem ordinis, & juriſdictionis, quæ illi competit ex officio ratione beneficii parochialis.

5 Valida eſt confeſſio facta illi Sacerdoti, qui facultatem obtinuit ab Epiſcopo adminiſtrandi omnia Sacramenta, aut exercendi curam animarum, quia habet poteſtatem ordinis, & juriſdictionis comprehenſę verbo generali, exiſtimo tamen prædictum Sacerdotem non poſſe prædicta facultate abſolvere à reſervatis, nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis in ſpecie veriſimiliter conceſſurus.

6 Juriſdictio eſt poteſtas, quam quis habet in alios ad eos regendos, gubernandos, ſeu dirigendos ad regnum cœlorum.

7 Juriſdictio triplex eſt ſcilicet ordinaria, delegata, & ex conceſſione juris. Ille dicitur habere juriſdictionem ex conceſſione juris, qui abſolvit eum, cui à iure, vel ex privilegio conceſſa eſt facultas eligendi confeſſarium. Juriſdictionem ordinariam habet, cui competit iuriſdictio ex officio, unde

unde juriſdictionem habet ordinariam, cui competit cura animarum qualis competit cura animarum qualis competit Summo Pontifici, Epiſcopo, & Parocho; juriſdictionem autem delegatam habet, qui facultatem obtinuit ab habente juriſdictionem ordinariam, qualem habent Sacerdotes deputati ad confeſſiones audiendas, quibus non competit ius ex Officio audiendi confeſſionem, ſed ex deputatione.

8 Juriſdictio ordinaria amittitur privatione dignitatis, ſeu officii: cui adnexa erat juriſdictio, nam deſtructo principali corruit acceſſorium, ob id reſignans alteri beneficium parochiale amittit juriſdictionem tali beneficio adnexam.

9 Juriſdictio delegata ceſſat. Primò lapſu temporis, ad quod uſque fuerat conceſſa, nam facultas non extenditur ultra voluntatem concedentis; Secundò per revocationem concedentis, nam res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

10 Juriſdictio tam ordinaria, quam delegata impedita per ſupervenientem excommunicationem, vel ſuſpenſionem, aut etiam per interdictum ab officio, vel juriſdictione, modò qui hujuſmodi cenſura detinetur, vitandus ſit, nam acta excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti vitandi ſunt invalida.

11 Sacerdos ut validè adminiſtret pœnitentiæ Sacramentum laicis, aut Clericis, debet eſſe per examen, aut alia ratione approbatus ab Epiſcopo jam confirmato, & habente ſubditos ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 15. aut à Vicario generali, qui perſonam Epiſcopi ſuſtinet: aut à capitulo ſede vacante, quod ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi, aut alio habente juriſdictionem Epiſcopalem in populum exemptum à juriſdictione ordinaria.

12 Cenſetur Epiſcopum ſufficienter aliquem approbare eo ipſo, quod ſciens, & volens mandat alicui curam animarum ad tempus, vel mandat ut confeſſiones audiat, etiam ſi illum non ſubjiceret examini, modò ipſum credat idoneum, & ſufficientem ad hoc munus ſuſtinendum, licet in *Tr.* habeatur approbationem faciendam eſſe per examen, aut alia ratione.

13 Ad confeſſiones Regularium audiendas non requiritur approbatio Epiſcopi, ſed ſufficit licentia Superioris, aut communis Religioſorum uſus hoc indicat, & Tridentinum nihil imminuit de jure antiquo circa regulares.

14 Sacerdos non eſt idoneus ad audiendas confeſſiones, ſi ſolum fuit à Parocho loci approbatus: Tridentinum enim requirit approbationem Epiſcopi.

15 Parochus non ſolum jure communi, verum etiam jure particulari non poteſt alicui Sacerdoti, aliàs non approbato, dare facultatem audiendi confeſſiones ſuorum ſubditorum, nam in Tridentino habetur neminem poſſe confeſſiones audire, niſi approbatum ab Epiſcopo, niſi fortè beneficium parochiale habeat, cui adnexum ſit onus confeſſiones audiendi.

16 Parochus non poteſt Parocho alterius Parochiæ, aut etiam Sacerdoti approbato ad audiendas confeſſiones in aliena Parochia dare facultatem audiendi confeſſiones in ſua Parochia, ut infrà oſtendam ex Conciliis noſtris Provincialibus: quidquid in hac re aliqui ſentiant de jure communi, vel ex conſuetudine, nam conſuetudine aliquibus in locis receptum eſt, ut in confinibus diverſæ diœceſis ſubditi unius Parochi confiteantur alteri Parocho, vel ut unus Parochus accerſat, & advocet vicinium alterius diœceſis Parochũ, ut opem ſibi ferat in confeſſionibus ovium ſibi ſubditarum excipiendis, quia conſuetudo poteſt juriſdictionem conferre, & fieri poteſt, ut hujuſmodi conſuetudo nota ſit Epiſcopis, & ab ipſis permittatur, & toleretur.

17 Sacerdos non cenſetur ſufficienter approbatus, & conſequenter non habere juriſdictionem ad abſolvendum, etiam ſi probabiliter credat Epiſcopum, aut Summum Pontificem de futuro ratam habiturum abſolutionem, anteà collatam, nam abſolutio non eſt valida pro tempore prolationis formæ, nam Sacerdos tunc temporis caret juriſdictione, neque efficitur valida per ſubſequentem ratihabitionem, quia adveniente ratihabitione jam præceſſit forma abſolutionis, quæ fuit invalida, ob rationem anteà datam.

18 Quando ſuperior ſigno aliquo externo ratam habet abſolutionem de præſenti, abſolutio valida eſt, quia ſcientia, & patientia in iis, quæ ſunt modici præjudicii; inducit conſenſum conſequenter, ratihabitio de præſenti ſigno aliquo externo expreſſa tribuit juriſdictionem, quæ per con-

conſenſum Superioris obtinetur ab eo, qui cognoſcit per talem ratihabitionem conſenſum præſtari, & juriſdictionem conſtare, eamque ipſe acceptat.

19 Quando ſuperior ratam habet de præſenti abſolutionem abſque ſigno externo abſolutio non eſt valida, ut ſi Sacerdos audiat confeſsiones ſciente ſuperiore abſente, & tacente, nam abſolutio cenſetur collata abſque ullo actu externo ſufficienter indicante voluntatem nam conceſsio juriſdictionis eſt actus, qui humano modo ad alterum dirigitur, ut ab eo acceptetur, non poteſt autem acceptari niſi aliqua ratione exprimatur.

20 Epiſcopus qui videt Sacerdotem ſibi familiarem confitentem, nec prohibet, cum prohibere poſsit cenſetur eo ſilentio approbare non ſimpliciter, ſed pro eo tempore ſeu pro illis vicibus, quibus hoc permittit, nam talia concurrunt ſigna, ut hujuſmodi ſilentium habeatur pro expreſſo conſenſu.

21 Approbatio Sacerdotis ad audiendas confeſsiones debet fieri ab Epiſcopo ipſiuſmet confeſsarii, quia approbatio eſt actus juriſdictionis, qui exercetur in ſubditum, ergo approbatio facienda eſt ab Epiſcopo, cui ſubditus eſt confeſſarius, qui approbatur.

22 Epiſcopus non poteſt approbare Sacerdotem non ſubditum, quamdiu talis Sacerdos non eſt ſubditus, quia approbatio eſt actus juriſdictionis, actus autem juriſdictioni, exercetur à ſuperiore in ſubditum, unde Epiſcopus non poteſt eligere ſubditum alterius Epiſcopi in ſui confeſsarium, niſi à ſuo Epiſcopo approbatus ſit. Secus dicendum, ſi Sacerdos alterius diœceſis fiat aliqua ratione ſubditus ipſi Epiſcopo, quia tunc Epiſcopus poteſt ſaltem pro tempore, quo illi fuerit ſubditus, approbare, qu a hoc nullo jure prohibetur.

23 Regulares licet ſint exempti à juriſdictione Epiſcopi, tamen quia aliquo modo fiunt Epiſcopo ſubditi ratione domicilii in territorio Epiſcopi, iſta ſubiectio ſufficiens eſt, ut poſſint approbari ab Epiſcopo, alioquin religioſi exempti à nullo Epiſcopo poſſent approbari, quod eſt contra Concilium, & propterea Religioſus, qui ſemel fuerit generaliter approbatus, ſi recedat à diœceſi, in qua fuit ſimpliciter approbatus, & poſteà iterum redeat, non tenetur denuò approbari, licet mutati ſint Epiſcopi in illa diœceſi, nam facultas fuit conceſſa abſque temporis limitatione, quæ durat etiam mortuo concedente, dummodò Epiſcopus facultatem non revocet, nam Epiſcopus ſucceſſor juſta de cauſa revocare poteſt approbationem, dummodo approbatus non habeat beneficium parochiale: hic enim habet approbationem à jure, ac facultatem annexam beneficio, licet hic etiam poſsit ſuſpendi ob inſcitiam, aut ob juſtam cauſam.

24 Sacerdos qui fuit approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones audiendas, non tenetur novam licentiam petere à Parochis in quorum Parochia vult confeſſiones audire, quando Epiſcopus non conceſſerit facultatem in ordinatione cum onere facultatis à Parocho impetrandæ, quia Epiſcopus juriſdictionem habet concedendi facultatem dependenter, & independenter à Parocho.

25 Sacerdos qui facultatem obtinuit ab Epiſcopo audiendi confeſſiones in alterius Parochia independenter à voluntate, & conſenſu Parochi, non indiget de rigore juris, ſed ſolum ex quadam æquitate, conſenſu Parochi, Epiſcopus enim habet juriſdictionem in tota ſua diœceſi independenter à Parochis, & poteſt invitis Parochis ſaluti ſuarum ovium conſulere.

26 Si duo Parochi eidem Parochiæ inſolidum præſint, uterque poteſt independenter ab alio concedere alicui Sacerdoti facultatem audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta, modo Sacerdos fuerit ab Epiſcopo approbatus ad confeſſiones audiendas, quia ſicut uterque Parochus poteſt altero invito adminiſtrare Sacramenta ita etiam poteſt dare facultatem alicui ad illa adminiſtranda etiam independenter ab altero Parocho, cum par in parem non habeat imperium.

27 Qui virtute Jubilæi, vel alterius privilegii facultatem habet eligendi confeſſarium approbatum ab ordinario, non poteſt eligere aliquem Sacerdotem ibi exiſtentem approbatum tantummodò ab ordinario alterius diœceſis, quia extat declaratio Cardinalium, in qua dicitur approbatum ab alio, quam à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum, ex qua declaratione evidenter colligitur eligendum eſſe confeſsarium approbatum, ab Epiſcopo loci, in quo quis intendit ſua peccata confiteri.

28 Fœ-

mortale peccatum commiſſum diſponat ſe ad gratiam per confeſſionem, vel per contritionem antequam adminiſtret hoc Sacramentum.

3 Scientia in confeſſario requiritur ad docendum pœnitentem, & ad diſcernenda peccata, quia debet noſſe ea, quæ ad proprium officium pertinent unde graviter peccat exercens officium ſine decenti ſcientia, nam exponit ſe periculo non ritè adminiſtrandi Sacramentum, & ita ſuperiores graviter peccant, dum ipſum ſcienter tolerant; verùm ſi Sacerdos dubitat ſe idoneum eſſe excuſatur à mortali, quoties ſuperior affirmat illum eſſe idoneum.

4 Confeſſarius debet noſſe quæ neceſſaria ſunt ad materiam, & formam Sacramenti, quo, & quoties circumſtantiæ in confeſſione ſunt explicandæ; quoties iteranda ſit confeſſio, quando nam facienda ſit reſtitutio, quod nam ſit peccatum mortale, quænam excuſent à mortali, &c.

5 Sacerdos qui confitetur in Civitate debet eſſe inſtructor eo, qui ruri audit, nam graviores difficultates contingunt in urbe, quàm in rure, nec eſt neceſſe confeſſarium exactè noſſe omnes excommunicationes, vel irregularitates, aut omnes rationes peccatorum, & circumſtantias, ſed ſufficit ut ea calleat, quæ frequentius accidunt, ſciatque de aliis dubitare, quia alioquin pauciſſimi reperirentur idonei, quia nulli reperiuntur, qui rationes, & circumſtantias omnes peccatorum diſcernere valeant.

6 Confeſſarius cavere debet ne poſito rationabili dubio alicujus excommunicationis pœnitentem abſolvat antequàm conſilium à ſapientibus capiat, vel antequàm libros reſolvat ad rei veritatem indagandam, nam fieri poteſt, ut abſolutionem impendat abſque juriſdictione, graviter autem peccat qui ſe periculo exponit abſolvendi ſine juriſdictione.

7 Major ſcientia circa canones irregularitatem continentes requiritur in confeſſario cui munus incumbit confitendi clericos, quàm in eo, qui confeſſioni laicorum deputatus eſt, quia noſſe debet caſus irregularitatis, ut admoneat Clericos, qui nam actus ipſis prohibeantur.

8 Quando confeſſario accidit in confeſſione aliquos caſus, quem ipſe nequeat ſtatim diſſolvere, poteſt abſolutionem impendere, ſi pœnitens promittat ſe facturum, quod judicatum fuerit: pænitens enim in tali eventu cenſetur ſufficienter diſpoſitus ab abſolutionem recipiendam.

9 Confeſſarius in confeſſione debet attendere ad peccata, ut de illis judicium ferat, & rectè abſolvat, & ut audiat, & intelligat peccatum commiſſum licet omninò non poſſit determinatum ferre judicium; unde videtur ſatisfacere attendendo ad ſingula peccata, quibus auditis, & intellectis videtur virtualiter ferre judicium eo modo, quo ea cognovit.

10 Pœnitens, qui bona fide confitetur Sacerdoti neſcienti diſcernere inter peccatum mortale, & veniale; inter reſervatum, & non reſervatum validè abſolvitur: quia concurrunt omnia neceſſaria ad validam abſolutionem, adeſt enim forma cum juriſdictione, & intentione confeſſarii, & tres actus pœnitentis capacis abſolutionis; ergò valida eſt abſolutio.

11 Quandò pœnitens confeſſus eſt peccatum, quod ipſe, aut confeſsarius neſciebat, vel dubitabat eſſe mortale, & poſteà conſultis viris doctis, vel acquiſita majori peritia cognoſcit eſſe mortale, non tenetur illud iterum confiteri, quia pœnitens ſufficienter manifeſtat ſuum peccatum, & adſunt omnia neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti, ſecus dicendum eſt ſi pœnitens ſub dubio confeſſus ſit aliquod peccatum ut ſi dixit ſe dubitare an aliquem percuſſerit, & poſt confeſſionem certò cognoſcat ſe aliquem percuſſiſse, tenetur iterum confiteri, quia non plenè manifeſtaverat ſuum peccatum.

12 In confeſsario requiritur prudentia, ſollicitudo, & diligentia in præbendis pœnitenti debitis remediis, & in iis ritè præſtandis, quæ ad proprium ipſius confeſsarii officium pertinent, & ideò docere debet pœnitentem, quæ judicaverit ſaluti pœnitentis expedire, debet abſolvere pœnitentem poſt quam confeſsus eſt, niſi prudentia, vel ratio aliter dictet, & ſi habeat obligationem aliquid reſtituendi, vel aliquid aliud faciendi, debet illum abſolvere, modò pœnitens habeat firmum propoſitum faciendi quàm primum, quod facere tenetur, quia ſi non habet firmum propoſitum ſatisfaciendi quàm primum ſuæ obligationi, denegare debet abſolutionem, quia pœnitens non cenſetur ſufficienter diſpoſitus.

13 Parochus poteſt, & debet, non tanquam judex, ſed tanquam miniſter Sacramentorum à Sacramentorum ſuſceptione repellere non ſolventes decimas, oblationes, &c. ſi cognoſcat eos animo paratos ad non ſolvendum data opportunitate, quia pænitens non eſt ſufficienter diſpoſitus ad dignè ſuſcipienda Sacramenta; Parochus autem, cui competit jus decimarum, &c. ut evitet ſcandalum, & ſuſpicionem uſurpatæ ſibi alienæ poteſtatis, debet coram aliis proteſtari pœnitentem repelli à Sacramentis, non quia pœnitens deneget, quod Parocho debetur, ſed quia non vult ſuæ conſcientiæ conſulere, ſeque ad dignè ſuſcipienda Sacramenta præparare, ſi verò pœnitens paratus ſit ad decimas, & oblationes data opportunitate præſtandas Parochus non poteſt Sacramenta denegare, quia pœnitens cenſetur diſpoſitus ad ſumenda Sacramenta.

14 Parochus non poteſt pœnitentem Eccleſiaſtica ſepultura privare ob decimas non ſolutas, nam hoc jus competit ſuperiori, & judici in foro externo.

15 Confeſſarius tenetur admonere pænitentem de obligatione reſtitutionis faciendæ quoties judicaverit expedire.

16 Quando confeſſarius pœnitentem non admonuit de reſtitutione facienda, & tertius paſſus eſt damnum ob prætermiſſam admonitionem, licet confeſſarius non teneatur ad reſtitutionem, cum nullam actionem injuſtam exercuerit contra tertium, cui pœnitens reſtitutionem facere tenebatur, peccat tamen contra proprium officium erga pœnitentem non adhibendo debitam ſollicitudinem, & diligentiam in ſacro miniſterio exercendo.

17 Quando confeſſarius non ſolum non admonuit pœnitentem de reſtitutione facienda, ſed dixit, vel conſuluit pœnitentem non teneri, tenetur damni paſſi à tertio ad reſtitutionem, nam culpabiliter exercuit actionem damnificativam tertio, quandò tamen poſt hujuſmodi conſilium datum opportunè nō admonuerit pænitentem de reſtitutione facienda, nam opportunè admonendo retrahit influxum, quem exhibuerat in damnum tertii, & proptereà qui non admonuit pœnitentem de reſtitutione facienda, vel malè admonuit, vel malè conſuluit, poteſt pœnitentem iterum admonere, aut conſilium revocare vel in ſequenti confeſſione, vel extra confeſſionem petita priùs licentia alloquendi ipſum pœnitentem de auditis in confeſſione.

18 Parochus, aut alius curam animarum habens tenetur confeſſionem pœnitentis audire toties, quoties pœnitens rationabiliter petit, & expedit ſaluti pœnitentis, niſi fortè Parochus tunc temporis ſeriis detineatur negotiis, ita ut pœnitentem audire nequeat, quia ſubditus habet jus petendi, & Sacerdos tenetur ex officio Sacramenta adminiſtrare, & ſubditorum ſaluti conſulere, licet probabiliter cenſeo excuſari poſſe Parochum, qui præciſa pœnitentis neceſſitate, aut magna utilitate ſemel, aut iterum neget, aut differt hoc Sacramentum conferre, præſertim, ſi pœnitens importunè, & nimis frequenter confiteri velit, nam habenda eſt etiam ratio aliorum negotiorum; & obligationum, quibus premuntur Parochi.

19 Parochus tenetur per ſe, vel per alium Confeſſarium audire pœnitentem volentem confiteri tempore Paſchatis, aut ratione indulgentiarum, aut quia ſolet tali tempore confiteri, aut quia cupit ab onere peccatorum liberari, &c. Parocho enim ex officio incumbit cura miniſtrandi Sacramenta ſubditis, & ipſorum ſaluti conſulendi cum deb ta ſollicitudine, & diligentia.

20 Epiſcopus tenetur confeſſiones ſubditorum audire, ſaltem in gravi neceſſitate, ſi petatur, quia ſicut Parocho, ita etiam Epiſcopo incumbit ex officio cura procurandæ ſalutis ſuorum ſubditorum, præciſa verò gravi neceſſitate, facilè poteſt excuſari, cum habeat univerſale regimen, quo detinetur, unde ſi Epiſcopus petatur ad confitendum, poteſt remittere petentem ad proprium Parochum, ad quem pertinet obligatio confitendi, cum à fidelibus alimenta recipiat, ut Sacramenta adminiſtret.

21 Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, quia confeſſarius non poteſt pœnitenti ritè diſpoſito abſolutionem denegare, ſed tenetur ex officio cum debita ſollicitudine, & diligentia ipſum ad Sacramenta ſuſcipienda promovere, pœnitens autem qui ſequitur opinionem probabilem, non dicitur minus diſpoſitus, cum licitè, & tutò ſe qui poſſimus opinionem probabilem.

De

De abſolutione à caſibus reſervatis.

Utrum ſuperior poſſit ſibi reſervare peccata, & quænam. Cap. 131.

1 LEgitimus ſuperior poteſt reſervare ſibi aliquorum graviorum criminum abſolutionem, quia ſuperior poteſt id, quod ſaluti animarum expedire judicat; reſervatio autem expedire poteſt ad ſalutem animarum, ut pœnitentes à peccatis faciliùs retrahantur.

2 Quando ſuperior aliquando illicitè reſervat, licet ſit valida reſervatio, tamen abſolutio data poſt reſervationem invalida eſt, quia cum inferior juriſdictionem accipiat à ſuperiore, & non poſſit validè abſolvere, abſque juriſdictione, ſequitur inferiorem non poſſe validè abſolvere, poſita reſervatione, nam ſuperior per reſervationem adimit inferiori facultatem abſolvendi, reſervatio autem ad illum pertinet, ad quem ſpectat approbatio, & juriſdictionis conceſſio, hęc autem facultas competit Summo Pontifici in toto Orbe, Epiſcopo in ſua diœceſi, Concilio provinciali in pro vincia Generali in ſua Religione, & ſic de cæteri.

3 Peccata, quę reſervari ſolent, non ſunt peccata interna, aut venialia, ſed peccata mortalia externa, nam Eccleſia præcipuè ſpectat externa, poſſunt tamen ſuperiores de poteſtate abſoluta reſervare peccata merè interna, nec poſſunt venialia reſervari ob facilem lapſum in illis, licet ſaltem à Summo Pontifice reſervari poſſint, ita ut à quolibet Sacerdote Sacramentaliter remitti non poſſint, dum aliquis ea confitetur; undè ſequitur ſolum aliqua peccata mortalia externa reſervari poſſe, quia hæc cadunt ſub judicium Eccleſiæ, & eorum reſervatio ſaluti animarum conducere poteſt.

4 Qui facit aliquod opus externum, quod non eſt ſufficiens ad mortale peccatum, non incurrit in caſum reſervatum, etiam ſi animus internus fuerit peccaminoſus mortaliter.

Quinam poteſtatem habeant abſolvendi à caſibus reſervatis. Cap. 132.

1 SUperior qui reſervavit, & ſuperior ipſius reſervantis habet facultatem ordinariam, & directam abſolvendi à caſibus reſervatis, quia qui poteſt ligare, poteſt etiam ſolvere, & propterea Summus Pontifex poteſt in toto Orbe abſolvere à reſervatis, & Epiſcopus in ſua diœceſi, ſicut etiam Generalis alicujus Religionis à caſibus reſervatis à Provinciali, Archiepiſcopus non poteſt abſolvere à caſibus reſervatis ab Epiſcopo licet ſuffraganeo, cum non ſit ſuperior in hoc foro.

2 Summus Pontifex nullum peccatum reſervare conſuevit, niſi ratione excommunicationis, ſeu cenſuræ adiunctę, cujus cenſuræ abſolutione obtenta pœnitens à quolibet confeſſario abſolvi poteſt, nam per abſolutionem cenſurę obtentam à Summo Pontifice, vel ab alio facultatem habente, tollitur reſervatio.

3 Archiepiſcopus non poteſt ſubditos ſuorum ſuffraganeorum à caſibus reſervatis abſolvere, excepto caſu viſitationis Provinciæ, vel cauſa appellationis ad ipſum, nam in his caſibus cenſetur ſuperior, & conſequenter poteſt per ipſum abſolvere, & abſolvendi facultatem aliis delegare, cum habeat poteſtatem ordinariam tempore viſitationis Provinciæ, vel appellationis ad ipſum.

4 Epiſcopus abſolvi poteſt ab Archiepiſcopo, ſi ei ſe ſubjiciat, & incidens in caſum occultum Papæ reſervatum abſolvi poteſt ab Archiepiſcopo, ſi Archiepiſcopus facultatem habeat abſolvendi ab hujuſmodi caſu, vel poteſt abſolvi à confeſſario, quem elegeri, ſi Epiſcopus facultatem habeat abſolvendi alios in eundem caſum incidentes, quia Epiſcopus non eſt deterioris conditionis aliis; alii autem non coguntur adire Sedem Apoſtolicam in caſibus occultis Summo Pontifici reſervatis, ſed poſſunt ab Epiſcopo abſolvi, vel ab alio confeſſario ab Epiſcopo deputato juxta formam decreti *Con. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.*

5 Ille facultatem habet delegatam abſolvendi à reſervatis, qui facultatem obtinuit à ſuperiore habente ordinariam, quia qui facultatem habet ordinariam, poteſt eam alteri committere.

6 Confeſſarius Mediolanenſis, etiam ſi non habeat facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, poteſt abſolvere iter agentes, aut peregrinos habentes caſus reſervatos proprio ipſorum peregrinorum Epiſcopo, modò non ſint reſervati hìc Mediolani, quia confeſſarius non tenetur ſcire caſus aliis Epiſcopis reſervatos.

* *Confeſſarius Regularis in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus abſolvere poteſt, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Ex Conſtit. Clementis X. in Bulla, quæ incipit*: Superna magni patrisfamilias &c. *edita anno* 1670.

7 Iter agens ſi habeat caſus reſervatos utrique Epiſcopo, ſcilicet Epiſcopo proprii domicilii, & Epiſcopo loci in quo reperitur, non poteſt abſolvi niſi à confeſſario habente facultatem abſolvendi à reſervatis, nam judicandus eſt juxta leges loci, in quo reperitur.

8 Iter faciens, vel peregrinus ſi caſus habeat reſervatos Epiſcopo loci in quo confitetur, qui non ſunt reſervati Epiſcopo proprii Domicilii non poteſt à quolibet Sacerdote ſimplici abſolvi, quia judicandus eſt juxta leges loci, in quo reperitur.

9 Iter faciens vel peregrinus ſi habeat caſus reſervatos Summo Pontifici non poteſt abſolvi, niſi ab habente facultatem abſolvendi à reſervatis, ſive à cenſuris Papæ reſervatis, nam Summus Pontifex habet totum Orbem pro territorio, & ipſius leges ubique obligans, modò ſint acceptatæ, vel non ſint per contrariam conſuetudinem abrogatæ.

10 Committens peccatum in alieno loco non poteſt à reſervatione, vel à culpa peccati in alieno territorio commiſſi abſolvi à miniſtris illius loci, in quo peccavit, niſi ibi ſit cauſa negotiorum, ſeu itineris, habita ratione conſuetudinis, juxta quam uſu receptum ſit, ut aliquis in alieno territorio poſſit abſolvi.

11 Qui contraxit excommunicationem in alieno territorio, poteſt abſolvi à ſuperiore illius loci in quo contraxit excommunicationem, immo ſi excommunicatio ſit publica, & reſervata ſuperiori loci, in quo fuit contracta, non poteſt delinquens abſolvi à proprio Epiſcopo abſque licentia Epiſcopi, in cujus diœceſi deliquit; ſi verò excommunicatio non ſit reſervata, aut ſit occulta, licet ſit reſervata, Epiſcopus, vel alius ab ipſo ſpecialiter delegatus abſolvere poteſt ex decreto *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6.

12 Qui privilegium obtinuit à Sede Apoſtolica abſolvendi ab omnibus cenſuris, & à caſibus reſervatis, nec validè, nec licitè poteſt à cenſuris in bulla Cœnæ contentis à caſibus Epiſcopo loci reſervatis abſolvere, quia verba generaliter prolata generaliter accipienda ſunt, quatenus patitur voluntas concedentis, in generali autem conceſſione ſuperior non vult quæcunque generaliter concedere juxta regul. 18. Juris in 6. ubi dicitur in generali conceſſione non venire ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

13 Sacerdos qui facultatem habet abſolvendi à reſervatis ſpatio aliquorum dierum, poteſt abſolvere pœnitentem, qui intra tale tempus commiſit peccatum aliquod reſervatum, ut tempore quindecim dierum, tempore Jubilæi, modò pœnitens intentionem habeat præſtandi ea, quæ ad conſecutionem Jubilæi ſunt neceſſaria, quia toto eo tempore durat facultas abſolvendi à reſervatis, & propterea qui poteſt abſolutionem à peccatis antea commiſſis impendere, poteſt etiam à peccatis intra tale tempus perpetratis.

14 Qui obtinuit privilegium, quo poſſet à caſibus reſervatis abſolvi, poteſt ab illis abſolvi, etiam ſi occaſione privilegii libens ſe præcipitaverit in caſus reſervatos, non enim amittit privilegium ob peccatum eo animo commiſſum.

15 Quando conceditur Jubilæus obtinendus in una ex duabus hebdomadis, qui illum obtinuit prima hebdomada, non poteſt abſolvi à reſervatis in ſecunda hebdomada, ſi obtento Jubilæo incidat in caſus reſervatos antequam elabatur ſecunda hebdomada, quia qui Jubilæum obtinuit prima hebdomada non poteſt illum lucrari in ſecunda, quia in Jubilæis, qui hoc tempore conceduntur conceditur facultas lucrandi Jubilæum ſub forma disjunctiva in prima ſcilicet, aut ſecunda hebdomada, non verò copulativè, aut indefinitè, ergo qui Jubilæum obtinuit non poteſt iterum virtute Jubilæi à caſibus reſervatis contractis poſt Jubilæum abſolvi, quamvis nondum elapſum fuerit tempus Jubilæi, quia facul-

tas

tas abſolvendi à reſervatis conceditur per ordinem ad obtinendum Jubilęum, ſed Jubilęus jam fuit obtentus, & jam ſortitus eſt ſuum effectum, reſervatio autem contracta eſt obtento Jubilęo, ergo reſervatio non poteſt amplius auferri virtute Jubilęi.

16 Quomodo ſe gerere debeat confeſſarius poſtquam advertit pænitentem irretitum eſſe caſibus reſervatis, circa quos ipſe non habet facultatem, nec ullo gaudet privilegio, debet remittere pœnitentem ad ſuperiorem pro abſolutione reſervatorum niſi fortè ipſe confeſſarius velit petere facultatem à ſuperiore, qua poſſit pęnitentem abſolvere.

17 Superior tenetur concedere facultatem pœnitenti petenti per ſe, vel per alium facultatem, qua poſſit alteri confiteri caſus reſervatos, & ab eo abſolvi, quia caſuum reſervatio inducta videtur in utilitatem pęnitentium, ut reſipiſcant, & melius in via ſpirituali dirigantur, faciliùs autem reſipiſcunt conceſſa facultate, quàm ea denegata, quę poteſt denegari, ſi bonum proximi, aut ipſius pęnitens poſtulet facultatem denegari, nam ad ſuperiorem pertinet conſulere bono ſubditorum.

18 Quando ſuperior injuſtè denegat facultatem adſolvendi à reſervatis, pœnitens non poteſt abſolvi, quia injuſta denegatio facultatis valida eſt, ſicut eſt valida injuſta reſervatio.

19 Quando Confeſsarius novit pœnitentem commiſiſſe peccatum reſervatum, quod pœnitens interrogatus reticet, debet illum abſolvere, quoties ipſi non certò conſtet pænitentem mentiri, quia in hoc foro credendum eſt pœnitenti, tam pro ſe, quam contra ſe, ſi verò pœnitentem mentiri certus eſt omnino Confeſsarius circa caſum reſervatum, aut etiam in alio peccato mortali, ſeu in re gravi, non poteſt illum abſolvere; quia non poteſt abſque peccato Sacrilegii Sacramentum adminiſtrare indignè petenti, & ponenti obicem ad Sacramentum, & licet credendum ſit pœnitenti, tamen credendum eſt quando veritas in contrarium evidenter conſtet.

* *Quod habens facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò caſibus Epiſcopo reſervatis poſſit abſolvere expreſsè in Conſtit. Clementis X. quæ incipit:* Superna magni patris &c. *edita anno* 1670.

Utrum ſuperior poſſit auditis ſolis peccatis reſervatis abſolvere à reſervatis, & inferior auditis omnibus abſolvere à non reſervatis.
Cap. 133.

1 Poenitens habens peccata reſervata, & non reſervata non poteſt præciſa neceſſitate, ſeu rationabili cauſa confiteri ſola reſervata ſuperiori, ut à reſervatis Sacramentalem abſolutionem obtineat, conſequenter neque ſuperior poteſt auditis ſolis peccatis reſervatis abſolutionem impendere tranſmittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reſervatis, quia integritas confeſſionis eſt de jure Divino, jus autem divinum ſervandum eſt, niſi aliter permittat juſta, & rationabilis cauſa.

2 Superior dum abſolvit à reſervatis, non auditis peccatis non reſervatis, Sacramentaliter abſolvit, & primam gratiam confert homini attrito, qui intendit Sacramentaliter abſolvi, quia concurrunt omnia requiſita ad conferendam gratiam, adeſt enim ſufficiens materia ex parte pœnitentis, & ſufficiens juriſdictio ex parte abſolventis, cum intentione abſolvendi, & confeſſio eſt integra formaliter, quamvis non ſit integra materialiter ob juſtam aliquam cauſam, & pœnitens in bona fide exiſtit, ergo abſolutio valida eſt, & Sacramentalis, confertque gratiam, & directè remittit peccata reſervata, indirectè verò, & conſequutivè non reſervata.

3 Qui obtinuit prius à ſuperiore abſolutionem pro reſervatis, & deinde novam obtinuit ab inferiore pro non reſervatis, recipit duplex Sacramentum, & duplicem effectum, modò ſuperior intendat Sacramentaliter abſolvere, Epiſcopus enim poteſt reſervationem peccati abſque Sacramentali abſolutione auferre.

4 Qui obtinuit à ſuperiore abſolutionem reſervatorum, non tenetur inferiori confiteri neceſſariò peccata reſervata, à quibus pœnitens directè fuit Sacramentaliter abſolutus, ſed etiam non reſervata, quia directè fuit abſolutus coram Deo, & Eccleſia, ab habente juriſdictionem, & facultatem reſervatorum, ergo non poteſt afferri ratio, cur pœnitenti onus imponatur iterum confitendi eadem peccata inferiori.

5 Qui obtinuit ab inferiori directè ab-

ſolutionem à non reſervatis, & pro reſervatis mititur ad ſuperiorem, non tenetur omnia peccata, etiam non reſervata, ſed ſolum reſervata confiteri ſuperiori.

6 Sacerdos, qui non habet facultatem abſolvendi à reſervatis, non poteſt præciſa neceſſitate, vel rationabili cauſa abſolvere pœnitentem à non reſervatis, ipſumque mittere ad ſuperiorem pro reſervatis, quia co feſſarius inferior non poteſt ab uno peccato mortali abſolvere, quin abſolvat ab omnibus, nam unum peccatum mortale non remittitur ſine alio.

7 Sacerdos habens peccatum reſervatum & neceſſitatem habens celebrandi, nec habens copiam Sacerdotis approbati pro reſervatis, poteſt, & debet Sacerdoti non habenti facultatem reſervatorum peccata ſua confiteri, & directè à non reſervatis abſolvatur cum onere, & obligatione adeundi ſuperiorem pro abſolutione directa reſervatorum, quia jure divino ante ſumptionem Euchariſtiæ præmittenda eſt confeſſio.

8 Qui confeſſus eſt ſua peccata Inferiori ſed oblitus eſt alicujus cenſuræ vel peccati reſervati, à quo non poterat Confeſſarius inferior abſolvere, tenetur, quando peccatum oblitum venerit in mentem, adire ſuperiorem, ut abſolutionem obtineat nam directè non fuit abſolutus à peccato oblito, non tenetur tamen ſuperiori repetere omnia peccata etiam ſi oblitus ſit alicujus peccati habentis adnexam excommunicationem.

9 Simplex Sacerdos licet ex conceſſione Eccleſiæ vel etiam ex jure Divino habeat facultatem abſolvendi à venialibus, tamen quoties pœnitens putat, ſe peccata mortalia habere cum venialibus, Sacerdos ſimplex tunc non habet facultatem abſolvendi à venialibus, ſi verò pœnitens habeat aliquod mortale, cujus non recordatur, & exiſtimet ſe ſolum peccata venialia habere remanet indirectè abſolutus, & conſecutivè à mortali confitendo venialia ſimplici Sacerdoti.

10 Obſtrictus neceſſitate communicandi, vel celebrandi, poteſt ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reſervata, vel habentia adnexam excommunicationem, etiam ſi non habeat copiam confeſſarii habentis facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, vel cenſuris cum onere præſentandi ſe ſuperiori pro abſolutione reſervatorum, quia ſi non haberet copiam ullius confeſſarii poſſet, ex neceſſitate communicare, vel celebrare non præmiſſa confeſſione.

11 Obſtrictus neceſſitate communicandi, vel celebrandi ſi non habeat copiam alterius Sacerdotis, præter Sacerdotem non habentem facultatem abſolvendi à reſervatis, poteſt, & debet confiteri illi non ſolum non reſervata, ſed etiam reſervata, quia Confeſſarius realiter abſolvit etiam à reſervatis.

12 Ablata una reſervatione alia remanet, non ſolum ſi loquamur de reſervatione cum cenſura, nam una cenſura auferri po eſt alia remanente, ſicut una contrahi poteſt ſine alia, verum etiam de reſervatione ſine cenſura, tamen verum eſt inferiorem habentem facultatem delegatam abſolvendi à caſibus reſervatis non poteſt in confeſſione Sacramentali abſolvere ab uno caſu reſervato, & non ab alio, ſicut enim confeſſio debet eſſe integra, ità abſolutio, nam unum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio.

Vtrum qui dubitat aliquod peccatum eſſe reſervatum, vel ſe circa peccata reſervata facultatem habere, poſſit abſolutionem impendere. Cap. 134.

1 Quilibet Sacerdos approbatus ad confeſſiones audiendas poteſt in dubio facti cadentis ſub reſervationem abſolvere, niſi aliter in jure decernatur in aliquo caſu, aut niſi adſit ſufficiens præſumpſio in contrarium de reſervatione facti, quia in foro pœnitentiæ non eſt judicandum contra pœnitentem, niſi contra ipſum extet præſumptio, & ſufficiens conjectura, ſecus ſi adſit ſufficiens præſumptio in contrarium: dicitur niſi aliter determinatur in jure; conſtat enim ſuperiorem poſſe aliter in aliquo caſu particulari decernere, ut quando dubitatur, an percuſſio Clerici fuerit levis, mediocris, vel enormis, in quo caſu percuſſio præſumitur enormis, & conſequenter ſedi Apoſtolicę reſervata.

2 Qui dubitat ſe homicidium commiſiſſe, vel compleviſſe peccatum, quod conſtat eſſe peccatum reſervatum, vel moraliter, vel ſufficienter compleviſſe actum externum, poſſe à quolibet confeſſario approbato in confeſſione audiri, & abſolvi, etiam

etiam ſi Confeſsarius reſervatorum facultatem non habeat, quod debet intelligi de dubio propriè dicto, & non ſolum de dubio, quod eſt conjunctum cum opinione probabili.

3 Sacerdos qui propriè dubitet, ſe juriſdictionem habere circa peccata reſervata, non poteſt abſolvere, nam Sacerdos ſciens peccatum aliquod eſſe reſervatum, ſed dubitans ſibi competere jus abſolvendi, exponit ſe periculo impediendi invalidam abſolutionem, quia fieri poteſt, ut verè careat juriſdictione, & poſſeſſio ſtat pro peccatis, quæ conſtant eſſe reſervata, quare Sacerdos, qui ita propriè dubitat, ut ipſius intellectus maneat ſuſpenſus, & anceps circa reſervatorum facultatem, non poteſt abſque lethali culpa extra mortis periculum directè abſolvere, niſi novam obtineat facultatem.

4 Confeſſarius, interveniente neceſſitate, ſeu juxta, & rationabili cauſa poteſt indirectè, & ſub conditione abſolvere, quamvis enim ſimplex Sacerdos, vel etiam approbatus Confeſſarius non poſſit directè præciſo mortis articulo abſolvere, nihilominus poteſt aliquando abſolutionem indirectè, & ſub conditione conferre, licet Confeſſarius in tali caſu admonere debeat pœnitentem, ut oblata opportunitate alicujus Confeſſarii pro reſervatis deputati confiteatur eadem peccata, nam fieri poteſt, ut primus Confeſſarius dubius de juriſdictione reſervatorum non haberet juriſdictionem circa reſervata, conſequenter directè non abſolverit, peccata autem mortalia confitenda ſunt, ut ipſorum obtineatur directa abſolutio.

5 Sacerdos, qui non propriè dubitat, ſed potius opinionem habet probabilem de juriſdictione, poteſt abſolutionem conferre, etiam ſi fortè adſit opinio probabilis in contrarium, nam interveniente probabili opinione, Eccleſia ſupplet juriſdictionem, & propterea qui ſequitur opinionem probabilem Doctorum ſentientium ipſum habere juriſdictionem abſolvendi à reſervatis, ſeu privilegium abſolvendi non eſſe revocatum, validè agere, quæ agit, ac ſi reipſa juriſdictionem haberet, & privilegium nondum eſſet revocatum, etiam ſi fortè opinio illa probabilis à parte rei, non ſubſiſtat, ſed falſis realiter nitatur fundamentis, nam Eccleſia ſupplet juriſdictionem.

Utrum Pœnitens, qui tempore Jubilæi, aut virtute alterius facultatis, abſolvitur à reſervatis, maneat abſolutus à caſibus reſervatis, dum aliquos per oblivionem in confeſſione prætermittit, vel non præſtat cætera, quæ ad conſecutionem Jubilæi requiruntur. Cap. 135.

1 Abſolutus tempore Jubilæi à Confeſſario approbato, vel etiam ab alio extra Jubilæi tempus facultatem habente circa caſus reſervatos, remanet abſolutus à peccatis reſervatis, quæ oblivionem prætermiſit in confeſſione, quia quando peccatum habet annexam excommunicationem, excommunicatio tollitur per generalem abſolutionem, quæ communiter ante abſolutionem peccatorum præmittitur, dicendo abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quantùm poſſum, &c. ergo etiam tollitur reſervatio peccatorum per formam conſuetam, Ego te abſolvo &c.

2 Pœnitens habens caſus reſervatos, & cenſuras, ſi ſua peccata confiteatur legitimo Sacerdoti facultatem cenſurarū, & caſuum reſervatorum habenti, nō ſolum remanet abſolutus à cenſuris, verùm etiam à reſervatis non habentibus annexam cenſuram, modò Confeſſarius intentionem habet abſolvendi ab omnibus peccatis etiam reſervatis.

3 Pœnitens non remanet abſolutus à reſervatione peccatorum oblitorum, ſi confeſſarius intentionem non habuit abſolvendi à reſervatis, forma enim abſolutionis non operatur ultra intentionem proferentis, & propterea pœnitens poſtquam recordatus fuerit peccatorum reſervatorum, tenetur iterum adire ſuperiorem, ſeu confeſſarium habentem juriſdictionem circa reſervata, ut ab illis directam habeat abſolutionem, nam reſervatio peccatorum non tollitur per quamcumque abſolutionem, ſed per abſolutionem factam à legitimo ſuperiore habente facultatem abſolvendi à reſervatis.

4 Pœnitens remanet abſolutus à peccatis reſervatis, etiam ſi non petat expreſsè, & explicitè abſolutionem à reſervatis, dum confiteatur Sacerdoti privilegium habenti circa reſervata, quia reſervatio tollitur quoties pœnitens bona fide confitetur ſuperiori facultatem reſervatorum habenti, quia etiam ſi pœnitens explicitè non petat, tamen cenſetur implicitè, & interpretati-

Digitized by Google

vè petere abſolutionem reſervatorum, quatenus accedit ad confeſſarium, ut quantum fieri poteſt abſolvatur; cum autem cenſeatur Confeſſarius velle pœnitenti proſpicere ipſumque à peccatis liberare, quantum licitè poteſt, cenſetur etiam velle reſervationem peccatorum tollere.

5 Qui virtute Jubilæi abſolutionem obtinuit à confeſſario approbato, ſed oblitus eſt alicujus peccati reſervati, poteſt deinde cuilibet ſimplici Sacerdoti Confeſſario peccatum oblitum confiteri, nam per confeſſionem tempore Jubilæi, & virtute Jubilæi factam cenſetur ablata reſervatio, modò oblivio fuerit inculpabilis.

6 Pœnitens, qui confeſſus eſt invalidè ſuperiori habenti facultatem reſervatorum virtute Jubilæi, non remanet abſolutus à peccatis quoad reſervationem, quia tempore Jubilæi non conceditur abſolutè facultas abſolvendi à reſervatis quoslibet pœnitentes, ſed verè pœnitentes; qui autem invalidè confitetur defectu doloris, vel integritatis non eſt verè pœnitens, quod non procedit in abſolutione cenſurarum obtenta ab eo, qui invalidè confeſſus eſt, nihilominus intentionem habebat iterum validè confitendi ad obtinendum Jubilæum, nam abſolutio Cenſurarum poteſt extra confeſſionem obtineri, niſi aliter decernatur.

7 Pœnitens, qui confeſſus eſt ſuperiori facultatem circa caſus reſervatos habenti extra Jubilæum, remanet abſolutus quoad reſervationem peccatorum in confeſſione manifeſtatorum, licet confeſſio fuerit invalida, vel defectu contritionis, vel attritionis, vel quando culpabiliter, & malitiosè prætermiſſum fuit in confeſſione aliquod peccatum mortale, modò Confeſſarius habuerit juriſdictionem circa reſervata, & protulerit formam abſolutionis, quia quod non valet, ut agitur, valet ſaltem, ut valere poteſt, cum aliter illa abſolutio non valeat quoad remiſſionem culpæ, videtur ſaltem valere, quoad oblationem reſervationis.

8 Abſolutio reſervatorum non ſemper eſt ſacramentalis, cum auferri poſſit reſervatio extra ſacramentum, poteſt autem eſſe ſacramentalis, & aliquando producere ſuum effectum, quoad oblationem reſervationis, quamvis ſacramẽtum ſit invalidum, & non producat effectum remiſſionis culpæ.

9 Confeſſarius nulla ratione poteſt virtute Jubilæi, vel alterius facultatis reſervatorum ſocium peccati in Confeſſione audire, vel abſolvere, quia in Concilio Provinciali Mediolanenſi VII. tit. de Sacramento Pœnitentiæ verſ. qui criminis alicujus, expreſsè prohibetur, ne ſocius aut particeps alicujus criminis, ſeu culpæ mortalis complicem audiat in confeſſione.

10 Qui tempore Jubilæi fuit abſolutus à cenſuris, & à peccatis reſervatis, remanet directè abſolutus etiam ſi poſteà non præſtet cætera, quæ ob Jubilæi conſecutionem præſcribuntur, modò confeſſus ſit animo præſtandi cætera ad Jubilæi conſecutionem neceſſaria, abſolutio quia non fuit data ſub conditione, ſed liberè, nec data fuit ad reincidentiam, ut pœnitens reincidat ſi non præſtet ea, quæ præſcribuntur ad conſequendum Jubilæum.

11 Pœnitens non peccat qui temporis Jubilæi fuit abſolutus à reſervatis cum animo præſtandi cætera ad Jubilæum neceſſaria, ſed mutato animo ea non præſtat, quia nulli gravem facit injuriam, ſed ſibi tantum nocet.

Ad quid teneatur Confeſſarius, qui malè abſolvit. Cap. 136.

1 Confeſſarius qui à Cenſuris malè abſolvit pœnitentem, quem abſolvere non poterat defectu juriſdictionis, debet abſentem abſolvere, obtenta facultate abſolvendi, quia abſolutio cenſurarum fieri poteſt abſentem, & ignorantem, & exiſtentem in peccato mortali.

2 Confeſſarius, qui malè abſolvit pœnitentem à peccatis, non poteſt pœnitentem abſentem iterum abſolvere non ſolùm à peccatis non reſervatis, verum neque à reſervatis, quia abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti; ſecus dicendum eſt ſi pœnitens non ſit abſens, Confeſſarius enim, qui pœnitentem nondum abſolvit, vel dubitat abſolviſſe, poteſt ſi facultatem habeat abſolvendi, abſolvere pænitentem, qui nondum receſſit à conſpectu Confeſſarii, ſeu qui non eſt ita remotus, ut Confeſſarius dubitat de ipſius præſentia, tunc enim adſunt omnia requiſita ex parte pœnitentis, & ex parte Confeſſarii.

3 Quando pœnitens malè abſolutus receſſit à conſpectu Confeſſarii, debet Confeſſarius admonere pœnitentem, vel ſaltem curare, ut iterum ſibi confiteatur ea peccata,

cata, quæ commiſit ab ultima confeſſione ſibi facta, ſimul etiam curando, ut pœnitens ſe accuſet de peccatis aliàs confeſſis, modò hoc facere poſſit ſine ſcandalo, vel gravi ſuo detrimento; quia ſi non poteſt abſque ſcandalo, non tenetur admonere, quia pœnitens conſtituetur in gratia per novam confeſſionem; quam creditur poſteà facturus, & per quam ex attrito fiet contritus, & conſequenter pœnitens non patitur damnum ex adſolutione unius invalidè collata, ſi verò credatur pœnitentem non eſſe facturum aliam confeſſionem, aut fortè non eſſe ſuſcepturum aliud Sacramentum, tunc Confeſſarius tenetur pœnitentem admonere, etiam ſi timeat ſibi grave detrimentum, nam pœnitens cenſetur eſse in extrema neceſſitate, in qua ſalutem proximi tenemur noſtris commodis temporalibus præferre.

Utrum Confeſſarius, in conferendo pœnitentiæ Sacramentum, teneatur aliquos ritus, & cæremonias adhibere.
Cap. 137.

1 NUlla cæremonia accidentalis in pœnitentiæ neceſſaria eſt neceſſitate Sacramenti, vel præcepti, quia Conc. Tridentinum, & Florentinum, quæ tradiderunt nobis neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti, non meminerunt ullius cæremoniæ neceſſariæ.

2 Ex parte confeſſarii non videtur ulla cæremonia accidentalis neceſsaria neceſſitate Sacramenti, aut præcepti, nam ſi eſset neceſsaria aliqua cæremonia, vel eſset neceſsaria cæremonia crucis, vel de manuum impoſitione, vel de orationibus, ſed nulla harum eſt neceſsaria, ergo, nam ſignum crucis, quod in fine abſolutionis ſolet adhiberi, poteſt omitti, & adhiberi, licèt conſultum ſit adhiberi: manuum impoſitio tangendo caput pœnitentis, non eſt neceſsaria, immò non adhibenda, maximè cum fœminis, circa verò extenſionem manuum, qua denotatur poteſtas Sacerdotis, ſervanda eſt locorum conſuetudo, de orationibus verò, & verbis deprecatoriis, quæ antecedunt, & ſubſequuntur formam eorum, omiſſio non eſt peccatum mortale, præciſo ſcandalo, & contemptu, quia de hac re nullum extat præceptum, licèt laudabile, expediens, & utile videatur hujuſmodi verba deprecatoria præmittere, quia hujuſmodi orationibus impetrari poteſt major diſpoſitio, aut perſeverantia, & major fructus.

DE INDULGENTIIS ET SUFFRAGIIS.

De Indulgentiis. Quid ſit Indulgentia.
Cap. 138.

1 INdulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimiſſis conceſsa homini exiſtenti in gratia à Prælato per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici; dicitur relaxatio pœnæ, quia per Indulgentias homo abſolvitur à pœna, quam pro peccatis luere deberet in purgatorio; dicitur pœnæ, quia per indulgentias non remittitur culpa mortalis, aut venialis, ſed pœna, dicitur pœnæ temporalis, quia per indulgentias non remittitur pœna æterna, ſed temporalis, dicitur pro peccatis actualibus, quia indulgentia ſumitur pro remiſſione pœnæ debitæ peccato actuali, non autem originali, quod remittitur per Baptiſmum; dicitur jam dimiſſis, quia per indulgentias non poteſt pœna auferri, nondum ablata culpa, in qua fundatur pœna.

2 Indulgentia extenditur ad remiſſionem peccatorum commiſsorum ante, & poſt conceſſionem indulgentiæ; dicitur conceſsa homini exiſtenti in gratia, nam non prodeſt exiſtenti in peccato mortali, non ſolùm pro remiſſione pœnæ debitæ tali peccato mortali, verùm neque pro remiſſione aliorum peccatorum mortalium aliàs remiſsorum, quia homo exiſtens in peccato mortali indignus eſt hujuſmodi remiſſione, cum ſit inimicus Dei, & dignus æterna pœna; dicitur conceſsa à Prælato ad diſtinctionem ſatisfactionis privatæ, quam quiſque poteſt ſibi imponere in ſatisfactionem peccatorum, & quia non à quolibet concedi poteſt, ſed ab eo ſolùm, qui poteſtatem habet illas concedendi, qualem habent Prælati Eccleſiæ; dicitur per applicationem Theſauri quia in acceptione Dei conſervatur Theſaurus conſtans non ſolùm ex infinitis meritis Chriſti ex ſanctorum ſatisfactionibus ipſis ſuperfluis, & etiam hoc tempore homines juſti exube-

rantes

Digitized by Google

rantes operationes, & ſatisfactiones præſtat, quibus ipſi non indigent, ſed reponuntur in Theſauro Eccleſiæ, cujus diſtributio, & applicatio pertinet ad Eccleſiæ Prælatos.

3 In Operibus hominis juſti duo conſiderantur meritum ſcilicet, & ſatisfactio, meritum non communicatur aliis excepto Chriſti merito, ſatisfactio verò poteſt communicari, & ideò cum multi Sancti plus ſatisfecerint, quàm ipſi indigerent ipſorum ſatisfactiones ſuperabundantes in Theſauro Eccleſiæ conſervantur diſtribuendæ per Eccleſiæ Prælatum; abundantia autem hujus Theſauri eſt tanta, ut ſuperet pœnas hominibus debitas, nam tanta præſtantia Sanguinis Chriſti effuſi, ut una ipſius gutta ſufficiat ad delenda omnia peccata, & propterea dicendum eſt, dari in Eccleſia Theſaurum, ideſt abundantiam meritorum Chriſti, & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſiſmet Sanctis, & hominibus juſtis debitas, ſimulque in Eccleſia reſidere poteſtatem concedendi indulgentias, & remittendi pœnas debitas.

4 Theſaurum ſatisfactionum ante Chriſti adventum inchoatum fuit, nam aliqui ante Chriſti adventum magnas, & exuberantes ſatisfactiones præſtiterunt, ſicut aliqui teſtantur de Abel, uſus tamen illius Theſauri non ſunt in veteri lege, quia in veteri lege nondum erat aperta janua Cœli, ita ut ad ingreſſum Cœli neceſſaria eſſet applicatio Theſauri, & nondum Chriſtus contulerat facultatem diſtribuendi Theſaurum, quam poſteà communicavit Petro, & ejus ſucceſſoribus.

Quotuplex ſit Indulgentia. Cap. 139.

1 Indulgentia duplex eſt; plenaria, & temporalis, plenaria eſt illa, qua remittitur tota pœna ſimpliciter, vel in aliquo certo genere; illa dicitur remittere totam pœnam ſimpliciter, quæ conceditur ſine additione particulæ (de injunctis pœnitentias) illa verò dicitur remittere totam pœnam in certo genere, quæ conſervat cum additione pœnis inſtitutis, indulgentia temporalis dicitur illa, qua non remittitur tota pœna, ſed tanta, quanta in Bullis exprimitur, & hæc dividi poteſt in Carenam, Quadragenam, & Septenam. Peccatores, quibus injungebatur Carena in pœnam peccatorum, carebant cibo, & potu, is enim cui carena juxta communes injungebatur, ducebat vitam in pane, & aqua quadraginta diebus, & ſeptem annis ſequentibus, carena igitur accipitur pro indulgentia, qua remittuntur tot pœnæ, quot fuiſſent remiſſæ peragendo pœnitentiam in pane, & aqua quadraginta diebus cum ſeptem annis, Quadragena eſt indulgentia, qua remittitur pœna reſpondens pœnitentiæ quadraginta dierum, ut ſi pœnitentia quadraginta dierum facta fuiſſet juxta canones pœnitentiales, ex qua patet, quid dicendum ſit de Indulgentia ſeptena.

2 Quando in Bullis conceditur indulgentia ſeptem annorum, vel quadraginta dierum, &c. non eſt hic ſenſus, hominem per conſecutionem talis indulgentiæ liberari à pœnis in purgatorio luendis ſpatio ſeptem annorum, & quadraginta dierum, ſed potiùs ſignificari hominem, qui conſequitur talem indulgentiam, obtinere tantam pœnæ remiſſionem, quantum obtinuiſſet, ſi tanto tempore pœnitentias juxta canones egiſſet, non habita ratione, quod brevi, aut longiori tempore commoraturus fuiſſet in purgatorio, nam in ipſa forma indulgentiarum non dicitur, relaxamus eos annos pœnæ, ſed pœnitentiæ.

3 Non omnes eodem tempore in purgatorio commorantur, ſed aliqui diutiùs, aliquid breviùs, nam qui diutiùs cum levi pœna ibi commorantur, qui breviùs cum majori cruciatu habita ratione gravitatis delictorum juxta illud (*Apoc.* 18. quantum quis ſe glorificavit, & in delitiis fuit, tantum detur illi tormentum) & propterea ſequitur aliquos ita graviter in purgatorio puniri, ut indulgentiæ multorum annorum fortaſſe reſpondeant pœnis uno die luendis.

4 Quando alicui conceditur indulgentia de pœnitentiis injunctis tanta conceditur pœnæ remiſſio, quanta reſpondet pœnitentiis taxatis à confeſſario, & à ſacris canonibus pro talibus peccatis.

5 Jubilæum non differt ab indulgentia plenaria, nam indulgentia plenaria idem valet quod plenior pleniſſima, & ſic Jubilæum, quod differt ab indulgentia plenaria, quia in Jubilæo conceditur facultas commutandi vota, & abſolvendi à caſibus reſervatis.

Quiſ-

Quiſnam Indulgentias concedere valeat. Cap. 140.

1 Solus Summus Pontifex poteſt primariò concedere indulgentias, alii verò quatenus ipſis conceditur à Summo Pontifice, cum ſit Summus Princeps, univerſalis rector Eccleſiæ, & cuſtos Theſauri. Epiſcopus non habet primariò facultatem concedendi indulgentias, ſed eam accipit à Summo Pontifice, & propterea irrita eſt conceſſio Indulgentiæ facta ab Epiſcopo ultra limites ſibi præſcriptos, non quidem quoad totam, ſed ſolum quoad exceſſum; nec Epiſcopi poſſunt concedere indulgentiam pro mortuis, poteſt autem Epiſcopus nondum conſecratus indulgentias concedere, ſicut poteſt concedere Summus Pontifex electus, & nondum conſecratus, non poteſt autem Epiſcopus excommunicatus vitandus, ſeu denunciatus concedere indulgentias, nam caret uſu juriſdictionis, & propterea invalida ſunt ipſius acta ad juriſdictionem pertinentia; poteſt autem in peccato mortali exiſtens concedere, nec peccat concedendo.

2 Vicarius Generalis non poteſt abſque ſpeciali facultate indulgentias concedere, nam facultas concedendi indulgentias eſt quaſi reſervata dignitati Epiſcopali: idem dicendum videtur de Capitulo Sede vacante, nam cum non ſuccedat in dignitate, non ſuccedere debet in juriſdictione indulgentiarum. Poteſt autem Epiſcopus facultatem concedendi indulgentias concedere non solùm ſuo Vicario, ſed etiam Clerico demandare, quia facultas concedendi indulgentias ſpectat ad Epiſcopum jure ordinario juxta reſtrictionem, & limitationem Sedis Apoſtolicę, facultas autem, quæ alicui jure ordinario competit, poteſt aliis delegari, niſi adſit in contrarium prohibitio, non autem Epiſcopus poteſt concedere laico facultatem concedendi indulgentias, quia laicus jure humano removetur à muneribus Eccleſiaſticis.

3 Summus Pontifex de plenitudine ſuę poteſtatis poteſt delegare laico poteſtatem concedendi indulgentias, nulla enim implicantiæ ratio poteſt afferri, quin poſſit hoc ferre.

4 Epiſcopus poteſt Religioſis indulgentias concedere juxta ſuam facultatem, nam Religioſi in hac parte poſſunt ſe ſubjicere Epiſcopis, & frui privilegio Epiſcoporum.

5 Epiſcopus frui poteſt indulgentiis, quas aliis conceſſit, cum non ſit deterioris conditionis.

6 Prælatus non tenetur præſtare opus communiter ab ipſo impoſitum ad conſequendam indulgentiam, ſed poteſt ſecum diſpenſare faciendo aliud opus pium loco pii operis generali pręſcripti, nam impoſitio talis operis pii, dependet ab ipſius concedentis voluntate, ſicut ergo concedens poteſt eum aliis diſpenſare aliud opus injungendo, ita etiam ſecus diſpenſare poſſe videtur.

7 Nullus Epiſcopo inferior poteſt indulgentias concedere abſque Summi Pontificis vel Epiſcopi licentia, nam de licentia ipſorum concedi poſſunt indulgentiæ ab inferioribus, nam poteſtas conferendi indulgentias eſt poteſtas juriſdictionis, quæ aliis delegari poteſt ab habentibus ordinariam poteſtatem. Abbates autem, & Provinciales Religioſorum licet nequeant indulgentias concedere, eas tamen concedere poſſunt Summo Pontifice conſentiente, ad quem jure ordinario pertinet thesauri diſtributio.

8 Abbas Religioſorum poteſt alios efficere participes ſatisfactionum, & orationum, quæ fiunt in Religione, ut ex communi Religioſorum praxi patet, qui benemeritos de ſuo ordine omnium bonorum ſui ordinis participes efficere conſueverunt.

9 Si ſubditus applicet ſuam ſatisfactionem uni, & Prælatus alteri, illa ſatisfactio prodeſt illi, cui ſubditus applicat, quia ſubditus videtur primum locum obtinere, nam Pręlatus non videtur Dominus actus merè interni principaliter dependentis à voluntate ſubditi applicantis ſuffragium, & ſic Prælatis etiam non poteſt ſatisfactionem ſubdito neceſſariam applicare alteri, non enim poteſt damnum inferre ſubdito in ſpiritualibus, niſi ſubditus conſentiat.

10 Laici, Clerici, aut etiam Cardinales, qui non ſunt Epiſcopi, non poſſunt indulgentias concedere, cum non ſint diſpenſatores Theſauri Eccleſiaſtici, niſi facultatem aliquam obtineant, nec etiam Capitulū Eccleſię Cathedralis ſede vacante, cum non ſuccedat Epiſcopo in poteſtate juriſdictionis extraordinariæ.

11 Nemo poteſt ſuas ſatisfactiones in Theſauro Eccleſiæ poſitas ſibi applicare poſ-

poſtquam Indignerit, nam vir juſtus, ſi egerit multa opera, quibus ipſe non indiget, deinde incidat in peccatum mortale illiuſque remiſſionem obtineat, non poteſt ſatisfactiones anteà præſtitas ſibi accipere, & applicare, quia ad ipſum non pertinet diſpenſatio Theſauri.

12 Parochus non poteſt Indulgentias concedere, non enim habet juriſdictionem in foro externo, nec Abbas Epiſcopo inferior, etiam ſi juriſdictionem Epiſcopalem in ſuis locis habeat, quia hujuſmodi facultas non eſt ipſis conceſſa jure naturali, divino, vel humano.

Vtrum ad concedendas indulgentias neceſſaria ſit cauſa. Cap. 141.

1 AD concedendas Indulgentias neceſſaria eſt cauſa, quia Summus Pontifex non eſt dominus, ſed diſpenſator theſauri indulgentiarum, & intentio Chriſti, & Sanctorum fuit, ut Eccleſiæ theſaurus non diſpenſaretur, niſi ob honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, unde ſequitur Summum Pontificem non poſſe niſi ob rationabilem cauſam Indulgentias concedere, qualis cauſa eſt honor Dei, utilitas Eccleſiæ, bonum commune, aut etiam privata cauſa, &c poteſt etiam juſta cauſa contineri in quolibet actu pio, ex quo aliqua Eccleſiæ utilitas, & gloria divina redundet, etiam ſi opus jam ſit leviſſimum: nam conceduntur indulgentiæ plenariæ aliquando pro Dominica, & Angelica oratione, poteſt autem Summus Pontifex indulgentias abſolutè concedere nullum opus requirendo, ut ſi defuncto optimè de Eccleſiæ merito indulgentiam concedat, ut alios hoc pacto retrahat ad conſimilia merita: dicendum igitur eſt, quando Summus Pontifex concedit indulgentias, habuiſſe juſtam cauſam.

Quænam requirantur in eo, qui ſuſcepturus eſt indulgentiam. Cap. 142.

1 NEceſſe eſt, ut ſuſceptor Indulgentiarum ſit homo fidelis viator, quia conceſſio indulgentiarum eſt actus juriſdictionis, qui exerceri non poteſt in iis, qui non ſunt viatores, aut infideles nondum baptizati, qui non ſunt ſubditi Eccleſiæ, aut Eccleſiæ membri; immò infideles baptizati non videntur capaces indulgentiæ, quales ſunt Heretici, & Apoſtatæ, nam participatio indulgentiarum pertinet ad articulum communionis Sanctorum, cujus non videtur particeps, qui non eſt membrum Eccleſiæ, nec proſunt Cathecumenis, quia non eſt recepta conſuetudo, & praxis concedendi Indulgentias Cathecumenis, aliiſque Baptiſmo carentibus.

2 Indulgentiæ non proſunt Excommunicato licet ſit contritus, quia afficitur pœnis excommunicationis; una autem ex pœnis excommunicationis eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, & bonorum, quales ſunt indulgentiæ.

3 In ſuſceptore indulgentiarum requiritur gratia, quia non poteſt remitti pœna nondum remiſſa culpa, nam obligatio ad pœnam æternam remanet quamdiu culpa mortalis manet, cum peccator dignus eſt æterna pœna, quamdiu peccati mortalis conſcientiam habet, ſive autem ſit in gratia per confeſſionem; ſive per contritionem, parum intereſt, dummodò in bulla non exprimatur confeſſio, ut ſi dicatur contritis, & confeſſis, tunc enim non ſufficit ſuſceptorem eſſe in gratia per contritionem, ſed neceſſaria eſt Confeſſio, ſaltem ſi ſuſceptor commiſit peccatum mortale poſt ultimam confeſſionem, nam ſi non commiſit peccatum mortale; poteſt dici contritus, & confeſſus ad effectum conſequendi indulgẽtiam, cum habitualiter perſeveret in prima contritione, & confeſſione.

4 Qui autem ſolum habet peccata venialia cum ſit in gratia, ſuſcepturus Indulgentiam non eſt neceſſe ut confiteatur, quando in bulla non exprimitur confeſſio venialium, nam quando in bulla exprimitur confeſſio ex communi uſu, & ſenſu Eccleſiæ, cenſetur confeſſio mortalium, modò Summus Pontifex aliter non declaret, ex quo patet differentia inter confeſſionem, & communionem, nam qui habet ſola venialia, conſequitur indulgentiam, ſi confeſſione omiſſa Euchariſtiam, ſumat dum in bulla exprimitur communio, & confeſſio, non verò conſequitur indulgentiam ſi omiſſa Euchariſtia confiteatur venialla, quia ſumptio Euchariſtiæ requiritur tanquam conditio ad conſequendam indulgentiam, confeſſio verò venialium non eſt neceſſaria, ut dictum eſt.

5 Non videtur obligari ad novam confeſſio-

feſſionem ex vi Jubilæi, vel indulgentiæ conſequendæ, quando pænitens tempore Jubilæi, vel indulgentiæ confeſſus eſt, ſed incidit in aliquod peccatum mortale, vel recordatur alicujus peccati mortalis antequam cætera opera in Jubilæo præſcripta adimpleat, nam videtur adimpleviſſe conditionem præſcriptam in Jubilæo, cum ſemel ritè confeſſus ſit, & conſequenter videtur indulgentiam conſequi ſi de peccato mortali poſt ultimam confeſſionem commiſſo actum contritionis eliciat.

6 Non eſt neceſſe ad conſequendam indulgentiam, ut qui præſtat opera præſcripta debeat eſſe in gratia toto tempore, quo ſingula opera præſtat, ſed ſufficit, ut in gratia exiſtat, dum facit ultimum opus, quo poſito conceditur indulgentia, quia communi uſu conſtat hanc eſſe Summi Pontificis intentionem, nam Summus Pontifex non præcipit omnia opera fieri in gratia, ſed eſt conditio, qua poſita Summus Pontifex applicat indulgentias, ergo non eſt neceſſe, ut quodlibet opus fiat in gratia, ſed ſufficit ultimum opus in ſtatu gratiæ fieri, & propterea ſi aliqua indulgentia ſit conceſſa jejunanti aliquo die, ſi aliquis jejunet ad conſequendam indulgentiam, & eo die peccet mortaliter, vel perſeveret in peccato anteà commiſſo, ſi in fine diei ſufficienter doleat de peccato, illiuſque remiſſionem obtineat, indulgentiam conſequitur, quia cum perficiat opus in gratia, cenſetur adimplere conditionem, ſub qua conceſſa eſt indulgentia, nam Summus Pontifex non requirit gratiam toto die jejunis.

7 Qui præſtitit omnia opera bona, vel ſaltem ultimum opus præſcriptum in bulla ad conſequendam indulgentiam in peccato mortali, non conſequitur indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam, quia Theſaurus indulgentiarum ſolis Dei amicis aperiri videtur nec in conceſſione indulgentiæ exprimitur, eam obtineri recedente fictione, ſeu peccato, & propterea recedente fictione, ſeu peccato non recipitur indulgentia, & Theſaurus applicatur pro tempore, quo adimpletur opus præſcriptum, non verò pro tempore quo fictio recedit.

8 Neceſſe eſt, ut qui ſuſcepturus eſt indulgentiam præſtet ea, quæ præſcripta ſunt à ſuperiore in conceſſione indulgentiæ, nam ſuperior concedit indulgentiam ſub conditione talis operis, ſi ergo opus præſcriptum non adimpleatur, non obtinetur indulgentia, cum diſpoſitio non ſubſiſtat non adimpleta conditione, ſub qua facta fuit.

9 Non conſequitur indulgentia, qui non facit opus honeſtum præſcriptum, faciens enim eleemoſynam præſcriptam inter opera indulgentiæ ob vanam gloriam, non conſequitur indulgentiam faciens eleemoſynam conceſſam, quia talis actus non eſt honeſtus, neque redundat in honorem Dei, ſeu ad finem intentum, nec conſequuntur indulgentiam adoleſcentes, qui nondum pervenerunt ad vigeſimum primum annum, quo tempore ex præcepto Eccleſiæ non tenentur ad jejunium; ſi non jejunent quoties in Jubilæo præſcribitur jejunium, in quo obſervationis gratia dico licitum eſſe veſci ovis, & lacticiniis juxta locorum conſuetudinem, extra quadrageſimam, nec conſequuntur indulgentiam illi, qui non confitentur tempore Jubilæi, vel prætermittunt aliud onus præſcriptum, licet prætermittant illud ex juſto impedimento, vel impotentia, modò aliud in bulla non exprimatur, aut modò non fiat commutatio in aliud opus pium juxta mentem, & conceſſionem Summi Pontificis verbis expreſſam.

10 Quando ad conſequendam indulgentiam præſcribitur eleemoſyna facienda valet ſi fiat in magna, vel parva quantitate dummodò in bulla non demandetur pro cujuſque facultate, quia tunc fieri debet major à divite, quàm à paupere, & propterea quando ſimpliciter præſcribitur eleemoſyna conſequuntur indulgentiam tam qui parvam, quàm qui magnam eleemoſynam faciunt.

11 Qui non adimplet totum opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam ſed partem, non conſequitur indulgentiam, nec in totum, nec in partem, quia ſuperior non concedit partem indulgentiæ pro parte operis, ſed ad conſequendam indulgentiam totum opus requiritur, niſi aliter in bulla exprimatur, tamen poteſt dici non impediri fructum indulgentiæ, prætermiſſa tantummodò parte, quæ levis ſit in ſe, & reſpectu operis injuncti, quia parum pro nihilo reputatur.

12 Qui

12 Qui mandavit famulo, ut pauperi daret eleemoſynam, ut adimpleret opus dandi eleemoſynam, ſi famulus eleemoſynam non impendat, ille non conſequitur indulgentiam, quia non præſtat opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam.

13 Qui inchoat, & non complet opus præſcriptum, non conſequitur indulgentiam non enim cenſetur factum opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam, & diſpoſitio conditionalis non ſortitur effectum nondum adimpleta conditione.

14 Indulgentiam conſequitur qui per ipſum opus præſcriptum adimplet, dum ſub hac conditione opus adimplendum præſcribitur; quare ſi concedatur indulgentia viſitantibus Eccleſiam aliquam, qui cupit indulgentiam obtinere, debet per ſe ipſum illam Eccleſiam viſitare, & non per alium, ſecus dicendum de Eleemoſyna, quæ per alium fieri poteſt, dummodò ab illo alio fiat.

15 Quando Indulgentia conceſſa eſt viſitantibus quinque altaria, qui conſequi cupit hanc indulgentiam, non tenetur ad ſingula altaria accedere, ſed poteſt dum exiſtit in eadem Eccleſia, & in eodem loco, conſequi indulgentiam orando verſus quinque altaria, ſic enim ſufficienter adimplet opus přeſcriptum.

16 Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam, vel orantibus in Eccleſia obtinetur ab eo, qui accedit ad Eccleſiam; ſed cum nequeat ingredi corporaliter præ hominum concurſu, oret à fores Eccleſiæ, nam cenſetur Eccleſiam viſitare, vel orare in Eccleſia etiam ſi oret in Cemęterio.

17 Qui prætermittit aliquem actum, quem juxta probabilem, vel probabiliorem opinionem credebat non eſſe neceſſarium ad conſequendam indulgentiam, non conſequitur indulgentiam: talis actus neceſſarius eſt ad lucrandam indulgentiam, quia non præſtat opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam.

18 Indulgentia obtineri poteſt per aliquod opus internum, ſi Summus Pontifex indulgentiam concedat ſub onere præſtandi opus internum, quia qui præſtat opus à ſuperiore præſcriptum, conſequitur indulgentiam.

19 Si quis habeat plura grana benedicta in diverſis benedictionibus, & ſingulis benedictionibus conceſſus ſit annus indulgentiæ recitando Dominicam orationem, quęro an poſſit Dominicam orationem ſemel recitando lucrari plures annos indulgentiæ juxta numerum granorum benedictorum in diverſis benedictionibus; reſpondeo ſtandum eſſe intentioni concedentis à quo pendet conceſſio indulgentiæ, intentionem autem concedentis exiſtimo eſſe ut pro qualibet indulgentia conſequenda ſinguli actus, & ſingula opera pręſtentur.

20 Ille poteſt uno, & eodem tempore diverſis actibus plures indulgentias conſequi, ut qui eodem tempore miſſam audit, & ſimul recitat horas canonicas, poteſt percipere indulgentias conceſſas audientibus miſſam, & recitantibus divinum Officium, quoties unus actus non impedit alium, ſed uterque ſimul ſuſtinere poteſt, dicitur eum præſtare opera pręſcripta ad plures indulgentias conſequendas.

21 Ille poteſt ſępius eodem die conſequi indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam tali die, modò indulgentia conceſſa ſit abſque temporis determinatione ut ſi in conceſſione, abſolutè dicatur quicunque viſitaverit Eccleſiam conſequatur talem indulgentiam, quia pręſtat opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam, quoties eadem die prudenter, & devotè viſitat Eccleſiam.

22 Qui non eſt conſequutus indulgentiam per aliquem actum, poteſt iterum actum præſcriptum facere ad conſequendam indulgentiam, modò elapſum non ſit tempus, quia adhuc eſt capax indulgentiæ, & præſtat actum ad illam conſequendam, ergo illam conſequitur.

23 Qui vult Jubilęum obtinere, debet omnia opera pia ad conſequendum Jubilæum præſcripta prima, vel ſecunda hebdomada pręſtare, licet contrariam opinionem probabiliter ſuſtineri poſſe exiſtimo, tamen hanc in praxi pręciſa aliqua neceſſitate, vel rationabili cauſa cenſeo conſulendam, quia tutior eſt, & graviſſimorum Doctorum auctoritate fulcitur, & quia in materia indulgentiarum non prodeſt opinio probabilis ad conſequendam indulgentiam, ſi veritas ſit in oppoſitum.

24 Qui Jubilęum hic Mediolani, ubi prius lucratur, quàm extra urbem, non obtinuit, tranſactis duabus heddomadis, quibus hic Mediolani conſecutus non eſt poteſt extra urbem in loco, ubi nondum ela-

elapſum eſt tempus lucrandi Jubilæum, Jubilæum capere, quia verſamur in materia favorabili,& probabiliter credo gaudere fructu Jubilęi.

25 Quando quis aliquo impedimento detentus non præſtitit opera præſcripta, & conſequenter non obtinuit Jubilęum primis duabus hebdomadis, poteſt illum conſequi tranſactis duabus hebdomadis, ſi opera pietatis in proximum tempus prorogatum à confeſſario ſervata formula à Summo Pontifice in Jubilęo præſcripta, à qua non eſt recedendum, cum reliqua ad Jubilęum ſpectent.

Utrùm Indulgentiæ proſint defunctis. Cap. 143.

1 Purgatorium datur, in quo animæ detinentur donec perſolverint pænas peccatis debitas, pro quibus in hac vita non ſatisfecerunt; conſtat autem purgatorium dari ex conſenſu Eccleſiæ, quæ pro defunctis orare conſuevit, ut à peccatis ſolvantur; animæ autem exiſtentes in purgatorio torquentur igne, ut purgentur, ſed non omnes torquentur igne, nam Purgatorii locus duplex eſt, unus dicitur, juxtà legem ordinariam, alter juxtà diſpoſitionem Dei, quaſi extraordinariam; primus cenſetur pars ſuperior inferni verſus centrum terræ; ſecundus eſt ille, quià Deo decernitur, & deputatur ad Purgatorium, Deus enim aliquando ad extraordinarium purgatorii locum conſtituit aliquas animas non ſolùm, ut ibi purgentur, verùm etiam ad inſtructionem vivorum, vel ad utilitatem defunctorum.

2 Animæ duplicem pænam patiuntur, una dicitur pæna damni, & eſt præcipua, quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei, qui cum ſit ſummum bonum, in pænam ſuorum peccatorum ſummo bono Deo privantur; altera dicitur pæna ſenſus, quam animæ in Purgatorio exiſtentes luunt, & triſtantur ob carentiam divinæ viſionis, & vero igne torquentur, qui torquendi modus latet, & non cognoſcitur, vel quatenus inuoluntariè alligatæ ſunt ad ignem, vel quatenus ignis agit in animas, producendo qualitatem ipſis diſconvenientem, & doloris cauſativam, quod eſt probabile, ſed non certum, cum Deus nondum hoc revelaverit.

3 Indulgentiæ plenariæ conceduntur à Summo Pontifice pro defunctis, non enim inferiores Summo Pontifice poſſunt concedere hujuſmodi Indulgentias, illæ autem conceſſæ à Summo Pontifice proſunt defunctis per modum ſuffragii, non per modum judicii & auctoritatis, modò applicentur defunctis in gratia exiſtentibus, qui indigent ſuffragiis ad tollendas pænas, quas alioquin luere deberent in purgatorio, quia Eccleſia non poteſt animas in purgatorio exiſtentes per modum judicis ſolvere, cum ſint extra forum Eccleſię, & ſicut non poteſt eas directè ligare, ita neque poteſt per modum judicis directè ſolvere: Chriſtus enim poteſtatem dedit Petro dicens, quodcunque ligaveris ſuper terram, non verò dixit ſub terra, ut ſunt animæ in Purgatorio exiſtentes.

4 Indulgentiæ proſunt defunctis non per modum judicii, & auctoritatis, ſed per modum ſuffragii, id eſt per modum auxilii, & adjumentorii Eccleſiaſtici: indulgentia enim id eſt ſatisfactio Chriſti, & Sanctorum poſita in Theſauro Eccleſię, poteſt applicari defunctis juxta intentionem ipſius applicantis, modò ex intentione concedentis conſtet hujuſmodi ſatisfactionem, ſeu indulgentiam poſſe defunctis applicari.

5 Quando Summus Pontifex concedit indulgentiam pro omnibus fidelibus, non comprehendit defunctos, nam quando conceditur pro defunctis hæc verba apponuntur (fidelibus vivis, & defunctis) pro quibus applicantur indulgentiæ in gratia exiſtentibus, nam animæ in gratia decedentes transferuntur in Purgatorium, quando in hac vita plenè non ſatisfecerint pro pænis debitis, pro quibus non applicantur indulgentię directè, ſed per modum Suffragii, quæ indulgentiæ proſunt defunctis in Purgatorio exiſtentibus, non defunctis ad inferna loca delapſis, nam in inferno nulla eſt redemptio, nec indulgentiæ proſunt Beatis, qui non ſolùm non habent culpam, neque reatum, & obligationem ad pęnam, pro qua ſatisfaciendum ſit per indulgentias.

6 Differentia inter defunctum, cui applicantur indulgentia, & inter eum, qui fecit opus ad conſequendam indulgentiam pro defuncto; hæc eſt, nam ut Defunctus fruatur indulgentiis debet eſſe in gratia, cum non poſſit remitti pæna, nondum remiſſa culpa; qui verò facit opus ad conſequendam indulgentiam pro defuncto non eſt

eſt neceſſe, ut ſit in gratia, tunc enim ipſe non dicitur ſatisfacere, ſed facere opus, quo poſito Summus Pontifex applicat defuncto indulgentiam, ideſt ſatisfactionem Chriſti, & Sanctorum, nam indulgentia ſuum habet valorem ex opere operato, & non dependet à gratia illius, qui pro defunctis indulgentiam lucravit.

7 Homo vivus poteſt indulgentiam alter homini vivo lucrari, ſi hoc in bulla exprimatur, nam Summus Pontifex poteſtatem habet concedendi hujuſmodi indulgentias, quę poſſunt applicari etiam ſi non adſit conſenſus, & ſcientia illius cui applicantur, cum enim hic paſſivè ſe habeat, non videtur neceſſarius illius conſenſus, vel ſcientia.

8 Indulgentia plenaria, quæ accipitur pro defuncto, prodeſt defuncto ad remiſſionem omnis pœnæ, modò Deus eam acceptet, & licet homines accipiant unam indulgentiam plenariam pro uno defuncto, aliam de novo, vel nova ſuffragia pro eodem defuncto accipiant, non tamen hoc faciunt, ut dubitent primam non prodeſſe; ſed quia Primò fieri poteſt, ut aliquis defectus interceſſerit in conceſſione indulgentiæ, ut ſi conceſſa ſit indulgentia abſque ulla cauſa, quæ neceſſaria eſt ad conceſſionem indulgentiæ, ut ſuperius dictum eſt. Secundò poteſt fieri, ut ex parte accipientis indulgentiam pro defuncto contigerit defectus, propter quem indulgentia efficiatur irrita, & invalida. Tertiò fieri poteſt, ut Deus non acceptaverit indulgentiam, nam indulgentia non habet infallibilem effectum reſpectu animæ defuncti, ſed liberum eſt Deo illam acceptare, & ideò conſultum eſt ſępius pro defunctis indulgentiam percipere, miſſas, & orationes applicare, ut illos repetitis ſuffragiis à pænis eruamus, quæ animę in purgatorio exiſtentes cognoſcunt ſibi ſuffragiis applicari per Angelos cuſtodes, certiores factæ de ſuffragiis pro ipſis oblatis.

Quantum valeant Indulgentiæ.
Cap. 144.

1 INdulgentię tantum valent, quantum ſonant, quia ſuperior concedens indulgentiam tantam pœnam vult remitti, quantum ſonant indulgentiæ, ergò indulgentiæ ab eo conceſſæ tantum valent, quantum ſonant; & propterea cum indulgentia plenaria ſonet remiſſionem omnis pœnæ, qui moritur ſtatim obtenta indulgentia plenaria, in Cœlum evolat abſque dilatione, & mora: Indulgentiæ autem remittunt pænas conſequentes ipſum met peccatum, non verò pænas debitas pro foro extempto, nam conceduntur ad remittendas pænas fori interni, non autem externi.

2 Conceſſio indulgentiæ, quando conſtat de poteſtate concedentis latè explicanda eſt, quantum verborum ſenſus patitur, quia conceſſio indulgentiarum ordinatur, non ad bonum privatum, ſed ad publicum totius Eccleſiæ ad ſubvenlendum publicæ neceſſitati, quæ autem conceduntur ad publicam Eccleſiæ utilitatem latè ſunt explicanda quantum verborum ſenſus patitur, & quantum fieri poteſt ſine præjudicio tertii: hoc autem intelligendum eſt ſolum in dubiis, & dum propria verborum ſignificatio ſtrictiorem expoſitionem non poſtulat.

Quamdiu durent Indulgentiæ.
Cap. 145.

1 INdulgentiæ tamdiù durant, quamdiù concedens eas durare voluerit, & non ultrà; quia gratia dependet à voluntate concedentis, ipſiuſque voluntatem verbis expreſſam non excedit, & actus agentium non operatur ultra intentionem ipſorum, unde indulgentia abſolutè, & ſimpliciter conceſſa perpetuò durat, cum enim ſuperior non limitet, nec nos limitare debemus, & ſic non expirat morte concedendis: licet aliquando ſuſpendantur, ut tempore Jubilæi ſuſpenduntur omnes indulgentiæ, ut omnes arripiant occaſionem accedendi Romam, quando autem indulgentia eſt conceſſa ad aliquod determinatum tempus, non durat ultra præfixum tempus, & propterea indulgentia alicui conceſſa deſinit eo deſtructo, conceſſa enim cenſetur ad ipſius vitam, ſecus dicendum de indulgentia conceſſa alicui Communitati, quæ perſeverat quamdiu manet communitas; idem dicendum de Indulgentia conceſſa alicui loco, quæ tamdiu durat, quamdiu durat locus; idem dicendum de templo, etiam ſi paulatim deſtruatur, & reædificetur, vel totum deſtruatur, & in eodem loco reædificetur, durat indulgentia illi conceſſa.

2 Indulgentiæ deſinunt per revocationem

nem concedentis, nam ſicut poteſt validè concedere, ità poteſt validè revocare, ſic ſucceſſor ipſius concedentis, revocare poteſt indulgentias ab anteceſſore conceſſa, nam reputatur ſucceſſor una perſona moraliter concedente, verum revocatio hoc modo facta non præſumitur revocata, donec cognitio revocationis perveniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat indulgentia.

3 Quando cauſa propter quam conceſſa eſt Indulgentia ceſſat, non proptereà ceſſat Indulgentia, quia indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem, ergo non ceſſat indulgentia ceſſante cauſa, alioquin fruſtra concedetur indulgentia perpetua prò cauſa temporali.

4 Indulgentia prò mortis articulo conceſſa non expirat, poſtquam ſemel fuit accepta, quia videtur indefinita, ergò videtur univerſaliter valere prò quolibet mortis periculo, quod periculum debet eſſe verum, non præſumptum, & quandò in articulo mortis vigore Indulgentiæ quis habet facultatem eligendi confeſſarium, qui ipſum abſolvat, ſi poſt quam petiit confeſſarium, arte confeſſionem, & abſolutionem ſenſibus deſtituatur eſt capax indulgentiæ, & abſolutionis, & licet in concedenda indulgentia in articulo mortis, aut alia occaſione, non ſit præſcripta certa forma verborum, poteſt concedi quibuſcunque verbis, ut *Concedo tibi indulgentiam, prò ut in hac bulla exprimitur*.

De Suffragiis.

Utrùm fideles poſſint præſtare ſuffragia, quibus ſe invicem juvent. Cap. 146.

1 Fideles dum vivunt non ſolùm poſſunt ſe invicem juvare ſuffragiis, verum etiam adjuvare poſſunt defunctos ſatisfaciendo pro pæna ipſis debita, ut in *Pſalm. 118. Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*.

2 Opus bonum dupliciter conſideratur. Primò ut ſatisfactorium, Secundò ut meritorium, ſi opus conſideretur, ut ſatisfactorium, non prodeſt facienti quoties alteri applicatur, nam opus bonum non habet ſatisfactionem infinitam, ſed limitatam, ſi ergò ſatisfactio, quæ limitata eſt alteri applicatur prodeſt illi, cui applicatur, non verò applicanti, & tantum prodeſt alteri formaliter loquendo, quantùm prodeſſet ipſi applicanti, ſi eam ſibi applicaret, ſi verò opus conſideretur, ut meritorium, prodeſt ipſi applicanti ad meritum vitæ eternæ juxtà illud Pſalmi. *Oratio mea in ſinem meum convertetur*.

3 Satisfactio non prodeſt infallibiliter illi, cui applicatur, quia non ſatis nobis conſtet Deum infallibiliter acceptare ſatisfactiones pro aliis.

Quid requiratur in eo, qui ſuffragia, & ſatisfactiones alii offert. Cap. 147.

1 Ut ſuffragium proſit alteri requiritur, Primò ut offerens habeat intentionem offerendi prò eo, cui prodeſt, quia ſi ſatisfaciens non dirigat intentionem ſuam in alium, retinet ſibi ſuffragium, cum ſit opus ipſius. Secundo ut fiat ab nomine viatore vivo; non enim poſſumus poſt hanc vitam mereri, ità neque ſatisfacere. Tertiò ut opus voluntariè fiat, ſeù ſuſtineatur, ob id enim ſatisfactio differt à ſatisfactione, unde qui caſus, & infortunia aliunde provenientia voluntariè non acceptat in ſatisfactionem, aut illa non refert ad Deum, non dicitur condignè ſatisfacere. Quartò ut opus ſit bonum ſaltem ratione intentionis, ſivè ſit opus internum, ſivè externum opus enim ſi bonum non ſit Deo non placet.

2 Ut opus ſatisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in perſona propria proſit alteri ad ſatisfactionem, requiritur, ut operans ſit in gratia, nam exiſtens in peccato mortali eſt indignus remiſſione tàm culpæ, quàm pœnæ, & conſequenter eſt impotens ad obtinendam alteri remiſſionem pœnæ, ſeu ad ſatisfaciendum prò altero, nam opus factum in peccato nihil prodeſt apud Deum.

3 Opus ſatisfactorium ex opere operato factum ab aliquo prodeſt aliis, etiam ſi offerens ſit improbus, & non ſit in gratia; valor enim illius ſuffragii cum non dependeat à bonitate offerentis, non poteſt impediri per ipſius improbitatem.

4 Suffragium nomine Eccleſiæ factum ab improbo prodeſt, & proptereà Sacrificium oblatum ab improbo Sacerdote habet ſuum fructum, non ſolum ſi conſideretur, ut ſacrificium, verum etiam ſi conſide-

Digitized by Google

deretur ſecundum preces quatenus offeruntur à Sacerdote in perſona Eccleſiæ, quod valet etiam in ſuffragiis publicis, quæ fiunt à miniſtris Eccleſiæ nomine, ille autem cenſetur orare nomine Eccleſiæ, quandò preces, & orationes inſtitutas ab Eccleſia recitat, ut miniſter deputatus ab hoc ex præcepto, vel ordinatione, ſi verò eas recitet non ut miniſter ab Eccleſia deputatus non dicitur orare nomine Eccleſiæ.

5 Quando unum, & idem opus, quod ab uno mandatur, & ab altero adimpletur dum uterque, vel alter eorum eſt in peccato mortali non prodeſt ad ſatisfactionem, ſi uterque eorum eſt in peccato mortali, dum opus præſtatur, nam exiſtens in peccato indignus eſt remiſſione pœnæ, immò eſt dignus æterna pœna, quandò verò uterque eſt in gratia, opus prodeſt ad ſatisfactionem, ſi verò præcipiens ſit in gratia, & adimplens in peccato mortali valet, & prodeſt opus, quia opus eſt ſatisfactorium, quatenus provenit à principali agente, & proptereà ſi præcipiens, qui eſt agens principale ſit in gratia, opus valet, & prodeſt ad ſatisfactionem: & hoc verum eſſe puto, quamvis præcipient peccet mortaliter poſtquam opus fieri mandavit, modò eſſet in gratia, quando præcepit opus, hoc tamen non valet ſi exequens ſit cauſa principalis operis, nam opus ab eo præſtitum in peccato mortuli non videtur prodeſſe.

6 Opera, quæ per alium fiunt duobus modis fieri poſſunt. Primo fieri poſſunt per alium tanquam per inſtrumentum: Secundo tanquam per cauſam propriam, & proximam illorum operum, quandò fiunt per alium tanquam per inſtrumentum ſunt ſatisfactoria: quamvis ille, qui ea facit ſit in peccato mortali: nam principaliter fiunt à præcipiente exiſtente in gratia: quandò vero fiunt per alium, tanquam per cauſam propriam, & proximam non ſunt ſatisfactoria: ſi ille, qui ea facit, exiſtat in peccato mortali.

7 Quandò ex juſta pænitentia, aut alia de cauſa quis tenetur defuncto ſuffragium offerre, eſt obligandus ad illud opus præſtandum iterum, ſi ſemel illud in peccato præſtitit, quoties in perſona propria applicavit, ut tenebatur, nam non videtur adimplere ſubſtantiam præcepti, cum opus præſtitum in peccato mortali nomine proprio non ſit ſatisfactorium: ſecùs dicendum, ſi loquamur de ſuffragio, quod habet vim ex opere operato, aut quod offertur nomine Eccleſiæ, ut diximus de Sacrificio miſſæ, & de ſatisfactione Sacramentali.

Quid requiratur ex parte ejus, cui ſuffragia offeruntur. Cap. 148.

1 EX Parte illius, cui ſuffragium offertur, tres ſaltem conditiones requiruntur. Prima ut indigeat ſuffragio: non enim poteſt ſolvere debitum, quod non contraxit. Secunda ut ſit in gratia, quia exiſtens in peccato quamdiù perſeverat in eo ſtatu dignus eſt æterna pœna, ergo non poteſt remiſſionem pœnæ obtinere per ſuffragia, & proptereà opera, quæ fiunt ab aliquo in ſatisfactionem alterius exiſtentis in peccato mortali, vel non indigentis illa ſatisfactione convertuntur in utilitatem ipſius offerentis, ſi indigeat, aut aggregantur Theſauro Eccleſiæ. Tertia ut peccata pro quibus exhibetur ſatisfactio neceſſe eſt, ut ſint deleta quoad culpam: quia non remittitur pœna, antequam culpa remittatur; nam manente culpa ſemper remanet obligatio ad pœnam.

2 Non eſt neceſſe ut ille prò quo ſatisfactio exhibetur, acceptet ſatisfactionem, & cognoſcat eam pro ſe exhiberi, quia cum iſte paſſivè ſe habeat non poteſt afferri ratio ſufficiens ad oſtendendum requiri formalem alienam voluntatem acceptandi ſatisfactionem.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

De Exiſtentia, inſtitutione, & definitione iſtius Sacramenti. Cap. 149.

1 CErtum eſt dari Sacramentum Extremæ unctioni ex *Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 1. quod fuit inſtitutum à Chriſto, nam ſicut fuit auctor cæterorum Sacramentorum, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 1. etiam auctor, & inſtitutor fuit Sacramenti Extremæ unctionis, non autem conſtat quando fuerit inſtitutum, conſtat tamen perpetua Eccleſiæ traditione, & uſu apud Græcos, & Latinos eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & eſſe ſignum rei ſacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi unguntur oleo benedicto ſub præſcripta verborum forma, juxtà Chriſti inſtitutionem ad ſalutem

tem animæ, & corporis, dicitur ſignum rei ſacræ loco generis: dicitur, quo aliæ partes corporis, &c. loco differentiæ.

Quænam ſit materia Sacramenti Extremæ unctionis. Cap. 150.

1 MAteria remota Sacramenti extremæ unctionis eſt oleum ex olivis expreſſum: quia Chriſtus prò materia remota hujus Sacramenti inſtituit oleum olivarum, ut patet ex Jac ubi dicitur Ungentes oleo, oleum autem olivarum eſt propriè oleum, & cetera ſunt impropriè olea, debet autem eſſe benedictum ex traditione Apoſtolorum, & benedictum ab Epiſcopo: quæ benedictio erit ſufficiens ſi ab Epiſcopo fiat alia benedictione, quam benedictione conſueta Eccleſiæ, quia Chriſtus non præſcripſit formam, juxtà quam facienda ſit benedictio olei.

2 Ad validitatem Sacramenti non eſt neceſſe, ut oleum ſit benedictum eo anno; ex conſuetudine autem, & ex præcepto debet eſſe benedictum eo anno, unde non videtur excuſandus à peccato Parochus ſi oleum alterius anni adhibeat, niſi aliud ſuadeat neceſſitas: non propterea dicendum eſt non eſſe materiam ſufficientem ſi illi admiſceatur alius liquor, dummodò admixtio ſit modica, nam oleum non exuit naturam propriam per modicam admixtionem alterius liquoris, & propterea Parochus licitè oleum conſecratum miſcet conſecrato, quando timet fore, ut oleum conſecratum non ſufficiat, utrunque enim cenſetur conſecratum per admixtionem, modo quod additur ſit minoris quantitatis, conſecrato.

3 Materia proxima extremæ unctionis eſt unctio ex *Jacob. 5. Ungentes oleo* quæ unctio non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ut fiat in formam crucis, nam nulla ſufficienti ratione probatur; de neceſſitate autem præcepti perſpicuum eſt faciendas eſſe in formam Crucis, non autem ſub mortali.

Quænam ſit formà Extremæ unctionis. Cap. 151.

1 FOrma hujus Sacramenti ſunt hæc verba, quæ proferuntur à Sacerdote *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum. Amen*, ſic habetur in actis Eccleſiæ Mediolanenſis 4. part. de Sacramento Extremæ unctionis, quæ forma adhibetur in unctionibus aliorum ſenſuum, expreſſo nomine aliorum ſenſuum, invocatio autem ſanctiſſimæ Trinitatis non eſt de eſſentia iſtius formæ, quià nulla eſt ſpecialis neceſſitas invocandi Sanctiſſimam Trinitatem, cum hoc Sacramentum non ſit profeſſio fidei, ſit autem forma modo deprecativo, quia infirmus eget deprecatione aliorum, & quia Chriſtus ita inſtituit. *Jacobi 5. Inducat pres byteros, & orent ſuper eum*, & propterea invalidum eſt Sacramentum adminiſtratum forma indicativa, verba autem per ſanctam, & piiſſimam, per viſum, auditum, &c non ſunt de ſubſtantia formæ nam, illis omiſſis ſubſiſtit Sacramentum, verum in praxi nulla ratione recedendum eſt à communi forma; in neceſſitate verò, quando periculum eſt in mora poteſt inuncta ſingulorum ſenſuum unica parte unicam formam proferre complectentem plures partiales formas, dicendo per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti, quod quidem licèt non videatur improbabile, tamen in praxi non eſt facilè recedendum à communi uſu, & conſuetudine, niſi aliter poſtulet, & cogat evidens neceſſitas, qua poſita Sacramentum poterit ſub conditione adminiſtrari.

Quiſnam ſit miniſter huius Sacramenti. Cap. 152.

1 PRoprius miniſter hujus ſacramenti eſt ſolus Sacerdos ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 3.* de extrema unctione, unde invalidum eſt hoc Sacramentum adminiſtratum à Diacono, vel Subdiacono etiam de licentia Epiſcopi, vel Papæ, nam Chriſtus inſtituit ſolum Sacerdotem miniſtrum huius Sacramenti, & propterea Papa non poteſt in hoc diſpenſare, cum ſit de jure Divino, in quo Papa diſpenſare non poteſt: quilibet igitur Sacerdos validè adminiſtrabit hoc Sacramentum, licet ſit excommunicatus, & degradatus, qui tamen graviter peccant adminiſtrando, ſicut Sacerdos qui non ſit proprius, vel Parochus, aut non habeat facultatem à proprio Parocho pec-

cat adminiſtrando, quia non debet alienam juriſdictionem uſurpare, validè tamen adminiſtraret. Religioſi verò licet exempti ſine Parochi licentia, vel ſine privilegio Sedis Apoſtolicæ adminiſtrantes hoc Sacramentum incidunt in excommunicationem, *Clementina* 1. de Privilegiis. Illi autem Religioſi non incurrunt in excommunicationem adminiſtrantes cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus eſt in mortis articulo, quia tunc præſumitur adeſſe licentiam Epiſcopi, vel Summi Pontificis.

2 A pluribus Sacerdotibus in neceſſitate poteſt conferri hoc Sacramentum, ità ut unus independenter ab alio ungat unam partem, & alius aliam prolatis in ſingulis unctionibus debita forma, nam hoc Sacramentum non requiritur neceſſariò unitatem miniſtri cum habeat plures partiales materias, & formas, extrà neceſſitatem verò adminiſtratum à pluribus incurritur in mortale, quia fit contra uſum, & praxim Eccleſiæ in re gravi; quandò autem in neceſſitate à pluribus hoc Sacramentum adminiſtratur non poteſt unus ungere, & alius proferre formam, ſed ille qui ungit unam partem debet proferre formam tali unctioni debitam, ità alius aliam, quando autem Sacerdos, qui adminiſtrat morte, aut alio impedimento corripitur, ità ut non poſſit Sacramentum inchoatum perficere, reliquas partes inungendas eſſe ab alio Sacerdote: partes verò unctas non eſſe iterum ungendas.

3 Non incurrit irregularitatem Sacerdos ſi ægrotus moriatur dum Sacerdos curat illum revolvi ad inunctionem faciendam, quia nullum eſt delictum, nec hęc irregularitas eſt in jure expreſſa; irregularitas verò non incurritur niſi ſit in jure expreſſa.

Quodnam ſit ſubiectum hujus Sacramenti, & quænam partes ungendæ ſint in collatione iſtius Sacramenti. Cap. 153.

1 SUbiectum extremæ unctionis ſunt ſoli fideles de vita periclitantes, qui ratione utantur, vel certè anteà uſi ſunt, hocque Sacramentum recipere optaverit ex *Conc. Florent.* in inſtructione Armenorum, unde infantes, & perpetuò amentes non ſunt capaces hujus Sacramenti, quia nunquam, vel nondum uſi ſunt ratione. Illis, vero qui ante lapſum in amentiam, vel phreneſim deſideraverunt hoc Sacramentum, conferri poteſt, etiam ſi tempore amentiæ videantur contradicere, modò non ſperetur convaleſcentia, aut non ſit periculum irreverentiæ, aut modò ante phreneſim non eſſent in peccato notorio, nam exiſtentes in peccato notorio, & poſteà incidentes in phreneſim, ſi nullum dederunt doloris ſignum non ſunt ſufficienter diſpoſiti ad hoc Sacramentum recipiendum, quia Sacramenta non ſunt adminiſtranda indignis.

2 Laborantes phreneſi poſſunt recipere Sacramentum extremæ unctionis cum fructu, ſi ante phreneſim optaverunt hoc Sacramentum, modò præmiſerint ſaltem actum attritionis, nam Sacramentum operatur ſuum effectum, ſi recipiatur ſine obice; ſecus dicendum de eo, qui eſt compos rationis, is enim ſi advertat, ſe habere conſcientiam peccati mortalis non ſufficit attritio ad recipiendum hoc Sacramentum cum fructu, quia ponit obicem ad gratiam.

3 Hoc Sacramentum poteſt conferri illis, qui hoc Sacramentum optarunt, id eſt habuerunt intentionem illud ſuſcipiendi ſaltem interpretativam, qualem habent qui Chriſtianè vixerunt, vel qui dederunt ſigna contritionis, vel qui ſemel habuerunt intentionem ſuſcipiendi hoc Sacramentum, illamque non retractarunt, vel qui ſunt diſpoſiti ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, quilibet autem præſumitur eſse diſpoſitus, niſi conſtet oppoſitum, quia nullus præſumitur malus, niſi probetur.

4 Quibus non ſunt infirmi non eſt conferendum hoc Sacramentum, licèt in magno periculo verſentur, & propterea non eſt conferendum gerentibus bellum, aut exiſtentibus in mari cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem à judice, aut mulieribus in partu exiſtentibus, quia nullus iſtorum eſt infirmus, ſecus ſi iſti ex morbo in periculo mortis verſantur.

5 Invalidum eſt hoc Sacramentum collatum ſano, vel infirmo nondum exiſtenti in periculo mortis, cum hoc Sacramentum conferatur ægrotis de vita periclitantibus, & ob id appellatur ultimum remedium.

6 Hoc Sacramentum conferri poteſt omnibus morti propinquis ob morbum, ob peſtem, ob tactum viperæ, ob morbum ex

parte

parte provenientem, ob vulnus, & ob rabidum morſum, inſuper adoleſcentibus poſt uſum rationis, ægrotantibus, ſenibus, qui ſenectute conficiuntur abſque alia infirmitate, nam ſenectus ipſa eſt morbus.

7 Non debet expectari extremum vitæ periculum, aut tempus, quo infirmus ſenſu prorſus careat, aut quo omnino ejus ſit deſperata ſalus, nam hoc Sacramentum eſt adminiſtrandum ſi fieri poteſt, quandò infirmus adhuc rationis uſu gaudet, ut ſe magis ad fructum Sacramenti recipiendi diſponat, quandò autem infirmus, dum ungitur moriatur, Sacerdos ab unctionibus debet deſiſtere, nam Sacramenta conferuntur viatoribus, & ſi dubitatur an ſit mortuus, Sacramentum adminiſtrandum eſt ſub conditione, nè Sacramentum conferatur incapaci, in quo caſu Sacerdos non peccat adminiſtrando Sacramentum ſub conditione, quia adeſt neceſſitas adminiſtrandi ſub conditione: & fieri poteſt ut infirmus ex attrito fiat contritus ſi adhuc vivit.

8 Ægrotus non peccat mortaliter non ſuſcipiendo Sacramentum extremæ unctionis, quia nullum extat præceptum obligans ſub mortali ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum: per accidens tamen fieri poteſt, ut omittendo peccet mortaliter, ut ſi omittat cum ſcandalo aliorum, vel contemptu parvipendendo Sacramentum ſecus dicendum ſi omittat ex negligentia, non enim peccat mortaliter.

9 Parochus tenetur hoc Sacramentum conferre, cum illi ex officio incumbat conſulere ſaluti ſuorum ſubditorum.

10 Infirmo, ſi fortè detur caſus, ut aliquis nunquam actualiter peccaverit, qui nunquam actualiter peccavit poteſt conferri hoc Sacramentum, licet in forma dicatur, (quidquid deliquiſti:) quæ verba ſignificant actuale peccatum: quia infirmus adhuc capax eſt effectus illius Sacramenti, quia *Jacob.* 5. dicitur (ſi in peccatis ſit dimittentur ei,) ergò Apoſtolus ſupponit hoc Sacramentum poſſe conferri cuicunque infirmo, nec opus eſſe, ut actualiter peccaverit: ſed peccata ſuſcipientis remitti, ſi in peccatis exiſtat, & proptereà adulto, qui ſtatim poteſt ſuſceptum Baptiſmum incidit in morbum lethalem poteſt conferri hoc Sacramentum ſaltem ſub conditione, quamvis nullum peccatum commiſerit poſt ſuſceptum Baptiſmum: quia eſt capax effectus hujus Sacramenti, & forma verificatur ſub conditione ſi deliquit.

11 Non peccat mortaliter qui confert hoc Sacramentum infirmo, antequam ſuſceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, nam infirmus poteſt per contritionem ſe diſponere ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, & fieri poteſt aliquandò, ut quis recipere poſſit Extremam unctionem, non verò pœnitentiam, vel Euchariſtiam, ut quando aliquis patitur vomitum, aut ità repente morbo præventus, ut non dederit ſigna Sacramenti pœnitentiæ, per ſe tamen ſervanda eſt praxis, & conſuetudo, ita ut recipiatur Sacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ante Sacramentum Extremæ unctionis.

12 De neceſſitate, & eſſentia hujus Sacramenti eſt, ut inungantur quinque ſenſus corporis, oculi ſcilicet, aures, os, nares, & manus, repetita ad ſingulos forma, & ideò ſi aliquis ex quinque ſenſibus non inungatur, invalidum eſt Sacramentum, nec confertur gratia, quia Sacramentum extremæ unctionis inſtitutum eſt ad remittenda peccata mortalia, quæ originem trahunt ex quinque ſenſibus, & proptereà ſi quis caret aliquo corporis membro, ut exempli gratia aure, ungenda eſt pars magis propinqua, quia licet exterius non peccaverit in ea parte, fieri tamen poteſt ut peccaverit per potentias illi membro reſpondentes unde Cæcus ungendus eſt In oculis: qui licet nunquam malè uſus ſit oculis, cum illis orbatus ſit, tamen fieri poteſt, ut peccaverit per internam potentiam illis reſpondentem, non autem inungitur totum corpus, quia ex illis quinque ſenſibus trahit originem peccatum, & licet aliqua peccata interius perpetrētur: tamen quia omnia dependent à ſenſu, cum nihil ſit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, ſequitur omnia peccata originem trahere à ſenſu, & conſequentur quinque ſenſus eſſe ungendos.

13 Unctio autem in renibus, vel pedibus adhiberi, & prætermitti poteſt juxtà loci conſuetudinem, quia poſſunt inungi quinque ſenſus corporis etiam ſi non ungantur renes, & pedes: immò unctio in renibus, vel umbilico ſemper omittenda eſt in feminis propter decentiam, & honeſtatem, & ideò unctio renum, & pedum non eſt de neceſſitate Sacramenti ſicut eſt unctio quinque ſenſum, in Sacerdotibus autem

Digitized by Google

non inungatur palma: ſed in ſuperiori verſa parte, quia ſemel in palma fuerunt inuncti in ſuſceptione Sacerdotalis ordinis. Ordo autem in ungendis quinque ſenſibus non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, quia murato ordine adhuc completa manet ſignificatio: ſed ungendum eſt utrunque organum uniusſenſus. ſcilicet, uterque oculus, vel utraque manus licet ſignificatio iſtius Sacramenti ſalvatur per unctionem unius organi: ex præcepto tamen ſervanda eſt locorum conſuetudo, quæ vim habet legis.

De Effectu Sacramenti Extremæ unctionis. Cap. 154.

1 Effectus hujus Sacramenti eſt graria habitualis, quæ habet adjuncta ſpecialia auxilia ad expellendas habitudines, & proclivitates ad malum, ad delenda venialia, & ad conferendam ſanitatem quatenus expedierit, effectus autem eſt triplex. Primus eſt expellere habitudines, & proclivitates ad malum. Secundus eſt ſublevare infirmum à corporali ægritudine: & ſanitatem conferre, ſi animæ ſaluti expedierit, quem effectum habet extrema unctio ex ſua natura licet non ſemper ſequatur: Tertius eſt gratia non ſolum ſanctificans, verum etiam delens peccata venialia, & habens adnexum auxilium contrà tentationes, & dæmonis incurſus: qui eo præſertim tempore ſolent eſſe vehementes.

2 Sacramentum extremæ unctionis impendit ſuum effectum in ultima unctione virtute omnium præcedentium, quia proprium eſt Sacramentorum conſiſtentium in uſu, ut unicam gratiam producant in eo inſtanti in quo perficitur, & ideo ſequitur infirmum ſolùm in ultima unctione conſequi effectum: quia in ultima unctione completur Sacramentum.

3 Sacramentum extremæ unctionis iterari poteſt, quia non imprimit characterem, Sacramenta autem, quæ non imprimunt characterem, iterari poſſunt: unde ſi exiſtens in periculo mortis percepit extremam unctionem, ſi per menſem convaluit à mortis periculo, poteſt iterùm recipere hoc Sacramentum, ſi incidat in grave periculum mortis.

4 Circa ritus, & ceremonias, quibus cum adminiſtrandum eſt hoc Sacramentum, & deferenda eſt extrema unctio ad infirmum, ſtandum eſt rituali, conſuetudini, & legi Epiſcoporum, non autem eſt neceſſarium, ut Parochus dum adminiſtrat hoc Sacramentum adhibeat alium miniſtrum reſpondentem, niſi aliter alicubi receptum ſit per decreta Epiſcoporum, vel ſedis Apoſtolicæ, peccat verò Sacerdos quoties adminiſtrat extremam unctionem prætermiſſis orationibus, quæ in hujus Sacramenti adminiſtratione præſcribuntur ab Eccleſia, modò periculum non ſit in mora, quia orationes ex præcepto Eccleſiæ neceſſariè ſunt, excipi poſſunt ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, quos puto ex præcepto Eccleſiæ non eſſe neceſſarios, niſi alicubi aliter per Epiſcopos decenatur. Inſtante igitur mortis articulo poteſt Sacramentum extremæ unctionis conferri nondum recitatis pſalmis, & orationibus, ſi periculum ſit in mora, nullum enim præceptum violatur, cum utrumque ſimul præſtari nequeat: ſupplendæ tamen erunt poſteà orationes prætermiſſæ ſi adminiſtrato Sacramento infirmus ſuperſtes maneat ſervatis ritibus in unaquaque Eccleſia, non licet autem hoc Sacramentum in neceſſitate adminiſtrare non adhibitis veſtibus ab Eccleſia præſcriptis.

De Sacramento Ordinis.

Quid, & quotuplex ſit ordo, & quandò nam fuerit inſtitutus? Cap. 155.

1 Ordo eſt Sacramentum, quo ſpecialis poteſtas traditur ad conficiendum corpus, & ſanguinem Chriſti; hæc definitio accomodari poteſt ſingulis ordinibus, ſi advertamus poteſtatem, quæ per ordines confertur ad Euchariſtiam, duplicem eſſe, mediatam ſcilicet, & immediatã: poteſtas immediata eſt illa, qua directè confici poteſt Euchariſtia, & hæc confertur in ordine Sacerdotali: poteſtas verò mediata eſt illa, per quam exercetur aliquod miniſterium quod dirigitur, & ordinatur ad Euchariſtiam tanquam ad finem quod miniſterium in ſingulis ordinibus reperiri, conſtabit conſideranti ſingulorum ordinum officium.

2 Ordines ſunt ſeptem Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acholitatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 2.

3 Epiſcopatus non eſt ordo, loquendo propriè de ordine, per quem confertur peculia-

culiaris poteſtas ad conficiendum Chriſti corpus, & ad ſacrificandum, ſeù loquendo de ordine propriè diſtincto à Sacerdotio; quià ſequeretur eſſe octo ordines, quod videtur contra communem ſententiam admittentem ſeptem tantummodò ordines, & quia Sacerdos habet eandem poteſtatem circa ſacrificium, quam habet Epiſcopus, quanvis per Epiſcopatũ conferatur peculiaris poteſtas, & character Sacerdotalis quodammodò extendatur ad creãdos Sacerdotes, tamen character Epiſcopatus, & character Sacerdotalis propriè non dicuntur duo ordines, ſed unus, qui dicitur extendi, & perfici in Epiſcopatu, unumque integrum, & perfectum ordinem conſtituit, ſicut non dicuntur duo ordines: quandò Sacerdos accipit poteſtatem abſolvendi Chriſti corpus; & poteſtatem abſolvendi à peccatis: ſed prior dicitur extendi, & perfici.

4 Epiſcopatus non poteſt validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti: nam Epiſcopatus non eſt ordo diſtinctus ab ordine Sacerdotali, ſed illum extendit, & ſupponit.

5 Archiepiſcopatus, & Papatus non ſunt ordines propriè, nec prima tonſura eſt ordo quia per illam non datur aliqua poteſtas ſpecialis ad conficiendam Euchariſtiam, quamvis per ipſam homo fiat capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & beneficiorum, ſed eſt tantùm diſpoſitio ad ordines.

6 Sacramentum ordinis fuit inſtitutum in ultima cœna *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Chriſtus contulit Apoſtolis auctoritatem Sacerdotalem, eiſque, ac eorum ſucceſſoribus, in Sacerdotio dedit præceptum conſecrandi *ex Trid. ſeſſ. 22. c. 1.* & quamvis *Luc. 22.* videatur tantummodò inſtitutus ordo Sacerdotalis; nihilominus dicendum eſt, etiam alios ordines inſtitutos fuiſſe, cum Ordo Sacerdotalis contineat eminenter alios ordines inferiores, qui ordinantur ad ordinem Sacerdotalem.

Utrùm ſinguli ordines ſint vera Sacramenta. Cap. 156.

1 ORdo Sacerdotalis eſt verè, & propriè Sacramentum; ex *Conc. Trid. ſeſſ 23. c. 3.* habetur Ordinem eſſe Sacramentum, cum autem Concilium appellet ordinem Sacramentum, neceſſe eſt, ut hoc verificetur de omnibus ordinibus, vel ſaltem de ordine Sacerdotali, qui eſt omnium præſtantiſſimus.

2 Non ſolùm ordo Sacerdotalis, verum etiam alii ſinguli ſunt Sacramenta, & conferunt gratiam ex Florentino, quod poſtquam dixit ordinem eſſe Sacramentum ſtatim ſubdit materiam hujus Sacramenti eſſe rem, quæ traditur ab Epiſcopo, & formam eſſe verba, & hoc non ſolùm applicat tribus ordinibus majoribus, verùm etiam aliis minoribus, ſi ergò ordines majores ſunt Sacramenta in quibus reperitur materia, & forma, cur etiam minores non erunt Sacramenta, cum in ipſis reperiatur materia, & forma.

De Materia, & forma Sacramenti Ordinis. Cap. 157.

1 MAteria remota Sacramenti ordinis eſt res illa, quæ traditur ſuſcipienti ordines, materia proxima eſt traditio materiæ remotæ, quia illa eſt materia Sacramenti, per quam conficitur Sacramentum, Sacramentum autem ordinis conficitur re, & traditione rei, res igitur dicitur materia remota, quia circà illam verſatur materia proxima, traditio verò dicitur materia proxima, quia verſatur circa remotam.

2 Materia remota ordinis Sacerdotalis eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia: materia vero proxima eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia cum quibus perficitur ordinatio Sacerdotalis, & Sacerdos remanet initiatus ordine Sacerdotali, ſi his peractis Epiſcopus moriatur, antequam illa verba proferat, *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, &c.* cum impoſitione manuum licèt habeat facultatem conſecrandi, caret tamen poteſtate abſolvendi: validè autem confertur ordo Sacerdotalis, nec eſt neceſſariò iterandus ſi ex oblivione tradatur vas cum una tantùm ſpecie, nam poteſtas conſecrandi utramque ſpeciem non traditur diviſim, ſed qui poteſt unam ſpeciem conſecrare, poteſt & aliam, cum Chriſti corpus conjunctum ſit cum ſanguine, & ſanguis cum corpore.

3 Materia Diaconi eſt liber Evangeliorum, licet tempore Apoſtolorum Diaconatus conferebatur per manuum impoſitionem, quia hoc conceſſum fuit Apoſto-

lis ex peculiari facultate Chriſti., nondum enim editum erat Euangelium , & ideò credibile eſt Chriſtum non unicam omninò materiam inſtituiſſe pro Sacramento Ordinis , ſed Apoſtolis , & eorum ſucceſſoribus contuliſſe poteſtatem conferendi ordines per traditionem inſtrumentorum , quibus indicatur poteſtas , quæ in unoquoque ordine confertur , & propterea Ordò in traditione primæ materiæ confertur , & character extenditur in traditione aliarum materiarum , quoties Eccleſia conſuevit aliquem ordinem conferre traditione plurium inſtrumentorum.

4 Materia Subdiaconatus eſt proprius Calix vacuus cum patena ex *Conc. Florent.* nec eſt neceſſe Calicem eſſe conſecratum; quia nullo jure conſtat neceſſariam eſſe Calicis conſecrationem , additur librum Epiſtolarum eſſe materiam Subdiaconi, ſicut enim materia Diaconi eſt liber Euangeliorum, ita Subdiaconi liber Epiſtolarum, ſed Calix, & patena ſunt materia præcipua ſubdiaconatus, liber verò Epiſtolarum ſecundaria.

5 In traditione Urceolorum imprimitur character in Accolitatu , nec eſt neceſſe utrumque urceolum tangi quia tacto uno cenſetur mortaliter tactus alter , in traditione autem candelabri dici poteſt extendi character; materia Exorciſtatus liber exorciſmorum . Lectoratus eſt liber lectionum. Oſtiariatus ordo perficitur in traditione cimbali, ut ordinatus convocet populum ad Sacrificium , & traditione clavium , ut cuſtodiat Eccleſiam , & licet de hujuſmodi materiis nihil habeatur in ſcriptura , ſufficit traditio Apoſtolorum, quæ colligitur ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine, & uſu.

6 Impoſitio manuum eſt materia eſſentialis Epiſcopatus, nam ex ſcriptura colligere non poſſumus aliam materiam præter impoſitionem manuum, per quam confertur poteſtas Epiſcopalis , & prolationem illorum verborum *Accipe poteſtatem, &c.* ergò, &c. licet aliqui afferant materiam Epiſcopatus in aliis etiam conſiſtere , ſcilicet in unctione capitis, impoſitione mitræ, traditione baculi in manu, & anuli in digito, libro Euangeliorum , & impoſitione manuum ſuper caput, nam ut Epiſcopus varia munera accipit , ita par eſt , ut accipiat Epiſcopale traditionem multiplicis materia verum materia remota Epiſc. ſunt manus ipſę, proxima vero eſt impoſitio manuum.

7 Contactus materiæ eſt de eſſentia , ita ut non cenſeatur ordinatus, qui materiam realiter , & phyſicè non tangit , non eſt autem intelligenda hæc ſententia ſcrupuloſè ſufficit enim tangere calicem , & patenam, nam moraliter cenſetur, tangi etiam contentum , immò qui tangit calicem, cenſetur etiam tangere patenam illi impoſitam , tutius tamen eſt attingere ipſam patenam , & hoſtiam immediate juxta ritum Eccleſiæ , ne ordinandus periculo ſe exponat non recipiendi ordinem, nec opus eſt, ut Mathematicè ſint ſimul contactus, & verba , ſeu forma , ſed ſufficit, ut ſint ſimul moraliter , ideſt ſine mora interpoſita , nam ſimultate morali ſubſiſtit ſignificatio Sacramentorum.

8 Forma Sacramenti ordinis ſunt verba , quæ ab Epiſcopo proferuntur imperativo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur, invocatio autem Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt de eſſentia Sacramenti ordinis, forma hujus Sacramenti imperativo modo adhibetur , ut oſtendatur ordinatum debere fungi munere ſuſcepto , nè videtur illud inutiliter ſuſcepiſſe , & debet Epiſcopus , cum profert formam , exhibere materiam tangendam, & valida eſt ordinatio, quandò plures ordinantur Sacerdotes,& Epiſcopus prolata ſemel unica forma in plurali præbet materiam pluribus ſucceſſive tangendam , non repetita forma, quia materia, & forma cenſentur ſimul moraliter.

9 Officium Sacerdotis eſt conficere Sacramentum Euchariſtiæ , adminiſtrare Sacramenta , excepta Confirmatione, & Ordine , prædicare verbum Dei , & docere populum, officium Diaconi eſt legere publicè Euangelium , in Eccleſia aſſiſtere , & miniſtrare in ſacrificiis, & urgente neceſſitate in abſentia Epiſcopi, & presbyteri baptizare poteſt ſolemniter , poſt etiam concionem ad populum habere ex facultate Epiſcopi , olim etiam adminiſtrabat Euchariſtiam , eamque ad abſentes deferebat. Officium Subdiaconi eſt proximè aſſiſtere Diacono , illique miniſtrare in ſacrificio miſſæ, deferendo calicem, & patenam ad Altare , & canendo Epiſtolam. Officium Acoliti eſt porrigere Subdiacono urceolos cum vino, & aqua, præparare lumina ad ſacrifi-

crifi-

Digitized by Google

crificium,& transferre cereum accenſum ad altare. Exorciſtæ imponere manus ſuper energumenos, illiſque exorciſmos legere ad fugandos dæmones, lectoris legere prophetias, & ſcripturas in Eccleſia. Oſtiarii aperire, claudere, & cuſtodire Eccleſiam, admittendo dignos ad ſacra, & excludendo indignos.

De miniſtro Sacramenti Ordinis. Cap.158.

1 ORdinarius miniſter Sacramenti ordinis eſt proprius Epiſcopus ex *Tr. ſeſſ.23.cap.4 cap 7.* quia cum ordo ſit quædam dignitas Eccleſiaſtica, illius collatio pertinet ad Epiſcopum, qui dignitates Eccleſiaſticas confert, quæ poteſtas accipitur ab Epiſcopis in ſua ordinatione, & conſecratione, nec illam amittunt per cenſuras cum fundetur in charactere Epiſcopali, qui eſt indelebilis, & propterea reſidet penes Epiſcopos, licet Excommunicatos, interdictos, ſuſpenſos, aut etiam privatos Epiſcopatu, licet eam poteſtatem illicitè exerceant in excommunicatione, &c & ordinatus ab Excommunicato vitando incurrat ſuſpenſionem.

2 Ordines ex facultate Summi Pontificis poſſunt conferri ab aliis, quam ab Epiſcopis, nam Cardinales presbyteri poſſunt conferre minores ordines, ut patet ex conſuetudine, Abbates etiam habentes jus mitræ, & baculi benedicti ab Epiſcopis poſſunt conferre primam tonſuram, & ordines minores ſuis ſubditis regularibus, aliis verò nequeunt abſque ſpeciali conſenſu ordinarii loci, cum litteris dimiſſoriis ità quilibet alius ſimplex Sacerdos poteſt de licentia Papæ ordines minores conferre, autem ordines majores, nam de jure Divino videtur determinatus miniſter ſacri ordinis Epiſcopus, non autem poteſt conferre ordines qui non eſt Sacerdos, cui Papa licentiam dare non poteſt conferendi ordines, nam collatio ordinum eſt actus ordinis, actus verò ordinis non poteſt exerceri à carente ordine, nam poteſtas conferendi ordines ſupponit poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum, quam ſolus Sacerdos habet; hinc ſequitur Epiſcopum, qui non eſt Sacerdos, non poſſe validè conferre ordines, & ita non poteſt Epiſcopus poteſtatem conferendi ordines illi conferre, qui non eſt Sacerdos, nec illi, qui non eſt Epiſcopus

3 Ordines, aut prima tonſura non poteſt conferri niſi à proprio Epiſcopo, unde Epiſcopus non poteſt conferre ordines ſubditis alterius Epiſcopi abſque ejus licentia proprius autem Epiſcopus eſt vel originis vel domicilii, vel beneficii, Epiſcopus domicilii dicitur Epiſcopus loci, in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ibi ſemper permanendi, cum animo autem permanendi per aliquod tempus non ſufficit ad contrahendum, nec ſufficit animus manendi, ſed requiritur ſimul actualis habitatio, nec ſufficit intentio manendi, & non manendi ad acquirendum, vel amittendum domicilium, & in foro externo non præſumitur animus permanendi perpetuò in aliquo loco, niſi ibi permanſerit per decem annos, vel ſi emit domum, vel ibi tranſtulit majorem partem bonorum.

4 Epiſcopus originis eſt Epiſcopus loci in cujus diœceſi ordinandus natus eſt, & in quo parentes habent domicilium, nec ſufficit, quod ibi natus ſit fortuitò, vel cauſa itineris, vel negotii parentum.

5 Epiſcopus Beneficii eſt Epiſcopus loci, in quo quis habet beneficium præſertim reſidentiale, quamvis tenue.

6 Epiſcopus ordinarius ex privilegio *Tr. ſeſſ.23.c.9.* poteſt conferre ordines ſuo familiari non ſubdito, qui per triennium commoratus ſit cum ipſo Epiſcopo, modo Epiſcopus conferat illi ſtatim beneficium. Poteſt etiam Epiſcopus ex declarationibus Cardinalium ſuum familiarem triēnalem ordinare ad titulum patrimonii, vel penſionis: familiaris autem debet eſſe ille, qui aſſiſtit ipſi Epiſcopo, non autem qui inſervit Epiſcopo in remota regione. Nomine autem Epiſcopi non intelliguntur Epiſcopi titulares, qui non habent Diœceſim, in qua ordinandus acquirat domicilium.

7 Qui eſt ſubditus ratione originis, vel Domicilii, aut alio modo non poteſt ordinari ab alio Epiſc. quam ab eo, à quo prius ordinatus fuerat, niſi facultas ab eo illi concedatur, quia factus eſt illius ſubditus.

8 Epiſcopus non modò per ſe poteſt ſuos ſubditos ordinare, verùm etiam poteſt dare licentiam alteri Epiſcopo ſuos ſubditos ordinandi, concedendo litteras dimiſſorias, & commendatitias, quæ non extinguntur morte concedentis, aut finita ejus poteſtate.

9 Capi-

9 Capitulum ſede vacante poteſt concedere dimiſſorias ex *Trid. ſeſſ. 7. c. 10.* duobus caſibus. Primus eſt quando Epiſcopatus vacavit per annum, Secundus eſt quando quis eſt arctatus, ut ſi perderet beneficium receptum, vel recipiendum, ſi tunc temporis non promoveretur ad ordines, unde *Conc. ſeſſ. 7. cap 10.* interdicit capitulum violans hoc decretum, & Clericos ſic ordinatus in minoribus vult privari privilegio clericali, præſertim in criminalibus, licet non ipſo facto, ordinatos verò in majoribus ſuſpendit ipſo facto uſque ad beneplacitum futuri Prælati, poteſt tamen Capitulum Sede vacante concedere litteras teſtimoniales, quæ non ſunt dimiſſoriæ.

10 Qui accepit ordines ab alieno Epiſcopo abſque Papæ auctoritate, & abſque litteris dimiſſoriis ſui ordinarii, remanet ſuſpenſus, caret privilegio ordinis, & ordinatio eſt irrita, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem ordinis; fiet autem capax, & poterit beneficium retinere ob ratihabitationem proprii Epiſcopi. Suſpenſio contracta poterit tolli ab Epiſcopo ex *Trid. ſeſſ 24. c 6.* licet referatur ad conferentem, & recipientem, primam tonſuram.

11 Qui à Sede Apoſtolica obtinuit privilegium, quo recipere poſſit ordines a quolibet Epiſcopo non indiget novis litteris dimiſſoriis, ſed indiget teſtimonialibus proprii ordinarii de vita, & moribus, ſine quibus ſi promoveatur remanet ſuſpenſus ab executione ſuſceptorum ordinum, & ordinans incurrit ſuſpenſionem à collatione ordinum per annum ex *Trid. ſeſſ. 23. de reformatione cap. 8. ad fin.*

12 Epiſcopus qui in aliena diœceſi confert ordines de conſenſu Epiſcopi illius Diœceſis non poteſt ordines conferre Clericis, qui non ſunt ſubditi ipſimet Epiſcopo ordinanti, vel illi Epiſcopo de cujus conſenſu in aliena diœceſi confert ordines: poteſt autem ordinare alios, dum habent litteras dimiſſorias, non poteſt autem Epiſcopus conferre primam tonſuram alieno ſubdito ſine licentia ſui ordinarii in aliena, vel etiam in propria diœceſi abſque ſuſpenſione à collatione primæ tonſuræ.

13 Qui furtivè, ideſt Epiſcopo non approbante, vel abſque examine Ordines ſuſcipit, incurrit ſuſpenſionem, licet alii dicant incurrere Irregularitatem, immo jure antiquo contrahebat excommunicationem, quam Epiſcopi ferebant antè ordinationem: ſed hoc tempore in novo Pontificali non videtur ipſo jure lata, ſed ferenda, & propterea talis excommunicatio non debet ab Epiſcopo ipſo facto ferri, dicunt aliqui, verùm ego non video quare juſta de cauſa nequeat ipſo facto infligi, ſicut poteſt comminatorie ferri, hęc autem excommunicatio ab Epiſcopo lata in accedentes contra ipſius prohibitionem non ſolùm cadit in ſubditos ipſius Epiſcopi, verùm etiam in exemptos.

14 Epiſcopus non tenetur examinare ordinandum in ſacris, ad quem mittitur cum dimiſſoriis, modò ſciat ipſum non eſſe indignum ut promoveatur.

De ſubiecto Ordinis, & conditionibus in eo requiſitis. *Cap. 159.*

1. Omnis maſculus baptizatus eſt ſubjectum capax ordinis, quamvis ſit infans carens uſu rationis, aut inſanus aut hæreticus, quando autem infans pervenerit ad uſum rationis, & ſit ordinatus in ſacris tenetur vi voti adſervandam caſtitatem, ſed non prius: validè autem conferuntur ordines pueris uſu rationis carentibus, etiam ſi numquam petierint; non ſic amentibus, validè conferuntur ordines: qui poſt uſum rationis inciderunt in amentiam ſi ordines nullo modo prius petierunt cenſentur enim habitualiter nolle ordines ſuſcipere.

2 Epiſcopatus conferri poteſt antè uſum rationis, quia ſufficiens ratio in contrarium afferri non poteſt.

3 Fœminæ non poſſunt ordinari, nam ſicut illis non licet in Eccleſia loqui: multo minus licebit Sacramenta adminiſtrare.

4 Hermaphroditus licet validè poſſit ordinari, ſi in eo ſexus virilis prævaleat, licitè tamen non poteſt ordinari cum ſit irregularis.

5 Conditiones requiſitæ ad validè, & licitè ſuſcipiendos ordines ſunt. Prima ut ſit Baptizatus, quia character Ordinis neceſſariò ſupponit characterē Baptiſmi. Secunda ut ſit confirmatus ex *Tr ſeſſ. 23. c. 4.* Tertia ut ſuſcepturus Ordines initiatus ſit prima tonſura, ex communi uſu, & praxi. Quarta eſt legitima ætas. Quinta eſt ſcientia ſufficiens ad uſum uniuſcujuſq; Ordinis. Sexta teſti-

teſtimonia morum, quæ ſolent exhiberi tempore ſcrutinii. Septima ut habeat titulum.

6 Validè confertur Ordo non confirmato quia Ordo non ſupponit characterem confirmationis, ſed non licitè ex *Tr. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. qui autem ſuſcipit, aut adminiſtrat Ordinem antè confirmationem peccat mortaliter, quia facit contra Tridentini decretum, & contrà conſuetudinem Eccleſiæ jure gravi.

7 Valida eſt Ordinatio antè primam tonſuram, cum nullo jure colligatur neceſſario requiri primam tonſuram ad validam Ordinis ſuſceptionem.

8 Ætas quæ requiritur ad ſuſcipiendos ſingulos ordines, eſt. Ad primam tonſuram: & minores Ordines requiruntur ſaltem ſeptem anni completi: Ad Subdiaconatum vigintiduo inchoati: Ad Diaconatum vigintitres inchoati: Ad Presbyteratum vigintiquinque, etiamſi per medium tantum diem inchoati ſint: Ad Epiſcopatum verò requiruntur triginta anni completi.

9 Initiatus Ordine ſacro mala fide antè legitimam ętatem fit ſuſpenſus donec abſolvatur, immò videtur incurrere irregularitatem ſit poſt Ordinationem conſecret cum Epiſcopo: nam Sacerdos ſuſpenſus incurrit irregularitatem per exercitium Ordinis ſacri: ſecus dicendum ſi teſtimonio ſuorum parentum bona fide Ordinatus eſt ante legitimam ætatem, nam non remanet ſuſpenſus, quia non peccat recipiendo ordines bona fide, & ſic non ſit irregularis celebrando, cum non dicatur violare cenſuram, quamvis peccet mortaliter celebrando ſciens, ſe non habere legitimam ætatem.

10 Dies biſextilis computandus eſt pro ætate legitima, quam jura in ordinandis requirunt, quia uſu Eccleſiæ receptum eſt, ut dies biſexti computetur.

11 *Conc. Trid. ſeſſ.* 26. *c.* 11. requirit in ordinandis ad minores, ſaltem linguam latinam; in promovendis ad Subdiaconatum, & Diaconatum exigit cognitionem eorum quæ pertinent ad illos ordines: ordinandus ordine Sacerdotali debet habere eam ſcientiam, qua poſſit populum docere neceſſaria ad ſalutem, & ritè adminiſtrare Sacramenta.

12 Recipiens ſacros ordines abſque ullo titulo ſuſpenditur ab executione ordinum, & ex bulla 75. Pii V. edita anno 1568. die 12 Novembris incipit Romanus Pontifex Sanctorum, in qua bulla Summus Pontifex ſupponens in *Conc. Trid. ſeſſ.* 21 *c.* 2. innovatam fuiſſe ſuſpenſionem contra Clericos ſæculares ſine titulo promotos extendit diſpoſitionem ejuſdem Concilii ad Religioſos ante profeſſionem promotos abſque titulo, ipſoſque inhabiles reddit ad ordines exercendos, & exercentes efficit irregulares: quod etiam militat in nulliter profeſſis, ut benè ſacra Cardinalium congregatio declaravit. Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui præfatos Religioſos ad ſacros ordines ante validam profeſſionem ſine titulo admittunt ſuſpenſionem a collatione talium ordinum per annum imponit idem Pius V.

13 Qui ad aliquem ſacrum Ordinem promovetur inito pacto cum Ordinante, vel cum præſentante non petendi ſubſtentationem, beneficium, aut aliquid aliud undè ali poſſit, ſuſpenſionem incurrit ab executione Ordinis ſuſcepti: quia hic recipere videtur Sacros ordines ſine titulo, & etiam ſi titulus validus eſſet nihilominus hic caſus expreſsè definitus eſt in c pęn de ſimonia, ubi dicitur eum, qui ſic ordinatur manere ſuſpenſum ob ordine ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc obtinere meruerit, excuſatur autem, ut arbitror, in foro conſcientiæ, ſi ignorantiam juris haberet.

14 Qui titulum patrimonii confingit mentiendo, aut falſo probando habere, quod nō habet, vel plus habere quam habeat, cum tamen id quod habet ad ſuſtentationem non ſufficiat, aut ſi fictam donationem ab aliquo accipiat, tanquam dolosè Ordinatus abſque titulo, ſuſpenſionem ipſo facto incurrit, quia in bulla Summi Pontificis Urbani VIII. quæ incipit *Secretis æternæ providentiæ* edita 11. Decembris 1624. impoſita eſt ſuſpenſio perpetua contra promotum ficto, falſo, ſeù fiduciario patrimonio.

15 Subdiaconus ordinatus abſque vero titulo, & poſteà obtenta ſuſpenſionis abſolutione accedit ad Diaconatum, vel ad Sacerdotium ſine novo titulo patrimonii vel beneficii iterum afficitur ſuſpenſione, quia hic dicitur ſacros Ordines ſuſcipere ſine vero titulo, & jura abſolutè ſuſpendunt ſuſcipientem ſacros Ordines ſine titulo, ita ſacra Cardinalium congregatio.

16 Suſcipiens ſacros Ordines abſque titulo ſuſpenditur, ſive ordinetur a proprio, ſive

ſive ab alieno Epiſcopo etiam cum litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, adhuc enim militat eadem ratio, & eadem juris diſpoſitio, nec litteræ dimiſſoriæ conferunt titulum: immò qui ficto titulo obtinuit litteras dimiſſorias recipiendo ſacros Ordines afficitur duplici ſuſpenſione, una quia recipit Ordines abſque titulo, altera quia dicitur Ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine litteris dimiſſoriis; hujuſmodi enim litteræ irritæ ſunt, utpotè per dolum obtentæ, idem dicendum de eo, qui recipit ſacros ordines cum licentia ſui Epiſcopi impetrata ad titulum patrimonii donati: ſed Ordinandus illud ante Ordinationem renunciavit: hic enim incurrit ſuſpenſionem, tum quatenus ordinatur abſque litteris dimiſſoriis cenſetur enim licentiam, ſeu dimiſſorias per dolum dantem cauſam licentiæ obtinuiſſe.

17 Suſcipiens ſacrum Ordinem abſque titulo incidit in irregularitatem ſi functionem ordinis ſuſcepti exerceat antequam abſolvatur.

18 Ille non afficitur ſuſpenſione, qui aſſignato ſibi vero patrimonio ſacrum Ordinem ſuſcipit, eoque ſuſcepto retrodonat, aut victum non petit ab eo, qui titulum ſibi aſſignaverat, & hoc militat etiam ſi facta hujuſmodi retrodonatione ad ſuperiores Ordines aſcendat, quia hic non dicitur ſacros Ordines ſuſcipere ſine titulo, nam illa retrodonatio irrita eſt, & invalida, ex decreto *Trid ſeſſ. 21. cap. 2.* ubi dicitur talem titulum ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui aut remitti nullatenus poſſe.

19 Ordinatus non fit ſuſpenſus ſi illi facta fuit aſſignatio patrimonii cum pacto, & juramento reſtituendi patrimonium donatori, ſeu non fruendi bonis donatis, ſeu non petendi quicquam, modo non reſtituat ante Ordinationem, vel pactum non inierit cum Ordinante, vel præſentante ad ordines quia aſſignatio valida eſt, & non dicitur Ordinatus ſine titulo, ſecus dicendum ſi fictè patrimonium aſſignatum recepit, quia Ordinatus cum hujuſmodi titulo eſt ſuſpenſus, cum non ſit donatio, ſed donationis fictio, unde dicitur Ordines ſine titulo ſuſcepiſſe quoties conſtat donationem ficte factum fuiſſe, qui verò in vera patrimonii aſſignatione juravit ſe nihil petiturum, aut reſignaturum patrimonium non tenetur juramentum ſervare, cum hoc pactum irritum ſit, & hæc conditio pacti, quamvis jurata rejicitur tanquam turpis.

20 Non ſit ſuſpenſus, qui promovetur ad titulum beneficii, cujus fructibus potiri, & frui non poterit, niſi poſt obtentum Presbyteratum, hic enim non dicitur promotus abſque titulo.

21 Non fit ſuſpenſus qui ad minores Ordines promovetur abſque titulo, non enim ad recipiendos Ordines minores requiritur patrimonium.

22 Qui cum patrimonio, & penſione ſufficienti ad ſuſtentationem Ordinatus eſt non ſit ſuſpenſus, quia non dicitur Ordinatus ſine titulo, ſecus dicendum, qui Ordinatur ſine titulo, eo quod habeat partem divitem cum ſit contra Conc. Tr loc. cit. ſic etiam fit ſuſpenſus, qui promovetur ad titulum Beneficii, quod actu non poſſidet, ſed ſolùm in potentia, quia ordinatur ſine titulo, ſecus dicendum de eo, cui beneficium collatum fuit, ſed ejus poſſeſſionem nondum cæpit: non enim fit ſuſpenſus recipiendo ordines ad titulum illius beneficii, quia hic non dicitur abſolutè ordines recipere ſine titulo, ſecus dicendum de eo, qui coadiutoriam perpetuam obtinuit cum futura ſucceſſione, nam ſi ordines ſacros ſuſcipit ſine alio titulo fit ſuſpenſus, quando in conſtitutione coadiutoriæ perpetuæ non fuiſset ei aſſignata quantitas ſufficiens ad ſuſtentationem, tunc enim poteſt ordinari tanquam ad titulum penſionis; fit ſuſpenſus, qui beneficium invalidè obtinet, ſi ad illius titulum promoveatur; quia non habet verè beneficii titulum, ſed eſt intruſus.

23 Titulus, ad quem promoveri quis poteſt ne fiat ſuſpenſus triplex eſt. Primus Beneficii Eccleſiaſtici ex *Trid ſeſſ. 21. cap. 2.* ut ſunt Parochiales Eccleſiæ, Canonicatus &c. Secundus eſt patrimonii, ſeu penſionis ex eodem *Conc. loc. cit.* licet qui vult ordinari ad hujuſmodi titulum requiratur Eccleſiæ neceſſitas, tamen abſque neceſſitate ordinatus, nullam cenſuram incurrit, bona patrimonialia ſunt tam bona propria arte, vel hæreditate, quam donatione acquiſita, modò donatio ſit vera. Tertius eſt profeſſionis, religioſus enim profeſsus promoveri poteſt ad ſacros, quia religio ipſum alere tenetur.

24 Ille cui certa bona frugifera pro titulo aſſignantur poteſt ordinari in ſacris, quia

hæc veniunt nomine patrimonii, idem dicandum ſi aſſignetur penſio ſeù ſtipendium, ſuper re frugifera ad modum cenſus duraturi ad vitam ordinandi, ſeù donec ordinandus beneficium Eccleſiaſticum, aut alia bona ſufficentia obtinuerit, non poteſt autem qui tantùm mobilia habet ad titulum illorum mobilium ordinari, quia bona mobilia fructus reddere non ſolent, nam facile conſummuntur, & pereunt.

25 Donans alicui patrimonium, ut ad illius titulum ordines recipiat apponere poteſt factum reſtituendi præfatum patrimonium cum ordinatus adeptus fuerit beneficium, aut aliundè habuerit, quo ſe valeat ſuſtentare quia hujuſmodi pactum non videtur adverſari diſpoſitioni *Concil. Trid.* modò adſit conſenſus Epiſcopi, ſi verò ad titulum patrimonii ordinatur, ſedere alieno ita granatus eſt, ut ſoluto debito ei non remaneat patrimonium ſufficiens id ipſius ſuſtentationem, ſeù ad titulum conſtituendum afficitur a ſuſpenſione quandò patrimonium hypothecæ ſubiectum eſt pro debito, quia non dicitur habere legitimum titulum, nam bona traſeunt cum honore hypothecæ, quandò verò bona non ſunt hypothecæ ſubiecta, arbitror titulum in hujuſmodi bonis validè conſtitui poſſe, & conſequenter ordinatum ad illorum titulum non ſuſpendi, quia ordinatus habet dominium illorum bonorum ab aliquo ordinando donatorum, etiam ſi fortè donatarius ære alieno detineatur.

26 Patres Societatis Jeſu ad ſacros ordines promoveri poſſunt peracto probationis biennio, quamvis enim ſtatim poſt biennium non emittant profeſſionem ſolemnem ſed ſimplicem, nihilominus profeſſio illa cum triplici voto in hac parte ſufficit & ſufficientem titulum præbet ex privilegio, & conceſſione Gregorii XIII.

27 Doctor, ſeù Bacchalaureus non poteſt ſub titulo litteraturæ, ſeù gradus ordinari, quia hic non eſt titulus beneficii, patrimonii aut penſionis, neque poteſt hoc tempore ordinari Clericus ad titulum alieni beneficii, aut ſtipendii ab Epiſcopo ſibi aſſignandi ſuper fructibus ſuæ menſæ, cum non ſit titulus ex præfatis tribus, patrimonium vero, penſio, aut beneficium ut ſit ſufficiens pro titulo ad promovendum ad ſacros ordines, debet eſſe ejus quantitatis, quæ ad vitæ ſuſtentationem ſufficiat, quæ quantitas arbitrio Epiſcopi dijudicanda eſt, non autem juxta gradum, nobilitatem, & ſtatum ordinandi, ſed ſimpliciter, ità ut talis quantitas aſſignetur, qua quis ſuſtentari poſſit, ſi vellet.

28 Qui habet patrimonium quo beneficiis, defectum ſupplere poſſit poteſt ad ſacros ordines promoveri, quia ex beneficio & patrimonio, vel penſione conflari poteſt unus titulus ſufficiens, modò patrimonium ſeù redditus ſint certi, quare non poteſt quis promoveri ad titulum eleemoſynæ, vel anniverſariorum, vel alterius ſtipendii ſuo labore, & induſtria obtinendi, ut quia muſicam, picturam, aliamve licitam artem, vel profeſſionem exercet, quia iſti ſunt redditus incerti, inſuper titulus ad quem Clericus ordinatur debet eſſe perpetuus, ex *Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.*

29 Vicaria temporalis, & alia beneficia manualia, ſeù non perpetua pro titulo non ſufficiunt, ſecus dicendum de Vicaria perpetua, quæ legitimum titulum inducit.

30 Ordinans religioſum nondum profeſſum, ſuſpenditur per annum a collatione talis ordinis, item ordinans aliquem abſque titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat, ſuſpenditur per triennium à collatione ordinum, præſentator, præſentans cum præfato pacto ſuſpenditur per triennium ab executione ordinum, ordinans præterea aliquem ſine titulo, tenetur eum alere, donec ei competenti beneficio provideatur per ipſum ordinantem, vel per alium etiam ſi ordinans nullum pactum cum ordinario inierit, non autem tenetur Epiſcopus alere a ſe ordinatum ſinè titulo, ſi habeat patrimonium, quo ſe valeat ſuſtentare.

31 Quandò Epiſcopus contulit beneficium alicui, & ad ejus titulum ordinavit ſciens beneficium amiſſurum, tenetur alere, & providere ordinatum, quia cenſetur ordina ſe ſine ſufficienti titulo, non autem tenetur quando bona fide contulit, nihil ſciens de amiſſione, nullam enim in hoc culpam admiſit, & ideò ſicut recipiens ſacros ordines conſcius conditionis beneficii amittendi ligatur ſuſpenſione, ita conferens ordines conſcius ejuſdem conditionis obſtringitur onere alendi.

32 Ordinatus ab alieno Epiſcopo de licentia proprii Epiſcopi quando eſt alendus, ortus competit illi; qui licentiam dedit

dit promovendi, quia ipſi onus incumbebat inſpiciendi, an titulum haberet, ſed ſi proprius Epiſcopus dedit alteri licentiam generalem conferendi ordines in ſua diœceſi nullis perſonis in particulari explicatis, tunc tenetur ordinans, quia ipſius erat proſpicere, an titulum haberet, mortuo autem Epiſcopo ordinante, ordinatus alendus eſt ſucceſſores ſic decernitur in c. Cum ſecundum Apoſtolum de præbendi?

33 Abſolutio iſtius ſuſpenſionis contractæ ſuſcipiendo ordines abſque titulo impendi poteſt ab Epiſcopo, quia jure communi non eſt reſervata, modo Clericus non fecerit pactum cum ordinante vel præſentante non petendi quidquam, ſi enim huiuſmodi pactum iniit, abſolutio conferenda eſt à Papa, quia ei reſervatur, hoc tamen intelligendum eſt quando delictum eſt publicum, nam Epiſcopus in delicto occulto diſpenſare poteſt ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.* Epiſcopus autem ordinans cum pacto ſuperius expreſſo: & per triennium ſuſpenſus, elapſo triennio ſtatim remanet abſolutus: quia cenſura non ligat ultra voluntatem conditoris; Confeſſarius etiam generalis habens facultatem abſolvendi à cenſuris poteſt abſolvere à ſuſpenſione contracta ob defectum tituli, ſecus ob malam ordinum ſuſceptionem, quia cum ſuſpenſio ſit cenſura, qui habet facultatem generalem abſolvendi a cenſuris: poteſt etiam abſolvere in foro conſcientiæ à ſuſpenſione.

34 Octava conditio in ordinandis ſunt temporum interſtitia, non ſolum in majoribus, verum etiam in minoribus ordinibus ita ut qui ſuſcepit ultimum minorum ordinum debet per annum expectare, donec ad ſacros ordines promoveatur, niſi aliter Epiſcopo expedire viſum fuerit, verum interſtitia non ſunt mathematicè computanda: ità ut ordinandus, nequeat ad ordines promoveri niſi inter unum, & alterum ordinem traxerit moram duodecim menſium completorum, ſed moraliter, & iuxta ritum Eccleſiæ, ſcilicet ab una quadrageſima ad aliam, à Pentecoſte ad Pentecoſtem, &c. quamvis inter primam, & ſecundam Pentecoſtem nondum ſint elapſi duodecim menſes.

35 Diſpenſatio interſtitiorum pertinet ad epiſcopum etiam reſpectu religioſorum, quibus cum diſpenſare poteſt ex cauſa ſibi per atteſtationem ſuorum ſuperiorum manifeſtata, ordines ſuſcipientes non ſervatis interſtitiis nullam incurrunt cenſuram, vel irregularitatem, quia non eſt in jure expreſſa. Epiſcopus poteſt alicui una, & eadem die omnes ordines minores conferre, non verò primam tonſuram, & minores ordines, præciſa legitima conſuetudine; aut minores cùm aliquo ordine ſacro, aut duos ſacros abſque Summi Pontificis diſpenſatione, aliter ordinatus remanet ſuſpenſus ab executione ordinum, donec obtineat abſolutionem à Sede Apoſtolica.

36 Nona conditio requiſita ad ſuſcipiendos ordines eſt, ut ſuſcipiens non ſit Irregularis: nam Irregularitas eſt inhabilitas ad ſuſcipiendos ordines: nam Spurius non poteſt licitè ordines recipere: ſed graviter peccat ordines ſuſcipiendo, & ſuſpenſus eſt ab ordinum executione; item non poſſunt licitè ad ordines promoveri, ſcilicet carens debita membrorum integritate, habens inſignem maculam in oculo, quæ ororem inſpicientibus incutiat, aut carens digitis ad hoſtiam perſtringendam adhibendis, aut habens manus mobiles, & tremulas, ità ut periculum ſubeat effuſionis ſanguinis in elevando calice, aut qui ad mortem alterius cooperatus eſt, non poteſt, licitè ad ordines promoveri cùm ſi irregularis.

37 Decima conditio requiſita ad ſuſcipiendos ordines eſt ut ſuſcipiens non ſit irretitus, aliqua cenſura, præſertim excommunicatione, nam excommunicati privantur ſuſceptione Sacramentorum.

38 Undecima conditio requiſita in ſuſcipientibus ordines eſt intentio, quæ eſt neceſſaria in adulto, nam in carente uſu rationis ſufficere videtur intentio Eccleſiæ, ordinatus, autem per metum validè recipit ordines: ſecus ſi per vim abſolutam nolens ordines ſuſcipere promoveatur]: caret enim intentione ſuſcipiendi ordines.

39 Duodecima conditio requiſita in ordinandis eſt, ut ſuſcipiens ſit in gratia per confeſſionem aut per contritionem niſi fortè ſuſcipiens ordines ſimul etiam ſuſcepturus ſit Euchariſtiam: tunc enim ſi ſit in peccato mortali præmittere debet confeſſionem.

40 Ultima conditio requiſita in ordinandis eſt, ut cum debitis veſtibus ad ordines ſuſcipiendos accedat. Sacerdos enim qui ad ſacram ordinationem accedit aut

miſſæ

miſſæ ſacrum facit debet indui, cingulo, amictu, manipulo, ſtola, caſula; ſenarius autem numerus veſtium adhibetur ad indicandam hujus orbis creationem, quæ ſex diebus facta fuit, vel ad ſignificandam mundi redemptionem, quæ ſexta ætate contigit. Diaconus, & Subdiaconus non induunt planetam ſed Dalmaticam: quæ hoc nomine appellatur, quia in Dalmatiæ regione primo fuit in uſu.

Quo tempore conferendi ſunt, & quos effectus pariant Ordines. Cap.160.

1 PRima Tonſura conferri poteſt quolibet die, ut conſtat ex generali conſuetudine Eccleſiæ, Conſecratio Epiſcopi poteſt fieri quolibet die Dominico. Ordines conferendi ſunt in ſabbatis quatuor temporum vel in ſabbato ante Dominicam Paſſionis, vel in ſabbato Sancto tempore miſſæ, niſi aliud per privilegium à Sede Apoſtolica concedatur.

2 Tridentinum in diſpenſatione interſtitiorum inter minores ordines requirit ſolùm arbitrium Epiſcopi: inter minores, & majores exigit neceſſitatem, aut Eccleſiæ utilitatem, inter Diaconatum, & Preſbyteratum poſtulat Eccleſiæ utilitatem, & neceſſitatem, ita ut non ſufficiat Eccleſiæ utilitas, verùm etiam requiratur neceſſitas, quià Conc. Trid. c.14. in hac parte videtur utramque cauſam requirere, cum loquantur per particulam coniunctivam.

3 Effectus Sacramenti ordinis duplex eſt, Primus eſt gratia habitualis, quia eſt Sacramentum, & effectus Sacramenti eſt gratia habitualis, Secundus eſt Character ex Trid. ſeſſ.23. c.4. qui ſecundus effectus confertur eodem tempore quo confertur primus.

De obligationi Clericorum, & eorum Immunitate. Cap.161.

1 CLericus ſignificat ſortem, ſeù hæreditatem eo, quòd Deus peculiariter ſit illius ſors, ſive pars, vel eo quòd Clericus ſit peculiariter de ſorte, ſive hæreditate Domini; fit autem Clericus per ſuſceptionem primæ tonſuræ, quæ conferenda eſt à proprio Epiſcopo per tonſionem capillorum, vel ab aliu de licentia proprii Epiſcopi: verùm ſi conferatur ab alio Epiſcopo abſque licentia proprii ordinarii valida eſt, nec iteranda; dicitur prima tonſura eo quòd per capillorum tonſionem conferatur, dùm Epiſcopo nomine Tonſurandi illa verba enunciat *Dominus pars hæreditatis meæ*, quanquam validè conferri poſset illis verbis prætermiſsis, nam prima Tonſura non eſt propriè ordo, ſeù Sacramentum, conſequenter non eſt illi neceſſaria materia, & forma.

2 Clerici multas habent obligationes, Prima eſt ut geſtent habitum, & tonſuram & propterea Clericus initiatus majoribus ordinibus, aut habens beneficium peccat mortaliter non gerendo tonſuram, vel habitum ad longum tempus abſquè juſta cauſa quia violat legem in materia gravi: ſed exiſtentes in minoribus ordinibus facilius excuſantur à peccato, quia poſſunt ad ſtatum laicalem tranſire, immò de jure communi Clericus non poteſt cogi ad ferendum habitum, niſi quatenus uti velit privilegio Clericali: Clerici peccant geſtando arma abſque juſta, & rationabili cauſa, vel abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, vel abſque legitima conſuetudine, quia uſus armorum Clericus prohibetur immò deferentes arma poſsunt excommunicari: poteſt tamen excuſari ſi deferat arma ob defenſionem vitæ propriæ, aut rerum ſuarum. Clerici ſacris ordinibus initiati tenentur recitare horas canonicas, ſervare caſtitatem, quia ſacris ordinibus annexum eſt votum caſtitatis, quod cenſetur emitti tacitè per ſuſceptionem Sacrorum ordinum.

3 Clerici exempti ſunt à laica poteſtate: non peccat Clericus recipiens primam tonſuram eo tantum fine, ut fruatur privilegio Clericali, vel ut gaudeat exemptione fori, non verò intentione ſerviendi Eccleſiæ.

DE

DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO TRACTATVS.

De Sponſalibus . Cap. 162.

SPonſalia dicta ſunt à ſpondendo, quæ aliquandò ſignificant munera, quæ ſponſi mutuò tradunt; aliquandò matrimonium de præſenti nondum cõſumatum, quo pacto Beatiſſima Virgo appellabatur Sponſa Joſeph; aliquandò ſignificant mutuam promiſſionem futuri matrimonii, ſeù contractum inter ſponſos. Nos loquemur de ſponſalibus, quatenus ſignificant mutuam promiſſionem matrimonii.

Quid ſint Sponſalia, & quid requiratur ad illorum valorem. Cap. 162.

1 SPonſalia ſunt mutua promiſſio futuri matrimonii, ex quo fit, ut quandò uterque ſponſus dixit ducam, vel accipiam te in conjugem, vel promitto tibi matrimonium, cenſetur celebraſſe ſponſalia, eo quod adſit mutua promiſſio.

2 Ad validitatem Sponſaliorum tres conditiones requiruntur, Prima ut adſit promiſſio voluntaria, Secunda ut promiſſio ſit mutua, & acceptata, tertia ut ſit aliquo ſigno externo ſufficienter manifeſtata.

3 Quando quis dicit fœminæ volo te accipere, habere, aut ducere in uxorem præcisè, non eo trahit ſponſalia, quia hæc verba non ſignificant promiſſionem, ſed propoſitum promiſſionis. Poſſunt tamen tales circumſtantiæ concurrere, ut illa verba ſufficiant ad ſponſalia, vel etiam ad matrimonium, ſi proferens intendat verè promittere, vel contrahere matrimonium, & alter ſimilia verba adiungat cognoſcens intentionem primi proferentis, & promittentis.

4 Promiſſio debet eſſe deliberata, nam ſponſalia obligant ſub mortali, & propterea deliberatio debet eſſe tanta, quanta ſufficiat ad peccatum mortale, quæ promiſſio debet eſſe voluntaria, nam ſponſalia inducunt obligationem, vis autem obligandi naſcitur ex voluntate; unde promiſſio ficta nullam inducit obligationem ex vi promiſſionis, poſſet tamen aliunde inducere, & ratione damni, &c. qui autem ex animo promiſit, ignorans obligationem ſequi ex promiſſione non tenetur ad eam ducendam, quia non habuit voluntatem promittendi, cum ignoraret naturam promiſſionis, immò non tenetur ducere, ſi ſciebat obligationem ſequi ex promiſſione, ſed ipſe promittens expreſsè noluit obligari, quia non habuit voluntatem verè promittendi, ſeù obligandi, undè promittens, ſi poſitivè noluerit ſe obligare, revera non remanet obligatus, ſponſalia autem non requirunt expreſſam voluntatem ſe obligandi, ſed ſufficit tacita, & implicita; & proptereà ille tenetur ad adimplendam promiſſionem, qui promiſit ſciens naturam promiſſionis, quamvis non habuerit explicitam intentionem ſe obligandi, quia obligatio naturaliter ſequitur ex promiſſione, undè qui promiſit, & poſteà dubitat, an promiſerit animo ſe obligandi, tenetur adimplere promiſſionem, quia obligatio naturaliter conſequitur promiſſionem.

5 Ad validitatem ſponſaliorum requiritur, ut promiſſio ſit acceptata, nam promiſſio habet hanc tacitam conditionem, ſi alter acceptaverit, licet promiſſio non acceptata in aliquibus caſibus obliget; eo quod ius poſitivum in illis ſuppleat defectum acceptationis, ut accidit, quando aliquid promittitur infanti; prætereà promiſſio debet eſſe mutua, quia ſponſalia nihil aliud ſunt, quàm mutua promiſſio futuri matrimonii, ideò ad validitatem ſponſaliorum non ſufficit, ut unus tantùm promittat, ſed uterque debet promittere, & promiſſionem acceptare.

6 Promiſſo ſponſaliorum debet exteriùs manifeſtari, nam promiſſio fit homini: homo autem non poteſt acceptare promiſſionem, & ejus obligationem acquirere, niſi aliquo ſigno externo ſibi manifeſtetur, ſive hoc ſignum ſit verbum, ſive aliquid aliud æquivalens, unde aliquando ſufficit aliquod factum ad manifeſtandum promiſſionem, & conſenſum, quale factum eſt miſſio annuli in digitum, vel miſſio torquis ad collum, ubi conſuetudine receptum

ptum eſt, ut ſponſalia hoc modo celebrentur; ſufficit etiam aliquandò porrectio manus ad ſignificandum conſenſum, ut ſi ſponſus petat ſibi manum à ſponſa porrigi ad celebranda ſponſalia, vel matrimonium, & ipſa ſponte porrigat; taciturnitas verò non ſufficit ad manifeſtandam promiſſionem, & conſenſum, ut ſi Cajus promittat Bertæ matrimonium, & ipſa taceat, non fiunt ſponſalia, etiamſi Berta interiùs conſentit, quia promiſſio, & conſenſus Bertæ non ſufficienter manifeſtatur per taciturnitatem.

7 Valida ſunt ſponſalia contracta à patre, vel matre pro filiis abſentibus, ſi filii ubi hoc intellexerint non contradicant. item validè contrahit ſponſalia pater, mater, vel alius curam filiorum habens, vel matrimonium pro filiis tacentibus, & non contradicentibus, modò filii interiùs conſentiant, ius enim in hoc caſu accipit taciturnitatem pro conſenſu: ſecùs dicendum, ſi alius, qui non eſt pater, vel mater, vel qui non habet curam promittat pro filio tacente, & non contradicente ſponſalia, etiam ſi filius tacens internè conſentiat, quia taciturnitas non habetur pro expreſſione conſenſus, unde valet in hoc caſu regula juris in ſexto, *Qui tacet neque conſentire, neque diſſentire videtur*, & propterea ad celebranda ſponſalia requiritur, ut conſenſus manifeſtetur per aliquod externum ſignum, ſivè illud ſit nutus, ſivè factum, ſivè verba quæcunque, non autem ſufficit taciturnitas.

8 Non ſufficienter exprimitur conſenſus requiſitus ad ſponſalia, quandò dicitur non ducam aliam præter te, vel niſi te, vel non ducam aliam à te, nec ex vi verborum contrahuntur ſponſalia; quia hæc verba in contractibus faciunt ſenſum conditionatum, nec ſufficienter exprimunt conſenſum de præſenti, vel de futuro, niſi adſint aliæ circumſtantiæ, & conjecturę, ideſt niſi ex conjecturis appareat contrahentes voluiſſe, per ea verba contrahere ſponſalia, vel matrimonium. Quandò verò verba, quibus celebrata ſunt ſponſalia, habent duplicem ſenſum, ſtandum eſt intentioni, ſecundum verba quæ proferuntur, forum enim conſcientiæ non innititur præſumptioni, vel intentioni, ex qua per ſe primò naſcitur obligatio ſponſaliorum, quandò dubitatur utrum in ſponſalibus adfuerit animus ſe obligandi: judicandum eſt in foro interiori adfuiſſe animum ſe obligandi, nam forum exterius judicaret animum adfuiſſe non adhærendo falſæ præſumptioni, quia nemo præſumitur dicere, quod in corde non habet.

9 Verba valent ad illud, ad quod ſignificandum uſurpantur ex conſenſu contrahentium, unde quandò ex intentione contrahentium adhibentur ad ſignificandum conſenſum de futuro, valent ad contrahenda ſponſalia, etiam ſi ipſa de ſe repræſentent conſenſum de præſenti, quia ad contrahenda ſponſalia, non requiruntur determinata verba: ſed ſufficiunt quæcunque ſigna, quibus ſufficienter manifeſtetur conſenſus internus, qui ſufficienter manifeſtatur per quæcunque verba ex intentione, & conſenſu contrahentium prolata, etiam ſi aliud communiter ſignificent: quandò verò verba accipiuntur ab altero contrahentium juxtà communem ſignificationem non ſunt valida ſponſalia, aut matrimonium ſi verba ſecundum ſe, & ſecundum communem ſignificationem non ſignificant conſenſum de præſenti, vel de futuro, etiam ſi proferens illa protulerit intentione præſtandi conſenſum de præſenti, vel de futuro, quia in eo caſu conſenſus non eſt ſufficienter manifeſtus.

10 Quandò verba dubia ſunt, & non conſtat de intentione proferentium, contrahentes ſunt compellendi ad ſervanda verba in eo ſenſu, quem rectè intelligentes ſolent communiter ex iis verbis percipere, vel ut verborum dubiorum ſignificatio deſumatur ex cauſis, de quibus agitur, conſequenter inſpiciendum eſt utrum agetur de ſponſalibus, vel de matrimonio: & ſic prò negotio, ſeù cauſa, quæ agitur explicanda ſunt verba dubia: vel ſtandum eſt judicio fori externi, modò non innitatur falſæ præſumptioni, illa autem verba *habebo te in uxorem* in foro externo explicanda ſunt prò ſponſalibus, in foro verò interno ſtandum eſt intentioni contrahentium: nam ſi contrahentes intendebant per illa verba contrahere matrimonium de præſenti explicanda ſunt prò matrimonio, modò adſint cætera requiſita, ſi verò contrahentes intendebant tantummodo ſponſalia celebrata, explicanda ſunt pro ſponſalibus: illa verò verba *ex hoc tempore, vel ſemper, vel deinceps, vel omnibus diebus vitæ meæ*

habebo in uxorem explicanda ſunt pro matrimonio de præſenti, conſequenter ſufficiunt ad contrahendum matrimonium modò adſint cætera requiſita.

De obligatione, quæ conſurgit ex Sponſalibus. Cap. 164.

1 EX veris ſponſalibus oritur obligatio ſub mortali ad ipſa adimplenda, unde ſponſus qui non adimplet ſponſalia graviter peccat, & gravem infert injuriam alteri ſponſo, etiam ſi poſt ſponſalia contracta pæniteat ſponſum illa celebraſſe, nam pænitentia poſt contracta ſponſalia non tollit obligationem eorum, cum anteà validè celebrata fuerint, & propterea ſponſus, vel ſponſa nobilis, & dives, quæ iniit voluntariè ſponſalia cum aliquo ignobili, & paupere, cuius conditionem non ignorabat, tenetur ſtare ſponſalibus, & cum illo matrimonium contrahere, cum enim eſſet conſcia conditionis alterius, & ad hoc voluerit ſponſalia contrahere tenetur adimplere, promiſſionem, ex qua oritur obligatio ſub mortali, modò ex adimpletione promiſſionis, ſeu ex illo matrimonio non ſequatur grave malum, vel magnum ſcandalum, ut graves rixę inter parentes contrahentium; vel aliud grave incommodum, nam juſtitia non obligat ad faciendum malum; malum enim eſt celebrare matrimonium cum ſcandalo aliorum, nec ſponſus tenetur promiſſionem adimplere futuri matrimonii, quandò prævidet fore, ut matrimonium ſortiatur pravum exitum, habet enim iuſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus.

2 Ex Sponſalibus non veris, ſed fictis, ideſt factis abſque intentione promittendi, vel ſe obligandi non inducitur obligatio ex vi ſponſaliorum, nam iuſtitia, aut fidelitas non obligat ad ſervandum id, quod verè non eſt promiſſum: ficta autem promiſſio, eſt promiſſio ſolo nomine, & non vera promiſſio; peccavit autem ſponſus fictè promittendo, & decipiendo alterum ſponſum: qui non facilè poterat cognoſcere rem joco agi, non tamen tenetur ſtare promiſſioni, aut complere ſponſalia ex vi promiſſionis, ſeù ſponſaliorum: ratione verò alterius damni quod alter patitur, aut ratione ſcandali vitandi, ſi aliter evitari non poteſt, tenetur ſtare promiſſioni, & complere ſponſalia: illa autem eſt ficta promiſſio, quæ fit ſine animo promittendi, aut cum animo non ſe obligandi: vera enim promiſſio non ſubſiſtit ſine animo promittendi, aut ſine intentione tacita, vel expreſſa obligandi ſe.

3 Ficta promiſſio, quandò facta fuit cum iuramento animo iurandi, & ſe obligandi ſervanda eſt, nam ex iuramento hoc modo facto conſurgit obligatio: quandò verò juramentum factum fuit abſque animo iurandi, vel cum animo non ſe obligandi, non eſt obligatio ſervandi promiſſionem præcisè ex vi iuramenti, nam obligatio iuramenti oritur ex vero iuramento, nec Deus acceptat iuramentum, niſi ſecundum hominis intentionem: poteſt tamen contingere, ut ob aliā rationem ſervanda ſit promiſſio, ſcilicet vitandi ſcandali, ſi aliter evitari non poteſt, quam per adimpletionem promiſſionis: immo fictè promittens cogitur in foro externo ſtare promiſſioni; aut iuramento, quia præſumitur iuraſſe cum intentione iurandi, & ſe obligandi: poteſt etiam obligari ſtare promiſſioni non ſolùm ratione ſcandali vitandi; ſed etiam ratione damni præcavendi, ut quandò quis ficta promiſſione matrimonii, aut ficto iuramento aliquam decepit illam deflorando: quamvis enim non teneatur ex vi promiſſionis, aut iuramenti ſervare promiſſionem celebrando matrimonium cum decepta, nihilominus tenetur ratione damni injuſtè illati, unde vir tenetur ducere virginem, quam defloravit ficta promiſſione matrimonii; niſi fortè vir ſit conditionis longè ſuperioris, ſic etiā tenetur ducere viduam bonæ famæ, quam ficta promiſſione matrimonii carnaliter cognovit, ſi ipſa infamiam pateretur ex illa copula: & ob id inepta redderetur matrimonio, nam ceſſeretur cauſa iuſta illius damni, ſi illam non duceret, neque ſatisfacit dotando prædictam virginem, aut viduam, ſi ipſa non eſt contenta dote, nam promiſſio non fuit de dote, ſed de matrimonio: licèt probabile ſit non teneri ducere, ſed ſatisfacere reſarciendo damnum, & injuriam.

4 Qui cum ficta promiſſione matrimoni habuit copulam cum femina malæ vitæ non tenetur eam ducere ratione promiſſionis: quia promiſſio ficta non inducit obligationem, neque tenetur ratione damni: nam illa femina nullum damnum patitur:

titur: quare ſatisfaciet ſolvendo pretium copulæ ſi illa fæmina conſueverat corpus ſuum locare.

5 Quando vir ficta promiſſione decepit fæminam, quæ ſimulabat ſe virginem & divitem cum non eſſet, extorquendo copulam, non tenetur eam ducere, quia in hoc caſu habet ſufficientem cauſam diſſolvendi ſponſalia, ſi vera eſſent, & multò minus tenetur ſtare ſponſalibus fictis: quia fictio fæminæ compenſatur cum fictione viri: immo non ſolùm non tenetur ad ducendum prædictam fæminam: ſed neque tenetur ad ullam reſtitutionem quando fæmina ſe virginem ſimulabat, & propterea eſt corrupta, nam nullum damnum vir illi cenſetur intuliſſe.

6 Quandò vir ficta promiſſione extorſit copulam à fæmina: cum ipſe eſſet notabiliter impar nobilitate, aut divitiis, aut potentia non tenetur eam ducere, quandò mulier ſciebat diſparitatem, & inæqualitatem, ex qua facilè poterat advertere, virum non habere animum verè promittendi, ſed decipiendi, quia præſumitur fæminam ſe voluntariè decepiſſe, & potius fingere ſe deceptam, quàm re vera decepta ſit, nec tenetur eam ducere ratione deceptionis, nam ipſa potius decipi voluit, quam ſit decepta, nec tenetur ratione copulæ, quia copula non eſt digna tanto pretio, ut vit cogendus ſit illam ducere, & cũ illa perpetuò manere, ergò non tenetur ducere.

7 Vir nobilis non tenetur ducere filiam agricolæ à ſe deceptam ficta promiſſione, ſi ipſa conſcia erat notabilis diſparitatis; idem dicendum, quandò ambæ ſunt pares genere, ſed notabiliter impares divitis: ſecus dicendum quando quis ex animo promiſi ſive copulam extorſerit, ſive non; tunc enim certum eſt teneri ducere non ſolùm ratione damni illati, ſed etiam ratione promiſſionis, undè non ſatisfacit dotando, niſi ipſa liberè conſentiat, nam promiſſio non fuit de dote, ſed de matrimonio, quandò autem non poteſt eam ducere ob aliquod impedimentum, ut quia factus eſt illi affinis, aut quia ſuſcepit ſacros ordines, aut quia matrimonium cum alia contraxit, tenetur reſarcire damnum, quod puella patitur denegando ſibi matrimonium, nam cauſa injuſta damni tenetur ad reſtitutionem.

8 Quandò vir eſt multo dignioris conditionis non tenetur ducere fæminam notabiliter inferiorem conditione à ſe deceptam ficta promiſſione, ſi fæmina decepta neſciebat inæqualitatem ſtatus, aut ſi fæminæ ſcienti inæqualitatem viri, vir adeò aſſeveranter promiſit, ut ipſa prudenter & rationabiliter potuerit credere promiſſionem non fictè, ſed verè fieri; non enim tenetur vi promiſſionis, nam ex promiſſione ficta non oritur obligatio, neque tenetur ratione damni ipſius fœminæ, cum hoc damnum aliter vitari poſſit, ſcilicet donando, vel augendo dotem, qua poſſitæque benè nubere, ac ſi deflorata non fuiſſet, & quia jactura inferioris fæminæ non videtur compenſanda cum tanto viri diſpendio.

9 Ad nihilum tenetur vir, qui poſtquam fictè promiſit fæminæ, vult illam ducere ſed parentes, aut ipſa recuſat, nam ſatis eſt ut ſit paratus illam ducendam, & ad promiſſionem adimplendam, & per ipſum non ſtet quin promiſſio adimpleatur.

10 Fæmina non tenetur ducere virum, à quo extorſit copulam ficta promiſſione matrimonii: nam non tenetur ratione promiſſionis, cum fuerit ficta: neque ratione damni, cum vir non ſoleat damnum pati ex copula habita fœmina.

11 Qui æqualiter dubitat, utrùm promiſerit, vel ſponſalia contraxerit, vel utrũ verba contineant promiſſionem, non obligandus eſt ſtare ſponſalibus, dum adhuc dubium perſeverat poſt adhibitam diligentiam ad cognoſcendam veritatem, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: dubitans autem poſſidet ſuam libertatem, & hoc eſt in favore ſponſaliorum, quæ debent eſſe libera, quandò autem promiſit, ſeù ſponſalia, tenetur ſtare promiſſioni, ſeù ſponſalibus, licet dubitet, ſecit utrum promiſerit animo ſe obligandi, quia poſſeſſio ſtat pro ſponſalibus, ſeu promiſſione, quam conſtat factam fuiſſe.

Utrum ſponſalia incerta ſint propriè, & perfectè ſponſalia, & ex ipſis conſurgat obligatio. Cap. 165.

1 NOmine incertum ſponſaliorum intelliguntur, quæ fiunt cum perſona incerta, & indeterminata, ſeu quę fiunt cum pluribus ſub diſtinctione; tu quando Cajus promittit tribus, vel qua

Digitized by Google

tuor filiabus Titii, ſe unā illarum ducturum & ipſe firmiter repromittit.

2 Sponſalia incerta non ſunt propriè, & perfectè ſponſalia, quia ſicut matrimonium neceſſariò debet eſſe cum determinata perſona; ita ſponſalia, quæ ſunt inchoatio matrimonii: & propterea ſunt potius conditionata ad eligendum, ſcilicet in futurum unam ex illis, quibus ſub disjunctione facta eſt promiſſiò: redduntur autem certa, & perfecta per determinationem, & electionem promiſſoris, qua poſita ſtatim inducitur impedimentum publicæ honeſtatis ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 1.*

3 Ex ſponſalibus incertis conſurgit obligatio adimplendi ſponſalia, nam ex promiſſione non ficta oritur obligatio ex vi promiſſionis, undè poteſt promiſſor compelli ad ducendam unam ex illis, quibus ſub diſiunctione promiſit, poteſt enim compelli ad ſervandam promiſſionem, verùm ſi una illarum renuat, promiſſor, non tenetur aliam ducere, niſi fortè obligaverit ſe ad alteram ducendam una recuſante, aut niſi electio relicta ſit in poteſtate illarum, ratio autem cur non teneatur una recuſante aliam ducere, eſt, quia promiſſor quantum in ſe eſt, paratus eſt ad promiſſionem adimplendam, ideſt ad ducendam illam renuentem, nec per ipſum ſtat, ne unam illarum ducat: ſed ſtat per illam, quæ recuſat, ad quam non pertinet electio, ſed pertinet ad promiſſorem in promiſſione alternativa.

4 Quando pater promiſit Cajo cum juramento tradere in matrimonium unam ex quatuor filiabus, quas habet, non tenetur aliquam tradere, ſi Cajus interim copulam habeat cum una earum, nam non tenetur tradere illam, cum qua Cajus copulam habuit, liberum enim erat patri tradere, quam vellet, nec pater debet privari jure, & libertate ſua ob copulam Caii delinquentis, nec tenetur aliam tradere, eò quod per copulam habitam cum una ſuboriatur impedimentum affinitatis, cum reliquis impediens, & dirimens matrimonium, ſi verò Caius unam illarum electam à patre reſpuat, pater non tenetur ad tradendam alteram, etiam ſi Cajus nullam carnaliter cognovit, nam electio pertinet ad patrem, qui promiſit, nec per ipſum ſtat, ne aliquam tradat, ſi verò anteaquam pater elegerit unam tradere, reliquæ tres moriantur, obligandus videtur pater ad tradendam ſuperſtitem.

De ætate requiſita ad ſponſalia, & ad matrimonium. Cap. 165.

1 ÆTas ſeptem annorum requiritur tam in maſculo, quàm in fœmina ad celebranda ſponſalia, quia ſponſalia ſunt mutua promiſſio, ad promiſſionem autem, & ad contractum neceſſarius eſt uſus rationis; qui fere ſemper tàm in fæminis, quàm in viris adeſſe ſolet in ſeptennio, & licet poſſit aliquandò uſus rationis citius alicui advenire, tamen ius poſitivum conſtituit ætatem ſeptem annorum ad celebranda ſponſalia, & propterea ſponſalia celebrata antè ſeptennium ſunt invalida, nam deficit tempus à jure requiſitum: niſi fortè malitia ſuppleat ætatem: tunc enim malitia dicitur ſupplere ætatem in ſponſalibus, quandò ante ſeptennium, adeſt ſufficiens uſus rationis, quo contrahentes intelligunt id, quod agunt. In matrimonio verò malitia dicitur ſupplere ætatem, quandò contrahentes cognoſcunt naturam conjugalis contractus, & habent potentiam generandi, & ideò ſponſalia ſunt valida in foro conſcientiæ, quandò malitia ſupplet ætatem, etiam ſi multo tempore antè ſeptennium celebretur.

2 Sponſalia celebrata antè ſeptennium non ſolùm ſunt valida in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo, ſi paulò antè ſeptennium contracta ſunt; quia quod parum diſtat nihil diſtare videtur, & propterea ſponſalia facta octo, vel decem dies antè ſeptennium completum, ſunt judicanda valida; ſed hoc non facilè admiſerim.

3 Maior uſus rationis requiritur ad ſponſalia, quàm ad peccatum mortale quia ad peccatum mortale ſufficit conſenſus, & advertentia mali præſentis; ad ſponſalia verò requiritur cognitio futurorum: nam ſunt promiſſio futuri matrimonii, unde major uſus rationis requiritur ad providentiam futurorum, quàm ad conſenſum alicujus actus præſentis.

4 Sponſalia ſunt invalida contracta poſt ſeptennium, quandò uterque ſponſus, vel alter illorum nondum pervenit ad rationis uſum tempore ſponſaliorum, quia ad validè contrahendum, & promittendum

dum requiritur uſus rationis : contractus enim, & promiſſio eſt actus humanus, qui rationis uſum ſupponit.

5 Contrahentes ſponſalia antè ſeptennium peccant mortaliter, quia faciunt contra legem in re gravi, niſi excuſentur ob ignorantiam legis, vel ob urgentiſſimam cauſam, & ſic impuberes peccant mortaliter contrahendo matrimonium antè pubertatem, malitia non ſupplente ætatem: faciunt enim contra prohibitionem in re gravi.

6 Parentes, tutores, curatores, & conſanguinei curam gerentes infantium poſſunt contrahere ſponſalia pro filiis, qui nondum pervenerunt ad ſeptennium ex gravi tamen neceſſitate: ſed ut ſint valida requirunt poſteà conſenſum expreſſum ſeu tacitum filiorum cum pervenerint ad uſum rationis, qui conſenſus in foro externo ſufficienter præſumitur adeſſe, ſi filii taceant, & non contradicant, poſtquam pervenerunt ad ſeptenniũ, ſcientes contracta fuiſse ſponſalia à parentibus: ſecus dicendum, quandò ſponſalia celebrata fuerint ab aliquo extraneo pro filiis ſeptennio minoribus; nam non fiunt valida quando filii tacentes audiunt ſponſalia fuiſse celebrata ſuo nomine ab extraneis, nam taciturnitas non accipitur pro expreſſione conſenſus, ſed ulteriùs requiritur conſenſus ſigno aliquo expreſſus, aut ſaltem tacitus per acceptationem munerum, vel per mutuos amplexus, vel per immiſſionem annuli in digitum, &c.

7 Non tenentur regulariter filii conſentire in ſponſalia contracta pro ſe à parentibus, vel à tutoribus, quia filii non tenentur obedire ſuis parentibus in iis, quæ pertinet ad ſtatum matrimonii, & propterea admonendi ſunt parentes, ne compellant ſuos filios ad conſentiendum ſponſalibus, aliqui facerent illis gravem injuriam, cum filii in materia matrimonii ſint ſui juris.

8 Ad validitatem matrimonii jure Eccleſiaſtico requiritur in maſculo ætas quatuordecim annorum, & in fæmina ætas duodecim, quæ ætas juræ naturæ non requiritur ad validitatem matrimonii, nam antè illam ętatem celebratum validum eſt, nam impotentia temporalis jure naturę non dirimit matrimonium, quæ doctrina intelligenda eſt, quandò malitia ſupplet ætatem: ideſt quandò adeſt potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, validè celebratur matrimonium antè dictam ætatem, non ſolum jure naturæ, ſed etiam jure Eccleſiaſtico, quandò vero dubitatur antè dictam ætatem, an malitia ſuppleat ætatem, præſumendum eſt non ſupplere, & ideò non poſse validè matrimonium celebrari: aſſerenti verò malitiam, ſuppiere ætatem, incumbit onus probandi: cum habeat præſumptionem contra ſe - quandò autem non conſtat malitiam ſupplere ætatem ad validitatem matrimonii requiritur ut annus 14. ſit completus, vel ſaltem inchoatus ſit ultimus dies; & ut dicunt aliqui, cenſetur completa moraliter quando duo, vel tres des deficiunt: ide autem duodecim anni ſufficiunt in fæmina, & quatuordecim in maſculo quia hoc pendet ex diſpoſitione juris, quod reſpexit potentiam generandi, quæ tardius reperitur in viris, quàm in fæminis, Epiſcopus verò ex urgentiſſima neceſſitate poteſt diſpenſare, ut matrimonium contrahatur antè dictam ætatem, dum ad Papam iri non poteſt.

Utrùm ſponſalia dirimantur per ingreſſum in religionem, per votum ſimplex caſtitatis, religionis, & ſacrorum ordinum. Cap.166.

1 SPonſalia per ingreſſum religionis dirimuntur tam ex parte ingredientis quàm ex parte manentis in ſæculo, nam promiſſio cenſetur facta cum hac tacita conditione, niſi melior ſtatus eligatur: cum autem melior ſtatus eligatur per ingreſſum religionis, ceſsat obligatio promiſſionis matrimonii per ingreſsum religionis ex parte ingredientis religionem, ex parte autem ſponſæ manentis in ſæculo dirimuntur ingrediente ſponſo in religionem, quia promiſſio non obligat ultrà intentionem promittentis; promittens autem non cenſetur habuiſse intentionem promittendi, & ſe obligandi ſuperveniente aliqua mutabili mutatione, aut aliquo eventu non annexo promiſſioni, qui judicio prudentis fuiſset exceptus, ſi menti occurriſset.

2 Sponſus ingrediens religionem, non tenetur poſteà ſi egrediatur contrahere matrimonium cum ſponſa, cum qua antè religionis ingreſsum contraxerunt ſponſalia: quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit, undè obligatio ſponſaliorum

fuit extincta per ingreſſum in religionem, & ſic non tenetur matrimonium contrahere, modò bona fide ingreſſus fuerit religionem. quia ſi mala fide ingreſſus eſt, ut ſcilicet ſponſam deciperet, non ceſſat obligatio ex parte ingredientis religionem: quia fraus, & propria culpa non debet patrocinari delinquenti, ceſſat tamen obligatio ex parte ſponſæ manentis in ſæculo, quia ingrediens religionem renunciavit ſponſalibus quantum eſt ex parte ſua.

3 Qui contraxit ſponſalia cum juramento, poteſt ingredi religionem ante contractum matrimonium, niſi aliud obſtet; ut quando quis virtute ſponſaliorum copulam habuit cum ſponſa, tunc ſponſus non poteſt religionem ingredi, ſed debet contrahere matrimonium cum ſponſa: quia obligatio naturalis præferenda eſt conſilio, ſed ingreſſus in religionem eſt de conſilio: & reparatio famæ eſt ex obligatione naturali; ergò ſponſus tenetur ingreſſui religionis præferre reparationem famę, quę aliter non videtur poſſe commode reparari, quam per matrimonium: idem dicendum ſi defloravit viduam bonæ famæ quæ alioquin gravem infamiam pateretur, niſi duceretur in matrimonium, idem dicendum quandò ſponſus tantum habuit cum ſponſa familiaritatem, ut indè oriatur ſponſę infamia, ſi ſponſus ingrediatur religionem, & nolit ſponſam matrimonium ducere.

4 Quandò ſponſus factis ſponſalibus copulam habuit cum ſponſa, virtute ſponſaliorum non poteſt ingredi religionem, quę vovit poſt copulam habitam, nam ingreſſus in religionem in hoc caſu eſt illicitus cum fiat cum injuria alterius: votum autem, vel iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec obligat ad quid illicitum; quia ſponſus antè votum tenebatur impedire infamiam ſponſæ, contrahendo matrimonium, nec fuit exemptus ab obligatione per votum ſuperveniens: ergò tenetur adhuc poſt votum illam ducere, nec poteſt religionem ingredi: nec ſufficit in hoc caſu, ut ſponſus matrimonium celebret cum ſponſa, ſed antè conſumationem matrimonii religionem ingrediatur; nam celebrando ſolum matrimonium non impedit infamiam, neque reſarcit injuriam virginitatis ablatæ, ergo debet matrimonium conſummare, & cum uxore permanere.

5 Votum religionis, quod ſponſus emiſit poſtquam virtute ſponſaliorum copulam habuit non eſt irritum, & invalidum, ſed eſt validum, & obligat poſt diſſolutionem matrimonii, ſponſus enim ſolutis ſponſalibus, ſeu matrimonio per mortem uxoris, vel ob aliam iuſtam cauſam, tenetur ingredi religionem, quia votum ex parte ſponſi videtur eſſe validum, nec eius obligatio extinguitur per matrimonium, ſed ſuſpenditur.

6 Qui facto voto religionis, vel caſtitatis virginem defloravit cum promiſſione matrimonii, tenetur ad matrimonium contrahendum cum fæmina, quam defloravit, ſi fæmina ignorabat ipſius votum, quia vinculum iuſtitiæ fortius eſt vinculo charitatis; & propterea ſponſus propter vinculum iuſtitiæ, quo obſtrictus eſt erga ſponſam tenetur ſuſpendere votum religionis contrahendo matrimonium cum virgine, quam defloravit, ſi verò fæmina noverat eius votum, ſponſus non tenetur ad illam ducendam, ſed potius tenetur ad ingreſſum religionis, quia fæmina non cenſetur decepta, ſed ſeipſam voluiſſe decipere, & licèt promiſſio facta Deo ſit gravior, quam prior promiſſio facta fęminę, tamen promiſſio facta Deo cedit propter notabilem rerum mutationem, & propter graviſſimum iuſtitiæ vinculum ſuperveniens, inſuper votum eſt contractus quidam gratuitus, ſponſalia ſunt contractus onerofus, contractus autem gratuitus in hoc caſu cedit oneroſo, eo quod Deus non ità exactè velit promiſſionem ſibi factam adimpleri cum præjudicio tertii.

7 Si ſponſus celebret ſponſalia cum una, & poſteà de novo celebret alia cum altera, cum qua etiam habeat copulam tenetur ex quadam æquitate ſervare ſecunda ſponſalia facta cum fæmina, quæ deflorata eſt; quando fæmina deflorata grave damnum, aut injuriam ſubiret, prior verò ſponſa pateretur tantummodo leve damnum, ſi non duceretur; & propterea quilibet tenetur leve damnum pati ad impediendum graviſſimum proximi detrimentum; quod impediri poteſt ſine proprio gravi incommodo.

8 Peccat mortaliter, qui facto voto ſimplicis religionis, vult contrahere matrimo-

trimonium animo ingrediendæ religionis, antequam conſummet matrimonium; quia facit gravem iniuriam alteri coniugi: quæ cogeretur alterius profeſſionem expectare, antequam poſſet matrimonium cum alio contrahere, aut ſaltem cogeretur manere cum deſertore religionis, ſi poſtea ille egrederetur ex religione, unde peccat mortaliter qui voto caſtitatis adſtrictus: aut etiam nullo voto adſtrictus, vult contrahere matrimonium, cum animo ingrediendi religionem poſt contractum matrimonium, ſed nondum conſumatum.

9 Sponſalia non ſolùm dirimuntur per actualem ingreſſum in religionem: ſed etiam per votum ſimplex caſtitatis factum poſt ipſa ſponſalia, quia in ſponſalibus ſubintelligitur iſta conditio: niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur, cum autem per votum caſtitatis eligatur perfectior vitæ ſtatus, nam ſtatus cælibatus eſt perfectior ſtatu matrimonii, ut eſt de fide, ergò ſponſalia dirimuntur per votum ſimplex caſtitatis, eorumque obligatio ceſſat, & propterea poteſt quis vovere caſtitatem animo diſſolvendi ſponſalia, quia utitur jure ſuo eligendo meliorem vitæ ſtatum, idem dic de voto ingrediendi religionem, & ſic ſunt invalida ſponſalia facta poſt ſimplex votum caſtitatis; quia ſponſalia facta ante votum caſtitatis irritantur per votum factum poſt ipſa ſponſalia: igitur multo magis ſunt invalida, ſi facta ſint poſt votum, cum ſint promiſſiones de re illicita, quæ non obligant, & hoc valet, etiam ſi dicta ſponſalia facta ſint cum iuramento, quia adhuc ſunt invalida.

10 Qui factis ſponſalibus vovit caſtitatem, ſed poſteà diſpenſationem voti obtinuit non tenetur ſtare ſponſalibus, quia ſponſalia omninò diſſoluta erant per votum ſubſequens, illorumque obligatio extincta erat: & obligatio ſemel extincta non reviviſcit: idem dicendum de eo, qui prius facto voto caſtitatis contraxit ſponſalia, & poſteà diſpenſatus eſt in voto, hic non tenetur ſtare ſponſalibus omnino invalidis, aut factis contra votum caſtitatis.

11 Sponſus non tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus contractis eo tempore, quo valida erant priora, etiam ſi poſteà illa priora diſſolvantur; nam ſecunda ſponſalia celebrata eo tempore, quo priora erant valida non ſubſiſtebant, ſcilicet non erant valida, ideò non ſiunt valida ſi poſteà diſſolvantur priora, & ideò ſponſus non tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus, niſi fortè per accidens ratione damni, ut ſi defloravit ſponſam, quæ erat virgo, aut vidua bonæ famæ, ſic non poteſt ſponſus, qui poſt prima ſponſalia celebrata cum una, contrahit matrimonium de præſenti cum alia, non tenetur mortua uxore, ſeu diſſoluto matrimonio, ſtare primis ſponſalibus.

12 Sponſa poteſt reſilire à ſponſalibus, non ſolum quandò ſponſus poſt facta ſponſalia vovit caſtitatem abſolutè; ſed etiam quando vovit ſalvo iure ſponſæ, id eſt quando vovit tantummodò non petere debitum, intentione tamen reddendi; quia in hoc caſu redderetur ſponſæ valdè oneroſum matrimonium propter innatam, & naturalem in petendo verecundiam.

13 Sponſalia non ſolum dirimuntur per ingreſſum religionis, aut per votum ſimplex caſtitatis, & religionis, ſed etiam per votum ſuſcipiendi ſacros ordines quia per votum ſuſcipiendi ſacros ordines cenſetur eligi perfectior ſtatus, non autem dirimuntur per votum ſuſcipiendi minores ordines: quia ſicut non dirimuntur per realem eorum ſuſceptionem, ſic non dirimuntur per votum illorum, majores verò ordines repugnant ſtatui matrimonii ità, eorum voto, & eorum ſuſceptione ſponſalia dirimuntur, non autem tenetur, qui vovit ſacros ordines ad ſervandam caſtitatem antequam illos ſuſcipiat, quia nullus obligatur ad annexa ſtatui, niſi poſtquam ſtatum aſſumpſit.

Vtrum ſponſalia diſſolvantur ob defectum ætatis, ob lapſum termini, & ob diſceſſum in longinquum. Cap. 167.

1 Sponſalia diſſolvi poſſunt propter defectum ætatis impuberis, quia ius concedit, ut filii poſſint ſtatim acquiſita pubertate reſilire à ſponſalibus celebratis tempore impubertatis: quia quæ fiunt ab impuberibus non videntur fieri cum perfecto iudicio, unde ſi duo impuberes ſimul ſponſalia contraxerunt, non poſſunt antè pubertatem, etiam ſi adſit mutuus eorum conſenſus, reſilire à ſponſalibus, à quibus poſſunt reſilire acquiſita pubertate, niſi forte anteà intervenerit carnalis co-

pula; immo ubi unus pervenit ad pubertatem, poteſt ſtatim reſilire, modò ſtatim reſiliat, ideſt intra breve tempus, ſcilicet intra triduum reclamet, & contradicat ſponſalibus factis ante pubertatem: quod ſi ſtatim non reſiliat non poterit poſteà reſilire: cum enim ſponſalia ab initio eſſent valida, remanent valida, & revocabilia, niſi ſponſus, qui recordatur ſponſaliorum, & non ignorat ſe acquiſiviſſe pubertatem, ſtatim acquiſita pubertate, contradicat: jus enim noluit ſponſalia perpetuo remanere revocabilia, ſed conceſſit poſſe revocari uſque ad pubertatem præciſè, nec tenetur expectare, donec alter ſponſus fiat pubes, quia expectatio pubertatis alterius nullum parit effectum.

2 Quando duo contraxerunt ſponſalia, quorum unus tempore ſponſaliorum erat pubes, & alter impubes; pubes non poteſt ratione ætatis à ſponſalibus reſilire; quia ullo iure hoc illi conceditur, etiam ſi impubes conſentiat: ſolus igitur impubes poterit à ſponſalibus reſilire, quando factus erit pubes, quia hoc illi conceditur à iure, & contractus dicitur claudicare in favorem minoris ætatis: ſic etiam remanent diſſoluta ſponſalia, quando impubes ante pubertatem reclamavit, & poſteà factus pubes non mutavit voluntatem; nec ampliùs recordatus eſt poſt pubertatem, quia factus pubes cenſetur permanere in priore voluntate, & tacitè reclamare, ſi verò ſponſalia impuberum confirmentur iuramento, quando pervenerunt ad pubertatem non poſſunt reſilire à ſponſalibus, ut colligitur ex c. ex litteris, ubi expreſsè dicitur impuberes jurantes ſponſalia, cogendos eſse illa perficere: poſse autem ob alias cauſas reſilire certum eſt.

3 Reclamatio, & contradictio ad ſponſalia fieri debet apud Epiſcopum, vel ejus Vicarium, vel ipſis deficientibus apud perſonas honeſtas, hoc tantum eſt neceſsarium in foro externo, ut iudex ferat ſententiam pro ſponſalibus dirimendis, in foro vero conſcientiæ videtur ſufficere, ut pubes ſtatim acquiſita pubertate interius diſſentiat.

4 Sponſalia dirimuntur per lapſum termini conſtituti ad contrahendum matrimonium, quia promiſſio facta fuit pro tali tempore; unde ſi terminus appoſitus fuit ad limitandam obligationem, elapſo termino, expirat obligatio, ſi vero fuit appoſitus ad ſollicitandam obligationem, obligatio non ceſsat elapſo termino, ſi verò ob iuſtum aliquod impedimentum ſtatuto tempore matrimonium non celebratur, ſponſalia ex vi termini tranſacti non diſsolvuntur, nam legitimè impedito non currit tempus; quandò vero ſtetit per utrumque, ne matrimonium celebraretur tempore ſtatuto cenſeo ſponſalia ſolvi ex parte utriuſque; nam terminus fuit appoſitus ad finiendam obligationem: ſponſalia autem diſsolvi poſsunt per moram, & dilationem alterius; unde quando dilator requiſitus ab altero ſponſo ad perficienda ſponſalia, & ad matrimonium contrahendum, ita differt, & prorogat, ut iudicio prudentis cenſeatur mortaliter peccare differendo adimpletionem promiſſionis, abſolutè diſſolvi poſſunt: peccat autem ſponſus, vel ſponſa differendo celebrationem contractus Matrimonii, quoties alter petit, modo non fuerit præfixus terminus adimplendis ſponſalibus.

5 Sponſalia licet facta ſint cum juramento diſsolvi poſsunt per diſceſsum alterius ſponſi in longinquum, abſque licentia alterius, quia ſi diſceſſit cum licentia expectandus eſt, quantum inter ipſos conventum eſt de tempore abſentiæ, ita etiam ſi ſe tranſtulit in locum propinquum, & brevi ſperatur reditus, expectandus eſt, vel requirendus, ut intrà certum tempus matrimonium contrahat, quod ſi intrà illud tempus nolit contrahere, diſsolvi poterunt ſponſalia, quia ſponſus requiſitus cenſetur cedere ſponſalibus, recuſando matrimonium contrahere intrà tempus aſſignatum, niſi fortè hoc faciat ex iuſta cauſa, quæ ſi adſit non ſunt temerè diſsolvenda matrimonia.

Vtrum ſponſalia diſſolvantur per matrimonium ſubſequens aut per impedimentum dirimens. Cap. 168.

1 Sponſalia irritantur per ſubſequens matrimonium validè celebratum cum alia perſona; quia in ſolutione is, cui res tradita fuit, præfertur illi, cui promiſsa eſt, ideò per matrimonium de præſenti corpus traditum eſt, per priora ſpõſalia promiſſus; non autem ſponſalia diſsolvuntur per matrimonium ſubſequens invalidum: quia ut matrimonium invalidum non ſortitur effectum, ita non præſtat impedimentum,

priora

priora igitur ſponſalia ſi extinguantur per ſubſequens matrimonium validum, eo diſſoluto, ſponſus non tenetur adimplere priora ſponſalia, quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit; ſecus dicendum, quando ſponſalia facta ſunt cum iuramento, quia tunc licet ſponſalia per ſubſequens matrimonium validum diſſolvantur, tamen ſponſus ratione iuramenti facti in primis ſponſalibus tenetur mortua coniuge ſtare ſponſalibus celebratis prius cum juramento, quia iuramentum erat validum, nec ejus obligatio erat extincta per ſubſequens matrimonium, ſed tantummodò ſuſpenſa: ideò ſponſus ratione iuramenti tenetur, mortua coniuge, ducere ſponſam, cum qua prius contraxerat ſponſalia cum iuramento.

2 Sponſalia iurata diſſolvuntur per impedimentum dirimens matrimonium: quale impedimentum eſt error perſonæ, affinitas ſuperveniens, quia non eſt obligatio ad id, quod fieri non poteſt: eſſet autem obligatio ad id, quod fieri non poteſt, ſi ſponſalia non diſſolverentur ſuperveniente impedimento dirimente, & quia minus vinculum ſunt ſponſalia, quam matrimonium, ergo impedimentum dirimens matrimonium, poteſt etiam dirimere ſponſalia, & propterea ſponſalia diſſolvuntur, quandò ſponſus copulam habet cum conſanguinea ſponſæ in primo, vel in ſecundo gradu, nam per huiuſmodi copulam fit affinis ſponſæ, affinitas autem dirimit matrimonium uſque ad ſecundum gradum quando procedit ex copula illicita; quæ copula requiritur, ut ſit naturalis, & perfecta ſaltem ex parte viri, ut inducatur huiuſmodi impedimentum dirimens, quod impedimentum dirimens matrimonium non ſolum eſt cauſa ſufficiens ad diſſolvenda matrimonia: ſed etiam fama publica de impedimento, aut ſcandalum: quare ſi Titius copulam habuit cum Berta Virgine, eam deflorando cum mutua promiſſione futuri matrimonii, ſi poſteà Titius ſe cognoſcit eſſe conſanguineum in quarto gradu, non tenetur ad perficienda ſponſalia, ſed poteſt etiam invita Berta recedere à promiſſione; quæ non obligat ad rem illicitam, quia ſponſalia etiam iurata diſſolvuntur ob impedimentum ſuperveniens, ergo ſunt invalida ob impedimentum dirimens antecedens ipſa ſponſalia, nec copula efficit contrahentes habiles ſtante impedimento, præciſo tamen ſcandalo, vel fraude Titii; nam ratione vitandi ſcandali fieri poteſt, ut Titius obligetur ad petendam à Sede Apoſtolica diſpenſationem.

3 Sponſalia non dirimuntur per impedimentum impediens, ſed non dirimens, quod ſupervenit ſponſalibus jam celebratis, quale eſt Catechiſmus, interdictum, &c. excepto voto ſimplici caſtitatis, de quo ſupra dictum eſt, quia non adeſt ſufficiens ratio, propter quam debemus dicere ſponſalia contracta diſſolvi, immo illa impedimenta non videntur in uſu, nec indigent diſpenſatione, tenetur autem ſponſus, qui poſt ſponſalia contraxit impedimentum dirimens, impetrare diſpenſationem impedimenti; quando commodè poteſt impetrare, aut quando alioquin ſequeretur ſponſæ grave damnum, quia æquum non eſt, ut ſponſus commodum, & immunitatem reportet ex ſuo delicto, commodum autem, & immunitatem reportaret, ſi non teneretur impetrare diſpenſationem illius impedimenti.

4 Sponſalia inter perſonas habentes aliquod impedimentum dirimens contracta ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, ſunt valida, non tanquam omninò abſoluta, ſed tanquam conditionalia quia quamvis tempore contractus adſit impedimentum dirimens: nihilominus contractum cum hac conditione celebratus differtur, & prorogatur ad tempus, quo ſponſalia erunt licita, nec aderit impedimentum: actus enim factus tempore inhabili, ſed relatus ad tempus habile valet prò tempore habili, tamen non ſunt liciti tactus, & oſcula inter ſponſos antè obtentam diſpenſationem, nondum enim ſunt ſponſi, obtenta autem diſpenſatione, in huiuſmodi caſu unus altero invito non poteſt recedere; quia obtenta diſpenſatione ceſſat impedimentum, & adimpleta eſt conditio, ſub qua celebrata fuerant priora ſponſalia; non eſt autem liberum contrahenti recedere à contractu poſt illius conditionem adimpletam.

5 Defectus præſentiæ Parochi, aut teſtium non dirimit ſponſalia, ſicut eſt impedimentum dirimens matrimonium, quia *Con. Trid.* irritat tantummodò matrimonium

nium clandeſtinum non verò ſponſalia, ſed illa relinquit in diſpoſitione juris communis, quamvis modo ſponſalia clandeſtina, non amplius tranſeant in matrimonium per ſubſequentem copulam, ſicut tranſibant tempore antiquo.

Utrùm ſponſalia diſſolvantur per fornicationem ſubſequentem, aut per notabilem mutationem.
Cap. 169.

1 Sponſalia quamvis confirmata juramento diſſolvuntur per fornicationem alterius ſponſi; quia fornicatio ſuperveniens matrimonio dirimit matrimonium quoad torum, ergo multo magis fornicatio ſuperveniens ſponſalibus diſſolvit ſponſalia, per quæ inducitur obligatio ad ineundum matrimonium, & ad cohabitandum, & hoc non ſolum verum eſt in ſponſa, ſed etiam in ſponſo fornicante poſt ſponſalia, militant enim eædem rationes in utraque, verum ſi fornicatio ipſius ſponſæ commiſſa fuerit ante ſponſalia gravem infert ignominiam ſponſo, & propterea fornicatio ſponſæ non ſolum commiſſa antè ſponſalia; verùm etiam poſt ſponſalia eſt ſufficiens cauſa, ob quam ſponſus poſſit illa diſſolvere ſi antè contractum ſponſaliorum ignorabat fornicationem ſponſæ, fornicatio verò ſponſi commiſſa antè ſponſalia, non eſt ſufficiens cauſa, ob quam poſſit ſponſa reſilire à ſponſalibus, quia non infert grave dedecus ſponſæ, ſicut fornicatio ipſius ſponſæ etiam ſi commiſſa fuerit antè ſponſalia, poteſt etiam ſponſus reſilire à ſponſalibus præter fornicationem, ſi fæmina permittat ſe ab alio impudicè tangi, ut per amplexus, oſcula &c. hæc enim vergunt in magnum viri dedecus, ſecus dicendum de ſponſo qui ſi hos actus patiatur ab alia nullum dedecus ſequitur ſponſæ, quæ hac cauſa non poteſt reſilire à ſponſalibus.

2 Sponſalia diſſolvuntur etiam quandò ſponſa per vim cognita eſt carnaliter, quia vir poteſt grave dedecus pati; præſertim cum non ità facilè ſit ſponſam per vim, & omninò involuntariè cognitam eſſe, non idem dicendum de ſponſo, ſi omninò invitus, & culpæ expers fornicationem patiatur, nam non diſſolvuntur ſponſalia tunc, quia ſponſa nullam incurrit infamiam notam, ſponſalia verò non diſſolvuntur ex parte fornicantis, non enim debet commodum reportare in damnum alterius, ſed ex parte innocentis diſſolventur, undè ipſe remanet liberà contrahendo matrimonio, ſi nolit contrahere, ſi verò ipſe velit contrahere tenetur fornicans contrahere, & adimplere promiſſionem, quia favore ſponſi innocentis introductum eſt, ut ipſe poſſit matrimonium contrahere, poſtquam alter ſponſus fornicatus eſt, & ideò tenetur fornicans contrahere, & adimplere ſponſalia ità volente ſponſo innocente. Nullus autem ex ſponſis poteſt à ſponſalibus reſilire, quandò uterque fornicationem commiſit poſt ſponſalia, quia delictum unius compenſatur cum delicto alterius, & propterea quandò uterque conjux poſt contractum matrimonium commiſit adulterium, ut non poteſt facere divortium, quamvis adulterium fœminæ ſit gravius adulterio viri, igitur neuter eorum poteſt diſſolvere ſponſalia.

3 Sponſalia poſſunt diſſolvi ob hæreſim, vel apoſtaſiam, quia tacitè cenſentur exceptæ in contractu ſponſaliorum, undè in eo caſu tenetur ſponſus reſilire a ſponſalibus, nam contrahere matrimonium cum hæretico eſt peccatum mortale.

4 Sponſus non tenetur contrahere matrimonium cum ſponſa, quę poſt ſponſalia incidit in lepram, vel paralyſim, vel in morbum Gallicum, vel in gravem infirmitatem vel quando amiſit naſum, vel oculos, ſicut neque ſponſa tenetur ob eaſdem cauſas ducere ſponſum, vel cum ſponſa, ex pulchra deformis notabiliter evaſit, idem dic de ſponſi deformitate, modo ſit valdè magna, cum in viris non habeatur tanta ratio pulcritudinis ſicut in fæminis, vel ſi os malè oleat, nec fætor arte medicinæ auferri poſſit, dummodò fætor oris valdè magnus ſit, paupertas ſuperveniens ſponſalibus eſt cauſa ſufficiens ad diſſolvenda ſponſalia ità, ut non poſſit ſolvere dotem promiſſam, vel quandò ſponſa, aut ejus parentes recuſant ſolvere dotem etiam ſi ſponſalibus nulla præceſſerit promiſſio, vel mentio dotis, quod dicendum eſt, quandò paupertas ſupervenit ex parte ſponſi, tunc enim ſponſa poterit è ſponſalibus reſilire, quæ nec tenetur contrahere cum ſponſo, qui poſt ſponſalia damnatus eſt alicujus criminis turpis, ut furti; ſponſalia non poſſunt diſſolvi quando

do unus ſponſus in eodem ſtatu permanet ſed alter fit dives, quia alter non eſt effectus deterioris conditionis, quandò ſponſalia celebravit nec poſſunt diſſolvi, quandò uterque ſponſus in paupertatem incidit poſt ſponſalia abſquè mutuo conſenſu, quia paupertas unius compenſatur cum paupertate alterius, poſſunt tamen diſſolvi per adventum gravis, & capitalis inimicitiæ inter ſponſos: idem dicendum ſi periculum ſit, ut graves inimicitiæ oriantur inter partium affines aut inter parentes ſponſorum, undè hac de cauſa Summus Pontifex aliquandò poteſt diſpenſare in matrimonio nondum conſumato, item ſponſus non tenetur ſtare ſponſalibus celebratis cum ea, quę putabatur virgo, vel dives, ſed poſteà cognoſcitur eſſe ab alio deflorata, aut egeſtate laborare: poſſunt etiam ſponſalia diſſolvi per aſperitatem, & ſęvitiam alterius ſponſi de novo cognitam, nam autem poſſunt diſſolvi, ſi ille, qui tempore celebrationis ſponſaliorum ignorabat vitium, ſeù cauſam ſufficientem ad illa diſſolvenda, ſed ita erat animo affectus, ut ſi vitium, ſeù mutationem cognoviſſet nihilominus ſponſalia contraxiſſet, quia illa mutatio, ſeù vitium non cenſetur contra promittentis voluntatem, cum abſolutè promiſerit, & adhuc promiſiſset cognito eo vitio, ſecus dicendum ſi dubitat an habuerit voluntatem promittendi ſi cognoviſſet vitium, maximè ſi vitium fuiſſet magnę gravitatis, quia præſumitur non habuiſſe effectum, ſeù voluntatem obligandi, quia homines communiter nolunt promittere, vel ſe obligare interveniente, ſeù cognito gravi vitio, quare qui ſponſalia celebravit cum ſponſa quę celebrabatur dives, cum eſſet pauper, vel quæ ſimulabat ſe virginem, cum eſſet defflorata, non tenetur ſtare ſponſalibus ſi poſteà dubitet, an tempore ſponſaliorum ità eſſet affectus, ut eam ſibi deſpondiſſet, ſi cognoviſſet illam eſſe pauperem, vel defloratam.

Utrùm Sponſalia diſſolvantur per dolum aut metum. Cap. 170.

1 Sponſalia celebrata per dolum diſſolvi poſſunt, immo ſunt ipſo facto invalida, unde dolus dans cauſam contractivi ſponſaliorum adhibitus ab altero contrahente conſcio, & participe doli facit ſponſalia ipſo iure irrita, & invalida, quia ſponſalia ſunt contractus bonæ fidei; contractus autem bonæ fidæi celebrati per dolum, dantem ipſis cauſam ſunt irriti, ſi dolus adhibitus ſit ab altero contrahente, non ſunt autem ſponſalia ipſo jure irrita, ſi dolus ſolùm incidit in ſponſalia, quia adeſt ſufficiens conſenſus ad contractum, nequè ſunt ipſo iure irrita ſi dolus dans cauſam ſponſalibus, adhibitus ſit à tertio ſinè participatione alterius ſponſi, ſed deceptres habet ius illa diſſolvendi, & ratio cur non ſint ipſo facto irrita, eſt quia ſicut alii contractus cum huiuſmodi dolo celebrati non ſunt irriti, ità nequè irrita ſunt ſponſalia: deceptus autem habet ius diſſolvendi, quia adeſt talis cauſa, quam ſi deceptus prævidiſſet iudicio prudentis non ſe obligaſſet ad illa perficienda, quando verò aliquis deceptus eſt ex ſua falſa exiſtimatione, nullo alio dante cauſam contractui per dolum, valida ſunt ſponſalia.

2 Qui celebravit ſponſalia per dolum tantummodò incidentem, ſed ità erat affectus, ut adhuc ſponſalia celebraſſet non poteſt adhuc à ſponſalibus reſilire poſtquam cognovit dolum, v. g. Titius celebravit ſponſalia cum Berta deflorata, quæ ſe virginem ſimulabat; ſed ità erat affectus tempore ſponſaliorum, ut illa celebraſſet, etiam ſi illam cognoviſſet defloratam Titius non poteſt à ſponſalibus reſilire poſtquam cognovit illam eſſe defloratam, nam non adeſt notabilis mutatio.

3 Impedimentum publicæ honeſtatis non inducitur ex ſponſalibus celebratis per dolum dantem ipſis cauſam, & adhibitum ab altero contrahente, nam huiuſmodi ſponſalia ſunt invalida; ſponſalia autem invalida non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis; ſecus dicendum quandò ſponſalia celebrata ſunt per dolum tantummodo incidentem.

4 Sponſalia celebrata per metum levem incuſſum ad illa extorquenda, diſſolvi poſſunt in foro conſcientiæ, alioquin qui metum incuſſit commodum reportaret ex ſuo delicto, & ex injuria alteri illata, nam ſponſalia facta per metum gravem, ſunt ipſo facto irrita, & propterea in foro externo non datur actio ad diſſolvenda ſponſalia facta per metum levem, nam in iure non habetur ratio metus levis.

Utrùm

Utrùm ſponſalia diſſolvantur per mutuum conſenſum, aut per conditiones non adimpletas. Cap. 171.

1 Sponſalia diſſolvi poſſunt mutuo conſenſu, & mutua remiſſione ipſorum ſponſorum, etiamſi facta fuerint cum iuramento, niſi fortè ſint impuberes, quia ſponſalia ſunt contractus diſſolubilis contractus autem diſſolubilis diſſolvi poteſt ex voluntate contrahentium, remiſſio autem debet eſſe libera: undè ſponſalia non diſſolvuntur, quandò alter ſponſus remittit obligationem ex metu ſibi incuſso ab altero contrahente ad extorquendam remiſſionem; ſecus dicendum eſt de remiſſione facta ob timorem parentum, vel ob viri aſperitatem, nam hic metus cum non ſit incuſsus ad extorquendam remiſſionem non tollit libertatem ſufficientem ad validitatem remiſſionis.

2 Sponſalia diſsolvi poſsunt, quandò non adimplentur conditiones, ſub quibus celebrata fuerunt, immo ſponſalia non ſunt valida, nec obligant, donec adimpleatur conditio expreſsa in contractu ſponſaliorum: quando autem ſponſalia non fuerunt celebrata ſub aliqua conditione expreſsa, ſed tantummodo ſub aliqua conditione tacita valida ſunt abſolutè, & non cenſentur propriè conditionalia, quia conditio tacitè ſubintellecta non reddit actum conditionalem.

3 Quandò certo conſtat de cauſa ſufficiente ad diſsolvenda ſponſalia nulla requiritur iudicis auctoritas; unde ſponſalia celebrata ſub conditione tacita, vel expreſſa, deficiente tali conditione, diſsolvi poſſunt propria auctoritate, quamvis facta fuerint cum iuramento, & non eſt opus relaxatione iuramenti, per accidens autem ut ratione ſcandali vitandi, fieri poteſt, ut neceſsaria ſit iudicis auctoritas.

4 Sponſalia poſsunt propria auctoritate diſsolvi à ſponſo innocente. Primò, quandò cauſa diſsolutionis eſt publica, tunc enim non eſt periculum ſcandali. Secundò quandò cauſa eſt occulta, & ſimul etiam ſunt occulta ſponſalia. Tertiò quandò ſponſalia ſunt publica, ſed cauſa diſsolutionis, ità eſt occulta, ut non poſſit probari in iudicio, niſi fortè magnum ſcandalum indè timeatur, quandò verò ſponſus non poteſt propria auctoritate diſſolvere ſponſalia, poteſt detegere in iudicio cauſam ad illa diſſolvenda cum periculo infamiæ ſponſæ, quandò ſponſa admonita non vult à ſponſalibus deſiſtere, utitur enim iure ſuo, & ſponſa ſibi debet damnum imputare.

5 Iudex, coram quo diſſolvenda ſunt ſponſalia, quandò ad diſſolvenda requiritur auctoritas iudicis, eſt Eccleſiaſticus, vel ordinarius, ut Epiſcopus, vel delegatus ab ipſo Epiſcopo, quia hæc eſt materia ſpiritualis, quæ pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum: Parochus autem non eſt competens iudex, cum non habeat iuriſdictionem in foro externo, quandò verò dubitatur, utrum cauſa diſſolvendi ſponſalia ſit ſufficiens, aut quandò mortaliter non conſtat adeſſe cauſam ſufficientem ad illa diſsolvenda, non poſſunt abſquè iudicis auctoritate diſsolvi: quia diſſolvens propria auctoritate in hoc caſu exponeret ſe periculo comittendi iniuſtitiam contra alterum ſponſum, qui non debet ſpoliari iure ſibi acquiſito per ſponſalia.

6 Sponſus ſciens adeſſe iuſtam cauſam diſſolvēdi ſponſalia,& poſteà carnaliter cognovit ſponſam, non poteſt reſilire à ſponſalibus, ſi tempore copulæ conſcius erat illius cauſæ, & ſponſalia præcedentia erant valida, quia ſponſus cognoſcens ſponſam cenſetur remittere ius diſsolvendi ſponſalia ratione illius cauſæ, & conſequenter amittit ius, quod habeat ad diſsolvenda ſponſalia ob præcedentes cauſas, quarum conſcius erat tempore copulæ; ſed ſi fuiſsent invalida ſponſalia, non teneretur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognovit, nam ſponſalia invalida non inducunt obligationem, nec fiunt valida per copulam habitam, niſi fortè ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus.

7 Certitudo delicti, ſeù cauſæ ſufficientis ad diſsolvenda matrimonia, ut ſit ſufficiens, ut licitè diſsolvi poſſint ſponſalia, aut impediatur matrimonium, ne contrahatur ratione alicuius impedimenti, ſufficit dictum unius teſtis, & qui certo ſciat, & deponat cum iuramento, aut etiam ſine iuramento, modo teſtis ſit fide dignus, & teſtetur de certa ſcientia: ad diſsolvenda ſponſalia ſufficit etiam in foro externo, ut uterque ſponſus fateatur impedimentum, ſeù

iuſtam

juſtam cauſam illa diſſolvendi: immò ſufficit, ſi ille qui optat matrimonium iniri, fateatur impedimentum, non tamen ſufficit ſi ille tantùm fateatur, qui optat non iniri matrimonium, tunc enim non creditur illius aſſertioni.

8 Sponſus habens defectum occultum, propter quem ſi alter conſcius eſſet juſtam haberet cauſam diſſolvendi ſponſalia poteſt cogere alterum per Judicem, ut ſtet ſponſalibus, quia nemo tenetur propria ſponte pænam ſubire.

9 Habenti copulam cum ſponſa alterius explicanda eſt in confeſſione tantummodo circumſtantia ſponſæ, quando ſcilicet copula habetur cum ſponſa, & quando ipſa ſponſa fornicatur, non verò quando ſponſus fornicatur, quia fornicans cum ſponſo non facit gravem injuriam illius ſponſæ, ſed levè tantum, & venialem: fornicans verò cum ſponſa alterius facit gravem injuriam ſponſo, qui cogetur cum ſuo gravi incommodo, aut reſilire à ſponſalibus ne contrahat cum fornicaria ſponſa, aut ducere fornicariam in uxorem, & ſic copula habita cum ſponſa alterius duas turpitudines continet, unam contra caſtitatem, alteram contra juſtitiam propter injuriam, quæ irrogatur ſponſo.

Utrum poſſit apponi pœnam aliqua ſolvenda per frangentem fidem ſponſaliorum. Cap. 172.

1 SPonſi, vel propinqui ſponſorum, vel ſtricti ipſorum amici, non poſſunt pœnam apponere gravem, aut levem ſolvendam ab eo, qui non ſteterit ſponſalibus: immò ſi pænam aliquam appoſuerint non tenentur illam ſolvere non ſolùm in foro externo, ſed neque in interno; quia hujuſmodi conſtitutio pœnæ eſt irrita, quia repugnat libertati matrimonii: poſſet enim aliquis timore pœnæ à ſe, vel ab amico, vel à propinquo ſolvendæ contrahere matrimonium, & coactè, & non liberè contrahere: non nego tamen quin amici ſponſorum, vel parentes poſſint pænam apponere, qua ſe obligent ad curandum, ut matrimonium celebretur, nam hæc conventio non prohibetur à jure: ſed illa tantummodò prohibetur, qua imponitur ſponſis neceſſitas contrahendi matrimonium.

2 Licitum eſt contrahentibus ſponſalia tradere Arrhas, ideſt pignora, ver. gr anulum, & torquem aureum ea conditione, ut amittat illas, ſi fregerit fidem, & ſponſam non accipiens, & reſiliendo à ſponſalibus ob ſuam culpam teneatur reſtituere cum quantitate in qua conventum fuerit inter ipſius ſponſos, ut in duplo, triplo vel quadruplo, arrhæ autem non ſunt ſolvendæ quando ſponſalia diſſolvuntur auctoritate judicis, aut per ingreſſum in religionem; qui iniit ſponſalia cum juramento, vel etiam ſine juramento, poteſt aliquandò auctoritate judicis cogi per cenſuras ſtare ſponſalibus juratis ad vitandum præjudicium, & injurias proximi, non tamen præmittendæ ſunt aliæ conventiones pœnales præter prœmiſſas à jure, ſic poſtulante matrimonii libertate.

3 Pæna appoſita in ſponſalibus cum juramento, nec ratione juramenti ſolvendi eſt, quia juramentum non obligat ad rem illicitam, & prohibitam, prohibita eſt autem ſolutio dictæ pœnæ propter obligationem, quam habet cum libertate matrimonii: apponentes autem hujuſmodi pænas in ſponſalibus peccant mortaliter, quia faciunt contra legem in materia libertatis matrimonii quæ videtur eſſe res gravis: niſi excuſetur ratione ignorantiæ, & inadvertentiæ, qui autem recipit ſolutionem pœnæ non tenetur antè judicis ſententiam reſtituere pænam ſibi ex conventione ſolutam à dirimente ſponſalia: quia leges irritantes hos contractus pænales non impediunt translationem dominii, aut retentionem, & conſequenter recipiens acquiſivit dominium: non eſt autem valida hæc promiſſio, ſcilicet promitto ſub tali pæna, & promiſſione, me non contracturum matrimonium cum Titio, quia aufert libertatem matrimonii contrahendi: ſicut etiam eſt invalida pæna appoſita de matrimonio non diſſolvendo, & ſi quis dicat, promitto me non diſſoluturum matrimonium per ingreſſum religionis, vel ob aliam juſtam cauſam.

4 Peti poteſt intereſſe ab eo, qui diſſolverit ſponſalia damni emergentis non virtute conventionis pænalis, ſeù promiſſionis illius pœnæ, cum illa conventio, promiſſio, & conſtitutio pœnæ fuerit invalida, ſed peti poteſt ſub nomine intereſſe, ſeù nomine injuſtitiæ commiſſæ ab injuſtè violante fidem ſponſaliorum, quia injuſtum

ſtus violator ſponſaliorum tenetur ad reparandum damnum, ſeù intereſſe damni emergentis, etiam ſi nulla præceſſiſſet conventio, qua de cauſa poteſt conveniri coram judice ad ſolvendum dictum intereſſe ſi abſque juſta cauſa receſſit à ſponſalibus: ergo peti poteſt intereſſe damni emergentis, & potuit fieri conventio illius ſolvendi, cum per hujuſmodi conventionem injuſtus violator ſponſaliorum non magis aſtringatur ad celebrandum matrimonium quam aſtringeretur non facta conventione, nec magis obligatur ad reſtitutionem poſita conventione quam ea ſecluſa, conventio autem ſolvendi intereſſe lucri ceſſantis non eſt valida, quia minuit libertatem matrimonii, nam timore ſolvendi intereſſe lucri ceſſantis fieri poteſt, ut ſponſus cogatur ſtare ſponſalibus, quibus alioquin non ſtaret, nec matrimonium perficeret, & quia ſponſus non habet jus ad illud lucrum, niſi celebrato matrimonium cum nondum celebratum ſit non poteſt pactum inire ſolvendi intereſſe lucri ceſſantis.

De Natura, & proprietatibus Matrimonii.

Quid ſit Matrimonium. *Cap.* 173.

1 NOmine matrimonii deſumptum eſt à *matre*, eo quod fæmina matrimonium ineat, ut fiat mater: dicitur etiam matrimonium quaſi *matris munium* eò quod fœminæ per contractum matrimonii imponatur officium, & munus educandæ prolis, denique dicitur matrimonium quaſi (matrem muniens) quia uxor per matrimonium acquirit virum, quo defendatur, & muniatur, Matrimonium alio nomine appellatur connubium, aut nuptiæ ab obnubendo, eo quod uxor in benedictionibus velo quodam quaſi nube tegatur; appellatur etiam conjugium eò quod ſponſi ſtrictiſſimo matrimonii vinculo conjungantur, fiantque una caro.

2 Matrimonium eſt conjunctio maritalis legitima viri, ac fœminæ in uſum conjugii individuam vitæ conſuetudinem retinens, verum quia hæc definitio potius convenit matrimonio, ut eſt contractus in officium naturæ, ideò ego aliam aſſignabo quæ eſt. Matrimonium eſt legitimus; & indiſſolubilis contractus inter virum, & fæminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum poteſtas, & confertur gratia ſanctificans, hæc definitio non ſolùm convenit matrimonio, ut eſt contractus, verùm etiam ut eſt Sacramentum; nam matrimonium fidelium non ſolùm eſt contractus, ſed etiam Sacramentum propriiſſimè dictum, ut eſt definitum in Concilio Florentino in inſtructione Armenorum, & in *Trid. ſeſſ. 7. c. 1.* dicitur contractus legitimus quia matrimonium celebrari debet juxtà leges ab Eccleſia præſcriptas, abſque ullo impedimento, dicitur indiſſolubilis quia matrimonium ſemel contractum non poteſt diſſolvi per conſenſum ipſorum contrahentium, dicitur inter virum, & fæminam, ideſt inter unum, & unam; dicitur mutua poteſtas traditur, & acceptatur, ut oſtendatur materia, & forma hujus Sacramenti, dicitur confertur gratia ſanctificans, ut oſtendatur effectus matrimonii, ut Sacramentum eſt.

3 Ad celebrandum matrimonium non ſufficit conſenſus internus niſi exprimatur verbis, vel ſignis, quia cum ſit contractus debet aliquo ſigno externo manifeſtari, ut eſt neceſſarium in contractibus; ad contrahendum matrimonium ſufficit copula animo maritali, & non fornicario, habita coram Parocho, & teſtibus: modò Parochus, & teſtes intelligant copulam haberi animo maritali, & contrahendi matrimonium, non extat autem præceptum obligans ſub mortali ad contrahendum matrimonium verbis, quamvis ſit aliquod peccatum non exprimere conſenſum verbis: quando non ſubeſt juſta cauſa contrahendi matrimonium ſine verbis, non enim recedendum eſt à communi uſu, & à regula certa, & ordinaria abſque juſta cauſa: taciturnitas autem non habetur prò expreſſione conſenſus; niſi quandò quis promittit fœminæ, quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipſius gerente, & pater, vel mater vel alius prò ea repromittit: in quo caſu validè contrahitur matrimonium ſi fæmina interius conſentiat de præſenti: undè quandò puella tacet, & nullus prò ea reſpondet, invalidum eſt matrimonium: idem dicendum quandò puella tacet, & extraneus prò ea reſpondet, non enim ſufficienter exprimitur conſenſus puellæ.

4 Inter Beatiſſimam Virginem, & S. Joſephum interceſſit verum matrimonium ratum

ratum, non conſumatum, in ſcriptura enim Joſeph appellatur vir, & Maria Coniux, ergo S. Joſeph fuit Vir Beatiſſi. Virginis, & ipſa fuit illius coniux: quæ non peccavit contrahendo matrimonium, cum haberet votum caſtitatis: quia illius votum non erat abſolutum, ſed factum erat hac conditione, niſi Deus aliter ſibi placere revelaverit.

Quandonam fuerit inſtitutum matrimonium, & utrum matrimonium infidelium ſit Sacramentum. Cap. 174.

1 MAtrimonium inſtitutum fuit antè novam legem in officium naturæ, quandò Deus dixit, *Creſcite, & multiplicamini*, licet probabile ſit, quod dicunt alii, matrimonium inſtitutum eſſe ſolo iure naturæ abſque Divina voluntate: ſi autem loquamur de matrimonio in novo teſtamento, quatenus elevatum fuit in Sacramentum, dicendum eſt inſtitutum fuiſſe, quandò Chriſtus interſuit nuptiis, vel ut dicunt alii poſt reſurrectionem, quandò Chriſtus loquebatur magnalia de regno Dei, ideſt Eccleſia, vel ut dicunt alii inſtitutum fuiſſe, quando Chriſtus dixit, *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*.

2 Matrimonium infidelium eſt quidem contractus, quem infideles celebrando non peccant, quia eſt in officium, ſeù propagationem, & conſervationem naturæ humanæ, atque in remedium concupiſcentiæ, non tamen eſt Sacramentum loquendo de Sacramento propriè accepto, quia infideles carent baptiſmo, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, quandò autem contrahitur matrimonium ex diſpenſatione ſummi Pontificis à fideli cum cathecumena eſt Sacramentum ex parte fidelis volentis illud ſuſcipere, quia fidelis eſt capax Sacramenti.

3 Matrimonium infidelium fit Sacramentum poſt Baptiſmi ſuſceptionem, quia iſti non videntur privandi gratia Sacramentali matrimonii, qua concupiſcentiam reprimant, & munera coniugalia ritè obeant, qui ſunt effectus Sacramenti Matrimonii, fit autem matrimonium illorum Sacramentum, quandò poſt Baptiſmum interveniunt novi conſenſus, vel præcedentes rati habentur per aliqua ſigna externa, ut per nutus, aut per copulam maritalem, nam non ſubſiſtit novum Sacramentum, niſi adſit nova forma, & materia, matrimonium autem eſt novum, & diſtinctum Sacramentum à Baptiſmo: ergò matrimonium non ſubſiſtit niſi adſit nova forma, & materia diſtincta à materia, & forma Baptiſmi, non autem forma, & materia ſunt novi conſenſus, vel ratificatio præcedentium, ergo tunc fit Sacramentum, quandò interveniunt novi conſenſus, ſeù ratificatio præcedentium.

4 Ut matrimonium infidelium fiat Sacramentum probabiliter defendi poteſt, non opus eſſe, ut ratificatio, vel expreſſio conſenſus fieri debeat coram Parocho, & teſtibus, quia *Conc. Trid.* requirit præſentiam Parochi, & teſtium, ut contractus validè celebretur, nos verò ſupponimus contractum infidelium validè celebratum fuiſſe antè Baptiſmum, conſequenter non videtur neceſſaria præſentia Parochi, & teſtium, ut matrimonium infidelium poſt ſuſceptum Baptiſmum fiat Sacramentum, ſed videtur ſufficere expreſſio novi conſenſus, vel ratificatio præcedentis, qua poſita fit Sacramentum matrimonii, & recipitur Sacramentalis gratia ad ritè obeunda munera coniugalia.

Utrùm homines teneantur ex præcepto contrahere matrimonium. Cap. 175.

1 SInguli homines non tenentur hoc tempore ad contrahendum matrimonium ita *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 9. & 10 dixi hoc tempore, quia in principio mundi extitit præceptum naturale contrahendi matrimonium propter neceſſitatem propagationis humanæ, quæ certè fuit in principio mundi, ex præcepto autem contrahendum eſt matrimonium in articulo neceſſitatis ad conſervandam debito modo ſpeciem humanam, unde Religioſi, vel alii habentes votum caſtitatis poſſent in articulo neceſſitatis, & tenerentur contrahere matrimonium, ut ſi daretur caſus, quo cæteri homines eſſent bello, vel enſe extincti, nec invenirentur alii, præter quam religioſi, aut alii votum caſtitatis habentes: quia votum, quod vir habet à propria voluntate non poteſt præjudicare præcepto naturali de conſervanda ſpecie, idem dicendum eſt ſi daretur caſus, ut omnes viri eſſet extincti præter ali-

Digitized by Google

aliquos habentes uxores ſteriles, tunc enim poſſent alias non ſteriles ducere, ſi aliquæ fœminæ fecundæ reperirentur.

2 Obligatio contrahendi matrimonium poteſt contingere in alio caſu, quàm ob neceſſitatem conſervandæ ſpeciei humanæ, & eſt, quando eſt unicus hæres, quo non nubente exorirentur ſeditiones, & bella in Republica; tunc enim ille hæres tenetur nubere ratione impediendi damna, & incommoda Reipublicæ; poſt reſurrectionem verò non eſt futurus uſus nec ſtatus matrimonii, *Luc.* 20. *In reſurrectione non nubent neque ducent uxores*, quia ceſſabit cauſa finalis matrimonii, quæ eſt conſervatio ſpeciei humanæ.

Quæ ſit Materia, Forma, & Miniſter eſſentialis Sacramenti. Cap. 176.

1 MAteria hujus Sacramenti eſt traditio corporum ipſorum contrahentium, forma eſt acceptatio eorundem expreſſa per verba, vel ſigna.

2 Miniſter eſſentialis hujus Sacramenti non eſt Sacerdos, ſed ſunt ipſi contrahentes, qui a ille eſt miniſter Sacramenti matrimonii, qui eſt miniſter contractus, ſed miniſtri contractus ſunt ipſi contrahentes, qui contractum ineunt, & perficiunt, non verò Sacerdos, ergo; unde Sacerdos eſt miniſter accidentarius, quatenus ex officio jungit, & benedicit contrahentibus, quod pertinet ad perfectionem accidentariam matrimonii, & propterea Sacerdos habens mortale peccatum, non peccat mortaliter aſſiſtendo matrimonio, quia non miniſtrat nec conficit Sacramentum matrimonii, nec peccat benedicendo, contrahentes verò peccant graviter tantummodò, quatenus recipiunt Sacramentum, ſi habent peccatum mortale, dum contrahunt matrimonium, quia ponunt obicem ad gratiam, non verò peccant mortaliter, quatenus adminiſtrant, quia ipſi non ſunt miniſtri conſecrati ad hoc.

Utrùm Matrimonium celebratum inter abſentes per procuratorem, vel per litteras ſit validum. Cap. 177.

1 VAlidè contrahi poteſt matrimonium inter abſentes per litteras, vel procuratorem, ſive procurator ſit maſculus, ſive fæmina, quia natura contractus poſtulat, ut poſſit celebrari per litteras, vel procuratorem inter abſentes, ergò matrimonium, quod eſt contractus celebrari poteſt inter abſentes per litteras, & procuratorem, & erit Sacramentum; quia matrimonium inter præſentes celebratum eſt Sacramentum, ergò etiam celebratum inter abſentes, & propterea nullus fidelis poteſt contractum matrimonii celebrare, quin ſuſcipiat ſacramentum, quam ob rem ſi quis intendat matrimonium inire tanquam contractum, reſpuens rationem Sacramenti nihil facit, ſicut etiam, qui intendit recipere Sacramentum matrimonii intendens non inire contractum, nihil facit, nam ratio contractus inſeparabilis eſt Chriſti inſtitutione à Sacramento matrimonii, & ratio Sacramenti inſeparabilis eſt à contractu, nec Eccleſia agnoſcit unum ſine alio, quod ego non approbo nam mea opinio eſt: quod qui intendit contrahere, ſed non recipere Sacramentum validè contrahit, quamvis non recipiat Sacramentum, ſecus dicendum de illo, qui intendit recipere Sacramentum, ſed non contrahere, hic neque recipit Sacramentum, neque contrahit matrimonium propter defectum materiæ, & formę quæ conſiſtit in contractu.

2 Tria requiruntur, ut matrimonium celebratum per litteras, vel per procuratorem ſit validum, Primò requiritur præſentia Parochi, & teſtium, ita ut procurator celebret matrimonium coram Parocho, & teſtibus, ſecus eſſet invalidum, ſicut etiam eſſet invalidum contractum per litteras, quandò illud non innoteſcat Parocho, & teſtibus, quandò verò illis innoteſcit per litteras traditio, & acceptatio utriuſquè contrahentis eſt validum: Secundò requiritur, ut litteræ non ſint fictæ, ideſt ſint factæ ſine animo contrahendi, & ut procurator non ſit fictè conſtitutus, & propterea qui fictè conſtituit procuratorem ad ſuo nomine contrahendum, & tempore contractus non abſtulit fictionem, nec interiùs conſenſit, non cenſetur validè celebraſſe matrimonium in foro conſcientiæ, idem dicendum de eo, qui ex animo litteras ſcripſit, vel conſtituit procuratorem, ſed poſteà revocat conſenſum, tunc procurator, vel litteræ nihil operantur. Tertiò requi-

requiritur, ut habeat ſpeciale mandatum ad contrahendum cum certa perſona, & procurator agat per ſe ipſum, non enim poteſt alium ſubſtituere, niſi habeat ſpeciale mandatum ad ſubſtituendum, inſuper procurator non debet excedere fines mandati: quia aliter invalidè ageret.

3 Matrimonium eſt validum contractum à procuratore ſinè denunciationibus nomine Titii, qui conceſſerat procuratori facultatem contrahendi ſervata forma Tridentini, vel præmiſſis denunciationibus, quia licet fuerint omiſſæ abſquè licentia Epiſcopi, eſt validum, quia qui in mandato addit formam juris communis, non intendit novam formam, & conditionem inducere, ſed ut contrahat juxta formam juris communis, cum autem jus commune non ita præcipiat denunciationes, ut velit matrimonium eſſe invalidum illis omiſſis, ſequitur validum eſſe matrimonium contractum à procuratore abſquè denunciationibus præmiſſis, etiam ſi procurator mandatum haberet contrahendi matrimonium ſervata Tridentini forma, ſeù præmiſſis denunciationibus; ſic etiam validum erit matrimonium celebratum ſinè præmiſſis denunciationibus coram Sacerdote illo, cui Parochus conceſſit facultatem aſſiſtendi, modo præmitteret denunciationes, idem dicendum ſi data fuit facultas, modo admoneret contrahentes, nè matrimonium conſummaret, antè denunciationes, vel ſi contrahentes non haberent impedimentum.

4 Verba adhibenda à procuratore, quandò contrahit matrimonium nomine alterius ſunt iſta. *Recipio te in uxorem nomine Titii, vel Titius accipit te in uxorem, me mediantè. Similiter* fæmina reſpondere debet *ego, te mediantè, duco Titium*, & hoc pacto ſufficienter exprimitur conſenſus de præſenti. Procurator autem non peccat mortaliter contrahendo in peccato mortali nomine alterius: quia non pertinet ad ipſum ex officio miniſtrare hoc Sacramentum, nec ipſe eſt miniſter conſecratus ad hoc munus, & propterea, qui mittit procuratorem ad contrahendum ſuo nomine matrimonium, tenetur ſub mortali eſſe in gratia tunc temporis, quo probabiliter credit procuratorem contracturum matrimonium: tunc enim ipſe ſuſcipit Sacramentum ſivè vigilet, ſinè dormiat, ſivè ſit factus amens, & ſic dormiens poteſt recipere gratiam, ſi matrimonium ipſius nomine contrahatur, dum qipſe dormit, non enim verum eſt, uod aliqui eſſerunt dormientem peccare mortaliter, ſi habeat conſcientiam peccati mortalis eò tempore, quo ipſe dormit, & alter ipſius nomine contrahit matrimonium, quia ad peccandum mortaliter requiritur advertentia, & deliberatio: undè dicendum eſt illum peccaſſe antè ſomnum, quando prævidit matrimonium ſuo nomine contrahendum, & noluit ſe diſponere ad Sacramentum digne recipiendum, non verò peccat dum dormit:

Utrùm Matrimonium Clandeſtinum ſit Validum. Cap. 178.

1 MAtrimonium clandeſtinum, quando ſcilicet contrahitur ſinè Parocho, & duobus, vel tribus eſt invalidum, quamvis aliàs validum fuerit: ità ſtatuit Concil. *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de reformatione matrimonii*, & contrahens ſic peccat mortaliter, quia invalidè contrahit, & facit irritum Sacramentum, & facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi; non autem dicitur matrimonium Clandeſtinum, quod celebratur domi, modo celebretur coram Parocho, & teſtibus; ſic enim declaravit Cardinalium congregatio quia Parochus tenetur ſub mortali habere librum, in quo referat nomina teſtium, & contrahentium, & locum, & tempus contractus matrimonii: ſicut etiam obligat præceptum habendi librum Baptizatorum.

2 Quando matrimonium contrahitur abſquè præmiſſis denuntionibus, validum eſt, quia jure antiquo validum erat, non enim recedendum eſt à jure antiquo, niſi quatenus contrarium ſtatuitur jure novo, nullum autem jus novum extat in contrarium, ergò etiam nunc validum eſt matrimonium contractum ſinè denunciationibus, peccatum tamen eſt mortale, quando denunciationes omittuntur ſinè facultate, aut legitima cauſa, quamvis nulla cenſura incurratur, quia violatur præceptum in re gravi, unde Parochus peccat mortaliter aſſiſtendo, & contrahentes contrahendo abſquè præmiſſis denun-

tiationibus, videtur tamen Parochus à mortali excuſandus, ſi unam tantum denuntiationem omittat, & moraliter certus eſt nullum ſubeſſe impedimentum ratione parvitatis materiæ, quamvis eſt reprehendendus ſi hoc faciat.

3 In Tridentino facultas diſpenſandi in denuntiationibus antè, & poſt matrimonii conſumationem conceditur Ordinario, ideſt Epiſcopo, aut alteri Prælato, qui habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & non ſit ſubditus Epiſcopo, aut etiam Vicario Generali, niſi Epiſcopus hanc facultatem ſibi reſervet, nam Vicarius Generalis venit nomine ordinarii: poteſt igitur ordinarius propter cauſas, quæ ſibi juſtæ videbuntur diſpenſare, nam Tridentinum remiſit hoc negotium prudentiæ Epiſcoporum, exiſtimo tamen Epiſcopum non poſſe concedere, ut denuntiationes fiant diebus ferialibus, quia hæc diſpenſatio videtur odioſa contra jus commune, in quo Epiſcopus non poteſt diſpenſare, Epiſcopo verò injuſte recuſante diſpenſationem, dari poteſt appellatio ad ſuperiorem Epiſcopo, ut ipſe ſuperior diſpenſet, & cogat inferiorem ad diſpenſandũ.

4 Poſſunt denunciationes aliquandò omitti ob legitimam, & juſtam cauſam etiam ſi non adſit facultas ordinarii, ut quandò aliquis diù diſtulit matrimonium, quod tenebatur cum aliqua celebrare; & poſteà in gravem morbum incidit, eoque tempore petit abſolutionem: ſed timetur fore, ut poſteà non celebret matrimonium ſi tunc abſolvatur ante contractum matrimonium poteſt Parochus in eo caſu abſque facultate Epiſcopi celebrare matrimonium omiſſis denunciationibus, illas faciendo poſt contractum matrimonium.

5 Quandò contrahentes ſunt diverſæ Diœceſis reſtringenda eſt diſpenſatio ad Epiſcopum, in cujus Diœceſi celebrandum eſt matrimonium; qui cum utroque contrahente diſpenſare poteſt in denunciationibus: is verò in cujus diœceſi non eſt celebrandum matrimonium poteſt ſolum diſpenſare cum ſibi ſubdito, quia Epiſcopus in cujus diœceſi non eſt celebrandum matrimonium, nullam habet juriſdictionem directam, vel indirectam erga ſubditum alterius Epiſcopi, in cujus diœceſi celebrandum eſt matrimonium.

6 Epiſcopus poteſt facultatem diſpenſandi in denunciationibus alteri delegare, quia cum habeat poteſtatem ordinariam, poteſt eam alteri delegare: ita etiam poteſt Vicarius generalis delegare, non autem generaliter, ſed unam, vel alteram cauſam delegare; Epiſcopus autem debet habere juſtam cauſam diſpenſandi; quia hoc negotium relictum eſt judicio, & prudentiæ ordinariorum in *Trid. ſeſſ. 4. c. 1.* juſtę autem cauſę remittendi denunciationes ſunt. Prima quando creditur matrimonium injuſtè impediendum: Secunda quoties denunciationes fieri non poſſunt abſque detrimento, aut notabili incommodo in fama, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, vel abſque ſcandalo, ut ſi quis debeat longius proficiſci, aut exiſtat in periculo mortis, & opus ſit prius contrahere matrimonium, vel ſi matrimonium prius publicè contractum fuit, ſed invalidè ob occultum impedimentum, aut ſi contrahentes in concubinatu viventes cenſebantur conjuges, & ſi fiant denunciationes judicabuntur in primo ſtatu permanſiſſe, vel contrahentes ſint inæqualis conditionis, vel ſi dilatio matrimonii occaſionem præbeat peccati: tertia quando tempus, quo nuptiæ prohibentur, inſtat ut nequeat omnes denunciationes præmitti. Quarta eſt notabilis ſponſorum commoditas, modò non timeatur periculum alicujus occulti impedimenti: Quinta quando magnates contracturi ſunt matrimonium: Epiſcopus autem debet indagare primò, an verè ſubſit cauſa diſpenſandi: Secundo ut probabiliter credebat nullum ſubeſſe impedimentum, quandò diſpenſat: Tertio debet incumbere, ut denunciationes celebrato, ſed nondum conſummato matrimonio fiant, ſi cauſa ſolum poſtulet, ut denunciationes omittantur ante celebrationem matrimonii.

7 Contrahentes peccant mortaliter, conſummando matrimonium non pręmiſſis denunciationibus, quia contrahentes exponunt ſe periculo fornicationis non adhibendo diligentiam ab Eccleſia præſcriptam in *Tridentino loco citato*, & non tantum peccant mortaliter prima vice conſumando matrimonium abſque pręmiſſis denunciationibus, ſed etiam toties, quoties, donec fiant denunciationes, quæ faciendæ ſunt in propria Parochia; & ſi ſunt diverſarum parochiarum faciendæ ſunt in

utra-

utraque parochia, ita declaravit Cardinalium congregatio, ut patet ex *Concilio loco citato cap.* 1. & quandò habent plura domicilia, ſeù parochias faciendæ ſunt ubi diutius habitant, & principaliorem habent larem, vel in qua fuit antiqua parentum habitatio, denunciationes verò faciendæ ſunt à Parocho, vel ab alio de licentia ipſius Parochi, qui ſuſpendendus eſt ab officio per triennium ſi propria auctoritate denunciationes omiſit abſque legitima, & juſta cauſa: denunciationes vero faciendæ ſunt tribus diebus feſtivis continuis ex *Trid. ſeſſ.* 24 *c.* 1. de reformatione matrimonii; undè ſi multos dies feſtos inter unam, & alteram denunciationem interponant Parochi graviter peccant, quia faciunt contrà prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, quando autem de licentia ordinarii una tantum denunciatio præmittitur, non ſtatim ea facta, contrahendum eſt matrimonium, ſed per aliquod tempus arbitrio prudentis viri differendum, quæ denunciationes faciendæ ſunt, vel inter miſſarum ſolemnia, vel extra Eccleſiam in loco, ad quem magna populi copia confluit, etiam ſi locus ille non ſit Sacer, & poſſunt fieri alio die, quam feſto, quando ſcilicet ingens hominum multitudo ad Eccleſiam accedit. Conſcii autem impedimentorum tenentur denunciare impedimenta, quando poſſunt hoc facere abſque gravi ſuo incommodo, & abſque aliorum ſcandalo, etiam ſi impedimenta ſint occulta, nec probare poſſunt præmiſſa tamen prius correctione, ſi ex ea ſperatur fructus.

Utrum Matrimonium contractum ſinè Parocho, & teſtibus in iis locis in quibus Concilium Tridentinum non eſt acceptatum ſit validum.
Cap. 179.

1 Validum eſt matrimonium contractum ſine Parocho, & teſtibus in eo loco, in quo non eſt promulgatum *Concil. Trident.* vel in quo non eſt acceptatum ſaltem quoad hoc particulare decretum, quia lex non obligat niſi ſit promulgata, & acceptata, & proptereà incola unius loci, in quo promulgatum eſt Concilium, & acceptatum transferens ſe eo loci, ubi non fuit promulgatum Concilium poteſt ibi matrimonium abſque Parocho, & teſtibus contrahere, quia leges non cadunt abſolutè ſuper perſonas ſubditas, ſed ſuper perſonas exiſtentes in loco, ubi leges receptæ ſunt, ut eſt illud axioma, *Si fuerit Romæ, Romano vitio more*: etiam ſi contrahens ſit ibi tantum per modum tranſitus, vel eò ſe tranſtulerit, ut poſſit liberè contrahere matrimonium abſque Parocho, & teſtibus, utitur enim jure ſuo, & ſic poſſunt captivi apud Turcas validè contrahere matrimonium ſine Parocho, & teſtibus, etiam ſi non habeant animum ibi perpetuo ſtandi, & ſic Mercatores, & alii, qui ſunt apud Turcas, vel apud hæreticos in quorum Territoriis Tridentinum non eſt acceptatum. Idem dicendum de extraneis, qui reperiuntur in Grçcia, vel in Germania: qui contrahere poſſunt matrimonium ſine Parocho, & teſtibus, ſi Concilium non eſt ibi acceptatum. Incolæ autem illius loci ubi non eſt acceptatum Concilium ſi transferantur in locis, ubi eſt acceptatum Concilium non poſſunt contrahere matrimonium abſque Parocho, & teſtibus, quia contractus debet celebrari juxta conditiones præſcriptas in eo loco, in quo contractus celebratur; cum autem matrimonium ſit vetus contractus, & lex præſcribens matrimonium celebrari coram Parocho, & teſtibus in iis locis, in quibus Tridentinum eſt acceptatum, quamvis incola ſit illius loci in quo non eſt acceptatum Tridentinum.

Quis debeat aſſiſtere matrimonio ut validè contrahatur. *Cap.* 180.

1 Ad validè contrahendum matrimonium requiritur præſentia Parochi proprii, vel alterius ſacerdotis de licentia Parochi, vel Ordinarii; *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. de Reformat. matrim. & proprius Parochus eſt ille, in cujus parochia contrahens habitant; unde Parochus alienigenarum eſt ille in cujus parochia alienigenæ habitant, aut commoratur majori anni parte, ut patet ex declaratione Cardinalium. Unde qui ad aliquem locum divertit intentione *ibi* manendi majori anni parte, poteſt contrahere matrimonium co-

N 2 ram

ram Parocho illius loci: idem dicendum de amaſia, quæ ſe tranſtulit ad domicilium concubinarii, intentione ibi commorandi majori anni parte, & ibi coram parocho illius domicilii celebravit matrimonium non cum amaſio, ſed cum alio extraneo; ſecus dicendum de femina, quæ coram parocho ſuæ parochiæ contraxit matrimonium invalidum, & ſe tranſtulit domum ſponſi in alia parochia, cum intentione ibi morandi perpetuò, quæ non poteſt coram eodem parocho de novo validè contrahere; nam ille non dicitur amplius proprius Parochus, quia mutavit, & amiſit primum Domicilium ſtatim, ac incæpit habitare in parochia ſponſi, cum intentione ibi perpetuò manendi: ſic non poteſt matrimonium valide contrahi coram parocho illius oppidi, ad quod ſponſus aliquoties in anno divertit recreationis gratia, vel colligendorum fructum, cum alibi habeat principale domicilium.

2 Ad validitatem matrimonii ſufficit, ſi matrimonium contrahatur coram parocho ſive viri, ſine fæminæ quando vir eſt unius parochiæ, & fæmina alterius: ita declaravit Congregatio Cardinal. Invalidum, aut eſt matrimonium contractum in articulo mortis ſine Parocho: licitè contractum fuerit quacunque urgente neceſſitate, quia eſt contractum ſine forma ſubſtantiali, neque excuſare poteſt ignorantia invincibilis hujus decreti.

3 Titius in articulo mortis exiſtens abſente proprio Parocho contraxit coram Parocho alterius oppidi cum Berta conſanguinea in quarto gradu, quam antea carnaliter cognoverat, & ex ea filium ſuſceperat, qui licet habuerit diſpenſationem à Summo Pontifice obtinendam à Vicario, qui nondum conceſſerat, & ideò invalidè matrimonium contraxit, ut contractum coram alio Sacerdote, quam coram proprio Parocho; & abſque ejus licentia, ut patet ex *Trid ſeſſ.* 24. *c.* 1, & quia non erat contractum inter perſonas habiles, nam conſanguinei non ſunt habiles ad contrahendum, ut ſunt Titius, & Berta, qui nondum erant diſpenſati.

4 Ad validitatem matrimonii ſufficit præſentia alterius, qui non ſit Parochus modo ſit Sacerdos, & licentiam habeat à Parocho, vel ejus Vicario, licet amovibili habente facultatem adminiſtrandi Sacramenta, & aſſiſtendi matrimoniis, immò non ſolum ſufficit ad validitatem matrimonii, ſi alienus Sacerdos licentiam habeat à proprio Parocho, vel ejus Vicario permanente vel amovibili, ſed etiam ſi illam habeat ab Epiſcopo, vel à Vicario enerali, aut ab alio Prælato habente auctoritatem, quaſi Epiſcopalem, qualem habent Cardinales in Eccleſiis ſuorum titulorum, & aliqui Abbates in ſuis Abbatiis, ſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Eccleſiis nulli Epiſcopo ſubiectis, quia Tridentinum requirit præſentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis de licentia Parochi, vel ordinarii; nomine autem ordinarii veniunt omnes dicti, licentia autem non debet eſſe tacita, qualis eſt illa, quæ oritur ex tollerantia, vel ex ratihabitione, ſed debet eſſe expreſſa, qualis eſt licentia ad aſſiſtendum ſpecialiter matrimonio, vel ad exercenda omnia Parochi officia, vel ad omnia Sacramenta adminiſtranda: quia cum ſit generalis, comprehendit aſſiſtentiam matrimonii, niſi aliter probabiliter credatur de voluntate Parochi, ita declaravit Cardinalium congregatio, nec eſt neceſſarium dari in ſcriptis hanc licentiam, ex *Trident* qui autem audet conjungere non ſibi ſubditos, aut ipſis benedicere, ſine Parochi, vel ordinarii facultate incurrit ipſo jure ſuſpenſionem donec abſolvatur ab ordinario illius Parochi ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. ſed jure antiquo incurrebat excommunicationem, ſed illa modo ſublata eſt.

5 Parochus, vel ordinarius poteſt concedere facultatem alteri Sacerdoti conjungendi ſponſos in matrimonium, non ſolum in propria parochia, verum etiam extram propriam parochiam, quia Tr.dicit alium Sacerdotem ſufficere ad aſſiſtendum matrimonio de licentia Parochi, vel ordinarii, & non dicitur in propria Parochia: inſuper proprius Parochus poteſt ſine peccato conjungere ſuos ſubditos in matrimonium non ſolum extra Propriam parochiam, ſed etiam extrà propriam Diœceſim: quia Parochus poteſt adminiſtrare Sacramenta ſuis ovibus ubicunque exiſtant, etiam ſi non obtinuerit facultatem ab eo Parocho in cujus Parochia ſponſi conjunguntur.

6 Archiepiſcopus non poteſt conjungere

gere in matrimonium ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, vel dare licentiam illos conjungendi, quia non eſt ordinarius illorum, nec eſt eorum ſuperior, niſi in gradu appellationis.

7 Validum eſt matrimonium contractum coram Parocho, qui nondum eſt Sacerdos: poteſt autem aliquis eſſe Parochus, etiam ſi nondum ſit Sacerdos; quia Tridentinum requirit ſolum præſentiam Parochi, ſed qui de licentia Parochi aſſiſtit debet eſſe Sacerdos, ita præſcribit Tridentinum loco citato dicens ibi *qui aliter qui præſente Parocho jam, vel alio Sacerdote.*

8 Matrimonium eſt validum contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam aſſiſtendi extorſit per metum levem, aut gravem, quia juriſdictio metu extorta validè transfertur, præſertim cũ hæc licētia non ſit actus juriſdictionis, ſed ſit actus Parochi non in quantum habeat formaliter juriſdictionem, ſed in quantum eſt teſtis à jure inſtitutus ad teſtificandum de matrimonio, & ad ſuſtituendum alium ad hunc effectum, non autem eſt validum matrimonium, quando licentia aſſiſtendi matrimonio eſt extorta per dolum, & mendacia, quandò ſunt cauſa finalis conceſſionis, ſeù licentiæ; quia tunc invalida eſt conceſſio, ſeù licentia, & conſequenter invalidum eſt matrimonium contractum coram eo Sacerdote qui licentiam extorſit per dolum, & mendacia verſantia circa cauſam finalem; ſecus dicendum, quando licentia fuit extorta per dolum, & mendacia verſantia circa cauſam impulſivam, ſit exemplum; aliquis Sacerdos accedit ad Parochum, à quo petit fictè nomine alicujus Illuſtris viri facultatem aſſiſtendi matrimonio. Parochus compulſus ficta petitione concedit illi facultatem aſſiſtendi matrimonio, hoc enim caſu valida eſt conceſſio, & validum eſt contractum matrimonii coram Sacerdote habente licentiã extortam dolo, & mendacio verſante non circa cauſam finalem, ſed circa cauſam impulſivam.

9 Validum eſt matrimonium, cui aſſiſtit Parochus interdictus, ſeù prohibitus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, quia ita declaravit Cardinalium congregatio; idem dicendum, quandò Parocho vetitum fuit à ſuperiore adminiſtrare Sacramenta propter inſcitiam, quia hæc aſſiſtentia non eſt propriè adminiſtratio Sacramenti, ſed convalidatio conſenſus contrahentium, quæ non cenſetur comprehenſa in dicta prohibitione, ſi verò vetitum ſit Parocho adminiſtrare Sacramenta eò, quod mente captus ſit, non poteſt validè aſſiſtere matrimonio, quia humano modo non eſt præſens cum non videat, & non advertat, & non intelligat, quod agitur; ſecus dicendum quandò Parochus eſt ſui compos, & verè intelligit quocunque modo intelligat, ita declaravit Cardinalium congregatio, in qua habetur Parochum ita debere intereſſe, ut appareat ipſum hac de cauſa fuiſſe adhibitum; ſcilicet ad illum actum, etiam ſi ex alia cauſa vocatus ſit, aut adductus ſit ad illum actum per dolum, aut per metum, & ſit invitus, aut contrariam habeat intentionem: non autem idem dicendum eſt, quandò parochus caſu adeſt, ut ſi conjugii, vel alterius negotii gratia adſit ibi, & interim audiat fieri contractum: tunc enim invalidum eſt matrimonium, eò quod Parochus dicatur præſens caſu, & non formaliter adhibitus ad hunc contractum: ita declaravit prædicta congregatio.

10 Parochus non ſolùm excommunicatus, tolleratus, vel ſuſpenſus ab officio, vel irregularis poteſt validè aſſiſtere matrimonio, ſed etiam ſi ſit excommunicatus non toleratus, ſed vitandus, aut ſuſpenſus, aut irregularis, quia hæc aſſiſtentia auctoritativa non eſt propriè actus juriſdictionis, ita ut non poſſit validè ab Excommunicato vitando exerceri; & quia (*Concil. Trid.*) ſolum requirit præſentiam Parochi; qui non deſinit eſſe Parochus propter cenſuras, ergò validè aſſiſtit quamvis peccet communicando cum aliis in divinis, qui etiam poteſt concedere licentiam alteri Sacerdoti aſſiſtendi, quia hæc licentia non eſt propriè actus juriſdictionis, quæ licentia poteſt etiam dari Sacerdoti excommunicato, vel degradato: quia verſamur in materia matrimonii, quæ favorabilis eſt, & Sacerdos degradatus eſt adhuc Sacerdos; validè etiam aſſiſtit, & validum eſt matrimonium, quando Parochus aſſiſtit, etiam ſi ipſo jure ſit privatus beneficio, modo in judicio nondum fuerit illo legitimè ſpoliatus, quia adhuc eſt Parochus cum titulo colorato, & errore communi vulgi, quæ autem ſunt ab aliquo cum titulo colorato, & errore communi valida ſunt.

11 Validum eſt matrimonium, cui aſſiſtit Parochus habens titulum invalidum ob vitium aliquod occultum, aut habens beneficium incompatibile ſibi collatum à legitimo ſuperiore, quia adeſt titulus coloratus cum errore communi abſquè impedimento juris naturalis, aut divini: ita validum eſt matrimonium contractum coram laico, cui Parochus conceſſit facultatem aſſiſtendi matrimonio, ſi communi errore, habeatur Sacerdos: quia adeſt titulus coloratus, adeſt error communis, & non intervenit impedimentum juris naturalis, vel divini, ſed eſt defectus, qui ſuppleri poteſt ab Eccleſia, quæ ſicut ſtatuit invalidum eſſe matrimonium ſine Parocho, vel alio Sacerdote, ita poteſt facere, ut ſit validum matrimonium celebratum coram laico, qui communi errore, & titulo colorato exiſtimatur Parochus, vel Sacerdos. Non poteſt autem Sacerdos præſtare fidem aſſerentibus ſe habere veniam contrahendi matrimonium coram ipſo, niſi ſint perſonæ valdè dignæ fide, nam in iis, quæ pertinent ad externam Eccleſiæ gubernationem non creditur teſtantibus in propria cauſa, præſertim ſi hoc vergere poſſit in præjudicium alterius.

12 Ad validitatem Matrimonii non requiritur, ut Parochus, vel alius Sacerdos aſſiſtens matrimonio utatur verbis in celebratione matrimonii, quia Tridentinum in clauſula irritante non facit ullam mentionem verborum: ergò verba Sacerdotis non requiruntur ad validitatem matrimonii: tenetur tamen ex præcepto ejuſdem *Tridentini ſeſſ. 24. cap. 1.* uti his verbis *Ego vos conjungo in nomine Patris, &c.* vel ſaltem uti aliis juxta ritum, & conſuetudinem Patriæ, quorum verborum omiſſio eſt tantum peccatum veniale, quia violatur præceptum *Conc. Trid.* in re parva: tenetur etiam ex *Trid.* Parochus interrogare contrahentes de mutuo conſenſu, utrum ſcilicet fœmina velit ducere virum, & vir fœminam, cujus interrogationis omiſſio eſt tantummodo veniale, quando Parochus certus eſt de mutuo conſenſu illorum: quia tunc omiſſio illius interrogationis videtur res parva.

13 Ad validè contrahendum matrimonium eſt etiam neceſſaria aſſiſtentia duorum, vel trium teſtium ex *Trid.* loco citato & præſentia debet eſſe moralis, & humano modo, ut ſcilicet advertant, & intelligant id quod agitur; quæ præſentia debet eſſe ſimultanea, & non ſufficit ſucceſſiva ex eodem *Trid.* & ideò dormientes, Amentes, ebrii, furioſi, quamdiu carent lucido intervallo, non ſunt teſtes idonei ad matrimonium; quia non poſſunt eſſe præſentes humano modo, & proptereà quæcunque perſonæ, doli capaces poſſunt eſſe teſtes in matrimonio cujuſcunque ætatis, conditionis, & ſtatus exiſtant, nec excluduntur impuberes uſum rationis habentes, neque fœminæ neque conſanguinei, neque pater vel mater, neque familiares, neque infideles neque excommunicati, licet iſtæ perſonæ non admittantur tanquam teſtes idonei in aliis, rebus tamen admitti poſſunt in matrimonio, quia Tridentinum nullos teſtes excipit: nec eſt neceſſarium, ut teſtes ſint rogati: nullo enim jure requiritur iſta ſolemnitas in matrimonio, immo validum eſt matrimonium, ſi teſtes ſunt præſentes per violentiam; nam iſti dici poſſunt præſentes moraliter, ſi advertant, quod agitur; ita declaravit Cardinalium Congregatio; non autem eſt validum matrimonium coram Parocho, & teſtibus tranſeuntibus, nam tranſeuntes non videntur præſentes humano modo, nec videntur præſentes formaliter.

14 Qui ſine Parocho, & teſtibus invalidè contraxerunt, poſſunt poſteà inter ſe, vel cum aliis iterum contrahere adhibito Parocho &, teſtibus, ſic enim declaravit Cardinalium congregatio.

15 Matrimonium Clandeſtinum nullam inducit obligationem, ſolum non habet vim matrimonii, neque ſponſaliorum, niſi fortè contrahentes habuerint animum obligandi ſe eo modo, quo poſſent; quia Tridentinum reddit irritum, & nullum matrimonium clandeſtinum; ex matrimonio clandeſtine celebrato inter impuberes oritur impedimentum publicæ honeſtatis, nam hujuſmodi matrimonium reſolvitur in vera ſponſalia, ex veris autem ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

16 Matrimonium clandeſtinum contrahentes puniendi ſunt arbitrio Epiſcopi juxta decretum *Conc. Trid. ſeſſ. 24 c. 1.* de reform. matrim. idem ſentiendum de teſtibus aſſiſtentibus matrimonio Clandeſtino, quia peccant præſtando auctoritatem actui prohibito: Sacerdos ſæcularis, vel regularis aſſiſtens matrimonio Clādeſtino ligatur ſuſpenſione, donec abſolvatur ab ordinario

illius

illius Parochi ad quem pertinebat aſſiſtere. Parochus , qui non aſtitit matrimonio Clandeſtino , vel facultatem aſſiſtendi dedit, aut ſciens tale matrimonium non prohibuit ſuſpendendus per triennium ab officio; filius ex Clandeſtino matrimonio nato eſt illegitimus , u tpotè conceptus ex conjuge non ſua.

Quid requiratur ad convalidandum matrimonium invalidè celebratum ob defectum conſenſus vel ob aliud impedimentum. Cap.181.

1 AD faciendum validum matrimonium,quod revera eſt invalidum defectu conſenſus interni, vel ratione gravis metus, ſufficit ſi conſenſus de novo præſtetur ab eo qui conſenſerat fictè, aut per metum gravem, modò alter ſponſus, qui anteà verè co ſenſerat non revocaverit ſuum conſenſum : quia ex parte alterius ſponſi adſunt omnia requiſita ad contrahendum matrimonium, & deeſt, tantummodò conſenſus ejus, qui fictè, vel metu conſenſit: nec neceſſarium In hoc caſu aliquid dicere alteri conjugi, qui verè conſenſit,nam ex parte ipſius non requiritur novus conſenſus, conſenſus verò, qui de novo præſtatur, non indiget aliquo ſigno externo: ſed ſufficit internus conſenſus: quia ſignum externum jam fuit exhibitum in contractu ſolemni, cui tantummodò deerat internus conſenſus,hoc tamen non valet quãdo matrimonioum fuit invalidum defectu utriuſque contrahentis conſenſus; quia conſenſus internus requirit, ut aliquo ſigno externo manifeſtatur, nec eſt neceſſarium quando conſenſus de novo præſtatur, ut de novo contrahatur coram Parocho, & teſtibus, quia Parochus, & teſtes fuerint præſentes externo contractui ;ſuffi . cit autem ad præſtandum novum conſenſum quodlibet temporis intervallum modo alter non revocaverit conſenſum.

2 Ad validandum marrimonium, quod Initio contractum fuit invalidum, propter aliquod impedimentum dirimens, neceſſarius eſt poſt impetratam impedimenti diſpenſationem, novus utriuſque conſenſus ſigno externo expreſſus: nec ſufficit conſenſus ejus, qui novit impedimentum; quia conſenſus anteà præſtitus fuit omnino irritus ex parteutriuſque contrahentis, cum verſaretur circa materiam illegitimam & invalidam.

4 Quando matrimonium fuit invalidum ob impedimentum dirimens, videtur manifeſtandum eſſe conjugi illud ignoranti; quando manifeſtari poteſt abſque gravi periculo; ſecus ſi commodè, & abſque periculo nequeat manifeſtari, & hoc pacto intelliguntur clauſulæ diſpenſationum, in quibus præſcribitur conjugem admoneri de invaliditate matrimonii; non enim credibile eſt ſummum Pontificem obligare cum tanto incommodo, quando autem nullitas matrimonii eſt ignota alteri: nec poteſt manifeſtari abſque gravi periculo, nec ullus conſenſus poteſt extorqueri; ex alia parte petat debitum, & uxor nequeat negare abſque ſcandalo, ſufficit, ut ipſa copulam habeat affectu maritali; ſic enim ipſa videtur conſentire: ſicut etiam vir cenſetur conſentire, cum habet copulam affectu maritali, putans matrimonium eſſe validum, quæ doctrina magnam habet difficultatem, ſed poteſt ſuſtineri, ut probabilis potius ob auctoritatem doctorum.

4 Matrimonium contractum cum falſò errore impedimenti: ſcilicet quandò ſponſi exiſtiment ſubeſſe impedimentum dirimens, quod verè non ſuberat, validum dicitur ſi contrahentes intendunt contrahere qnantum in ipſis eſt, quia matrimonium validè celebratur, quandò contrahentes ſunt habiles, & habent ſufficientem conſenſum, undè validum dicitur eſſe matrimonium, quod duo contraxerunt cum intentione contrahendi, quatenus poſſunt exiſtimantes priorem alterius conjugem ſuperſtitem eſſe: ſcienteſque matrimonium contractum ſuperſtite alterius conjuge invalidum eſſe.

5 Ad validandum matrimonium, quod prius fuit invalidum defectu alicujus occulti impedimenti non requiritur, ut de novo celebretur coram Parcocho,& teſtibus, modò impedimentum eſſet occultum, & iam ſublatum fuerit, nec ſit periculum, ut impedimentum probetur in judicio, & matrimonium diſſolvatur in foro externo; modò impedimentum ignotum fuerit Parocho,& teſtibus:quia ſi iſti,vel aliquis eorum ſciebat impedimentum ſubeſſe, quando fuit contractum matrimonium, non poteſt eſſe teſtis valoris, ſed nullitatis matrimo-

nii, & propterea de novo celebrandum eſt coram Parocho, & teſtibus, ut teſtari poſſint de validitate matrimonii; dico igitur quandò invalidè eſt celebratum matrimonium defectu alicujus impedimenti, occulti, quod plenè probari non poteſt, non requiritur, ut de novo contrahatur coram Parocho, & teſtibus ex praxi, & uſu, & ex declaratione Cardinalium: quandò autem contrahentes de novo occultè celebrant matrimonium, non tenentur de novo benedictiones recipere quia benedictiones non ſunt de ſubſtantia matrimonii, & quia periculum eſſet ſcandali de novo recipiendo.

Utrùm matrimonium celebratum ſub conditione ſit validum. Cap. 182.

1 MAtrimonium celebratum ſub conditione neceſſaria validum eſt antè expectationem eventus conditionis, non ſolum in foro externo: ſed etiam in interno, modò contrahentes non habuerint intentionem ſuſpendendi conſenſum uſque ad conditionis eventum; quia matrimonium tunc eſt validum; quando adeſt mutuus conſenſus de præſenti inter perſonas habiles ſigno externo ſufficienter manifeſtatus: undè conditio, quæ apponitur cum ſit neceſſaria habetur prò impleta: ſecus dicendum, quandò utrique contrahentes vel alter eorum intendit ſuſpendere ſuum conſenſum, uſque ad conditionis eventum, tunc enim matrimonium ſub neceſſaria conditione celebratum non eſt validum de præſenti, cum non adſit mutuus conſenſus de præſenti, ſicut neque eſt validum de præſenti matrimonium: quandò apponitur conditio neceſſaria, ſed non cognoſcitur neceſſaria: tunc enim apponens conditionem neceſſariam, credens illam eſſe contingentem, non contrahit ſtatim matrimonium, cum non habet conſenſum de præſenti: ut intendat tantummodo contrahere dependenter ab eventu illius conditionis, quam credit eſſe contingentem.

2 Matrimonium celebratum ſub aliqua conditione turpi; quæ ſit contra ſubſtantiam matrimonii, ſeu quæ tribus præcipuis illis bonis adverſetur; ſcilicet Proli, fidei, & Sacramento, irritum eſt ſi conditio adjungatur, ut de futuro præſtanda: quia conditio contra ſubſtantiam contractus deſtruit contractum, ergò etiam conditio contra ſubſtantiam matrimonii deſtruit matrimonium, ſubſtantia matrimonii conſiſtit in conſenſu, & obligatione ad ſocietatem conjugalem, ad fidem mutuò ſervandam, prolemque ſuſcipiendam, quæ ſunt tria bona matrimonii: cum autem prædictæ conditiones repugnent his bonis, ſequitur naturam, & ſubſtantiam matrimonii deſtrui per illas conditiones; & conſequenter matrimonium eſſe invalidum, hoc tamen intelligitur modò hujuſmodi conditiones adhibeantur in ipſo contractu matrimonii: nam ſi adhibentur poſt contractum matrimonium, non efficiunt illud invalidum, cum iam ſupponatur eſſe validè celebratum: ſicut neque illud efficiunt invalidum, quandò hujuſmodi conditiones non adiunguntur, ut de futuro præſtandæ, ſed apponuntur de præterito, vel de præſenti.

3 Validum eſt matrimonium celebratum ſub conditione turpi, modò conditio non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, ut ſi dicatur contraho tecum ſi patrem occideris, ſimiliter eſt validum matrimonium celebratum ſub conditione impoſſibili, ut ſi dicatur contraho tecum ſi montem iſtum in mare transtuleris: hæc propoſitio intelligitur modò adſit conſenſus contrahentium abſolutus, quia hujuſmodi conditiones in matrimonio habentur prò non adjectis: quæ ſi non fuiſſent adiectæ, validum eſſet matrimonium: ergò eſt validum quamvis fuerint adiectæ conditiones, modò adſit conſenſus abſolutus contrahentium ſigno externo ſufficienter expreſſus: Secus dicendum ſi non adſit conſenſus abſolutus, & contrahentes non conſentiant, niſi ſub conditione turpi, vel impoſſibili: tunc enim non eſt validum matrimonium, eo, quòd non adſit conſenſus de præſenti, qui neceſſarius eſt ad validitatem matrimonii.

4 Conſanguinei contrahentes matrimonium ſub conditione turpi, vel impoſſibili incidunt in excomunicationem latam in Clem. unicam de conſang. & affin. modò non haberent intentionem contrahendi ſolum dependenter ab illa conditione: tunc enim cum matrimonium non ſubſiſtat antè conditionis eventum, ſequitur eos non affici excommunicatione nondum adimpleta conditione.

5 Matrimonium celebratum ſub conditione honeſta de præſenti, vel de præterito

rito validum eſt, ſi res ità eſt: quia hujuſmodi conditio non eſt proprlè conditio, nec ſuſpendit actum: undè ſi quis dicat, contraho tecum, ſi es dives, vel ſi patri placet validè contrahit ipſo facto matrimonium ſi re vera alter eſt dives, vel patri placet, ſecus ſi non eſt dives, vel patri non placet: ſi tamen detur caſus, ut patri, neque placeat, neque diſpliceat, ſtandum erit intentioni contrahentium, ſecundum quam celebrarunt contractum ſub ea conditione: regulariter tamē judicandum erit matrimonium eſſe validum eo quòd illa conditio videatur adhiberi ad hunc ſenſum, ſi patri non diſplicet.

6 Matrimonium ſi celebretur ſub conditione honeſta de futuro non eſt validum antè conditionis eventum: quia contrahentes non intendunt contrahere, niſi dependenter ab illa conditione, ergò verè non contrahunt, exiſtimo tamen fieri validum adveniente illa conditione abſque alio conſenſu, modò contrahentes permanſerint in eodem conſenſu ſaltem virtualiter

7 Qui per verba de præſenti contraxit matrimonium cum duabus de futuro ſub conditione ſit maritus illius, cujus conditio prius adimpletur: ſi verò utriuſque conditio ſimul adimpletur, exiſtimo neutrum matrimonium valere, quia incertitudo vitiat matrimonium, ſed in hoc caſu matrimonium eſt incertum perindè ac ſi cum duabus eodem tempore contractum eſſet, ergò eſt invalidum.

8 Quandò matrimonium eſt celebratum coram Parocho, & teſtibus cum conditione honeſta, requiritur, ut conditio adimpleatur coram Parocho, & teſtibus, vel ut Parochus, & teſtes cognoſcant de præſenti, vel de prȩterito conditionem eſse adimpletam, ut poſsunt teſtari de validitate veri matrimonii, quamvis contraria opinio eſt etiam probabilis.

9 Matrimonium contractum inter conſanguineos, vel affines, vel inter alios habentes aliquod impedimentum ſub conditione *ſi Papa diſpenſaverit* validum eſt adimpleta conditione, vel adveniente diſpenſatione, quia ſponſalia celebrata hujuſmodi conditione valida ſunt, quandò impedimentum eſt diſpenſabile, ergò etiam validum eſt matrimonium.

10 Matrimonium contractum ſub conditione impertinenti de futuro non eſt validum, antequam verificetur conditio; validum, verò eſt ea verificata, & adimpleta nam contrahentes, dum intendunt tantummodò contrahere dependenter ab eventu illius conditionis non validè contrahunt antè conditionem, cum autem ſit conditio, quæ poteſt apponi, nec improbatur à jure, cum non ſit conditio turpis; quæ idcirco improbatur, & rejicitur, quia inducit ad peccatum, & conditio impertinens non inducit ad peccatum, ergò matrimonium validum eſt verificata, & impleta conditione, modò contrahentes non revocaverint conſenſum antè conditionis eventum.

11 Sponſalia celebrata ſub conditione neceſsaria ſunt ſtatim valida, & inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, modo alia conditio cognoſcatur, ut neceſsaria: & non adſit intentio ſuſpendendi conſenſum uſque ad conditionis eventum, ſponſalia contracta ſub conditione turpi, contraria ſubſtantiæ matrimonii non ſunt valida, nec obligant; nam ſi matrimonium ſub ea conditione celebratum non obligat, neque obligare debent ſponſalia: ſponſalia autem erunt valida; quandò talis conditio adjicitur adimplenda, antequam contrahatur matrimonium: tunc enim illa conditio non eſt contraria matrimonio, cum non referatur ad tempus matrimonii, ſecus ſi apponatur implenda poſt matrimonium, undè valida ſunt ſponſalia contracta ſub his conditionibus: *Contraham tecum matrimonium, niſi invenero aliam ditiorem, vel formoſiorem* aut *ſi fornicaris antè matrimonium* aut *ſi venenum ſterilitatis ſumas antè matrimonium* aut *ſi per fornicariam copulam te virginem inveniam*, ſed hoc modo ſponſalia contrahentes peccant, nec tenentur ad has conditiones adimplendas: ſed iis adimpletis aſtringuntur ad ſervandam fidem datam; quia præceſserit promiſſio de re, quæ poſſibilis eſt, & honeſta, poſtquam patratum fuerit delictum licet ſupponatur aliquid inhoneſtum, quandò conditio, quæ apponitur in ſponſalibus eſt turpis, vel impoſſibilis, vel non eſt contraria ſubſtantiæ matrimonii, ſponſalia cenſentur ſtatim valida ſaltem in foro externo, ac ſi celebrata fuiſsent purè, & abſolutè: quia ſicut hæc conditio habetur pro non appoſita in matrimonio, ità habetur prò non appoſita in ſponſalibus, & ſic ſtatim erunt valida; & conſequenter inducent impedimentū

publicæ

publicæ honeſtatis: dictum eſt ſaltem in foro externo: quia in foro conſcientiæ verè non ſunt valida antè conditionis eventum, ſi contrahentes habeant intentionem promittendi ſolùm dependenter ab illa conditione, ſi verò contrahentes noluerunt ſe obligare, niſi ſub conditione impoſſibili, vel turpi certè non obligantur niſi ea conditione poſita, & conſequenter antè illam conditionem adimpletam non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis in foro conſcientiæ ſimiliter dicendum eſt ſponſalia; celebrata ſub conditione honeſta de præſenti, vel de præterito eſſe ſtatim valida, vel celebrata ſub conditione de futuro non eſſe valida antè conditionis eventum.

De Indiſſolubilitate Matrimonii.
Cap. 183.

1 MAtrimonium eſt indiſſolubile, quia indiſſolubilitas eſt unum ex tribus præcipuis bonis matrimonii, & eſt de ſubſtantia matrimonii, & propterea invalidè contrahitur matrimonium ab eo, qui intendit contrahere ſolum ad tempus, matrimonium enim eſt vinculum perpetuum, & indiſſolubilitas eſt de ſubſtantia matrimonii.

2 Tria ſunt bona matrimonii, Bonum Sacramenti ſeù indiſſolubilitas, bonum prolis, & bonum fidei; is igitur, qui non intendit ſaltem implicitè bonum Sacramenti ideſt indiſſolubilitatem non validè contrahit; validè verò contrahit, qui alia duo bona non intendit etiam non implicitè; modò non deducat in pactum aliquid hujuſmodi bonis contrarium: quarè celebrans matrimonium intentione non reddendi debitum aut impediendi prolem, aut nō alendi prolem ſuſceptam validè contrahit, modo illam intentionem in pactum non deducat, cum talis intentio non tollat ſubſtantiam contractus.

3 Matrimonium eſt indiſſolubile jure naturali, & divino, quia lumine naturę cognoſcimus poſita indiſſolubilitate matrimonii coniuges mutuum fovere amorem, magiſque ſollicitos eſſe in rebus domeſticis, & in fugiendis adulteriorum occaſionibus, de iure autem divino patet ex *Geneſ.* 2. *quamobrem relinquet homo, &c. & adhærebit uxori, &c.* ex quo colligitur, matrimonium non poſſe diſſolvi propter adulterium: quod eſt definitum de fide in Florentino in Armenorum inſtructione.

4 Summus Pont. aliquando poteſt diſpenſare in matrimonio rato, ut diſſolvantur ad tollendas graves diſcordias, vel ad vitandum perverſionis periculum, nam poteſtas diſpenſandi in matrimonio rato, aliquando neceſſaria eſt bono regimini Eccleſiæ, & ad tollenda ſcandala: &c. propterea Summus Pontifex poteſt diſſolvere matrimonium ratum: non autem poteſt diſpenſare, ut diſſolvatur matrimonium conſumatum quia; hoc repræſentat unionem Hypoſtaticam Verbi cum natura humana: quæ unio ſicut eſt indiſſolubilis: ità etiam indiſſolubile eſt matrimonium conſumatum, quod illum repræſentat: & propterea Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in matrimonio rato conſummato, ut diſſolvatur.

De impedimentis Matrimonii; eorumque diſpenſatione.

A quo poſſint induci impedimenta, & quæ ſint. Cap. 184.

1 Eccleſia poteſt ſtatuere aliqua impedimenta non ſolum impedientia; ſeu etiam dirimentia matrimonium ex fide definita in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 4. undè poteſt Summus Pontifex inducere impedimenta matrimonii: ſicut etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi: poſſunt etiam Princeps Sæculares ſecluſa prohibitione Eccleſiæ conſtituere impedimenta matrimonii, quatenus matrimonium eſt quidam contractus: nam Principes Sæculares habent poteſtatem ſupra contractus, & poſſunt præſcribere formam ſub qua celebrandi ſunt ſed iſta poteſtas ſupra matrimonium ablata eſt ab Eccleſia in c. Eccleſia S. Mariæ extra de conſtitutionibus, quia matrimonium non tantùm eſt contractus, ſed etiam res ſpiritualis, & Sacramentum, ſupra quod non extenditur poteſtas ſæcularis ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 12. Excipitur cauſa Dotis, & matrimonium infidelium: nam principibus Sæcularibus relicta eſt poteſtas circa contractum dotis, & circa matrimonia infidelium, cum iſti contractus non ſint Sacramenta, nec res ſpirituales. Conſuetudo etiam legitimè præſcripta poteſt nova impedimenta inducere, & inducta auferre: quæ conſuetudo debet eſſe mixta laicorum, & Clericorū, ut inducatur impe-

impedimentum matrimonii, nam laici non poſſunt per ſe ſolos immutare aliquid ſpectans ad leges Eccleſiaſticas: matrimonium autem ſpectat ad forum, & leges Eccleſiæ cum non ſit ſolum contractus, ſed etiam res ſpiritualis.

2 Impedimenta, quæ non ſolum impediunt matrimonium, ſed etiam dirimunt, ſecundum jus antiquum ſunt duodecim. ſecundum vero jus novum ſunt quatuordecim nam *Conc. Trid.* duo addit, ſcilicet raptum, & defectum præſentiæ Parochi, & teſtium, quæ omnia impedimenta his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc facienda vetant connubia facta retractant.

Hæc impedimenta dicuntur dirimere contractum, non quia dirimant matrimonium, quando illo iam contracta ſuperveniunt, ſed quia faciunt, ut invalidè contrahatur, & contrahentes ſeparari poſſint, quia invalidè contraxerint, præter prædicta impedimenta impedientia, & dirimentia ſunt alia impedientia, ſed non dirimentia, quæ his verſibus compræhenduntur.

Eccleſiæ vitium, nec non tempus feriatum
Atque Cathechiſmus, ſponſalia, jungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Igitur Interdictum, Votum, ſponſalia, Cathechiſmus, Crimen impediunt: ſed non dirimunt: quæ dirimentia ſunt alia ſeptem, quę ex crimine proficiſcuntur, & his verſibus referuntur.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors preſbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium ſociandum:

De Impedimento Erroris. Cap. 185.

1 MAtrimonium contractum cum errore circa ſubſtantiam perſonæ invalidum eſt jure humano, ut in c. tua nos de ſponſalibus, & etiam jure naturæ: nam matrimonium jure naturæ non ſubſiſtit abſquè conſenſu circà perſonam, cum qua contrahitur; ſed quandò error verſatur circà ſubſtantiam perſonæ non adeſt conſenſus circà illam perſonam, ſed circà aliā, quæ mente concipitur: undè nihil eſt magis contrarium conſenſui, quàm error, ergo matrimonium celebratum cum errore circà ſubſtantiam perſonæ eſt invalidum jure naturę, & matrimonium contractum cum errore circà ſubſtantiam perſonæ non ſolum eſt invalidum inter fideles, ſed etiam inter infideles cum ſit invalidum jure naturę, cui non ſolùm fideles, ſed etiam infideles ſubditi ſunt, qui error circà ſubſtantiam perſonæ invalidat matrimonium, etiam quando error eſt comitans, qui error comitans eſt quandò quis contrahit v.g. cum Bertaputans eſſe Catharinam, ſed ità eſt habitualiter diſpoſitus in voluntate, ut ſi ſciret illam eſſe Bertam, tamen illam libenter, vel fortè etiam libētius duceret, quàm Catharinam, qui igitur contrahit cum hujuſmodi errore comitante circà ſubſtantiam perſonæ invalidè contrahit, nam ut quis matrimonium validè contrahat, requiritur voluntas, & conſenſus: ſed quandò adeſt error comitans non adeſt voluntas, & conſenſus poſitivus; ergò non validè contrahit, immò non eſſet validum matrimonium, etiam ſi contrahens dicat, ducerem Bertam, ſi noſſem hanc eſſe Bertam, nam hoc modo ſolum indicat intentionem, & voluntatem ejus, quod facturus eſſet ſi illam noſſet, non verò poſitivè conſentit de præſenti, ſecus ſi errans intendat contrahere cum tali perſona qualicunque illa ſit, hoc enim caſu non deficit conſenſus circà perſonam præſentem.

2 Matrimonium contractum cum errore qualitatis non eſt invalidum, quia cum hujuſmodi errore celebratum, & dolo eſt ſimpliciter voluntarium quoad naturam, & ſubſtantiam rei, quamvis quoad accidentia non ſit voluntarium: ſed matrimonium voluntarium ſimpliciter quo ad ſubſtantiam eſt validum, quamvis deſit conſenſus ſecundum quid, ideſt quoad accidentia, ergo matrimonium celebratum cum errore qualitatis eſt validum, modò qualitas non fuerit appoſita per modum conditionis, tum enim ſi contingeret error circa qualitatem, matrimonium eſſet invalidum; ut ſi quis dicat, duco te in uxorem ſi es dives, invalidè contrahit, ſi ipſa non eſt dives, deeſt enim qualitas quæ appoſita fuit tanquam conditio cujus defectu contractus eſt invalidus: vel modò

modo error qualitatis non tranſierit in errorum perſonæ, cum ſit invalidum defectu conſenſus abſoluti, error autem qualitatis tranſint errorem perſonæ, quando qualitas in qua erratur, reſpicit aliquam certam, & determinatam perſonam diſtinctam ab ea, quæ eſt præſens: tunc enim error qualitatis redundat in errorem perſonæ, v. g. Berta contraxit matrimonium cum Titio, qui ſe fingebat filium Regis Hiſpaniarum, cujus verè non erat filius, tamen Berta Filium Regis ſibi in mente propoſuit, in illumque directè conſentire voluit, hic error qualitatis redundat in errorem perſonæ, & conſequenter matrimonium contractum inter eos eſt nullum, ſecus dicendum, quando non reſpicit perſonam diſtinctam à præſente, ut ſi quis ſe fingit nobilem, aut divitem, error Bertæ eſt ſolius qualitatis, quæ qualitas non determinat certam, & individuam perſonam, & propterea validum eſt matrimonium: ſecus dicendum, ſi Berta contrahat cum eo, qui ſe fingit primogenitum, cum verè ſit ſecundo genitus tunc enim conſentit in perſonam diſtinctam è præſente, cum ipſius conſenſus directè feratur in perſonam, cui illa qualitas primogenituræ ineſt; materialiter verò in perſonam præſentem, quę putatur primogenita.

3 Matrimonium celebratum per dolum dantem cauſam ipſi matrimonio, quod alioquin celebratum non fuiſſet, eſt validum cum adſit voluntarium ſimpliciter, & conſenſus poſitivus.

4 Titius contracturus matrimonium cum primogenita Caji vult illam prius videre: ſed quia primogenita erat deformis alia formoſa oſtenſa fuit, contrahit poſtea matrimonium cum primogenita, non advertens an eſſet illa pulcra, vel deformis: quo caſu dico validum eſſe matrimonium, quia non intervenit error perſonæ, ſed qualitatis, nam Titius duxit primogenitam Caii, quam intendebat ducere. Secus dicendum ſi Titio promiſſa fuit una ex filiabus Caii indeterminatè: cui volenti videre ſponſam oſtenſa fuit una formoſa, poſteà in contractu matrimonii ſuppoſita fuit alia æquè formoſa hoc caſu matrimonium non eſt validum, quia intervenit error perſonæ, nam Titius credit ſe contrahere cum ea, quam vidit.

De Impedimento conditionis id eſt ſervitutis.
Cap. 186.

1 MAtrimonium contractum cum errore conditionis non eſt invalidum, quandò perſona cum qua contrahitur eſt æqualis, aut melioris conditionis: unde ſervus contrahens cum ſerva, quam credebat eſſe liberam, aut contrahens cum libera, quam putabat eſſe ſervam validè contrahit, quia cum æquali, aut meliori contrahit: & ſic validum eſt matrimonium contractum à libero cum ſerva; quæ contrahendo fit libera, quia nulla intercedit inæqualitas.

2 Matrimonium contractum cum errore conditionis eſt invalidum, quando conditio errantis fit deterior, ut quando liber contrahit cum ſerva, quam credebat liberam; validum tamen eſſet matrimonium, quod liber contraheret cum ſerva ſciens vel opinans, vel probabiliter dubitans eſſe ſervam, in hoc enim caſu non fit illi injuria, eò quod inæqualitas videatur eſſe voluntaria, nō autem eſt validum matrimonium: quandò liber contrahit cum ſerva, neſciens illam eſſe ſervam, ſed ita eſt effectus: ut ſi cognoſceret illam eſſe ſervam nihilominus cum eà contraheret, quia ad validitatem matrimonii non ſufficit error comitans, ſed requiritur voluntas, & conſenſus poſitivus: & propterea matrimonium contractum in hoc caſu cum errore eſt invalidum, quia fit deterior conditio errantis

3 Matrimonium, quod liber contraxit cum ſerva, neſciens eſſe ſervam fit validum quandò poſt cognitam ſervitutem habeat copulam cum ea, & adſit novus mutuus cōſenſus, & copula animo maritali habeatur, & conſenſus ſit ſigno externo expreſsus, cum antea matrimonium eſſet invalidum.

4 Servus poteſt invito domino validè contrahere matrimonium cum ſerva, vel cum libera, modo ſervitus ſit nota perſonæ liberæ, quia matrimonium conceſſum fuit à jure naturali, & divino, quod jus non poteſt ſervis à Dominis auferri, & Domini peccarent impediendo, nè matrimonium inirent, vel eorum commercium poſt contractum matrimonium impedirent, non autem Domini tenentur conſentire, nè ſibi præjudicium afferant, debet tamen ſervus Domino debita obſequia prębere, non enim

per

per matrimonium ab obligatione erga Dominum eximitur: ſi autem non poteſt ſimul ſatisfacere Domino, & uxori: ceteris paribus præferendum eſt debitum conjugale.

5 Quando matrimonium contractum eſt de conſenſu Dominorum, non poſſunt Domini abſquè peccato mortali vendere ſervos in locis diſtantibus ubi non poterunt ſibi debitum reddere; quia facerent contra jus àilli natura tributum, quandò autem contractum eſt matrimonium abſquè conſenſu Dominorum, quamvis juriſperiti negent Dominos peccare: tamen Theologi aſſerunt mortaliter peccare, ſi vendant ſervos in partibus remotis, quando alter conjux non poteſt commodè ſequi alterum, ideò peccant impediendo perpetuò matrimonii uſum: majus enim damnum ſubeunt ſervi ſi impediantur in uſu matrimonii contracti; quam ſi impediantur, ne matrimonium contrahant, ſecus dicendum quando Dominus vendit ſervos in locis ſolum ità diſtantibus, ut poſſint ſibi debitum reddere.

6 Filii ſequuntur conditionem matris quoad ſervitutem, & libertatem, niſi contrarium receptum eſt per conſuetudinem in aliquo loco, quoad vero honores, & nobilitatem ſequuntur patris conditionem; ſequitur autem filius conditionem matris, & erit ſervus quovis tempore mater fuerit ſerva, ſi ejus mater non erat libera tempore conceptionis, vel tempore partus, vel quocunque tempore medio inter conceptionem, & partum, ſecus dicendum, ſi materia erat libera eo tempore, qua filius non remanet ſerves, quando autem mater gravida fit ſerva jure belli ſæcus fit ſervus cum matre; licet mater tempore conceptionis eſſet libera, quandò ſerva gravida ſe vendit filio, conceptus antè venditionem eſt liber, & non ſervus, quia filius non potuit vendi cum nondum eſſet in poteſtate matris. Uxor non poteſt ſe ipſam vendere abſque viri conſenſu: quia viro ſubjecta eſt: ideò vir vocatur caput uxoris, tamen vir poteſt ſe ipſum vendere etiam invita conjuge: quia vir non eſt ſubjectus uxori, niſi circa redditionem debiti.

De Impedimento Voti. *Cap.* 177.

1 Votum caſtitatis emiſſum in profeſſione valida religionis approbatæ dirimit matrimonium etiam conſummatum, factum poſt ipſam profeſſionem, undè religioſus profeſſus invalide contrahit matrimonium ex *Trid. ſeſſ.* 20. *c.* 9. Idem dicendum eſt de voto ſimplici, quod emittunt Patres Societatis Ieſu peracto biennio ut patet ex motu proprio Greg. XIII Idē aſſerendum eſt de quolibet voto ſolemni caſtitatis, ſi aliquod votum ſolemne inſtitueretur ab Eccleſia extra profeſſionem religionis, & extra ordines ſacros, illud enim eſſet verè votum ſolemne; unde haberet effectum irritandi matrimonium: matrimonium autem celebratum poſt profeſſionem eſt invalidum jure tantum Eccleſiaſtico, & non jure naturæ.

2 Profeſſio facta in approbata religione dirimit matrimonium celebratum ante ipſam profeſſionem, modo matrimonium ſit tantummodo ratum, & non conſummatum, ex *Trid. ſeſſ.* 24. *n.* 4. quia hic effectus ex privilegio divino conceſſus fuit profeſſioni, & propterea utrique conjugi poſt contractum matrimonium: ſed nondum conſummatum, conceſſum fuit ſpatium duorum menſium ad deliberandum de ingreſſu religionis, quo tempore uterque conjux poteſt alteri petenti negare debitum, & licite poteſt religionem ingredi, etiam altero invito: elapſo verò bimeſtri ſi religionem ingrediatu, & profiteatur antè conſummatum matrimonium, valide profitetur, & matrimonium antecedens diſſolvitur: unde ſequitur licitum eſſe Bertæ in ſæculo manenti contrahere matrimonium cum alio; ſi conjux, cum quo prius matrimonium contraxerat ingreſſus eſt religionem, & fecit profeſſionem antè conſummatum matrimonium: non poteſt autem manens in ſæculo cum alio matrimonium contrahere antè profeſſionem conjugis, conſequenter ſi conjux, qui religionem ingreditur ſit tantum 14. annorum tenetur conjux manens in ſæculo expectare donec ille compleat 16. annum quod eſt tempus ad validitatem profeſſionis requiſitum in *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. de regularibus: In ſuper matrimonium ratum, non conſummatum diſſolvitur per ſolemnem profeſſionem Equitum militarium, ut ſunt Equites S. Ioannis ſi non vivant in communi, quia ſunt vere Religioſi; non autem dirimitur matrimonium ratum, non conſummatum per conſecrationem in Epiſcopum, alterius conjugis, aut per ſuſceptionem

nem ordinum ſacrorum, ſicut dirimitur per profeſſionem, hoc enim privilegium non conſtat fuiſſe conceſſum conſecrationi Epiſcopi, vel ſuſceptioni ordinis ſacri.

3 Matrimonium conſummatum celebratum antè profeſſionem non dirimitur per ſequentem profeſſionem, quia nullo jure conſtat ipſum dirimi, nec ſi fuit conſummatum poſt bimeſtre vel intra bimeſtre, vel poſt conſummatum per vim, licet ſponſa cognita per vim, aut metum intra bimeſtre poſſit ingredi adhuc religionem quæ opinio probabilior mihi videtur, licet oppoſita etiam ſit probabilis.

4 Profeſſionem non validè emittit alter conjugum poſt matrimonium conſummatum altero conjuge inſciente, vel conſentiẽte per dolum, aut metum, vel diſſimulante ſecluſa tamen cauſa perpetui divortii: & proptereà invalida eſt profeſſio, quam uterque emiſit credens bona fide alterum periiſſe, undè profeſſus poſtquam cognovit alterum eſſe ſuperſtitem, debet ad illum reverti: illique reddere debitum, nam invalidè profeſſus eſt; non tamen poterit petere debitum: dictum eſt ſecluſa cauſa perpetua divortii: quia quandò unus conjugum poteſt facere perpetuum divortium proprla auctoritate, poteſt etiam ingredi religionem, & validè profiteri, aut etiam ſacros ordines ſuſcipere altero conjuge invito remanente in ſæculo.

5 Uterque conjux poſt conſummatum matrimonium de communi conſenſu poteſt ingredi religionem, profiteri, aut continentiam vovere, quia uterque poteſt cedere juri, quod habet circa matrimoninium; debet autem uterque ingredi: immò unus, ſi ingreſſus eſt, poteſt compelli alter ad ingreſſum religionis, cum non poſſit licitè in ſæculo remanere, poſt validam alterius profeſſionem, poteſt autem unus ingredi, & alter remanere; quandò hic ſit provectæ ætatis v.g. ſexagenarius, vel eam ætatem habeat, quæ ex prava valetudine reſpondeat illi ætati, ita ut à periculo incontinentiæ ratione ætatis abſit, undè ſi ſit iuvenis, non poteſt remanere, ſed vir, ſi ſit ſexagenarius, & mulier ſi ſit quinquagenaria, vel qui remanet emittat votum caſtitatis, & fiat cum conſenſu Epiſcopi de præcepto obligante ſub mortali: validè autem profeſſus poſt matrimonium conſummatum dicitur adulterium committere, ſi copulam habeat cum alia, quia per profeſſionem non diſſolvitur matrimonium conſummatum.

De Impedimento cognationis.

De Impedimento cognationis Naturalis. Cap. 188.

1 Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem proximo ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum: dicitur vinculum, quia connectuntur majori affectus, & amoris nexu: dicitur perſonarum, ideſt hominum, non animalium: dicitur ab eodem ſtipite proximo, ideſt propinquo: nam ſi ſtipitis remoti rationem haberemus, omnes eſſent conſanguinei cum omnes ab Adamo, tanquam à remoto ſtipite deſcendant; ſtipes dicitur ea perſona, à qua deſcendunt illi, de quorum conjunctione, & gradu conſanguinitatis quæritur, v. g. Cajus habet filios, nepotes, & alios deſcendentes, ſtipes iſtorum eſt Cajus; eo quod filii, & nepotes Caji deſcendant ab eo tanquam à ſtipite proximo dicitur carnali propagatione, quia conſanguinitas non contrahitur per quamcunque dependentiam ab alio, ſed per carnalem copulam.

2 Conſanguinitas diſtinguitur per lineas, & gradus; nomine lineæ intelligo ſeriem, ſeù collectione perſonarum, ſeù ipſaſmet perſonas tàm aſcendentes, quàm deſcendentes ab uno ſtipite; nomine gradus intelligitur diſtantia major, vel minor unius perſonæ ab alia, ſecundum lineam conſanguinitatis, v. g. Cajus habet filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, omnes iſte perſonæ conſtituunt lineam: gradus verò eſt diſtantia, ſeu menſura, qua cognoſcitur, quanta ſit diſtantia inter Cajum; & filius, vel nepotes, &c. utrùm ſcilicet ſint in primo, vel ſecundo, vel tertio vel quarto gradu ad modum ſcalæ, in qua poſſumus cognoſcere quantum diſtet primus gradus à reliquis; linea duplex eſt recta ſcilicet, & collateralis: recta eſt per quam multæ perſonæ ita deſcendunt ab uno ſtipite immediatè vel mediatè, ut una ſit genita ab altera, ut filius à patre, nepos à filio pronepos à nepote, &c. quæ linea recta alia eſt aſcendentium, alia deſcendentium: linea aſcendentium eſt illa, qua progredimur à genitis

ad

ad genitores, quærendo illorum ſtipitem numerando patrem, avum, pro avum, ab avum, deſcendentium verò, qua progredimur à genitoribus ad genitos; ſcilicet à patre, ad filium, nepotem, pronepotem, &c. linea collateralis, & tranſverſa eſt illa ſecundum quam multæ perſonæ ab uno ſtipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe invicem non deſcendunt, unde filii Caji, qui ſunt fratres inter ſe conſtituunt lineam collateralem, eò quòd unus frater non deſcendat ab altero fratre, ſed ambo ab eodem patre immediatè procedunt.

3 Gradus conſanguinitatis, ut cognoſcatur in quo gradu unus conſanguineus exiſtat cum alio in linea recta aſcendentium, & deſcendentium computandæ ſunt perſonæ, nam tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempta una perſona ſcilicet ſtipite, undè cum pater, & filius ſint duæ perſonę ſi ſtipitem demimus ideſt patrem, pater, & filius erunt in primo gradu, quia dempto ſtipite, remanet una perſona, &c. idem dicendum eſt de matre reſpectu filii, vel filiæ, &c. in linea autem tranſverſali, & collaterali perſonæ eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu diſtant à communi ſtipite, undè duo fratres quis uno tãtum gradu diſtant à communi ipſorum patre, diſtant etiam uno tantum gradu inter ſe, &c. Conſanguinei in linea collaterali eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu alter magis remotus diſtat à communi ſtipite, ſit exemplum. Cajus habet duos filios Titium, & Sejum, rurſus Titius habet filium, & nepotem: ſi quæratur in quo gradu ſit nepos Titii cum Sejo, ſunt in tertio, nam eo gradu ſunt inter ſe, quo alter magis remotus diſtat à communi ſtipite, ſed nepos Titii diſtat tribus gradibus à communi ſtipite ideſt à Cajo, nam dempto ſtipite remanent tres perſonæ, ergò in tertio gradu ſunt inter ſe, nam remotior gradus trahit ad ſe minus remotum, ob id minus remotus eſt in eo gradu cum magis remoto, in quo gradu eſt ipſe magis remotus cum ſtipite, non verò eſt in eo gradu in quo minus remotus eſt cum ſtipite.

4 Invalidum eſt ſaltem jure Eccleſiaſtico matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſivè, tàm in linea recta, quam in linea tranſverſali *Trid. ſeſſ. 24. can. 3.* de Sacramento Matrimonii; ut in linea recta aſcendentium, & deſcendentium in quolibet gradu iure naturæ eſt invalidum matrimonium ob reverentiam ſuperioribus debitam, cui reverentiæ valdè adverſatur contractus, & actus matrimonialis, ſed probabilius dicendum mihi videtur matrimonium in linea recta eſſe irritum iure naturæ in primo tantum gradu, quia maxima reverentia debetur principio per ſe, cui reverentiæ repugnat actus matrimonialis; actus anim matrimonialis habet conjunctam quandam turpitudinem, & irreverentiam alterius ad alterum oppoſitam reverentiæ parentibus debitæ: & quia lumine naturæ, omnes gentes benè inſtitutæ nefandas exiſtimant nuptias in primo gradu lineæ rectæ; undè dico matrimonium contractum abſque juſta cauſa cum conſanguinea in quocunque gradu lineæ rectæ eſſe illicitum, ſed nego invalidum jure naturæ, excepto primo gradu, & proptereà matrimonium contractum ab infidelibus in ſecundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ validum eſt, quia infideles non afficiuntur impedimentis jure Eccleſiaſtico inductis, & matrimonium contractum in ſecundo, tertio, & quarto gradu non eſt irritum jure naturæ, cui ſubjiciantur etiam infideles.

5 Validum eſt matrimonium contractum à fidelibus conſanguineis in lineæ recta extrà quartum gradum: cum non ſit invalidum jure naturæ; neque Eccleſiaſtico; nam Eccleſia conſtituit tantùm quatuor gradus, in quibus matrimonium invalidè celebratur, & ſicut matrimonium in primo gradu lineæ rectæ eſt invalidum jure naturæ, ita etiam eſt invalidum in primo gradu æquali lineæ tranſverſæ, videlicet inter fratrem, & ſororem: quia inter hos eſt maximus pudor naturalis, cui maxime adverſatur actus coniugalis, & proptereà Summus Pontifex requiſitus ad diſpenſandum in primo gradu, nunquam voluit diſpenſare, ergò ſignum eſt ipſum non poſſe diſpenſare, undè matrimonium celebratum in primo gradu lineę tranſverſę eſt invalidum, non ſolum jure Eccleſiaſtico ſed etiam jure naturę, in reliquis gradibus non videtur eſſe invalidum iure naturæ. nam c. gaudemus de Divortiis, deciditur Infideles, qui in aliis gradibus præter primum contraxerunt, non eſſe ſeparandos

randos cum ad fidem convertuntur, undè ſignum eſt matrimonium celebratum in gradibus lineæ tranſverſæ non eſſe invalidum jure naturæ excepto primo; fatres autem initio mundi dum contrahebant cum ſororibus, tunc validum erat propter neceſſitatem conſervandæ naturæ humanæ, quamobrem in caſu extremæ indigentiæ non ſolum poſſet frater contrahere cum ſorore ad conſervandam ſpeciem humanam, ſed etiam pater cum filia vel mater cum filio, nam in hujuſmodi eventum malum privatum, & inferioris ordinis cohoneſtatur propter bonum commune, & ſuperioris ordinis: & deſinit eſſe illicitum propter extremam indigentiam naturæ humanæ; ob id Sancti patres à culpa excuſant filias Loth carnaliter cognitas à patre; quia nullum alium ſuperſtitem eſſe arbitrabantur.

6 Validum eſt matrimonium contractum ex diſpenſatione Summ. Pontificis inter patruum, ſeù avunculum, cum filia fratris, vel ſororis, ſunt enim conſanguinei in ſecundo gradu, in quo matrimonium non eſt invalidum jure naturæ, & propterea dicendum eſt Papam poſſe diſpenſare in ſecundo, tertio, & quarto gradu, quia in his gradibus matrimonium non eſt Irritum jure naturæ.

7 Spiritualis cognatio eſt propinquitas, ſeù attinentia quarundam perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens propter collationem Baptiſmi, aut confirmationis, & propter ſuſceptionem recipientis hæc Sacramenta, dicitur propinquitas, quia cognatio eſt veluti quoddam vinculum connectens, & conjungens certas perſonas, dicitur quarundam perſonarum, quia non omnes perſonæ contrahunt iſtam conationem: dicitur ex ſtatuto conſurgens, quia cognatio ſpiritualis non eſt inducta à jure divino vel naturali, ſed ab Eccleſia, quæ conſtituit hanc cognationem quæ eſt de congruentia: & ſimilitudine generationis materialis; nam ſicut per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis ità per generationem ſpritualem contrahitur cognatio ſpiritualis, ex ſtatuto Eccleſiæ, & ſicut cognatio naturalis dirimit matrimonium propter reverentiam debitam conſanguineis: ità conveniens eſt ut matrimonium dirimatur per cognationem ſpiritualem ob reverentiam cognationis ſpiritualis.

8 Cognatio ſpiritualis in Baptiſmo contrahitur inter Baptizantem, & Baptizatum, inter ſuſceptores, & Baptizatum, inter baptizantem, & patrem, & matrem baptizati, & inter ſuſceptores, & patrem, & matrem baptizati; & hinc ſequitur cognationem ſpiritualem non contrahi inter ipſos ſuſceptores, undè ſi vir, & uxor ſimul alienum puerum de ſacro fonte ſuſcipiant, non contrahunt inter ſe cognationem: undè non privantur jure exigendi debitum, quæ opinio videtur vera tantum de jure communi; ſed ego exiſtimo in noſtra Diœceſi Mediolanenſi eſſe prohibitum, poteſt autem Patrinus matrimonium contrahere cum ea, cum qua ſuſcepit ſimul alienum filium.

9 Ad contrahendam cognationem in Baptiſmo, vel confirmatione requiritur, ut infans teneatur, undè quandò puer Domi baptizatur, & in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum ſuſcipit in Eccleſia: Parochi autem debent in libro baptizatorum ſcribere hunc fuiſſe patrinum in Catechiſmo, ſecundo requiritur, ut puer ſuſcipiatur, quando primo baptizatur: quandò enim rebaptizatur non contrahitur cognatio, ſi verò dubium ſit de priori baptiſmo, & infans rebaptizatus ſub conditione, præſumendum eſt contrahi cognationem; tertio requiritur, ut ſuſcipiens puerum in baptiſmo illum teneat, quandò Baptiſmus ſolemniter adminiſtratur, undè ſuſcipiens puerum in baptiſmo privatim adminiſtrato non contrahit cognationem ſpiritualem, quia Eccleſia inſtituit ſuſceptores ſolum in baptiſmo ſolemni, non verò in privato, tamen baptizans privatim, vel laicus baptizans in neceſſitate contrahit cognationem, ſivè baptizans fuerit vir, ſivè femina; quia conferunt verum baptiſmum ex quo conſurgit cognatio ſpiritualis, que impedit, & dirimit matrimonium, undè pater baptizans filium propriæ concubinæ, non poteſt poſteà cum ea matrimonium contrahere, quamvis baptizet in neceſſitate: quarto requiritur, compater, & commater, ut puer ſuſcipiatur de manibus baptizantis ſtatim ac baptizatus eſt, nam aliter non dicerentur ſuſcipere, ſed levare puerum de ſacro fonte, & propterà commater quando ſuſcipit infantem de manibus compatris non contrahit cognationem.

quin-

quintò requiritur contractus, ità ut ſuſcipiens ſeù tenens verè dicatur ſuſcipere, ſeù tenere, quarè qui tantum aſſiſtit, & non tangit tantùm extremitate digiti non contrahit cognationem, nec eſt neceſſe, ut patrini reſpondeant in Catechiſmo. Sextò requiritur intentio expreſſa, vel tacita præſtandi munus patrini, ſeù ſuſcipiendi de ſacro fonte, nam ſic dicitur ſuſcipere, & cognationem contrahere: & propterea qui vult ſuſcipere de ſacro fonte, & munus patrini exercere contrahit cognationem quamvis eam non intendat contrahere; ſecus dicendum qui tenet puerum, nam intentione fungendi munere patrini, non contrahit cognationem, compater autem poteſt eſſe cujuſcunque ætatis, modo habeat uſum rationis, non autem ſi careat uſu rationis. Septimo requiritur ut non adſit error perſonæ, ut qui per errorem ſuſcipit filium Caii credens eſſe filium Titii non contrahit cognationem, nec cum parentibus Caii, nec Titii: ſecus dicendum ſi habeat intentionem ſuſcipiendi præſentem quicunque ille ſit, quia tunc contrahit cognationem cum parentibus ſuſcepti, quicunque ille ſit; ſuſcipiens verò non tenetur habere intentionem ſuſcipiendi perſonam præſentem quæcunque illa ſit. Octavò requiritur, ut baptizans, aut ſuſcipiens ſit baptizatus, aliter non contrahit cognationem ſpiritualem, ergò Infidelis baptizando, vel ſuſcipiendo non contrahit cognationem ſpiritualem, quæ eſt ex lege Eccleſiæ; Infidelis autem non eſt ſubjectus legibus Eccleſiæ: immò in tali caſu non contrahitur cognatio ab ipſo baptizato, & parentibus baptizati, quia cum non ponatur cognatio in Infideli, cum non ſit capax, neque ponetur in baptizato, vel parentibus baptizati erga baptizantem infidelem, & ſic fidelis, qui baptizavit filium infidelis non contrahit cognationem cum patre, vel matre infideli: & propterea poteſt fidelis cum ipſo infideli matrimonium contrahere poſt quam infidelis converſus fuerit ad fidem; quod dictum eſt de baptiſmate, dicendum eſt de Chriſmate, nam in c. in baptiſmate de conſecratione diſt. 4. habetur in Baptiſmate, vel Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filium ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus, licet autem infideli baptizare, ſed non ſuſcipere, quia baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, de cujus eſſentia eſt miniſter, qui baptizat quicumque ille ſit; ſuſcipiens verò non eſt de eſſentia, nec de neceſſitate baptiſmi: undè ſi infidelis poteſt baptizare non ſequitur, quod poſſit ſuſcipere. Hæreticus ſuſcipiendo, vel baptizando contrahit cognationem, quia eſt baptizatus, & ſubjectus Eccleſiæ: ſic Religioſi contrahunt cognationem ſuſcipiendo alios in baptiſmo, vel in confirmatione quia ſunt capaces cognationis, quamvis prohibitum ſit illis ſuſcipere.

14 Quandò multi non deſignati tangunt puerum in baptiſmo, ſimul omnes contrahunt cognationem, quia ſtandum eſt juri antiquo, quando aliter non decernitur jure novo: jure autem antiquo omnes contrahebant cognationem tangendo ſimul, & jure novo nihil eſt decretum in hac parte. *Trid ſeſſ. 24. cap. 2.* ſtatuit ſolùm ſi aliqui ultra deſignatos tangant: non verò ſtatuit, ut nullus contrahat cognationem, quandò nulli deſignati ſint, quandò verò non omnes tangunt ſimul, ſed ſucceſſivè, ſolus primus, vel prima tangens contrahit; quandò plures deſignati a Parentibus, vel ab aliis curam infantis habentibus tangunt, omnes contrahunt modò tangant ſimul: ſecus ſi tangant ſucceſſivè, quia tunc ſolus primus, quandò plures deſignati ſunt à parentibus, ſed Parochus admittit unum tantùm, & unam: cognatio contrahitur ſolùm ab iis, qui fuerunt à Parocho admiſſi ex Conc. Trid. quandò autem Parentes deſignarunt ſolum duos, Parochus antem plures admiſit, cognatio ſolùm contrahitur à deſignatis a parentibus, quia non pertinet ad Parochum, quandò parentes deſignarunt: item contrahitur cognatio à deſignatis à parentibus, licet ſuſcipiant puerum contra Parochi voluntatem, quia iſti verè deſignati ſunt juxta formam Tridentini à Parentibus, ad quos pertinet deſignare: hoc tamen intelligitur modò Parochus non rejiciat ex juſta cauſa, quia ſi illos rejiciat ex juſta cauſa perindè eſt ac ſi deſignati non fuiſſent, & ideò non contrahunt cognationem, deſignati à Parocho contrahunt cognationem tangendo ſimul, quandò nullus fuit deſignatus à Parentibus, quia ad Parochum pertinet curare, ut Baptiſmus celebretur ritè, ut eſt cum deſignatione patrini, qui verò tangit baptizatum non

Digitized by Google

deſignatus à parentibus, vel ſaltem à Parocho non contrahit cognationem, ſi adſint alii deſignati à Parocho, vel à Parentibus.

11 In Confirmatione adhibendus eſt unus tantum patrinus; nam eſt mortale plures patrinos admittere, quia violatur præceptum Eccleſiæ in re magni momenti.

12 Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ut duo viri, vel duæ fœminæ ſimul ſuſcipiant infantem in baptiſmo, quia Inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, cum Epiſcopus ſit inferior Summo Pontifici ſeù *Concil. Trid.* in quo lata eſt lex circà patrinos.

13 Cognatio contrahitur à mittente procuratore, non à Procuratore, quia quę agit procurator, non agit proprio nomine, ſed nomine mittentis; undè dicitur, qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.

14 Cognatio ſpiritualis dirimit matrimonium jure Eccleſiaſtico ex *Trid. ſeſſ.* 24. de matrimonio 2. quia ſicut in generatione carnali contrahitur impedimentum dirimens matrimonium propter reverentiam debitam conſanguineis, ita æquum fuit, ut aliquod impedimentum induceretur in generatione ſpirituali dirimens matrimonium, propter reverentiam debitam cognatis ſpiritualibus.

15 Legalis cognatio eſt propinquitas, quarundam perſonarum conſurgens ex adoptione; dicitur cognatio legalis, eo quod ſit à lege introducta: adoptio autem eſt legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem &c. vel in filiam, & neptem: nemo enim poteſt adoptari in fratrem, vel parentem: dicitur legitima, ideſt ſecundum formam legum: dicitur aſſumptio ideſt electio, dicitur extraneæ perſonæ, ut excludantur ii, qui ſunt in poteſtate adoptantis, ut eſt filius vel hæres: qui vero non eſt filius vel hæres poteſt adoptari, cum videatur eſſe perſona extranea, carens illo gradu conjunctionis, ad quem adoptatur; adoptio autem vel eſt perfecta; vel imperfecta: perfecta dicitur arrogatio ſeù aſſumptio, qua adoptatus interveniente Principis auctoritate tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit ipſius hæres neceſſarius ſaltem in parte bonorum, ideſt in legitima: per imperfectam verò adoptatus, non tranſit in poteſtatem adoptantis, nec fit ipſius hæres neceſſarius, quæ neceſſario fit auctoritate Principis, ſed fieri poteſt per magiſtratus inferiores, qua imperfecta omiſſa cum non inducat impedimentum, agam de perfecta, quæ has conditiones requirit, prima ut adoptans ſit ſui juris, & major 25. annis, nam uſquè ad 25. annos jure communi non habet adminiſtrationem bonorum, exceptis caſtrenſibus, vel quaſi, dicitur jure communi, quia jure particulari non idem tempus requiritur ubique, ut hic Mediolani, ſecunda eſt ut adoptans non ſit fœmina, quæ non poteſt adoptare abſquè privilegio: tertia ut adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, nam adoptio inſtituta fuit ad ſupplendum defectum filiorum: hanc autem potentiam habent ſecti gladio, aut facti eunuchi per morbum, cum ſint impotentes ſolùm ex accidenti, non ex defectu naturali: quarta ut adoptans adeò ſit provectæ ætatis, ut excedat adoptatum decem, & octo annis, & poſſit eſſe pater carnalis adoptati: quibus conditionibus ſtantibus; quilibet poteſt adoptare etiam ſi ſit Sacerdos: & quilibet poteſt adoptari modò ſit præſens, nam abſens non poteſt adoptare, neque adoptari, nec poteſt fieri per procuratorem.

16 Cognatio legalis contrahitur primò inter adoptantem, & adoptatum, & adoptati deſcendentes uſquè ad quartum gradum: Secundò inter uxorem adoptantis, adoptatum, & à converſo, ideſt inter uxorem adoptati, & adoptantem; tertio inter filios: adoptantis, & adoptatum: triplex eſt etiam linea in cognatione legali, prima eſt recta inter adoptatum; & deſcendente adoptati, ſecunda eſt tranſverſalis inter adoptatum, & filios carnales adoptantis: tertia eſt per modum cujuſdam affinitatis legalis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptatum, & uxorem adoptantis.

17 Cognatio legalis impedit, & dirimit matrimonium inter perſonas ſuperius recenſitas, ob id invalidum eſt matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & deſcendentes adoptati uſquè ad quartum gradum, & hæc cognatio inter has ſemper impedit, etiam ſi adoptio fuerit: ſecundò invalidum eſt inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter uxorem adoptati, & adoptantem, quæ cognatio etiam perpetuo dirimit, ſicut prima, etiam

ſi

ſi adoptio ſublata ſit: tertio invalidum eſt inter filios, ſeù filias adoptantis, & adoptatum, ſeù adoptatam, quæ cognatio impedit quamdiù durat, quamdiù ſcilicet filii, vel filiæ adoptantis exiſtunt ſub illius poteſtate: hoc autem impedimentum non perpetuò durat: nam ſi filii adoptantis emancipentur, vel ſi pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptato: filius autem adoptantis poteſt matrimonium contrahere cum filia adoptati, quia nulla intercedit cognatio inter hos: ſic etiam quandò ſint plures adoptati ab uno, & eodem, poſſunt adoptati inter ſe matrimonium inire, ſic etiam adoptatus poteſt inire matrimonium cum filia legitima adoptantis, quia ſolum filii legitimi contrahunt cognationem: ità etiam adoptans poteſt contrahere cum filia filiæ adoptatæ, quia mulier neminem habet in ſua poteſtate.

18 Validum eſt matrimonium contractum ab infideli in cognatione legali, cum non ſint ſubjecti juriſdictioni Eccleſiæ, à qua inductum eſt impedimentum cognationis legalis: quare ſi infideles poſt contractum matrimonium cum adoptante, vel adoptata convertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi, cum illorum matrimonium ſit validum. Sponſalia diſſolvuntur, ſi cognatio legalis ipſius ſuperveniant cognatio verò legalis ſi ſuperveniat matrimonio contracto, non impedit debiti petitionem, quia nullo jure conſtat, ubi debiti petitio in eo caſu interdicatur.

De Impedimento Criminis. Cap. 189.

1 CRimen, ſivè ſit adulterii, ſivè homicidii impedit, & dirimit matrimonium jure Eccleſiaſtico, nam Eccleſia induxit illud, ut vitentur cedes, adulteria inter conjuges, quæ vitari poſſunt ſublata ſpe contrahendi inter delinquentes: jure autem naturæ, & divino non eſt invalidum matrimonium hoc impedimento contractum.

2 Ut crimen ſolius homicidii inducat impedimentum dirimens, requiruntur iſtæ conditiones: prima eſt Occiſio conjugis, ſcilicet ut maritus occidat uxorem, vel uxor occidat maritum quocunque modo occidat, nec ratihabitio ſufficit, niſi adſit cooperatio: ſecunda conditio eſt, ut vir, & fæmina ſimul, non unus, ſinè alio conſpiraverint in mortem conjugis occiſi: tertia eſt, ut conventio occidendi alterum conjugem facta ſit ad hunc finem, ut mortuo conjuge, conſpirantes poſſint inter ſe matrimonium contrahere: ſecus non contrahit impedimentum, licet exiſtimo ſufficere, ut unus tantum habuerit iſtam intentionem contrahendi, nullo enim jure probatur iſtam intentionem requiri ex parte utriuſque; quarta, ut mors ſequatur, quare qui dedit mandatum occidendi, ſed poteà revocavit, cujus revocatio innotuit mandatario antè mortem conjugis non eſt reus hujus impedimenti, ſicut non eſt reus qui dedit conſilium, quod nihil influxit, quia homicidium non imputatur mandanti, vel conſulenti in dictis caſibus. Crimen autem homicidii inducitur non ſolùm quandò vir occidit uxorem per ſe, vel per alium, ſed etiam quandò ipſa occidit virum intentione contrahendi matrimonium.

3 Ut Crimen adulterii inducat impedimentum dirimens matrimonium requiritur unum ex his tribus delictis, primum eſt adulterium cum homicidio, ſecundum adulterium cum matrimonio, tertium adulterium cum promiſſione matrimonii: primum, ut ſi Cajus occidat Titium intentione, ut contrahat matrimonium cum uxore Titii, cum qua adulteravit, vel ſi uxor Titii occidat Titium animo, ut contrahat cum Cajo, cum quo adulteravit, non poterit matrimonium validè cum eo contrahere, & ad incurrendum hoc impedimentum ſufficit, ut unus conjugum ſit conſcius homicidii, vel alter eorum inſcio altero, requiritur autem ut ſemen receptum ſit intrà vas fæminæ quovis modò, quia ad inducendum hoc impedimentum requiritur peccatum conſummatum, quod non dicitur conſumatum ante ſeminis receptionem, item requiritur, ut uterque norit adulterium ut impedimentum; quarè ſi Titius conjugatus adulteravit cum Berta ſoluta, quæ credebat Titium non habere uxorem validè contrahit cum ipſo Titio, etiam ſi Titius occiderit propriam uxorem intentione contrahendi matrimonium cum Berta, nam copula reſpectu Bertæ non fuit adulterium formaliter, ſed ſolum materialiter, hoc autem inpedimentum inducitur ex adulterio formali utriuſque; ſecundum deli-

delictum eſt, ut præter adulterium intercedat matrimonium vivente conjuge alterius, ut ſi Titius vivente uxore copulam habuit cum Catharina, & cum ea matrimonium contraxit, non poterit mortua uxore matrimonium contrahere cum Catharina; non autem intereſt ut adulterium præcedat contractum matrimonii: ſat enim etiam ſi ſequitur: nam ſi Titius contraxit matrimonium cum uxore Caii, illamque carnaliter cognovit antè, vel poſt contractum matrimonium, non poterit mortuo Caio matrimonium cum ipſius uxore validè contrahere, requiritur etiam ut hoc impedimentum inducatur, ut uterque contrahens ſciat copulam, quam habet eſſe adulterium: ſcilicet ut uterque ſciat ſuperſtitem eſſe conjugem alterius, ſecus ſi uterque ignorat, poterit poteſt mortem conjugis contrahere ſimul matrimonium; quando verò unus tantum novit ſuperſtitem eſſe conjugem altero ignorante, & inſcio poterit inſcius cogere conſcium ad contrahendum matrimonium poſt mortem conjugis, tertium delictum eſt, ut præter adulterium adſit promiſſio matrimonii cum eo cum quo verè commiſſum eſt adulterium; undè, qui adulterium committit; & promittit illi, cum quo adulteratur, ſe contracturum cum eo matrimonium poſt mortem conjugis, non poterit, mortuo conjuge, validè cum eo contrahere: promiſſio autem ſufficit ſi facta fuit antè vel poſt adulterium, vel ſi facta cum juramento, ſivè non, ſecus dicendum ſi promiſſio facta fuit animo decipiendi, quæ in foro conſcientiæ non inducit impedimentum, quia non eſt vera promiſſio, quæ requiritur ad inducendum impedimentum.

4 Promiſſio ut inducat impedimentum non eſt neceſſe, ut ſit mutua, nam eſt vera promiſſio, quamvis non adſit repromiſſio, nec jura requirunt promiſſionem reciprocam, requiritur tamen ut promiſſio ſit expreſſa ſigno aliquo externo, ſinè quo non habet vim promiſſionis, & promiſſio ſit acceptata, nam antè acceptationem non eſt propriè promiſſio, ſed pollicitatio, nec ſufficienter acceptatur per taciturnitatem: promittens autem matrimonium poſt diſſolutionem præſentis matrimonii, ſed poſt mortem conjugis non ſolùm promittens; ſed etiam acceptans mortaliter peccat, quia datur anſa captandæ mortis alterius conjugis, & promiſſio non ſolùm eſt illicita, verùm etiam invalida, quia jus reſiſtit illi promiſſioni. Adulterium quoquè, & promiſſio matrimonii debet fieri vivente conjuge illius, qui eſt complex adulterii; idem dicendum de adulterio cum matrimonio, promiſſio autem, & adulterium requiritur, ut interceſſerit durante eodem matrimonio, non in diverſis, ut ſi Titius promiſit matrimonium Bertæ mortua ſua uxore, ſed poſtea mortua uxore contraxit cum Simplicia, & vivente Simplicia carnaliter cognovit Bertam abſquè nova promiſſione poterit mortua Simplicia contrahere cum Berta, eo quod promiſſio, & adulterium non interceſſerint durante eodem matrimonio.

5 Si duo promiſerunt ſibi matrimonium vel matrimonium ſimul inierunt durante eodem matrimonio, ſed poſtea pœnitentia ducti reſilierunt à promiſſione, vel à matrimonio antè ſecutam copulam, quæ deinde ſequuta eſt abſquè nova promiſſione, vel matrimonio poſt diſſolutionem promiſſionis, vel matrimonii non contrahunt impedimentum: quia non concurrit ad ulterium cum promiſſione, vel cum matrimonio: fides enim anteà data ſoluta eſt, & extructa antè ſequutam copulam, ſecus dicendum ſi ſequuta promiſſione, & copula velint reſilire à promiſſione, ſeù à matrimonio jam contracto, nam impedimentum jam inductum eſt, quia concurrit adalterium cum promiſſione vel matrimonio, undè non poterunt inter ſe contrahere abſquè Summi Pontificis diſpenſatione.

6 Crimen homicidii inducit impedimentum dirimens matrimonium inter illos, qui in mortem alterius conjugis conſpirarunt hoc fine, ut eo mortuo inter ſe contraherent; modò revera ſequuta ſi mors, & imputetur conſpirantibus. Crimen verò adulterii inducit impedimentum dirimens matrimonium, quandò habet adjunctum homicidium illius, cum cujus conjuge contrahendum eſt matrimonium, & hoc dicitur crimen adulterii cum homicidio, vel quandò habet adjunctum matrimonium, & hoc dicitur crimen adulterii cum matrimonio, vel quandò habet adjunctam promiſſionem matrimonii ſecuturi poſt mortẽ illius, cum cujus conjuge commiſſum eſt adul-

adulterium, & hoc dicitur crimen adulterii cum promiſſione futuri matrimonii.

7 Non oritur impedimentum criminis, quandò quis occidit conjugem ſuam, vel alterius, ut poſſit contrahere matrimonium cum alia, quæ non fuit particeps homicidii, vel adulterii, idem dicendum, ſcilicet non oriri, ſi duo conſpirarunt in mortem alterius conjugis, vel adulter occidit alterum conjugem ad alium finem quam ad contrahendum matrimonium cum adultero, nec oritur quandò adulter occidit uxorem animo ducendi aliquam indeterminatam, vel determinatam, modò non ſit illa cum qua peccavit, nec oritur, quandò adulter occidit uxorem animo ducendi illam quam Titius deſignaverit, quamvis poſtea Titius deſignet ipſam adulteram, nec oritur, quando occidit uxorem in flagranti crimine adulterii depræhenſam, aut quandò aliter occidit impune per leges, non tamen per dolum, ſi non dederit cauſam adulterii, ut eam poſſet occidere, & ea mortua poſſet contrahere cum alia complice talis machinationis, ſeù proprii adulterii, quia hoc homicidium non imputatur tamquam crimen, quod leges permittant.

8 Qui occidit propriam uxorem, ut contrahat matrimonium cum adultera, poteſt validè contrahere cum alia, quia impedimentum inductum eſt, ut non contrahat cum adultera, licet ego contrarium ſentiam: hoc autem impedimentum contrahitur ſolum à fidelibus non ab infidelibus, quia inductum eſt ab Eccleſia, cui non ſunt ſubjecti infideles, qui ſi convertantur, & matrimonium cum hoc crimine fuerit factum antè Baptiſmum, & adulterium commiſſum fuerit poſt Baptiſmum non incurrunt hoc impedimentum, cum impedimentum criminis non incurratur ob unum tantùm delictum, ſed propter adulterium cum matrimonio, vel cum promiſſione matrimonii, vel cum homicidio, & ideò infidelis non ſubjacet huic impedimento, ſi unum delictum antè Baptiſmum, & alterum poſt Baptiſmum commiſit.

De impedimento diſparitatis cultus.
Cap. 160.

1 DIſparitas cultus eſt inter fidelem, & infidelem, ſeù inter baptizatum, & non baptizatum, & propterea matrimonium contractum inter baptizatum, & non baptizatum eſt invalidum jure Eccleſiaſtico, ex *Concil. Tolet. III. c.* 14. & ex uſu, & conſuetudine univerſali Eccleſiæ, quæ ſufficiens eſt ad inducendum impedimentum, licet non ſit in jure expreſſum; undè non eſt validum cum Cathecumeno, qui nondum eſt baptizatus; validum autem erit cum Hæretico, vel Apoſtata, vel excommunicato, cum nullo jure irritetur cum his, quia omnes iſti ſunt baptizati; committitur tamen grave peccatum, quandò contrahitur matrimonium cum hæretico propter prohibitionem Eccleſiæ, & propter periculum perverſionis, quod non procedit in iis locis, in quibus conſuetudine receptum eſt, ut matrimonium contrahatur cum hæreticis excommunicatis tolleratis, modò tamen non ſit periculum perverſionis, & non adſit ſcandalum aliorum: non autem eſt invalidum matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem jure divino, vel naturali cum non poſſit probari, ſed eſt illicitum propter periculum prolis, quam quilibet conjugis contendet trahere ad ſuam fidem. Pontifex autem poteſt diſpenſare, ut fidelis contrahat cum infideli tam juſta cauſa quàm abſquè cauſa, quia validè diſpenſat in jure communi etiam ſinè cauſa, tamen in hoc caſu Papa non permittit, niſi abſquè gravi cauſa, & adhibitis remediis neceſſariis ad matrimonium licitè, & validè contrahendum & ad præcavendum perverſionis, & prolis periculum.

2 Infideles, qui contraxerunt matrimonium in infidelitate, quandò ad fidem convertuntur non ſunt ſeparandi, niſi adſit aliquod impedimentum invalidans eorum matrimonium jure naturæ, vel niſi adſit aliqua cauſa, ob quam diſſolvi poſſit, vel niſi contraxerint cum aliquo impedimento dirimente inducto ab eorum Principibus, qui poſſunt inducere impedimenta, & conſtituere formam, ſub qua celebretur contractus matrimonii: ſunt etiam aliquæ cauſæ, propter quas poteſt diſſolvi matrimonium inter infideles contractum, quandò unus infidelium convertitur ad fidem, & alter perſiſtit in infidelitate. Prima eſt quandò infidelis non vult habitare cum fideli: Secundà quandò infidelis vult quidem habitare, ſed non abſquè injuria Creatoris, tunc enim fidelis converſus poteſt diſſol-

diſſolvere matrimonium,& cum fideli contrahere, quia cum fidelis in eo caſu non poſſit habitare cum infideli, æquum eſt, ut poſſit diſſolvere matrimonium ſaltem ex privilegio Divino: injuria autem fit Creatori, quandò Infidelis compellit fidelem ad peccatum, vel quandò infidelis non vult nomen Dei vel Chriſti audire, niſi cum deſpectu, vel quandò nomen Dei blaſphemat vel impedit, ut debitus honor, vel laus Deo exhibeatur, vel quandò retrahit familiam à Chriſti fide, licet autem infidelis velit habitare cum fideli ſine injuria Creatoris, tamen poteſt fidelis diſſolvere matrimonium, ſi infidelis non vult converti ad fidem, quia in *Concil. Toletano III. c.*4 vetitum ſit fideli habitare cum infideli propter periculum perverſionis, quod ut plurimum accidere ſolet, undè in aliquibus locis certum quoddam tempus præſcribitur infideli, ut convertatur ad fidem, & eo elapſo fiat ſeparatio, niſi convertatur.

3 Infidelis perſiſtens in infidelitate poteſt matrimonium contrahere cum alia, quandò unius converſio diſſolvit prius matrimonium, quod ut dicunt aliqui diſſolvitur ſtatim ac infidelis admonitus recuſat legitime habitare; alii dicunt diſſolvi quandò elapſus eſt terminus ab Eccleſia conſtitutus ad determinandum, an infidelis velit legitimè habitare, alii dicunt diſſolvi per matrimonium fidelis cum alia fideli, poſtquam admonuit infidelem, an velit converti, & non convertitur, poteſt non ſolum cum alia matrimonium contrahere, vel etiam tranſire ad religionem, ordines ſacros ſuſcipere, & votum caſtitatis emittere, immo per profeſſionem factam converſi in religione diſſolvitur matrimonium non ſolum ratum, ſed etiam conſumatum, nam ſicut matrimonium ratum fidelium diſſolvitur per profeſſionem alterius conjugis, ità etiam diſſolvitur matrimonium conſumatum, tempore infidelitatis, quod eſt minus indiſſolubile cum non ſit Sacramentum, & propterea ſi infidelis convertatur poſt profeſſionem alterius conjugis anteà converſi, non poteſt petere; ut converſus profeſſus ſibi reſtituatur, ſecus dicendum ſi nondum profeſſus eſt. Infidelis verò nequit matrimonium cum alia inire dum fidelis converſus ordines ſuſcepit, nam cum per ſuſceptionem Sacrorum ordinum non diſſolvatur matrimonium, ſequitur infidelem adhuc vinculo prioris matrimonii obſtrictum teneri, nec in ipſius poteſtate poſitum eſſe matrimonium diſſolvere, privilegium enim diſſolutionis conceſſum eſt fideli, in favorem fidelis, non verò infideli.

4 Filii ſequentur conditionem parentis converſi perſiſtente altero in infidelitate, quando illi non ſunt doli capaces, quia quando ſunt doli capaces relinquendi ſunt in propria libertate, nec ſunt cogendi ad fidem, in dubio autem an ſint doli capaces præſumendum eſt in favorem fidei.

De impedimento Vis. Cap. 191.

1 Matrimonium celebratum per metum incuſſum à cauſa intrinſeca, & naturali eſt validum, ſicut eſt validum votum; ſecus dicendum, ſcilicet matrimonium eſſe invalidum contractum per metum, ſeù vim re vera non conſentit, ſed fingit ſe conſentire, ſic etiam eſt invalidum matrimonium celebratum per metum gravem, ſed cadentem in conſtantem virum, qui metus gravis, ſeù cadens in conſtantem virum revocatur ad metum mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, longi carceris, exilii diuturni, ſervitutis, ſtupri, ſive in viro, ſive in fœmina, amiſſionis ſtatus honorifici, amiſſionis omnium bonorum, vel ſaltem magnæ partis, amiſſionis rei magnæ, & notabilis, infamiæ juris, vel facti, injuſtæ excommunicationis; nam excommunicatio eſt gravis pœna, qua homo ſeparatur ab Eccleſia, & graviſſima patitur incommoda: juſtæ autem excommunicationis metus reducitur ad metum gravem cadentem in conſtantem virum, qui metus non ſolum cenſetur, quando aliquod ex prædictis malis nobis imminet, verum etiam quando aliquod ex prædictis timemus aliis nobis conjunctiſſimis, ut conjugi, parentibus, avis, filii, fratri, ſorori, nepoti, vel alteri nobis conjunctiſſimo, reducitur etiam ad hunc metum cadentem in conſtantem virum timor reverentialis, non quicunque ſed gravis, quo ſcilicet aliquis timet offenſam patris, vel alterius ſui ſuperioris diuturam cum vultus aſperitate, cum verberibus, aut cum mala aliqua tractatione, nec quilibet metus reverentialis cenſetur gravis,

d by Google

vis, ſed ille tantum, qui conjunctus eſt cum minis vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio gravi incommodo, vel etiam cum precibus importunis vehementer, & ſæpius repetitis à patre, vel ſuperiore, denique relinquendum eſt arbitrio prudentis viri judicare, qui nam ſit metus cadens in cōſtatem virum, & qui non cadens nam metus non eſt pendendus, & metiendus ex cauſa, ex qua naſcitur, & ex natura rei, ſed potius ex perſona, cui incutitur, non enim homines æqualiter moventur, etiam ſervata virtute conſtantiæ, undè qui contrahit matrimonium cum hujuſmodi metu cenſetur contrahere cum metu cadente in conſtantem virum, qui metus gravis, ut dirimat matrimonium, requiritur ut malum, quod timetur, probabiliter immineat, undè qui contrahit matrimonium ob minas illius, qui non ſolet exequi minas, aut quibus ipſe potuiſſet aliter occurrere, quam contrahendo valide contrahit, ſecus dicendum, quandò incutiens minas ſolet eas exequi.

2 Matrimonium celebratum per metum gravem, ſeù cadentem in conſtantem virum, eſt invalidum jure Eccleſiaſtico, modo metus ſit injuſtè incuſſus à cauſa libera ad exorquendum conſenſum, ſic enim uſu receptum eſt in Eccleſia, non autem metus levis cauſat invaliditatem matrimonii, quia in jure non habetur ratio metus levis: dictum eſt jure Eccleſiaſtico, quia jure naturæ videtur validum matrimonium celebratum per metum, undè matrimonium celebratum per vim, & metum gravem inter infideles, validum eſt, niſi extet aliqua lex civilis irritans matrimonium celebratum inter infideles cum metu gravi, quia non eſt invalidum jure naturæ, ſed jure Eccleſiaſtico, cui non ſunt ſubjecti infideles, nec metus debet eſſe juſte incuſſus, quia matrimonium celebratum per metum juſtè incuſſum eſt validum, tunc autem dicitur metus juſtè incuſſus, cum non ab alios fines incutitur, ſed ob finem extorquendi matrimonium, undè qui minatur accuſationem alteri cum periculo longę detētionis in carcere, vel exilii, niſi ducat propriam filiam, quā conſentientem carnaliter cognovit, dicit metum injuſtè incurrere per ordinem ad matrimonium, quia qui carnaliter cognovit aliquam conſentientem, non tenetur præcisè ratione copulæ matrimonium cum ea contrahere, & ſi contrahat per metum longæ detentionis in carcere, vel exilii invalide contrahit, quia contrahit per metum injuſtè ſibi incuſſum ad extorquendum matrimonium; ſecus dicendum, ſi ille cui metus incutitur, dedit cauſam incutiendi ſibi timorem ob copulam, propter quam jure licito compelli poſſit ad matrimonium, tunc enim validum eſt matrimonium, quia metus juſtè incutitur.

3 Juſtè incutitur metus, quando pater minatur accuſationem Titio, niſi ducat propriam filiam, quam conſtrupravit, & involuntariè violata eſt, hoc caſu validum eſt matrimonium celebratum cum hoc metu juſtè incuſſo, ſecus ſi voluntariè conſenſit: quia ſtuprator virginis conſentientis non tenetur illam ducere: quare pater puellę, quę conſentiens cognita fuit carnaliter, habet cauſam accuſandi ſtupratorem, & incutiendi metum ad obtinendam ſatisfact.onem injurię ſibi illatę per ſtuprum filię, non tamen habet juſtam cauſam incutiendi metum ad extorquendum matrimonium, ſic ſi princeps habens juſtam cauſam inferendi bellum Titio ob juſtas cauſas, ſeù prætenſiones in illius regnum: ſi minetur Bellum Titio, niſi propriam filiam ducat, injuſtè minatur, & injuſtè metum incutit, quia Titius non dedit cauſam incutiendi ſibi metū propter culpam aliquam, ob quam compelli poſſit ad matrimonium, undè ſi matrimonium contractum eſſet cum hoc metu, invalidum eſſet: verum validum eſſet matrimonium, quod ſtuprator doloſus contraxit cum ſtuprata per metum excommunicationis, vel mortis, vel alterius gravis mali incuſſum ſibi à judice ad extorquendum conſenſum, quandò ſcilicet lex ſtatuit ſub pæna excommnnicationis, vel alterius mali, ut qui doloſè ſtupravit virginem, cogatur cum ea matrimonium inire, ità validum eſt matrimonium contractum ab eo, qui ſub gravi pæna cogitur à judice contrahere matrimonium, & ſtare ſponſalibus antè celebrat's, quæ ille recuſabat adimplere, quia juſtè cogitur ob culpam; idem dicendum eſt quandò judex ſecundum allegata, & probata juſtè cogit aliquem ad contrahendum matrimonium cum aliqua, ſed coactio materialiter, & à parte rei eſt injuſta, quia hęc coactio eſt juridica, & juſta formaliter, & ſecundum ordinem juris, ſecus dicendum, quando judex

O 4 inju-

injuſtè cogit, quandò ſcilicet non procedit ſecundum allegata, & prolata; ſic validum eſt matrimonium contractum per metum juſtæ accuſationis, vel carceris, vel mortis juridicè per judicem infligendæ incuſſum Titio à Patre, niſi ducat filiam ſuam, cum qua Titius celebraverit ſponſalia, vel quam defloraverat ficta promiſſione matrimonii; nam metus juſtè incutitur per ordinem ad matrimonium; ſecus dicendum, ſi incutiatur metus mortis privata auctoritate inferendæ.

4 Matrimonium celebratum per metnm incuſſum à cauſa libera, non adhunc finem, ut matrimonium ineatur, ſed ob aliam cauſam validum eſt: undè validum eſt matrimonium celebratum cum meretrice ad vitandam mortem in iis locis, in quibus adeſt conſuetudo, ut morti damnatus, ſi velit matrimonio jungi cum aliqua meretrice donetur vita, quia metus mortis non incutitur ad extorquendum matrimonium, ſed jam erat incuſſus per delictum anteà cõmiſſum& nunc aufertur oblata occaſione ducendæ meretricis; item validum eſt matrimonium, quod quis contraxit ad evadendum periculum animæ, vel contraxit cum concubina metu inferni: vel quia Medicus dixit periculum ob humoris abundantiam, niſi duceret uxorem. vel quandò obſeſſus contraxit cum filia obſidentis, ut evaderet moleſtiam obſeſſionis, vel quandò pater, aut frater volebat occidere defloratorem puellæ, & deflorator ſua ſponte obtulit ſe ad celebrandum matrimonium, ut mortem evitaret: vel quandò ægrotus contraxit cum filia medici, qui illum curare nolebat, niſi duceret propriam filiam, nam metus mortis eſt incuſſus à morbo, omnibus hiſce caſibus eſt validum matrimonium contractum, qua metus non eſt incuſſus à cauſa libera ad extorquendum conſenſum.

5 Invalidum eſt matrimoninm, quandò contrahens metu mortis, cogitur non ſolum contrahere matrimonium, ſed etiam conſumare, nam cum non ſit validus conſenſus, nec validum poteſt eſſe matrimonium, quamvis conſummatum per metum: copula enim nihil operatur ad validitatem matrimonii, niſi adſit conſenſus validus, & liber.

6 Matrimonium eſt invalidum, ſivè metus incutiatur ab altero contrahente, ſivè ab alio: quia metus idcircò irritat matrimonium, quia tollit libertatem conſenſus requiſiti ad matrimonium, neque eſt validum celebratum cum metu cadente in conſtantem virum adjuncto juramento: quia per juramentum non ſuppletur defectus conſenſus requiſiti ad matrimonium nec eſt opus relaxatione juramenti, quando per metum gravem fuit celebratum addito juramento, nam non eſt opus relaxatione, ubi non eſt vinculum, & obligatio, idem dicendum eſt de ſponſalibus per metum gravem celebratis cum juramento.

7 Matrimonium celebratum cum metu gravi non reſolvitur in ſponſalia, nec inducit obligationem ſponſaliorum, quia hujuſmodi contractus eſt irritus jure poſitivo, ſi autem reſolveretur in ſponſalia, non eſſet irritus.

8 Qui juravit non contravenire, ſed ſtare matrimonio celebrato per metum gravem, non tenetur illi ſtare ratione juramenti, non peccat mortaliter, qui matrimonium contrahit per metum gravem, quia nulli facit injuriam: & idem dicendum eſt, quando matrimonium contrahitur per metum gravem cum juramento, & ſicut matrimonium metu gravi celebratum eſt irritum, ità ſunt ſponſalia irrita cum metu gravi celebrata, etiam ſi ſponſalibus addatur juramentum, quæ non indicunt impedimentum publicæ honeſtatis ſic contracta, quia non ſunt valida, ſecus dicendum de ſponſalibus celebratis per metum levem.

9 Sponſus qui metum incuſſit, poteſt reſilire à matrimonio, antequam alter, qui metum paſſus eſt ratificet priorem conſenſum, qui non fuerat ſufficiens ad validitatem matrimonii in foro conſcientiæ, niſi aliud damnum ſecutum ſit, & niſi judex cogat ſtare matrimonio.

10 Contra compellentes alios ad matrimonium contrahendum in *Concil. Trid. ſeſſ.24. c. 9.* lata eſt excommunicatio contra Dominos temporales, magiſtratus, & alios cujuſcunquè gradus, qui ſubditos, vel alios quoſcunquè directè, vel indirectè cogunt, ne matrimonia libere contrahant, non autem comprehenduntur in hac excommunicatione Domini cogentes ſua mancipia contrahere matrimonium, nec patres qui prohibent, vel cogunt filios invitos ad matrimonium, nec eos qui prohibent matrimonium contrahi.

De

De impedimento Ordinis.
Cap. 191.

1 ORdines minores non dirimunt matrimonium, quia id nullo jure probari poteſt, qui verò accedit ad ordines minores, credens illis adnexum eſſe votum ſolemne caſtitatis nulla ratione tenetur ſervare caſtitatem ex voto ſolemni, aut ſimplici, ità ut non poſſit poſtea contrahere matrimonium relicto habitu clericali, quia votum ſolemne non eſt adnexum minoribus ordinibus, nec tenetur voto ſimplici, quia recipiens ordines non intendebat emittere votum,ſed credebat illud eſſe adnexum ordinibus, undè non impeditur quin poſſit contrahere matrimonium, nec peccat mortaliter, qui ſuſceptis minoribus ordinibus contrahit matrimonium; quia utitur jure ſuo, nec facit contra ullam legem ſub mortali obligantem, neque venialiter peccat contrahendo ex juſta cauſa, etiam ſi ducat viduam, vel bis contrahat: ſecus ſi hoc faciat abſquè juſta cauſa, quia videtur inconſtans.

2 Qui recipit primam tonſuram, vel minores ordines animo non aſcendendi ad majores non peccat, quia id nulla ratione probatur, nec peccat mortaliter,qui recipit minores ordines, vel primam tonſuram cum intentione evitandi forum ſæculare, nam videtur uti jure ſuo, modò non adſit fraus, vel aliqua intentio prava, nec Epiſcopus peccat conferendo ordines illi, qui eos recipit animo non recipiendi majores.

3 Ordines majores validè, & ſinè gravi metu ſuſcepti dirimunt jure Eccleſiaſtico matrimonium ſubſequens, ſi verò ordo ſit invalidè ſuſceptus propter aliquem defectum eſſentialem, matrimonium validum eſt,& proptereà quando ordines ſacros quis invalidè ſuſcepit non tenetur nec voto ſolemni caſtitati, nec voto ſimplici, validum autem eſt votum, & invalidum matrimonium contractum ab eo, qui ordines ſuſcepit, neſciens illis adnexum eſſe votum caſtitatis:qui verò ſuſcipit ordines ſacros cum intentione poſitiva non vovendi, tenetur voto caſtitatis non ratione voti præcisè, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici, & ità matrimonium eſt invalidum non ratione voti,cum votum non ſit validum,ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici, quo cavetur, ne initiatus ſacro ordine validè contrahat matrimonium.

4 Votum continentiæ eſt adnexus ordini ſponte ſuſcepto, ſicut etiam eſt adnexum onus recitandi officium: qui autem ad ordines promotus eſt per metum gravem,non tenetur ad ſervandam caſtitatem vel ad recitandum divinum officium modò non ratificaverit ſponte ordinationem verbis, aut facto, vel ſemel, vel pluries liberè utendo ordine ſuſcepto; votum non dirimit matrimonium jure naturali, ſed ſolum impedit, undè ſi Summus Pontifex diſpenſaret cum Sacerdote abſquè legitima cauſa validum eſſet matrimonium ab eo Sacerdote celebratum, nam cenſeretur ablatum impedimentum dirimens ab Eccleſia inductum eſſet tamen illicitum hujuſmodi matrimonium: nam votum caſtitatis, quamvis jure naturæ non faciat invalidum matrimonium, facit tamen illicitum, quia matrimonium includit obligationem ad copulam votum verò abſtinentiam à copula.

5 Matrimonium contractum antè ſuſceptionem ordinis ſacri non dirimitur per ſuſceptionem ſacri ordinis, quia hoc nullo jure probatur, & hæc eſt differentia inter ordines majores,& profeſſionem,nam profeſſio diſſolvit matrimonium non ſolum ſequens, ſed etiam antecedens, modò non fuerit conſumatum: ordines verò majores diſſolvunt tantum modò matrimonium, quod contrahitur poſt ſuſceptionem ipſorum ordinum.

6 Orientalibus, & Græcis Sacerdotibus nunquam licitum fuit contrahere matrimonium, quarè ſi Græcus aliquis Sacerdos contraheret matrimonium invalidè contraheret, permiſſum tamen eſt Græcis jam conjugatis ſuſcipere Sacros ordines, & uti matrimonio antè Sacros ordines celebrato, & hoc jus viget in Eccleſia Græcorum, ut initiatus ordine ſacro non validè contrahat matrimonium, licet jam conjugatus poſſit ordines ſuſcipere, & uti matrimonio anteam contracto.

7 Puer ordinatus antè rationis uſum non tenetur ſervare caſtitatem, & matrimonium ab ipſo poſteà celebratum, eſt validum ſi poſtquam pervenit ad rationis uſum non ratificavit votum liberè, ſponte, dicto,vel facto, quarè hujuſmodi infanti poſtquam ad uſum rationis pervenit, danda eſt optio,

optio,

optio, num velit in ordine ſuſcepto permanere, vel an velit, reſilire, ſi velit in ordine permanere, remanebit vinculo caſtitatis adſtrictus, ſi verò non velit, remanebit ſuſpenſus ab uſu ordinis, ſic ordinatus antè pubertatem ordine ſacro, vel antè 16 annum non tenetur ſervare caſtitatem, niſi poſt 16.annum ratificet votum, undè poteſt matrimonium contrahere niſi votum ratificaverit: ſed mihi probabilius dicendum videtur, teneri voto caſtitatis; & oneri recitandi divinum officium, quia adoleſcens, qui vult ordines ſuſcipere antè 16. annum, vult etiam obligationes ordini ſacro adnexas, videlicèt votum caſtitatis, & onus recitandi Divinum officium: undè non poteſt matrimonium validè contrahere.

8 Initiati ſacris ordinibus, contrahendo matrimonium incurrunt primò excommunicationem, ut habetur Clementina unica de conſanguinitate, incurrunt irregularitatem etiam antè conſummatum matrimonium, vir autem conjugatus poteſt licitè ſacros ordines ſuſcipere, quandò poteſt facere divortium quoad thorum, & habitationem, aut religionem intrare etiam invita uxore, vel quandò ſuſcipit cum liberò, & legitimo uxoris conſenſu; qui legitimus conſenſus eſt, ſi ipſa exiſtens juvenis ingrediatur religionem, aut ſaltem voveat caſtitatem, ſi ſit ſenex, qui autem cum legitimo uxoris conſenſu ſacros ordines ſuſcepit, non poteſt, nec petere, nec reddere debitum, qui verò ſuſcepit abſquè uxoris conſenſu, poteſt tamen reddere uxori petenti, & ab ea revocari, nam ipſa non fuit privata ſuo jnre propter ordines ſuſceptos à viro abſquè ipſius uxoris conſenſu. Conjugatus autem recipiendo ordines abſquè legitimo uxoris conſenſu incurrit irregularitatem, & remanet ſuſpenſum ab ordinibus ſuſceptis, & ſuſcipiendis, nec poteſt beneficium, vel officium obtinere; conjugatus, autem qui ſacros ordines recipit poſt contractum matrimonium, ſed nondum conſummatum, non tenetur ingredi religionem.

9 Conjugatus ut ad Epiſcopatum promoveri poſſit requiritur, ut ipſa uxor conſentiat, ut ipſa religionem ingrediatur, & in ea profeſſionem emittat, idem dicendum, ſi ad Cardinalatum promoveretur, quandò verò uxor voto caſtitatis emiſſo dedit licentiam conjugi ſuſcipiendi ſacros ordines, vel aſcendendi ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, mortuo marito non poteſt novum matrimonium inire nec licitè, nec validè, quia detinetur vinculo caſtitatis,

De impedimento Ligaminis. *Cap.* 192.

1 Ligamen dirimit matrimonium poſterius, non ſolum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturali, & Divino, & propterea Pontifex non poteſt diſpenſare in pluralitate uxorum, & licèt in veteri lege licita erat pluralitas uxorum ob diſpenſationem Dei, & quamvis jure naturæ ſit prohibitum habere plures uxores, tamen hoc non eſt primarium jus naturæ, ſed ſecundarium, in quo Deus poteſt diſpenſare, ſicut alius diſpenſavit ob multiplicationem populi, diſpenſatio verò, quæ conceſſa fuit in veteri lege, non perſeverat ad hoc uſquè tempus, nam revocata fuit à Chriſto Matth. 19. & propterea, qui poſt matrimonium cum Berta contractum etiam ſi matrimonium cum ſecunda conſummat, ipſa Berta vivente, invalidè contrahit, quia adeſt impedimentum ligaminis, & ſic infideles contrahentes cum multis fœminis, invalidè contrahunt, & matrimonium validum eſt ſolum cum prima: cum qua, ſi convertatur, debet permanere, ſi ipſa voluerit cum eo permanere abſquè Salvatoris injuria, nec poteſt aliam ducere præter primam permanentibus aliis in infidelitate, nec poteſt conſuetudo legitimè introduci, per quam fiat licita pluralitas uxorum, nam non poteſt introduci conſuetudo contrà jus naturæ, & Divinum.

2 Invalidum eſt jure naturæ matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris, quia in hac re nunquam fuit diſpenſatum, ut fuit diſpenſatum, ut unus vir plures uxores haberet, licitum eſt plures uxores ſucceſſivè ducere, nam conjux, qui ſuperſtes manet mortuo primo conjuge, poteſt tranſire ad ſecundas nuptias, & inire matrimonium cum alio conjuge, quo mortuo poteſt de novo tranſire ad tertias, & ſic deinceps quæ omnes nuptiæ ſunt Sacramentum, in illis enim reperiuntur omnia, quæ pertinent ad Sacramentum matrimonii, ut autem ſuperſtes poſſit cum alia matrimonium inire, requiritur certitudo de morte conjugis, quæ certi-

certitudo debet eſſe moralis, ſeù tanta quanta judicio prudentis ſufficit ad credendum priorem conjugem certò mortuum eſſe: non autem uxor poteſt matrimonium cum alio contrahere, quandò ipſius vir abfuit per multos annos, nam certitudo moralis non habetur per abſentiam multorum annorum, nec habetur per ſolam famam: quæ oriri ſolet ex auctore incerto, & plerunquè fallaci, poteſt verò uxor cum alia contrahere, quando ipſius vir ingreſſus prælium non amplius comparuit, & fama eſt illum periiſſe, vel relinquendum eſt judicio prudentis viri judicare in caſibus particularibus, an adſit certitudo moralis, & conjecturæ ſufficientes ad contrahendum novum matrimonium, exiſtimo tamen mortem alterius conjugis non ſufficienter probari per unum teſtem; non nego tamen quia mulier poſſit matrimonium contrahere excluſo ſcandalo, quandò ipſa ſola novit, certò mortuum eſſe virum, quamvis ejus mortem probare non poſſit, ut accidit, quando ipſa ſola fuit præſens morti ſui mariti.

3 Uxor, quæ contraxit matrimonium cum ſecundo, credens priorem mortuum eſſe, tenetur recedere à ſecundo poſtquam cognovit priorem ſuperſtitem eſſe alioquin exponit ſe periculo adulterii, & peccat mortaliter petendo, vel reddendo debitum per hujuſmodi notitiam, nam ſecundum matrimonium eſt invalidum, ſi verò non certò novit priorem ſuperſtitem eſſe, ſed tantummodò dubitat, non poteſt exiſtente dubio petere debitum, quia ſe exponit periculo adulterii, tenetur tamen reddere alteri conjugi petenti, quamdiu non coſtat priorem ſuperſtitem eſſe, quia non tenetur credere conjugi.

4 Matrimonium contractum ab eo, qui falſò credebat ſuperſtitem eſſe priorem uxorem, ſed re vera mortua erat, validum eſt, ſi contrahens credebat ſe poſſe validè contrahere, aut ſi habebat intentionem contrahendi quantum poterat, quia adeſt ſufficiens conſenſus inter perſonas habiles, ſecus dicendum ſi non habuit intentionem contrahendi quantum poterat, tunc enim eſt invalidum, quia non habuit animum contrahendi; idem dicendum de eo, qui contrahit matrimonium credens adeſſe impedimentum dirimens, quod revera non adeſt.

De impedimento publicæ honeſtatis. *Cap.* 194.

1 EX ſponſalibus validis, & certis oritur jure Eccleſiaſtico impedimentum publicæ honeſtatis dirimens matrimonium cum conſanguineis alterius ſponſi in primo gradu undè ſi quis poſt ſponſalia celebrata cum Berta matrimonium contraheret cum illius ſorore, vel Matre, vel filia invalidè contraheret ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 3. ubi hoc impedimentum in ſponſalibus reſtrictum eſt ad primum gradum, quamvis antè Concilium extenderetur uſque ad quartum, quarè ex ſponſalibus invalidis non conſurgit hoc impedimentum, nec ex ſponſalibus celebratis cum perſona incerta: dirimit autem matrimonium à conſanguinibus alterius ſponſi contractum, non autem cum affinibus, & ſicut *Conc. Trid. loc. cit.* ſtatuic ex ſponſalibus quacunque ratione invalidis non oriri hoc impedimentum, dicendum itaquè eſt, ſi quis contraxit ſponſalia prius cum Berta, & poſtea cum ejus ſorore, poteſt contrahere matrimonium cum Berta, quia ſponſalia contracta cum ejus ſorore ſunt invalida, & non inducunt impedimentum; ità qui contraxit ſponſalia cum Berta, cum conditione de futuro, & poſtea alia contraxit libera cum ejus ſorore poteſt contrahere matrimonium cum Berta, quia ſponſalia contracta cum ſorore ſunt invalida, & non inducunt impedimentum.

2 Impedimentum publicæ honeſtatis contractum ex ſponſalibus validis, & certis non ceſſat, quandò ſponſalia diſſolvuntur mutuo conſenſu contrahentium, quia impedimenta matrimonii non dependent à voluntate contrahentium, ſed ab Eccleſia, quæ conſtituit, ut impedimentum publicæ honeſtatis conſurgat ex ſponſalibus validis.

3 Impedimentum publicæ honeſtatis poteſt aliquandò concurrere cum impedimento affinitatis: ut qui celebravit ſponſalia cum Berta, & poſtea copulam habuit cum ſorore Bertæ, neutram poteſt ducere, non enim ſororem Bertæ ratione impedimenti publicæ honeſtatis, non Bertam ratione impedimenti affinitatis.

4 Impedimentum publicæ honeſtatis conſurgit etiam ex matrimonio rato, nam

G

ſi ex ſponſalibus conſurgit: multò magis ex matrimonio rato; quod extenditur uſq; ad quartum gradum, undè non poteſt ducere conſanguineam uxoris uſquè ad quartum gradum, ſic declaravit Pius V. in motu proprio, qui incipit *ad Romanum ſpectat*; quod verum etiam eſt dicere de matrimonio rato invalido, dummodò non ſit invalidum defectu conſenſus. & ità habetur in declarationibus Cardinalium, quarè non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio rato ex defectu conſenſus celebrato invalidè ab amentibus, & pueris, nec ex matrimonio rato celebrato per metum gravem, vel per errorem perſonæ, vel quandò aliquis alteri fictè conſenſit, vel contraxit cum perſona incerta, & indeterminata, cum non ſit propriè matrimonium, nec oritur impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio celebrato cum conditione de futuro, ſed adimpleta conditione ſtatim inducitur impedimentum abſquè novo conſenſu, nec oritur ex matrimonio celebrato inter impuberes, niſi malitia ſuppleat ætatem, licet ex matrimonio impuberum conſurgat impedimentum publicę honeſtatis uſquè ad primum gradum ex ſententia eorum, qui dicunt matrimonium impuberum reſolvi in ſponſalia.

5 Impedimentum publicæ! honeſtatis oritur ex matrimonio contracto ſinè Parocho, & teſtibus, nam non eſt invalidum defectu conſenſus, ſed defectu ſolemnitatis ab Eccleſia præſcriptæ; ſic oritur ex matrimonio propter aliquod impedimentum dirimens uſquè ad quartum gradum, non autem ex matrimonio invalido rato inducitur impedimentum publicæ honeſtatis diſſolvens priora ſponſalia valida, nam ſicut ex ſponſalibus modò non inducitur, nec inducebatur jure antiquo impedimentum publicæ honeſtatis dirimens prius matrimonium, aut priora ſponſalia, ità nequè videtur induci ex matrimonio rato celebrato poſt ſponſalia.

6 In impedimento publicæ honeſtatis ad Summum Pontificem pertinet diſpenſare, nam ad ipſum pertinet diſpenſare in jure communi, quandò autem impedimentum publicæ honeſtatis ſimul concurrit cum impedimento affinitatis utrunque impedimentum explicandum explicitè, vel ſaltem implicitè in petitione diſpenſationis.

De Impedimento affinitatis. Cap. 195.

1 AFfinitatis eſt vinculum, ſeù propinquitas, vel attinentia quarundam perſonarum proveniens ex carnali copula licità, vel illicita, nam quandò duo ſeſe carnaliter cognoſcunt, fiunt affines cum conſanguineis alterius in eo gradu, in quo ſunt ipſi conſanguinei inter ſe, ut ſi Cajus copulam habeat cum Berta, fit affinis cum conſanguineis Bertæ in eo gradu, in quo ſunt ipſi conſanguinei Bertæ cum ipſa Berta: undè ſi ipſi ſunt conſanguinei in primo gradu cum Berta, fiunt affines cum Caio in primo gradu, idem dicendum de conſanguineis Caii, reſpectu Bertæ, non autem conſanguinei Caii fiunt affines cum conſanguineis Bertæ: nam nullo jure probari poteſt iſta affinitas, undè duo fratres poſſunt ducere duas ſorores, & filius poteſt ducere illam, cujus matrem pater ejus duxit: ſic etiam Titius, qui duxit Bertam in uxorem, poteſt ea mortua ducere illam, quæ fuit uxor fratris Bertæ mortuo fratre Bertæ, quia Titius per copulam habitam cum Berta factus eſt affinis conſanguinei Bertæ, non verò affinibus Bertæ, uxor autem fratris Bertæ non eſt conſanguinea Bertæ, ſed affinis.

2 Duplex eſt affinitas, alia in linea recta, & æquali, alia in linea tranſverſali, in linea recta affinitatis conſtituuntur aſcendentes, vel deſcendentes illius perſonæ, cum qua fuit copula habita. Aſcendentes ſunt ſocer, vitricus, noverca, deſcendentes ſunt gener, nurus, privignus, & privigna: in linea verò tranſverſa conſtituuntur conſanguinei in linea tranſverſa illius, cum qua copula habita fuit v. g. Titius cognoſcit Bertam ſuam conjugem, habentem fratres, ſorores, patrem, & matrem: frater, & ſoror Bertæ fiunt affines Titii in linea tranſverſa, pater verò, & mater Bertæ fiunt affines in linea recta gradus autem in affinitate computandi ſunt, ut diximus de conſanguinitate, ſtipes verò in affinitate ſunt duæ illæ perſonæ, quæ ſe carnaliter cognoſcunt, quæ non dicuntur affines, ſed principium affinitatis.

3 Affinitas dirimit matrimonium ſaltem jure Eccleſiaſtico, ſivè conſurgat ex copula licita, ſivè illicita, cum hac tamen diffe-

rentia,

rentia, quando enim conſurgit ex copula licita oritur impedimentum dirimens uſquè ad quartum gradum, ſed ex illicita oritur impedimentum dirimens uſquè ad ſecundum gradum, undè qui fornicatus eſt cum aliqua poteſt contrahere matrimonium cum conſanguinea illius in tertio, vel quarto gradu ex *Trid ſeſſ.24.c.4.*

4 Affinitas non dirimit matrimonium jure naturæ in ullo gradu etiam lineæ rectæ: quia aliquando celebrata fuerunt matrimonia cum novercis, cum quibus intercedit affinitas in primo gradu lineę rectę, & propterea jure naturæ validum eſt matrimonium contractum cum concubina patris, ſic cum uxore fratris mortui.

5 Ad inducendum impedimentum affinitatis requiritur copula cum ſeminis emiſſione intra clauſtrum fœminæ, & propterea non oritur affinitas, quandò ſola fæmina ſemen emittit, nam illius ſemen non eſt ſufficiens ad generationem: emiſſio verò ſeminis virilis ſufficit ad generationem cū memoriæ proditum ſit aliquas fæminas concepiſſe ſinè congreſſu, & coitu viri recepto alia ratione ſemine, undè affinitas oritur, quandò ſemen intra vas fęminę recipitur, quacumque arte recipiatur, & ideò ex congreſſu ſpadonum non oritur affinitas, quia non emittunt ſemen aptum ad generationem, nec affinitas oritur ex actu præpoſtero, extra vas debitum, ſicut neque oritur ex pollutione extrà vas fæmineum; affinitas etiam oritur ex copula habita cum fæmina omninò invita, vel ignorante, vel dormiente, vel inſana, vel ebria, nec oritur ex matrimonio rato, ſed non conſumato, quia ex eo oritur publica honeſtas, non affinitas.

6 Pæna excommunicationis conſtituta eſt ipſo facto incurrenda ab iis, qui ſcienter audent contrahere in gradibus affinitatis, vel conſanguinitatis prohibitis.

7 Affinitas ſuperveniens matrimonio contracto, ut quandò conjux, commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius conjugis in primo, vel ſecundo gradu parit hunc effectum, ſcilicet non poteſt petere ab ea debitum: privatur enim jure petendi; dicitur in primo, vel in ſecundo gradu, quia ex copula illicita non oritur impedimentum, niſi uſquè ad ſecundum gradum; undè qui cognoſcit conſanguineam ſuæ uxoris in tertio, vel quarto gradu non privatur jure petendi, nam impedimentum petendi oritur ex affinitate, quæ in copula illicita non extenditur ultra ſecundum gradum, tenetur tamen reddere debitum, inſuper parit effectum, ut conjux nocens non poſſit alium conjugem ducere, mortuo illo, quem de præſenti habet, & ſi ducat non poteſt ab eo debitum petere abſquè diſpenſatione, uterque etiam conjux privatur jure petendi, quando uterque copulam habuit cum alterius conſanguineis, aut etiam quandò unus tantum habuit, ſed de conſenſu alterius, quia jus relinquit poteſtatem petendi tantummodò conjugi innocenti; privatur etiam jure petendi ille, qui contraxit affinitatem per copulam etiam occultam; nam affinitas oritur tam ex copula occulta, quam publica, nec requiritur ſententia judicis ad hanc pęnam incurrendam nam eſt pæna privativa, non requirens auctoritatem judicis, & ità eſt uſu recepta, qui autem contracto matrimonio rato, ſed non dum conſumato cognovit conſanguineam uxoris, quia factus eſt affinis cum uxore, non tenetur ingredi religionem, quia hoc nullo jure probatur, nec per illam copulam privatur obligatione reddendi.

De impedimento impotentiæ. Cap. 196.

1 Illa dicitur impotentia perpetua coeundi, quæ non poteſt removeri arte humana, vel abſquè probabili vitæ periculo; undè dicitur impotentia perpetua, quæ non poteſt auferri abſquè arte magica, vel abſquè peccato ſcilicet ſinè copula cum aliis viris, vel quandò impotentia ſolo miraculo poteſt auferri, voco miraculum in præſenti, quod fit modo extraordinario, & inſueto: ſic etiam illa dicitur impotentia perpetua: quæ tolli poteſt ope humana, ſed non ſinè corporali periculo; ut quandò mulier eſt ità arcta, quæ judicio Medicorum per inciſionem reddi poteſt apta viro, vel per medicinam validum eſt matrimonium cum ea celebratum, quamvis ea renuat inciſionem, vel medicinam, nam in hoc caſu impedimentum non eſt perpetuum, ſed temporale, quia poteſt arte humana auferri, abſquè probabili vitæ periculo.

2 Ex triplici capite oriri poteſt impotentia perpetua, primò ex improportione naturali, ut quandò fæmina ità eſt acta, ut non

non poſſit à viro cognoſci, & idem dicendum eſt de viro reſpectu fœminæ, & propreteà, quandò conſtat de impotentia hoc modo perpetua poteſt Eccleſia declarare matrimonium invalidum, cui Eccleſiæ poteſt conſtare hujuſmodi impotentia, per teſtimonium hominum honeſtorum, qui virum inſpiciant, & per teſtimonium honeſtarum mulierum, quæ fæminam inſpiciant: fæmina autem tenetur cum gravi dolore inciſionem pati, ſed non cum graviſſimo morbi incommodo: itaquè validum erit matrimonium cum ipſa contractum, ſi arte humana fieri poteſt apta per inciſionem abſquè vitæ periculo, quamvis ipſa nolit eam pati, aut non teneatur pati. Secundò impotentia poteſt oriri ex frigiditate, quando ſcilicet copula propter frigiditatem conſummari, & ſemen emitti non poteſt, quod impedimentum provenire ſolet a viro, & non à femina, quæ ſoluto matrimonio cauſa frigiditatis poteſt alium ducère, quia ipſa non eſt impotens, ſed ejus vir, qui facta ſeparatione non poteſt cum alia contrahere, quia præſumitur ineptus ad matrimonium propter frigiditatem: Separatio autem facienda eſt per ſententiam judicis. Si autem poſt ſeparationem probet ſe non eſſe frigidum, & quia fornicatus eſt, & quia ſecundas nuptias conſumavit, ſeparandus eſt à ſecunda uxore, & reſtituendus eſt primæ, idem dicendum de fæmina, quæ ſeparata eſt propter arctationem, quæ ſi poſtea cognoſcitur apta reſtituenda eſt priori viro, modò non ſit reddita apta per fornicationem; nam quandò fæmina ita arcta eſt, ut non poſſit reddi apta viro, niſi per fornicationem cum alio cenſetur habere impotentiam perpetuam: poteſt etiam impotentia oriri ex parte viri ex nimia ejus caliditate, quia vir ſemen effundit antequam debitum vas naturale ingrediatur: ſecus ſi poſſit aliquam ſaltem ſeminis partem intra vas effundere. Tertiò impotentia perpetua poteſt oriri ex maleficio perpetuo facto ad impediendum congreſſum, & copulam maritalem, & tunc dicitur maleficium perpetuum, quandò conjuges poſt experientiam triennalem non potuerunt copulam habere præmiſſis precibus, & aliis remediis pro maleficio amovendo, ſed quandò maleficium perpetuum factum eſt tantummodò reſpectu conjugum præſentium, & non reſpectu aliorum omnium, conjuges poſſunt facto divortio matrimonium contrahere cum aliis, quia reſpectu aliorum non cenſetur adeſſe impotentia perpetua; verùm ſi conjuges poſt celebratum ſecundum matrimonium cognoſcant ſibi redditam eſſe potentiam conſummandi matrimonium cum priori conjuge, tenentur redire ad prius matrimonium, in quo perſiſtendum eſt, nam illud eſt validum, nec irritatur per impotentiam præſumptam perpetuam, ſed per veram impotentiam.

3 Quandò non conſtat, quòd ſit ſublatum maleficium, propter quod reddebatur conjux impotens ad conſummandum matrimonium, & propter quod facta eſt ſeparatio, non tenetur redire ad primam conjugem, quia poteſt bona fide judicare nondum eſſe ſublatum maleficium reſpectu prioris conjugis, quamvis experiatur ſe aptum ad conſumandum cum ſecunda; quandò autem præſumitur maleficium factum eſſe poſt matrimonium non eſt impedimentum dirimens, quia impotentia dirimens matrimonium debet precedere matrimonium, non ſubſequi: quandò autem dubitatur, an impotentia ſit vera, & adhibita ſufficienti diligentia adhuc remanet dubium, tunc judicandum exiſtimo in favorem matrimonii, cum matrimonium poſſideat, & dubitetur, an adſit impedimentum, quod præſumitur adeſſe, nam potentia ad copulam eſt naturalis hominis; undè quilibet præſumitur eſſe ad illam aptus, niſi aliud conſtet, & aſſerenti ſe eſſe impotentem ad generationem incumbit onus probandi ſuam impotentiam cum habeat præſumptionem in contrarium.

4 Impotentia perpetua coeundi antecedens matrimonium dirimit matrimonium jure Eccleſiaſtico, & jure naturæ, ex quacunque cauſa proveniat; dicitur impotentia perpetua, quia impotentia temporalis non dirimit matrimonium, cum hoc nullo jure probetur dirimere, conſcius tamen ſuæ impotentiæ temporalis poteſt aliquandò mortaliter peccare non detegendo impotentiam, ut quandò impotentia diù duratura eſt, nam in hoc caſu cenſetur adeſſe deceptio gravis; dicitur antecedens matrimonium, quia impotentia perpetua ſuperveniens Matrimonio ſivè rato, ſivè conſummato non dirimit matrimonium.

5 Vali-

5 Validum eſt matrimonium contractum cum fæmina arcta, quæ fieri poteſt apta per inciſionem, nam hoc matrimonium non cenſetur celebratum cum impotentia perpetua; ſecus dicendum quandò fæmina non poteſt ſemen recipere, & adeo arcta eſt, ut non poſſit juvari, ſic validum eſt matrimonium contractum cum fæmina, quæ poteſt ſemen recipere, licèt ipſa ſit impotens ad ſeminandum, vel ad retinendum ſemen ſuſceptum, ità validum eſt matrimonium contractum cum leproſo, quia licet periculum ſit ægritudinis contrahendæ in congrediendo, tamen adeſt potentia congrediendi, item validum eſt matrimonium, quandò fæmina poteſt reddere debitum, ſed non niſi cum graviſſimo ſanitatis periculo; validum eſt etiam matrimonium contractum inter ſteriles, inter quos intercedit vera copula apta ex ſua natura ad generationem; inſuper validum eſt matrimonium contractum a ſene decrepito, qui ſaltem aliquando aliqua arte juvari poſſit ad conſummationem matrimonii: ſecus dicendum eſt de ſene omninò impotente.

6 Invalidum eſt matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, vel ſpadone, qui caret ſemine, quia iſte cenſetur impotens, idem dicendum eſt de illis, qui non ſunt eunuchi perfecti: ſed tamen habent utrumque teſtem ità contuſum, ut ſint inepti ad verum ſemen emittendum, ſecus dicendum de Eunuchis, qui carent uno teſte tantùm, nam iſti validè contrahunt, cum ſint apti ad generationem: immò etiam alii Eunuchi, qui ſemen aptum ad generationem emittunt, ſi qui emittunt validè contrahunt.

7 Quandò autem conſtat adeſſe impotentiam perpetuam diſſolvendum eſt matrimonium non expectato triennio, quàndò autem non conſtat, ſed dubitatur adeſſe impotentiam perpetuam, permittuntur conjuges ſimul cohabitare per triennium, ut matrimonium conſummant, quo tempore, ſi nequeunt conſummare non amplius permittuntur cohabitare, quia judicatur adeſſe impotentia perpetua, & ideo invalidùm eſſe matrimonium, undè facienda eſt ſeparatio propter periculum incontinentiæ, ſecluſo verò periculo incontinentiæ jura permittunt, ut vir habeat tanquam ſororem, quam non poteſt habere uxorem, triennium verum incipit à die copulæ attentatæ, quandò impotentia provenit ex frigiditate, vel maleficio, quandò verò provenit ex arctatione incipit, quandò incipiunt remedia adhiberi.

8 Quandò matrimonium fuit diſſolutum ab Eccleſia propter impotentiam creditam perpetuam, & vir ingreſſus eſt religionem, & in ea profeſſionem emiſit, poſteà verò compertus eſt error, & deceptio judicis, quia verè non erat impotens perpetuò, ſed ad tempus, hoc caſu cognito errore, ſi vir profeſſus eſt antè conſummatum matrimonium non debet redire ad uxorem, quia matrimonium ratum diſſolvitur per profeſſionem, ſi verò profeſſus eſt poſt conſummatum matrimonium debet redire ad matrimonium quia matrimonium conſummatum non diſſolvitur per profeſſionem; idem dicendum quandò uterque conjux facta ſeparatione ingreſſus eſt religionem, & in ea profeſſus eſt, ſed poſtea cognitum fuit impedimentum, propter quod facta fuit ſeparatio, non eſſe perpetuum, reſtituendus eſt uxori vir, qui ex præſumptione perpetuæ impotentiæ diſſoluto matrimonio ſacros ordines ſuſcepit remanente uxore in ſæculo, quandò cognoſcitur impotentiam non eſſe perpetuam, quia vinculum matrimonii adhuc perſeverat, nec diſſolvitur per ſuſceptionem ordinum, tenebitur tamen reddere debitum, non autem petere propter votum caſtitatis emiſſum, in ſuſceptione ordinum.

9 Quandò contractæ ſunt ſecundæ nuptiæ, ſi unus conjugium iniit, & alter profeſſus eſt in religione, credens invalidum fuiſſe prius matrimonium ob impotentiam præſumptam perpetuam, quæ revera non erat, invalidæ erunt, ſi prius matrimonium erat conſummatum, quia non fuit diſſolutum per profeſſionem alterius, ſi verò non erat conſummatum, & ſecundæ nuptiæ initæ ſunt poſt profeſſionem alterius conjugis, validæ ſunt ſecundæ nuptiæ, quia prius matrimonium non conſummatum diſſolutum fuit per profeſſionem alterius conjugis, & proptereà uxor remanens in ſæculo potuit poſt viri profeſſionem validè celebrare matrimonium cum alio, ſi verò iniit ſecundas nuptias antè profeſſionem alterius conjugis, ſecundæ nuptiæ

nuptiæ invalidæ ſunt propter impedimentum ligaminis: quia celebratæ fuerint adhuc ſubſiſtente priore matrimonio, undè, ut validæ fiant iſtæ ſecundæ nuptiæ requiritur novus conſenſus poſt profeſſionem prioris conjugis.

10 Hermaphroditus, in quo prævalet unus ſexus poteſt matrimonium inire juxtà ſexum, qui in ipſo prævalet, undè ſi prævalet ſexus virilis poteſt contrahere cum fœmina, ſi prævalet ſexus fœmineus poteſt contrahere cum viro, ſi verò in Hermaphrodito ſexus eſt æqualis, & neuter prævalet poteſt eligire quem ſexum ipſe voluerit, & ſecundum illum contrahere matrimonium: ad Medicos autem, vel ad matronas peritas pertinet judicare, quinam ſexus prævaleat ex pudendarum partium inſpectione, in dubio autem judicium ferendum eſt ex ipſius Hermaphroditi aſſertione; quia nullus alius meliùs, quàm ipſe poteſt diſcernere, ille, autem Hermaphroditus, in quo uterque ſexus eſt æqualis, facta ſemel electione ſexus, & contracto ſemel juxtà illum ſexum matrimoulo, non poteſt abſquè gravi peccato, mortuo conjuge, mutare electionem, & ſecundum alium ſexum contrahere matrimonium: nec poteſt Parochus aſſiſtere matrimonio Hermaphroditi, in quo uterque ſexus eſt æqualis, donec Hermaphroditus coram judice Eccleſiaſtico proteſtatus ſit cum juramento, quem ſexum ſequi velit.

De impedimentis non dirimentibus. Cap. 197.

1 Quinque ſunt Impedimenta, quæ non dirimunt, ſed tantum impediunt matrimonium contrahendum, Interdictum, Sponſalia, Cathechiſmus, Votum, Crimen, quæ his verſibus continentur excepto crimine.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum.

Atquè Cathechiſmus, ſponſalia jungito Votum,

Impediunt fieri permittunt facta teneri.

2 Interdictum eſt prohibitio, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Eccleſia, nomine interdicti intelligitur etiam prohibitio Epiſcopi, aut Vicarii, aut judicis, aut Parochi interdicentis alicui nè matrimonium contrahat donec aliqua cauſa, vel impedimentum examineiur undè contrahens cum hoc interdicto peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem in re gravi, & ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 10.* vetitum eſt à primo die Adventus uſquè ad Epiphaniam, & à quarta feria Cinerum uſquè ad Octavam Paſchæ incluſivè, licet Mediolani nuptiæ interdicuntur die ſabbati proximè antecedente primam Dominicam Quadrageſimæ uſquè ad octavam Paſchæ incluſivè, de licentia tamen ordinarii poſſunt dictis temporibus celebrari ſponſalia, & matrimonia ſinè ſolemnitate: ſolemnitates autem ſunt accipere benedictionem in Eccleſia, aut ſolemniter traducere ſponſam domum, non eſt autem vetitum his temporibus conſummare matrimonium ante contractum: ideò graviter peccat, qui traducit ſponſam cum ſolemnitate, non autem, qui privatim, ſic non poteſt his temporibus benedictio ſolemnis abſquè letali culpa fieri, quia violatur præceptum Eccleſiæ in re gravi, undè Sacerdos benedicens graviter puniendus eſſet pœna judicis Eccleſiaſtici arbitraria, ipſi verò ſponſi in pœnam criminis ſeparandi eſſent ad tempus, niſi periculum eſſet incontinentiæ, tunc enim pro ſeparatione pœna arbitraria imponenda eſſet.

3 Sponſalia prius celebrata cum alia perſona eſt ſecundum impedimentum impediens matrimonium contrahendū, quia qui contraxit ſponſalia cum una perſona, contraxit gravem obligationem ſtandi ſponſalibus, quia ſunt promiſſio matrimonii quæ inducit obligationem ſub mortali: undè qui uni promiſit matrimonium, non poteſt matrimonium cum alia inire, niſi diſſoluta fuerint priora ſponſalia.

4 Catechiſmus eſt tertium impedimentum impedient matrimonium contrahendum, qui dicitur à catechizo ideſt inſtruo, nam eſt inſtructio fidei, quæ ſit ſolemniter antè Januam Eccleſiæ ſuper baptizando, vel Baptizato, ex qua tenens puerum contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam, quæ non dirimit, ſed impedit matrimonium; ſed hoc impedimentum ſublatum eſt per *Trid. ſeſſ. 24 c. 2.* ſed poſito, quod hoc impedimentum non fuerit ſublatum, contrahitur ab eo, qui gerit perſonam infantis, reſpondendo ad interrogationem factam

factam à Sacerdote circà fidei articulos, quæ cognatio non ſolum contrahitur ab eo, qui de præſenti tenet puerum dum baptizatur: ſed etiam ab eo, qui puero jam baptizato præſtat hoc officium, dum ſuppletur Catechiſmus, & aliæ ſolemnitates in Eccleſia, quæ cognatio, ſi non eſſet ſublata indigeret diſpenſatione: quandò cum hoc impedimento ſi impedimentum eſſet, vellet contrahere, & poſito quod hoc impedimentum non fuerit ſublatum, diſpenſare poſset Epiſcopus.

5 Votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendæ religionis, vel ſuſcipiendi ſacros ordines, vel non nubendi eſt quartum impedimentum impediens, ſed non dirimens matrimonium, undè graviter peccat aſtrictus hujuſmodi voto contrahendo matrimonium, licet ſit validum: non nego tamen Summum Pontificem poſse legem condere, qua matrimonium ob ſimplex votum irriretur; ita graviter peccat, qui ſcienter matrimonium celebrat cum eo, qui voto caſtitatis detinetur, quia cooperatur peccato alterius, niſi contrahant ſub conditione diſpenſationis obtinendæ quam Summus Pontifex concedere conſuevit. Uxor autem, quæ vovit caſtitatem non poteſt gratiam reconciliationis concedere viro adulteranti jus petendi debitum amiſſum propter adulterium commiſſum, quia ſi non poteſt votum caſtitatis exequi niſi gratiam reconciliationis deneget viro adulteranti, debet gratiam reconciliationis denegare. Interrogantem an validum ſit matrimonium cum hujuſmodi voto celebratum, ſi non poſsumus conſulere cauta reſponſione, nec caute veritatem reticere, debemus veritatem aperire, explicata tamen gravitate delicti, & ſacrilegii, quod committitur ab eo, qui cum hujuſmodi voto audet ad nuptias advolare, hoc enim pacto non eſt imputandum peccatum reſpondenti, cum ipſe non dicatur dare occaſionem ruinæ, ſed potius cavendi ruinam propoſita gravitate peccati.

6 Crimen eſt quintum impedimentum impediens matrimonium complectens plura delicta quę his verſibus conprehendũtur.

Inceſtus, Raptus ſponſatæ, Mors Mulieris
Suſceptus propriæ ſobolis, Mors Presbyteralis.
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc connubium ſociandum.

7 Inceſtus eſt primum crimen, qui in præſenti eſt fornicatio cum affine in gradu prohibito, undè qui ſcienter commiſit inceſtum cum affine, ideſt cum conſanguinea uxoris, uſquè ad quartum gradum, & uxor, quæ copulam habuit cum conſanguineo viri uſquè ad quartum gradum non poteſt mortuo altero conjuge contrahere matrimonium, quamvis inceſtus ſit occultus, jus enim generaliter loquitur; ſecus dicendum, quando inceſtus commiſſus fuit cum affine, quæ ignorabatur eſse affinis, nam ſicut ignorantia excuſat a culpa, ita etiam à pœna, hoc autem crimen non extenditur ad copulam habitam cum perſona cognata cognatione legali, vel ſpirituali, hoc enim non eſt in jure expreſsum, immò neque extenditur ad copulam habitam cum propriis conſanguineis, nam jura videntur loqui tantummodò de inceſtu cum affine. Sponſus autem de futuro copulam habens cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu non poteſt tranſire ad matrimonium de præſenti abſque diſpẽſatione cum ſua ſponſa propter affinitatem, nec cum alia; hoc autem impedimentum conſurgens ex copula habita cum conſanguinea ſuę ſponſę in primo gradu non eſt perpetuum, ſed temporale, ita ut ſponſus, qui copulam habuit non poſſit tranſire ad matrimonium vivente complice, cum qua copulam habuit, mortua vero complice poteſt contrahere, nam cum hujuſmodi delictum non ſit propriè inceſtus, par eſt, ut non puniatur pœna perpetua, ſed ſolum temporali, quamdiu ſcilicet vivit alter conplex: quandò autem mortua uxore copulam habet cum uxoris conſanguinea, contrahit hoc impedimentum, qua committens inceſtum cum affine contrahit impedimentum criminis impediens matrimonium: ſed copulam habens cum uxoris conſanguinea committit inceſtum, etiam ſi cum ea copulam habet mortua uxore, ergò contrahit impedimentum criminis impediens matrimonium.

8 Raptus alienæ eſt ſecundum crimen; nam qui rapit alienam ſponſam, ſivè ſit ſponſa de futuro, ſivè de præſenti contrahit impedimentum, ita ut non poſſit contrahere cum rapta nec cum alia, & ita etiam ipſa ſponſa, quæ ſuum conſenſum præbuit raptori, impeditur, ne poſſit cum alio contrahere matrimonium.

 9 Homi-

9 Homicidium uxoris eſt tertium crimen, nam qui propriam uxorem occidit, non poteſt matrimonium inire cum alia, non autem extenditur ad homicidium viri patratum ab uxore, quia nullus textus loquitur de homicidio viri patrato ab uxore, & hinc patet differentia inter crimen homicidii dirimens matrimonium, & inter crimen homicidii impediens, quia illud inducit impedimentum, quando vir occidit uxorem, & quando uxor occidit virum, quod non accidit in præſenti crimine: hoc autem impedimentum non inducitur, quando uxor occiditur inflagranti delicto adulterii, tunc enim vir impune per leges occidit quamvis peccet in conſcientia.

10 Quando quis ſuſcepit proprium filium, vel filium alterius conjugis in Baptiſmo, vel in Confirmatione, aut illum baptizat malo animo, ut contrahat cognationem cum altero conjuge, ne debitum reddat, hoc contrahit impedimentum, nec mortuo conjuge poteſt cum alio matrimonium inire.

11 Homicidium Sacerdotis eſt quintum crimen, modo homicida fuerit de crimine convictus in judicio.

12 Pœnitentia publica eſt ſextum crimen, nam quando quis facit publicam pœnitentiam impeditur, nè matrimonium contrahat.

13 Quando quis ſcienter matrimonium contraxit cum moniali profeſſa eſt ſeptimum crimen; in hoc autem caſu contrahens non ſolum invalidè contrahit matrimonium cum moniali, ſed etiam impeditur ne poſſit cum alia contrahere.

14 Qui contrahit matrimonium cum dictis impedimentis non dirimentibus peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi.

Quis poſſit in Impedimentis diſpenſare matrimonii. Cap. 198.

1 NUllus neque Summus Pontifex poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium jure naturali, quia non conſtat hujuſmodi facultatem Summo Pontifici conceſſam eſſe, ſed in impedimentis dirimentibus jure humano, certum eſt ipſum poſſe diſpenſare, nam ipſe eſt ſuperior, & ſupremam in terris habet poteſtatem: debet autem juſta cauſa diſpenſare, quamvis alioquin validè diſpenſet: unde poteſt in voto ſacrorum ordinum, aut religionis diſpenſare, quia hujuſmodi votum irritat matrimonium jure Eccleſiaſtico, quanquam non licitè diſpenſat, niſi adſit cauſa juſta.

2 In impedimentis non dirimentibus poteſt Epiſcopus diſpenſare excepto voto caſtitatis, & religionis abſoluto, & perfecto, quia conſuetudine receptum eſt, ut diſpenſatio iſtorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto caſtitatis, & religionis; poteſt etiam Epiſcopus aliquando diſpenſare in impedimentis dirimentibus, quando ſcilicet impedimentum eſt occultum, & matrimonium publicum, nec conjuges poſſunt ſeparari abſque magno ſcandalo, nec ad Summum Pontificem, vel ad ejus nuncium patet recurſus propter paupertatem, aut propter locorum diſtantiam, aut ob alia legitima impedimenta, quia non eſt credibile Summum Pontificem velle reſervare ſibi diſpenſationem in caſu tantæ neceſſitatis, & cum tanto periculo animarum, undè præſumitur Epiſcopo conceſſa tacita facultas diſpenſandi in foro conſcientiæ modò matrimonium contractum fuerit bona fide; ſi verò mala fide contractum ſit, præſumitur Summum Pontificem in eo caſu reſervaſſe ſibi facultatem diſpenſandi, & nolle favere iniquitati contrahentium juxta *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 5. aſſerens ſeparandos eſſe ſine ſpe diſpenſationis obtinendæ, poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in impedimentis, quæ ſupervenient matrimonio, & impediunt debiti petitionem; ut quando matrimonio jam contracto ſupervenit impedimentum cognationis ſpiritualis, vel affinitatis, ratione cujus conjux, qui eſt effectus affinis privatur jure petendi; inſuper poteſt Epiſcopus ex urgentiſſima neceſſitate in impedimentis dirimentibus diſpenſare per ſe, vel per alium delegatum, non ſolum poſt contractum matrimonium, verum etiam ante; præſumitur enim habere tacitam facultatem Summi Pontificis in utroque caſu.

3 Epiſcopus poteſt in foro conſcientiæ diſpenſare cum illa, quæ manè accedit ad confitendum, & invenitur habere impedimentum dirimens, cujus manifeſtatio eſſet illi cauſa gravis infamiæ, ſed jam parata ſunt omnia ad nuptias eo mane, aut veſpere celebrandas, nec adeſt alia via evadendi infamiam, vel ſuſpicionem gravis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi

tunc

tunc non celebrentur nuptiæ, undè pro praxi debet obſervari; quod quando Confeſſarius in confeſſione detegit aliquod impedimentum dirimens, poteſt hoc remedio uti ad vitandum ſuſpicionem alicujus criminis, vel infamiæ inter ſponſos, ut videlicet fæmina, vel ſponſus voveat caſtitatem ad menſem, deinde dicat conſanguineis, aut etiam aliis, ſe voto caſtitatis obſtrictum eſſe, ſibique à Confeſſario mandatum eſſe, ut abſtineat à matrimonio, donec obtineatur diſpenſatio à Sede Apoſtolica, caveat autem, nè dicat votum eſſe ad tempus, ne audientes aſſererent ſufficere diſpenſationem Epiſcopi, ſicque remedium deludatur.

4 Confeſſarius debet diligenter inquirere, num res ita ſit, ſicut expoſita fuit Summo Pontifici, & hoc ſufficit requiri ab ipſo pænitente, niſi ſciverit extra confeſſionem, nec eſt neceſſarium ut diſpenſandus emittat confeſſionem antè diſpenſationem, prudentiæ Confeſſarii relinquitur, ut injungat pœnitentiam, quando non fuit taxata à Pœnitentiario: diſpenſatio autem prodeſt ſolum in foro conſcientiæ ſicut in ipſa facultate exponitur, quando negatur diſpenſatio ab uno confeſſario, poteſt adire alium, non autem eſt validum matrimonium contractum antè diſpenſationem.

5 Matrimonium invalidum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrandum eſt coram Parocho, & teſtibus, quando ſemel celebratum fuit coram Parocho, & teſtibus conſciis illius impedimenti, aut quando impedimentum probari poteſt in judicio; ſecus dicendum, quando delictum eſt omninò occultum, in quo caſu non obſtat, quo minus Confeſſarius virtute Pontificiæ facultatis diſpenſare poſſit, quamvis in Bulla ſoleat hæc clauſula apponi, ſi ita eſt, & cum eis diſpenſat, ut inter ſe publicè, & ſervata Tridentini forma contrahant, undè quando impedimentum eſt omninò occultum, occultè inire poteſt abſque Parocho, & teſtibus; & non ſit periculum, ut detegatur, nec Parochus, vel teſtes erant conſcii illius impedimenti.

Utrum Confeſſarius, vel Parochus, vel Epiſcopus, qui novit aliquos invalidè contraxiſſe, vel contracturos teneatur illos admonere, aut denegare matrimonium contrahendum cum impedimento dirimente. Cap. 199.

1 Confeſſarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili matrimonium invalidè contraxit, ex officio enim tenetur inſtruere, & admonere pænitentes, etiam ſi, ut dicunt aliqui, non ſperetur fructus emendationis.

2 Confeſſarius non tenetur admonere pœnitentem, qui invalidè contraxit matrimonium ex ignorantia invincibili juris, vel facti, quando nullum ſperat fructum ex admonitione, aut quando videt remedium difficillimum eſſe, ita ut ſcandalum, vel notabilis infamia, vel damnum indè ſequatur, modo tamen non ſit periculum damni communis: præceptum enim correctionis non obligat, quando non ſperatur fructus, quando vero ſperatur admonitio profutura ſine gravi ſcandalo, vel detrimento tenetur admonere, ſicut etiam quando imminet periculum damni communis, tenetur admonere, etiam ſi nullus ſuperetur fructus, quia illa ignorantia eſt contrà bonum commune ratione ſcandali: bonum autem commune præferendum eſt privato.

3 Concionator, vel doctor publicus debet docere veritatem, quamvis inde ſequatur damnum, & ruina aliquorum, nam illa doctrina dirigitur ad bonum publicum, à quo non debet Concionator abſtinere propter privatum aliquod damnum, quod ab ipſo non intenditur, ſed permittitur ex juſta cauſa.

4 Confeſſarius non poteſt abſolvere conjugem invincibiliter ignorantem impedimentum dirimens matrimonium, & eſt ita actualiter affectus, ut nolit reddere debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam cauſam injuſtam, & proptereà Confeſſarius non ſperat fructum admonendo illum de invaliditate matrimonii, & ideo non poteſt abſolvere, quia eſt in ſtatu peccati, cum credat ſe injuſte denegare debitum: nec poteſt confeſſarius præcipere vel admonere,

ut reddat, quia mentiretur dicendo pœnitenti illam, cui pœnitens non vult reddere debitum, eſſe ſuam uxorem, nam incitaret illum ad peccatum, ideſt ad copulam, cum non intercedat verum matrimonium propter impedimentum dirimens invincibiliter ignoratum.

5 Confeſſarius, quando non adeſt ſpes emendationis, non tenetur admonere illum, qui ignorantia invicibili iniuſtè poſſidet primogenituram, vel qui exercet actum uſurarium neſciens eſſe uſurarium, vel qui tenetur ad reſtitutionem neſciens ſe teneri; debet tamen admonere illum, quando ex ignorantia invincibili ignorat ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem: non item tenetur admonere pænitentem de invaliditate matrimonii, quando poſt admonitionem credit fore, ut pænitens ignorantia invincibili facile non poſſit diſpenſationem impetrare, & ſit periculum, ut admonitus adhuc accedat ad uxorem ſciens illam non eſſe ſuam; nec debet admonere illos, qui novit in confeſſione contracturos invalide matrimonium cum ignorantia invincibili impedimenti, quando non ſperat admonitionem profuturam.

6 Confeſſarius prudenter cognoſcere poteſt, quando quis laborat ignorantia invincibili, curando intelligere ſi pœnitens credat ſe eſſe in bono ſtatu, vel an habeat dubiam conſcientiam, ſi autem pœnitens interrogat Confeſſarium dubius de aliquo impedimento, tenetur aperire veritatem, licet credat nihil profuturum: quia tunc pœnitens non laborat ignorantia invincibili, ſed potius vincibili, & confeſſarius non manifeſtando veritatem cenſetur approbare errorem: ſic tenetur admonere pœnitentem laborantem ignorantia invincibili impedimenti, quando credit non ſtatim admonitionem profuturam, ſed brevi tempore; admonitio autem melius faciet pænitenti poſt abſolutionem, quam antè, ne turbetur, & ponat obicem ad gratiam, vel ſi credat ægre laturum admonitionem poteſt differre ad tempus opportunum, modo pœnitens laboret ignorantia invincibili.

7 Parochus tenetur negare matrimonium illi, quem ſcit extrà Confeſſionem irretitum eſſe aliquo impedimento etiam occulto, licet publicè ille petat matrimonium, aut neget impedimentum, quod notum eſt Parocho: quia non debet aſſiſtere matrimonio invalido, & debet denunciare Epiſcopo, à quo ſi facta denunciatione compellatur aſſiſtere matrimonio, non peccat aſſiſtendo, licet ſciat adeſſe impedimentum, quia juſta cauſa fungitur ſuo munere; ſecus dicendum quandò Parochus ſcit in confeſſione aliquem habere impedimentum dirimens matrimonium, tunc non poteſt illi denegare matrimonium, nec uti ſcientia habita in confeſſione extra confeſſionem: in confeſſione autem debet admonere pœnitentem nè contrahat, neque tenetur Confeſſarius petere licentiam à Pœnitente, ut illum admoneat extra confeſſionem de impedimento dirimente, ſaltem ſi commode nequeat petere, vel admonere.

8 Parochus poteſt diſſimulare, & conjungere illos in matrimonium, quos novit obtinuiſſe diſpenſationem in foro conſcientiæ, nam ſicut non peccant contrahentes contrahendo, ſi nec Parochus diſſimulando, & illos conjungendo, ſi non adſit aliquis denuncians impedimentum apud Parochum: tunc enim non poteſt Parochus diſſimulare, & eos conjungere, ſed tenetur impedimentum deferre ad ordinarium, quando autem fuit obtenta diſpenſatio impedimenti occulti in foro interno, & poſtea detegitur, & publicatur impedimentum, debet impetrari ratificatio diſpenſationis in foro externo: & contrahenter per judicem ſeparandi, donec obtineant dictam diſpenſationem.

De iis quæ pertinent ad uſum Matrimonii.

Utrum conjuges peccent non reddendo ſibi debitum conjugale. Cap. 200.

1 CONjuges regulariter peccant mortaliter, non reddendo debitum alteri conjugi petenti expreſſe, aut tacite, niſi habeant juſtam cauſam denegandi debitum, quia contrahentes matrimonium obligantur ex contractu matrimonii, ſeu ex juſtitia ad reddendum debitum. 1. *Corinth.* 7. dicitur Vir uxori debitum reddat.

2 Non peccat Conjux negando debitum, quando Conjux petit benevole, & ami-

amicè: quando raró negat debitum, quando petitus non ſtatim reddit, ſed differt per aliquod breve tempus. Quando alter conjux frequentius petit, quàm par ſit: quando remiſsè, & frigidè petit, aut rogatus facilè acquieſcit.

3 Vir non ſolùm tenetur reddere uxori expreſſe petenti, ſed etiam petenti tacite, ut quando cognoſcit habere voluntatem petendi; ſed non petit propter verecundiam, uxor verò non tenetur reddere debitum viro, niſi expreſſè petat, quando tamen vir non audeat petere ob puſillanimitatem.

4 Conjux peccat mortaliter, qui ſe mediis illicitis reddit impotentem ad reddendum conjugale debitum, & tenetur iſtam circumſtantiam in confeſſione exprimere, hic autem non peccat, quando petitus non reddit ratione impotentiæ, ſed peccavit quando ſe fecit impotentem, nec conjux vitæ aſperitate, & jejunio poteſt extenuare vires, ut non poſſit reddere debitum, nec uxor debet ſe ità vigiliis tradere, ut deformis viro efficitur, undè vir alias fœminas quærat: undè licitum eſt tàm viro, quam uxori frangere jejunium, ſi jejunium impedit reddere debitum: & fœminam deformem evaſuram. Conjux autem non poteſt diu abeſſe ab altero conjuge, niſi alter conjux conſentiat: ex juſta autem cauſa poteſt excuſari reddendo debito, ut eſt periculum vitæ, & notabilis infirmitatis.

5 Febricitans non tenetur reddere debitum, dum ſanguinem à vena extraxit &c. undè obligatio ad reddendum debitum intelligitur ſalva incolumitate perſonæ, & ideò excuſatur à reddendo debito ſtatim poſt prandium, quòd copula tunc ſolet eſſe cauſa gravis detrimenti: excuſatur etiã fœmina, quæ moreretur in partu: nec tenetur conjux ſanus redere debitum alteri leproſo, quando adeſt periculum infectionis: idem dicendum, quando adeſt periculum contractionis morbi Gallici, quando tamen neſciebat antè matrimonium ipſum eſſe tali morbo infectum: poteſt tamen reddere cum hujuſmodi morbus non tendat ad mortem, & maximè ad vitandam incontinentiam: & ſic tenetur reddere quamvis ſit periculum infectionis in prole naſcitura, nam meliùs eſt prolem naſci cum infectione, quam nullo modò naſci.

6 Conjux non peccat non reddendo debitum ebrio, aut furioſo, quia non poteſt humano modo: non peccant Conjuges non reddendo debitum, quando lactatur infans, ſi advertatur id futurum eſſe perniciosum proli, ut quando, iſti ſunt pauperes, & non poſſunt tradere prolem lactandam: graviter autem peccat negando debitum, nè multiplicentur filii, poſſunt tamen de communi conſenſu abſtinere à copula conjuges; ſecluſo incontinentiæ periculo, & præſertim excuſantur, quando non habent facultates ad filios alendos, item non peccat fæmina negando debitum, quandò non poteſt filios vivos in lucem edere, nam magnum periculum ſubit ex morte fætus in ventre.

Utrum conjuges poſſint reddere debitum ſupervenientente inter ipſos affinitate, vel cognatione ſpirituali.
Cap. 201.

1 QUi ſcienter contraxit affinitatem, vel cognationem ſpiritualem cum propria uxore poſt celebratum matrimonium, non poteſt petere debitum, ſed tenetur reddere, nam alter habet jus petendi, & æquum non eſt, ut alter innocens abſquè ſua culpa privatur jure ſuo.

2 Uxor non privatur jure petendi, quando commiſit inceſtum cum conſanguineo in primo, vel in ſecundo gradu per vim abſolutam coacta habere copulam, cum enim caret culpa, non debet ſubire pœnam privationis debiti, ita non privatur iure petendi debitum, quando commiſit inceſtum ex metu gravi incuſſo à viro, vel ab alio, nam hujuſmodi metus excuſat: non enim credibile eſt Eccleſiam velle punire hac pœna eos, qui ex metu gravi non ſervant ſuam legem, ſecus dicendum; quando uxor commiſit inceſtum ex metu levi, quia ſicut metus levis non excuſat à culpa, ita nec à pœna.

3 Conjux, qui poſt contractum matrimonium factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius conjugis ex ignorantia invincibili juris, vel facti, non privatur jure petendi, quia jura prohibent debiti petitionem, quando ſcenter contrahitur affinitas, vel cognatio ſpiritualis: undè qui copulam habuit cum conſanguinea uxoris in primo, vel ſecundo gradu, neſciens ex

 hujuſ-

huiuſmodi copula conſurgere privationem juris petendi debitum ab uxore, non privatur jure petendi, quia ignorantia pœnæ excuſat ab incurrenda privatione juris petendi debitum.

Utrùm Conjux poſſit, & teneatur reddere debitum conjugi petenti illicitè.
Cap. 202.

1 Conjux poteſt, & tenetur reddere debitum alteri conjugi petenti illicitè ob ſolam circumſtantiam perſonæ facta prius fraterna correctione, ut illum à petendo avertat, quòd ſi correctio non profit, vel non ſperetur profutura, tenetur ille reddere debitum, ſecùs ſi alter conjux peccat non ſolùm illicitè, verùm etiam injuſtè, aut ſine jure petendi, ut accidit, quandò petens contraxit affinitatem cum altero conjuge per copulam habitam cum conſanguineo alterius conjugis in primo, vel ſecundo gradu, aut quandò petens adulteratus eſt, & nondum obtinuit gratiam reconciliationis ab altero conjuge, aut quandò contraxit cognationem ſpiritualem baptizando filium communem extrà neceſſitatem, vel illum ſuſcipiendo in Baptiſmo, vel Confirmatione, in his enim caſibus, cum petens ſit privatus jure petendi non tenetur conjux petitus reddere petenti.

2 Non poteſt conjux reddere debitum alteri conjugi petenti illicitè ob circumſtantiam actus, quia quilibet tenetur continere ſe ab actu illicito: undè tenetur obtinere à reddendo, quandò actus eſt illicitus ob circumſtantiam, quæ afficit ipſum actum; & propterea ſicut unus illicitè petit, ita alter illicitè reddit, tamen reddens non toties peccat reddendo, quoties petens peccat petendo.

3 Non debet reddi debitum conjugi petenti in loco ſacro, niſi fortè adſit magna neceſſitas, poteſt tamen petere, & reddere debitū ſuæ uxori, quam ſcit eſſe obſtrictam voto caſtitatis: etiam ſi ipſe conſenſerit in illius votum, modò non intenderit renunciare juri ſuo, ſed ſolùm permiſerit eam facere quidquid vellet, quia vir non amiſit jus petendi debitum per votum caſtitatis, factum ab uxore, ita etiam conjux petitus tenetur reddere petenti, quandò uterque conjux eſt obſtrictus voto caſtitatis, modò ipſi conjuges non intenderint remittere ſibi obligationem reddendi debitum; nam ſi habuerint intentionem remittendi ſibi obligationem reddendi, non poteſt conjux petitus reddere debitum abſquè peccato, nam facit contrà votum reddendo, cum alter non habeat jus petendi ob remiſſionem factam illi qui petit illicitè, cum peccato veniali ob circumſtantiam actus, non eſt reddendum debitum; ſecus ſi petit illicitè propter circumſtantiam perſonæ reddendum eſt debitum, undè conjux non debet reddere debitum, quandò alter petit modo indebito quoad ſitum, niſi adſit juſta cauſa, ob quam excuſatur à petendo tali modo, quia petit illicitè ob circumſtantiam actus, & propterea quando adeſt cauſa, vel neceſſitas, nec erit peccatum veniale ita petere, vel reddere, ut quandò vir tetro accedens cognoſcit uxorem in vaſe ordinario naturali, eo quòd ſit periculum fœtus, ſi ordinario ſitu congrediatur.

Utrùm Conjuges teneantur reddere debitum, quandò adeſt ſcrupulus vel dubium, vel opinio vel certitudo de invaliditate Matrimonii.
Cap. 203.

1 Uterque conjux poteſt petere, & reddere, quandò poſt matrimonium bona fide ab utroque contracto ſub oritur ſcrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii, quia ſcrupulus non eſt ſufficiens ratio ad privandum hominem jure ſuo: immo, licitum eſt operare contra ſcrupulum, ſed conjux, qui bona fide contraxit matrimonium, & poſteà dubitat de valore matrimonii non poteſt petere debitum antequam adhibuerit debitam diligentiam ad aſſequendam veritatem: tenetur tamen dubitans reddere debitum alteri conjugi potenti, qui non dubitat de validitate matrimonii, quia alter habet jus petendi, & eſt in poſſeſſione, ſi verò conjux dubitans de valore matrimonii bona fide, & abſquè dubio contracti, poteſt non ſolum petere, verùm etiam reddere, quandò poſt dubium adhibuit debitam diligentiam ad aſſequendam veritatem, ſed veritas comperta non eſt, tunc enim laborat ignorantia invincibili, quæ eſt illa, quæ vinci non poteſt adhibita ſufficienti diligentia, & ignorantia invincibilis excuſat

à pec-

à peccato, quando verò uterque conjux poſt matrimonium bona fide contractum dubitat de valore matrimonii, neuter poteſt petere antè diligentiam ſufficientem adhibitam, nec poteſt delectari de copula cogitata, aut de tactibus, qui licitè excercentur inter conjugatos, poſt verò diligentem inquiſitionem uterquè poteſt delectari, petere, & reddere, etiam ſi veritas nondum comperta ſit.

2 Quando verò unus ex conjugum ſcilicet petens dubitat de valore matrimonii alter non tenetur reddere ſi nolit, poteſt tamen reddere ſi velit, quia cum ipſe non dubitat de validitate matrimonii, retinet jus reddendi, & petendi, ſi verò conjux dubius de valore matrimonii bona fide contracti, ſed nondum conſumati, ſi non adhibuit diligentiam, non poteſt reddere in illo primo bimeſtri ante conſummatum matrimonium, nam liberum eſt conjugi negare debitum primis duobus menſibus, ſi verò debitam diligentiam adhibuit, poteſt etiam in priori bimeſtre petere, & reddere, quia poſſeſſor bonæ fidei adhibita ſufficienti diligentia poteſt uti matrimonio.

3 Conjux, qui mala fide contraxit dubium de aliquo impedimento dirimente non poteſt petere debitum, niſi poſtea cognoſcat, vel probabiliter opinetur nullum ſubeſſe impedimentum, quia nullum jus petendi acquiſivit per matrimonium cum tali dubio contractum, tenetur tamen reddere alteri petenti qui bona fide contraxit nec ullum habet dubium de validitate matrimonii, nam habet jus petendi, nec poteſt ſuo jure ſpoliari ob malam fidem alterius, donec conſtet invalidum eſſe matrimonium, ſed quando uterque conjux, mala fide contraxit dubius de aliquo Impedimento dirimente, ſeù de validitate matrimonii neuter poteſt pete re, vel reddere, quia uterque poſſidet matrimonium mala fide: idem dicendum, quando conjux bona fide contraxit matrimonium, poſteà incipit opinari matrimonium invalidum eſſe, nam non poteſt petere debitum quacunque diligentia adhibita, ſi adhuc perſeverat opinio de invaliditate matrimonii: quando tamen haberet probabiliorem opinionem prò utraque parte, tunc poteſt petere, reddere, quia poteſt ampiecti quam vult opinionem, quando verò opinatur matrimonium mala fide contractum eſſe invalidum non poteſt petere; tenetur autem reddere alteri, qui bona fide contraxit.

4 Conjux qui certò moraliter novit adeſſe impedimentum dirimens non poteſt petere, vel reddere debitum: qui cognoſceret feminam quæ non eſt ſua uxor: & ita peccaret mortaliter peccato fornicationis; nec poteſt conjux reddere debitum conjugi ignoranti invaliditatem matrimonii: quia ſi poſſet reddere, ſequeretur fornicationem aliquando eſſe licitam, quod eſt falſum.

5 Quando conſtat matrimonium eſſe invalidum propter impedimentum dirimens quod non poteſt manifeſtari ſinè infamia, vel ſinè vitæ periculo, vel quandò eo manifeſtato adhuc compelletur conjux ab Eccleſia per cenſuras permanere in eo matrimonio, eo quod non poſſit probare impedimentum, remedia ſunt quatuor, primum ut conjux conſcius impedimenti petat diſpenſationem, quandò eſt diſpenſabile, ſecundum ut fugiat in locum, ubi ceſſet ſcandalum, tertium ut petat divortium ſi adeſt cauſa petendi: quartum ut habitet cum conjuge, ac ſi eſſet frater, & ſoror, modò non ſit periculum peccati carnalis.

6 Conjux non tenetur credere alteri conjugi dicenti ſe fictè conſenſiſſe in celebratione matrimonii, vel habere aliud impedimentum dirimens, licet hoc aſſerat cum juramento, quia veriſimilius eſt ipſum modò mentiri, quam mentitus fuerit in contractu principali: poteſt tamen credere ſi adſint aliæ ſufficientes circumſtantiæ, & conjecturæ, quibus tenetur credere & propterea non poſſe petere, nec reddere, nec quandò unus atteſtetur adeſse impedimentum tenetur credere, quia uni tantum neceſſario non creditur, ſed duobus fide dignis credendum eſt, ſi autem conjux hoc audivit à viro fide digno, tenetur abſtinere à matrimonio contrahendo ſi non dum contraxit: ſi vero jam contraxit, tenetur dubitare de validitate matrimonii, undè non poteſt petere donec adhibuerit debitam diligentiam: contra dicendum ſi non audivit à viro fide digno, quia dictum viri, qui non eſt fide dignus non exhibet ſufficientem rationem dubitandi, undè poteſt petere debitum.

Digitized by Google

dit uxori cauſam proximam adulterandi, ut quando conſcius adulterii uxoris non vult prohibere; ſecus dicendum, quando fuit occaſio adulterii uxoris, poteſt ab eo fieri divortium, ut quando uxor adulteratur, eo quod vir iratus eam expulerit domo, aut neceſſaria alimenta denegaverit, aut debitum recuſaverit: tertia eſt, quando uxor commiſit adulterium tantùm materialiter, credens illum cum quo commiſit adulterium eſſe proprium virum, aut credens mortuum eſſe priorem virum: quarta eſt, quando uxor carnaliter cognita eſt per violentiàm: quinta eſt quando unus conjugum commiſit adulterium invincibiliter ignorans illum, cum quo adulteratus eſt non fuiſſe proprium conjugem, ſexta eſt, quando conjux innocens condonavit alteri adulterium expreſſe per verba, aut tacitè per ſigna.

* *Alexand. VII. die 24. Settemb. 1665. damnat banc. propoſitionem. Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoq ue ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

5 Quando uterque conjux commiſit adulterium, ſi alter ſit emendatus, poteſt hic petere divortium ab altero non emendato: quando tamen emendatus admonuit alterum ut ſe corrigeret, & noluit, ſed denuo lapſus eſt, in adulterium; conjux autem innocens poteſt facto divortio cogere adulterum, ut ad ſe redeat, nam ſententia divortii facta eſt in favorem innocentis: undè poteſt revocare eam, modò tamen alter non ſit ingreſſus in religionem, & fecerit profeſſionem, vel ſuſceperit Sacros ordines, cum enim ſtatus aſſumptus immutabilis ſit, conjux non habet jus revocandi, & licet conjux innocens poſſit gratiam reconciliationis concedere adultero ad petendum debitum, non verò poteſt concedere inceſtuoſo, qui copulam habuit cum conſanguinea conjugis innocentis in primo, vel ſecundo gradu. Adulter autem facto divortio non habet actionem repetendi innocentem, qui adulteravit poſt divortium, poteſt tamen judex ſua auctoritate illos conjuges reconciliare, nam ſententia divortii non abſtulit jus ſuperiori, ne poſſit conjuges ſeparatos quoad thorum, & habitationem iterum conjungere ad vitanda pericula incontinentiæ, immò tenetur hoc facere, quando adeſt ſcandalum, vel manifeſtum incontinentiæ periculum, ratio autem quod adulter non habet actionem ad repetendum, eſt, quia res jam tranſiit in judicatum, nec eſt retractandum, quod ſemel benè fuit definitum.

6 Conjux adulter occultus poteſt petere debitum ab altero conjuge ignorante ſuum adulterium, quia conjux innocens non poteſt adultero injungere pœnam privationis debiti, niſi delictum ſit cognitum, nec ipſe adulter occultus tenetur ſuum delictum manifeſtare: immò non ſolum adulter occultus, ſed etiam publicus, vel qui eſt per ſententiam ſeparatus poteſt amicabiliter petere debitum, qui licet ſi privatus in jure petendi, tamen poteſt debitum petere ut acquirat ius amiſſum, quod poteſt acquirere per reconciliationem ſibi conceſſum à conjuge innocente.

7 Sponſus habens vitium occultum, ſi celebravit validè ſponſalia poteſt cogere alterum ſponſum ignarum illius vitii, aut leviter dubitantem de vitio, ut ſtet ſponſalibus, etiam ſi alter ſponſus ſi noſſet illud vitium poſſet reſilire à ſponſalibus.

8 Vir innocens; poſt ſententiam divortii poteſt invita uxore profiteri in religione, vel ſacros ordines ſuſcipere: caveat tamen ne ordines ſacros ſuſcipiat, aut religionem ingrediatur, quando delictum alterius eſt occultum: fieri enim poteſt, ut non probato delicto reſtituatur uxori adulteræ, aut ſequatur ſcandalum, tranſitus autem ad religionem, vel ordines, licitus eſt non ſolum ob divortium factum ob adulterium, ſed etiam ob divortium factum ob ſævitiam, tunc enim conjux innocens, & ſanæ mentis poteſt ordines ſuſcipere, vel profeſſionem emittere, modò tamen divortium ſit abſolutum, & perfectum, nec adſit ſpes, ut conjux fureus, vel ſecus ad priſtinum redeat ſtatum, quia conjux ob temporale impedimentum non privatur ſimpliciter jure matrimonii. Conjux verò adulter non poteſt abſque licentia innocentis ordines ſuſcipere, aut profiteri in Religione: nam innocens habet jus concedendi reconciliationem conjugi adultero, & illum repetendi; quo jure non poteſt injuſtè privari, de licentia verò conjugis innocentis tacita, vel expreſſa poteſt conjux alter Sacros ordines ſuſcipere, aut profiteri in Religio-

ligione, ita etiam ſi poſt ſententiam Divortii adulter ſæpiùs petat ab innocente reconciliationem, & innocens nolit eam concedere, poteſt adulter eligere ſtatum religionis, quia conjux innocens cenſetur tunc dare licentiam, & ſic non poterit poſteà revocare adulterum, qui ſacros ordines ſuſcepit, aut profeſſionem, aut votum emiſit.

9 Conjux innocens remanens in ſæculo, poſt quam adulter ſuſcepit ſacros ordines, vel profeſſus eſt, non tenetur religionem ingredi, aut votum caſtitatis emittere, nam ad hoc nullo jure probatur teneri: idem dicendum quando innocens facto divortio ingrediatur religionem, nam adulter manens in ſæculo non tenetur emittere votum caſtitatis, vel ingredi religionem.

10 Multæ ſunt cauſæ ſufficientes ad faciendum divortium non perpetuum quoad thorum, & habitationem, ſed quandiù ipſæ cauſæ durant, prima eſt ſævitia mariti, ſeù periculum gravis damni, quando tamen ab ipſo ſufficiens cautio non exhibeatur, de non offendenda conjuge, quæ ſævitia intelligitur non ſolum de præterita ſed etiam quando eſt timor de futura, undè uxor poteſt à viro recedere, donec vir dederit ſufficientem cautionem de non offendenda conjuge: ſecunda cauſa eſt furor alterius conjugis, qui eſt ita vehemens, ut alter conjux periculum ſubeat cohabitando; tertia eſt quandò unus conjugum tentavit alterum occidere: quarta eſt quandò alter conjux inſtigat alterum ad peccatum, & præmiſſa correctione non deſiſtit ab inſtigando, in quo caſu conjux inſtigatus timens ſibi lapſum poteſt recedere: quinta eſt quandò delictum unius conjugis poteſt eſſe alteri cauſa gravis damni; ſexta cauſa eſt lapſus unius in infidelitatem, vel hæreſim, qui lapſus eſt quædam fornicatio ſpiritualis, ob quam licitum eſt facere divortium; ſicut eſt licitum ob fornicationem carnalem; ſeptima eſt votum communi conſenſu emiſſum, in quo caſu poſſunt conjuges ſeparari quoad torum, & ambo religionem ingredi, & in ea profiteri.

11 Filii facto divortio jure civili ſequuntur partem innocentis.

De Peccatis contingentibus in celebrando contractu matrimonii, & in uſu matrimonii jam celebrati. *Cap.* 205.

1 QUi intrà quatuor menſes poſt peractas denunciationes non contraxit matrimonium, non poteſt matrimonium inire, niſi novas denunciationes præmittat arbitrio Epiſcopi; ita Cardinalium Congregatio ſtatuit: immò hic Mediolani exiſtimo repetendas eſſe omnes denunciationes, quandò matrimonium non eſt celebratum intra menſem, ut patet ex decretis provincialibus.

2 Qui matrimonium contrahit cum peccato mortali nondum deleto per confeſſionem, vel per contritionem, ſicut recipit indignè ſacramentum, ſic peccat mortaliter.

3 Conjuges poſt contractum matrimonium debent benedici debito tempore, non autem peccant mortaliter conſummando matrimonium antè benedictionem, qui autem omittit benedictiones ſine contemptu non peccat mortaliter; nam cum ſint tantùm Sacramentalia, illorum emiſſio non videtur ſufficiens ad peccatum mortale, licet illarum ſuſceptio in jure præſcribatur, quæ benedictiones fieri poſſunt ab Ordinario, vel à Parocho ſponſi, vel ſponſæ, vel ab alio Sacerdote de ipſius licentia, ſi verò alius Sacerdos abſque licentia Parochi, vel Ordinarii benedicat ſponſis, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem ab officio: donec ab Ordinario Parochi abſolvatur, ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.* Religioſus etiam benedicendo abſque licentia incurrit ſuſpenſionem; nullus autem conjugum poſt mortem primi conjugis, tenetur in ſecundo matrimonio recipere benedictiones, etiam ſi fortè primum matrimonium fuerit invalidum; nam benedictiones non reſpiciunt nuptias, ſed perſonas, & ideò ſi perſonæ ſemel eas receperunt non aſtringuntur ad illas denuo recipiendas, poſſunt tamen eas recipere in iis locis, ubi conſuetudine eſt, ut uterque eas recipiat, nam conſuetudo poteſt abrogare legem.

4 Multis modis peccare poſſunt conjuges in uſu matrimonii jam contracti, ut explicatur his duobus verſibus:

Si

Google

Sit modus, & finis, ſine damno, ſolve, cohere

Sit locus, & tempus, tactus, nec ſpernito votum.

Sit modus: peccatur contra modum, quando non ſervatur ſitus, & modus congrediendi, aut quando non ſervatur debitum vas, aut quando ſemen voluntariè extra vas funditur.

Finis; Conjuges debent ſibi conſtituere finem honeſtum, ſcilicet ob creationem filiorum, ſugam incontinentiæ, aliter peccant ratione mali finis, quem ſibi conſtituunt, nam qui accedit ad propriam uxorem cum cogitatione alterius perſonæ graviter peccat pro qualitate perſonæ, undè ſi mente revolvit uxorem alterius committit adulterium mentale exprimendum in confeſſione; ita accedens animo accedendi etiam ſi ſua non eſſet, peccat peccato adulterii interni, quia habet delectationem moroſam, & pravam intentionem de re mortaliter mala.

* *Innocentius XI. die 2. Marti 1679. damnat hanc propoſitionem. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac defectu veniali.*

Sine damno: accedens ad uxorem tempore menſtrui naturalis, ut plurimum eſt peccatum veniale, non autem tempore menſtrui innaturalis, & continui; uxor autem non tenetur reddere debitum viro petenti tempore menſtrui, quia actus habet quamdam turpitudinem, & ideo peccat venialiter reddendo, niſi adſit juſta cauſa reddendi tunc temporis: eſt etiam peccatum mortale accedere ad uxorem cum periculo abortus; ſed ſecluſo abortus periculo non eſt licitum accedere ad uxorem gravidam, nam nulla ratione probatur hoc eſſe illicitum, periculum autem abortus eſt, quando formatur, ſeù animatur fœtus, vel quando conjuges congrediuntur proximè ante partum, undè vir incurrit irregularitatem, quando eſt cauſa abortus accedendo ad uxorem.

Solve: non eſt neceſſe conjuges in actu matrimoniali ſimul ſeminare, quia ſecundùm probabiliſſimam ſententiam, ſemen fœminæ nec activè, nec paſſivè concurrit ad generationem: ſi autem vir poſtquam ſeminavit ſe retrahat ante ſeminationem uxoris, uxor poteſt ſe tactibus excitare donec ſeminet; quia aliter gravem ſentiret afflictionem, & illi tactus ordinantur ad completum actum conjugalem, qui conſiſtit in utriuſque ſeminatione: & licet ſemen uxoris non ſit neceſſarium ad generationem, tamen eſt valdè utile: quia juvat ad formandum pulcriorem fetum: hoc tamen non valet in viro, qui tactibus ſe polluit poſtquam fæmina ſe retraxit, nam prodigeret ſemen inſtitutum à natura ad generationem, & propterea peccat etiam mortaliter vir, qui copula incæpta deſiſtit à ſeminando, quando uxor jam ſeminavit, quia eſt contra finem generationis, quæ poſtulat ut conſummato coitu ex parte fœminæ conſumetur etiam ex parte viri; ſecus dicendum quando vir poſtquam ſeminavit ſe retrahit de conſenſu uxoris antequam ipſa ſeminet ſecluſo tamen periculo incontinentiæ in fæmina. Senex poteſt coire ſi ſpem habet ſeminandi intra vas, utitur enim jure ſuo: quando autem non poteſt effundere ſemen intra vas, non poteſt uti copula: licita eſt etiam copula uxori, quæ poſt coitum non poteſt ſemen retinere intra vas, quia iſta expulſio ſeminis evenit per accidens, & præter intentionem, & uxor ſemper retinebit ſemen neceſſarium ad generationem expulſo ſuperfluo, ſed ſi fæmina poſt copulam ſtatim mingit, vel aliquid aliud facit ut receptum ſemen effundat, peccat mortaliter, quia facit contra finem ad quem inſtitutum eſt ſemen à natura, pollutio autem inter conjuges extra vas debitum habet ſpeciem adulterii, quia conjux non ſervat fidem alteri datam de corpore illi caſtè cuſtodiendo: quæ circumſtantia neceſſariò explicanda eſt in confeſſione,

Cohære. Conjuges tenentur ſimul cohabitare, ut ſuſcipiant prolem, & vitent fornicationem, & propterea uxor tenetur ſequi virum, quando nullum extat pactum in contrarium, vel quando uxor non poteſt illum ſequi abſque gravi danno animæ, vel corporis: vir autem non poteſt alio habitationem transferre, quando promiſit uxori non transferre, quia tenetur promiſſionem ſervare, modo non ſuperveniat juſta cauſa, non transferendi, undè tenetur uxor ſequi maritum, qui pellitur in exilium, aut ex-

com-

ctus, & expreſſus, quia ſunt ſufficienter voluntarii, niſi parvitas materiæ aliquando excuſet motus ſenſualitatis volitos indirectè, qui ſunt quando voluntariè fiunt aliqua, quæ & ſunt cauſa motus, ſunt peccata venialia, quando ſcilicet aliquid fit venialiter malum, quod eſt cauſa motus quia adeſt voluntarium ſufficiens ad hoc ut imputetur ad peccatum veniale, quando verò motus ſunt voliti indirectè, quando ſcilicet voluntas negative ſe habet, non impediendo, vel non reprimendo motus, quos poteſt reprimere, exiſtimo eſse peccata mortalia; nam ut motus ſenſualitatis ſint peccata mortalia, nihil aliud requiritur, niſi ut ſint voliti in tanta quantitate, quanta ſufficit ad peccatum mortale: unde cum motus ſenſualitatis poſita advertentia ſint voluntarii per ſolum interpretativum conſenſum, quo voluntas negative ſe habet, erunt peccata mortalia ſuppoſita tanta quantitate, quanta ſufficit ad peccatum mortale, & ideò motus ſenſualitatis ſunt peccata mortalia quando poſita advertentia, & quantitate ſufficienti motuum, voluntas illos non reprimit; unde cenſetur illos poſitivè velle; major autem quantitas motuum requiritur ad peccatum mortale, quando conſenſus eſt virtualis, & interpretativus quam quando eſt directus, & expreſſus.

Utrum delectio moroſa de re venerea vel turpi ſit peccatum.
Cap. 207.

1 Delectatio moroſa de ſola cogitatione rei illicitæ non eſt ex ſe peccatum, quia delectatio eſt actus inefficax, qui bonitatem, & malitiam ſumit ex motivo, unde ſi caret bono fine erit otioſa, & venialis, ſi habeat motivum mortaliter malum, vel ſit conjuncta cum periculo peccandi mortaliter, erit mortalis, ſi vero habeat motivum bonum erit bona, quia ſpeciem ſumit à motivo, delectatio de turpi, & mala eſt mala juxta motivum ipſius delectationis, ſeu juxta rationem formalem, ratione cujus delectatio fertur in objectum; unde delectatio de aliquo actu carnali, ut de fornicatione, tactibus, vel oſculis eſt peccatum mortale; ſi delectatio ex affectu carnali capiatur ab eo, qui non eſt conjugatus; ille excuſatur à peccato mortali, qui delectatur, & ridet de ſubtili aliquo modo, & dexteritate, quam quis ingenioſe adhibuit in furando, &c. modo hujuſmodi delectatio non capiatur ex malo motivo: excuſantur etiam ii à peccato, qui ob bonum finem delectantur de homicidio alias ſecuto, licet injuſto; quatenus eſt utile ab ſublevandam miſeriam innocentis, vel de fractione jejunii ob bonum finem; ita excuſatur, qui pollutionem deſiderat ob bonum finem, modo eam non procuret, & deſiderium non ſit ita intenſum, ut poſſit eſſe cauſa pollutionis.

2 Qui delectatur de malo proximi ut eſt malum ipſius, peccat mortaliter, quia eſt motivum odii, ita peccat, qui gaudet de malo proximi, vel triſtatur de ejus bono quia eſt peccatum invidiæ; peccat autem venialiter, qui ſe laudat, vel jactat de aliquo peccato veniali, vel de bono opere, vel qui facit bona opera ob vanam gloriam, modo ex ea laude, aut vana gloria non ſit periculum gravis damni proximi, & modo non conſtituatur ultimus finis in illa laude, & vana gloria, quia peccaret alioquin mortaliter, ut peccat mortaliter, qui ſe laudat de peccato mortali, immo novum peccatum ſcandali committit ſi ob ſuam laudem, & approbationem ſit cauſa, ut etiam aſtantes approbent peccatum, nam eſt cauſa peccati aſtantium: quando autem aliquis laudat ſe vel alium non de peccato ſimpliciter, ſed tantum de aliquibus illi adnexis, ut de induſtria, de fortitudine, &c & non approbet, vel habeat affectum ad peccatum mortale, non peccat mortaliter, ſic non peccat mortaliter, qui delectatur de cibis ob guſtum, qui ex ipſis percipitur, licet delectetur in die jejunii, quia motivum non eſt mortaliter malum, nec Eccleſia prohibet ſimplicem delectationem: peccat autem mortaliter, qui habet voluntatem furandi, vel adulterandi, niſi pœnam timeret ſibi à judice infligendam, quia ille actus licet ſit ſimpliciter inefficax, eſt tamen efficax ſub conditione: vellet enim furari, & adulterari, niſi parata ſibi eſſet pœna.

3 Non peccant mortaliter conjuges, qui in abſentia alterius conjugis delectantur de actu conjugii præterito, vel futuro, ac ſi actus

actus præſens eſſet, quia delectatio ſumit bonitatem, & malitiam à motivo, qui in hoc caſu eſt actus externus conjugii ſeù venerea delectatio externa, quæ in conjugatis licita eſt ratione matrimonii; undè ſicut actus matrimonialis licitè conſumatur inter conjuges, & excuſatur à peccato mortali, ita etiam interna delectatio ſuſcepta in abſentia alterius conjugis, excuſatur à peccato mortali propter præſens matrimonium; tactus autem quibus conjuges delectantur, licet non ſint peccata mortalia, tamen tactus, quibus aliquis conjux provocat ſe ad libidinem in abſentia conjugis non excuſantur à mortali, quia non ſunt actus conjugales, quia non ordinantur ad copulam; ſic etiam vidua, quæ de actu conjugis præterito, & ſponſa quæ de actu matrimonii futuro carnaliter delectatur peccat mortaliter, quia delectatio ſumit bonitatem, & malitiam ab objecto formali, & à motivo, qui iſtius delectationis eſt actus venereus conjugalis, apprehenſus ſub ratione delectabili: ergò ſicut actus externus venereus reſpectu ſponſæ, aut viduæ non eſt licitus, ita neque licita eſt delectio, quæ de illo actu capitur non conſtante matrimonio; non autem peccant mortaliter, quando delectantur de actu conjugii, non apprehenſo ſub ratione delectabili, ſeù ex affectu venereo, ſed ob finem aliquem honeſtum, ſeù ob commoditatem, aut utilitatem aliquam honeſtam.

4 Diſcrimen eſt inter delectationem, & deſiderium, nam deſiderium fertur in rem futuram, ut futuram, delectatio verò in objectum aliquo modò præſens, undè delectatio ſponſæ de actu conjugii, apprehenſo ſub ratione delectabili eſt peccatum mortale, quia ſecundum apprenſionem habet motivum aliquo modò præſens, quod eſt illicitum, ſicut eſt illicita externa delectatio venerea, nondum conſtante matrimonio, deſiderium verò copulæ futuræ tempore matrimonii non eſt peccatum mortale: quia non fertur niſi in actum, & rationem bonitatis futuram, ut futuram, & in actum licitum ratione matrimonii futuri.

5 Non poteſt dari parvitas materiæ excuſans veneream delectationem à mortali peccato, quia quilibet tactus, & motus, ſeù delectatio venerea ex ſua natura tendit ad ſeminis emiſſionem: ſicut autem ipſa ſeminis emiſſio eſt mortale peccatum, ita quælibet moroſa delectatio, ſeù tactus, vel motus ſenſualitatis eſt mortale peccatum, & quamvis ſemen non effundatur, nec ab homine intendatur, adeſt tamen ipſius periculum, ſeù finis operis, cum opus ipſum talem finem reſpiciat, licet ab operante non intendatur; alius enim eſt finis operantis, alius operis, undè in praxi aſſeritur quemlibet ſenſualitatis motum plenè voluntarium eſſe peccatum mortale: ſicut etiam tutius in praxi aſſeritur, quamlibet diſtillationem ſeminis voluntariam cum carnis commotione eſſe mortale peccatum, nec poſſe dari parvitatem materiæ excuſantem à mortali.

6 Delectatio moroſa non eſt ejuſdem ſpeciei cum opere externo, ſed eſt tantum illius ſpeciei cujus eſt motivum ſeù ratio formalis, ob quam ſumitur delectatio, excepta delectatione venerea, de qua eſt ſpecialis difficultas, ut inferius dicetur, eſt autem ejuſdem ſpeciei tantum cujus eſt motivum, quia delectatio totam ſuam malitiam ſumit à motivo, & non reſpicit opus externum, ut executioni mandandum, & proptereà ſi ſumatur delectatio ex uno motivo habente unam tantùm deformitatem, & malitiam, etiam ipſa delectatio eandem ſolùm malitiam habebit, non verò habebit eaſdem malitias, quas habet opus externum, conſequenter in confeſſione ſufficit accuſare ſe de illa malitia, quam habebat motivum delectationis, undè delectatio, quamquis habet de homicidio Titii, non ex diſplicentia perſonæ Titii, ſed quia eo ſecuto data eſt illi facultas cognoſcendi carnaliter Bertam alias uxorem Titii, habet ſolum malitiam fornicationis, ſed venereæ delectationes ſunt ejuſdem ſpeciei cum opere externo; ideſt habent eandem ſpecie malitiam, quam habet opus externum, quia delectatio venerea non ſolum eſt mala ex malo motivo, ſicut ſunt cæteræ delectationes, ſed etiam eſt mala ex cauſalitate, quam ex natura ſua habet in opus externum: nam quando adeſt delectatio venerea in voluntate, ſequitur etiam delectatio in appetitu, in quo vim habet excitandi ardorem corporis, & convocandi materiam libidinis ex diverſis partibus uſquè ad perfectionem delectationis, & actus,

actus, & propterea in confeſſione explicanda eſt circumſtantia perſonæ circa quam fuit delectatio.

7 Non eſt peccatum habere actum deſiderii, & velleitatis de re aliqua illicita ex motivo honeſto, vel ſub conditione, qua per impoſſibile, vel poſſibile poſita, actus ille non eſſet peccatum, quia actus inefficax totam ſuam malitiam habet à motivo, ſi ergò motivum non eſt malum, neque malus eſt actus: motivum autem non eſt malum, quando actus non fertur ſimpliciter, & abſolutè in objectum, ſed ex motivo, ſub conditione, ſi liceret, &c. licet ergò de facto objectum non ſit licitum nullum committitur peccatum, quia voluntas non cenſetur velle objectum illicitum, ſed ab illo refugit, undè excuſantur ii qui habent propoſitum, & deſiderium ſumendi vindictam de inimico ſub conditione (ſi liceret, vel niſi eſſet peccatum, vel niſi eſſet offenſa Dei) non enim eſt voluntas peccandi, ſed potius refugit ab illo opere; ſic excuſatur, qui habet deſiderium ſuſpendendi latrones ſi eſſet judex, vel qui dicit: vellem Bertam eſſe meam uxorem, aut vellem copulam habere cum Berta ſi eſſet mea uxor, (modo cum deſiderio non habeat adjunctam delectationem ſenſualem; ſic excuſatur, qui in die jejunii dicit, (ego comederem carnes ſi liceret, vel niſi prohibitum eſſet ab Eccleſia,) ſic excuſatur Sacerdos qui habet deſiderium ducendi uxorem, ſi non eſſet religioſus, vel non haberet votum: contra non excuſatur, qui dicit (ſi Titius moreretur ego magno perfunderer gaudio,) deſiderat enim illi malum abſquè bono motivo, nec excuſatur à mortali Religioſus ſi dicat (niſi rationem mei ſtatus haberem, ſeù niſi meum ſtatum inſpicerem; ſeù niſi meum ſtatum extimarem profectò te occiderem vel furarer, &c. (nam graviter peccat ſi verè haberet voluntatem committendi illa mala, niſi talem ſtatum haberet: quia dicitur deſiderium de turpi; nec Sacerdos excuſatur, quando dicit (niſi eſſem religioſus vellem committere fornicationem,) quia non adeſt motivum ſufficienter honeſtum: excipitur autem ab hac doctrina delectatio carnalis, & ſenſualis, quæ ſub conditione ſi liceret capitur ab eo, qui non eſt conjugatus, quia delectatio carnalis non ſolum eſt mala ratione motivi, propter quod dicitur ipſa delectatio, ſed etiam eſt mala ob cauſalitatem, quam habet ad libidinem explendam: nam delectatio carnalis, undequaq; accerſit, & convocat materiam libidinis, & ex ſua natura diſponit ad conſummationem actus, undè qui delectatur de copula cogitata cum fœmina ſub conditione ſi liceret, qua conditione ſcit hujuſmodi copulam eſſe vere deſtitutam non excuſatur à mortali, quia illa delectatio, quæ eſt intriſece mala ſumit ſuam malitiam non ſolum à motivo, ſed etiam à caſualitate, undè eſt damnanda, cum non adſit ſufficiens cauſa illam permittendi.

De oſculis, tactibus, turpiloquio, & aſpectu.
Cap. 208.

1 Oſcula, & amplexus, licitè fiunt, quando fiunt cauſa amicitiæ ſecundum conſuetudinem patriæ, quia ſunt ſigna mutuæ benevolentiæ, & delectationem ex ipſis ſequentem non eſſe illicitam addunt doctores, nam ſicut licitum eſt delectari de amicitia, ſic eſt licitum delectari de eius ſigno, quòd eſt oſculum, ſecus dicendum ſi fiant inter ſolutos cauſa delectationis carnalis, ſeù animo fruendi delectatione venerea, quia ſunt peccata mortalia illius ſpeciei ad quam ordinantur, nam ordinantur ad coitum, tanquam ad finem: & propterea qui oſculatur conſanguineam animo fruendi delectatione venerea, peccat mortaliter peccato inceſtus.

2 Oſcula, tactus, & amplexus, qui fiunt cauſa delectationis ſenſus, quæ percipitur in ipſis ſunt peccatum mortale, quia hanc delectationem natura inſtituit, ut medium ordinatum ad generationem, & ad copulam: cum autem copula non ſit licita inter eos, qui non ſunt conjugati, ſic neque licita eſt hujuſmodi delectatio ſenſualis; ſecus dicendum ſi fiunt cauſa amicitiæ juxta conſuetudinem patriæ non ſunt peccata: immò ſi fiunt joco, vel cauſa vanitatis, ſeù levitatis non videntur peccata pluſquam venialia, modo non adſit periculum conſenſus in delectationem ſenſualem, ſeù veneream, qui tunc eſſet peccatum mortale.

3 Tactus, & oſcula in conjugatis excuſantur à mortali, etiam ſi capiantur ob delectationem abſquè intentione copulæ conjugalis, modo non adſit periculum pollutionis extra vas: tactus vero impudici in-

ci inter ſponſos de futuro non excuſantur à mortali, quia proximè diſponunt, ad copulam, quæ non eſt illis licita, ſed oſcula, & tactus non impudici, qui poſt ſponſalia abſoluta fiunt cauſa delectationis, excuſantur à multis doctoribus, modò non fiant in partibus pudiendis, & non ſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam: licet contrarium aſſerere, ſit etiam probabile, ſed prima ſententia mitior, ſecunda vero tutior, & probabilior, undè tactus impudici inter marem, & fæminam, inter quos non ſunt celebrata ſponſalia, ſunt illiciti, etiam ſi fiant abſquè delectatione, quia ſunt luxurioſi ex objecto, & ex natura ſua habent adiunctam delectationem ſenſualem, & multo magis ſunt illiciti, ſi fiant cauſa delectationis, ſic etiam non ſolum licitum eſt mari impudicè tangere fæminam, & è contra, verùm etiam illicitum eſt tangere propria pudenda cum venerea delectatione, ſi quis verò ea tangat ex curioſitate, vel levitate, vel cauſa caleſaciendi manus non peccat mortaliter, quia in hujuſmodi contactu non adeſt tanta turpitudo, quanta eſt in contactu alieno, quamvis contactus alienus fiat abſquè delectatione: ex juſta autem cauſa, aut neceſſitate licet tangere pudenda propria, & aliorum: quia tunc tactus eſt moraliter honeſtus, ut accidit, quando adeſt neceſſitas medendi, quamvis indè præter intentionem conſurgat aliquis turpis motus. Mulieres tamen, & præſertim virgines non tenentur à viris admittere hoc genus medendi in partibus inferioribus.

4 Fæmina mortaliter peccat, quando advertit ſe ab alio libidinoſe tangi, & ſe non retrahit, vel non impedit contactum, quando tactus ſunt impudici, ſeu quando tactus non niſi inter impudicos fieri ſolent, quando verò tactus ſunt extrinſecus oneſti, & fiant juxta conſuetudinem patriæ ad indicandum benevolentiam in aliorum pręſentia, & in publico, fæmina non peccat mortaliter ſe non retrahendo, & non repellendo alterum, nam repellendo ingereret animis adſtantium ſuſpicionem peccati: ſi verò fiant in ſecreto peccat mortaliter contra charitatem non impediendo, ſi commode poteſt, nam quilibet ex charitate tenetur curare quantum commodè poteſt, nè alter peccet, quando verò tactus, ſeu actus non ſunt impudici, & fæmina dubitat an bono, vel pravo animo fiant, tenetur ſe retrahere, dum hujuſmodi tactus, ſeu amplexus in ſecreto fiunt, & fæmina rationabiliter dubitat pravo animo fieri: tunc enim utitur jure ſuo, & ſaluti proximi conſulit.

5 Levis tactus manuum, vel pedum fęminæ, aut digitorum intorſio, ſentio in hac materia non eſſe laxandas habenas, cum ſit materia valde periculoſa: nec facile prędictum contactum, ſi fiat cum delectatione venerea excuſarem à mortali; tangere verò, & oſculari pueros, & eorum carnes cum magna ſuavitate, non eſt peccatum mortale, quia hoc non fit ex venerea voluptate, ſed ex amore puro illius teneræ ætatis.

* *Alexand. VII. die 18. Martii 1666. damnavit hanc propoſitionem. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

6 Aſpectus fœminæ, vel aliarum perſonarum ob curioſitatem pulcritudinis, non eſt peccatum mortale, etiam ſi fiat propter delectationem, quæ ſenſu capitur, modo non adſit periculum turpis, & venereæ delectationis, vel alterius luxuriæ, quia non reperitur tanta turpitudo in aſpectu, quanta in tactu; ſunt tamen aliqui aſpectus, de ſe impudici: qui ſunt mortales, etiam ſi non fiant ob malum finem, ut quandò vir aſpicit pudenda fœminæ, aut quando fæmina aſpicit pudenda viri: nam hujuſmodi aſpectus multum incitat ad libidinem, unde non excuſatur à gravi peccato, niſi forte ob curioſitatem fit tam brevi tempore, ut non ſit periculum magnæ commotionis in corpore; erit autem peccatum mortale cernere concubitum viri cum fęmina, etiam ſi fiat ex ſola curioſitate, nam hic aſpectus eſt impudicus, nimiſque provocat ad libidinem, non autem exiſtimo eſſe peccatum mortale aſpicere coitum brutorum: in confeſſione autem eſt aperienda circumſtantia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio mortalis in aſpiciendo, quia hæc delectatio eſt ejuſdem malitiæ, cujus eſt actus conſummatus: ſic puella, quæ ſe præbet aſpiciendam adoleſcenti, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam, peccat mortaliter peccato generali ſcandali, quando data opera

ſepræ-

ſe præbet illius conſpectui abſque ulla neceſſitate, ſeu potius ex quadam vanitate; non ignorans illius turpem amorem: ſecus ſit faciat ex aliqua neceſſitate, vel utilitate, aut ne privet ſe ſua libertate, vel jure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram.

7 Turpiloquium ſi fiat animo oblectandi ſe rebus ipſis turpibus narratis, & objectis immaginationi eſt peccatum mortale: ſi vero fiat propter delectationem, quæ ex narratione præciſè capitur abſque alia prava intentione, vel abſque actu venereo eſt peccatum tantùm veniale, niſi adſit ſcandalum aſtantium, unde intereſſe commediæ, turpia repræſentanti eſt peccatum mortale cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo alterius peccati gravis: non autem eſt peccatum mortale intereſſe comœdiis ob ſolam delectationem in verbis, quæ ob ſolam vanam curioſitatem audiuntur: Clerici vero, qui aſſiſtunt comœdiis, ſecluſo ſcandalo, vel alio periculo peccati, non peccant mortaliter, ſed deberent ab hujuſmodi nugis abſtinere, qui vero componunt, & repræſentant comœdias valdè turpes, & excitantes ad libidinem, peccant mortaliter, quia dant cauſam ruinæ, quamvis illam non intendant: idem dicendum de ſcribentibus turpia, & de iis, qui pingunt fœminas cum nudatis pudendis; ſic etiam peccant mortaliter illi, qui pudenda abſque juſta, & rationabili cauſa oſtendunt, aut cooperiunt veſte ita tenui, ut ab aliis conſpiciantur: idem dicendum de fœminis utentibus veſtibus ita tenuis, ut pectora, & mammillæ ſolum conſpiciantur: excuſari tamen poſſunt à mortali ſi hoc faciant juxtà conſuetudinem patriæ, & abſque prava intentione.

8 Choreæ non ſunt peccata mortalia cum ex ſe non ſint illicitæ, niſi fiant illicita ex aliqua circumſtantia, ut ſi fiant in loco ſacro. vel in tempore celebrationis divinorum officiorum, & impediant divina officia, aut ſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio, ut ſi fiant modo inhoneſto, aut mala intentione, aut ſi à Clericis ducantur ſublatis igitur his circumſtantiis, & ſublata peccandi occaſione, non peccant mortaliter, qui eas ducunt, etiam ſi eas ducant diebus feſtis, quia choreæ ſunt ſigna publicæ lætitiæ.

9 Mulier fucans faciem non peccat mortaliter, nec venialiter ſi ob cauſam rationabilem faciat, ſi verò abſque cauſa rationabili faciat, exiſtimo peccare venialiter peccato vanitatis, & levitatis: quia ornatus non eſt per ſe malus, ſed indifferens, nec repugnat charitati Dei, vel proximi, nec fæmina peccat mortaliter utendo alienis capillis, aut veſtibus pretioſis, & odoriferis, niſi hoc faciat intentione incitandi alios ad libidinem, aut niſi adſit lex aliqua particularis, quæ hoc prohibeat ſub mortali; non ex cuſatur tamen à veniali ob ſuperfluum ornatum, ob delicias, aut animi levitatem.

De pollutione, ſeu mollitie. Cap. 209.

1 Pollutio voluntaria eſt peccatum mortale, quia eſt contra ordinem naturæ, & contra naturam generationis, & 1. ad Corinth. 6. dicitur neque molles Regnum Dei poſſidebunt, ex quo deducitur mollitiem, ſeu pollutionem voluntariam eſſe peccatum mortale, cum excludat à Regno Dei, à quo non excludit veniale per ſe; pollutio autem, quæ contra, vel præter voluntatem ſequitur non eſt peccatum, nullum enim eſt peccatum, niſi ſit voluntarium, & propterea pollutio in ſemiexpergefacto non eſt peccatum mortale, cum non ſit ſufficienter voluntaria defectu pleni judicii, nec committitur peccatum mortale; quando pollutio ſequitur vi naturæ, vel quando ſequitur ex aliqua cauſa, quæ habet alium effectum; nam pollutio inde ſequens non cenſetur ſufficienter voluntaria, ut quando ſequitur ex ebrietate, vel ex commeſtione ciborum calidorum, vel ex aſpectu, vel ex locutione cum fæmina, modo non ſit intentio pollutionis, vel periculum conſenſus in illam: nec eſt peccatum mortale pollutio, quæ ſequitur ex agitatione itineris, vel curſus equi, vel ex poſitione corporis ſupini, vel ex tactu licito; ut ex amplexu juxta patriæ conſuetudinem: aliqui etiam excuſant pollutionem provenientem ex fricatione pudendorum facta ad ſedandum magnum pruritum, vel ex lotione partium pudendarum fæminæ facta ab ipſa ad purgandum fœtorem, nam iſtę cauſæ ſunt ex ſua natura licitæ & fiunt ex magna neceſſitate, & propterea pollutio inde ſequens, cenſetur ſequi præter intentionem, modo non adſit periculum conſenſus, nec eſt peccatum mortale

quando provenit ex cauſa venialiter luxorioſa, & leviter influente in pollutionem ut ex aſpectu curioſo, vel ex lectione curioſa, quia hujuſmodi cauſa leviter concurrit ad pollutionem.

2 Non eſt licitum procurare pollutionem propter ſanitatem, nec medicus poteſt præbere medicinam, quę nihil aliud operetur, quam incitare naturam ad pollutionem, quia eſt contra naturam generationis, & licet ſit licitum eiicere cæteras ſuperfluitates è corpore, non tamen licitum eſt expellere ſemen; quia non eſt pars ſuperflua; licitum tamen eſt ſumere medicinam reſolventem ſemen in ſanguinem, vel in alium humorem, quia non eſt contra naturam generationis: fęmina vero, quę propter ſemen corruptum patitur accidentia venenoſa, poteſt conari fricando, vel adhibendo medicamenta ad expellendum ſemen corruptum, quod eſt noxium ſanitati, etiam ſi indè ſequatur aliqua veri ſeminis emiſſio, nam illa emiſſio ſequitur per accidens ad expulſionem ſeminis corrupti, quod eſt ſanitati noxium, modo non ſit periculum conſenſus in pollutionem, peccatum verò mortale eſt procurare magnam commotionem ſpirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam diſtillationem, quia hæc actio eſt cauſa proxima pollutionis, & notabiliter in eam influit, & ſicut non licet procurare pollutionem, ita neque licet procurare dictam commotionem: Nec eſt licitum deſiderare pollutionem, vel de illa jam ſecuta gaudere ex affectu libidinis, vel propter delectationem ipſius, quia hoc eſſet conſentire directè in pollutionem, quod eſt peccatum, cum pollutio voluntaria ſit peccatum mortale.

3 Pollutiones ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi ſecundum ſe ſumantur, quia eandem habēt contrarietatem, & deformitatem contrà rectam rationem: per accidens autem poſſunt eſſe diverſæ ſpeciei ratione circumſtantiæ adjunctæ habentis diverſam ſpecie malitiam: nam ſi quis ſe polluendo, habeat delectationem moroſam, vel deſiderium alicujus perſonæ ſolutæ, vel conjugatæ, vel obſtrictæ voto propter malitiam pollutionis contrahit culpam juxtà qualitatem perſonæ, circa quam capit delectationem, vel deſiderium, & iſta circumſtantia eſt in confeſſione explicanda, quia talis eſt ſpecie malitia, qualis eſt finis, motivum ſeu objectum; qui verò ſe polluit inter crura alterius, inter mammillas alterius vel brachia, ſeu manus, ſeu in ore, ſeu alia corporis parte, non tenetur illam corporis partem aperire, cum iſtæ materialiter ſe habeant; ſed ſatis eſt aperire intentionem, ſeu finem, & qualitatem perſonæ cujus ope perpetrata fuit pollutio, non ſervata debita circumſtantia ſexus, aut vaſi debiti abſque concubitu.

4 Maritus non poteſt abſque peccato mortali deſiſtere contra voluntatem uxoris ab inchoata copula, quia faceret injuriam uxori, quæ habet jus petendi completam copulam, non autem mortaliter peccat retrahendo ſe à ſeminando de conſenſu uxoris: quamvis ipſa uxor non ſeminaverit, modo non ſit periculum pollutionis extra copulam, quia nulli facit injuriam, tamen hoc non eſt permittendū; quia frequenter eſt periculum pollutionis in altero conjuge, vel in utroque, dico inſuper maritum non poſſe abſque peccato mortali deſiſtere à copula, quando ipſe non ſeminavit, & uxor jam ſeminavit, niſi fortè adſit urgentiſſima cauſa deſiſtendi; quia ſi maritus deſiſteret prodigeretur ſemen fæminæ, & fieret contra finem generationis: non eſſet tamen peccatum mortale ſi fæmina ipſa ſe retrahere, vel conaretur non ſeminare, poſtquam maritus ſeminavit; quia nulli facit gravem injuriam ſe retrahendo, nec facit contra finem generationis: cum ſemen fæminæ non ſit neceſſarium ad generationem, quando autem adeſt urgentiſſima cauſa poteſt maritus relinquere imperfectam copulam, etiam ſi fęmina ſeminaverit, ut ſi grave periculum vitæ ſuperveniat perficiendo, vel ita exigat naturalis honeſtas, eo quod interim aliqui ſuperveniant advertentes ad illum actum; etiam ſi alioquin ſecutura ſit pollutio extra vas, nam hæc pollutio non cenſetur voluntaria, ſed præter intentionem, fornicans autem poteſt deſiſtere ab inchoata copula, etiam ſi fæmina renuat, aut etiam ſi illa ſeminaverit, aut etiam ſi adſit periculum effuſionis ſeminis, aut alterius peccati in muliere: quia quilibet tenetur ſe retrahere à peccato, idem dicendum de fæmina fornicante, poteſt enim ſe retrahere antequam vir ſeminet, etiam ſi ipſa ſeminaverit.

De.

De Nefando ſodomiæ vitio.
Cap. 210.

1 CLericus committens ſodomię peccatum meretur pœnam depoſitionis; immo Pius V. in extravaganti ſanxit, ut Clericus nujuſcunque ſit dignitatis, ſodomiam exercens privetur omni privilegio Clericali, omni beneficio, & dignitate Eccleſiaſtica: non autem incurrit in has pænas, ſi ſolum bis, auter hoc crimen admiſit: ſed qui frequenti uſu, & quaſi ex conſuetudine faciunt; & ad incurrendam hanc pænam neceſſarium eſt ut peccatum ſit in ſua ſpecie conſumatum: non enim ſufficit quælibet pollutio, vel immunditia cum aliquo: niſi intercedat coitus intra vas ordinarium illius delicti, in quo delictum conſumatur: quia lex puniens delictum requirit, ut delictum ſit conſumatum; reſervatio autem hujus caſus extenditur non ſolum ad agentem, ſed etiam ad patientem: quia tam peccatum patientis, quam agentis dicitur proprie ſodomiticum: Clericus autem propter has pænas Pii V. non tenetur in foro conſcientiæ cedere beneficio, officio, & dignitati, aut reſtituere fructus ante ſententiam judicis, quia hoc modo videtur recepta illa bulla: immo ſunt, qui aſſerunt hanc bullam non eſſe receptam in foro conſcientiæ, quia eſt, lex pænalis ad cujus executionem requiritur actio iudicis, puto igitur requiri ſententiam judicis, ita tamen, ut retrotrahatur ad diem commiſſi criminis, poſſit que ab altero beneficium impetrari, ac ſi vacaſſet die commiſſi criminis: nec non alteri poſſit conferri tanquam vacans cum primum delinquens fuerit condemnatus à Judice. Clericus autem propter hoc crimen non incurrit ſuſpenſionem, vel irregularitatem quamdiu delictum eſt occultum: quia ſuſpenſio, & irregularitas non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa: Sodomita vero publicus eſt irregularis: quia crimen infame, & enorme inducit irregularitatem.

2 Confeſſarii debent eſſe valde ſolliciti in hoc vitio extirpando, cum ſit graviſſimum, nec ab hoc crimine abſolvant, niſi facultatem habeat ab Epiſcopo: cum ſit Epiſcopo reſervatum in Diœceſi Mediolanenſi: caſus autem reſervatus ſi quando maſculus abutitur maſculo, nam abuſus maſculi cum fæmina non eſt proprie ſodomia, crimen erga ſodomiæ eſt caſus reſervatus, quando maſculus abutitur maſculo, aut quando fæminæ ſeſe ſupergrediuntur, & medio aliquo inſtrumento, vel ſine inſtrumento recipiunt ſemen intra vas naturale, vel præpoſterum, nam hæc eſt proprie Sodomia completa, quæ ſufficit etiam ad divortium.

3 Peccatum Sodomiæ habet malitiam etiam ſacrilegii, quando committitur cum Religioſo, vel Sacerdote, vel cum habente votum caſtitatis; ſicut habet malitiam injuſtitiæ, quando fit cum violentia contra alium: ſic etiam habet malitiam adulterii, quando fit cum conjugato, aut contra pietatem, & reverentiam debitam cognatis, quando perpetratur cum maſculo cognato intra primum, vel ſecundum gradum affinitatis, vel conſanguinitatis, quod peccatum licet non ſit vere inceſtus, cum non committatur intra vas debitum debiti ſexus, eſt tamen inceſtuoſum, cum ſit abuſus luxurioſus inter cognatos jure naturali prohibitus propter pietatem, & reverentiam debitam cognatis, & ideo in confeſſione explicanda eſt perſona, cum qua perpetrata eſt ſodomia, ſic quando ſodomia commiſſa eſt cum aliquo conſanguineo in linea recta explicandum eſt in confeſſione ſodomia habitam fuiſse cum conſanguineo, etiam ſi gradus ſit valde remotus: nam talis actus repugnat reverentiæ debitæ conſanguineis; non autem explicanda eſt circumſtantia cognationis legalis, vel ſpiritualis: nec explicandum eſt in confeſſione ſodomiam commiſsam fuiſse cum virgine; ſed ſatis eſt dicere commiſsam fuiſse cum fæmina, quia non violatur clauſtrum virginale, nec eſt explicandus in confeſſione tertius, vel quartus gradus affinitatis, vel conſanguinitatis in linea tranſverſa, quando peccatum ſodomiæ commiſsum eſt: quia iſti gradus ſolum inſtituti ſunt jure poſitivo humano ad impediendum matrimonium: jus autem humanum ſolum prohibet in his gradibus ordinarios concubitus cum debito ſexu, non extraordinarios, qui non impediunt matrimonium.

4 Vir conjugatus, qui præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuam uxorem, ſed actum perficit, & ſeminat in vas naturale

peccat mortaliter, quia utitur vaſe indebito, & Canones expreſſe ſentiunt propter attentationem hujus peccati poſſe uxorem petere divortium à marito.

* *Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit hanc propoſitionem. Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

De beſtialitate. Cap. 211.

1 Congreſſus cum Dæmone diverſis modis fieri poteſt: vel enim fit Dæmone apparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel in forma fœminæ; ob id dici ſolet fieri, vel cum Dæmone incubo, vel cum Dæmone ſuccubo: hoc autem peccatum cum Dæmone commiſſum præter malitiam beſtialitatis, habet malitiam ſuperſtitionis, quatenus includit ſocietatem cum Dæmone, quæ circumſtantia explicanda eſt in confeſſione, ſi autem ſeminat in vas naturale mulieris habet aliquam ſpeciem fornicationis, ſic etiam ſi habeatur copula cum Dæmone ſub ſpecie fœminæ, aut viri ſoluti, vel conjugati, committur culpa pro qualitate perſonæ, quæ apprehenditur, & ad quam dirigitur affectus.

2 Peccatum beſtialitatis non differt ſpecie pro diverſitate belluarum cum qui bus perpetratur, nam habet turpitudinem ejuſdem rationis, cum ſit concubitus cum re alterius generis, vel ſpecie, unde in confeſſione non eſt neceſſarium exprimere belluam, cum qua habita fuit copula; ſufficit enim dicere ſe congreſſum fuiſſe cum re alterius ſpeciei. Beſtialitas eſt caſus reſervatus in iis locis, in quibus eſt reſervata ſodomia, nam eſt peccatum grave.

De conjunctione naturali facta modo indebito. Cap. 212.

1 Conjunctio naturalis facta modo indebito eſt peccatum mortale, quoties intervenit tanta inordinatio, ut ſequi non poſſit generatio, fruſtratur enim finis generationis, ad quem inſtituta eſt copula: quando vero non impeditur generatio non contingit peccatum mortale, niſi adſit aliqua prava intentio, vel alia circumſtantia addens malitiam mortalem, ordinarie tamen eſt graviſſimum peccatum veniale; niſi aliqua neceſſitas excuſet, quando vir propter pinguedinem non poteſt congredi cum fœmina, niſi retro accedat, ut quando fœmina eſt gravida, & non poteſt cognoſci carnaliter, niſi e ratione, ſecluſa vero neceſſitate graviter reprehendendi ſunt conjuges ſic peccantes, nec eſt iniiciendus ſcrupulus peccati mortalis, quando non eſt periculum peccati mortalis.

De fornicatione ſimplici, & concubinatu. Cap. 213.

1 Species luxuriæ ſunt ſeptem, fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum raptus, ſacrilegium, & peccata contra naturam, fornicatio ſimplex eſt concubitus ſoluti cum ſoluta: ſoluti dicuntur, qui ſunt liberi à conjugio, à voto, ab ordine ſacro, à religione, & à cognatione, & eſt peccatum mortale, nec unquam licita eſt, quia eſt intrinſice mala: nec propterea dici poteſt licita, quia Dominus præcepit Oſeæ Prophetæ, ut ſibi ſumeret uxorem fornicariam: & filios de fornicatione ſuſciperet: quia hoc dixit, ut ſumeret illam, quę antea fuerat fornicaria, ut de impudica fieret pudica, & honeſta: dixit fornicariam, eo quod eſſet mulier gentilis, quæ dicebatur fornicaria ob fornicationem ſpiritualem: ideſt propter idololatriam, unde non poteſt dici fornicationem eſſe licitam.

* *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.*

2 Principes poſſunt permittere meretrices in aliquo loco civitatis, & qui locant domos meretricibus excuſantur à mortali etiam ſi eas poſſint aliis commodè locare, modo locent ad habitandum, non ad meretricandum quia utuntur jure ſuo, nec ex loco ſumi ſolet occaſio peccandi, modo non ſit aliqua ſpecialis commoditas, & aptitudo ad peccandum ratione ſitus, aut alterius cauſæ; & modo non immineat aliquod grave detrimentum perſonis honeſtis, quæ domos vicinas inhabitant.

Domi-

Digitized by Google

Dominos euntes ad meretrices, quando non poſſunt ab hujuſmodi comitatu deſiſtere abſque gravi damno, quia utuntur jure ſuo; idem dicendum de ſamula comitante concubinam in domum amaſii: ſic excuſatur ſamulus, qui ducit concubinam in domum Domini, vel fert munera, vel epiſtolam, quæ continet, ut meretrix ad ſe veniat; ſed non poteſt ſamulus deferre literas quibus expreſſe petitur concubina ad copulam, hoc enim eſt intrinſicè malum conjunctum cum cooperatione ad actum turpem, idem dicendum quando poteſt præſumere famulus in litteris contineri aliquid turpe: item excuſatur auriga, qui defert meretricem ab uno loco in alium, quamvis ſciat ipſam malè ſuo corpore uſuram, modo deferat ex juſta cauſa.

* *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam quia interdictam, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.*

4 Concubinatus eſt frequens, & conſueta fornicatio cum eadem perſona, unde requiritur conſuetudo, qua aliqui quodam modo ita cohabitant, ac ſi eſſent ſimul conjugati, fornicarius verò dicitur ille, qui copulam habet modò cum una, modò cum alia.

5 Concubinæ quæ leguntur in ſacris litteris fuerunt veræ uxores, & aliæ dicebantur concubinæ, quæ ſine publica ſolemnitate, & ritu conſueto ducebantur, & non admittebantur ad domeſticam familiæ gubernationem, unde permiſſum fuit hebræis duas uxores ducere, unam ſolemni ritu, alteram abſque ſolemni ritu, quod hoc tempore non eſt permiſſum.

6 Pænitens regulariter non eſt abſolvendus antequam dimittat concubinam, ſeu quādiù perſiſtit in proxima occaſione peccandi, quam tenetur ſtatim evitare, & quàm primùm poteſt relinquere, quia quamdiù pænitens non dimittit concubinam; non cenſetur habere ſufficientem dolorem, ac propoſitum vitandi peccata in futurum, & ideò non poteſt abſolvi, poteſt tamen aliquando abſolvi concubinarius, quando non poteſt dimitti concubina ſine gravi infamia, vel ſcandalo, vel alio gravi incommodo, nam poteſt tātum incommodum, & tanta difficultas adeſſe in occaſione relinquanda ut efficiat occaſionem non voluntariam, ita ut non dicatur occaſio proxima: opus tamen eſt magna prudentia in Confeſſario, ne abſolutionem impendat indigno *tom. 1. p. 377. n. 11.* Perſiſtenti autem in remota occaſione peccandi non eſt deneganda abſolutio, ut raro, ut ter vel quater in anno peccavit repentina libidine correptus, vel modo ſperat fore, ut non amplius relabatur, abſolvi poteſt, quia non dicitur eſſe in occaſione proxima: ita abſolvi poteſt concubinarius in articulo mortis exiſtens, ſi non poteſt tunc concubinam dicere, ſed habet firmum propoſitum illam ejiciendi, quàm primum poterit, ſecluſo verò mortis periculo non debet abſolvi antequam ejiciat concubinam, etiam ſi revera non ſit concubinarius ſed à populo credatur eſſe concubinarius, cum quoad ſcandalum aliorum perinde ſit, ac ſi revera eſſet, unde non debet abſolvi antequam divulgetur ipſum non eſſe concubinarium: poteſt item abſolvi filius familias, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam, cum qua peccare ſolet, modò habeat firmum propoſitum non peccandi amplius.

7 Poteſt Confeſſarius abſolvere adoleſcentem, qui ſæpius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate, nam hujuſmodi occaſio non cenſetur voluntaria, cum adoleſcens non poſſit illam expellere: Confeſſarius autem debet ſalutares pænitentias imponere, eſt tamen deneganda abſolutio pœnitenti, quando poteſt occaſionem mollitiei expellere, eamque non expellit; quia cenſetur eſſe in occaſione proxima, & voluntaria, quę poteſt abſcendi denegando abſolutionē.

8 Poteſt abſolvi ille artifex; qui in omni confeſſione accuſat ſe de fraudibus, & mendaciis commiſſis in arte, quam exercet, & quam non poteſt abſque notabili incommodo ſui, vel familiæ deſerere, modo eliciat dolorem de peccatis præteritis cum firmo propoſito non committendi amplius cum Dei auxilio hujuſmodi peccata, & modo habeat aliquam cauſam rationabilem non dimittendi illam artem.

9 Fornicator, qui modo cum una, modo cum alia congreditur poteſt abſolvi, modò firmo conſtantique animo deliberavit in poſterum non peccare, & modo nullam domi, vel alibi retineat; addunt aliqui poſſe aliquem abſolvi etiam ſi non relinquat occaſionem concurrentibus his

quatuor conditionibus: prima eſt dolor de peccatis præteritis: ſecunda eſt firmum propoſitum non peccandi in futurum: tertia eſt credulitas, qua credit ſe cum Dei auxilio non peccaturum, quando ſe in ea occaſione invenerit: quarta eſt rationabilis cauſa non ſeparandi ſe ab ea occaſione.

10 Concubinarii ſeculares poſſunt ab ordinariis locorum puniri, & excommunicari poſt trinam admonitionem ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 8. ubi ſubditur mulieres concubinarias, ſive ſolutas, ſive conjugatas poſſe extra oppidum, vel diœceſim ejici, ſi ter admonitę noluerint obedire. Presbyteri autem concubinarii notorii ſuſpendendi ſunt ab Epiſcopis ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 14. ubi notandum eſt, jus antiquum, quo notorius concubinarius erat ipſo facto ſuſpenſus correctum eſſe ſeu abrogatum per jus novum *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 14.

* *Alexand. VII. die* 18. *Martii* 1666. *damnat hanc propoſitionem. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

De Adulterio. Cap. 214.

1 ADulterium eſt graviſſimum peccatum, quia eſt contra charitatem: & contra juſtitiam, includit enim gravem injuriam contra alterum, cui data erat fides non communicandi corpus ſuum alteri: committitur etiam adulterium, quando conjux conſentit, & juri ſuo cedit, nam violatur obligatio vinculi Matrimonii, quod eſt indiſſolubile: gravius vero peccatum eſt quando fœmina congreditur cum duobus viris conjugatis, quam quando vir conjugatus congreditur cum duabus fœminis ſolutis, quia hoc vergit in præjudicium prolis, cum ſit incertum, cui nam ſit aſſignanda, marito ne, an adultero, eſt autem adulterium multo gravius peccatum, quando eſt adulterium ex parte utriuſque congredientis: quando ſcilicet uterque, qui copulam habet, eſt matrimonio junctus: quia duplex thorus violatur, & duobus ſit injuria, & utraque circumſtantia exprimenda eſt in confeſſione.

2 Multæ ſunt pœnæ adulterii: prima eſt, ut uxor adultera amittat dotem, quæ propter adulterium adjudicatur marito poſt ſententiam judicis Eccleſiaſtici: amittit arrhas, & munera propter nuptias, non tamen amittit paraphernalia, ſicut nec amittit dotem arrhaas, & munera dicta propter ſolos amplexus, vel oſcula impudica, ſecunda eſt, ut poſſit fieri divortium ab adultero: plura de his pœnis poſſunt videri in aliis auctoribus: Chriſtianus verò ſi copulam habeat cum fœmina infideli conjugata eſt adulterium: ſi verò habeat cum ſoluta eſt ſimplex fornicatio.

3 Adulter, qui filius ex adulterio ſuſceptum indubitanter credit eſſe ſuum, tenetur in ſolidum cum matre ad reſtitutionem damnorum, quę patitur verus maritus, & filii legitimi, vel hæredes; propterea adulter tenetur ad reſtitutionem alimentorum, quæ fecit maritus adulteræ in educanda prole ſpuria ſaltem poteſt tertium nativitatis annum: quia pater filii tenetur filium alere ſaltem à tertio anno poſt nativitatem donec filius ſibi alimenta procurare poſſit, & uſquè ad tertium annum jure communi ſpectat ad matrem alere filium: adulter autem non tenetur ad reſtitutionem, ſi probabiliter credit prolem non eſſe ſuam: licet etiam probabiliter credat eſſe ſuam: quia poteſt ſequi opinionem probabilem: ſed adulter mortuo marito adulteræ tenetur reſtitutionem facere illis, quos maritus adulterę inſtituiſſet hæredes, deficiente filio ſpurio, propterea ſi maritus adulteræ non habeat hæredes, nec aſcendentes, adulter non tenetur ad reſtitutionem, ſi non conſtet quoſnam conſtituiſſet hæredes: quia probabiliter credere poteſt fore, ut ipſam adulteram inſtituiſſet, quando autem duo adulteri cognoverunt unam, quæ concepit quando maritus abſens erat, uterque tenetur alere, & reſtituere pro ſua parte, & altero nolente, tenetur alter in integrum. Adulter etiam tenetur ad reſtitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hoſpitali in alenda prole ſpuria, modò adulter non ſit pauper, quia Domus hoſpitalis inſtituta eſt ad alendos pauperes, vel filios pauperum, immo tenetur ad reſtitutionem etiam pro tribus primis annis: nam mater tenetur alimenta lactis tribuere ſolum, quando commodè poteſt tribuere: unde ob periculum infamiæ expoſuit in hoſpitali prolem ad celandum delictum: inſu-

inſuper adulter, qui filium ſpurium reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ præter alimenta, tenetur etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, vel damno dotis, quam pater putativus tradit puellæ ſpuriæ credens eam eſſe propriam filiam; nec ſolus adulter, ſed etiam ipſa adultera æqualiter tenetur ad reſtitutionem; cum uterque ſit cauſa damni: non tenetur autem adulter ad aliquam reſtitutionem ratione adulterii, licet non ſuſceperit filium: quia non pro omni injuria debetur reſtitutio pecuniaria: ſed debetur pro injuria cum damno pecunia æſtimabili, & eo magis, ſi adulterium non ſit notum, quia ſi eſſet notum, & maritus adulteræ petat reſtitutionem pecuniariam, adulter non tenetur illam exhibere: tenetur tamen exhibere aliam ſatisfactionem, ut per veniæ petitionem. &c.

* *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnat hanc propoſitionem. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

4 Adultera, quæ eſt honeſtæ conditionis, & paſſim pro tali habetur, non tenetur manifeſtare adulterium cum periculo vitæ, vel famæ ſuæ ad impediendum damnum legitimis hæredibus, quamvis ampla hæreditas inter ipſos, & ſpurium ſit dividenda: etiam ſi credat fore, ut damnum, impediretur manifeſtando adulterium quia vita, & fama ſunt bona ſuperioris ordinis, quæ non ſunt exponenda pro reparandis damnis inferioris ordinis: quale damnum eſt damnum hæreditatis, vel ſucceſſionis, &c. vita autem, & fama eſt pretioſior, auro, & divitiis: quando autem non poteſt ſuum adulterium manifeſtare ſine vitæ, vel famæ periculo debet conari quantum poteſt damnum hæreditatis conpenſare: relinquendo filiis legitimis bona paraphernalia ſi habeat, vel alia acquiſita ex propria induſtria, unde ſi hac ratione damnum compenſet, ad nihil ultra tenetur: ſi verò hoc modo nequit compenſare, debet filium inducere, ſi poteſt commodè ad capeſſendam religionem: quæ non ſit capax hæreditatis, modò filius ad eam aptus ſit: & tam ipſa, quam adulter curare debet, quantum poteſt ne legitimi hæredes damnum patiantur, qui quando aliunde mater poteſt occurrere damno, non tenetur prodere ſuum adulterium cum periculo vitæ, vel famæ, quando verò damna, quæ proveniunt marito, vel hæredibus judicio prudentis præponderent, vel ſint æqualia famæ ipſius adulteræ, in iſto caſu juxta ſententiam DD. teneretur adultera prodere ſuum delictum ſi alia ratione non poteſt damna impedire, & probabilirer credit impedienda manifeſtando adulterium: quando verò dubitat ſuam manifeſtationem non profuturam, non tenetur manifeſtare.

5 Filius ſpurius debet credere, & non ſe immiſcere hæreditati filiorum legitimorum; quando mater ita probat, ut filius convincatur eſſe ſpurius, ut accidit, quando mater probat maritum fuiſſe impotentem, aut cum toto tempore, filius quo potuit concipi, fuiſſe abſentem: in quo caſu non poteſt adire hæreditatem, quia eſt moraliter certus, eam ſibi non deberi; quando verò filius non convincitur, non tenetur credere matri, etiam juranti: quamvis ſciat matrem fuiſſe ſolitam adulterari, quia alleganti ſuam turpitudinem cum alterius præjudicio, nulla debetur fides: quia favor matrimonii ſemper prævalet, nec filius tenetur credere matri aſſerenti cum juramento ſe eſſe ſpurium, aut in articulo mortis, ſi mater tempore conceptionis habitabat cum viro: & propterea non tenetur abdicare à ſe hæreditatem, vel eam hæreditatem, quam bona fide poſſedit tanto tempore, quanto opus eſt ad præſcriptionem: etiam ſi poſtea convincatur, & credat ſe eſſe ſpurium. Confeſſor autem debet uti magna prudentia, ne ultra modum compellat adulteram in articulo mortis detegere ſuum adulterium: quia filius non tenetur illi credere: quia fieri poteſt, ut ipſa liberetur ab infirmitate, & occidatur a marito: & quia raro prodeſt detectio, & manifeſtatio adulterii, nec eſſe conſulendum, ut adultera detegatur poſt mortem per Confeſſarium, quia periculum eſt, ut proles adulterina, vel Confeſſarius ipſe occidatur. Cauſa verò adulterii quando agitur de ſeparatione quoad thorum eſt fori Eccleſiaſtici, quia videtur cauſa ſpiritualis; quandò verò agitur de pœnis adulterii videtur eſſe mixti fori.

De Inceſtu. Cap. 215.

1 INceſtus eſt congreſſus cum perſona cognata intra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium, non enim poteſt contrahi matrimonium cum cognatis cognatione legali, vel ſpirituali, vel cognatione conſanguinitatis, vel affinitatis, non enim poteſt contrahi cum conſanguineis uſquè ad quartum gradnm; aut etiam cum affinibus uſquè ad quartum gradum: quando ſunt affines ex copula licita, aut uſquè ad ſecundum quando ſunt affines ex copula illicita cum omnibus his, quando committitur copula committitur inceſtus: qui etiam committitur per alios actus impudicos contra naturam quoad malitiam, quia hujuſmodi actus ſunt luxurioſi, & repugnant reverentiæ cognatis debitæ, eſt autem inceſtus graviſſimum peccatum mortale, & eſt gravius quo ad perſonam, cum qua copula habetur, & ſit magis conjuncta, vel ſit in gradu propinquiori: hoc autem peccatum in noſtra diœceſi uſquè ad ſecundum gradum tam in affinitate, quam conſanguinitate eſt reſervatum.

2 Omnes gradus, & omnes inceſtus ſunt ejuſdem ſpeciei: quia iſti gradus differunt tantum ſecundum magis, & minus: qui non variant ſpeciem, & quia non poteſt ulla ſufficiens ratio afferri ad oſtendendam diverſitatem ſpecificam inter hos gradus, in confeſſione autem gradus inceſtus exprimendus eſt; dicunt aliqui, quod non probatur, ſicut probatur non eſſe exprimendum, cum ſit circumſtantia aggravans, non mutans ſpeciem, quæ in confeſſione non eſt neceſſario exprimenda: ſicut copula inter Confeſſarium, & pœnitentem cum non ſit inceſtus non eſt circumſtantia neceſſario explicanda in confeſſione, eſt autem circumſtantia neceſſario confitenda, quando Confeſſarius ſollicitat pœnitentem in confeſſione, ut ſupra dictum eſt

3 Inceſtus commiſſus cum conſanguinea uxoris duos ſaltem parit effectus: primus eſt, ut ille qui commiſit inceſtum, non poſſit petere debitum à ſua conjuge, ſecundus effectus eſt, ut poſt mortem uxoris non poſſit aliam ducere, quod ſi ducat multi Doctores volunt non poſſe debitum ab ea petere abſquè diſpenſatione, quam poteſt Epiſcopus concedere.

De Stupro. Cap. 216.

1 STuprum ſtricte acceptum eſt concubitus, viri cum virgine fæmina, quo virginalis carnis integritas violatur: quare ſtruprum committitur ſolum dum virginale clauſtrum violatur. Stuprum autem habet malitiam ſpecie diſtinctam à fornicatione, neceſſario in confeſſione explicandam, ſive puella conſentiat, ſive ſit invita, quia ſi filia nubat inconſulto patre abſquè juſta cauſa peccat graviter contra pietatem paternam, ergo multo magis peccat, quando conſentit ſe violari, unde violans virginem conſentientem committit novum peccatum ultra peccatum ſimplex fornicationis, tum quia puella non habet dominium ſuæ integritatis corporalis, ſicut non habet dominium ſuæ vitæ, quia pater videtur habere ſpecialem curam corporis filiæ, ergo per ſtuprum ſit injuria patri cui commiſſa eſt cura corporis ſuæ filiæ; ſive filia conſentiat, ſive diſſentiat, nam per filiç conſenſum non ſubtrahitur filia à cura patris, vel tutorem, qui gerunt vices patris.

2 Puella velari poteſt, quando corrupta eſt per actus interiores, ut per delectationes venereas, aut per voluntariam pollutionem, quia adhuc eſt virgo virginitate naturali, cum adhuc retineat naturalem corporis integritatem, non poteſt autem velari, ſi per copulam corrupta fuit, quia non eſt amplius virgo non ſolum virginitate virtuoſa, ſed neque naturali: ſecus ſi per vim oppreſſa fuit, & copula eſt occulta, tunc enim velari poteſt: quia coram Deo eſt incorrupta, cum non peccaverit: tenetur tamen abſtinere ab officiis, quæ conferuntur virginibus conſecratis, ſi commodè poteſt abſquè ſcandalo: & infamia, cum enim illa officia ſint inſtituta pro fæminis virginibus, & non corruptis, puella debet ſe abſtinere ab illis, excuſando ſe aliquo titulo ſi poteſt, non tamen tenetur prodere ſuum delictum cum periculo infamiæ, aut ſcandali, quia Eccleſia non obligat cum tanto incommodo: poteſt etiam remedium adhiberi recurrendo ad diſpenſationem, quam ſolus Summus Pontifex concedit. Epiſcopus poteſt diſpenſationem concedere, addo ego hanc doctrinam valere in iis locis, in quibus uſu receptum eſt, ut diſpenſatio petatur: fieri enim poteſt, ut in aliquo loco, tàm

cor-

Digitized by Google

corruptæ, quàm virgines retineat officia abſque diſpenſatione ita permittente conſuetudine.

3 Qui per vim, aut fraudem, aut metum, aut mẽdacia copulam à puella extorſit abſque promiſſione matrimonii, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare, ut æque bene nubat; ac ſi virgo eſſet; quia alia ratione non poteſt reparare damnum: intercedente autem promiſſione matrimonii, eò magis certum eſt teneri eam ducere; fides enim alteri data ſervanda eſt; quando autem ſine vi, aut fraude copulam habuit cum fœmina conſentiente, non tenetur ad reſtitutionem, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione juſtitiæ, & ex injuria alteri illata: ſed qui copulam extorſit fæmina conſentiente non intulit injuriam, hoc tamen intelligitur modo ſtuprator non manifeſtaverit copulam occultam, nam ſi injuſte detexit copulam occultam, tenetur ad reſtitutionem famæ, & damnorum incrementi dotis, & cujuſuis alterius damni: ſecus ſi copula fuit ab alio detecta abſque cooperatione ſtupratoris.

4 Stuprator non tenetur ad reſtitutionem quando fæmina per vim, vel fraudem deflorata æque bene nupſit, ac ſi non fuiſſet deflorata, eo quod ſtuprum fuerit occultum, quia non eſt paſſa ullum detrimentum: tenetur autem ad aliquam reſtitutionem quando cognovit fæminam per vim, vel fraudem, quæ alias fuerat quidem cognita ab alio, ſed publicè habebatur virgo arbitrio prudentis viri ratione damni, & infamiæ, ob quam illa non poteſt ita commodè nubere: non autem tenetur ad reſtitutionem puellę, vel parentibus faciendam, quando puella condonavit ſtupratori obligationem reſtituendi, quia puella poteſt cedere juri ſuo, ipſi enim facienda eſt reſtitutio, non parentibus, idem dicendum ſi virgo deflorata obiit ante quam nubat, quia nullum ob id patitur damnum, quando autem quis, vi vel fraude, aut mendaciis ita ſollicitavit puellam, ut fuerit illi cauſa infamiæ ac ſi violaſſet, tenetur illam ducere, vel ita dotare, ut poſſit ęquè bene nubere ac, ſi non fuiſſet ſollicitata: ſecus dicendum, ſi ſollecitavit puellam cõſentientem.

5 Stuprator, qui copulam à puella impetravit vi, aut fraude, ſed puella non vult ipſum in conjugem accipere, aut parentes nolunt illi eam tradere, tenetur ad honeſtam dotem puellæ tradendam, quę poſſit alteri juxta ſui ſtatus conditionem nubere non autem tenetur ad reſtitutionem, quando copulam extorſit precibus importunis, vel muneribus, vel ſuaſionibus, ac blanditiis aſſiduis, modo non adſint minæ, vel metus & modo fæmina non conceſſerit copiam ſui animo repugnante, & quaſi coacta: quia hujuſmodi preces non auferunt voluntarium, nec tenetur ad aliquam reſtitutionem faciendam patri ſub cujus cura eſt ipſa puella, quæ deflorata fuit conſentiens, & non invita, quia damnum fuit illatum puellæ defloratæ, nec damnum fuit illatum patri, eo quod cogatur augere dotem, ut puella æquè benè nubat, qui hoc damnum eſt per accidens.

6 Filius non tenetur obedire patri præcipienti matrimonium, vel ingreſſum religionis, nec complere ſponſalia, quæ pater abſque ipſius conſenſu celebravit, quia cum matrimonium ſit vinculum, ac onus indiſſolubile, & quædam ſervitus, neceſſe eſt, ut liberum ſit filio adſtringere ſe huic vinculo, prout voluerit, niſi neceſſitas aliqua ipſum cogat ad obediendum patri, filius poteſt invito patre contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognovit, aut cui matrimonium promiſit. Parentes non poſſunt abſque juſta cauſa filium cogere, vel retrahere à matrimonio per metum, nam filius in hoc eſt ſui juris. Valida ſunt matrimonia, quæ fiunt inſciis, & invitis parentibus, quia filii ſunt ſui juris Eccleſia tamen prohibuit matrimonium celebrari inſciis & invitis parentibus, quia jure naturæ requiritur parentum conſilium, & eſt validè conſentaneum honeſtati, & propterea filius mortaliter peccat contrahendo matrimonium, non præmiſſo patris conſilio, niſi forte habeat juſtam cauſam contrahendi abſque ipſius conſilio. Judex poteſt interdicere matrimonium filiis familias, quando ſumptis legitimis atteſtationibus, ac informationibus conſiterit adeſſe grave ſcandali periculum: quia ipſi incumbit ſaluti ſubditorum conſulere, rixas tollere, & ſcandalum impedire, nec impeditur libertas matrimonii, quia hæc non debet familiæ, aut proximo nocere; per accidens enim impeditur, quatenus matrimonium celebrari non poteſt cum aliorum ſcandalo; nec obſtat vinculum

lum ſponſalium præcedentiam jam celebratorum: quia ſponſalia non obligant ad rem illicitam: nam ſponſus non tenetur perficere ſponſalia, quando ex eorum adimpletione grave imminet malum, ſeu ſcandalum; & propterea Prælatus poteſt impedire matrimonium contrahendum à filio familias cum aliqua indigna, quando ex ejus celebratione prævidet grave ſcandalum, ac rixas inter parentes, vel conſanguineos ſequuturas, etiam ſi ſequuta ſit copula ſub ea ſpe matrimonii: quod ego non facile admiſerim, niſi filius alia rati ne valeat occurrere damno ſponſæ defloratæ, cum ex juſtitia teneatur damnum ſponſæ evitare, aut niſi ſit tam grave ſcandali periculum, ut præponderet damno ſponſæ.

De Raptu. Cap. 217.

1 RAptus proprie dicitur, quando perſona aliqua invita, vel reſiſtentibus ejus parentibus, ſeu illis, ſub quorum cura eſt, abducitur per vim ad libidinem explendã, vel ad matrimonium contrahendum, & hujuſmodi raptor ſubjacet penis contra raptorem conſtitutis in *Tride. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform. matrim.* & matrimonium inter raptorem, & raptam eſſet invalidum: ſi rapta ſit ad contrahendum matrimonium: ſecus ſi rapta ſit ad explendam libidinem: ad raptum duo requiruntur, primo vis, unde quando fæmina ſponte, aut cum precibus diſcedit cum amatore, neſcientibus parentibus non eſt proprie raptus, ſed potius eſt fuga voluntaria; ſecus dicendum eſt, quando parentes ſciunt, & renuunt, vis enim infertur parentibus: aut quando diſcedit, precibus adeò importunis, ut æquiparentur violentiæ: ſecundo requiritur abductio cauſa libidinis, vel matrimonii, alias non committitur raptus proprie acceptus; qui committitur non ſolum, quando fæmina abducitur per vim ſive ipſa ſit virgo, ſive corrupta, ſive conjugata, ſed etiam quando vir abducitur per vim: exiſtimo tamen pænas Conc. Trid. non incurri per raptum viri: quia ſolum loquitur de raptore fæminæ: committitur etiam raptus ab eo, qui virginem repertam in domo patris, vel in alia domo, non e ducit de ea domo, ſed illam ibi opprimit aut trahit de uno cubiculo in aliud, ut illam commodius violet.

2 Tria pænarum genera conſtituta ſunt in Tridentino contra raptorem; prima eſt ut Raptor, & omnes conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, perpetuo infames, & omnium dignitatum incapaces, quæ excommunicatio jure communi non eſt reſervata, nam in Tridentino non fit mentio reſervationis; infamia autem, & incapacitas dignitatum incurritur ipſo facto ante ſententiam judicis, quas exiſtimo non tolli per ſubſequens matrimonium valide poſtea celebratum inter raptorem, & raptam, ut aperte conſtat ex verbis Concilii ibi: Secunda eſt ut raptor, ſive matrimonium contrahat, ſive non, tenetur ad decenter dotandum raptam arbitrio judicis: quoad alia vero damna tenetur jure naturæ etiam ante ſententiam judicis. Tertia eſt, ut ſit invalidum matrimonium celebratum inter raptorem, & raptam, dum rapta eſt in poteſtate raptoris, etiam ſi libere conſentiat: idem dicendum eſt de ſponſalibus, ut declaravit Congregatio Cardinalium, quia Concilium non ſufficienter providiſſet malo vitando: ſi ſponſalia, quæ inducunt obligationem ad matrimonium, eſſent valida: validum tamen erit matrimonium ſi fæmina conſentiat in matrimonium, poſt quam conſtituta fuerit in loco tuto, & libero, ſeparata a raptore, ut in Concilio dicitur: ſub nomine raptoris comprehenditur ille, qui puellam, cum qua contraxit matrimonium nondum conſummatum abducit invitam per vim; quando ipſa vult uti ſpatio duorum menſium ſibi conceſſo à jure ante conſummationem matrimonii, ut deliberare queat de ſtatu eligendo, & abducit eam ad explendam libidinem: quia facit illi injuriam, cum ſponſa habeat jus denegandi debitum intra bimeſtre.

De Sacrilegio in materia luxuriæ. Cap. 218.

1 SAcrilegium eſt peccatum luxuriæ, quo res ſacra violatur, ſive res illa ſit perſona Deodicata per votum; ſive ſit locus conſecratus; ſive ſit alia res ſacra: unde qui copulam habet, aut deſiderat habere cum moniali per votum Deo dicata, committit ſacrilegium, nam violat, vel ſaltem cupit violare perſonam ſacram: ſic Sacerdos, aut Religioſus profeſſus, aut

Cle-

Clericus ſacris initiatus committit ſacrilegium peccando carnaliter cum fœmina, vel patrando aliquod luxuriæ peccatum externum vel etiam internum, ſed gravius eſt peccatum, quando perſona ſacra conſentit in delectationem internam, vel externam tam circa aliam perſonam ſacram, quam circa aliam non ſacram, quę circumſtantia explicanda eſt in Confeſſione, licet non ſit proprie circumſtantia, ſed aliquid tenens ſe ex parte objecti, ideò dici poteſt duplex ſacrilegium, unum ex parte propria, alterum ex parte alterius: ſacrilegium item committitur ab eo, qui polluit aliquam rem ſacram per actum luxurioſum exercitum circa rem ipſam ſacram, facit etiam ſpecialem injuriam rei ſacræ, non autem facit ſacrilegium habens reliquias ad collum, & copulam habet cum fœmina: ſed committeret ſacrilegium, ſi daret alteri res ſacras ob actum luxurioſum, nam faceret injuriam rei ſacræ dando illas in pretium: ita committit ſacrilegium: quando copulam habet in loco ſacro abſquè neceſſitate, quia per copulam polluitur Eccleſia, ſive locus ſacer: cui ſit injuria, & neceſſitas accidit, quãdo periculum eſt incontinentię in aliquo conjuge, nec alibi eſt opportunitas coeundi. Non autem committit ſpeciale ſacrilegium, qui delectatur, vel concupiſcit fœminam exſtentem in Eccleſia: verba turpia, inſpectiones inhoneſtæ, & tactus etiam impudici facti in Eccleſia non habent malitiam ſacrilegii mortalis neceſſario explicandam in Confeſſione, modò periculum pollutionis non habeant adiunctum, nam per tales actus non violatur locus ſacer.

2 Pro loco ſacro intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, ut Cęmeteria, & Oratoria conſtituta auctoritate Epiſcopi, & deputata ad divinum cultum, ſecus dicendum eſt de Monaſteriis, dormitoriis, cubiculis Sacerdotum, vel religioſorum, & oratoriis privatis non conſtitutis de auctoritate Epiſcopi, quamvis enim loca ſint ſacra, ita ut gaudeant immunitate Eccleſiæ, non tamen ita ſunt ſacra, ut copula, vel pollutio in illis habita habeat malitiam ſacrilegii, niſi in ipſis extet altare ad facienda Divina; non autem eſt ſacrilegium copula habita in Eccleſia auctoritate Epiſcopi deſtructa, cum non ſi locus ſacer, modo non ſit deſtructa, ut iterum reædificetur: quia tunc eſt etiam locus ſacer, & gaudet immunitate, & illud ſpatium, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori uſquè ad pavimentum, dicitur locus ſacer, & propterea non violatur locus ſacer, quando copula habetur ſupra tectum Eccleſiæ, aut ibi aliquis occiditur, nec violatur, quando copula habetur extra parietes Eccleſiæ, non eſt ſacrilegium, quando copula habetur in aliquo loco ſubterraneo Eccleſiæ, modò non ſit ſepultura: nec eſt ſacrilegium copula habita in campanile, nec eſt ſacrilegium copulam habere, aut aliquem interficere in porta Eccleſiæ extra limen: nec eſt ſacrilegium habere copulam in Eccleſia diruta, cum non ſit amplius Eccleſia: committitur autem ſacrilegium, quando copula habetur in Capella de nuovo addita Eccleſiæ, aut in aliqua parte: quia pars addita eſt unum corpus cum priori.

3 Eccleſia polluitur per voluntariam ſeminis humani effuſionem in ea: ideſt hominis etiam pagani, aut fœminæ, non autem bruti, & ſit voluntaria; nam in ſomnis vel in vigilia coactè non polluit, cum non ſit voluntaria, nec eſt neceſſe, ut ſemen in terram ffundatur, nam loci Sanctitas violatur etiam ſi ſemen in terram non decidat; nec ſufficit parva diſtillatio, & modica humectatio, ſed debet eſſe effuſio, quæ importat aliquam copiam: polluitur etiam Eccleſia per injurioſam ſanguinis humani effuſionem in ea, aut quando detur cauſa naturalis offenſionis, aut mortis, quia ſi fiat ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab amente, vel à furioſo, vel a puero, uſum rationis nondum attingente, vel cauſa tegula cadente, non polluitur Eccleſia, cum talis effuſio non ſit proprè injurioſa: ſecus ſi aliquis per offenſionem effunderet ſanguinem in Eccleſia quia eſſet injurioſa: ita pollueretur ſi martyr in ea occideretur, nam eſſet actio injurioſa licet paſſio eſſet grata Deo, nec ſufficiunt duæ, vel tres guttæ, ſed requiritur aliqua ſanguinis abundantia, nec ſufficit emiſſio ſanguinis è naſo, ut accidit in rixa puerorum, ſaltem quando non ſufficit ad peccatum mortale, & ut Eccleſia polluatur, requiritur ut vulnus fiat in ipſa Eccleſia, quia ſi vulneratus extra Eccleſiam fundit poſtea ſanguinem in Eccleſia, non polluitur: ſecus dicendum quando aliquis vulneratur in Eccleſia, & ſtatim ſe recipit extra eam,

an-

Digitized by Google

anteqnam in ea ſanguinem emittat, nam in ea data eſt cauſa naturalis effuſionis, ſed polluitur abſque ſanguinis effuſione, cum ſcilicet per ſuffocationem aliquem occiditur, vel per carnificem ſuſpenditur, & cum polluta eſt Eccleſia cenſetur etiam pollutum Cœmeterium, quia Cæmeterium conſecratum gaudet eodem privilegio, quo Eccleſia; non autem polluto Cæmeterio, cenſetur polluta Eccleſia, Item polluitur Eccleſia, quando benedicitur, vel conſecratur ab Epiſcopo excommunicato publico, licet oppoſita ſententia ſit probabiliſſima, polluitur etiam Eccleſia, quando in ea ſepellitur excommunicatus vitandus, & ideò quando ſepellitur excommunicatus vitandus, illius oſſa proiicienda ſunt e loco ſacro, modo dignoſci poſſint ob oſſibus fidelium, ſic polluitur, quando in Eccleſia ſepelitur Paganus, aut infidelis, non vero quando ſepelitur Cathecumenus antequam ſuſceperit Baptiſmum, nam præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo flaminis: inſuper ego puto pollui Eccleſiam, ſi in ea ſepeliatur filius alicujus fidelis ante Baptiſmum: polluitur etiam Eccleſia, quando ejus parietes majori ex parte ita deſtruuntur, ut Eccleſia reædificari debeat, ſed hoc non eſt diceu.lum, ſi parietes non deſtruantur combuſto tecto, & aliis ornamentis.

4 Quando autem Eccleſia inter celebrandum violatur, Sacerdos debet miſſam inchoatam intermittere ſi nondum inchoatus eſt Canon, ſi autem ſit inchoatus debet miſſam abſolvere, nam Sacrificium inchoatum jure divino perſolvendum eſt ſive perficiendum, qui autem Eccleſiam polluit incurrit in caſum reſarvatum in noſtra Dioceſi, non autem Eccleſia polluitur, niſi delictum ſit publicum, unde non indiget reconciliatione, niſi delictum ſit publicum, quia ita uſu, & praxi receptum eſt, publice autem conſtare poteſt de pollutione Eccleſiæ dum evidentia facti, aut confeſſione delinquentis, aut alia ſimili ratione pluribus innotuit delictum in Eccleſia perpetratum fuiſſe.

5 Celebrans in Eccleſia polluta ab eo die, quo delictum in ea commiſſum publicatum fuit incurrit ſuſpenſionem, ut dicunt aliqui, quòd mihi non probatur; nam non incurrit ſuſpenſionem; vel irregularitatem celebrando miſſas, vel ſepeliendo aliquem, vel perſolvendo divina officia in Eccleſia polluta, quia nullo jure probatur talem penam incurrere, maxime cum pollutio Eccleſiæ non ſit cenſura: ſuſpenſio autem, vel irregularitas non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa.

6 Eccleſia polluta poteſt per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliari a ſimplici Sacerdote, ſi Eccleſia non erat conſecrata, habita facultate, & licentia neceſſaria ab Epiſcopo, ſive ejus Vicario Generali, ſicut uſus indicare videtur. Si vero Eccleſia erat conſecrata debet reconciliari ab Epiſcopo proprio, vel ab alio Epiſcopo de licentia proprii; vel ſaltem Epiſcopus diſpenſare debet, ut iterum in ea celebretur, non autem eſt neceſſaria reconciliatio, quando Eccleſia fuit occulte violata, & poſt violationem, antequam publicaretur violatio confectum in ea fuit miſſæ Sacrificium: nam Eccleſia cenſetur ſufficienter reconciliata per præſentiam Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

7 Unum tantummodo ſacrilegii peccatum ab eo patratur, qui cum ſit ſimul Sacerdos, & religioſus profeſſus committit aliquod luxuriæ ſcelus, idem dicendum de femina copulam habente cum Sacerdote Religioſo profeſſo; quia votum ſolemne caſtitatis ad nexum ordinibus ſacriſeſt ejuſdem rationis cum voto emiſſo in profeſſione: unde pœnitens accuſans ſe de copula ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe eſſe Religioſum, vel Sacerdotem, vel Diaconum, vel habuiſſe copulam cum Sacerdote quando autem quis habeat votum ſimplex & ſolemne caſtitatis committit duplex ſacrilegium per peccatum luxuriæ, & non ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe violaſſe votum caſtitatis, quia votum ſolemne differt ſpecie à voto ſimp'ici ex diverſis effectibus, quos ſolemne votum patitur, & quia fornicatio, ſeu aliud peccatum luxuriæ habet privationem perfectionis alio modo debitæ in aſtricto voto ſolemni, quiam habeat fornicatio in aſtricto voto ſimplici; ergo aſtrictus voto ſimplici, & ſolemni committit duplex peccatum; cum peccata diſtinguantur pœnes privationis perfectionum diverſarum, Sacerdos autem, qui confitetur confeſſario, a quo eſt bene cogn tus ſi commiſerit peccatum luxuriæ, non tenetur dicere ſe eſſe Sacerdotem, vel habere votum caſtitatis, quia confeſſarius ſciens ipſum eſſe Sacerdotem, ſufficienter cognoſcit

noſcit peccata ipſius carnalia eſſe commiſſa contra votum ſolemne caſtitatis.

DE CENSURIS: ALIISQUE PÆNSI Eccleſiaſticis.

De Natura, cauſis & conditionibus Cenſuræ.

Quid, & quotuplex ſit Cenſura. Cap. 219.

1 Cenſura eſt pæna ſpiritualis inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate privans hominem baptizatum uſu aliquorum ſpiritualium per ordinem ad ſalutem: cenſura enim cum ſit pęna ſpiritualis, & Eccleſiaſtica non poteſt imponi niſi à perſona Eccleſiaſtica, habente poteſtatem illius inferendæ, quod vero in Eccleſia exiſtat poteſtas inferendi cenſuras, res de fide manifeſta eſt, & ad bonum regimen in foro externo facit poteſtas ferendi cenſuras ex *Conc. C. ſeſſ.* 8. Subjectus cenſuræ debet eſſe homo baptizatus, nam infidelis non ſubditur cenſuris, quia non eſt baptizatus, & Eccleſia per cenſuras privat rebus ſpiritualibus, ut uſu Sacramentorum, participatione ſuffragiorum, &c uſu vero rerum corporalium privat ſolum ſecundario per ordinem ad ſpiritualia; cenſura autem non privat omnibus bonis ſpiritualibus, ſed aliquibus tantum, non enim tollit virtutes infuſas, nec privat actibus virtutum: nec intendit animæ perniciem, ſed abſtinentiam à peccatis: & propterea dicitur per ordinem ad ſalutem, unde in peccatorum pænam injungitur cenſura: peccatum autem mortale non eſt pæna Eccleſiaſtica, cum non ſit cenſura, ſed malum culpæ.

2 Cenſura triplex eſt; Excommunicatio ſuſpenſio, & interdictum: ceſſatio autem à divinis non eſt cenſura, ſed eſt ſimplex quædam prohibitio, nec Irregularitas eſt cenſura: quia non omnis irregularitas ponitur in pænam delicti, ſed aliqua ponitur ob defectum abſque delicto; nec eſt principaliter inſtituta ad corringendos fideles ut eſt inſtituta cenſura, ſic etiam depoſitio & degradatio non ſunt cenſuræ, quia cenſura poteſt auferri poſita emendatione delinquentis, depoſitio vero, & degradatio carent ſpe remiſſionis, unde depoſitio, & degradatio appellatur vinculum Indiſſolubile: cenſura vero vinculum diſſolubile.

3 Cenſura Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti alia eſt à jure, alia ab homine, à jure fertur à legiſlatore cum intentione condendi legem, ab homine fertur à ſuperiore aliquid præcipiente: quæ mortuo conditore ceſſat: à jure autem durat eo extincto, quæ ſolum ferri poteſt ab iis qui poteſtatem juriſdictionis habent condendi legem, cenſura item Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alia eſt latę ſententię, alia ferendę: latę ſententię incurritur ipſo facto abſque alia judicis ſententia; ferendę eſt ſolum comminatoria nec ipſo facto incurritur ante ſententiam judicis; in cenſura latæ ſententiæ apponuntur iſtæ particulæ ipſo facto, ipſo jure, aut latæ ſententiæ, vel ponuntur hæc adverbia confeſtim, ſtatim, ilico, continuo, ex tunc, omninò, prorſus, incontinenti, mox, protinus, vel quando cenſura ponitur per verbum præſentis, vel præteriti temporis, ut quando dicitur, qui hoc, vel illud fecerit excommunicatur, vel eſt excommunicatus, aut ſit excommunicatus, &c vel quando cenſura fertur per verba imperativi modi temporis præſentis, ut qui hoc, vel illud fecerit ſubjaceat excommunicationi, habeatur pro excommunicato &c. Cenſura verò ferendæ ſententiæ cognoſcitur, quando dicitur incurrat cenſuram comminatoriam, vel pręcipimus ſub pœna excommunicationis, &c vel quando cenſura fertur per verbum futuri temporis, ut qui hoc fecerit excommunicabitur, &c. quando autem dubium aliquod ſuboritur, an cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ tunc judicandum eſt cenſuram eſſe ferendæ ſententiæ.

Quænam ſit cauſa efficiens cenſuræ, ſeu quinam poſſint infligere cenſuras, Cap. 220.

1 Poteſtas ferendi cenſuras eſt de jure divino collata à Chriſto Summo Pontifici in reliquis vero mediante Summo Pont. ſed nulla cenſura eſt jure divino impoſita: in ferente autem cenſuras aliquæ con-

Digitized by Google

conditiones requiruntur: prima eſt ut ſit homo viator, ideſt vivens in hoc mundo: ideo beatus, aut Angelus non poteſt inſligere cenſuras; Secunda eſt, ut habeat uſum rationis: qui enim caret uſu rationis non poteſt juriſdictionis actum exercere: Tertia conditio eſt, ut ſit baptizatus; Infidelis enim non poteſt ferre cenſuras. Quarta eſt, ut non ſit Laicus: quia ferri debet ab eo, qui juriſdictionem habet Eccleſiaſticā, & ſic nec fæmina poteſt ferre cenſuras; licet non eſt improbabile fæminam poſſe de abſoluta Summi Pontificis auctoritate ferre cenſuras; quia non eſt contra jus divinum, vel naturale Summum Pontificem poſſe hujuſmodi facultatem concedere; de jure verò ordinario non poteſt, quia ipſa eſt perſona Laica. Quinta conditio eſt, ut ferens cenſurā non habeat circa juriſdictionis uſum impedimentum, ut accidit cum Judex eſt excommunicatus vitandus, vel dum interpoſita fuit legitima appellatio: Sexta conditio eſt, ut non feratur in cauſa propria, in qua actoris, & judicis perſonam ſubſtineat, quia nullus poteſt eſſe actor, & judex, excipitur caſus defenſionis, dum quis per modum defenſionis cenſuram fert in eum, qui ſibi violentiam infert.

2 Poteſtas ferendi cenſuras jure ordinario reſidet in ſummo Pontifice reſpectu omnium Chriſtianorum cujuſcunque gradus & conditionis exiſtant: præterea in Epiſcopis, in Archiepiſcopis, & Patriarchis reſpectu ſibi ſubditorum: eadem poteſtate ferendi cenſuras fruitur Legatus à latere Pont. eandem habet Vicarius Papæ, eandem habet Capitulum, ſede vacante: eandem habent alii, quibus ex officio, & ſtatuto Eccleſiæ competit hujuſmodi poteſtas, ut ſunt Abbates, & Priores Eccleſiarum habentes juriſdictionem in foro externo, Prælati religionum, & Provinciales, & Guardiani: idem militat in Cardinalibus reſpective ad Eccleſias, in quibus juriſdictionem in foro externo habent: Parochi non habent poteſtatem ferendi cenſuras, quia non eſt illis neceſſaria, cum non habeant juriſdictionem in foro exteriori. Clericus poteſt ex commiſione ſibi facta à legitimo ſuperiore, vel ex conſuetudine legitimè introducta ferre cenſuras, quia eſt capax Eccleſiaſticæ juriſdictionis, etiam ſi habeat tantum primam tonſuram: qui etiam poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi, & ferre cenſuras: ille vero, qui non eſt Clericus, non poteſt validè ferre cenſuras, etiam ſi ſit religioſus; nam laicus caret juriſdictione, nec poteſt illam per conſuetudinem, ſeu præſcriptionem acquirere, non enim poteſt per conſuetudinem fieri capax juriſdictionis ſpiritualis: poteſt tamen de poteſtate Summi Pontificis abſoluta ferre cenſuras: nam Pontifex poteſt diſpenſare in omni jure humano, & de jure humano eſt, ut poteſtas ſpiritualis juriſdictionis à Clericis ſolum exerceatur, & quod dicitur de Laicis extenditur ad Clericos conjugatos, etiam ſi habeant quatuor minores. Collegium Eccleſiaſticum eſt capax juriſdictionis ad ferendas cenſuras: ſecus ſi Collegium ſit laicum, & ſeculare, tunc autem cenſetur Collegium Eccleſiaſticum dum plures ſunt Eccleſiaſtici, quam Laici: ſecus ſi plures ſint Laici; ſi verò ſit æqualis numerus cenſendum eſt eſſe Eccleſiaſticum quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum.

De Cauſa materiali proxima cenſuræ. *Cap.* 222.

1 AD incurrendam cenſuram prærequiritur aliquod peccatum, quia cenſura eſt pœna ſpiritualis inflicta ab Eccleſia, quæ imponitur ob aliquod peccatum, unde ad incurrendam cenſuram non ſufficit ſola Prælati voluntas, ſed requiritur delictum ſubditi: proptereà ad incurrendam excommunicationem requiritur peccatum proprium; unde ſancitum eſt, u excommunicatio non feratur in communitatem. Cenſura verò ſuſpenſionis poteſt ferri ob peccatum alterius, unde ferri poteſt in communitatem ob delictum alicujus ex illa communitate: idem dicendum de interdicto, quod poteſt ferri ob peccatum alterius, quod non propriè fertur in pœnam illius, qui non peccavit: ſed in pœnam delinquentis, qui punitur in alio, peccatum verò, quod requiritur ad incurrendam cenſuram, debet eſſe externum, nec ſufficit peccatum purè internum, quod ita in mente lateat, ut aliter cognoſci non poſſit, niſi per revelationem: Eccleſia autem fert cenſurā de iis, de qui bus judicare poteſt non autem judicat de merè internis, niſi indirectè, ſolus enim Deus eſt judex internorum, & occultorum: peccatum, propter quod fertur gravis cenſura debet eſſe mortale, ſicut pro veniali fertur levis cenſura 2 & pro-

& propterea invalida eſt major excommunicatio, major ſuſpenſio, vel grave interdictum latum pro veniali peccato, nam actus venialis videtur incapax tantę pœnæ & propterea quando delictum eſt leve non incurritur gravis cenſura, quia alioquin non eſſet proportio inter pœnam, & delictum; nō autem pro quolibet peccato mortali, quamvis externo ferenda eſt gravis cenſura, ſed ſolum quando peccatum alia ratione corrigi, vel impediri non poteſt ex *Tr. ſeſſ.* 25. *c.* 3. de reform exiſtimo tamen validam eſse cenſuram latam pro quolibet peccato mortali, ſicut exiſtimo ferri poſse minorem excommunicationem pro peccato mortali, ne impunitum remaneat.

2 Ille afficitur cenſura, qui non obſernat decretum Epiſcopi, vel ſuperioris præcipientis aliquid ſub majori cenſura, quod ſecundum ſe ſit indifferens, & non mortale; nam eo ipſo, quod Epiſcopus, vel ſuperior ſub majori aliqua cenſura prohibet, prohibet ſub mortali, quamvis hoc non exprimat in ſententia Cenſuræ, & propterea qui vult trasgreſſorem præcepti ligari majori cenſura, vult etiam tranſgreſſionem illius præcepti eſſe peccatum mortale, modo poſito illo præcepto, materia præcepta, vel prohibita non remaneat adhuc levis in ſe, & per ordinem ad finem, propter quem pręcipitur ſub majori cenſura, nam quamvis illa remanet levis in ſe, & per ordinem ad finem, non eſt ſufficiens ad peccatum mortale: & ſic non eſt ſufficiens ad incurrendam cenſuram; ſuperior enim non magis poteſt obligare, quam obliget jus naturale, vel divinum, quod non obligat ad mortale in materia levi, & parva, & propterea non incurritur excommunicatio ab eo, qui mendacium jocoſum, aut verbum otioſum profert: quamvis ſuperior illud prohibuerit ſub gravi excommunicatione nam hoc peccatum eſt leve tàm in ſe, quam per ordinem ad finem, unde non eſt ſufficiens ad incurrendam majorem cenſuram. Secus dicendum, quando ſuperior ſub cenſura prohibet aliquid quod licet ſecundum ſe ſit leve, tamen ſit grave ob circumſtantiam, vel ob finem à ſuperiore intentum, ut accit quando ſuperior pręcipit Clerico, ne comam geſtet, quod licet non ſit mortale de ſe, tamen ſit mortale per ordinem ad finem à ſuperiore intentum, ut ob vitandum ſcandalum &c.

3 Ad incurrendam cenſuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit ſub cenſura prohibere, quare diligenter perpendenda ſunt verba quibus cenſura fertur, nam quando verba ſignificant prohiberi effectum ultimum ſub cenſura, cenſura non incurritur niſi ſequuto effectu, unde ſi lata ſit excommunicatio propter homicidium, excommunicatio non incurritur ſi homicidium non fuit ſecutum, modo ſub cenſura principaliter non prohibeatur ipſa actio, vel conatus: nam quando principaliter prohibetur aliqua actio, ſtatim ea poſita incurritur cenſura; quia actus cenſetur ſufficienter completus, quantum lex requirit: Cenſura non incurritur quando actus exterior non habet eam malitiam, quę ſub cenſura prohibetur, unde qui exterius profert hæreſim, ſed interius bene ſentit non ſubjacet excommunicationi lata contra hæreticos, nam cenſura fertur ob actum externum habentem malitiam hæreſis: qui autem exterius profert hæreſim, ſed interius bene ſentit, non exercet actum habentem malitiam hæreſis: quamvis exterius cenſeatur illam habere, nam deficiente voluntate, & conſenſu, deficit etiam malitia, & delictum, cujus cauſa ultra eſt cenſura: mandantes, vel conſulentes non incurrunt cenſuram nondum ſecuto effectu quando ſcilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum vero, vel conſilium prohibitum fuit ſolùm acceſſoriè, ut accidit in excommunicatione lata contra percuſſores Clerici, in qua principaliter prohibetur percuſſio, & acceſſoriè prohibetur mandatum, vel conſilium percutiendi: ſecus dicendum quando mandatum, vel conſilium principaliter prohibetur, tunc enim mandãs, vel conſulens ligatur cenſura nondum ſecuto effectu: non incurritur cenſura ab eo, qui actionem aliquam exercet de ſe inſufficientem ad effectum prohibitum ſub cenſura: cum ſcilicet Titius vulnerat Cajum non lethali vulnere, qui perit ob aliam cauſam contingentem, Titius non ligatur cenſura, ſi lata eſset contra homicidas, non incurritur excommunicatio, vel alia cenſura lata ſub conditione ante conditionis eventum, nec incurritur ſemper ob quodlibet voluntarium, unde tranſgrediens præceptum ex negligentia quadam, vel ex inadvertentia, vel etiam ex ignorantia invincibili, & craſsa non incurrit excom-

communicationem, quamvis mortaliter peccet contra præceptum.

4 Non poteſt pro peccato præterito commiſſo ferri cenſura, ſed ad eam incurrendam requiritur contumacia, & admonitio: quod in peccato præterito non datur, & cenſura fertur tamquam medicina advertendum hominem à peccato, quomodo autem poſſet homo averti à peccato, ſi peccatum ante indictionem cenſuræ erit commiſſum.

De Cauſa materiale remota, ſeu ſubjecto Cenſuræ. Cap.220.

1 QUinque ſaltem conditiones requiruntur in eo, qui ligari poteſt aliqua cenſura. Prima eſt ut ſit homo vivens, quia nullus habet juriſdictionem in defunctum, qui non poteſt delinquere, nec amplius emendari poteſt, & licet Eccleſia privat mortuum ſepultura, & ſuffragiis, non tamen excommunicari poteſt: nec habet circa mortuos directam juriſdictionem, ſed ſolum indirectam, quatenus præcipit vivis, ne pro mortuis ſuffragia ferant, nec illos donent ſepultura: & ſic poteſt Eccleſia mortuum indirectè abſolvere, quatenus poteſt concedere fidelibus facultatem ſepeliendi mortuum, & ſuffragia ferendi pro ipſo, ſicut etiam poteſt poſt mortem declarare ipſum excommunicatum, vel interdictum propter cenſuram contractam, dum viveret, ut patet ex praxi Inquiſitorum: qui declarare ſolēt aliquem mortuum fuiſse hæreticum, & excommunicatum, hinc tamen non ſequitur excommunicari poſse mortuos, unde mortuus, qui commiſerat in vita delictum, propter quod lata erat comminatoria cenſura, non ligatur cenſura poſt mortem, nec incurritur excommunicatio ab eo, qui mandavit Titio Clericum occidere, & Titius occidit illum poſt mortem mandantis.

2 Dæmon ligari non poteſt cenſuris, quia non eſt homo vivens, & cenſura fertur ad retrahendum contumacem a contumacia: Dæmon autem eſt obſtinatus, & pertinax in ſua contumacia, nec animalia irrationalia poſsunt ligari cenſuris; quia non ſunt homines, nec ſunt capacia delicti propter quod cenſura incurritur, nec locus ligatur cenſuris, cum non ſit homo, & ſicut non eſt capax delicti, ita neque cenſuræ, excepto interdicto locali, quod fertur in locum non in pænam ipſius loci, ſed in pœnam hominis.

3 Excommunicatio lata propter delictum, quod in ipſa morte completur, ut ſi lata ſit excommunicatio contra eos, qui non confitentur in articulo mortis, tunc incurritur, dum ſalus corporis ita deſperata eſt, ut mors naturaliter evitari non poſſit, & non ſuperſit tempus adimplendi præceptum: tunc enim infirmus moraliter loquendo cenſetur in articulo mortis.

4 Secunda conditio eſt, ut ſit homo baptizatus, quia Eccleſia non habet juriſdictionem directam ſupra non baptizatos, etiam ſi Cathecumeni ſint, habet tamen poteſtatem indirectam ſupra non baptizatos, quatenus præcipere poteſt baptizatis ne communicent cum nō baptizatis. Supra hæreticos vero Eccleſia directam habet juriſdictionem ratione Baptiſmatis ſuſcepti, unde illos excommunicare poteſt. Tertia conditio eſt ut ſit adultus: ideſt doli capax, quia filii nondum adulti peccare non poſsunt, ideo ligari non poſsunt cenſuris, quæ ſupponunt peccatum; impuber igitur doli capax validè ligari poteſt cenſuris, non tantum à jure, ſed etiam ab homine latis, ſicut enim peccare poteſt, ita etiam puniri poteſt cenſura in pænam peccati: tamen impuber maſculus, qui nondum pervenit ad 14. annum, aut fœmina, quæ nondum pervenit ad 12. non poteſt licitè excommunicari excommunicatione. lata ab homine, ſed validè excommunicari poteſt, nullum enim jus extat, quod invalidam reddat cenſuram latam contra impuberes. immò conſtat impuberem ligari interdicto: quando populus interdicitur: cum ipſe etiam teneatur ſervare interdictum: perpetuo vero amentes, inſani, & furioſi non afficiuntur cenſuris; quia non ſunt capaces doli, nec habent uſum rationis: poſsunt tamen furioſi, & inſani affici cenſuris propter aliquod delictum perpetratum eo tempore, quo in ipſis rationis uſus vigebat, nam ſufficienter cenſentur contumaces, & deliquiſse contra legem continentem cenſuram. Idem dicendum de dormientibus, aut ebriis, qui aliquod delictum ſub cenſura vetitum committunt tempore ſomnii, vel ebrietatis, modò prævideriut delictum ſecuturum, illudque noluerint præcavere; unde qui mandavit alteri percute-

re

Digitized by Google

re Clericum, contrahit excommunicationem eo tempore, quo dormit, ſi tunc temporis mandatarius percutit Clericum, tunc enim conſumatur delictum propter quod lata eſt excommunicatio: ſecus dicendum ſi excitatus à ſomno ante ſecutam percuſſionem ſufficienter impedivit ne ſequeretur, tunc enim de eſt actio, ob quam impoſita eſt Cenſura, quamvis præceſſerit peccatum. Quarta conditio requiſita ad incurrendum cenſuram excommunicationis eſt, ut ſit homo determinatus, non enim tota aliqua univerſitas vel Collegium poteſt excommunicari, quia hujuſmodi Cenſura contineret errorem intolerabilem, nam ſæpe contingeret innocentes puniri excommunicatione, quod à ratione videtur alienum. Suſpenſio autem, & interdictum poteſt ferri in Communitatem, Capitulum, Collegium: quia ſuſpenſio, & interdictum non ſunt pœnæ ita graves, ſicut excommunicatio, non enim privant hominem internis animæ bonis, ideſt ſuffragiis, & auxiliis Eccleſiæ, ſicut privat excommunicatio, unde non eſt abſurdum, innocentes aliquando ligari ſuſpenſione, & interdicto: interdicto igitur populo cenſentur interdicti ſinguli, non vero ſuſpenſa univerſitate cenſentur ſuſpenſi ſinguli, quia effectus interdicti non conveniunt populo, ut ſic, ſed ſingularibus perſonis: nam auditio divinorum, & perceptio Sacramentorum, quæ per interdictum prohibentur, non competunt Populo ut univerſis; effectus vero ſuſpenſionis competere poſſunt univerſitati, ſeu Capitulo ut ſic, impediendo uſum officii, & privando fructibus Beneficii competentibus univerſitati, ſeu Capitulo ac Collegio conficienti unum corpus. Quando autem ſuſpenſio generaliter fertur contra omnes, qui hoc, vel illud fecerint extenditur ad Capitulum faciens illud delictum; ob quod ſuſpenſio lata eſt: quia cum cenſura generalis ſit, & Capitulum ſit capax talis ſuſpenſionis, extenditur ad Capitulum. Quinta conditio eſt; ut qui ligatur cenſura ſit inferior, & ſubditus ferenti cenſuram: nam poteſtas ferendi cenſuras non poteſt exerceri, niſi in inferiores, & ſubditos, unde Summus Pontifex non poteſt ſuſpendi, excommunicari, vel interdici, quia nullum habet ſuperiorem, nec ulli eſt inferior: quicumque alius homo baptizatus poteſt ligari cenſuris latis Summo Pontifice: etiam Epiſcopi ligantur excommunicatione generaliter lata, niſi illorum fiat exceptio, cum ſint ſubditi, ſuſpenſione vero, & interdicto non ligantur Epiſcopi, niſi fiat illorum expreſſa mentio: ſic etiam Cardinales ligantur cenſuris generaliter latis.

5 Nemo poteſt poteſtate propria ſe ipſum excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere: quia nullus eſt inferior ſe ipſo; nec valet illud dictum facilius Deum placabunt. qui ſe ipſos excommunicabunt, nam in excommunico accipitur pro redarguo, & removeo: quod eſt ſenſus Deum facilius placandum ſi delinquens ſe ipſum redarguerit, vel ab altare removerit, nec aliud dictum tuotte ore condemna, nam intelligitur non judicialiter: ſed Papatum deponendo, & proprium errorem fatendo, ut ab Eccleſia judiceris, unde accipiens à Summo Pontifice poteſtatem ferendi excommunicationem contra omnes ſurripientes rem alienam in notabili quantitate non incurret excommunicationem ſurripiendo, ſecus dicendum, ſi ipſe non ferat cenſuram; ſed illam denunciet tanquam latam à ſuperiore. Superior autem interdicens aliquem locum tenetur ad ſervandum interdictum & ſubiacet pœnis à jure communi latis contra violantes interdictum; non autem incurrit illas pœnas quaſi à ſe latas, ſed ut latas à jure communi, præcipiente interdictum inviolabiliter ſervari: Æqualis ab æquali non poteſt excommunicari, ſuſpendi, vel interdici interdicto perſonali auctoritate propria, nam æqualis non eſt inferior, nec par in parem habet imperium: ex commiſſione vero, & poteſtate delegata accepta à Superiore poteſt aliquis ab æquali excommunicari, & interdici, vel ſuſpendi; quia per commiſſionem factus eſt ſuperior: habentes etiam privilegium à Summo Pontifice: per quod eximuntur ab Epiſcopi juriſdictione non ligantur cenſuris latis ab Epiſcopo: qui autem aſſerit ſe privilegium habere, ei incumbit onus probandi tale privilegium habere: ita etiam Religioſi exempti à juriſdictione Epiſcopi, non poſſunt ab ipſo excommunicari, vel ſuſpendi in iis caſibus in quibus exempti ſunt: qui etiam recipiuntur in proprios Eccleſiæ Romanæ filios non poſſunt ligari cenſuris

R ab

ab ordinario loci, licet per hujuſmodi privilegium non ſubtrahuntur à juriſdictione ordinarii, exceptis cenſuris, niſi aliud in privilegio exprimatur.

Utrum ligatus una cenſura ſit adhuc capax alterius, & utrum tot cenſuras incurrat, quot ſunt actuo contra præceptum continens cenſuram, vel quot ſunt ſuperiores, qui actum ſub cenſura prohibent. Cap. 223.

1 QUi adhuc ligatus eſt una cenſura eſt adhuc ſubjectum capax alterius, non tantum diverſæ rationis, ſeu etiam ejuſdem, quia ligatus cenſura poteſt adhuc tranſgredi legem continentem cenſuram, igitur poteſt adhuc illam incurrere, unde qui ſemel Clericum percuſſit, & contraxit excommunicationem, poteſt novo excommunicationis vinculo ligari, iterum percutiendo Clericum, nam poteſt iterum ſubiici cenſuræ, quæ licet actu non privet illis bonis, cum cadat in ſubjectum illis jam privatum: tamen vim habet privandi; & obſtrictus cenſuris dici poteſt privatus bonis communibus variis titulis.

2 Tot ſunt Cenſuræ quot ſunt moraliter, & formaliter actus contrapræceptum ſeu quot ſunt tranſgreſſiones formaliter, & moraliter, unde ubi eſt moraliter, & formaliter unus actus contra præceptum, ſeu una tranſgreſſio, ibi eſt una tantum cenſura, ubi vero ſunt plures tranſgreſſiones formaliter, ibi ſunt plures cenſuræ, unde qui Clericum ſæpius ſucceſſive percutit, incurrit unam tantum excommunicationem quia illi plures actus reputantur unus actus moraliter ſecus ſi percutiat ſæpius eum cum interruptione morali: ſi vero percutiat plures Clericos ſucceſſive incurrit tot excommunicationes, quot ſunt Clerici qui ſucceſive percutiuntur: quia iſtæ percuſſiones ſunt plures formaliter, & numero diſtinctæ, ita etiam qui fornicatur cum eadem perſona ſucceſſivè plura fornicationis peccata committit: quia exercet plures actiones, quando vero plures unum Clericum occidunt plura peccata committunt juxta numerum perſonarum concurrentium ad occiſionem: quando vero unus uno ictu plures occidit comittit tantum unum peccatum, unam tranſgreſſionem, & unicam actionem terminatam ad plures, & propterea percutiens uno actu plures Clericos una excommunicatione punitur propter unam tranſgreſſionem, unum, actum, & unum peccatum, ſed in confeſſione eſt exprimendus numerus perſonarum.

3 Percutiens Sacerdotem, qui ſimul eſt Diaconus, & Subdiaconus non incurrit plures excommunicationes, quia committit unum peccatum formaliter contra reverentiam debitam ſtatui Clericali; circumſtantiæ enim Sacerdotis, & Diaconi non ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem in hoc caſu, ſed accidentaliter tantum ſe habent ad tranſgreſſionem legis, quæ ſolum ſpectavit ſtatum Clericalem, non vero ordinem, quo aliquis eſt initiatus: Secus dicendum de percutiente Monachum initiatum prima tonſura: nam illius percuſſio cenſetur duplex tranſgreſſio, una contra ſtatum clericalem, altera contra religionem, nam circumſtantia Monachi eſt diverſa ſpecie circumſtantia Clerici: ita qui facit contra Clementinam ſepelliendo publicum excommunicatum, vel uſurarium, vel nominatim interdictum, vel tempore interdicti in caſibus non conceſſis, incurrit tres excommunicationes: committit enim triplicem inobedientiam pro diverſis caſis prohibitam, ſeu triplex Sacrilegium formaliter diverſum: unum ſepeliendo uſurarium, facit enim contra prohibitionem factam ſub excommunicatione: Secundum violando excommunicationem, ſepelit enim excommunicatum publicum: qui privatur Eccleſiaſtica ſepultura ratione excommunicationis: Tertium violando interdictum, quod eſt cenſura ſpecie diverſa ab excommunicatione; unde ſepeliens dictum uſurarium, excommunicatum, & interdictum incurrit tres excommunicationes, quia facit contra tres prohibitiones diverſarum rationum poſitas ſub excommunicatione: ſecus dicendum eſt de illo qui ſepelit hominem interdictum tempore interdicti: hic enim incurrit unam tantum cenſuram, quia violat prohibitiones, & cenſuras ejuſdem rationis:

4 Faciens aliquem actum prohibitum à pluribus ſub cenſura, non incurrit tot cenſuras, quot ſunt ſuperiores prohibentes illum actum ſub cenſura, quando ſuperiores prohibentes habent eamdem poteſtatem: ſecus quando habent diverſam, unde quando actus prohibetur à multis haben-

tibus

tibus eandem poteſtatem incurritur una tantum cenſura faciendo aliquem actum ab ipſis prohibitum: quando vero actus prohibitus eſt ab habentibus diverſam poteſtatem tot cenſuræ incurruntur, quot ſunt ſuperiores prohibentes, modo quiſque intulerit cenſuram tamquam ſuam: unde duplici excommunicatione ligatur, qui facit aliquid ſub excommunicatione prohibitum à jure communi, & à jure particulari, aut prohibitum à Papa, & ab Epiſcopo, modo Epiſcopus intenderit novum jus ferre, non autem ligatur pluribus excommunicationibus, qui facit contra legem ſæpius repetitam, & innovatam.

Utrum in Cenſuris ita comprehendantur conſulentes, & mandantes ſicut comprehenduntur facientes. Cap. 224.

1 CEnſura lata contra facientes aliquid non ligat mandantes, vel conſulentes, niſi in ſententia cenſuræ exprimantur mandantes, vel cōſulentes, nam excommunicatio lata contra furantes, certum eſt mandantem, vel conſulentem furtum non incurrere excommunicationem, quia conſulens, vel mandans non dicitur proprie furari, cum mandatum, & conſilium præcedant furtum; ſecus dicendum, quando in cenſura exprimuntur mandantes, & conſulentes; ut accidit quando cenſura fertur iis verbis, ſcilicet quicunque fuerit cauſa talis delicti, vel qui directe, vel indirecte, aut qui mediate, vel immediate, aut qui per ſe, vel per alium fecerit, ſit excommunicatus, quæ verba mandanti, vel conſulenti poſſunt adaptari; unde quando dubium eſt, an mandans, vel conſulens comprehendatur in cenſura lata contra facientes, judicandum eſt non comprehendi.

2 Mandantes, vel conſulens, qui aliquo modo exprimitur in ſententia Cenſuræ non ligatur cenſura, niſi vere influat in effectum prohibitum ſub cenſura, quia non incurritur cenſura, niſi fiat opus prohibitum ſub cenſura, & propterea conſulens, & mandans percuſſionem Clerici non ligatur excommunicatione quando per ſuum mandatum delinquens nihil influxit: ſed commiſſurus erat delictum abſque illius mandato: ligatur autem quando conſulens auxit voluntatem delinquentis ad præſtandum effectum prohibitum ſub excommunicatione: non autem ligatur conſulens; quando dedit bonum conſilium, ut quando parato occidere Clericum ſuaſit ſolum, percutere, nec mandans effectum prohibitum ſub cenſura incurrit cenſuram, nec tenetur ad reſtitutionem, ſi revocavit mandatum, & revocatio innotuit mandatario: ſecus ſi non innotuit, quia tunc mandans ſequuto effectu ligatur cenſura, & tenetur ad reſtitutionem damni; Conſulens vero ligatur cenſura, etiam ſi revocaverit conſilium, & illius revocatio innotuerit ei, cum datum fuit conſilium ad patrandum delictum prohibitum ſub cenſura, quia non cenſetur revocaſſe influxum ſaltem quando conſilium erat verum: cognoſcitur autem quando aliquis ex ſuo conſilio influxerit in factum prohibitum, primo ex dicto ipſius cui datum eſt conſilium, modo ſit fide dignus, & aſſerat, ſe motum non fuiſſe conſilio: Secundo ex conjecturis, ut ſi delinquens jam minatus fuerat delictum, aut ſi omnia neceſſaria ad delictum jam paraverat.

De forma, ſeu ritu ſervando in ferenda Cenſura. Cap. 225.

1 AD incurrendam cenſuram neceſſe eſt, ut lata ſit à judice per ſigna exteriora, & non per ſolam voluntatem internam ipſius volentis aliquem ligare cenſura, nam ſi non exprimitur ignoratur: nec requiritur certa, & determinata verba; ſed ſufficiunt quęcunque verba, aut etiam ſcriptura, qna intentio judicis ſufficienter exprimatur, verba autem, quibus cenſura exprimitur debent eſſe finita, & determinata ad particularem aliquam cenſuram; & non in genere, ut ſi dicatur qui tulerit arma vinculo cenſuræ ſit obſtrictus, nihil operatur: quia nullam determinat cenſuram, ſi autem feratur excommunicatio in genere dicendo, Excommunico, valida eſt excommunicatio; ſed accipitur pro majori excommunicatione, non vero pro excommunicatione in genere, quæ dividitur in majorem, & minorem: ſic quando fertur ſuſpenſio abſolute, intelligitur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, quando vero fertur minor excommunicatio, ſolet apponi aliquod verbum ſufficienter indicans minorem excommunicationem. Non autem incurritur excommunicatio, vel ſuſpenſio, quando fertur ſub disjunctio-

Digitized by Google

ctoritate, non ſolum propter primam cauſam; ſed etiam ob inobedientiam admiſſam à pœnitente non ſe præſentante quam primùm commodè poteſt habi ta ratione temporis, loci, & perſonæ, quare non dicitur reincidere in eamdem numero cenſuram, ſed in eamdem ſimilitudine, ſeu ſpecie: quia contrahit aliam ſimilem cenſuram reſervatam, ſicut erat prior.

8 Ad reincidendum in cenſuram non ſemper requiritur novum peccatum mortale, ut patet in eo, qui beneficium obtineat à Papa ſub his verbis. (Ad hunc effectum dumtaxat, hic reincidit abſque nova culpa: licet hæc non eſt vera, & perfecta abſolutio: poſita enim vera abſolutione, probabilius arbitror in cenſuram non reincidit abſque novo peccato: quamobrem qui fuit abſolutus cum onere ſatisfactionis præſtandæ intra menſem, & iſte eam præſtare nequeat, in cenſuram non reincidit, cum prima fuerit ablata, & non ſuſpenſa: quia inferior non poteſt effectus excommunicationis ſuſpendere, & ſic non poteſt iterum contrahi abſque materia illius contrahendæ, ideſt abſque peccato: unde illa dicitur abſolutio ad reincidentiam, qua poſita iterum inciditur in cenſuram, niſi præſtentur ea, quæ præſcribuntur, unde abſolutio obtenta cum obligatione præſentandi ſe ſuo ordinario, vel alteri, ut ab eo pœnitentiam reciplet, vel ut parti leſæ ſatisfaciat, &c. ſi pœnitens, data opportunitate, onus ſibi injunctum non præſtet, reincidit in excommunicationem, à qua fuerat abſolutus cum onere, & ſi excommunicatus erat vitandus: erit etiam vitandus per excommunicationem ad reincidentiam; nam qui fuit per ſententiam denunciatus Excommunicatus, ita etiam remanet excommunicatus denunciatus, & conſequenter vitandus, poſtquam contempſerit ſe præſentare oblata opportunitate: alioquin non diceretur reincidere in eamdem ſententiam; quando autem in caſibus reſervatis non eſt adnexa aliqua excommunicatio, abſolutus ab his in articulo mortis, non tenetur ſe præſentare ſuperiori, quia hæc obligatio nullo jure conſtat.

Quis poſſit a cenſuris abſolvi Cap. 240.

1 Abſolvendus debet eſſe ſubditus abſolventi, quia ſicut cenſura fertur in ſubditos ſic abſolutio; & debet eſſe diſtinctus ab abſolvente: quia nullus habet juriſdictionem in ſeipſum: poteſt autem invitus poſitivè, aut ignarus ſublata contumacia proter quam ligabatur cenſura, à cenſura abſolvi: quia ſicut poteſt cenſura ferri in invitum, ſic poteſt ab invito auferri, ſi ſpectemus naturam cenſuræ: nam poteſt fieri, ut invitus non poſſit abſolvi: quando habeat facultatem limitatam ad abſolvendum, & manente contumacia non debet abſolvi, niſi periculum impendeat, ut fiat peior, & deteior. Abſens vero localiter validè abſolvi poteſt à cenſuris: quia ſicut abſens poteſt ligari: ita abſolvi; unde Confeſſarius qui aliquem abſolvit à peccatis habentibus adnexam excommunicationem reſervatam, à qua ipſe non poterat abſolvere, poteſt, obtenta facultate abſolvendi abſolvere abſentem ab excommunicatione: non enim neceſſe eſt, ut abſolvendus acceptet abſolutionem, nam hæc ab intentione, abſolventis pendet, ſtatimque effectum ſuum parit juxta mentem abſolventis, quæ abſolutio ſtatim operatur effectum: ſi abſolutè, & ſine conditione de futuro collata fuit, etiam ſi ad aures excommunicati nondum pervenerit; quia ſicut excommunicatio ſtatim ſuum operatur effectum, ita etiam abſolutio: quæ dari poteſt per procuratorem, qui debet habere executionem mandatam: ubi requiritur ſpeciale mandatum, ut procuratori conferatur.

De Requiſitis in forma abſolutionis Cap. 241.

1 AD abſolutionem cenſuræ non eſt neceſſaria certa, & determinata forma verborum, ſed ſufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel in ſcriptis expreſſa, & exarata, quibus ſufficienter exprimatur abſolutio: quæ dari poteſt idem verbis, quibus datur abſolutio peccatorum, & eadem verba ſufficere pro utraque abſolutione: ut ſi dicatur *Ego te abſolvo* intendens ſimul abſolvere à peccatis, & à cenſuris: quamvis utraque abſolutio ſit ſimul tempore, tamen abſolutio cenſurarum eſt prior natura: certior igitur modus abſolvendi eſt, ut Confeſſarius dicat *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & à peccatis tuis.*

2 Epiſcopus, aut alii Prælati inferiores Summo Pontifici non poſſunt abſolvere à cen-

Digitized by Google

ſtincta à publicatione legis, ſeu edicti conditi ſub pœna excommunicationis, quia adeſt ſufficies admonitio ex parte judicis, quando Excommunicatio fertur hoc modo. Clerici, qui Moniales ſine facultate ſuperioris alloquuti fuerint, excommunicabuntur, & eſt ſufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui novit prohibitionem ſub pœna cenſuræ ferenda, quia non eſt major ratio cur ad ferendam ipſo facto cenſuram antea comminatoriè latam; nova requiratur admonitio diſtincta à prohibitione, non autem requiratur, dum præceptum, vel prohibitio edita eſt ſub pœna cenſuræ ipſo facto, ſed ad hanc non requiritur nova publicatio, ergo neque ad illam. Admonitio non eſt ita de eſſentia cenſuræ, ut Eccleſia non poſſit de poteſtate abſoluta ferre cenſuras ſine admonitione: quamvis ordinarie non poſſit nam ferre cenſuras ſine admonitione non ita repugnat juri naturali; vel divino, quin Eccleſia de plenitudine ſuæ poteſtatis poſſit hoc facere. Admonitio autem ferenda eſt auctoritate illius, qui laturus eſt ſententiam; quia hujuſmodi admonitio vices gerit citationis: legitima autem citatio ferenda eſt auctoritate judicis: & ſicut in ferenda cenſura eſt neceſſaria admonitio, ita etiam eſt neceſſaria citatio: quia ſententia lata in audita parte irrita eſt: & propterea opus eſt, ut pars in judicium vocetur, ſeu citetur, ut compareat ad defendendum, & propterea declaratoria, quod aliquis inciderit in cenſuram ferri non poteſt abſque citatione, & antequam audiatur, vel contumax judicetur: & declaratio abſque citatione, & auditione facta ipſo jure nulla eſt.

3 Triplex admonitio præmittenda eſt formaliter, aut virtualiter: quando ſcilicet ſententia fertur per modum cenſuræ niſi aliter coget neceſſitas, nam quando ſuſpenſio, & interdictum fertur per modum pœnę vindicativæ pro delicto commiſſo: ſententia illorum poteſt ferri abſque monitione: quæ aliquando ſufficit una pro tribus aſſignaris competentibus aliquorum dierum intervallis, niſi facti neceſſitas aliquando ſuaſerit, intervalla eſſe moderanda: unde ſufficit, ut judex concedat ſex dies abſolute, eo quod virtualiter tria intervalla videantur in hoc termino contineri, modò judex explicet hunc eſſe ultimum terminum ſi vero non explicet hunc eſſe ultimum terminum reus non dicitur ſufficienter contumax, eo quod bona fide poſſit credere, alium terminum ſupereſſe: ſeque velle illum expectare; quando autem neceſſitas urget fieri poteſt, ut una monitio abſolute ſufficiat, non tamen omitti poteſt omnis admonitio: nam poſita monitione cenſurę fieri poteſt, ut delinquens ſeſe retrahat a delicto, & eſt valida cenſura etiam quando præmittitur una tantum admonitio abſque neceſſitate urgente, quia nullo jure cavetur, eſſe invalidam: quamvis Judex illam ferens ſine triplici admonitione graviter peccet, quia facit contra prohibitionem in re gravi: Excipitur tamen cenſura ab homine lata ab ipſomet judice contra participantes cum excommunicatis: quę triplicem requirit admonitionem: quia ſi fiat ſine triplici admonitione: vel ſaltem ſine una pro omnibus cum debito dierum intervallo invalida eſt; ſpacium autem pro ſingulis monitionibus conſtituendum eſt ſaltem duorum dierum inter unam, & alteram monitionem: licet Judex pro ſua prudentia poteſt intervallum ampliare, vel reſtringere ad unam diem, vel ad brevius tempus, opus fuerit.

4 Quando cenſura fertur contra perſonam aliquam particularem, & determinatam admonitio facienda eſt coram illa perſona, non item quando cenſura fertur generaliter, nam non poteſt hoc modo fieri admonito, quia ignoranter delinquentes, & propterea tunc temporis ſufficit admonitionem fieri in loco publico, ut in Eccleſia coram populo: hac enim admonitione poſita delinquentes venient in cognitionem cenſuræ, ſufficienterque dicentur contumaces, faciendo contra prohibitionem, poſtquam habuerit illius cognitionem: ſufficit autem in aliquibus caſibus admonitionem fieri ad domum illius, qui cenſura ligandus eſt; nam jure comuni admonitio, ſeu citatio dicitur legitime facta, ſi fiat ad domum illius, qui citandus eſt. Primus caſus eſt quando reus per dolum ſe abſcondit, vel impedit per vim ne moneatur: debet tamen prius probari ipſum ſe abſcondere, vel impedire: quando vero delinquens non habet domicilium, ſufficit monitionem fieri in Eccleſia Cathedrali, vel principali illius loci. Secundus caſus, eſt quando ſemel facta fuit perſonalis admo-

nitio: tunc enim cęteræ fieri poſſunt ad domum, aut per edictum, in ipſo tribunali Tertius caſus eſt, quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti, tunc reliquæ poſſunt fieri ad Domum. Quartus eſt dum quis male fuit abſolutus ab excommunicatione, & agitur de revocando ipſum ad priorem excommunicationem; quando autem ſuſpenſio, vel interdictum fertur contra communitatem, admonitio facienda eſt delinquenti, ob cujus delictum fertur interdictum, vel ſuſpenſio, quia ipſe eſt inobediens, & contumax, non vero communitas, quando autem fit admonitio alicui perſonę, ſeu citatio, debent intereſſe aliquæ perſonæ idoneæ, quę teſtentur ſi opus fuerit, monitionem factam fuiſſe, nam ſuperior, qui ſine monitione, & ſine hac circumſtantia tulerit excommunicationem, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ per unum menſem.

Utrum in ferenda cenſura requiratur juſta cauſa. Cap. 228.

1 CEnſura dicitur injuſta, quando ſcilicet non provenit ex amore juſtitiæ, ſed potius ex odio, tamen valida eſt, quia pravus judicis affectus, & mala ipſius intentio nulli nocet, ſed ſoli nocet judici, nec ipſius tollit poteſtatem, nec aliquid eſſentiale deficit, ratione cujus irrita eſſe debeat: cenſura vero, quæ dicitur injuſta ob prætermiſſionem ordinis juris neceſſarii, eſt invalida, quia ſententia lata non ſervato juris ordine neceſſario non eſt ſententia, nec conformis juri; cenſura autem materialiter injuſta, quando ſcilicet cauſa propter quam fertur non ſubſiſtit, eſt invalida; quia nemo ligatur cenſura majori, niſi propter peccatum mortale: unde quando cenſura eſt materialiter injuſta non adeſt peccatum mortale, quia fertur ob cauſam, quę non ſubſiſtit, & ob peccatum, quod veræ non fuit commiſſum, unde Innocens injuſte materialiter excommunicatus non privatur ſuffragiis Eccleſię, nec tenetur ſe continere ab hominum conſortio, modo non adſit ſcandalum, & non præſumatur contemptor cenſuræ, & non indiget abſolutione in foro conſcientiæ, & poteſt privatim, ſecluſo ſcandalo, celebrare; nam celebrando non incurrit irregularitatem, quia non violatur cenſura per excercitium ordinis ſacri; nam cenſura realiter eſt invalida, licet in foro externo præſumatur valida, & celebrās præſumatur irregularis, & ſic qui credunt illum eſſe injuſte materialiter excommunicatum poſſunt cum ipſo communicare ſine peccato, inſervire Miſſæ, &c. nec privatur juriſdictione in foro conſcientiæ, nec redditur inhabilis ad beneficia, dignitates, & alios honores Eccleſiaſticos; & acta per eum facta valida ſunt.

2 Sententia continens errorem intollerabilem invalida eſt, & eſt ea, quando judex eam fert non habens, neque judicans ſe habere rationem, & juſtam cauſam ad cenſuram ferendam, & propterea ſententia, ſeu lex præcipiens aliquid turpe, aut contrarium communi bono, vel inutile, non obligat in conſcientia, nec inducit cenſuram: quando autem non conſtat, utrum materia propter quam fertur cenſura digna ſit cenſura, ſeu quando dubitatur an ſententia ſit valida, tenetur ille ſe gerere tamquam ligatum cenſura, quia in periculo animæ tutior, & certior via eligenda eſt, & in dubio ſtandum eſt judicio ſuperioris, illique parendum eſt, cum habeat jus ferendi cenſuras.

Utrum in ferenda cenſura ſervanda ſit aliqua circumſtantia loci. Cap. 229.

1 INferenda cenſura ſervanda eſt circunſtantia loci, ſeu proprii territorii, quando ad illam ferendam opus eſt juriſdictione contentioſa, quia juriſdictio contentioſa, quæ fit cum cauſæ cognitione, & ſtrepitu judiciali, non poteſt exerceri extra proprium territorium abſque licentia ordinarii, ſicut neque poteſt exerceri in loco exempto, nam quando non eſt opus hujuſmodi juriſdictione poteſt ferri in alieno territorio, & propterea Epiſcopus non poteſt extra propriam diœceſim validè ferre cenſuras ſedendo pro tribunali, & cum cauſæ cognitione, ſecus ſine cauſæ cognitione, & non ſedendo pro tribunali: nec poteſt judicialiter ligare, neque judicialiter abſolvere extra proprium territorium, extra judicialiter vero poteſt: nam exercet juriſdictionem voluntariam, & gratioſam, quæ non requirit cauſæ cognitionem, ſeu proceſſum, ſeu ſtrepitum judicialem, & poteſt in alieno territorio exerceri.

2 Superior non poteſt ferre cenſuras per ſtatu-

ſtatutum contra exiſtentes in alieno territorio; nam ſententia lata per modum ſtatuti obligat ſolum exiſtentes,& delinquentes in territorio legiſlatoris; nam ſtatutum reſpicit directè territorium, & propterea civis Mediolanenſis, qui Bergomi non obſervet ſtatutum Archiepiſcopi Mediolanenſis non incurrit cenſuram latam contra violantem ſtatutum Archiepiſcopi; quare licet Epiſcopus intendat per ſtatutum ligare ſibi ſubditos, exiſtentes extra proprium territorium, re vera non ligat,nam ad obligandum non ſufficit intentio, ſed requiritur juriſdictio: poteſt autem Clericus exiſtens extra Diœceſim à proprio Epiſcopo excommunicari etiam per ſtatutum, quando non reſidet, quia conſummat actum non reſidendi in Diœceſi, & cenſetur peccare in Diœceſi.

3 Transferens triticum extra territorium afficitur excommunicatione ſi quæ lata ſit quia delinquit in territorio: ſic accedentes ad monaſteria exempta monialium incurrunt cenſuram latam ab Epiſcopo per ſtatutum contra accedentes, quia acceſſus fit in Territorio; non autem incurrunt cenſurā latam contra loquētes cum Monialibus nam allocutio fit in loco exepto: ita non incurrit cenſuram per ſtatutum latam Mediolani contra ſtupratores ſi ſtuprator trahit Virginem extra Territorium Mediolanenſem, & conſumat copulam cum ea extra Territorium,quia delictum eſt incoatum in Territorio, ſed non conſumatum: & cenſura requ'rit actum conſumatum; ſic non incurrit cenſuram qui exiſtens in Eccleſia jacit ſagittam ad occidendum hominem extra Eccleſiam,nam dedictum conſumatur extra Eccleſiam, ſecus dicendum, ſi exiſtens extra Eccleſiam jacit ſagittam ad occidendum virum in Eccleſia; nam homicidium completur in Eccleſia, idem dicendum ſcilicet incurrere cenſuram latam contra occidentem in Eccleſia, etiam ſi vulneratus non ſit mortuus in Eccleſia, vel in propria domo.

4 Superior poteſt cenſuris per ſententiam ligare ſuos ſubditos exiſtentes in alieno Territorio, nam cenſura lata per modum ſententiæ afficit perſonam ſubditam ubicumque ſit; unde fur committēs furtum extra Territorium ſui ſuperioris ligatur cenſuris ab eo ſuperiore latis per modum ſententię contra furantes Chriſtianus ubicunque exiſtat ligatur cenſuris latis à Summo Pontifice ſive latæ ſint per ſtatutum, ſivè per ſententiam: nam Chriſtianus ubicumque exiſtat dicitur exiſtere in Territorio Summi Pontificis: quia totus mundus ſervit illi pro ſuo territorio: modò lex à Summo Pontifice lata ſit acceptata, & non ſit lata tantum pro aliquo loco. Cenſura autem lata ab Archiepiſcopo non extenditur ad ſuffraganeos, & ad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, quando non ſit lata in Concilio provinciali, aut niſi delinquant in territorio ipſius Archiepiſcopi.

5 Extraneus non ligatur cenſuris latis à ſuperiore loci, in quo pro brevi tempore reperitur,quia ad incurrendas cenſuras requiritur ut delinquens ſit ſubditus ſuperiori loci, in quo reperitur: extraneus autem, qui non decrevit manere majori parte anni in aliquo loco non eſt ſubditus ſuperiori illius loci.

Utrùm cenſura liberè ferenda ſit ſervata temporis, & ordinis circumſtantia

Cap. 230.

1 Cenſura, quæ non omninò libere, ac voluntariè fertur, ſed potius per metum incuſſum judici ad cenſuram extorquendā eſt valida: nam jure poſitivo non eſt invalida, quia nullus textus afferri poteſt qui afferat illam eſſe invalidam: nec jure naturæ quia geſta per metum jure naturæ valida ſunt, nam metus non tollit voluntarium ſimpliciter.

2 In ferenda cenſura ſervandus eſt ordo, ut prius feratur cenſura levior, deinde gravior, unde gravior debet omitti, quando cenſura levior ſufficit, ceterum relinquitur judicio, & prudentiæ judicis, ut habita ratione loci, temporis, & perſonæ ferat cenſuras.

3 In ferenda cenſura ſervanda eſt circumſtantia temporis, ne ſcilicet feratur die feriato videlicet eo die, qui ex inſtitutione Summi Po. vel Epiſcopi, vel ex conſuetudine Eccleſiæ dicatus eſt cultui, & honori divino, quia ad ferendam cenſuram prærequiritur cognitio cauſæ, quæ fieri non poteſt die feriato, valida tamen eſt ſi feratur, die feriato, quia cognitio cauſę non ſemper nec neceſſario requiritur, & propterea quando non requiritur cognitio cauſæ fieri poteſt die feriato.

Utrum facienda ſit denunciatio illius, qui cenſuram contraxit. Cap. 231.

1 QUi cenſuram contraxit debet denunciari ad effectum, ut facilius reſipiſcat: quæ denunciatio fieri debet, quando cenſura eſt lata contra determinatam perſonam; ſecus quando lata eſt contra indeterminatas perſonas; nam cum denunciatio fiat ne Populus cum ligato cenſura communicet: fruſtra fieret, denunciatio, cum vitari nequeat is, qui neſcitur an cenſura ligatus ſit, denunciatio autem debet fieri à legitimo ſuperiore, ſeu de auctoritatè legitimo ſuperioris quia denunciatio eſt pænę executio, quæ facienda eſt à legitimo ſuperiore, vel de ejus mandato; ſed non tenetur ſemper ad hujuſmodi declarationem, & conſequenter ad denunciationem, niſi alia ratio boni privati, vel communis ſuadeat, denunciatio autem facienda eſt publice in Eccleſiis, & poſtea in ſcriptis affigi debet ad portas Eccleſiarium cum expreſſione cauſæ, juxta receptum loci mortem. Qui cenſuram à jure, vel ab homine latam ipſo jure contraxit, non eſt denunciandus ſtatim poſt delictum ante ſententiam criminis declaratoriam: etiam ſi delictum notorium ſit, & publicum; ſed præmittenda, eſt citatio, & ſententia criminis declaratoria, quia denuntiatio eſt quædam executio pænæ injunctæ, judex autem ad juridicam pęnæ executionem procedere non debet ante ſententiam criminis declaratoriam: etiam ſi crimen notorium ſit, quia fieri poteſt ut reus probet innocentiam, & probabilem ſui facti excuſationem afferat.

De fine, & effectibus cenſuræ. Cap. 232.

1 FInis Cenſuræ eſt ille quem ſuperior in ferenda cenſura intendit, ſibique proponit, qui eſt ſalus, vel emendatio, ac reſipiſcentia illius, contra quem cenſura fertur: judex autem ſeu prælatus non debet excommunicationem ferre, dum moraliter certus eſt, delinquentem non obtemperaturum ejus præcepto: quia excommunicatio eſt medicinalis, non mortalis: quando tamen non feratur ad terrorem aliorum, qui ejus exemplo abſtinebunt à crimine.

2 Effectus Cenſuræ eſt privatio aliquorum bonorum ſpiritualium: effectus vero cenſurarum Summus Pontifex poteſt ſuſpendere, ut patet aliquos effectus ſuſpenſos fuiſſe, cum ante Extravagantem non eſſet licitum participare cum excommunicato occulto, ſicut hoc tempore licitum eſt Epiſcopi vero, & alii prælati non poſſunt cenſurarum effectus ſuſpendere, cum ipſi non poſſint diſpenſare in jure communi, niſi ſpeciale privilegium habeant, vel niſi conſuetudo hoc eis permittat.

De Cauſis excuſantibus ab incurrenda cenſura, vel ejus effectus.

Utrum ignorantia excuſet ab incurrendis cenſuris Cap. 233.

1 IGnorantia probabilis tam juris communis, quam particularis excuſat ab incurrendis cenſuris, quia ad incurrendam cenſuram requiritur contumacia: ſed ubi reperitur ignorantia probabilis non adeſt contumacia: ergo ubi reperitur ignorantia probabilis non incurritur cenſura, & propterea qui ſcit aliquod delictum prohibirum eſſe jure naturę, vel divino, ſed neſcit, illud prohibitum eſſe ab Eccleſia, non incurrit cenſuras impoſitas ab Eccleſia contra patrantes hujuſmodi delictum, quia quamvis hujuſmodi delinquentes peccet contra jus natnræ, vel divinum, non tamen peccant contra Eccleſiam, cum habeat ignorautiam juris Eccleſiaſtici; tum quia non adeſt contemptus, nec contumacia.

2 Ignorantia probabilis facti, aut qualitatis facti excuſat à cenſuris incurrendis, unde occidens Clericum, quem credebat eſſe feram excuſatur ab excommunicatione ratione probabilis ignorantiæ facti; ſimiliter occidens Clericum, quem putabat eſſe hominem quemdam Laicum excuſatur ab incurrenda excommunicatione ratione probabilis ignorantiæ qualitatis facti.

3 Ignorantia vincibilis, & culpabilis facti, vel juris, quæ craſſa eſt; & non excuſat à culpa mortali non excuſat ab incurrendis cenſuris; vel irregularitate proveniente ex delicto: ſecus dicendum, quando ignorantia eſt vincibilis, quæ non eſt craſſa, vel ſupina, nam excuſat ob omnibus ſententiis quorumcunque ordinariorum, ignorantia vero affectata non excuſat ab incurrendis cenſuris, nam non minuit cul-

pam,

pam, ſed auget, & delinquens eligit illam ignorantiam, ut liberius peccet.

4 Ignorantia pęnę, ideſt cenſuræ excuſat ab incurrenda pæna cenſuræ, unde qui ſcit aliquod delictum prohibitum fuiſſe ab Eccleſia, ſed neſcit prohibitum fuiſſe ſub cenſura, non incurrit cenſuram committendo illud delictum vetitum ſub cenſura.

5 Ignorantia comitans excuſat ab incurrendis cenſuris, & irregularitate, proveniente ex delicto, unde jacens ſagittam in ſuum inimicum, quem credebat eſſe feram: ſed in mente ſua ita erat actualiter affectus ut illum occidiſſet, ſi ſciviſſet ipſum eſſe ſuum inimicum, non contrahit irregularitatem, vel excommunicationem, ſi lata eſſet excommunicatio contra homicidas, quia Cenſuræ incurruntur ob peccatum externum, opus autem externum factum cum ignorantia comitante non eſt peccatum, non enim poteſt eſſe peccatum ſine voluntario: nec voluntarium poteſt eſſe cum ignorantia: cum ergo actus ille externus non fuerit præcognitus, non poteſt dici voluntarius, nec imputari poteſt ad peccatum, vel ad cenſuram incurrendam, cum ad incurrendam cenſuram requiratur, ut actus externus habeat malitiam prohibitam ſub cenſura, qualem non habet actus factus cum ignorantia comitante, quamvis ille affectus pravus, & deſiderium actuale homicidii ſit peccatum, nihilominus actus ille externus homicidii non imputatur ad culpam, cum non procedit ab illo interno deſiderio, & pravo affectu contra inimicum, ſed ab intentione occidendi feram.

6 Non incurritur excommunicatio ab eo, qui percutit Clericum, neſciens prohibitum eſſe ab Eccleſia percutere Clericum, idem dicendum de eo, qui licet ſciverit prohibitam eſſe ab Eccleſia Clerici percuſſionem, nihilominus nunquam ſcivit prohibitam eſſe ſub cenſura, vel nihil unquam dubitavit, vel ſi dubitavit adhibuit ſufficientem, vel ſaltem mediocrem diligentiam ad cognoſcendum an lata eſſet cenſura contra percuſſores Clericorum, & non potuit ante percuſſionem, vel ante actum ſub cenſura prohibitum, rei veritatem invenire; hic enim dicitur ignorantia probabili laborare, & ſic vir indoctus non incurrit cenſuram, quando conſuluit viros doctos profeſſionis, & artis moralis, num lata eſſet cenſura: ipſique reſponderunt, nullam extare: idem dicendum eſt, quando vir doctus, ſuborto dubio alicujus cenſuræ, mediocri ſaltem labore, & diligentia revolvit librum, ſeu ſtatuta, & leges, ſed nullam cenſuram potuit invenire; nec incurrit, cenſuram qui percutit Clericum, quem ignorantia probabili credebat eſſe Laicum; nam excuſatur ob probabilem ignorantiam qualitatis facti, & licet hoc modo percutiens Clericũ dabat operã rei illicitę, & proptereà incurreret in excommunicationem, hoc negatur: nam qui dat operam rei illicitę non incurrit cenſuram quando laborat ignorantia probabili alicujus circumſtantię, ſeu qualitatis facti, propter quam impoſita eſt cenſura, nam c. ſi vero de ſententia excommunicationis dicitur eum qui percuſſit Clericum ignarum Clericatus, non ligari excommunicatione: & tamen conſtat hunc dediſſe operam rei illicitę, ſic naturalis oblivio, & inconſideratio excuſat à cenſura, quia comparantur ignorantię nec incurritur excommunicatio, vel irregularitas ab eo, qui proiicit ſaxum ad verberandum Cajum Clericum, ſed fortuna inculpabiliter percutit, vel occidit alium Clericum illac tranſeuntem, nam percuſſio eſt inculpabilis: ſecus dicendum, quando qui percutit Cajum Clericum, credens illum non eſſe Cajum, ſed Titium, ſimiliter Clericum, quia tam intentio, quàm opus externum eſt injurioſum ſtatui Clericali, & nulla ignorantia excuſat: quia habet intentionem, & realiter percutit Clericum. Excommunicatur vero percutiens Clericum intentione vel ſit Clericus, vel Laicus, nam vellet eum Hominem occidere: quia actus externus eſt malus, & efficaciter dependet ab illo actu interno, quo percutiens vult hunc hominem occidere, quod non accidit, quando adeſt ignorantia comitans, quia tunc actus externus non provenit ab interno actu injuſto, non autem incurrit excommunicationem percutiens Laicum, credens ex percuſſione Laici incurri excommunicationem: nam conſcientia erronea non inducit excommunicationem.

Utrùm Appellatio excuſet ab incurrendis Cenſuris. Cap. 234.

1 Legitima appellatio excuſat ab Incurrenda cenſura lata ſub conditione, modò appellatio fiat ante conditio-

nis

nis adimpletionem, quia per appellationem, cauſa devolvitur ad alium judicem, & ſuſpenditur juriſdictio prioris judicis, qui tulerat cenſuram ſub conditione, unde ſi prior ille judex poſt appellationem ferre velit cenſuram, invalidè ferret, cum illius juriſdictio ſit ſuſpenſa: quando vero cenſura eſt lata purè, & abſolutè non ſuſpenditur per appellationem, ſicut neque ſuſpenditur per appellationem, quando eſt lata ſub conditione, & conditio adimpleta eſt, quia ſuum ſortitur effectum, & mandatur executioni, & non datur appellatio à ſententia jam mandata executioni: ut autem appellatio ſuſpendat ſententiam latam ſub conditione debet eſſe legitima, aliter non prodeſt appellanti: appellatio autem ab abſolutione excommunicationis, non ſuſpendit effectum abſolutionis collatæ abſolutè & ſine conditione de futuro, quia abſolutio vim habet ex intentione abſolventis: appellans autem non poteſt voluntatem, & intentionem abſolventis irritare.

2 Appellatio à ſententia lata ſub conditione excuſat ab incurrenda pæna, etiam ſi poſtea appellatio ipſa fuerit deſerta, quia legitima appellatio ſuſpendit cenſuram ſub conditione latam, & devolvit cauſam ad alium judicem, unde citatus à Judice ad comparendum intra menſem ſub pæna alicujus cenſuræ, & facta appellatione, ſi non compareat, nec peccat, nec cenſuram incurrit, quia appellans à cenſura cenſetur etiam appellare à præcepto, cum cenſura ſit quid acceſſorium, & præceptum ſit quid principale modò appellans non declaret, ſe tantum appellare à cenſura, & non à præcepto. In dubio autem an appellatio præceſſerit ſententiam excommunicationis, vel facta ſit poſt ſententiam excommunicationis abſolutè latam, præſumitur excommunicationem ipſam præceſſiſſe, non verò appellationem, & propterea pars aſſerens appellationem, & præceſſiſſe, debet probare illam præceſſiſſe.

3 Licitum eſt appellare à ſententia declaratoria: unde facta appellatione à declaratoria, declaratus, & denunciatus excommunicatus non eſt vitandus, modò delictum non ſit adeò notum, ut nulla tergiverſatione celari poſſit: tunc enim non prodeſt appellatio.

4 Ad legitimam appellationem duo requiruntur; Primum ut appellatio fiat cum probabili, & ſufficienti cauſa, vel ſaltem, ut appellans bona fide appellet exiſtimans ſe habere ſufficientem, & probabilem cauſam. ſecundum eſt, ut appellatio fiat debito tempore; quod ad appellandum in cenſuris eſt quodcumque tempus intercedens ante conditionis eventum. Superior autem excommunicans inferiorem hoc modò, excommunico te ſi appellaveris, non ligat: quia hujuſmodi excommunicatio videtur continere intolerabilem errorem, & videtur contra jus naturæ, cum feratur contra eum, qui ſe defendit, cui à natura tributum eſt, ut ſe ipſum tueatur, & defendat.

Utrum metus, & impotentia excuſent ab incurrendis Cenſuris. Cap. 235.

1 Impotentia faciendi quod præcipitur ſub cenſura excuſat ab incurrenda cenſura, quia ad impoſſibile nemo tenetur, unde qui per impotentiam non reſtituit, non incurrit excommunicationem latam contra non reſtituentes, vel qui non poteſt adimplere præceptum ſub gravi incommodo, vel non poteſt penſionem ſolvere: ſecus dicendum, quando quis intra certum tempus tenetur ſolvere ſub pæna excommunicationis. & tempus ſit menſis, & initio menſis poſſit ſolvere, & in reliquo tempore fiat impotens ad ſolvendum; hic ſi non reſtituat, quando poteſt, licet tempus conceſſum non ſit completum incurrit in excommunicationem, niſi aliam cauſam excuſantem habuerit: quia tunc impotentia non ſuffragatur illi, cum prius fuerit potens, verum cenſuram non incurrit niſi in fine temporis aſſignati, ſcilicet in fine menſis: quia tunc conſummatur omiſſio.

2 Metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum excuſat ab incurrendis cenſuris quare ſi Eccleſia præciperet Jejunium, & mihi metus mortis incureretur ad frangendum jejunium, non peccarem frangendo jejunium, eo quod Eccleſia non obligat cum tanto incommodo: ſi verò metus incureretur ad frangendum jejunium in contemptum religionis & Eccleſiaſticæ poteſtatis, peccatum frãgendo iejunium: teneor enim potius mortem obire ob ſervandum bonum commune religionis, quam frangere jejunium, & conſequenter non evaderem cenſuram, ſi frangenti jejunium conſtituta eſſet pęna cenſurę, ſicut evaderem cenſuram ſi tan-

ſi tantum metu mortis frangerem jejunium: quando frangenti conſtituta eſſet cenſura : ſic Clericus deferens arma mortis metu non afficitur excommunicatione lata hic Mediolani contra Clericos deferentes arma : ſic Chriſtiani capti à Turcis poſſunt ſine cenſura Remis impellere naves contra Chriſtianos, nam metu mortis hoc faciunt.

3 Metus gravis excuſat ab incurrendis effectibus mediatis cenſurarum illis ſcilicet qui ratione cenſuræ præſtari non poſſunt ab eo, qui vinculo cenſuræ detinetur, quod non eſt dicendum de effectibus immediatis: nam cenſura trahit ſecum executionem & manente cenſura manent etiam ipſius effectus immediati, qui ſunt quaſi de intrinſeca ratione ipſius cenſuræ: unde excommunicatus eo ipſo, quo lapſus eſt in excommunicationem privatur ſuffragiis Eccleſiæ,& afficitur effectibus immediatis excommunicationis, licet aliquando excuſari poſſit faciendo præter obligationem effectuum immediatorum; Ideſt non obſervando ipſa excommunicationem, ſeu cenſuram : poteſt enim excommunicatus accedente vi, vel metu gravi facere aliquid,quod per cenſuram vetitum eſt, ſcilicet poteſt abſolvere, vel alia ſacramenta miniſtrare ad vitandum grave ſcandalum, aut propriam infamiam, vel propter gravem proximi neceſſitatem, vel propter ſimilem cauſam abſque peccato,& abſque periculo irregularitatis.

Utrum conſenſus illius, in cujus favorem lata eſt cenſura, excuſare poſſit ab incurrenda cenſura. Cap. 236.

1 Voluntas, ſeu conſenſus illius in cujus favorem conceſſa fuit cenſura, ſufficit ad ſuſpendendam cenſuram, ne incurratur, unde ſi Titius obtenta à ſummo Pontifice excommunicatione contra ſuos debitores non reſtituentes intra ſex menſes, proroget inſcio Summo Pontifice terminum uſque ad annum: debitores elapſis primis ſex menſibus non afficiuntur excommunicatione modo Titius habeat jus,& dominium remittendi, aut prorogandi debitum, vel ſatisfactionem.

2 Debitor elapſo termino prorogato ſibi à creditore in cujus favorem lata fuerat cenſura, ligatur cenſura quia terminus præfixus in ſententiæ cenſura non fuerat appoſitus ad finiendam obligationem ſolutionis, ita ut debitor non amplius teneretur ſolvere ſub cenſura, ſi non ſolviſſet intra terminum præfixum, ſed fuerat appoſitus ad ſollicitandam ſolutionem,ut debitor ſolveret intra illum terminum, & ne ultra differret : quando autem apponitur terminus aliquis, non ad finiendam, ſed ad ſollicitandam obligationem obligatio non ceſſat lapſo illo termino:prorogatio enim fit ſub eadem conditione unde debitor elapſo termino ſibi prorogato à creditore,tenetur ſolvere & non ſolvendo ligatur cenſura, quæ adhuc viget,& non extincta eſt ob lapſum termini.

3 Sunt aliæ cauſæ excuſantes ab incurrendis cenſuris, qualis cauſa eſt voluntarium imperfectum, quando cenſuræ poſtulant directum voluntariū & ſcientiam cenſuræ, qualis etiam eſt actio non ſufficiens ad effectum prohibitum ſub cenſura, Innocentia ſubditi, Injuſtitia materialis cenſuræ, Nullitas cenſuræ, ſive illa proveniat ex defectu juriſdictionis, ſive cauſæ.

De Abſolutione cenſurarum.

A quo poſſit auferri Cenſura. Cap. 237.

1 Cenſura reſervata lata ab homine per ſententiam generalem,vel particularem poteſt auferri per eum,qui eam tulit, vel per ejus ſuperiorem, vel per ſucceſſorem aut per eum cui ſpecialis facultas fuerit delegata, quia poteſtas ordinaria ferendi cenſuras etiam extenditur ad illas auferendas: habens vero poteſtatem delegatam poteſt ſolum cenſuram auferre, prout conceſſum ſibi fuerit à delegante, cum non habeat juriſdictionem ordinariam; ſed ſi habeat facultatem excommunicandi, poteſt etiam abſolvere: delegatus vero expleta delegatione poteſt intra annum abſolvere excommunicatum à ſe volentem obedire; lapſo vero anno poteſt illum abſolvere.

2 Quando ligatus cenſura nondum fuit abſolutus, & ſuperior, qui tulerat cenſuram, vel moritur, vel excommunicatur; vel ſuſpenditur, poteſt abſolvi à cenſura lata ab homine,ab eo qui ſuccedit in locum mortui vel excommunicati, vel ſuſpenſi. Prælatus ſuperior in juriſdictione poteſt abſolvere à cenſuris latis à ſuo inferiore, quia juriſdictio competens inferiori non datur illi, privando ſuperiorem juriſdictione,

Digitized by Google

ne,ſed illi datur, ut eauti poſſit, non ablata auctoritate ſuperiori. Mortuo Summo Pontifice poteſt Summus Pænitentiarius abſolvere à caſibus Pontifici reſervatis quia privilegium non extinguitur morte concedentis. Collegium vero Cardinalium magna ex cauſa abſolvit, quos Summus Pontifex potuit abſolvere. Cenſura non ceſſat per obitum ipſius Prælati, à quo cenſura lata fuerat.

3 Cenſura non reſervata lata per ſententiam generalem jure communi tolli, & auferri poteſt à quocumq; poteſtatem habente abſolvendi à mortalibus: nam eo ipſo, quo ſuperior cenſuram non reſervavit, cenſetur aliis conceſſiſſe facultatem abſolvendi, non autem cenſura lata per ſententiam particularem contra particularem aliquam perſonam, nam auferenda eſt ab eo, qui eam tueit, vel ab ejus ſucceſſore, vel ſuperiore, vel ſaltem ab habente facultatem delegatam: qui vero in uno loco contraxit excommunicationem non reſervatam latam ab Epiſcopo illius loci per ſententiam generalem, ſi mutet Domicilium; & ſe transferat ad aliam Diœceſim poteſt jure communi abſolvi à Confeſſario illius Diœceſis, ad quam ſe transfert, niſi obſtet conſuetudo, vel lex aliqua particularis illius Diœceſis: ita excommunicatus ingrediēns religionem, poteſt à ſuperiore illius Religionis abſolvi ab excommunicatione lata per ſententiam generalem, non autem per ſententiam particularem ſecluſo ſpeciali privilegio: Judex etiam poteſt impedere abſolutionem cenſurarum illi, qui à ſe appellavit, quia per appellationem non amiſit juriſdictionem ne poſſit abſolvere: abſolvendo autem à cenſura à ſe lata non impedit appellationem nec ligat cenſura: ſed potius illam aufert, & facit quod pars intendit per appellationem.

4 A cenſuris juris reſervatis ille poteſt abſolvere, qui eas tulit, vel ejus ſuperior, vel ſucceſſor in dignitate: à cenſuris vero nemini reſervatis abſolvere poſſunt omnes Prælati juriſdictionem habentes in foro externo, ut Epiſcopus, Priores, Guardiani, &c. Immo etiam Parochus, & alius quicumque Sacerdos poteſtatem habens abſolvendi à mortalibus: quia dum Superior non reſervat abſolutionem, cenſetur cuicumque Confeſſario concedere facultatem abſolvendi teſte communi conſuetudine, quod ſervandum eſt etiam in abſolutione aliarum cenſurarum niſi ſtet in ipſis ſpecialis aliqua exceptio; jure autem particulari ſancitum eſt in aliquibus locis, ne Parochi, vel alii Sacerdotes abſolvant à cenſuris excepta minore excommunicatione.

5 Quando Summus Pontifex concedit in Jubileo, vel extra Jubileum facultatem abſolvendi à cenſuris, & caſibus reſervatis non cenſetur concedere facultatem abſolvendi à cenſuris, & caſibus ab Epiſcopis reſervatis, nam Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, Sacra Congregatio decrevit, ne ullus prætextu cujuſcunque privilegii abſolvat à caſibus reſervatis Epiſcopo; poteſt autem obtenta facultate à Summo Pontifice abſolvendi ab omnibus cenſuris abſolvere à cenſuris reſervatis, quia aliter privilegium redderetur inutile, non autem poteſt abſolvere à caſibus contentis in Bulla Cenæ, qui obtinuit facultatem generalem abſolvendi ab omnibus caſibus Summo Pontifici reſervatis: quando non eſt facta mentio illius Bullæ: quia caſus Bullæ ſpecialiter reſervantur, unde indigent ſpeciali expreſſione in conceſſione facultatis abſolvendi, & ſic obtenta facultate abſolvendi à caſibus reſervatis, etiam contentis in bulla Cœnę nō poteſt abſolvere ab excommunicatione ob Hæreſim contracta: qui autem obtinuit facultatem à caſibus Summo Pontifici reſervatis poteſt abſolvere à cenſuris illi reſervatis: quia peccata Summo Pontifici reſervata, cenſetur illi reſervata ſolum ratione cenſurę, unde ſublata, cenſura quilibet Sacerdos approbatus poteſt ab illis abſolvere: quamvis facultatem non habeat abſolvendi à cenſuris, & caſibus reſervatis: ſed obtenta facultate Epiſcopo, abſolvendi à caſibus reſervatis non poteſt abſolvere à cenſuris; nam caſus, & cenſuræ apud Epiſcopum ſunt res diſtinctæ, & diverſæ.

* *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſunt abſolvere. Ex Bulla.*

* *Vigore privilegiorum nequaquam licet Regularibus etiam ſatisfacta parte abſolvere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſoluti ab eis in foro pænitentiali, utique non cenſentur abſoluti in exteriori juditio, & contentioſo. Quinimò cenſuris irretiti, & denunciati ab Epiſcopis cogi poſſunt ſe gerere pro talibus,*

bus, etiam ſi à Regularibus fuerint abſoluti Ex ſupra citata Bulla Clementis X.

De Poteſtate Epiſcoporum circa abſolutionem Cenſurarum. Cap. 228.

1 EPiſcopus poteſt abſolvere à cenſuris à ſe impoſitis, vel à ſuis prędeceſſoribus, & ab ominibus cenſuris, & caſibus reſervatis Summo Pontifici per ſe ipſum, aut Vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum, aut per Pœnitentiarum, aut per alium, & hæc facultas videtur conceſſa Capitulo Sede vacante, quia ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi ordinaria, idem ſentiendum creditur de aliis Prælatis habentibus uriſdictionem Epiſcopalem; poteſt etiam Epiſcopus, aut alius ab eo delegatus abſolvere ab interdicto ex *Trid. ſeſſ 24. c. 6.* Modo delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum: ex ipſo autem *Trid.* conſtat abſolutionem prædictam ab Epiſcopo datam, extenditantum ad forum conſcientiæ, & debere ab Epiſcopo impedi in propria Diœceſi: licet exiſtimo poſſe Epiſcopum abſolvere ſuum ſubditum à cenſuris exiſtentem extra propriam Diœceſim: delicta item habentia adnexam cenſuram Papæ reſervatam debent eſſe occulta, ideſt non publica, & notoria, nec famoſa, alioquin Epiſcopus non poteſt abſolvere: poteſt vero ſi ſint occulta quamvis probari poſſint teſtibus, modo non ſint publica, aut notoria in ratione delicti, nec debent eſſe deducta ad forum contentioſum, etiam ſi uno tantum teſte probentur, quia non poteſt ab hujuſmodi delictis Papæ reſervatis abſolvore ex ipſo *Trid.*

2 Epiſcopus poteſt abſolvere à caſibus Papæ reſervatis, quando deductum fuit delictum ad forum contentioſum: ſed reus non fuit in eo convictus: ſed potius ſe purgavit, & defendit, nam perinde eſt, ac ſi non fuit deductum: immo poteſt abſolvere illum cujus delictum non fuit deductum ad forum contentioſum: quamvis delictum alterius ſocii, ſeu complicis delatum ſit ad forum contentioſum: nam res inter alios acta non poteſt præjudicium afferre aliis, quibus res judicata non nocet: non autem poteſt abſolvere illum, qui in uno loco, in quo alius morabatur commiſit delictum ibi publicum, & notorium Papæ reſervatum, & poſteà ſe tranſtulit in alium locum, ubi delictum eſt occultum: quia hujuſmodi delicta ſunt verè publica, & Epiſcopus non poteſt abſolvere à delictis publicis Papæ reſervatis: poteſt tamen Epiſcopus ab excommunicatione publica, & alia quacumque reſervata Papæ abſolvere excommunicatum habentem impedimentum legitimum, propter quod non poteſt adire Papam, ut quando labora longa infirmitate, etiam non periculo, aut ſenectute, aut paupertate: vel ſi fœmina, vel impubes, vel ſi laboret alio ſimili impedimento; laborans autem aliquo ex dictis impedimentis tenetur mittere ſaltem Epiſtolam, ſi commode poteſt pro abſolutione obtinenda; nam non eſt credibile Papam velle ab Epiſcopo abſolvi, quando patet recurſus ad ſedem Apoſtolicam per procuratorem, vel per epiſtolam; poteſt etiam Epiſcopus abſolvere ab excommunicationibus Papæ reſervatis vagabundos, peregrinos, Scolaſticos, & mercatores in cujus diœceſi reperiuntur: nam quoad Sacramentum Confeſſionis & Euchariſtiæ ſunt ſubditi Epiſcopo loci in quo reperiuntur ex conſuetudine generali Eccleſiæ: ergo etiam ſunt ſubditi quoad abſolutionem excommunicationis: poteſt etiam Epiſcopus abſolvere ſuum ſubditum: qui in aliena diœceſi excommunicationem contraxit modo non habuerit intentionem manendi in illa diœceſi majore parte anni: quia non ligatur legibus illius diœceſi: quando tamen cenſura illi non fuiſſet lata per ſententiam particularem: quia tunc exiſtimo impendendam eſſe abſolutionem à Prælato, qui eam tulit: ſecus ſi lata fuit per ſtatutum, vel per ſententiam generalem.

3 Archiepiſcopus non poteſt acenſuris latis à ſuffraganeis vel à Sede Apoſtolica abſolvere ſubditos ſuffraganeorum, quia non habet in ipſos juriſdictionem; poteſt tamen, quando facta fuit appellatio apud Archiepiſcopum, quia per appellationem acquiritur juriſdictio: vel quando Epiſcopus ſuffraganeus malitioſè, aut negligenter differt abſolutionem: tunc enim par eſt ut Archiepiſcopus illum abſolvat: vel quando viſitat Diœceſim, tunc enim ratione officii ordinariam habet facultatem abſolvendi.

Quis

Quis poſſit à cenſuris abſolvere in articulo mortis. Cap. 239.

1 LAicus vel etiam Clericus, qui non eſt Sacerdos non poteſt à cenſuris abſolvere in articulo mortis; quia Sacerdos poteſt abſolvere in articulo mortis, eo quod abſolutio à cenſuris debeat præcedere abſolutionem à peccatis; ſed abſolutio à peccatis non poteſt impendi à Laico, vel à Clerico nondum Sacerdote, ergo Laicus, vel Clericus non poteſt in articulo mortis abſolvere à cenſuris: neque Diaconus, qui non excommunicavit, vel non habet ſpecialem aliquam facultatem abſolvendi poteſt in articulo mortis abſolvere, quia non poteſt à peccatis abſolvere, & in *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. fit tantummodo mentio Sacerdotum.

2 In articulo mortis quilibet ſimplex Sacerdos, quamvis ſit degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis vel etiam hæreticus poteſt abſolvere à cenſuris, & à peccatis reſervatis, quando non patet aditus ad ſuperiorem, cui cenſuræ, & caſus ſunt reſervati, vel ad Confeſſarium approbatum, qui velit abſolvere ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 7. Quia quando patet aditus ad ſuperiorem, vel ad alium Confeſſarium approbatum, non videtur adeſſe neceſſitas propter quam conceſſa fuit à jure civili Sacerdoti poteſtas abſolvendi: ſi vero Sacerdos inferior, vel non approbatus, qui cæpit audire confeſſionem pænitentis in articulo mortis antequam adveniret ſuperior, vel alius Sacerdos approbatus, poteſt adveniente ſuperiore, vel alio approbato Sacerdote reliqua peccata audire, & abſolvere; quando autem ſimplex Sacerdos ſemel abſolvit, & poſtea adveniente Confeſſario approbato infirmus recordatur aliquorum peccatorum oblitorum, confeſſio iſtorum peccatorum facienda eſt Confeſſario approbato, cum iſta ſit nova confeſſio, & reſpectu iſtius confeſſionis res dicatur integra. *Concil. Trid.* loco citato, dum indicat omnibus Sacerdotibus competere facultatem abſolvendi ab omnibus peccatis, & cenſuris in articulo mortis, & non reſtringit ipſam facultatem uſque ad adventum ſuperioris, vel alterius Confeſſarii approbati, & ideo Confeſſarius poteſt abſolvere à peccatis, quæ cæpit audire ante ſuperioris, vel alterius Confeſſarii approbati adventum; ſi verò infirmus habet peccata reſervata exiſtimo adveniente ſuperiore, cui cenſura eſt reſervata, petendam eſſe ab ipſo facultatem abſolvendi, vel ut ipſe prius abſolvat à cenſura: nam ſi infirmus mortis periculum evaſiſſet, Sacerdos, qui non habet privilegium abſolvendi à cenſuris, præcepiſſet, ut ſe legitimo ſuperiori præſentaret quam primum commodè potuiſſet, tunc vero pænitens advenienti ſuperiori poteſt ſe præſentare, vel per ſe, vel per confeſſarium, vel per alium petere facultatem abſolutionis obtinendæ: ſi vero ſuperior noluerit in eo caſu facultatem, vel abſolutionem concedere, niſi tota confeſſio ſibi fiat, poterit ſimplex Sacerdos proſequi confeſſionem inchoatam, & abſolvere, nam pænitens cenſetur ſe præſentaſſe, ſuoque oneri ſatisfeciſſe: nec ſuperiori, qui eſt inferior Summo Pontifice poteſt ſimplici Sacerdoti juriſdictionem auferre circa illum, cujus confeſſionem cæpit audire.

3 Articulus mortis dicitur non ſolum periculum mortis proveniens ex infirmitate, ſed quodlibet probabile periculum mortis, quod contingit, quando adeſt probabile dubium de morte: quæ ut plurimum ſolet in eo eventu contingere, ut accidit quando quis cogitur ſuſcipere navigationem periculoſam, vel iter prædonibus expoſitum, aut quando fœmina eſt partui proxima, & nondum aliàs peperit, aut ſi aliàs peperit, experta eſt parere cum periculo mortis, &c. In his caſibus abſolutio à cenſuris, & caſibus reſervatis impendi poteſt à quolibet Sacerdote. quando vero pænitens poteſt recurrere ad ſuperiorem per Confeſſarium, vel per litteras, licet non poſſit per ſe ipſum: tunc quilibet ſimplex Sacerdos non poteſt abſolvere: quia ſe poteſt præſentare ut obtineat abſolutionem, hoc tamen intelligitur modo fieri poſſit abſque nota infamiæ, vel abſque alio gravi periculo: quando vero dubitatur, utrum pænitens in articulo mortis exiſtens poſſit expectare, & ſupervivere, donec facultas obtineatur à ſuperiore poteſt abſolvi non expectata alia facultate.

4 Quando ſimul adeſt Sacerdos ſimplex, & alius approbatus abſolutio reſervatorum impendenda eſt ab approbato, ſive approbatus facultatem habeat abſolvendi à re-

à reſervatis, ſive non: nam in hoc caſu ceſſat neceſſitas propter quam confeſſio fieri poſſit cuilibet ſimplici Sacerdoti, etiam ſi ille Sacerdos approbatus fuerit approbatus in alia diœceſi, & non in diœceſi pænitentis nam ipſe potiori jure gaudet, quam gaudeat Sacerdos nullibi approbatus: præſente vero Sacerdote approbato excommunicato, ſeu ſuſpenſo vitando, & alio ſimplici Sacerdote non excommunicato, nec ſuſpenſo: confeſſio facienda eſt ſimplici Sacerdoti, nam excommunicatus vitandus caret juriſdictione, & prohibetur miniſtrare Sacramenta: Sacerdos vero ſimplex tunc non caret juriſdictione: ſic præſente uno Sacerdote Catholico, ſuſpenſo, vel interdicto, vel irregulari, & alio Sacerdote, qui ſit excommunicatus vitandus, confeſſio potius facienda eſt irregulari, vel ſuſpenſo, vel interdicto, quam excommunicato, quia irregularitas eſt minus impedimentum, quam ſit excommunicatio; ita etiam facienda eſt potius confeſſio interdicto, vel ſuſpenſo, quam irregulari: ſic potius Sacerdoti excommunicato, vel irregulari, quam degradato: ita etiam potius Sacerdoti facultatem habenti abſolvendi à reſervatis; quam non habenti.

5 Exiſtentem in articulo mortis poteſt quilibet ſimplex Sacerdos abſolvere ab illis cenſuris, quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, qualis eſt excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à ſuſceptione Sacramentorum, & ab Eccleſiaſtica ſepultura, quia damnum pateretur, & periret, ſi tunc non abſolvetur: non autem poteſt abſolvi ab irregularitate, aut à ſuſpenſione, ab ordine, officio, vel beneficio, quæ non retardant ad conſecutionem gloriæ: poteſt autem infirmus, qui non potuit petere abſolutionem peccatorum, abſolvit à cenſuris ut recipiat reliqua Sacramenta, & non privetur Eccleſiaſtica ſepultura.

6 An pænitente non puero; qui in mortis articulo abſolvitur à Sacerdote non habente facultatem abſolvendi à cenſuris extra mortis articulum extorquendum eſt, ſi fieri poteſt, juramentum ſublato impedimento perpetuo præſentandi quam primum commode poterit coram ſuperiore; qui de jure poteſt extra illum articulum abſolvere: alioquin pænitens reincidit in eamdem cenſuram, nec poteſt peti à puero, vel à pænitente, ſenſibus deſtituto, vel habente impedimentum perpetuum, ſed ſolum ab eo, qui temporali impedimento laborat; quia tunc non poteſt ſe ſuperiori præſentare. In gravioribus autem delictis, ut in delictis Bullæ Cænæ non ſolum extorquendum eſt juramentum, ſed etiam extorquenda eſt cautio pignoranctitia, vel fidejuſſoria, quando pænitens tenetur ſatisfa ionem pecuniariam præſtare quam tunc præſtare non poteſt: quando vero pænite s non tenetur exhibere ſatisfactionem pecuniariam, non tenetur præſtare pignoratitiam, vel fidejuſſoriam cautionem, ſed ſatisfacit jurando, ſe præſtituram ſatisfactionem, ſi quam præſtare tenetur: quando autem ſublato morbo, & impedimento ſatisfecit parti læſæ, tamen tenetur ſe præſentare ſuperiori, quia obligatio præſentandi imponitur, tamquam pars pœnæ, ut pænitens impoſterum obediat & melius abſtineat ab hujuſmodi delictis patrandis, & imponitur non ut iterum abſolvatur, cum jam ſit abſolutus ſed ut oſtendat ſe obedientem ad recipiendam debitam medicinam, & ad exhibendam majorem ſatisfactionem, ſi ſuperior ipſe majorem judicaverit imponendam: remanet tamen abſolutus, quando Confeſſarius ex oblivione, vel negligentia illi non explicavit onus ſe præſentandi ſuperiori, ſublato periculo: quia Eccleſia non irritat aliter factum; abſolutus vero in mortis articulo vi alicujus privilegii, non tenetur ſe præſentare elapſo mortis periculo: quia hujuſmodi onus injungitur, quando aliquis abſolvitur ob mortis periculum à Sacerdote non habente facultatem, non vero ob aliud privilegium. Qui autem fuit cenſuris reſervatis abſolutus in articulo mortis à Sacerdote non habente facultatem, ſatisfacit adeundo Confeſſarium, qui ratione alicujus privilegii poteſtatem habet abſolvendi extra mortis articulum, ab eoque novam abſolutionem obtinendo abſque alio onere: nam prior abſolutio non obſtat, quin pœnitens poſſit novam abſolutionem abſolutam obtinere.

7 Cenſura in qua pænitens reincidit non præſentando ſe ſuperiori quam primum commode po eſt, elapſo morbo, vel impedimento non eſt eadem numero cum ea quæ fuit ablata, nam prima fuit ablata per abſolutionem, & idem effectus non poteſt naturaliter redire, ſed eſt nova cenſura, quæ contrahitur ex juris diſpoſitione, & u-

ctori-

ctione, ut qui tulerit arma ſit excommunicatus vel ſuſpenſus quia verba non ſunt determinata ad aliquam particularem cenſuram, unde nihil operantur: tamen nihi videtur valida: nam licet non ſit abſolute determinata ad unam partem, confusè tamen eſt definita, & determinata ad unum, nam judex intendit, ut delinquens unam earum cenſurarum incurrat, ita ut liberum ſit delinquenti ſeſe applicare ad utram ipſe voluerit partem, quando vero delinquens non vult unam partem eligere, ſubiacet utrique pœnæ nam hæc videtur intentio ferentis pœnas ſub diſiunctione, aut dici poteſt, delinquentem, qui unam cenſuram non obſervat, cenſeri alteram elegiſſe, nam quando ex diſiunctiva una pars deſtruitur, manet altera.

2 Verba quibus exprimitur cenſura debent eſſe determinata ad aliquam perſonam eam nominando ſi cognoſcitur vel deſcribendo aliquo modo, vel illam deſignando per ordinem ad delictum, ut ſi dicatur Clericus, qui geſtaverit comam incidat in ſuſpenſionem: ſed ſi diceret; ego excommunico, cum in iſtis verbis nulla perſona exprimatur dicendum eſt nullam perſonam ſubiacere excommunicationi, & ſic quando ſuperiori dicit Excommunico unū de duobus, aut excommunico unum ex iis, qui furati ſunt: quando plures furati ſunt: cum enim verba ſunt indeterminata, nec conſtet ad quem ſuperioris intentio referratur, nullus remanet excommunicatus.

Utrum cenſura debeat ferri in ſcriptis.
Cap. 226.

1 Ferens cenſuram ſolo verbo ſine ſcriptura mortaliter peccat, & incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, & à divinis: quam ſuſpenſionem etiam incurrit ferens cenſuram ſine expreſſione cauſę, aut qui parti petenti non concedit exemplar ſcripturę intra menſem ſi petatur, & hoc requiritur: ut Judex cautior fiat in ferenda cenſura, ne imprudens habeatur: ab iſta pœna ſuſpenſionis recenſita eximuntur Epiſcopi, ferentes cenſuram ſolo verbo; ſic eximuntur denunciantes aliquam excommunicationem: ita eximuntur ferentes cenſuram ſine ſcriptura: quando hoc faciunt ob urgentem, & juſtam aliquam cauſam; eximuntur etiam, qui hoc faciunt bona fide, ex quadam inadvertentia cenſuræ; Eximuntur etiam aliqui prælati Religioſorum ferentes cenſuras contra ſuos religioſos ſine ſcriptura; quia nimis durum eſſet ipſis ſervare hunc ordinem juris, cum ſæpe cenſuram ferre debeant: aut quod probabilius eſt excuſantur ſi peculiare privilegium habeant à Summo Pontifice. Eximuntur ferentes ſimplicem prohibitionem: qui non intendunt ferre cenſuram proprie dictam, ut quando præfecti Chori repellunt aliquos Canonicos à Choro, ſed non intendunt illos propriè ſuſpendere à choro.

2 Cenſura lata ſine ſcriptura, vel ſine expreſſione cauſæ non eſt irrita, & invalida, quia omiſſio ſcripturæ, ſeu cauſæ non cenſetur omiſſio formæ ſubſtantialis, ſed ſolum accidentalis.

Utrum in ferenda vel incurrenda cenſura requiratur admonitio.
Cap. 227.

1 AD incurrendam cenſuram requiritur prius admonitio: quia cenſura ex conſuetudine Eccleſiæ ferri ſolet tantum in contumaces contra Eccleſiam vel contra ſuperiorem, ſed non poteſt eſſe contumacia niſi pręſupponatur admonitio, quę requiritur in cenſura ſive lata ab homine, ſive à jure, ſine ob eadem, ſive ob diverſam cauſam, ſive in genere, ſive in ſpecie, ſive pro præteritis, ſive, pro futuris culpis: hæc tamen eſt differentia inter cenſuras latas pro pręteritis, & pro futuris culpis quod cenſuræ latæ pro futuris culpis non requirunt admonitionem diſtinctam ad ipſa lege, vel prohibitione, quia lex ipſa non ignorata admonet, & propterea excommunicatio hoc modo ferri poteſt Omnis Clericus, qui tulerit arma ſit excommunicatus: unde Clericus delinquens excommunicatione ligatur abſque alia admonitione: in cenſuris verò latis pro culpis præteritis, vel præſentibus requiritur admonitio diſtincta Invalida eſt cenſura, quando nulla præceſſit admonitio, & propterea Summus Pontifex non poteſt de poteſtate ſaltem ordinaria aliquem valide excommunicare, niſi præmittat aliquam admonitionem.

2 In cenſura comminatoria lata pro futuris culpis non requiritur admonitio diſtin-

ſtinoris per nutus, aut ſigna abſque verbis vel ſcriptura, quia non poſſunt variare formam juris communis: quæ eſt ut detur per verba, vel ſcripturam: Summus autem Pontifex ſi declaret ſe velle ſolo nutu, vel facto abſolvere, poteſt quia habet ſupremam poteſtatem abſolvendi non ſervata forma juris communis.

3 In Abſolutione cenſuræ non requiritur expreſſio cauſæ ipſius cenſurę, unde non eſt neceſſe dicere, ego te abſolvo ab ea ſuſpenſione, quam contraxiſti ob tale delictum: quia expreſſio cauſæ nullo jure præſcribitur in abſolutione: tamen neceſſe eſt aliquando cauſam cenſuræ exprimere: quando ſcilicet quis pluribus cenſuris eſt irretitus, & ſuperior intēdit unam tantum auferre: tunc cenſuræ cauſa exprimenda eſt ut conſtet, quæ nam auferatur.

Utrum una cenſura poſſit auferri, remanente alia, & utrum cenſuræ poſſint auferri extra Confeſſionem. Cap. 242.

1 UNa cenſura poteſt auferri alia remanente, nam ſicut poteſt ferri una ante aliam, ſic poteſt auferri, & propterea ille non remanet abſolutus ab omnibus cenſuris, qui petit abſolutionem ab una cenſura: licet ſuperior impendat abſolutionem generalem, nam abſolutio debet accomodari petitioni, & hoc verum eſt præſertim in abſolutione, quæ impenditur extra confeſſionem, non autem in abſolutione, quæ conferri ſolet in Sacramento pœnitentiæ in quo ſolet Confeſſarius ante Sacramentalem abſolutionem præmittere generalem abſolutionem cenſurarum, quantum licite poteſt, & quantum pœnitens indiget, In quo caſu pœnitens, quamvis cenſuram aliquam ex oblivione omiſerit, remanet ab omnibus abſolutus, modo Confeſſarius facultatem habeat abſolvendi, & intendat omnes auferre: unde ſi poſt confeſſionem recordetur alicujus peccati obliti habentis adnexam aliquam cenſuram tenetur ſolum confiteri peccatum oblitum, cui erat annexa cenſura; ſecus dicendum ſi Confeſſarius ſolum abſolvit à cenſuris in confeſſione auditis; optimum igitur conſilium eſt pænitenti, in confeſſione petere abſolutionem generalem ab omnibus cenſuris, ut remaneat abſolutus ab omnibus, & ſic, qui confeſſus eſt peccata ſua ſed oblitus eſt alicujus peccati habentis adnexam aliquam excommunicationem, à qua non poterat abſolvi, niſi præmiſſa ſatisfactione partis: remanet abſolutus ſi obtinuit abſolutionem generalem ab eo Sacerdote, qui facultatem habeat abſolvendi, etiam non præmiſſa ſatisfactione partis, quod mihi non probatur: dico autem abſolutum per abſolutionem generalem à cenſuris, vel à caſibus reſervatis oblitis in confeſſione, ſi poſt confeſſionem recordetur alicujus cenſuræ, vel peccati obliti, poſſe abſolvi à quolibet ſimplici Confeſſario habente facultatem abſolvendi à mortalibus: quamvis non habeat facultatem abſolvendi à cenſuris, vel à caſibus reſervatis.

2 Pænitens tenetur confiteri peccata oblita, ut ab ipſis directe abſolvatur: non vero tenetur confiteri cenſuras illis peccatis adnexas: quando confeſſus eſt Sacerdoti habenti facultatem abſolvendi ab illis cenſuris oblitis: quia confeſſio peccatorum integre facienda eſt jure divino ad ſatisfaciendum Deo, non vero jure divino ſancitum eſt, ut cenſuræ manifeſtentur in confeſſione: vel in tantum manifeſtandæ ſunt, in quantum opus eſt, ut auferantur: ſi ergo ſemel aliqua ratione ablatæ ſunt, non eſt neceſſe eas ſemel oblitas deinceps exprimere in Sacramento, ſicut neceſſe eſt exprimere peccata mortalia oblita ſive haberent adnexam cenſuram, ſive non.

3 Habens juriſdictionem ordinariam poteſt extra confeſſionem abſolvere à cenſuris, quia ſicut extra confeſſionem poteſt ligare, ita etiam abſolvere: habens vero facultatem delegatam poteſt abſolvere juxta conceſſionem ſibi factam, unde quando conceditur facultas abſolvendi abſolute poteſt abſolvere extra confeſſionem: habens vero facultatem limitatam abſolvendi tantum in Sacramentali confeſſione, vel confeſſionibus diligenter auditis, non poteſt abſolvere extra confeſſionem: quia facultas, & juriſdictio exercenda eſt juxta voluntatem concedentis.

4 Qui habet facultatem abſolvendi in foro conſcientiæ à cenſuris poteſt abſolvere extra confeſſionem, quamvis non abſolvat à peccatis: qui vero habet facultatem abſolvendi in foro penitentiæ poteſt abſolvere extra Sacramentalem confeſſionem quoties abſolutio cadit ſupra materiam, ad-

quam per ſe non requiratur abſolutio Sacramentalis, niſi aliter colligatur ex verbis confeſſionis, & hæc eſt differentia inter forum conſcientiæ, & forum pænitentiæ: quod quando conceditur privilegium abſolvendi in foro pænitentiæ injungenda eſt ſalutaris pœnitentia, & poteſt extra confeſſionem abſolvere injuncta ſalutari pænitentia: nam cenſuræ non ſunt materia, ad quam per ſe non requiritur abſolutio Sacramentalis: quando vero habet facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis in foro pænitentiæ, non poſſunt extra confeſſionem abſolvere: nam abſolutio cadit ſupra materiam, ad quam per ſe requiritur Sacramentalis abſolutio, nam reſervatio peccatorum tollitur per abſolutionem Sacramentalem.

5 Pænitens remanet abſolutus à cenſuris dum accedit ad Confeſſarium, & voluntariè reticet in confeſſione peccatum habens adnexam cenſuram, vel quando petit in genere abſolutionem, ſed nolit cenſuram exprimere, quando Confeſſarius eſt judex ordinarius, & ita unit abſolvere: nam valide abſolvit, cum poteſtatem habeat abſolvendi, quamvis male faciat non inſpiciendo prius an pænitens ſatisfecerit Eccleſiæ, &c. quando autem Confeſſarius habet ſolum facultatem delegatam abſolvendi extra confeſſionem, valide abſolvit, quando ita intendit abſolvere: non autem valide abſolvit, ſi non habet facultatem abſolvendi extra confeſſionem, nam in Sacramento pænitentiæ requiritur cognitio peccatorum, cui eſt adnexa cenſura, unde non tenet abſolutio cenſuræ, quando cenſura voluntarie reticetur, ſicut neque tenet abſolurio peccati Confeſſarius autem non præſumitur habere intentionem abſolvendi ab excommunicatione, quam pænitens ſponte ſine juſta cauſa reticet, nam Confeſſarius præſumitur habere intentionem abſolvendi, quantum licite poteſt, non videtur autem poſſe licite abſolvere à cenſuris, quas pænitens ſponte ſine juſta cauſa reticet; ſecus dicendum quando cenſura reticetur ſolum ex oblivione: tunc enim tenet abſolutio generaliter tradita, modo abſolvens habeat facultatem abſolvendi, ſi cenſura ſibi fuiſſet manifeſtata.

6 Pœnitens, qui virtute Jubilei, vel alterius privilegii habet facultatem eligendi Confeſſarium approbatum ab ordinario debet eligere Confeſſarium approbatum ab ordinario propriæ, diœceſis, ut declaravit Cardinalium Congregatio; pœnitens autem remanet abſolutus à cenſuris, & à peccatis reſervatis, quando cum intentione conſequendi Jubilæum, & præſtandi cætera opera accedit ad Confeſſarium, qui eum abſolvit, licet obtenta abſolutione aliquid omiſit, & ratione omiſſionis non conſequitur indulgentiam, dummodo acceſſerit ad Confeſſarium cum propoſito præſtandi cætera requiſita ad conſequendum Jubilæum: quia abſolutio non fuit data ſub conditione, ſed abſolute; unde pœnitens remanet abſolutus, licet non conſequatur Jubilæum, & propterea abſolutus à cenſuris, & caſibus reſervatis tempore Jubilæi non reincidit in cenſuras, vel in reſervationem etiam ſi poſtea voluntarie prætermittat cætera requiſita ad conſequendum Jubilæum: nec graviter peccat abſolutus à cenſuris tempore Jubilæi, non præſtando cætera requiſita ad conſequendum Jubilæum.

Utrum abſolutio cenſurarum dari poſſit ſub conditione, vel ad cautelam. Cap. 243.

1 ABſolutio cenſurarum poteſt valide ferri, non ſolum ſub conditione de præſenti, & præterito, ſed etiam de futuro, nam de præſenti, & de præterito æquivalet abſolute, de futuro poteſt ferri cenſura: ita abſolutio.

2 Abſolutio cenſurarum dari poteſt ad cautelam, nam uſu receptum eſt, ut quando neſcitur, ſeu dubitatur an contracta fuerit cenſura, aut quando prætenditur eſſe invalida petatur abſolutio ad cautelam, & ita impendatur ſub hac conditione, ſi pœnitens indiget, vel ſi contraxit, abundans enim cautela non nocet: immo abſolutio ad cautelam communiter præmitti ſolet, antequam pœnitens abſolvatur à peccatis, ut tollatur impedimentum, ſi quod forte ſubeſt ad recipiendum Sacramentum: quando vero quis petit abſolutionem cenſuræ non cenſeatur probata, maxime dum agitur de magno præjudicio, quia petens abſolutionem cenſuræ non fatetur cenſuram, ſed ſolum indicat ſe habere conſcientiam læſam, & forte petere abſolutionem ad cautelam, negandum tamen non eſt, quin adſit præſumptio contractæ cenſuræ, quæ præſumptio ſufficit in iis, quæ modicum afferunt præjudicium, non vero in iis, quæ majoris ſunt præjudicii, quia tunc probationes debent eſſe claræ.

Utrum

Utrum abſolutio poſſit impendi vel extorqueri per dolum ac errorem, vel per vim, & metum. Cap. 244.

1 Sicut cenſura impendi, & extorqueri debet ſine dolo, vel errore, ita etiam ejus abſolutio, & propterea extorquens per dolum, vel errorem abſolutionem non remanet abſolutus, quia ſuperior non intendit abſolvere niſi juſta cauſa ſibi propoſita; ergo invalida eſt abſolutio extorta per dolum verſantem circa cauſam finalem: quia non ſubſiſtit cauſa Judici propoſita: propterea qui mentiendo dicit judici ſe ſatisfeciſſe parti læſæ, vel qui Confeſſario dicit, ſe non habere facultatem ſatisfaciendi; cum poſſit, invalidè abſolvitur, quia ſuperior intendit abſolvere ſubſiſtente cauſa finali ſibi expreſſa: abſolutio vero extorta per dolum verſantem circa cauſam ſolum impulſivam valida eſt, quia ſuperior intendit abſolvere ob cauſam finalem, quam ſupponit ſubſiſtere, licet non ſubſiſtat impulſiva, ſic etiam ſicut cenſura ferri debet libere ſine vi, & metu: ita etiam ejus abſolutio, alioquin inferretur injuria ſuperiori, & proterea abſolutio data per vim, vel metum injurioſum cadentem in conſtantem virum invalida eſt, ſive metus incuſſus ſit à maſculo, ſive à fæmina, ſive à fideli, ſive ab infideli, ſive à quolibet alio per ordinem ad extorquendam abſolutionem: quia hujuſmodi abſolutio irritatur à jure, & hęc doctrina extenditur ad abſolutionem cujuſcumque cenſurę, etiam minoris excommunicationis: quando autem metus incutitur juſte, & ſine injuria, valida eſt abſolutio, quia non dicitur proprie vis; vel metus incuti, niſi injuſtè incutiatur; ſi vero abſolutio extorquaetur per metum levem valida eſt, cum in jure non habeatur ratio metus levis, metus autem debet incuti ab homine, ut ſit invalida abſolutio, nam quando metus à Deo, vel à cauſa naturali incutitur valida eſt abſolutio, ut autem ſit invalida abſolutio non requiritur, ut metus fuerit incuſſus ab eo, cui abſolutio impenditur, ſed ſufficit à quocumque fuerit incuſſus.

Utrum valida ſit abſolutio cenſuræ collata pænitenti antequam ſatisfacerit parti læſæ. Cap. 245.

1 Habens poteſtatem ordinariam valide poteſt abſolvere pœnitentem, qui nondum ſatisfecit parti læſæ, quamvis antea potuerit ſatisfacere, aut cautionem ſatisfaciendi exhibere: quia ordinarius non habet juriſdictionem limitatam; unde valide utitur juriſdictione, quoties ea uti voluerit: licet concedamus ipſum graviter peccare abſolvendo pænitentem ante realem ſatisfactionem, quam præſtare poterat: habens autem facultatem delegatam: ſeu privilegium abſolvendi abſque limitatione ſatisfactæ partis valide abſolvit pænitentem, qui nondum ſatisfecit parti læſæ, quia habet privilegium abſolvendi abſque limitatione ſatisfactæ partis; unde qui habet privilegium abſolvendi cum conditione ſatisfactionis non poteſt valide abſolvere pænitentem, qui nondum ſatisfecit, modo poſſit ſatisfacere; ſatisfactio autem non requiritur tamquam neceſſaria conditio limitans juriſdictionem, nam ſuperior apponens hujuſmodi particulas, non intendit limitare juriſdictionem, aut novam formam inducere, ſed intendit certiorem facere Confeſſarium, ut ſervet formam juris communis, ut videlicet non abſolvat pœnitentem abſque ſatisfactione, vel antequam exhibeat condignam cautionem: quo circa niſi in privilegio addatur particula expreſſe irritans abſolutionem, non præſcribens novam formam, valida eſt abſolutio ante ſatisfactionem collata, etiam ſi privilegium conceſſum ſit ſub hac forma ſatisfacta parte, vel de conſenſu partis; Confeſſarius autem, licet habeat privilegium abſolvendi cum limitatione ſatisfactionis, tamen poteſt abſolvere pęnitentem, qui moraliter non poteſt ſatisfacere, aut qui non poteſt ſatisfacere ſine gravi damno famę, vel ſtatus, vel bonorum; modo creditor non ſentiat ęquale damnum, quia ad impoſſibile nemo tenetur: quando verò pęnitens non poteſt ſatisfacere, nec abſolutio differri poteſt niſi per multum temporis, vel cum gravi damno, poteſt Confeſſarius abſolvere exhibita à pænitente ea ſatisfactione, quam poteſt exhibere ante abſolutionem, exhibendo videlicet cautionem pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, vel ſaltem juratoriam promittendo ſe ſatisfacturum prima oblata occaſione, modo Confeſſarius probabiliter credat pęnitentem oblata occaſione ſatisfacturum; quando verò penitens non poteſt totam ſatisfactionem realem exhibere, debet ſaltem ante abſolutionem

eam partem ſatisfactionis exhibere, quam poteſt, præſtando pro reliqua parte debitam cautionem.

2 Confeſſarius qui poteſtatem habet abſolvendi cum conditione (ſatisfacta parte) poteſt ſtatim abſolvere pœnitentem excommunicatũ,qui dedit pecuniam Confeſſario vel alteri viro probo, ut commodius reſtituatur parti læſæ:quia hoc modo ſatisfeciſſe videtur; ſicut enim ſtatim poteſt abſolvere ſi deponat pecuniam in loco tuto, ut parti reſtituatur,vel quando per fidelẽ campſorem tranſmitti pecuniam ad creditores: vel quando non ſtat per ipſum pœnitentem, ne ſatisfactionem præſtet, ſed potius ſtat per ipſam partem: quæ non vult ſatisfactionem acceptare:poteſt etiam pœnitens abſolvi ante ſatisfactionem, quando dubitat ſe teneri ad ſatisfaciendum in foro tamen externo, quia apponitur ſatisfacta parte: intendens de ſatisfactione debiti certi,in foro verò interno; debet judicare Confeſſarius juxta dicta ipſius pœnitentis: ſi dicat teneri vel non teneri, facta vero reſtitutione,non ſtatim aufertur excommunicatio abſque alia abſolutione, ſed requiritur abſolutio: & propterea poſita ſatisfactione ſtatim poteſt abſolvi.

* *Alex.VII. damnavit hanc propoſitionem. Quoad forum conſcientiæ Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante ceſſant cenſuræ. Die 18. Martii 1666.*

Quid ſibi vult aliquem abſolvi in foro interiori, vel conſcientiæ. Cap. 246.

1 ILle dicitur abſolvi in foro interiori, ſeu conſcientiæ, qui abſolvitur ab eo cui ſuperior conceſſit facultatem abſolvendi ſalvo jure cognoſcendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & ſatisfactionem imponendi: conceditur autem facultas abſolvendi in foro tantum conſcientiæ, vel in ordine ad Sacramentalem confeſſionem,quando hęc verba exprimuntur in privilegio: quando vero facultas abſolvendi conceditur nulla addita limitatione, videtur conceſſa in utroque foro: unde quando quis in foro conſcientiæ fuit abſolutus, non indiget nova abſolutione, ut poſſit cum ceteris communicare, aut actus per cenſuram prohibitos exercere: hoc autem conſtare poteſt, etiam in judicio per atteſtationem Confeſſarii aſſerentis ſe illi beneficium abſolutionis impendiſſe. Caveat tamen Confeſſarius, ne faciat prædictam atteſtationem, antequam obtinuerit à pænitente facultatem iſtius atteſtationis faciendæ: cum non poſſit de auditis in confeſſione loqui.

De Solemnitate, & ritu in abſolutione ſervando. Cap. 247.

1 ANtequam abſolutio cenſuræ impendatur, præcedere debet petitio ipſius abſolvendi, non quidem ex neceſſitate, & eſſentia abſolutionis, ſed ex congruitate, quia non derelinquens hanc petitionem indicat ſe paratum eſſe ad obediendum, & à contumacia recedendum: quando autem cenſura cum alterius detrimento contracta eſt, non debet abſolutio impendi ante præſtitam ſatisfactionem, vel debitam cautionem de ea præſtanda.

2 In excommunicatione contracta ob enorme delictum, cujuſmodi eſt Clerici percuſſio, aut crimen in Bulla Cœnæ contentum extorquendum eſt juramentum à delinquente, quo juret non amplius patraturum tale delictum, quo juramento non eſt opus, dum abſolvitur ſolum in foro pænitentiæ virtute Jubilæi, aut alterius privilegii: quia ſacri Canones extorqueri volunt juramentum, ut reus caveat ab hujuſmodi criminibus in futurum patrandis, quod non militat in foro conſcientiæ. Reo autem non poteſt imponi pœna pecuniaria ſolvenda ſi non paruerit, quia redolet ſuſpicionem avaritiæ.

3 Dum quis in foro externo ab excommunicatione abſolvitur ſuper nudos humeros, modo fæmina non ſit, leviter cœdi debet virga, fune, aut flagello, dum recitatur Pſalmus (Miſerere,) aut alius pœnitentialis, poſt modum dicto (Gloria Patri, &c.) Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter, &c.) verſiculo (Salvum fac,) abſolvens hanc orationem recitat: oremus. Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis ſententia ligatum tenet, miſeratio tuæ pietatis abſolvat per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen, deinde abſolutionis verba ſubiungit. Auctoritate, qua fungor abſolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurriſti ob hanc, vel illam cauſam reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ,& communioni fidelium in nomine Patris, &c.

Digitized by Google

&c. Amen. Iſtæ tamen ceremoniæ non ſunt de eſſentia abſolutionis; quando vero pœnitens abſolvitur ſolum in foro conſcientiæ non ſunt neceſſariæ hæ ceremoniæ: ſed ſufficit ſolum adhibere verba conſueta, quibus ligati cenſuris abſolvi conſueverunt. Poſt abſolutionem publicanda eſt abſolutio ſi delictum publicum erat, & cenſura denunciata, ne fidelibus cum eo participantibus ſcandali, & ruinæ occaſio præbeatur.

DE EXCOMMUNICATIONE.

De eſſentia, & diviſione excommunicationis.

Quid ſit excommunicatio quoad nomen, & eſſentiam. Cap. 248.

1. EXcommunicatio ſignificat extra communionem, eo quod homo per excommunicationem ſeparatur à communicatione fidelium, & à participatione Sacramentorum præſertim Euchariſtiæ, quæ per Antonomaſiam communio nuncupatur. Excommunicatio alionomine ſolet appellari (anathema,) quod ab excommunicatione differt ſolum ratione cujuſdam majoris ſolemnitatis, cum qua ferri conſuevit ab Epiſcopo. Dum enim Epiſcopus fert anathema duodecim Sacerdotes circumſtant cum candelis, quas ad finem proiiciunt, ac pedibus conculcant. Nomen anathema deſumptum eſt ab *ana* quod eſt ſurſum, & thema quod eſt poſitio ſumpta ſimilitudine ab antiquis, qui capta in bello appendebant ſeparata, & ſejuncta à cęteris. Excommunicatio dicitur etiam anathema maranatha quod importat excommunicationem majorem latæ ſententiæ, Maranatha ſignificat uſque ad adventum Domini: quare quando fertur hoc anathema perinde eſt ac dicatur, ſit excommunicatus uſque ad adventum Domini ideſt, donec convertatur, & pæniteat. Solet etiam excommunicatio aliquando nuncupari *Mors, medicina, mucro Epiſcopi, virga ferrea, murus Eccleſiaſticæ diſciplinæ*.

2 Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus, ſcilicet conſortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis.

Quotuplex ſit Excommunicatio. Cap. 249.

2 EXcommunicatio dividitur primo in comminatoriam, ſeu ferendæ ſententiæ, & in excommunicationem ipſo facto, ſeu latæ ſententię: Secundo dividitur in majorem, & minorem: minor dicitur comparative ad majorem, quæ ſimpliciter appellatur excommunicatio: minor vero ſecundum quid: major privat pluribus bonis, quam privat minor: major incurritur ob mortale peccatum; minor aliquando ob veniale, quando autem fertur aliqua excommunicatio abſque reſtrictione majoris, vel minoris ſermo eſt de majori excommunicatione: quę ſimpliciter, & abſolute prolata accipitur in ſua ſignificatione ſimpliciter: Tertio dividitur in juſtam, & injuſtam; Quarto in latam à jure, & in latam ab homine: ab homine lata alia eſt per ſententiam generalem; alia per ſententiam particularem: Cenſuræ latę à viſitatoribus dicuntur latę per ſtatutum, ſi latę ſunt ut perpetuo durent, ſi latæ ſunt ad tempus dicuntur latæ ab homine: cenſuræ latæ in Bulla cænæ cenſentur latæ per modum ſtatuti, ut perpetuo durent.

De effectibus excommunicationis majoris.

Utrum excommunicatus privetur communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Cap. 250.

1 EXcommunicatus majori excommunicatione privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis: unde qui applicat excommunicato communia ſuffragia, ut horas canonicas, vel orationes Miſſæ, &c. peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, immo qui publica oratione orat pro excommunicatis vitandis incurrit minorem excommunicationem; quia videtur cum illis communicare, communicanti autem cum excommunicato vitando impoſita eſt minor excommunicatio, in uno caſu licitum eſt pro hæreticis excommunicatis publice orare ſcilicet in feria ſexta paraſceves: quo die ſpecialiter hoc fieri ſolet ab Eccleſia ad oſtendendum valorem mortis Chriſti, qui pro omnibus mortuus eſt; non autem excommunicatus fruitur ſuffragiis Eccleſiæ, quamvis ſit contritus ut patebit ex dicendis.

Utrum excommunicatus toleratus privetur omnibus Eccleſiæ ſuffragiis.
Cap. 251.

1 QUilibet excommunicatus, quamvis toleratus, & non vitandus privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, quia Eccleſia excludit omnes excommunicatos ab hujuſmodi ſuffragiis; Excommunicatus vitandus, & non toleratus eſt ille, qui eſt nominatim denunciatus excommunicatus: nec dicitur vitandus, qui nondum eſt denunciatus, quamvis ſit nominatim excommunicatus, aut publice conſtet de cenſura excomunicationis ab ipſo contracta: quare ſi Pontifex excommunicet, & denunciet excommunicatum Titium cum fautoribus ſuis Titius vitandus eſt, non vero fautores quia non ſunt nominatim denunciati, & propterea Catholici poſſunt cum hæreticis nondum denunciatis loqui, & conſuetudinem habere, præciſis aliis circumſtantiis, nam vetitum eſt ſolum participare cum denunciatis, aut notoriis Clericorum percuſſoribus; denunciatio vero debet fieri per judicem competentem, & debet fieri in loco publico, ut in Eccleſia tempore majoris Miſſæ, aut apponendo ſchedulam in loco publico, juxta morem loci, & regionis. Excommunicatus autem, qui appellavit à declaratione excommunicationis, vel denunciatione non eſt vitandus.

2 Notorius Clerici percuſſor eſt excommonicatus vitandus, & non toleratus, modo ſit notorius notarietate facti, quando ſcilicet aliquis percuſſit Clericum in præſentia multorum: ita ut percuſſionem nequeat ulla tergiverſatione celare, neque aliquo ſuffragio excuſare, & requiritur notorietas facti, ut auferantur dubia ad pacandas innocentium conſcientias, ne pro quolibet dubio cogerentur evitare excommunicatos, ſubirentque peccandi periculum.

3 Ut factum dicatur notorium notorietate facti quot teſtes requirantur, relinquendum eſt judicio prudentis viri. non enim requiritur idem numerus reſpectu omnium, nam reſpectu magnæ communitatis requiritur major numerus, quam reſpectu alicujus Collegii: licet aliqui dicunt requiri decem teſtes, alii ſufficere ſex: verum delictum commiſſum coram decem non eſt notorium reſpectu magnæ civitatis, quamvis ſit notorium reſpectu Collegii; ex quo patet me non teneri vitare eum, qui coram me percuſſit Clericum eo tempore, quo non aderant tot teſtes, qui ſufficiant ad faciendum notorium delictum; quia factum illud quanvis mihi certum ſit, & notorium, non appellatur abſolutè notorium, etiam ſi quatuor, vel quinque interfuerint.

4 Qui denunciatus eſt ſuſpenſus, vel interdictus, vel irregularis, dicitur vitandus ut expreſsè conſtat ex Concil. Conſtantienſi, ubi dicitur, ad cavenda animarum pericula ſtatuit Sancta Synodus, ut nemo deinceps teneatur, aliquem ratione alicujus ſententię, vel cenſuræ vitare in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, vel in aliis quibuſcunq; divinis, niſi fuerit denunciatus, &c vel notorius percuſſor Clerici; ſed ſuſpenſio, & interdictum ſint cenſurę, & Irregularitas eſt ſententia à jure lata, ergo ex decreto Concil. Conſtantienſis non tenemur vitare ſuſpenſos, interdictos, & irregulares, niſi fuerint denunciati: notitia autem denunciationis, vel notoriæ percuſſionis Clerici debet provenire à teſtimoniis fide dignis, vel à publica fama, ex quibus certo moraliter ſciatur denunciationem excommunicationis factam fuiſſe, aut notoriam extitiſſe Clerici percuſſionem; quare non teneor illum evitare, quem nonnulli, de quorum fide ambigitur, aſſerunt excommunicatum vitandum eſſe; ita quando extat fama dubia, & non moraliter certa, nec Confeſſarius tenetur evitare illum, quem ex ſola confeſſione ſacramentali novit eſſe denunciatum excommunicatum, quia hic non dicitur ſcire: vitandus autem eſt, qui in judicio vel extra judicium fatetur, ſe vitandum eſſe: nulla enim certior notitia haberi poteſt.

Utrum Excommunicatus, qui jam à delicto reſipuit privetur communibus Eccleſię ſuffragiis ſi nondum eſt abſolutus.
Cap. 252.

1 EXcommunicatus, qui nondum obtinuit abſolutionem excommunicationis privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis quamvis ſit contritus, & jam reſipuerit à delicto, quia excommunicatus contritus adhuc remanet excommunicatus donec abſolvatur & excommunicatus ſuum habet effectum, donec auferatur ut conſtat ex c à nobis de ſententia Excom. ubi nulla ſit exce-

exceptio excommunicati contriti, aut non contriti.

* *Innocentius XI. damnat hanc propoſitionem die 2. Martii 1679. Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

Utrum ſacrificium Miſſæ proſit excommunicato ſi pro illo offeratur. Cap. 253.

1 Sacrificium Miſſæ oblatum à Sacerdote in Perſona Chriſti, & ut miniſtro ab ipſo deputato prodeſt excommunicato ſi ei applicetur à Sacerdote; qui licet prohibeatur ab Eccleſia offerre ſacrificium pro excomunicato, non tollitur effectus ſacrificii, quatenus offertur in perſona Chriſti, nam Eccleſia per ſuam prohibitionem non aufert poteſtatem offerendi in perſona Chriſti, & applicandi effectum: ergo ſacrificium prodeſt excommunicato ſi illi applicetur, modo excommunicatus non habeat impedimentum, quo fruſtretur, ac defraudetur effectus ſacrificii, & propterea ſi ſacrificium Miſſæ cuicumque excommunicato applicetur in perſona Chriſti prodeſt quo ad impetrationem remiſſionis peccatorum niſi aliunde impediatur, & quoad ſatiſfactionem provenientem ex virtute Chriſti quando excommunicatus, cui ſacrificium applicatur, eſt in gratia.

2 Sacrificium Miſſę applicatum excommunicato non ei prodeſt quoad fructum, & valorem provenientem ex parte Eccleſiæ quia Eccleſia privat excommunicatum ſuffragiis communibus, quale eſt Sacrificium Miſſæ, & prohibet illud applicari excommunicato; unde Sacerdos applicando ſacrificium excommunicato peccat mortaliter, cum faciat contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, & ſi Sacerdos excommunicatus offerat ſacrificium pro ſe ipſo, non illi prodeſt, ſed graviter peccat celebrando, & ponit obicem ad fructum Sacrificii.

3 Sacerdos poteſt in Miſſa tamquam perſona privata, & particularis orare pro quolibet excommunicato, quia hoc non eſt prohibitum ad Eccleſia; cum prohibuerit tantum applicari communia, & generalia ſuffragia, non vero privata, & particularia, & propterea Sacerdos poteſt in publicis orationibus, vel in Memento Miſſæ tanquam privata perſona mentaliter, vel ſecrete orare pro excommunicato, etiam denunciato ejuſque orationes illi prodeſſe, quoad valorem ex opere operantis ipſius offerentis, tamquam privatæ perſonæ. Caveat tamen Sacerdos, ne nominatim eum exprimat in Canone, vel in aliis orationibus publicis; quia quæ nominatim exprimuntur videntur fieri nomine Eccleſiæ; unde Indulgentiæ non proſunt excommunicato contrito, quia Indulgentiæ poſſunt recenſeri inter ſuffragia Eccleſiæ, & pertinent ad Theſaurum Eccleſiæ, excommunicatus autem privatur Eccleſiæ ſuffragiis: & ejus Theſauro etiam ſi contritus ſit.

De Privatione participationis activæ, & paſſivæ Sacramentorum. Cap. 254.

1 Excommunicatus validè recipit Sacramenta quoad ſubſtantiam: niſi forte quis excipere velit pænitentiæ Sacramentum; quia jura repellunt excommunicatum à Sacramentis per verba prohibitoria, & non irritantia, unde Sacramenta ſuſcepta ab excommunicato non ſunt irrita quoad ſubſtantiam, nam ſi loquamur de effectu Sacramentorum; certum eſt excommunicatum non ſemper valide recipere ſacramenta quoad effectum; ideſt quoad gratiam, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi; Excommunicatus autem valide recipit Sacramentum Pœnitentiæ non ſolum, quoad fructum, verum etiam quoad ſubſtantiam, quoties inculpabiliter ignorat, ſe eſſe excommunicatum, aut quoties ſcit quidem ſe eſſe excommunicatum, ſed invincibiliter ignorat eſſe peccatum mortale accedere ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum cum excommunicatione: unde non ponit obicem ad gratiam, eo quod inculpabiliter ignoret ſe eſſe excommunicatum, vel eſſe peccatum mortale accedere ad Sacramentum pænitentiæ cum excommunicatione, & bona fide recipit illud. Secus dicendum ſi recipiens Sacramentum pænitentiæ culpabiliter ignorans ſe eſſe excommunicatum, aut eſſe peccatum mortale accedere cum excommunicatione ad Sacramentum pœnitentiæ, committit novum mortale peccatum: & propterea non recipit Sacramentum pœnitentiæ: ſed poteſt dari caſus, ut aliquis abſolvatur à peccatis, licet nondum fuerit abſolutus à cenſura, quod accidit, quando quis inculpabiliter confitetur peccata ſua, neſciens ſe ligatum eſſe cen-

ſura, vel quando in Confeſſione incuipabiliter oblitus eſt cenſuræ, à qua non poterat per illum Confeſſarium abſolvi: vel quando Confeſſarius malitioſe abſolvit pœnitentem à peccatis cum intentione non abſolvendi à cenſuris; in his tamen caſibus pænitens poſtquam cognovit, ſe irretitum eſſe cenſura, ſatisfacit petendo abſolutionem cenſuræ, & confitendo peccatum, cui eſt adnexa cenſura, quam per oblivionem prætermiſerat in confeſſione: niſi forte confeſſus ſit Confeſſario habenti facultatem abſolvendi ab illa cenſura, & ab eo obtinuerit generalem abſolutionem: tunc enim non tenetur exprimere peccata, ut abſolvatur à cenſura, ſed ut integre confiteatur peccata: qui autem accedit ad Sacramentum pænitentiæ ſciens ſe eſſe excommunicatum, ſciensque eſse peccatum mortale ſic accedere, non recipit Sacramentum pænitentiæ, nec illius confeſſio valida eſt.

2 Excommunicatus etiam toleratus regulariter loquendo, peccat mortaliter ſuſcipiendo aliquod Sacramentum, quia prohibetur ſuſcipere Sacramenta, licet aliquando poteſt excuſari ob ignorantiam, vel neceſſitatem, ut ob vitandam infamiam, vel ſcandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione, ſeu probabili excuſatione vitare non poteſt, & propterea excommunicatus ſuſcipiens Sacramenta in prædictis caſibus, non ſolum excuſatur à peccato: verum etiam à pœna, quæ ſupponit peccatum mortale.

3 Excommunicatus recipiens Sacramenta non incurrit aliquam pænam, cum nulla extet in jure expreſsa contra recipientes Sacramenta in excommunicatione, incurrit tamen irregularitatem in ſuſcipiendo ſacros ordines.

Utrum adminiſtrans Sacramenta excommunicato graviter peccet & incurrat aliquam pœnam. Cap. 255.

1 SAcerdos adminiſtrans Sacramenta excommunicato tollerato, ſeu non vitando non peccat ex vi cenſuræ, quia nulla extat prohibitio Eccleſiæ adminiſtrandi Sacramenta excommunicato tolerato: jure autem naturali, ac divino graviter peccat Sacerdos præbendo Sacramenta excommunicato licet tolerato, quia quicumque excommunicatus indigne petit Sacramenta: jure autem divino, & naturali non ſunt adminiſtranda Sacramenta indigne petenti, niſi forte pænitens ſit peccator occultus, & publice petat, miniſtrans enim excommunicato occulto Sacramenta nullam incurrit cenſuram, aut pænam, cum nulla pæna ſit in jure expreſsa contra Sacerdotem miniſtrantem Sacramenta excommunicato, tolerato, & non vitando.

2 Sacerdos credere poteſt excommunicato occulto petendi Euchariſtiam, & dicenti, ſe eſse abſolutum: quando excommunicatus ſit fide dignus, immo ſi non aſſerat, ſe eſſe abſolutum: quia Sacerdos præſumere poteſt eum eſſe abſolutum eo ipſo, quo petit Euchariſtiam, niſi manifeſte conſtet contrarium, aut niſi periculum immineat ſcandali, vel alterius incommodi; nullus enim præſumitur velle delinquere.

3 Sacerdos non peccat adminiſtrando Sacramenta excommunicato tollerato, quando petit ob neceſſitatem vitandæ infamiæ, vel ſcandali: qua non indigne petit, ſed ex neceſſitate; peccat autem ex vi cenſuræ, miniſtrando Sacramenta excommunicatis vitandis: quia Eccleſia prohibet communicationem cum excommunicatis vitandis: ſicut etiam peccat adminiſtrans Sacramenta excommunicato vitando ignoranti ſe eſſe excommunicatum, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi: ipſe vero excommunicatus, quia Sacramenta recipit ignorans ſe eſſe excommunicatum non peccat, quia ignorantia ipſum excuſat.

4 Miniſtrans Sacramenta excommunicato vitando, præter mortale peccatum incurrit, Primo minorem excommunicationem participando cum excommunicatis vitandis. Secundo incurrit ipſo jure interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, excipitur aſſiſtens matrimonio excommunicati vitandi: quia non dicitur ſtricte loquendo miniſter matrimonii, lata eſt etiam excommunicatio Papæ reſervata à Papa contra Clericos in divinis officiis participantes cum excommunicatis, licet ad eam incurrendam non nullæ conditiones requirantur. Prima ut participans ſit Clericus, ſecunda ut ſciat illum eſſe excommunicatum à Papa, Tertia ut ſponte participet, ideſt ſine metu, & timore. Quarta ut

parti-

participet cum excommunicato nominatim declarato, & denunciato; Quinta ut participet recipiendo illum in divinis officiis.

Vtrum Sacramenta adminiſtrata ab excommunicato tolerato valida ſint. Cap. 256.

1 SAcramenta adminiſtrata ab excommunicato tolerato valida ſunt, unde valide aſſiſtit Parochus excommunicatus toleratus Matrimonio; validum eſt Sacramentum pænitentię adminiſtratum à Sacerdote excommunicato tolerato tum ex parte juriſdictionis, nam Sacerdos excommunicatus toleratus non privatur juriſdictione tum ex parte pænitentis, cum pænitens non peccet communicando cum excommunicato tolerato.

2 Petens Sacramenta ab excommunicato tollerato non peccat mortaliter non ſolum quando ignorat illum eſſe excommunicatum; quia certum eſt excuſari ratione ignorantiæ, ſed etiam quando ſcit illum eſſe excommunicatum: ſive excommunicatus ſit proprius Parochus: ſive alius Sacerdos; ſive adſit neceſſitas petendi, ſive non, ſive ille ſit paratus adminiſtrare Sacramenta: ſive non: quia petens utitur jure ſuo; nec Sacerdos petitus peccat miniſtrando modo præmittat dolorem de peccatis, nec poſſit abſolutionem excommunicationis obtinere ante adminiſtrationem Sacramentorum, nec ipſe ingerat ſe ſua ſponte ad miniſtranda Sacramenta.

Vtrum Sacramenta adminiſtrata ab excommunicato vitando valida ſint Cap. 257

1 QUælibet Sacramenta ab excommunicato vitando adminiſtrata valida ſunt excepto pænitentiæ Sacramento nam hoc adminiſtratum extra neceſſitatem, invalidum eſt, quia excommunicatus vitandus caret juriſdictione: ad Sacramentum autem pœnitentie valide adminiſtrandum requiritur juriſdictio, & non ſufficit poteſtas ordinis, & propterea confeſſio facta excommunicato vitando iteranda eſt, & præterea exprimendum eſt peccatum, quod pœnitens commiſit communicando in ſacris cum excommunicato vitando, & ſic confeſſio facta excommunicato vitando invalida eſt, etiam ſi pænitens ignoraret ipſum eſſe excommunicatum: quia excommunicatus vitandus caret juriſdictione: quę neceſſaria eſt ad validam abſolutionem; quando tamen confeſſio non fuerit facta in eo loco, in quo Sacerdos ignorabatur eſſe excommunicatus, & ex communi errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote, tunc enim jus ſupplet juriſdictionem: vel quando confeſſio facta non fuerit in articulo mortis: in quo à quolibet adminiſtratum eſt validum: Sacramentalia etiam facta ab excommunicato vitando valida ſunt: quia pertinent ad ordinem Sacerdotalem, vel Epiſcopalem, non vero ad juriſdictionem; & propterea validè fiunt ab Excommunicato; cui Eccleſia non aufert poteſtatem ordinis, licet auferat juſdictionem.

2 Excommunicatus incurrit irregularitatem adminiſtrando Sacramenta, vel celebrando ſeu exercendo actum proprium ordinis, niſi forte excuſetur ob ignorantiam probabilem vel inadvertentiam ſuæ excommunicationis, vel ob aliam juſtam cauſam.

3 Petens, aut recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando extra neceſſitatem graviter peccat, quia facit contra prohibitionem, & obligationem Cenſuræ in materia gravi communicando in divinis cum excommunicato vitando, urgente vero neceſſitate non peccat: & propterea licitum eſt accipere Baptiſmum ab excommunicato vitando, quia eſt maximæ neceſſitatis: ſic etiam licitum eſt accipere Euchariſtiam in articulo mortis ab excommunicato vitando; idem dicendum de extrema unctione.

4 Recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando per ſe loquendo incurrit tantummodo minorem excommunicationem; hæc enim incurritur à participantibus cum excommunicato vitando: nam fieri poteſt, ut in aliquo majorem excommunicationem incurrat, ut patebit ex dicendis, aut incurrat ſuſpenſionem, vel irregularitatem: ut accidit in eo, qui recipit ordines ab excommunicato vitando: quem conſtat remanere ſuſpenſum ab excutione ordinum.

Vtrum

Utrum excommunicatus privetur rebus ſacris, & ſepultura.

Utrum excommunicatus privetur auditione miſſæ. Cap. 258.

1 QUilibet excommunicatus eſt vi excommunicationis privatus auditione miſſæ quia privatur generaliter communione, & participatione in divinis; unde audiens miſſam tempore excommunicationis graviter peccat, niſi excuſetur ob ignorantiam, vel ob neceſſitatem vitandi ſcandali, vel ob aliam juſtam cauſam, tamen ſi inſerviat miſſæ, quando nullus alius adeſt, qui inſerviat, non peccat, quia excuſatur ratione neceſſitatis, nec peccat non audiendo miſſam in die feſto: quia præceptum Eccleſiæ de miſſa audienda cadit ſolum ſuper eos, qui non ſunt impediti, excommunicatus autem cenſetur impeditus, nec tenetur, procurare ſuis expenſis abſolutionem, cauſa audiendi miſſam, ut non peccet contra præceptum audiendi miſſam. Secus dicendum ſi excommunicatus non confitetur, vel non communicet in Paſchate ob negligentiam in procurando excommunicationis abſolutionem, cum hoc præceptum ſit gravius: Excommunicatus autem in auditione miſſæ præter mortale peccatum nullam aliam pœnam incurrit, cum non ſit in jure expreſſum; ſecus dicendum de Sacerdote excommunicato: qui ſua auctoritate eſt cauſa ut miſſa, vel alia divina officia coram ſe celebrentur, nam incurrit irregularitatem: non autem incurrit ſi non ſit Sacerdos, quia ad incurrendam irregularitatem requiritur, ut ille qui præcipit coram ſe celebrari ſit Sacerdos, & ſit communicatus, & curet coram ſe celebrari, nã jura loquuntur de Sacerdote excommunicato, quando autem Excommunicatus eſt admonitus à celebrante, ut exeat, incurrit novam excommunicationem Papæ reſervatam, ſi nolit exire; eandem incurrit Interdictus, qui poſt admonitionem non vult exire: ita etiam incurrit, qui prohibet quo minus publice excommunicati, vel interdicti de Eccleſia exeant tempore miſſæ; ſi admoniti fuerint à celebrante exire.

2 Audientes miſſam cum excommunicato vitando peccant mortaliter: quia participant in divinis; celebrans autem coram excommunicato vitando non ſolum peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem, quæ incurritur ex participatione cum hujuſmodi excommunicatio: ſed etiam incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi celebret ſcienter coram illo, qui intereſt miſſæ, aut celebrat: dum adeſt excommunicatus toleratus non peccat proſequendo miſſam: quia nullus tenetur excommunicatum toleratum vitare ex vi excommunicationis ex Concil. Conſtantienſi: ſecus ſi adeſt excommunicatus vitandus, nam admonendus eſt, ut exeat: ſed ſi noluit exire, poteſt etiam per vim expelli, quamvis ſit Clericus, neque propterea incurritur excommunicatio expellendo Clericum excommunicatum nolentem poſt admonitionem exire: quando autem non vult exire, & non poteſt expelli, omittenda ſunt divina officia, & miſſam ipſam, modo non ſit inchoata conſecratio: nam ſi ſit inchoata proſequi debet ſacrificium uſque ad ſumptionem incluſive, quia integritas Sacrificii, quæ eſt de jure divino præponderat participationi cum excommunicato; debent tamen adſtantes ab Eccleſia exire excepto inſerviente: alioquin mortaliter peccant participando in divinis cum excommunicato vitando, Sacerdos autem ſumpto Sacramento, ſe recipiet in Sacriſtiam, vel in alium locum: & ibi reliquum miſſæ perſolvere debet: Quando autem poſt inchoatam miſſam Sacerdos advertit adeſſe cadaver publici excomunicati non tenetur miſſam inchoatam relinquere: quia poteſt ſua privata intentione nolle participare cum eo cadavere: non tamen poteſt aliquod opus circa illud cadaver exercere ſcilicet benedicendo, vel orando pro ipſo: & ſic nec adſtantes tenentur exire, modo non exerceant actionem circa cadaver: nec etiam Sacerdos, aut alii tenentur miſſam relinquere dum excommunicatus vitandus ingreditur Eccleſiam, non ut miſſam, & divina officia audiat, ſed titulo tranſeundi per Eccleſiam, vel ad eam confugiendi cauſa ſecuritatis, ne capiatur à ſatellitibus, vel ſeorſim, & privatim orandi, &c. quia non dicuntur communicare cum excommunicato: idem dicendum quando excommunicatus eſt in una capella audiens miſſam, & ego miſſam facio in alia capella.

Utrum

Digitized by Google

Utrum excommunicatus peccet aſſiſtendo divinis officiis. Cap. 259.

1 EXcommunicatus peccat mortaliter, aſſiſtendo divinis officiis, licet ſit toleratus, quia facit contra obligationem cenſuræ in re gravi, officia autem divina ſunt horæ Canonicæ, quæ perſolvuntur in Choro, oratio publica, benedictio ſolemnis candelarum, aut olivarum, aliæque ſimiles cæremoniæ, quæ ſolemniter ſiunt ex inſtitutione Chriſti, vel Eccleſiæ, vel quæ ſunt propriæ alicujus ordinis Clericalis, ut eſt cantus ſolemnis Epiſtolæ, vel Evangelii.

2 Excommunicatus ſive ſit religioſus profeſſus, ſive Clericus habens beneficium vel ordines ſacros poteſt, & tenetur privatim perſolvere horas Canonicas: quia cum excommunicatio ſit pœna, non debet conferre immunitatem: idem dicendum eſt de ſuſpenſo, irregulari, & degrato: nō autem poteſt excommunicatus in recitando divino officio adhibere ſocium, quia excommunicatio privat communicatione in divinis officiis. Exiſtimo tamen non peccare mortaliter adhibendo ſocium in privata recitatione: quia eſt levis communicatio reſpectu præcepti, cum fiat privatim: ſic excuſatur Capellanus, vel famulus, qui ratione ſui officii, & famulatus inſervit Domino excommunicato in recitandis divinis officiis, ſicut etiam excuſatur ipſe dominus: excommunicatus autem recitat divinum officium, non poteſt dicere Dominus Vobiſcum, quia hæc verba non ſunt privatæ perſonæ, cum pertineat ad Diaconum, & Sacerdotem. Orationes Publicæ, quæ offeruntur ab excommunicato tolerato proſunt quoad valorem, quem habent ex parte Eccleſiæ, quia ſicut Eccleſia tolerat excommunicatum toleratum, ita non intendit irritare illius applicationem: ſecus dicendum de orationibus communibus, quæ offeruntur ab excommunicato vitando, quia Eccleſia non intendit offerre per excommunicatum vitandum, quem non tolerat, ſed reiicit:

3 Excommunicatus non privatur omni uſu rerum ſacrarum, nam poteſt privatim recitare divinum officium, & ingredi templum dum divina officia non recitantur, quia non communicat cum aliis: immo alii poſſunt privatim fundere preces in eo loco, in quo adeſt excommunicatus vitandus, cum illas orationes non recitent cum ipſo excommunicato: ſecus ſi illas recitarent cum ipſo excommunicato: poteſt etiam excommunicatus more Laicorum benedicere Menſæ, munire ſe ſigno Crucis, adorare Euchariſtiam, aut etiam illam comitare dum ad infirmos defertur, modo non recitentur pſalmi: poteſt etiam uti imaginibus aliiſque rebus ſimilibus quatenus inſerviunt privatæ devotioni, & utitur tamquam privata perſona ad cultum Dei, non autem poteſt ſumere aquam benedictam, quia eſt quoddam Sacramentale, & habet valorem ex meritis Eccleſiæ: quibus, & ejus ſuffragiis privatur excommunicatus; poteſt etiam intereſſe Concioni toleratus, autem vitandus, nam Concio non venit nomine divinorum officiorum, nec prohibetur communicatio, quæ tendit ad ipſius ſalutem, & emendationem, ut tendit concio: eſt etiam licitum excommunicato tolerato concionari, quando ab aliis petitur, nam vergit directe non in favorem excommunicati ſed aliorum, qui non tenetur evitare excommunicatum toleratum, peccat tamen excommunicatus inherendo, & exhibendo ſe propria ſponte ad concionandum, quamvis non incurrat irregularitatem: quia actus concionandi non eſt actus ordinis: ſed actus qui etiam Laico in neceſſitate committi poteſt.

4 Præceptor legens lectionem coram multis diſcipulis, quorum unus eſt excommunicatus vitandus debet relinquere opus inceptum, ſecluſa alia neceſſitate, quia vetitum eſt fidelibus communicare cum excommunicato vitando. Magiſter autem poteſt reſpondere diſcipulo excommunicato vitando interroganti in caſum utilitatis ſpiritualis, vel Conſilii, &c. Magiſter excommunicatus toleratus poteſt lectionem facere, quam tenetur ex officio facere, ſi non poteſt per alium ſupplere, alioquin communitas pateretur damnum, quæ interpretative cenſetur petere lectionem, ad quam habet jus.

Utrum excommunicatus privetur Eccleſiaſtica ſepultura. Cap. 260.

1 EXcommunicatus, qui nondum fuit abſolutus in vita, aut poſt mortem privatur Eccleſiaſtica ſepultura, unde ſepe-

ſepeliens Excommunicatum vitandum in loco ſacro graviter peccat, quia facit contra obligationem cenſuræ participando cum excommunicato vitando, illumque donando Eccleſiaſticæ ſepulturæ, qua privatur per excommunicationem: ſepeliens vero excommunicatum toleratum, non videtur graviter peccare: per Eccleſiaſticam ſepulturam intelligitur ſepultura in loco ſacro, ſcilicet in Eccleſia, vel Cæmeterio, vel in alio quocumque loco ad ſepulturam deſtinato au oritate epiſcopi, vel ex conſuetudine; unde excommunicatus poteſt ſepeliri in loco, qui eſt proximus Cæmeterio, vel Eccleſiæ, cum non ſit locus ſacer. Oſſa verò alicujus excommunicati vitandi, quæ ſepulta fuerunt in loco ſacro cum aliis fidelibus ſunt è loco ſacro proiicienda, modo diſcerni poſſint ab oſſibus aliorum fidelium; Immo Eccleſia in qua ſepelitur excommunicatus vitandus remanet poluta: & propterea in ea celebrari nequit donec reconcilietur.

2 Qui Pſalmos concinunt, dum cadaver excommunicati vitandi defertur ad ſepulturam, peccant: quia eſt quidam honor, qui prohibetur exhiberi excommunicato.

3 Qui in mortis articulo fuit abſolutus ab excommunicatione in ſoro pænitentiæ poteſt ſepeliri in loco ſacro: qui vero in mortis articulo dedit ſigna contritionis, ſed nondum obtinuit abſolutionem excommunicationis non eſt ſepeliendus in loco ſacro, donec abſolvatur: ſi vero jam fuit ſepultus non videtur exhumandus, ſed quam primum petenda eſt abſolutio à legitimo ſuperiore, ut illius oſſa non proiiciantur.

4 Sepeliens excommunicatum vitandum in loco ſacro incurrit majorem excommunicationem, à qua nequit abſolvi donec ſatisfactionem dederit ad arbitrium Epiſcopi. Hæc eadem excommunicatio poſita eſt contra ſepelientes interdictos, vel manifeſtos uſurarios, ſed ut incurratur hujuſmodi Excommunicatio requiritur, Primo ut ſepeliens ſciat mortuum eſſe excommunicatum, unde ignorans, & ignorantia etiam craſſa excuſatur. Secundo requiritur, ut propriis manibus ſepeliat excommunicatum, & propterea excommunicatio lata eſt contra ſepelientes, unde non comprehendit mandantes, conſulentes, &c. Tertio requiritur ut excommunicatus, qui ſepelitur ſit denunciatus excommunicatus: nec incurritur minor excommunicatio: ſed ſolum major: minorem autem incurrunt comitantes cadaver, ipſum lavantes, aut veſtientes.

De privatione, & Inhabilitate ad beneficia & ad eorum fructus.

Utrum valida ſit collatio beneficii, vel penſionis facta excommunicato. Cap. 261.

1 Collatio, & præſentatio beneficii facta excommunicato quamvis tolerato invalida eſt in declaratione Rotæ 363. in qua declaratum fuit tam de excommunicatione à jure, quam de excommunicatione ad homine, nam jura abſolutè, & indiſtinctè loquuntur. Innocens autem, in quem ſententia excommunicationis prolata fuit ſecundum allegata, & probata, valide recipit nam re vera non eſt excommunicatus, ſed excommunicatus invincibiliter ignorans ſe eſſe excommunicatum, invalide recipit: quia licet ignorantia excuſet à nova culpa, à nova pæna, & à nova cenſura, non tamen facit actum validum, qui alias erat invalidus: idem militat in excommunicato, qui communiter habebatur pro non excommunicato: error enim non tollit excommunicationem. Regula vero de triennali poſſeſſore prodeſt excommunicato: nam hujuſmodi regula fruuntur omnes excepto Simoniaco, & intruſo, unde fruitur eadem ignorans ſuam excommunicationem.

2 Collatio facta officii Eccleſiaſtici, vel ſæcularis habentis adnexam juriſdictionem, ut Principatus, Præturæ, &c. invalida eſt; nam cum prohibitum ſit excommunicato actus dignitatis exercere; videtur etiam prohibitum ad dignitatem pervenire, ſed duplex exceptio facienda eſt. Prima quando Summus Pontifex confert dignitatem alicui, quem ſcit irretitum eſſe excommunicatione, tunc enim collatio dignitatis cenſetur valida, eo quod Summus Pontifex præſumitur velle cum eo diſpenſare. Secunda eſt, quando aliquis ex teſtamento, vel ab inteſtato acquirit aliquod dominium temporale, cui eſt adnexa juriſdictio & dignitas, quia jura non irritant acquiſitionem Dominii temporalis, & ſic non irritant juriſdictionem illi adnexam.

3 Collatio penſionis facta excommunicato titulo clericali eſt invalida: & propterea

Digitized by Google

rea excommunicatus qui obtinuit Beneficium, vel penſionem tituli Clericalis non poteſt fructus percipere, nec Beneficium tempore excommunicationis obtentum poteſt permutare cum altero, cum nullum jus habeat in beneficium, & propterea non poteſt ullum beneficium obtinere, ſed hæc intelligenda ſunt in beneficiis obtentis ab inferioribus Summi Pontificis, & non in beneficiis obtentis à Summo Pontifice cum litteris Pontificiis Summus enim Pontifex cum litteris, & privilegiis ſolet ſimul concedere abſolutionem ab omnibus cenſuris adhunc effectum, ut privilegium ſortiatur ſuum effectum, & ſit valida beneficii collatio obtenta cum eo privilegio, exceptis quibusdam caſibus ad quos non videtur extendi hujuſmodi abſolutio contenta in privilegio. Primus eſt caſus excommunicationis ob hæreſim contractæ, à qua non præſumitur Summus Pontifex velle abſolutionem impendere, quamvis in privilegio dicatur ab omnibus cenſuris. Secundus caſus eſt excommunicationis, in qua quis insorduit per annum, nam hic videtur male ſentire de fide.

4 Acta per eum qui obtinuit beneficium in excommunicatione invalida ſunt, ſi loquamur de actibus juriſdictionis, vel officii: quia acta ſine juriſdictione, & poteſtate ſunt invalida; valida autem ſunt acta per beneficiarium, qui lapſus eſt in excommunicationem poſt obtentum beneficium, modo ſit excommunicatus toleratus, quia valide retinent beneficium, & juriſdictionem quæ conſequitur beneficium.

5 Valida eſt collatio beneficii facta illi: qui tempore collationis credebatur excommunicatus: ſed poſtea revera cognoſcitur non eſſe excommunicatus, nam non afficitur effectibus excommunicationis, cum non exiſtat in excommunicatione, qui vero beneficium confert excommunicato, vel acceptat beneficium in excommunicatione graviter peccat, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi: immo conferenti impoſita eſt pœna ſuſpenſionis comminatoria: ſic qui ante collationem beneficii probatur fuiſſe excommunicatus poteſt repelli à beneficio, niſi oſtendat, ſe prius abſolutum fuiſſe: nec poteſt beneficium ei conferri, qui denunciatus eſt excommunicatus denunciatio enim excommunicationis non levem inducit præſumptionem excommunicationis: quamvis evidentem non faciat probationem, unde non ſufficit ad auferendum beneficium jam collatum: qui autem fama publica conſtat excommunicatum eſſe, ſuperior probata fama excommunicationis poteſt infamatum à recipiendo beneficium repellere, donec diffamatus legitime probaverit intra tempus, conſtitutum non eſſe excommunicatum, ſic etiam invalida eſt beneficii promiſſio facta Capitulo dum perſonæ omnes ejus Capituli ſunt excommunicatæ; licet Capitulum ut ſic excommunicari non poſſit: tamen ſingulares perſonæ excommunicari poſſunt: & cum ſupponamus omnes excommunicatos eſſe, ideo promiſſio irrita eſt: quia omnia Capituli membra invalida ſunt, ſic invalida eſt promiſſio, ſeu collatio Epiſcopatus facta excommunicato.

6 Valide acceptatur beneficium ab eo, qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, licet ſit excommunicatus tempore acceptationis: quare ſi hodie conferatur beneficium Titio; & Titius craſtina die incidat in excommunicationem: eaque contracta, & nondum ablata acceptet beneficium, validè acceptat: quia jura ſolum irritant collationem, & electionem beneficii, non vero acceptationem, & ſic acceptatio valida eſt, beneficium autem ab eo retineri non poteſt, cui facta fuit electio, præſentatio, vel collatio tempore excommunicationis, licet obtenta excommunicationis abſolutione beneficii collationem, præſentationem, aut electionem acceptavit, quia beneficium retineri non poteſt ſine titulo: titulus autem in hoc caſu electionis, & præſentationis eſt invalidus, quia collatus excommunicato: poteſt tamen, ut aliqui aſſerunt. eſſe valida electio, & præſentatio facta tempore excommunicationis, ſed acceptata poſt obtentam excommunicationis abſolutionem modo tempore acceptationis electores, & præſentatores permanſerint in ſua prima voluntate: quia prior electio, & præſentatio videtur ratificari, & approbata per continuationem, ſeu permanentiam in prima voluntate.

7 Excommunicatus qui obtinuit Beneficium, vel penſionem eo tempore, quo detinebatur vinculo excommunicationis, petere debet abſolutionem excommunicationis: eaque obtenta curare debet, ut beneficium ſibi de novo conferatur ab eo, ad

quem

quem pertinet illius beneficii collatio: quando autem excommunicatus eſt occultus debet ſe retrahere ab occupatione Beneficii aliquo alio honeſto titulo, quam manifeſtando ſe excommunicatum eſſe, ſi poteſt, non enim tenet ur ſe ipſum prodere; ſi vero non poteſt alio juſto titulo ſe excuſare, videndum eſt an manifeſtatio futura ſit ſcandali vel infamiæ: ſi non ſit tenetur ſe excuſare manifeſtando excommunicationem: ſi vero periculum ſit infamiæ vel ſcandali non tenetur excommunicationem prodere: unde in hoc caſu acceptato beneficio, debet quam primum occulte petere diſpenſationem: elector autem, qui occulte novit extra confeſſionem, eligendum ab beneficium eſſe occulte excommunicatum, non poteſt nec occulte nec publice illi ſuffragium denegare niſi habeat aliam cauſam publicam ſufficientem ad denegandum ſuffragium.

Utrum Beneficiarius, qui poſt obtentum Beneficium labitur in excommunicationem ſit privatus fructibus beneficii. *Cap.* 262.

1 Beneficiarius qui lapſus eſt in excommunicationem poſt beneficii conſecutionem non eſt privatus fructibus vel redditibus, vel diſtributionibus beneficii neque tenetur eos à ſe ſponte abdicare, modo exequatur onera, & officia beneficii, ſive excommunicatus ſit curator animarum, ſive ſit Canonicus, ſive habeat beneficium ſimplex: quia nullo jure probari poteſt hæc privatio: niſi poſt ſententiam Judicis, & propterea Capellanus excommunicatus lucratur fructus beneficii celebrando: ſic curatus adminiſtrando Sacramenta, ſic Canonicus aſſiſtendo divinis officiis: ſed Capellanus non poteſt percipere omnes fructus, nam illius celebratio non prodeſt quoad valorem, quem habet ſacrificium ex parte Eccleſiæ, nec Canonicus poteſt percipere diſtributiones: quia divinum officium ob eo perſolutum non prodeſt.

2 Injuſte excommunicatus; qui ob injuſtam excommunicationem cogitur abeſſe à choro nec poteſt præſtare ſuum officium, poteſt percipere fructus, & diſtributiones: quia nullus debet incommodum, vel damnum pati abſque culpa, & ob injuſtam alterius actionem: & ſic poſtquam conſtiterit, de injuſta excommunicatione poteſt repetere diſtributiones quæ fuerant tempore cenſuræ collatę aliis Canonicis aſſiſtentibus choro: quia acquiſierunt jus imperfectum, & revocabiliter.

3 Excommunicatus, qui non aſſiſtit divinis officiis, non poteſt recipere diſtributiones, quæ dantur aſſiſtentibus: etiam ſi per ipſum non eſt ne abſolvatur, & ne aſſiſtat, niſi forte injuſte, & per injuriam denegatur illi abſolutio, quia excommunicatus juſte prohibetur non intereſſe choro ergo juſte privatur diſtributionibus.

De Privatione juriſdictionis. *Cap.* 263.

1 Geſta per excommunicatum vitandum, ſeu non toleratum ſunt invalida, quoties ſiunt ex officio, tamquam juriſdictionis propriæ, excepta tamen electione Summi Pontificis à Cardinalibus excommunicatis facta; Clement. ne Romani de elect. in 6. quia Eccleſia eo ipſo quo non tolerat excommunicatum privat uſu juriſdictionis propriæ: de uſu autem juriſdictionis non propriæ excommunicatus vitandus, valide gerit ea, quæ facit abſque uſu propriæ juriſdictionis, nam uſu juriſdictionis non propriæ non privatur, cum nullo jure hoc probetur: & propterea geſta ab excommunicato vitando tamquam à perſona particulari facta ſunt valida, excepto teſtamento facto ab eo, qui excommunicatus fuit propter hæreſim, vel propter percuſſionem Cardinalium: poteſt autem valide inire contractum venditionis, aut emptionis etiam in ſui commodum, aut teſtamentum, vel profeſſionem facere, quamvis peccet ita faciendo abſque neceſſitate.

2 Geſta per excommunicatum toleratum, & non vitandum valida ſunt enim ſi pertineant ad juriſdictionem propriam quia Eccleſia tolerat hujuſmodi excommunicatum in ſuis officiis, & permittit nos cum illo communicare in rebus ſacris, & in aliis pertinentibus etiam ad juriſdictionem, tamē excommunicatus graviter peccat, ſponte ſe in actibus juriſdictionis ingerendo, nihil enim commodi in ipſius favorem ſancitum eſt in Concilio Conſtantienſi, & cum hęc materia gravis ſit ſufficere videtur ad incurrendam gravem culpam niſi aliunde adſit excuſatio, ut ratione parvita-

vlatis materiæ, & ignorantiæ, ſicut etiam admittitur exceptio contra ipſum ad eligendum juriſdictionis actum factum: quamobrem ſi excommunicatus citet me coram judice poſſum contra ipſum excipere, cum hoc tamen onere, ut intra octo dies ſpeciem, & excommunicationis auctorem legitime oſtendam, & evidenter probem.

3 Sententia lata à judice excommunicato tolerato valida eſt donec contra eum excipiatur, & propterea valida eſt excommunicatio lata à Prælato excommunicato tolerato; non autem ſi lata ſit ab excommunicato vitando: quia caret uſu juriſdictionis: ſic etiam Epiſcopus excommunicatus toleratus poteſt valide alteri concedere facultatem adminiſtrandi Sacramentum pænitentiæ; non autem poteſt vitandus, cum ſit actus juriſdictionis, qua caret vitandus: idem dicendum de Epiſcopo tolerato, & non tolerato in ferendis legibus, in diſpenſandis votis, in concedendis indulgentiis, in judicio exercendo, in collatione, electione, præſentatione beneficii, vel immiſſione in poſſeſſionem beneficii, & in ſimilibus, in quibus toleratus poteſt; vitandus minime, cum careat juriſdictione, & omnia ſint actus juriſdictionis: reſignatio autem beneficii facta ab excommunicato in favorem tertii eſt valida, licet ſit excommunicatus vitandus; quia non eſt actus juriſdictionis.

4 Inſtrumenta, & ſcripturæ factæ à Tabellione excommunicato vitando valida ſunt, quia Tabellio non habet proprie juriſdictionem: ſic teſtamentum factum ab illo eſt validum quia teſtamentum valorem habet ex voluntate teſtatoris, quæ nulla lege irritatur.

5 Ille non incurrit excommunicationem, qui delictum ſub excommunicatione prohibitum fecit eo tempore, quo ſuperior, qui tolerat excommunicationem, incidit in excommunicationem, & fuit denunciatus excommunicatus: quia Iudex non habet poteſtatem legitimam, & expeditam ad excommunicandum, quia eſt denunciatus excommunicatus, unde eſt privatus uſu juriſdictionis.

6 Qui furans, vel committens aliquod delictum prohibitum ſub excommunicatione lata ab Epiſcopo, qui poſt latam excommunicationem fuit ſuſpenſus ab uſu juriſdictionis, quia fuit denunciatus excommunicatus: ſed poſtea fuit ad uſum juriſdictionis per abſolutionem reſtitutus: fur autem, vel committens aliquod delictum ante abſolutionem ab Epiſcopo obtentam, non ligatur cenſura, ſed ſi re vera furtum commiſit poſtquam Judex fuit abſolutus ab excommunicatione, ligatur cenſura, quia ſententia Judicis non erat ablata, & extincta per excommunicationem ab ipſo contractam, ſed erat tantummodo ſuſpenſa: & ſic ablata excommunicatione adhuc valet ſententia; tollitur enim ſuſpenſio per abſolutionem, unde fur incurrit excommunicationem furando poſt abſolutionem. Secus dicendum, ſi Judex poſtquam tulit ſententiam excommunicationis in furripientes, vel aliter delinquentes, non ſolum ſuſpenſus fuit ab uſu juriſdictionis per excommunicationē, ſed de facto privatus fuit juriſdictione, vel officio: quia tunc committentes delictum non incurrunt excommunicationem, etiam ſi illud committant poſtqua Judex de novo electus, & aſſumptus fuit ad idem officium, ſeu juriſdictionem; quia ſententia Judicis pendens à future conditione, ſeu à delicto futuro extincta erat per privationem juriſdictionis, vel officii, ergo non afficit delinquentem, niſi illa ſententia renovata fuerit poſtquam judex iterum aſſumptus fuit ad idem officium, & juriſdictionem.

7 Si Epiſcopus fuit excommunicatus vitandus vel ſuſpenſus, vel interdictus, Vicarius generalis non poteſt exercere juriſdictionem, quam accepit ab Epiſcopo ante ipſius excommunicationem, vel ſuſpenſionem, quia eſt unum, & idem Tribunal Vicarii generalis, & Epiſcopi, nec datur appellatio à Vicario generali ad Epiſcopum; unde ſuſpenſa juriſdictione Epiſcopi per excommunicationem, aut ea ſublata per ejus mortem, remanet etiam ſuſpenſa, vel ſublata auctoritas Vicarii: ſi autem Vicario Epiſcopi delegata fuit facultas ad aliquid faciendum excommunicato Epiſcopo, non ſuſpenditur facultas, quæ huic Vicario delegata fuit ab alio. Non poteſt autem Vicarius generalis valide conferre beneficia, & alia hujuſmodi præſtare eo tempore, quo Epiſcopus remanet excommunicatus vitandus, facultas vero abſolvendi, vel adminiſtrandi Sacramenta ab Epiſcopo, qui poſtea fuit denunciatus excommunicatus non ceſſat per lapſum concedentis excommunicationem.

De

De privatione humanæ converſationis, ſeu civilis communicationis,

Utrum prohibitum ſit excommunicato participare cum aliis fidelibus, & è contra.
Cap. 264.

1 CUilibet excommunicato etiam tolerato vetitum eſt per ſe loquendo communicare cum aliis fidelibus, quia proprius effectus excommunicationis eſt privare excommunicatum civili communicatione, non autem peccat, quando ipſe non ſeſe ſponte ingerit, ſed ab ipſis invitatur, & provocatur, quia in Conc. Conſtantienſis in Extravag. ad evitanda ſcandala, & pericula conceſſum eſt fidelibus privilegium communicandi cum excommunicatis toleratis: peccant autem ut plurimum venialiter excommunicati participando cum fidelibus ſua ſponte in actionibus humanis: nam faciunt contra obligationem cenſuræ in materia levi. Non autem excommunicatus peccat contra cenſuram communicando cum infidelibus: nec infideles communicando cum excommunicatis vitandis: quia Eccleſia non ſeparat excommunicatum à conſortio infidelium, ſed fidelium, & Chriſtianorum.

2 Vetitum eſt fidelibus communicare cum excommunicato vitando, non vero cum tolerato ut in Concil. Conſtantienſi & propterea peccant fideles, quia faciunt contra obligationem Cenſuræ venialiter communicando cum excommunicatis in rebus civilibus, & actionibus humanis, quia videtur materia levis. In divinis autem graviter peccant communicando, frequenter autem communicans cum excommunicato vitando in civilibus venialiter peccat, ſecluſo contemptu, & ſcandalo dicunt aliqui; ſed mihi probabilius dicendum videtur, mortaliter peccare quia præceptum non communicandi cum excommunicatis obligat ſub mortali niſi excuſet parvitas materiæ, & communicans cum excommunicato vitando incurrit minorem excommunicationem: immo datur unus caſus, in quo communicans cum excommunicato peccat mortaliter; & majorem incurrit excommunicationem: quando ſcilicet communicat in crimine criminoſo, ideſt quando cooperatur crimini vel contumacię, propter quam lata eſt excommunicatio: quinque autem requiruntur, ut participãs in crimine criminoſo prædictam excommunicationem incurrat. Primo ut participatio fiat in crimine; poſtquam criminoſus excommunicationem contraxit, Secundo ut ſit participatio in eodem crimine propter quod alter fuit excommunicatus. Tertio ut communicans ſciat illum cũ quo participat excommunicatum fuiſſe ob tale crimen, Quarto ut ille cum quo participat ſit excommunicatus vitandus, & ſit denunciatus, Quinto ut cooperatio non ſit adeo levis ut pro nihilo habeatur, nam ad majorem excommunicationem incurrendam requiritur materia ſufficiens ad peccatum mortale: participans vero in crimine criminoſo poteſt abſolvi à quo poteſt abſolvi principalis, cum quo communicavit.

In quibus caſibus vetitum ſit, aut permiſſum cum excommunicatis communicare. *Cap.* 265.

1 PRohibitum eſt communicare cum excommunicatis vitandis in caſibus qui hoc carmine exprimuntur.
Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Per Os intelligitur confabulatio, & allocutio vel fiat per litteras, per nutus, per nuncios, vel per alia ſigna: vel per ſigna amicitiæ, ut oſcula, amplexus, &c vel per acceptationem munerum.

Per Orare intelligitur oratio, quia non licet orare ſimul cum excommunicatis vitandis.

Per Vale prohibetur omnis ſalutatio: ſalutatio vero ſacta verbis deprecatoriis, vel ordinatis ad emendationem excommunicati, & non in ipſius honorem licita eſt, & permiſſa, quia ex juſta cauſa fit, ſalutare autem, vel reſalutare excommunicatum abſque verbis. ſcilicet aperiendo caput, monendo labra, aſſurgendo, dando locum in ſedili: vel ſimilia ſigna præbendo peccare venialiter, & minoris excommunicationis vinculo ligari, nam hujuſmodi actus ex communi uſu ſunt ſigna amicitiæ, & videntur quamdam communicationem cum excommunicato continere: unde illicitum eſt fidelibus excommunicato vitando ſeſe obviam offerenti, ſigna honorifica exhibere, ſed licitum eſt, hæc verba coram excommunicato proferre (Dominus

te

te convertat, te illuminet, &c.) quia diriguntur ad ejus emendationem, nec illicitum videtur caput aperire, vel aſſignare perſonæ publicæ ut Epiſcopo, aut Prætori excommunicato: nam permitti poſſe videtur ob conſuetudinem.

Per Communio intelligitur ſocietas, quæ fit communicando cum excommunicatis in habitatione, vel exercitio, vel contractu: unde non licet dormire cum excommunicato in eodem lecto: nec inire contractum cum excommunicato vitando, quamvis contractus ſit validus: ſed contrahens poteſt agere contra excommunicatum, non autem excommunicatus poteſt agere contra alterum contrahentem donec abſolvatur, prohibitum eſt etiam aliquod opus gerere cum excommunicato quod naturam poſtulet operam, ut ſimul ædificare, nec eſt licitum communicare cum excommunicato mortuo, etiam in humanis, ut ipſum lavando, aut veſtiendo, cum ſit quædam communicatio, licet non eſt illicitum in loco profano ipſum ſepelire ne fœteat, & aerem corrumpat: quia videtur fieri titulo neceſſitatis.

Per particulam Menſa intelligitur communicatio cibi, & potus, ut quando quis alterum invitat ad cænam, vel quando aliqui communem, & ſocialem vitam agunt, ſive iiſdem cibis veſcantur, ſive unicuique proprium obſonium apponatur, ut in Seminariis, & Monaſteriis: unde qui ſcitin ſuo refectorio adeſſe Clericum notorium percuſſorem Clerici, peccaret non recedendo: quia dicitur participare cum excommunicato vitando; qui vero reperitur in aliqua caupona, ad quam etiam divertit excommunicatus vitandus poteſt in eodem cubiculo, vel in eadem menſa comedere, modo quiſque ſuum habeat cibum.

2 Licitum eſt communicare cum excommunicato vitando in caſibus qui hoc carmine continentur.

Utile, lex, humile, Res ignorata neceſſe.

Per Utile intelligitur utilitas tam ſpiritualis, quam temporalis ipſius participantis cum excommunicato, aut ipſius excommunicati participantis cum alio, modo utilitas ſit vera, & non ficta, quare poteſt communicari cum excommunicato vitando, quando ex communicatione ſperatur emendatio ipſius Excommunicati: ita licitum eſt conſulere excommunicato, ut ſe reſipiſcat: licitum eſt perſuadere excommunicato, ut ſatisfaciat parti læſæ vel Reipublicæ, etiam licitum eſt, petere conſilium ab excommunicato pro ſe, vel pro aliis: modo non adſint alii non excommunicati: qui æque bene valeant hoc munus præſtare, eſt licitum petere ſuum creditum ab excommunicato vitando, vel proſequi ſocietatem antea initam: ſic licet à Medico excommunicato vitando petere auxilium, & medicinas: licet etiam excommunicato vitando petere privatim ſuum creditum à debitore, ſicut ipſe debitor tenetur ſolvere ſuo creditori excommunicato, nam obligatio ſolvendi debitum eſt obligatio juris naturalis: quæ non tollitur per præceptum Eccleſiæ non participandi cum excommunicato: ita etiam ipſe creditor excommunicatus poteſt privatim petere ſuum creditum, nam ſi peteret in judicio non admitteretur: & ſic debitor tenetur ſuo creditori, licet excommunicato, ſolvere pecuniam, quam promiſit cum juramento, etiam ſi interim creditor denuncietur excommunicatus, & nondum ſit abſolutus poteſt recipi legatum relictum ab excommunicato vitando, ut oretur pro anima ipſius: nam hoc legatum pie explicandum eſt de oratione privata: quæ licite fieri poteſt pro excommunicato.

Per lex intelligitur lex, & jus Matrimonii, unde dicitur quod uxor ſit ſub lege viri: & propterea licitum eſt, excommunicatis conjugatis etiam vitandis petere, vel reddere debitum, etiam ſi uxor contraxerit matrimonium, ſciens maritum eſſe excommunicatum quamvis enim peccaverit, & incurrerit minorem excommunicationem contrahendo matrimonium cum excommunicato vitando, non tamen peccat petendo vel reddendo, nam permittitur uxoribus manere cum viris excommunicatis, & licitum eſt uxori communicare cum viro excommunicato in colloquiis familiaribus in menſa, & in iis, quæ pertinent ad domus gubernationem: atque in omnibus obſequiis, quæ uxor præſtabat viro ante ipſius excommunicationem, quia uxor eſt ſubiecta viro, illique debet obedire: ita etiam uterque conjux excommunicatus poteſt ſimul communicare, neuter enim privatur mutua communicatione per excommunicationem, uxor autem non poteſt communicare cum marito

excommunicato in his, propter quæ lata eſt excommunicatio contra maritum, nam diceretur communicare in crimine crimino ſo, & propterea incideret in majorem excommunicationem; nec poteſt in divinis participare cum marito excommunicato vitando, nam in his non eſt ſubjecta viro, ita quando uxor petit divortium à marito, quoad habitationem; tunc non poteſt cum eo communicare; quia non eſt ſubjecta viro.

2 Maritus non excommunicatus poteſt communicare cum uxore excommunicata vitanda in iis omnibus, in quibus ipſa poteſt cum marito excommunicato vitando communicare, ratione contractus conjugalis.

3 Per humile intelligitur officium ſervorum, & ſubditorum, nam hi tenentur obedire ſuis ſuperioribus excommunicatis vitandis, & cum eis communicare uſuali, & ordinaria communicatione: & ſic Religioſi tenentur obedire ſuis ſuperioribus excommunicatis, milites ducibus excommunicatis, filii adoptivi, vel carnales etiam illegitimi patribus excommunicatis: non autem filii emancipati poſſunt communicare cum patribus excommunicatis in omnibus, ſed in iis, quæ pertinent ad filium, ut filius eſt, ut ad obedientiam, & reverentiam erga patrem: nomine autem filiorum veniunt non ſolum filii maſculi, ſed etiam fœminæ illegitimæ, vel adoptivæ, & veniunt alii affines qui ſunt loco filiorum, ut gener, nurus, privignus, vel privigna, qui omnes veniunt in hoc privilegio nomine filiorum, & poſſunt communicare cum ſuperiore excommunicato, quia beneficium principis latiſſimè explicandum eſt, & ſic nomine Patris intelligendum eſt non ſolum Pater verus, & immediatus, ſed etiam Avus, Abavus, &c. ſic Mater, Avia, Noverca, Socrus &c. unde gener poteſt communicare cum Socero excommunicato, & è contra.

4 Servi, & famuli, qui ante excommunicationem erant ſubjecti Domino excommunicato poſſunt communicare cum ſuo domino, ac ſi non eſſet excommunicatus ſive gratis, ſive pretio inſerviant, dummodo non communicent in his propter quæ Domini fuerunt excommunicati: idem dicendum de famulis, qui abſque neceſſitate cœperunt inſervire Domino excommunicato, poſſunt cum eo communicare, quamvis peccaverint obligando ſe ad illi ſerviendum: ſic Pupillus poteſt communicare cum tutore excommunicato, quamdiu exiſtit ſub illius tutela: quia tutor ſuſtinet perſonam patris; ſecus dicendum de filiis ſpiritualibus, qui non poſſunt communicare cum patribus ſpiritualibus excommunicatis, cum quibus habent cognationem ſpiritualem; nam jura non loquuntur de hujuſmodi filiatione; ſic nec ſervus poteſt communicare cum alio ſervo excommunicato vitando, nec frater cum alio fratre, qui unus non eſt alteri ſubjectus: poſſunt tamen per accidens communicare quatenus eidem domino debent inſervire, vel communicare, & habitare cum eodem patre; poſſunt autem Clerici dum ſunt in famulatu ſui Epiſcopi ſuo Epiſcopo excommunicato inſervire, ſed non poſſunt alii Clerici.

5 In divinis autem ſupradictæ perſonæ poſſunt communicare cum Dominis, Patribus, vel Superioribus excommunicatis præſtando ea, quæ concernunt ſubjectionem, & miniſterium, ſeu famulatum: unde famulus poteſt recitare officium cum Domino excommunicato, aut cum eo miſſam audire ſi ab eo vocetur ad hoc faciendum, ſic famula poteſt comitari Dominam, Clericus conductitius poteſt inſervire ſuo domino Sacerdoti ſacrum faciens: non autem licet filio, quamvis ſit Parochus, miniſtrare Sacramenta patri excommunicato vitando, nec coram eo divina facere, nam hæc communio nulla ratione illi competit. Domini quoque, Prælati, & Patres poſſunt communicare cum ſuis famulis, & filiis excommunicatis vitandis, ſicut ipſi famuli ſubditi communicare poſſunt cum ſuis Dominis, & patribus excommunicatis; ſic poſſunt ſuperiores excommunicati communicare cum inferioribus. Vaſalli non poſſunt communicare cum ſuis principibus temporalibus excommunicatis vitandis, quia ſunt ſuſpenſi ab uſu juriſdictionis; excipitur autem ſolutio tributorum, quæ Principi debetur.

6 Per res ignorata ſignificatur, ut ſciamus à peccato, & ab excommunicatione minori excuſari eos, qui cum ignorantia inculpabili, vel cum inadvertentia communicant cum excommunicato vitando: nam ignorantia, & inadvertentia excuſat à peccatis, & à cenſuris, nec tenemur evitare excommunicatum quem dubitamus eſſe

denun-

denunciatum, ſeu vitandum, exceptis aliquibus caſibus. Primus eſt quando imminet periculum ſcandali. Secundus eſt quando periculum eſt faciendi actum irritum communicando cum excommunicato quam ob rem certo ſciens aliquem Sacerdotem eſſe excommunicatum, ſed dubitans illum eſſe vitandum, non poteſt illi confiteri peccata ſua ſecluſo ſcandalo, vel alia juſta cauſa; nam fieri poteſt, ut re vera ille Sacerdos ſit excommunicatus vitandus, & ideo invalidam conferat abſolutionem defectu juriſdictionis, cujus uſu caret excommunicatum vitandum; teneor evitare illum, qui mihi ſuo ore dixit, ſe eſſe excommunicatus vitandus, ſic quem novi per publicam famam eſſe excommunicatum vitandum: vel ſi à duobus audivi, fide dignis: nec Confeſſarius tenetur vitare excommunicatum, in confeſſione cognitum, quia cenſetur laborare ignorantia: ille vitandus eſt, quem Parochus dicit eſſe vitandum oſtendendo litteras denunciatorias, quia Parochus majorem facit fidem oſtendendo litteras denunciatorias, quàm faciat publica fama, ſecus dicendum, ſi mihi ore tantum dicat eſſe vitandum, non oſtendendo litteras denunciatorias, quia uni teſti, etiam fide digno, non eſt credendum, nec teneor evitare eum quem conſtat contraxiſſe excommunicationem ob Clerici percuſſionem, ſed non conſtat an ea percuſſio notoria fuerit notarietate facti, teneor etiam vitare eum, qui alibi denuntiatus eſt excommunicatus, ſed hic vel neſcitur, vel à paucis ſcitur, quia experientia conſtat delicta unius publica in uno loco neſciri in alio loco.

7 In dubio juris nemo tenetur, ſe tamquam excommunicatum gerere, ſi adhibeat ſufficientem diligentiam ad veritatem aſſequendam: eaque adhibita adhuc in dubio perſiſtit, quia in dubio juris favendum eſt poſſidenti ſuam libertatem, nec in dubio facti nemo cenſendus eſt eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem: & proterea, qui dubitat an excommunicatio lata ſit ob tale delictum, vel an judex tulerit ſententiam excommunicationis, non tenetur, ſe tamquam excommunicatum gerere, ſi adhibita debita diligentia non comperit latam eſſe excommunicationem: habet enim dubium juris, vel ſi dubitat, ſe Clericum percuſſiſſe, non tenetur, ſe tamquam excommunicatum gerere, nec tenetur petere abſolutionem, ſi adhibita ſufficienti diligentia non voluit dubium ſpeculativum deponere, nec hic eſt vitandus, ſi dubitatur an Clericum percuſſerit, poſſidet enim jus participandi cum fidelibus; ſecus dicendum, ſi per famam, vel teſtes fide dignos conſtat Clericum percuſſiſſe notorie, tunc enim dicitur, non adeſſe, dubium, ſed moralis certitudo, tenetur autem ſe tamquam excommunicatum gerere, quando conſtat latam eſſe excommunicationem, ſed dubitatur an fuerit juſta, vel an fuerit lata ex juſta cauſa; vel an Iudex, qui eſt in poſſeſſione judicandi, legitimam habeat auctoritatem; vel an habuerit animum excommunicandi, vel utrum ſervaverit debitam formam, ſeu modum procedendi, nam poſſeſſio ſtat pro excommunicatione, nec cenſetur excommunicatus, contra quem lata eſt excommunicatio ſub conditione, ſed dubitatur an conditio ſit adimpleta; quia poſſeſſio ſtat pro illo, de quo dubitatur, an ſit excommunicatus. Ille Judicandus eſt excommunicatus vitandus: quem conſtat antea fuiſſe denunciatum, ſed dubitatur an fuerit abſolutus.

8 Ut poſſimus communicare, & habitare cum eo, quem antea excommunicatum vitandum eſſe conſtabat, ſufficit probabilis certitudo eſſe abſolutum, ut quando multum temporis pertranſiit, & probabiliter credere poſſumus eſſe abſolutum, vel quando novimus confeſſum, eſſe ab habente facultatem abſolvendi ab excommunicatione, vel quando ipſe teſtatur, ſe eſſe abſolutum, & credimus ipſum non mentiri, vel quando teſtes fide digni teſtantur, eſſe abſolutum. vel quando communiter habetur pro abſoluto, & extat publica fama.

9 Per Neceſſe intelligitur neceſſitas excuſans à peccato participando cum excommunicato vitando, & excuſans ipſum excommunicatum cum aliis participantem, & intelligitur de neceſſitate ſpirituali, & temporali: ſive pertineat ad victum, & veſtitum ſive ad habitationem: & intelligitur de neceſſitate externa, & de alia, quam ex conſilio tenemur ſublevare, non enim creditur Eccleſiam velle obligare

T 2 contra

contra divina, & naturalia conſilia: ideo poſſum tradere eleemoſinam excommunicato vitando; qui ea indiget ad vitam, poſſum eidem tradere equum, quo ipſe indigea ad iter faciendum, & eadem ratione poſſum petere eleemoſinam, & equum, poſſum petere conſilium ab advocato excommunicato, vel medico, quando non adeſt alius, & quãdo communicatio eſt neceſſaria ad pacem aliorum conciliandam, vel ad ſcandalum evitandum, quando per metum gravem communicare cogitur cum excommunicato, unde excuſatur qui per vim cogitur divinis intereſſe coram excommunicato, & ſi non poteſt commode diſcedere debet reverenter intereſſe, & Euchariſtiam adorare poteſt, non tamen propter neceſſitatem, vel metum poteſt facere aliquid intrinſice malum, unde excommunicatus vitandus nõ poteſt aliquem in articulo mortis non exiſtentem licite abſolvere; etiam ſi per metum gravem cogatur ad abſolvendum, nam caret juriſdictione, quam metus non confert, unde invalide abſolvit: eſt enim intrinſice malum: non teneor tamen diſſolvere contractum ſocietatis initum cum excommunicato ante excommunicationem, ſed poſſum ſocietatem continuare, cauſæ autem prædictæ excuſantes participantem cum excommunicato intelligendæ ſunt modo non adſit ſpecialis prohibitio communicationis in præfatis caſibus interdicens.

De privatione communicationis in actionibus fori civilis. Cap. 266.

1 Omnis Judex tam Eccleſiaſticus, quam ſecularis privatur uſu juriſdictionis pro tempore, quo remanet excommunicatus vitandus, quia qui repellitur ab Eccleſia, non eſt æquum, ut juriſdictionem habeat in Eccleſiæ membra, unde invalida ſunt geſta per judicem excommunicatum vitandum; acta autem excommunicati tolerati valida ſunt; quia toleratur ab Eccleſia, nec privatur juriſdictione, ſed judex excommunicatus vitandus moraliter peccat ferendo ſententiam, nam uſum juriſdictionis, quem non habet ſibi uſurpat, & actum facit irritum, & invalidum: nec excuſatur à mortali excommunicatus toleratus ferendo ſententiam, quia actio judicandi, quæ prohibetur excommunicato, videtur gravis, & ſufficiens ad peccatum mortale, nec excommunicatus valide poteſt eligi in judicem vel aſſumi ad aliam dignitatem temporalem habentem adnexam juriſdictionem, propterea Summus Pontifex reprobavit, & mandavit, quemdam non recognoſci in Regem Romanorum, eo quod fuerit electus, dum erat excommunicatus: ſed valida eſt collatio earum dignitatum, quæ non habent adnexam juriſdictionem, acta vero illius, qui dignitatem, ſeu officium obtinuit, dum erat excommunicatus invalida ſunt, ſi ſciebatur eſſe excommunicatus, quia caret titulo, & fundamento ad illa præſtanda ſi vero erat excommunicatus occultus, & ignoratus, nec poſtea detecta fuit illius excommunicatio valida ſunt illius acta, quia titulum habet coloratum cum errore communi.

2 Excommunicatus quamvis toleratus non poteſt eſſe actor in judicio in cauſis civilibus, aut Eccleſiaſticis, ſive per ſe, ſive per alium; quia Concil. Conſtantien: nullum conceſſit excommunicatis toleratis privilegium, & propterea non poteſt accuſare, ſed poteſt ſeipſum defendere, quia jure naturæ cuique competit ſua defenſio, & ſic poteſt appellare à ſententia contra ſe lata, & poteſt obiicere excommunicationem accuſatori, teſti, &c. dicendo illos eſſe excommunicatos, modo hoc probet intra octo dies, alioquin condamnandus eſt in expenſis, non autem poteſt alium convenire in judicio, ſed ab alio conveniri poteſt in judicio, & tunc per ſe ipſum poteſt reſpondere, & per ſeipſum cauſam defendere, nec tenetur reſpondere per procuratorem, quia non ipſe, ſed ipſius Procurator diceretur conveniri, & ſic excommunicatus appellans à ſententia audiendus eſt, & poteſt appellationem proſequi, quia hic eſt actus defenſionis. Reus autem excommunicatus habens exceptionem contra actorem poteſt, antequam conveniatur ad judicium, implorare officium Judicis, ut probata exceptione repellat actorem, ipſique ſilentium imponat, ſicut implorare poſſet, ſi vinculo excommunicationis non detineretur, quando autem excommunicatus rationabiliter dubitat de fuga debitoris, poteſt debitorem coram judice convenire, ne detrimentum patiatur: quia excommunicatus in hoc caſu dicitur potius ſe defendere, & judicis officium ad ſui defenſionem implorare, quam agere

unde

unde judex debet illum in tali eventu admittere.

3 Excommunicatus vitandus agens in judicio à Judice repelli debet; licet exceptio excommunicationis non approbetur ab adverſario, ex vi ſui muneris: geſta autem facta per excommunicatum toleratum, ſive per vitandum valida ſunt, quia jus non irritat ipſius geſta, quamvis prohibeat excommunicatum in judicio agere, non autem peccat mortaliter agendo in judicio ratione parvitatis materiæ, ſecus ſi ſæpius agat, quia tunc graviter peccat.

4 Excommunicatus tolleratus licite poteſt ferre teſtimonium, quia actus teſtificandi ex natura ſua vergit in favorem illius, pro quo præſtatur; excommunicatus autem toleratus licite poteſt actus in favorem aliorum præſtare, modo non ſeſe ingerat ſua ſponte, ſecus dicendum de excommunicato vitando, qui non poteſt licite ferre teſtimonium; quia prohibita eſt cum illo communicatio, excipitur cauſa fidei, in qua poteſt teſtificari, & accuſare, ſic etiam excipitur cauſa matrimonii, quæ eſt valde favorabilis; teſtimonium inſuper excommunicati vitandi validum eſt, non ſolum in judicio, ſed etiam in teſtamentis, contractibus, & inſtrumentis: quia nullo jure probatur invalidum eſſe, præſertim accedente conſenſu Judicis, & illius, contra quem teſtis adducitur ad teſtificandum, nam in poteſtate Judicis, & partis eſt illum expellere, & cum eo nolle communicare.

5 Excommunicatus vitandus illicite exercet officium Advocati, vel procuratoris; quia participat cum aliis contra obligationem cenſuræ; non propterea illius acta ſunt invalida: quia nullo jure conſtat irritari, & propterea matrimonium celebratum à procuratore excommunicato nomine alterius validum eſt, & idem dicendum eſt de aliis aſſumentibus adminiſtrationem temporalem, nullo enim jure conſtat illorum acta eſſe ipſo facto irrita: non autem excommunicatus, qui exercuit officium advocati, non tenetur ad reſtitutionem pretii accepti, quia nullo jure conſtat teneri.

De Annullatione impetrationis gratiarum, & ſuſpicione, quæ contrahitur ob excommunicationem.
Cap. 267.

1 Excommunicatio irritat, & annullat litteras, & reſcripta Apoſtolica, & proceſſus virtute illarum habitos: excepto caſu ſeu articulo excommunicationis, & appellationis: licet hoc tempore in litteris Apoſtolicis, quæ modo obtinentur includi ſolet abſolutio ab omnibus cenſuris, ad hunc effectum, ut privilegia, litteræ, & gratiæ Apoſtolicæ valeant, excepto caſu excommunicationis ob hæreſim, vel ob alios caſus ſupra recenſitos, & excepto caſu, quo quis per annum in excommunicatione inſorduit, quia ſuſpicionem habeat hæreſis, unde non videtur frui abſolutione generali contenta in reſcriptis Pontificis: perſiſtens vero in excommunicatione per annum ob aliquam cauſam, quæ mereatur excuſationem, videtur frui abſolutione: prædictus effectus non extenditur ad litteras Epiſcoporum, vel aliorum Prælatorum, aut etiam ad litteras, & reſcripta Imperatoris, Regis & aliorum ſæcularium, quia ſolum videtur loqui de litteris, & reſcriptis Apoſtolicis, prædictus autem effectus extenditur ad excommunicatum quamvis occultum, cum abſolute loquatur de excommunicatione.

2 Excommunicatus perſeverans in excommunicatione per annum ſuſpectus evadit de hæreſi, unde contra ipſum, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poteſt ex *Trid ſeſſ. 25. c. 3.* Nam præſumitur male ſentire de poteſtate Eccleſiæ, quia non curat tam de cenſuris ab ipſa datis, quam de Sacramentis, cum illa non ſuſcipiat ſingulis annis juxta præceptum Eccleſiæ: verum excomunicatus perſiſtens per annum completum in excommunicatione non ſtatim condemnandus eſt tamquam hæreticus, quia contumacia per annum in excommunicatione non inducit certam hæreſis probationem: ſed præſumptionem, quam ipſe excommunicatus purgare tenetur, unde ſi contumax citetur ad purgandam præſumptionem hæreſis ob perſiſtentiam unius anni in excommunicatione tenetur comparere, alioquin ob contumaciam declarari poteſt excommunicatus, & ſi in hac excommunicatione iterum per annum

T 3 per-

perſtiterit condemnandus eſt tamquam hæreticus, quia præſumptio, quæ ſolum erat vehemens tranſit in violentiam, & juris adminiculo non levem facit probationem, unde ſufficit ad condemnationem modo vere fuerit contumax, & legitimo impedimento detentus non fuerit: ſed contumax in excommunicatione per annum habetur pro confeſſo in crimine ei obiecto, cujus cauſa excommunicatus fuit, nam annalis contumacia vehementem inducit præſumptionem, quæ confeſſionis locum tenet, dum quis eam purgare contemnit; quod procedit in cauſa criminali, & in cauſa civili; tamen excommunicatus poteſt, poſt ſententiam contra ipſum latam, probare ſuam innocentiam: poteſt enim eſſe innocens, etſi præſumptio veritati contraria exiſtat, & licet ſit præſumptio juris, & de jure, tamen levis eſt, dummodo ſæpius monitus, ſe purgare neglexit, nam tunc cenſetur poſitive neglexiſſe purgationem, & criminis obiectionem non leviter approbaſſe.

3 Excommunicatus inſordeſcens per annum in excommunicatione poteſt pæna arbitraria puniri, unde pæna pecuniaria injungi poteſt pro qualitate ex ratione contumaciæ, modo judex pecuniariam mulctam non ſibi applicet, ne ſuſpicionem avaritię, & ſimoniacę labis incurrat, eſt etiam privandus beneficiis, quoties commiſit crimen beneficii privationem inducens, modo reipſa contumax fuerit per annum integrum in excommunicatione: ſecus ſi intra annum aliquoties abſolutus fuerit, & poſtea iterum excommunicatus: aut ſi intra annum abſolutionem petit, ſeu per ipſum non ſtetit, ne abſolutionem obtineret hic enim non dicitur contumax per annum in excommunicatione: ſi vero leve crimen commiſit, cui privatio beneficiorum adiuncta non eſt, non eſt privandus beneficiis, ut ſi excommunicatus fuit ob cauſam civilem, vel ob cauſam levem criminalem, nam in jure non habetur hujuſmodi excommunicatum privandum eſſe beneficiis, qui vero anno integro perſtitit in excommunicatione, & ob hæreſis præſumptionem citatur ad purgandam hæreſis ſuſpicionem privandus eſt beneficiis tamquam hæreticus.

De minori excommunicatione.
Cap. 268.

1 Excommunicatio minor eſt cenſura Eccleſiaſtica ſeparans fidelem excommunicatum à paſſiva Sacramentorum participatione, & incurritur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando affecto majori excommunicatione, vivo, & mortuo, ut ſi quis lavet cadaver excommunicati vitandi, vel comitetur ad ſepulturam, aut veſtiat, & ſimilia, nam cum non communicamus vivo nec cōmunicare debemus defuncto: quæ excommunicatio minor non incurritur participando cum excommunicato tolerato: nec affecto minori excommunicatione: incurritur autem non ſolum dum participatio cum excommunicato eſt peccaminoſa mortaliter; ſed etiam dum eſt venialiter, unde non ſolum participans notabiliter in divinis, verum etiam leviter in humanis ſubiacet excommnnicationi minori.

2 Excommunicatio minor duos parit effectus, Primus eſt privare directe paſſiva Sacramentorum participatione; quare peccat mortaliter excommunicatus minori excommunicatione recipiendo Sacramenta, & miniſtrans illi Sacramenta graviter peccat, niſi excuſetur ratione ignorantiæ, aut ratione ſcandali, vel alterius mali vitandi; quia cooperatur peccato excommunicati ſuſcipientis Sacramenta indigne; ſic excommunicatus minori excommunicatione invalide recipit Sacramentum pęnitentię, quoties intendit abſolutionem peccatorum obtinere antequam abſolvatur ab excommunicatione: Sacramenta vero ab hujuſmodi excommunicatio ſuſcepta valida ſunt, nec peccata adminiſtrando Sacramenta; nam excommunicato minor non privat activa adminiſtratione Sacramentorum, ſed quatenus recipit, unde unum tantum peccatum committit, dum recipit, nec incurrit irregularitatem, aut aliam pænam celebrando, vel adminiſtrando Sacramenta ipſo iure: ſed arbitrio ſuperiori puniendus eſt; Secundus effectus minoris excommunicationis eſt, ut privet electione, & præſentatione, & collatione beneficii, & Eccleſiaſticæ dignitatis, unde non poteſt licite eligi, vel præſenta-

ri

ri ad beneficia; quamvis electio, & præſentatio valida ſit: peccat tamen mortaliter recipiendo beneficium, quia facit contra obligationem cenſuræ, & prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, & ſic graviter peccat, qui ſcienter eligit excommunicatum minori excommunicatione: non autem privat electione, aut præſentatione activa; ſed paſſiva, licet ipſo facto non ſit irrita, ſed per ſententiam irritanda: neque eſt irritanda quando facta eſt cum ignorantia excommunicationis, poteſt autem cum aliis fidelibus communicare, & poteſt divinis officiis intereſſe, ſuffragiis frui, &c. poteſt alios à cenſuris abſolvere, & à peccatis, & actus juriſdictionis exercere.

3 Ab excommunicatione minori lata à jure poteſt tantummodo proprius Sacerdos abſolvere, qui habet juriſdictionem ordinariam ſupra excommunicatum, qualem habet Summus Pontifex in toto orbe, Epiſcopus in ſua diœceſi, & Parochus in ſua Parœcia, ſed ſi lata eſſet ab homine, quod tamen non eſt in uſu, ejus abſolutio danda eſſet à conditore illius, vel ab ejus ſuperiore vel à ſucceſſore, vel ab habente facultatem delegatam, & propterea ſimplex Sacerdos non poteſt abſolvere à minori excommunicatione, quia non eſt proprius Sacerdos nec Parochus alterius parœciæ niſi delegata ſit illi facultas à proprio Sacerdote. Parochus etiam poteſt extra confeſſionem abſolvere à minori excõmunicatione quia facultas abſolvendi ab iſta excommunicatione non videtur illi conceſſa cum limitatione abſolvendi in confeſſione; Parochus inſuper, etiam ſi nondum ſit Sacerdos, poteſt abſolvere ab excommunicatione minori, quia non eſt actus Sacerdotalis ſed juriſdictionis, qui competit Parocho licet non ſit Sacerdos: ſic etiam Sacerdos approbatus ad audiendas confeſſiones poteſt abſolvere à minori excommunicatione, quia poteſt dici proprius Sacerdos per delegatã juriſdictionem. Sufficiunt autem verba ſufficienter exprimẽtia abſolutionem minoris excommunicationis, non n. ſunt neceſſariæ ceremoniæ, quæ adhibentur in Abſolutione aliarum cenſurarum, & ſi pœnitens dubitet, ſe in minorem excommunicationem incidiſſe poteſt abſolvi ſub conditione, & forma, communiter adhiberi ſolita: abſolvo te ob omni vinculo excommunicationis quantum poſſum, & tu indiges.

De Excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in Clericos, vel Monachos.

Quænam ſit materia iſtius excommunicationis, ſeu quænam actiones ſub excommunicatione prohibeantur in hoc textu.
Cap. 269.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt actiones in hoc Canone expreſſæ, quarum una eſt principalis, aliæ acceſſoriæ. Principalis eſt injurioſe iniicere manus violentas in Clericum, vel Monachũ ut patet ex illis verbis ſi quis violentas manus in Clericum, vel Monachum, &c. Actiones vero acceſſoriæ ſunt: Primo mandare hujuſmodi manuum injectionem, ſeu percuſſionem: Secundo conſilium, auxilium, vel favorem ad hujuſmodi percuſſionem præbere: Tertio ratum habere ut iſtæ actiones rite perficiantur.

Explicatur materia, ſeu actio principalis iſtius excommunicationis.
Cap. 270.

1 NOmine violentæ injectionis manuum intelligitur actio externa injurioſa violenta conſiſtens in facto, ſeu opere, & contingens perſonam Eccleſiaſticam in quatres conditiones requiruntur; Prima ut ſit actio violenta, pro qua intelligitur quælibet percuſſio, & vis injurioſa, ſive fiat manibus, ſive pedibus: Secunda ut actio injurioſa attingat Clericum: quare verba contumelioſa dicta in Clericum non ſufficiunt ad incurrendam excommunicationem, nec qui conatur percutere, & non percuſſit, ſed ſufficit ſi fiat actio violenta, & injurioſa circa rem adhærentem Clerico, ſeu referentem, vel continentem Clericum: Tertia conditio eſt ut actio violenta, & injurioſa ſit mortaliter peccaminoſa, quia dicitur in textu ſuadente Diabolo, & excommunicatio non incurritur niſi ob mortalem culpam, & propterea qui percutit Clericum ita leviter ut actus exterior omnibus conſideratis non cenſeatur ſufficiens ad mortale, non incurrit excommunicationem, licet peccaverit mortaliter in intentione, intendens graviter percutere, vel gravem injuriam inferre qui vero ita

leviter percutit Clericum, ut illa percuſſio cenſeatur valde injurioſa Clerico incurrit excommunicationem, ut qui conſpuit in Clericum, vel virga percutit: vel ſimilia agit, cum hæc actio graviter violenta cenſeatur in Clerico, eſt mortale: ſic etiam incurrit excommunicationem, qui occidit Clericum per cibum, vel potum veneno infectum: quia eſt actio violenta; non autem incurrit excommunicationem, qui clam furatur crumenam Clerico, aut illum dormientem veſtibus ſpoliat: nam iſtæ actiones non videntur violentæ, ſecus dicendum de eo, qui violenter detinet Clericum, ut illum veſtibus, aut pecuniis ſpoliet, lacerans autem veſtes, quæ Clerico non adhærent non incurrit excommunicationem, non enim violentiam infert. Judex autem ſecularis incurrit excommunicationem detinendo Clericum, vel curando detineri in cuſtodia, vel in domo, vel ponendo cuſtodes ad domum, qui Clericum exeuntem capiant, nam hæc eſt violentia in Clericum per ſe, vel per alium Metum incutiens Clerico abſque vi, vel tactu non incurrit excommunicationem, quia violentiam non facit: incurrit autem excommunicationem, qui ſcoplum explodit in Clericum, qui ob terrorem moritur, licet nec leviter quidam læſus fuerit, quia cenſetur actio violentia, & tunc cenſetur actio, & injectio manus violentæ, cum arbitrio prudentis viri judicabitur, ſecluſa excommunicatione, eſſe ſufficiens ad peccatum mortale, & propterea eſſe ſufficiens ad incurrendam excommunicationem, quare Clerici impuberes inter ſe rixantes, ſeque percutientes non incurrunt excommunicationem, quoties illa actio attenta qualitate perſonarum, & quantitate nocumenti non eſt mortalis, unde pueri ſæpe poſſunt ab excommunicatione excuſari, quia percuſſio eorum non reputatur graviter injurioſa.

Explicatur materia minus principalis, ſeu actionis acceſſoriæ, ob quas hujus Canonis excommunicatio incurritur.
Cap. 271.

1 Conſilium, & mandatum, quo quis conſulit, aut tacite, vel expreſſe mandat Clerici, vel Monachi percuſſionem ſubiicitur huic excommunicationi, ſecuta tamen percuſſione, nam ob actiones acceſſorias non incurritur excommunicatio nondum ſecuta actione principali, ideo ſubiicitur quando conſilium, vel mandatum revera influxerit in percuſſionem quia ad incurrendam cenſuram requiritur effectus prohibitus ſub cenſura, quia conſilium, & mandatum prohibetur, quatenus ſunt cauſa percuſſionis, & licet mandans revocaverit mandatum, quod non pervenit ad mandatarium, incurrit excommunicationem, quia fuit cauſa efficax percuſſionis, unde tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, ita etiam mandans incurrit excommunicationem, licet ſit in gratia, cum mandatarius exequitur mandatum percutiendo Clericum: nam licet ad incurrendas cenſuras prærequiritur peccatum mortale, non tamen neceſſe eſt, ut peccatum mortale tunc committatur, quando cenſura incurritur, ſed ſufficit peccatum mortale prohibitum ſub cenſura commiſſum antea fuiſſe; poteſt autem incurri excommunicatio à mandante, & non ab executore, ſeu ab executore, & non à mandante, quando executor, vel mandans, ignorat invincibiliter illum, quem percutit eſſe Clericum, aut invincibiliter ignorat latam eſſe excommunicationem.

2 Omiſſio, qua quis non obſtat percuſſioni Clerici non ſubiicitur excommunicationi, dum is qui non obſtat ex ſola charitate obſtare tenebatur, licet poſſit obſtare, & peccat non obſtando, quia excommunicatio lata eſt ob actionem, non vero ob omiſſionem, qui vero non obſtat cum poſſit, & teneatur obſtare ex officio, ſeu ex juſtitia incidit in excommunicationem, quia dicitur præſtare auctoritatem, illique imputatur percuſſio, ſicut imputantur reliqua damna: licet oppoſitum non careat probabilitate: quia non conſentit, nec auctoritatem præſtat, tenentur autem obſtare ex officio Reges, Judices, & alii Superiores, Patres, Tutores, Heri, Pædagogi, Parochi, & alii ſimiles reſpectu filiorum & ſubditorum.

3 Ratihabitio qua quis approbat percuſſionem Clerici ſuo nomine factam eſt materia illius excommunicationis, & propterea qui approbat percuſſionem Clerici factam ſuo nomine, quamvis approbans non dederit mandatum, incurrit excommunicationem ad quam incurrendam propterea

ea ihabitionem requiruntur aliquę conditiones; Prima eſt, ut qui ratam habet percuſſionem Clerici potuerit mandare percuſſionem, eo tempore, quo ſecuta eſt percuſſio, & propterea approbator ſi erat amens, vel inſanus eo tempore, quo percuſſio facta eſt non incurrit excommunicationem, quia non potuerit percuſſionem mandare, ſecus ſi tunc dormiebat, quia poterat excitari à ſomno, & interrogari, an vellet ſuo nomine percuſſionem fieri; Secunda conditio eſt qui ratam habet percuſſionem debet habere ratam per aliquod ſignum externum, ſcilicet per verba, aut nutus, quia actus mere internus non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, ideo non poteſt puniri pæna cenſuræ, niſi externo ſigno manifeſtetur; Tertia eſt ut percuſſio facta ſit nomine ipſius, ſciatque illam ſuo nomine factam eſse, unde ſi de illa gaudeat neſciens factam eſse ſuo nomine non contrahit excommunicationem.

De Subjecto iſtius Excommunicationis. Cap. 272.

1 OMnes, & ſinguli, qui Clericum, vel Monachum percutiunt, aut aliam actionem in hoc Canone vet tam agunt in cenſuram iſtius Canonis incidunt, & propterea omines homines baptizati doli capaces ſubiiciuntur huic cenſuræ ſive ſint puberes, ſive impuberes: ſive ſint laici, ſive Clerici etiam in maxima dignitate conſtituti, excepto Papa, ſive ſint Superiores, ſive inferiores, modo ſuperiores id non agant ex officio, ſeu cauſa correctionis, & etiam fœminæ ſubiiciuntur percutientes, vel alia ratione concurrentes ad Clerici, vel Monachi percuſſionem: idem dicendum de Collegio; & univerſitate, licet non univerſæ; ſed ut ſinguli de communitate, qui delicto cooperantur, incidunt in excommunicationem.

2 Percutiens Clericum volentem, & conſentientem incurrit excommunicationem, quoties percuſſio eſt injurioſa: quia excommunicatio incurritur propter percuſſionem Clerici injurioſam, nec poteſt Clericus percuſſioni conſentire, nam privilegium de non percutiendo clerico conceſsum eſt toti ordini, & ſtatui clericali, cui perſona privata, qualis eſt unus Clericus non poteſt præjudicare, & cedere, & conſentire in ſui percuſſionem; quia vergit in damnum aliorum, & propterea percutientem Clericum conſentientem facere illi injuriam, & ſubiacere excommunicationi dicendum eſt, & licet percutiens Clericum conſentientem non faceret illi injuriam: tamen faceret injuriam ſtatui Clericali, & Eccleſiaſtico: unde excommunicatio non ſolum incurritur, quando fit injuria Clerico: ſed etiam quando fit injuria ſtatui Eccleſiaſtico, & ſic judex in cuſtodiam detinens Clericum conſentientem, aut illum verberantem ſubiacet excommunicationi; quia facit injuriam ſtatui Eccleſiaſtico, & licet Clericus conſentiens in ſui percuſſionem non ſit excommunicatus ipſo facto, eſt tamen excommunicandus.

3 Clericus ſe ipſum percutiens majorem incurritur excommunicationem modo percutiat ſe ex ira, & percuſſio attingat gravitatem lethalis culpæ quia percuſſio eſt injurioſa ſtatui clericali, cui non poteſt cedere, & propterea Clerici ligantur excommunicatione, qui pro deſperatione, vel tædio vitæ, ſe ipſos percutiunt, aut occidunt; ſecus dicendum de Clericis, qui ob mortem parentum, vel amicorum ſe percutiunt, vel barbam, aut Capillos evellunt, nam iſta actio non cenſetur injurioſa ſtatui clericali, idem dicendum de illis, qui ſe cauſa mortificandæ carnis, aut ex devotione flagellis plectunt.

Quænam perſonæ gaudeant privilegio Canonis ita ut qui eas percutit, & inferi in excommunicatione hujus Canonis incidat. Cap. 273.

1 NOmine Clerici intelligitur initiatus prima tonſura, aut aliquo ordine etiam ſi conjugatus ſit, modo gerat habitum clericalem, & tonſuram, & non ſit bigamus: bigamus enim privatur privilegio clericali, non autem privatur Clericus conjugatus, qui contraxit matrimonium cum virgine, quamvis deſeruerit habitum, & tonſuram, ſed eam poſtea reaſſumpſerit pænitentia enim illi prodeſſe debet, quare ſubiacet excommunicationi, qui percutit Clericum conjugatum non bigamum, dum gerit habitum, & tonſuram: licet antea dimiſerit habitum, & tonſuram, ſed eam poſtea abſque fraude reaſſumpſerit: ſic incurritur, qui percutit Cleri-

Digitized by Google

Clericum degradatum verbaliter tantum non vero realiter degradatum: ita eſt excommunicatus, qui percutit Clericum irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum, aut affectum alia cenſura: quia per cenſuras non amiſit nomen Clerici, aut privilegium Canonis: ſecus dicendum: quando quis percutit eum, qui ſuſcepit ordines ante Baptiſmum, nam non fruitur privilegio cum invalide ſuſcipiat ordines: ſicut etiam eos invalide ſuſcipit, qui per vim abſolutam promovetur ad ordines abſque intentione ſuſcipiendi ordines; ita etiam incurrit qui percutit Clericum, qui poteſt ſuſceptionem Sacrorum ordinum contraxit matrimonium, nam non amittit privilegium Canonis. Percutiens vero Clericum bigamum bigamia vera, & interpretativa non incurrit excommunicationem: quia caret omni privilegio, ſed percutiens bigamum bigamia ſimilitudinaria incurrit: quia adhuc retinet privilegium Canonis.

2 Nomine Monachi gaudentis privilegio Canonis intelliguntur non ſolum religioſi profeſſi, licet converſi: ſed etiam novitii: etiam ſi novitius admiſſus ſit ad religionem ante annos pubertatis: licet hic non ſit proprie novitius: tamen vocatur novitius, & in communi ſub obedientia vivit, validuſque eſt illius ingreſſus: ſecus dicendum de infante religioni oblato, admiſſo ante rationis uſum, quia nulla ratione eſt novitius, & non gaudet privilegio Canonis, ut gaudent novitii, nomine item Monachi intelliguntur Moniales profeſſæ, vel converſæ, ac novitiæ, modo non vivant Domi propriæ more laicorum; gaudet etiam privilegio Religioſus bigamus; quia nullo jure conſtat illum privari, ſic gaudent Commendatarii Laici, ut ſunt milites ordinis Chriſti, & Sancti Joannis. Reliqui vero milites Commendatarii, qui non vivunt in congregatione, nec vota paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis vovent, non gaudent hoc privilegio, ſecus ſi vota emittant, aut illis communicata ſint privilegia clericalia, quales videntur Equites Sancti Jacobi: qui licet non voveant perfectam caſtitatem, & paupertatem, tamen habent privilegium Canonis, & fori. Sic equites Sancti Jacobi, Calatravę, & Alcantarę, licet non ſint veræ, & ſtricte loquendo, Religioſi, tamen ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & ſervantes tria vota ſuo modo; unde gaudent privilegio Canonis, & fori: idem valet in equitibus ordinis Chriſti in Luſitania: Sancti Lazari in Sabaudia, & Sancti Stefani Florentiæ, aliiſque conſimilibus, qui privilegio ſunt exempti, aut tria vota emittunt. Tertiarii, qui domi vivunt extra congregationem, non gaudent, etiam ſi ſervent regulam Sancti Franciſci, vel Sancti Dominici; quia non ſunt religioſi, qui vero aſſumpto habitu monachali, ſeſe mancipatunt obſequiis alicuius approbatæ religionis ſub obedientia Superioris illius religionis, gaudent hoc privilegio quamdiu vivunt quia cenſentur religioſi, & perſonæ Eccleſiaſticæ, ut ſunt Tertiarii gregatim viventes, ſicut homines, qui aſſumpto habitu Religioſo adhibentur ad ſervitia, & obſequia Monalium gaudent hoc privilegio, hoc privilegium extenditur ad Eremitas: qui in communitate vivunt in aliqua congregatione, & ad eos qui vivunt in communi ſub aliquo Prælato ex tacita, vel expreſſa Summi Pontificis auctoritate, quamvis in ea religione non fiat profeſſio: nam cenſentur Religioſi, ita extenditur hoc privilegium ad Eremitas, qui peculiarem vivendi modum tenent, habitum religioſum deferentes, ſacro loco ex obligatione ſervientes ſub obedientia Epiſcopi vel alterius Prælati.

Quando nam iniciens manus violentas in Clericum excuſetur ab excommunicatione.
Cap. 284.

1 Excuſatur ab excommunicatione incurrenda, quando quis percutit Clericum vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum ſeipſum, vel rem ſuam, vel proprium honorem, nam iſta percuſſio non eſt vis, aut ultio, ſed defenſio, quæ cuilibet jure naturæ licita eſt; modo non excedatur modus inculpatæ tutelæ, & extenditur non ſolum ad ſui defenſionem, ſed ad defenſionem parentſi, amicorum, filiorum, aut etiam extraneorum, modo hæc percuſſio fiat ad puram innocentis defenſionem, licitum eſt enim vim vi repellere, & innocentis cauſam ſuſcipere. Quando autem Clericus rem alterius ſurripiens eam aſportavit, & tranſtulit

ad

ad locum deſtinatum, non poteſt percuti abſque excommunicatione, nam eſset ultio non defenſio. Excommunicatio vero non incurritur, quando quis Clericum fugientem, vel fugam parantem uti debitorem detinet, ut Superiori præſentet, & ſuum creditum acquirat, vel inſequens incontinenti clericum furem, quia hæc inſecutio licita eſt: nec incurrit fæmina, quæ ne eam clericus violaret, illum percutit, ſic non incurrit qui violenter repellit domo clericum, illam injuſte occupantem, quando repellens non poteſt aliter illam recuperare, non incurrit qui licite percutit Clericum invaſorem ad defenſionem honoris, famæ, pudicitiæ, vel aliorum bonorum, ſic non incurrit quando quis percutit Clericum, quem ignorantia probabili neſciebat eſse clericum: nec incurrit, quando quis per jocum percutit Clericum non ex odio vel indignatione: ſecus dicendum, quando inchoatur per jocum, ſed poſtea mutatur in ſacrilegium, cauſa correctionis percutiens Clericum non incurrit, modo non excedat modum, ſic nec incurrit Pater nec propinquus, nec Prælatus, nec Magiſter percutiens Clericum filium, vel ſubditum, vel diſcipulum cauſa corrigendi, ſic non incurrit, qui percutit, vel occidit Clericum inventum in peccato cum matre, filia, vel uxore, vel ſorore, modo percutiat incontinenti, vel detineat, ut illum præſentet ſuo Judici.

2 Qui autem percutit Clericum inventum in peccato cum alia conſanguinea: quæ non ſit mater, filia uxor, vel ſoror non exeuſatur ab excommunicatione, quando autem non incurritur ſi reperiatur in peccato, non eſt neceſse ut inveniatur in actu carnalis copulæ, ſed ſufficit ut inveniatur in quolibet alio turpi actu, ut in oſculis &c. vel in loco ſuſpecto, &c. non incurrit quando percutitur Clericus ter admonitus ut ferat habitum, & tonſuram, & non fert, nam caret privilegio Clericali: non incurritur ſi percutitur clericus, qui ter admonitus, ut ſeſe non implicet in negotiis ſecularibus, non velit deſiſtere: non incurritur ſi percutiatur clericus factus miles, vel graſsator, &c. vel exerceat officium cauponis, vel macellarii, & ab illo officio non deſiſtit intra terminum ab Epiſcopo præſcriptum, vel non deſiſtit à ferendis armis poſt trinam admonitionem, vel ab arte mima publicè excercenda: non incurrit percutiens bigamum initiatum minoribus ordinibus ſecus in ſacris conſtitutum, ſic incurrit clericum conjugatum percutiens geſtantem habitum, & tonſuram, nam non amittit privilegium clericale, nec incurrunt officiales principum, qui arcendo turbam ſimul arcent clericum, quia hujuſmodi violentia cenſetur caſualis.

Quiſnam poſſit abſolvere ab excommunicatione ob Clerici percuſſionem contracta. Cap. 275.

1 SUmmus Pontifex, Primo poteſt abſolvere ab hujuſmodi excommunicatione, cum habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia, & illi abſolutio ſit reſervata; Secundo Legatus à latere poteſt abſolvere: quia gaudet Pontificia auctoritate, & etiam Legati miſſi in provinciam, qui peculiare privilegium habent Tertio Epiſcopus poteſt per ſe, vel per alium abſolvere, quando percuſſio eſt levis, etiam Vicarius generalis poteſt per ſe ipſum abſolvere, & dare aliis facultatem abſolvendi, quia eſt Judex ordinarius, & facit unum Tribunal cum Epiſcopo: Quarto Supremi Mo aſteriorum Superiores poſſunt ex privilegio ipſis conceſſo abſolvere ſuos ſubditos ob levem percuſſionem non ſolum profeſſos, ſed etiam novitios, licet contraxerint excommunicationem ante novitiatum: qui ſuperiores ſupremi poſſunt etiam per alios abſolvere; cum ſint Judices ordinarii; Quinto Prælati, aliique Sacerdotes Epiſcopis inferiores, non poſsunt ab hac cenſura abſolvere, niſi ſpeciale privilegium obtinuerint à Summo Pontifice, etiam ſi Prælati juriſdictionem habeant quaſi Epiſcopalem.

2 Levis percuſſio, ſtando judicio prudentis viri, illa eſt quæ ſit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel ſigillationem carnium relinquit, vel quæ ſit abſque ſciſſione membri, ſive caſsatione dentis, ſive evulſione multorum capillorum, ſive effuſione multi ſanguinis: licet ex circumſtantiis perſonæ, & qualitatis dicatur hujuſmodi percuſſio gravis: dicitur autem levis, non quia ſit peccatum veniale, ſed ita nuncupatur reſpectu mediocris, & enormis, & propterea poteſt aliqua percuſſio habere malitiam lethalem, & tamen appellatur levis;

3 Medio-

3 Mediocris percuſſio dicitur illa, quæ media eſt inter levem, & enormem, & eſt illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia evellitur, aut ſigillatio carnis relinquitur, aut ſanguinis copia effunditur abſque gravi læſione, vel abſque gravi injuria. Ad Epiſcopum autem, vel alium bonum virum ſpectat judicium quando ſit mediocris.

4 Gravis percuſſio dicitur illa, quæ conjuncta eſt cum gravi læſione, vel gravi injuria, vel cum membri mutilatione, vel cum magna ſanguinis effuſione, quæ non proveniat ex naribus, ſed aliunde, vel cum magno vulnere, aut ictu, licet parum ſanguinis exeat: vel ſit in ſuum ſuperiorem, vel in alium Prælatum in dignitate conſtitutum, vel in Epiſcopum, Abbatem, vel Priorem, vel quando percutitur Clericus, & ex ea percuſſione oritur magnum ſcandalum, vel quando Religioſus percutit Clericum in publico, vel quando Sacerdos percutitur ſacris veſtibus indutus, vel quando Clericus diu injuſtè detinetur in teterrimo carcere, vel quando percuſſio eſt valdè ignominioſa attentis qualitatibus perſonarum, & aliis circumſtantiis, vel quando laicus officialis percutit auctoritative, quaſi uſurpans Eccleſiaſticam juriſdictionem, quia cenſetur gravis injuria contra ſtatum Eccleſiaſticum.

5 Epiſcopus poteſt abſolvere aliquando etiam ſi percuſſio ſit mediocris, vel gravis, & enormis, & quando Clerici collegialiter, ſeu communiter viventes ſe mediocri, & enormi percuſſione percutiunt, & Religioſi ſeſe invicem percutientes, qui poſſunt abſolvi à ſuis Prælatis, ſi vero quis percuſſit Religioſum alterius Clauſtri percuſſione mediocri abſolvendus eſt non ſolum à ſuo ſuperiore, ſed etiam à ſuperiore Religioſi percuſſi, ſi verò Religioſus percuſſit Clericum ſæcularem debet ab Epiſcopo abſolvi quando percuſſio eſt levis. Principis officiales cauſa ſuorum officiorum arcendo tu bam ſi percutiant Clericum levi, aut mediocri percuſſione poſſunt ab Epiſcopo abſolvi: à quo etiam poſſunt abſolvi qui propter enormem percuſſionem non poſſunt adire Papam propter legitimum impedimentum quod arbitrio boni viri judicandum eſt. Quando autem quis manum violentam in Clericum injecit, & eſt in articulo mortis, vel laborat gravi infirmitate poteſt à quolibet Sacerdote abſolvi, & à quacumque alia cenſura, filii etiam impuberes ob percuſſionem enormem factam tempore impubertatis poſſunt ab Epiſcopo abſolvi. Sic Mulieres cujuſcunque ætatis, & conditionis poſſunt abſolvi ab Epiſcopo etiam ſi percuſſio juncta fuerit cum homicidio, ſic poſſunt abſolvi exiſtentes in poteſtate alterius, ut ſunt ſervi, & filii familias, & ſic quicumque impotentes ad iter conficiendum poſſunt ab Epiſcopo abſolvi, quia non poſſunt adire Papam, & poſſunt abſolvi ob percuſſionem mediocrem, & enormem, abſoluti autem ſublato impedimento adeundi Papam, debent ſe præſentare Summo Pontifici, & propterea reinciditur in excommunicationem, ſi oblata commoditate non ſe præſentat, qui autem non poteſt adire Papam, ſed poteſt adire Legatum, vel alium habentem facultatem abſolvendi, non poteſt ab Epiſcopo abſolvi: poteſt autem Epiſcopus abſolvere ſuos ſubditos à quacumque percuſſione etiam enormi, quando delictum eſt occultum, & abſolutus non tenetur poſteà adire Papam ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 6.* immo non modo Epiſcopus poteſt per ſe ipſum abſolvere, ſed etiam per alium. Sufficit autem ad abſolutionem obtinendam ſi ſatiſfaciat Clerico percuſſo, & ab eo remiſſionem obtineat.

De Excommunicatione ob hæreſim, & lectionem librorum hæreticorum.

Quid ſit hæreſis. Cap. 276.

1 HÆreſis eſt voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem, nam involuntariè errans non admittit peccatum hæreſis, & ſicut actus fidei eſt actus intellectus, ita hæreſis, quæ eſt contraria fidei eſt error ipſius intellectus, unde qui profert propoſitionem hæreticam abſque aſſenſu intellectus non dicitur hæreticus, nec ſubiacet excommunicationi latæ contra hæreticos, ita etiam ſi quis erret circa res fidei, etiam culpabiliter, ſi non habeat pertinaciam, non dicitur hæreticus, unde ille dicitur hæreticus qui ſentit aliqua contra definitionem Eccleſiæ cum pertinacia. Cathecumenus autem ſi negat aliquem fidei articulum non poteſt dici

dici hæreticus, cum nondum ſit ſubditus juriſdictioni Eccleſiæ, idem dicendum de ficte,& invalide baptizato,negando aliquem fidei articulum, qui autem poſitive dubitat in rebus fidei eſt hæreticus, ut ſi dubitat aliquam rem fidei eſſe incertam, & dubiam, quia voluntarie errat contra fidem, judicando incerta, & dubia, quæ certa ſunt, & vera. Etiam eſt hæreticus, qui non credit aliquem articulum ſibi ſpecialiter revelatum, quia negat veritatem fidei cum pertinacia. Præſumitur etiam hæreticus, qui negat propoſitionem, quæ deducitur evidenter ex una propoſitione de fide, & altera naturali, nam concluſio deducta ex his duabus propoſitionibus eſt de fide, unde qui negat Chriſtum eſſe riſibilem, eſt hæreticus, quia hæc propoſitio deducitur ex una propoſitione naturali, omnis homo eſt riſibilis, & ex iſta alia de fide, ſed Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis, & ideo negans Chriſtum eſſe riſibilem eſt hæreticus, & incurrit excommunicationem proferendo exterius hanc propoſitionem, Chriſtus non eſt riſibilis. Non autem eſt hæreticus, qui ex ignorantia craſſa errat circa res fidei, ſed eſt ita affectus, ut ſit paratus corrigi, ſeu obedire Eccleſiæ cognito errore, vel rei veritate, unde dum eſt paratus corrigi non dicitur habere voluntarium errorem cum pertinacia, qui vero ex ignorantia craſſa errorem aliquem profert contra fidem, quem adhuc voluntarie proferret ſi ſciret illum eſſe contra fidem, & definitionem Eccleſiæ, hæreſim committeret, quia cenſetur ſufficienter pertinax contra Eccleſiam, idem dicendum de ignorantia affectata; unde ſi quis eligat neſcire res fidei, ut liberius erret in fide, dicitur habere ignorantiam affectatam, & eſt hæreticus poſtquam commiſit aliquem errorem contra fidem, nam ille error eſt voluntarius cum pertinacia, in confeſſione autem explicandus eſt affectus, quem aliquis habebat, quando errorem protulit ex ignorantia craſſa, vel affectata, ſicut explicandus eſt numerus, & qualitas articulorum quos quis negavit. Apoſtata autem à fide ſubjacet pœnis hæreticorum, nam eſt verus hæreticus deſerendo veram fidem, & eſt triplex; Primus à fide, & eſt ille qui totam fidem Catholicam deſerit; Secundus à Religione, qui facta profeſſione per tria vota deſerit Religionis habitum, animo illum non amplius recipiendi; Tertius à Clericatu, qui Clericalem habitum dimittit animo non amplius recipiendi; Summus autem Pontifex non poteſt errare in fide, quia eſt ſucceſſor D Petri,& habet eamdem auctoritatem, poteſtatem, & dignitatem D. Petri, alioquin non diceretur ſucceſſor D. Petri. Petro autem collata fuit infallibilitas rerum fidei, ut conſtat ex Math 6. Ego dico tibi quia tu es, &c. & propterea nullus Romanorum Pontificum fuit hæreticus.

An ob hæreſim incurratur excommunicatio, & quis poſſit ab ea abſolvere.
Cap. 277.

1 HÆreticus, qui ſuam mentem exterius ſufficienter manifeſtat verbis, vel ſignis incurrit excommunicationem latam ab Eccleſia, & Papæ reſervatam, quamvis ſuam mentem occulte manifeſtet, unde qui nullum ſignum animi ſui exterius exhibeat non incurrit excommunicationem, quia Eccleſia non habet juriſdictionem in actus mere internos; nec judicat de occultis, ſed Deus ſecretorum cognitor eſt & propterea hæreticus pure naturalis poteſt à quolibet approbato Confeſſario abſolvi, cum hæreſis ſit tantum reſervata ratione excommunicationis, quæ non incurritur ab hæretico pure mentali, & ſic quando quis hæreſim mente revolvens aliquod ſignum exterius faciat, ex quo attentis ſimul aliis circumſtantiis concurrentibus non poſſit humano modo cognoſci hæreſis, & non incurrit excommunicationem, quia non ſufficienter exterius manifeſtat mentem ſuam, cum per illud ſignum non poſſit hereſis ab aliquo cognoſci, nec ipſe judicari hæreticus, unde non poteſt puniri pœna excommunicationis.

2 Non incurrit excommunicationem, qui mente revolvens ſuam hæreſim non aperit caput imaginibus Sanctorum; aut Euchariſtiæ Sacramento non genuflectit, eo quod non credat adeſse Corpus Chriſti, aut imagines non eſse adorandas, ſecus dicendum ſi non aperiat caput dum hoſtia elevatur, tunc enim illius hæreſis concipitur ab aſtantibus, & ipſe præſumitur hæreticus, idem dicendum de eo qui ex interna hæreſi nunquam ingreditur templum, hic enim exterius ſufficienter præſumitur

here

hæreticus ex omiſſione. Non incurrit qui mente revolvens hæreſim profert verba imperfecta. Nec incurrit qui credens Chriſtum non eſſe hominem, hæc verba ſolum profert, verè non eſt homo, neque incurrit, qui ſuam hæreſim exprimit per characteres, vel notas à ſe impoſitas, quando tales characteres à nullo alio percipi poſſunt, nec incurrit, qui ex interna hæreſi prorumpit in blaſphemiam non hæreticalem, nam Blaſphemia non hęreticalis non ſignificat hęreſis, nec præſumitur hæreſis, incurrit vero qui ſuam hæreſim pronunciat per verba equivoca, ſeu amplibologica quia vere manifeſtat hæreſim per verba ſufficienter exprimentia internam hæreſim.

3 Ad incurrendam excommunicationem ſufficit manifeſtatio, quæ animum oſtendit hæreticum: modo illa manifeſtatio proveniat ob internam hæreſim, quæ integret unum peccatum: ex quo fit, ut legens, tranſcribens, aut diſputando pronuncians hæreſim, quam antea tenebat, non incurrit excommunicationem, ſi eam legat, vel tranſcribat, vel pronunciet abſque animo aſſerendi hæreſim, nam illa manifeſtatio non oſtendit animum hæreticum, nec eſt mala malitia hæreſis: ita non incurrit, qui ſuam hæreſim manifeſtat amico, vel Confeſſario non animo aſſerendæ hæreſis, ſed animo capiendi conſilium, vel confeſſionis faciendæ. Nec incurrit, qui dicit alias talem habuiſſe hæreſim. Qui vero hæreſim profert in ſomnis, vel ebrietate, quam ante ſomnum interius conceperat, non incurrit, nam excommunicatio videtur impoſita ob hæreſim formalem, non vero ob ſolam materialem, qualis eſt propoſitio hæretica in ſomnis prolata; Excommunicatio autem lata contra hæreticos non eſt ex jure divino, ſed humano, & eſt reſervata Papæ, quia abſolutio ab excommunicatione ob hæreſim reſervatur Papæ in Bulla Cœnæ. Incurritur autem ab eo qui hæreſim ſolus profert, nullo alio præſente, nam illa hæreſis eo modo manifeſtata ſubiicitur juriſdictioni, & judicio Eccleſiæ, quamvis non poſſit in judicio probari defectu teſtium, quod eſt per accidens, non autem eſt vitandus niſi fuerit denunciatus. Hæreticus autem non poteſt adhiberi ad ſuſcipiendum filium de Sacro Fonte, quia ad patrinum pertinet inſtruere filium ſuſceptum in rebus fidei, quod non præſtabit hæreticus.

4 Abſolutio ab excommunicatione ob hæreſim contracta Summo Pontifici reſervata eſt, unde nullus licet in Epiſcopali dignitate conſtitutus poteſt hoc tempore abſolvere ab hæreſi; quia privilegium Epiſcopis conceſſum in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. revocatum fuit.

* *Alexander VII. die* 24. *Septemb.* 1665. *damnavit hanc propoſitionem*: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientię abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

Utrum qui recipiant, credunt, aut favent hæreticis excommunicationem incurrant. *Cap.* 278.

1 EXcommunicatio, quæ lata eſt contra hæreticos extenditur ad credentes receptores, favores, & defenſores hæreticorum ſecuto effectu: credentes autem ſunt qui fidem præſtant erroribus hæreticorum unde ſunt hæretici: modo fidem, quam eorum erroribus adhibent exterius exprimant verbis, vel ſignis, qui autem intentionem habuit favendi hæreſi, ſed favor non eſt ſecutus, non incidit in excommunicationem.

Utrum qui libros hæreticorum, aut aliorum prohibitos legunt, vel retinent ligentur excommunicatione. *Cap.* 279.

1 QUi legit, aut retinet libros hæreticorum, vel etiam libros alterius cujuſuis auctoris damnatos, atque prohibitos ob ſuſpicionem hæreſis, aut falſi dogmatis incurrit in excommunicationem, quæ nulli reſervata eſt, ſed jure communi poteſt à quolibet confeſſario per abſolutionem auferri, modo libri hæreticorum non contineant hæreſim, neque tractent de religione, quia tunc incurritur etiam excommunicatio Papæ reſervata, & propterea legens librum hereſiarchæ incurrit etiam, ſi liber non contineat hæreſim, neque tractet de religione; nam dicitur legere librum damnatum in *reg.* 2 *Indicis*. Incurrunt etiam legentes libros, & ſcripta continentia divinationes, & ſortilegia, ut ſunt libri, & ſcripta

pta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Premonantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, & Incantationes artis magicæ quibus affertur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmones, & ſimilia veræ fidei contraria; immo legentes hujuſmodi libros incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quoties iſti ſunt libri hæreticorum, ſimulque hæreſim continentes. Non autem incidunt legentes libros vetitos ob excitationem ad turpem, ac veneream libidinem; quia non legit libros hæreticorum, aut vetitos ob hæreſim, ſed incidunt legentes ſcholia ſeu additiones hæreticorum, quæ continentur in libris Catholicorum; quia legit ſcripta damnata ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem.

2 Qui ſcienter, & abſque Pontificis licentia publicè, vel occultè legit, aut retinet, aut imprimit, aut alio quovis modo defendit libros hæreticorum, tractantes de religione, aut hæreſim continentes incurrit excommunicationem, Papa reſervatam: quamvis legat, vel retineat, vel imprimat curioſitatis gratia, abſque pravo animo: qui autem ex ignorantia craſſa legit libros, quos neſcit eſſe libros hæreticorum: & ſi ſunt neſcit continere hæreſim, aut tractare de Religione non incurrit, quia non adeſt ſcientia, idem dicendum de ignorantia affectata, modo non ſit conjuncta cum ingenti temeritate: quia tunc cenſetur adeſſe ſcientia, & tunc dicitur ingens temeritas, quando habetur magna ſuſpicio pravitatis libri, & ut quis excuſetur ab hujuſmodi excommunicatione, requiritur licentia Summi Pontificis, unde non ſufficit licentia inquiſitoris, aut etiam Epiſcopi, ſecluſo caſu magnæ neceſſitatis, in quo non poſſit ſummus Pontifex adiri: tunc enim præſumitur Papa concedere Epiſcopo facultatem diſpenſandi, facultas vero legendi libros vetitos tantummodo per indicem concedere poteſt Epiſcopus, & generalis inquiſitor: qui autem non per ſe ipſum legit, ſed per famulum, aut alium excuſatur ab excommunicatione: nam Bulla loquitur, de legente, famulus vero, vel alius, qui juſſu alterius legit dictos libros non excuſatur à peccato, & excommunicatione, niſi hoc faciat ex metu gravi, modo metus non ſit incuſſus in contemptum fidei, vel Eccleſiæ, in quam excommunicationem incurrit non ſolum qui legendo lingua exprimit, quæ legit; ſed etiam qui oculis tantum percurrit nihil exprimendo, nam lectio non conſiſtit in prolatione verborum; excuſatur autem legendo ob parvitatem materiæ ab excommunicatione, ad quam incurrendam non requiritur, ut legens intelligat, quod legit, quia prohibetur penitus lectio.

3 Qui dictos libros retinet incurrit, ſive retineat curioſitatis gratia, ſive ad eos confutandos, vel in propria domo, vel nomine proprio, vel alterius: nam omnibus modis dicitur retineri; unde vendentes caſeum, vel aromata retinendo dictos libros, ut eorum foliis involvant caſeum, vel aromata incurrunt, poſſunt tamen excuſari retinentes ad breve tempus, vel expectando opportunitatem illos conſignandi ſuperioribus, quæ excommunicatio extenditur ad impreſſores; qui intelliguntur; Primo Auctor libri, vel alius tradens librum ad imprimendum, Secundo Dominus officinæ de cujus mandato liber imprimitur; Tertio illi omnes qui concurrunt ad componendos ſimul characteres, & qui chartam humectant, vel typis excutiunt, incidunt etiam qui ſcienter defendunt libros hæreticorum, dicentes illos non eſſe pravos, nec eſſe ſubiiciendos igni: vel qui impediunt, ne ab inquiſitoribus inveniantur, vel comburantur, & incidunt etiam qui defendunt dictos libros diſputationis gratia, nam Bulla excommunicat defendentes quovis modo: non autem videtur comprehendi, quia laudat ſtylum, & ingenium auctoris; nec qui legunt, vel retinent, &c. libros magicæ artis, in quibus non continetur hæreſis, nec incidunt, qui legunt, & retinent libros Catholicorum, in quibus referuntur, vel inſeruntur errores, vel adnotationes hæreticorum; etiam ſi legunt animo imbibendi errores: nam non ſunt libri hæreticorum, qui autem legit libros Cathecumenorum, vel Infidelium non baptizatorum, in quibus continentur errores circa fidem, juxta ſententiam Doctorum, qui tenent Cathecumenos non poſſe eſſe hæreticos, non incidunt; ſed juxta ſententiam aliorum Doctorum, qui

tenent

tenent Cathecumenos poſſe eſſe hæreticos, incidunt legendo eorum libros continentes errores contra fidem exceptis iis libris, qui paſſim ſunt permiſſi, licet iis aliqui errores ſint admixti: Incidunt autem, qui legunt librum hæretici nondum typis impreſſum: ſive legat proæmium, ſive præfationem, ſive epiſtolam ad lectorem, non comprehenditur, qui legit librum Catholici, in quo per ignorantiam inſertus eſt aliquis error, nam non dicitur liber hæretici. Incurritur autem ab iis, qui legunt libros hæreticorum tractantes de Religione, aut continentes aliquam hæreſim, quamvis legens ſit ipſe auctor libri, & quamvis liber unam tantum hæreſim contineat, nec eſt neceſſe ut liber tractet de hæreſi ex profeſſo, ita ut argumentum libri ſit de hæreſi, ſed ſufficit, ſi hæreſim contineat, aut de Religione tractet, & ut incurrat, non eſt neceſſe, ut quis legat eam partem in qua eſt hæreſis expreſſa, ſed ſufficit ſi legat aliquam partem libri in quo hæreſis contineatur, nam ſic dicitur legere librum hæretici, ſi vero hæreticus ediderit varios tractatus in diverſa volumina in quorum uno contineatur hæreſis, & non in alio, non incurritur excommunicatio legendo, vel retinendo volumen in quo hæreſis non continetur, quia non dicitur legi liber continens hæreſim; habens autem librum hæretici debet tradere Inquiſitori comburendum.

* *Alexander. VII. die 18. Martii. 1666. damnavit propoſitionem. Libri prohibiti donec expurgentur poſſunt retineri uſque dum adhibita diligentia corrigantur.*

De Excommunicatione quæ contrahitur ob duellum, vel coactionem, aut retractionem alicujus fæminæ à Religione.

De Excommunicatione quæ contrahitur ob duellum. Cap. 280.

1 Duellum eſt pugna ſingularis deliberata ab utraque parte ſponte, & ex condicto ſuſcepta ſtatuto loco, & tempore cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris, unde ex his colligitur Bellum non eſſe duellum, cum careat omnibus conditionibus ſupradictis: nec quotidiani conflictus, qui ſubito iræ furore fiunt, nam non fiunt ex condicto, nec dicitur duellum; quando milites, vel alii qui ob privatas inimicitias ſe ipſos invitant ad pugnam, quia in duello aſſignatur tempus, & locus. Incidunt autem in pœnas pugnantium in duello, qui ſeſe obviam habentes diſfidant ſe in tali loco, quò ſtatim tendunt, & ibi pugnant, ſic qui dicit alteri, veni ad talem locum te ibi expecto, ſic qui videt alterum enſe carere dicit, eas ad capiendum enſem hic te expecto, vel in tali loco, quia adeſt ſtatutus locus, & tempus, ſic incidit, qui alteri dicit, invito te ad duellum tunc in hoc loco, modo fiat ex compoſito, & non ex calore iracundiæ: idem dicendum de eo, qui alterum ad pugnam provocat cum prima vice ſibi occurrerit in urbe, nam adeſt aſſignatio loci, & temporis, ſecus dicendum, ſi dicat inimico, diſtringe enſem, ut pugnemus; ſed incidit ſi dicat inimico exiſtenti in platea, ut inde exeat, ne pugna ab hominibus ibi exiſtentibus impediatur, dicitur committere duellum, quia ſtatu locum, & tempus, non committitur duellum ab iis, qui pugnam in Eccleſia inchoarunt, & ob Eccleſiæ reverentiam gladios non evaginarunt, ſed continuata moraliter rixa egrediuntur, ibique pugnæ finem imponunt, nam non eſt pugna ex condicto, ſtatuto tempore, & loco, nec committit duellum quando Titius offert duellum Cajo: illumque eodem tempore, quo duellum offert gladio aggreditur, Cajus cogitur ibi ſtatim pugnare, quia ex parte Titii dicitur potius aggreſſio, & ex parte Caii dicitur defenſio, quam non ſponte, ſed coactè ſuſcipit, nec adeſt aſſignatio loci, & temporis.

2 Invitans alterum ad duellum, aut pugnans in duello graviter peccat, nulla enim conſuetudine fieri poteſt licitum, & eſt prohibitum jure naturali, & divino, & etiam jure Canonico ſub excommunicatione, aliiſque graviſſimis pœnis ex *Trident. ſeſſ. 25. can. 19* Licitum autem erit duellum ad ſedandos duos Exercitus contrarios: tunc enim licitum eſt pugnam periculo duorum dirimire per duellum, quia pars periculo exponitur, ut totum ſervetur: licitum erit etiam duellum, quando quis compellitur ſub vitæ periculo acceptare duellum: ſic ut etiam videtur eſſe licitum ad defenſionem rerum propriarum: quando quis

eas

eas invad't, nec aliud eſt remedium ad eas defendendas, prærer acceptationem duelli, nam non dicitur proprie duellum, ſed juſta defenſio rerum propriarum; non poteſt tamen duellum acceptari ad res proprias defendendas, niſi dum vis infertur rebus. Innocens autem damnatus ab iniquo judice, ut vel mortem ſubeat, vel in duello pugnet, ut ſe probet innocentem, licitum eſt acceptare duellum non intentione probandi ſe innocentem per duellum: ſed ut vitam propriam tueatur.

3 Delinquentes contra conſtitutiones Pontificias in deteſtationem duelli editas præter confiſcationem bonorum, & alias pœnas pro qualitate perſonarum in bulla expreſſas incidunt in excommunicationem: Civitates, vero, oppida. & loca in quibus duellum committitur: ſcientibus; & permittentibus dictorum locorum dominis Eccleſiaſtico interdicto ſubiiciuntur: decertantes vero ſi in ipſo conflicta objerint privandi ſunt Eccleſiaſtica ſepulturæ: clericus vero pugnans in duello præter excommunicationem privatur beneficio, dignitatibus, & officiis Eccleſiaſticis; & fit inhabilis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda: & eſſe irregularem non ſolum mortem intulit, aut mutilavit: ſed etiam quoties declaratur infamis ob cauſam duelli, pugnantes autem in duello privantur Eccleſiaſtica ſepultura ante ullam judicis ſententiam, ſi in duello moriantur, & notorium ſit ipſos in duello mortuos fuiſſe, quia privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ ipſo facto incurritur, ſic enim uſu Eccleſiæ receptum eſt: ſi vero notorium non ſit delictum, ſed tamen pulice conſtet eos in duello mortuos fuiſſe, Parochus debet illos ſepelire, nec Eccleſiaſticam ſepulturam denegare, quia ipſe non eſt judex: ſed rem ad Epiſcopum, vel ad ipſius Vicarium deferre debet, ut ipſe debitas aſſumat informationes, & ſententiam ferat. Immo decertantem in duello privandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura etiam ſi ob vulnus in duello acceptum, non ſtatim, ſed alio die moriatur, aut etiam ſi contritionis ſigna dederit, aut pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperit: quia is dicitur mori in duello, qui ex vulnere in duello à cepto moritur, & quia privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ inducta eſt in deteſtationem crimis, ut reliqui cognoſcentes duellum tam acriter puniri, terreantur; & ab hujuſmodi crimine arceantur: unde dici poteſt privationem ſepulturæ non infligi per modum cenſuræ, ſed per modum juſtitiæ vindicativæ diſtinctæ a cenſura.

4 Actionis in duellis prohibitæ ad quatuor capita reducuntur. Primum eſt pugnantium in duello, disfidantium, & acceptantium: ſecundum concedentium locum aut non impedientium ſi ſint domini, qui valeant impedire, ne duellum in ſuis locis committatur. Tertium aliquo pacto cooperantium ad duellum, ut mandato, conſilio, auxilio, favore, chartellis, intimatione, publicatione, & his ſimilibus, etiam ſi poſtea provocatio, aut duellum ſecutum non fuerit, niſi forte per ipſoſmet cooperantes ſteterit ne ſequeretur. Quintum eſt ſpectantium ex induſtria. Iſtæ actiones, & perſonæ fuſius exprimuntur in ipſa bulla, & propterea non ſolum pugnantes in duello, aut disfidantes incidunt verum etiam Domini locorum, magiſtratus, locum tenentes. Duces militum qui non prohibent, quo minus hæc fiant aut poteſt commiſſum crimen veniam, & impunitatem concedunt: exiſtimo tamen Principem Chriſtianum concedentem locum in ſuo territorio duobus infidelibus ad duellum non incidere in excommunicationem, quia ſicut non incidunt infideles, qui ſunt principales cum non ſint ſubditi Eccleſiæ, ita nec incurrit princeps qui minus principaliter ad duellum cooperati videtur, Incurrit vero ſi concedat locum Chriſtiano pugnaturo, cum infideli. Conſilium autem, & mandatum eadem pœna punitur etiam ſi poſtea pugna, provocatio, & acceſſus, vel actus ad pugnam proximus ſecutus non fuerit, in dubio autem judicandum eſt conſilium influxiſſe, & fuiſſe efficax, eaſdem penas incurrit acceptans ſtatim atque acceptavit: & iiſdem pen's comprenduntur comittans, ſocii, patrini, & ſpectatores ex induſtria, non autem ſi quis illac tranſiens aut alia de cauſa ubi exiſtans aſpiceret duellum, non incurreret pœnis, nam bulla loquitur de ſpectatore ex propoſito, immo qui ad locum duelli aſpiciendi cauſa acceſſit, incidit in excommunicationem licet duellum non ſequitur, quod ego non probo, quia non dicitur ſpectator. Idem, dicendum de provocante, conſulente, cooperatore; & ſe quomodo libet immiſcente, etiam ſi duellum non ſequatur

Digitized by Google

cum per ipſos non ſtetit, ne ſequeretur: ita incidit qui accommodat arma pugnaturo in duellum, vel vendit ſciens, vel probabiliter credens ipſum uſurum illis in duello, quia cooperatur, niſi juſtam cauſam habeat vendendi, aut accommodandi, incidit etiam, qui ſcripta, & narrationes provocatorias ad duellum facit; non autem qui tantummodo aliquod factum narrat; excommunicatio incurritur ſtatim ac aliqua actio principaliter, & abſolute prohibita præſtatur, non vero ob actionem quaſi minus principaliter prohibitam, & propterea qui conſilium præbuit ad provocandum alterum ad duellum incurrit excommunicationem ſtatim ac provocatio ſequ tur, vel ſequi debuiſſet niſi alter obſtitiſſet, vel niſi aliunde impedimentum ortum fuiſſet, ſic commodans arma Titio, qui jam provocaverat Cajum ad duellum in excommunicationem incidit, dum cum illis decertandum erat in duello, vel accedendum ad locum duelli; licet ad locum duelli non acceſſerint, nec pugna ſecuta ſuerit ob impedimentum ab alio poſitum, quam ab eo qui arma commodaverit; Qui autem libellum provocatorium compoſuit; vel ſcripſit, ſed non affixit, nec intimavit non incurrit excommunicationem, quia per ipſum ſtat ne publicatio, vel denunciatio ſequatur: ſecus ſi jam affixit, vel publicavit: etiam ſi poſtea libellum ſtatim dilaceret, vel impediat provocantes ad duellum, ne duellum committant, nam illa publicatio vel affixio libelli eſt provocatio ad pugnam, & eſt actio impliciter, & abſolute prohibita, unde ea poſita pœnæ ſtatim incurrantur. Ille non incidit, qui auxilium, conſilium, vel mandatum dedit ad pugnandum in duello, vel ad provocandum, ad duellum, ſed ante provocationem, & pugnam influxum ſui conſilii, mandari, vel auxilii revocavit, quia per ipſum ſtat, ne provocatio, & pugna ſequatur: ſecus ſi impedit ſolum ne ſequatur pugna, non autem provocatio, ad quam ipſe ſuo conſilio, auxilio, vel mandato influxit, nam per ipſum non ſtetit, ne ſequeretur provocatio. Incidit autem conſulens duellum vel provocationem ſecuto duello, vel provocatione; etiam ſi conatus fuerit revocare, ſed influxum non retraxit, quia cenſetur ſuo conſilio adhuc influxum provocationis, vel pugnæ. Idem dicendum de eo, qui mandatum dedit ad provocandum alterum, ſed poſtea conatus eſt revocare mandatum, ſed revocatio non innotuit mandatario; qui mandatum executus eſt, quia ſuo mandato influxit in provocationem. Non autem incidit ratam habens provocationem, vel pugnam, vel aliam actionem ſuo nomine factam, nam ratihabitio eſt poſterior facto ſub cenſura prohibitio.

5 Ab excommunicatione contracta per duellum poteſt abſolvere Summus Pontifex; Epiſcopus vero, quando delictum eſt occultum, vel nondum eſt deductum ad forum contentioſum: vel quando pænitens juſto detinetur impedimento, ob quod non poteſt adire Papam. Religioſi poſſunt abſolvere juxta ſua privilegia, modo revocata non fuerint, ſicut de facto reſpectu exiſtentium in Italia extra urbem Romanam revocata fuerunt in decreto Sacræ Congregationis, quod incipit (Sacra Congregatio quoad provocantes, &c.) in quo abſtulit religioſis ſolum facultatem abſolvendi ab excommunicatione impoſita juxta formam (*Conc. Trid.*) & juxta bullam Gregorii XIII. in quibus punitur excommunicatione provocatio ipſa ad duellum, & cooperatio ſi per ipſoſmet provocantes, vel cooperantes non ſtetit, ne pugna ſequeretur unde qui ſe provocarunt, vel cooperati ſunt ad provocationem, & per quos non ſtetit ne duellum ſequeretur, non poſſunt hoc tempore, virtute privilegiorum abſolvi, quia contraxerunt excommunicationem juxta conſtitutionem Gregorii: idem dicendum, ſi pugnarunt, vel ad locum deſignatum acceſſerunt, & per ipſos non ſtetit, ne pugna ſequeretur qui vero provocarunt ſe ad duellum, vel cooperati ſunt ad provocationem, & ſi per ipſoſmet provocantes, vel cooperantes ſteterit, ne pugna ſequeretur abſolvi poſſunt virtute Privilegiorum, quia non contraxerunt excommunicationem contentam in decretis Tridentini, & Gregorii, ſed contentam in bulla Clem. VIII à qua Religioſi, & alii habentes privilegia abſolvendi ab excommunicationibus Papæ reſervatis abſolvere poſſunt hoc tempore poſt decretum Sacræ Congregationis licet hæc facultas in bulla Clem. VIII. antea ablata fuiſſet.

6 Titius, qui præmiſſa cum Cajo provocatione ad duellum ſeſe contulit tempore præfixo ad locum conſtitutum, ibique Cajum expectavit, quo non comparente

tra t erminum conſtitutum diſceſſit non incidit in excommunicationem Gregorii XIII. quia requiritur effectus pugnæ: unde excommunicatio lata ad aliquen effectum non incurritur niſi ſecuto effectu, & in hoc caſu ſtat per illos, ne ſequatur effectus, per illum videlicet, qui non acceſſit ad locum non vero per alios, & ideo hic caſus non eſt reſervatus religioſis per decretum Sacræ, Congregationis editum de mandato Clem. VIII. & propterea Religioſi, aliique facultatem habentes abſolvendi ab excommunicatione excepta cauſa duelli juxta decretum *Trid.* & Gregorio VIII poſſunt abſolvere in propoſito caſu: ſecus dicendum non poſſe ſcilicet religioſi, & alii gaudentes privilegio abſolvendi à cenſuris Summo Pontifici reſervatis, abſolvere ab ullis caſibus Concilii, vel Gregorii, quia uſu, & conſuetudine ita receptum eſt.

De Excommunicatione contra cogentes feminam ad religionem. Cap. 281.

1 Actiones, quæ inducunt hanc excommunicationem ſunt tres. Prima eſt cogere fæminas ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel ad emittendam profeſſionem; coactio autem fit, vel per vel metum gravem juſte inducere nolentem: unde metus levis incuſſus, vel non cadens in conſtantem virum ab hac excommunicatione excuſat, & ſic etiam excuſat quando metus juſte incutitur, nam non eſt injurioſa coactio, vel fæmina inducitur præcibus etiam importunis, ſed ſine minis, quia præces non inferunt vim, nec incurrit, qui fæminæ religionem ingredi ſuadet injecto metu privationis alicujus boni, ad quod fæmina alias non habeat jus, nam non dicitur vis, aut metus inferri, ſed denegari id, quod in libera ipſorum poteſtate eſt tradere, & denegare, ut autem pæna incurratur hujus decreti coactio debet eſſe ad ingrediendum Monaſterium per ordinem ad profeſſionem: nam Concilium in hoc Cap. conſulviſſe videtur libertati religionis: unde ſi metus incutiatur ad alium finem: ut ſi fæmina conſtituatur per metum in Monaſterio, ut ibi educetur donec nuptui apta ſit excommunicatio hujus Can. incurri non videt.

2 Secunda coactio, quæ inducit hanc cenſuram eſt coactio facta fæminæ ad ſuſcipiendum habitum religionis, ideſt ad ingreſſum ad modum novitiæ, Tertia coactio eſt cogi fæminam ad emittendam profeſſionem, hæc tamen tria intelligenda ſunt alternative, ſcilicet ut fæmina ad unum ex dictis per vim, vel metum inducatur, non autem incurritur cenſura, ſi cogatur fæmina ad emittendum votum ingrediendi religionem nam non eſt coactio ex tribus jam explicatis ſcilicet ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum, vel ad emittendam profeſſionem, quę inducunt incurſionem cenſuræ, etiam ſi votum ingrediendi Religionem confirmatum fuerit juramento, nec incurritur cenſura ſtatim ac illata fuit vis, & metus; quia requiritur actualis ingreſſus, vel habitus ſuſceptio, aut profeſſio, non enim poteſt dici coactio; niſi poſita ſit actualis actio.

3 Secunda actio quæ inducit iſtam excommunicationem eſt dare auxilium conſilium, vel favorem ad ingreſſum in Monaſterium, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad emiſſionem profeſſionis.

4 Tertia actio inducens hanc cenſuram eſt interponere quo quo modo præſentiam vel conſenſum, vel auctoritatem ſuam, modo id facienter ab eo, qui novit fæminam non ſponte ingredi monaſterium aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, ſecus dicendum, ſi præſtat præſentiam, &c. ignorans feminam ad prædicta cogi, ſed ligantur quam plures vinculo hujus cenſuræ ut Epiſcopus, Vicarius, ſuperiores, conſanguinei puellæ qui ſcientes feminam coacte monaſterium ingredi, auctoritatem illi actui præbent, vel præſentiam, non autem incidunt in cenſuram, qui fæminam involuntarie ingredientem obiter aſpiciunt: nam Canon loquitur de interponente præſentiam ex propoſito, & ſic non incurrit ſtatim dato auxilio, conſilio, vel favoreniſi ſecutus ſit effectus, ideſt niſi fæmina ingreſſa fuerit religionem vel habitum ſuſceperit &c.

5 Omnes, & ſinguli qui feminam cogunt ad ingreſſum in monaſterium, vel aliam ex præfatis actionibus præſtant præterquam in caſibus in jure expreſſis cenſura hujus decreti obſtringuntur: quia Concilium vitur generalibus verbis: non autem vide tur ſubiici huic cenſuræ Reges, & Imperat or

quia quando Summus Pontifex intendit hos ligare licet exprimere: non autem incurrunt excommunicationem cogentes fæminam in caſibus jure expreſſis, unde ſi quis cogeret fæminam ad ingrediendum monaſterium in pœna alicujus peccati, vel ad cautionem pudicitiæ, vel alia juſta de cauſa à jure permiſſa hujus Concilis cenſuram non incurreret, quia non delinquit contra Concilii diſpoſitionem; nec cogentes virum ingredi religionem incurrunt in cenſuram, quia Concilii loquitur ſolum de cogentibus fæminas.

De excommunicatione contra retrahentes fæminas à Religione. Cap. 282.

1 IN Cap. 18 Concil. Trid. ſeſſ. 25. poſt excommunicationem latam in cogentes fæminis ad ingreſſum in monaſterium, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad emiſſionem profeſſionis adiicitur alia excommunicatio contra eos, qui fæminam impediunt, ne velum accipiat, ſeu profeſſionis votum emittat, per veli autem ſuſceptionem intelligitur profeſſio, quæ fit per ſuſceptionem veli; aut etiam ſine veli ſuſceptione tribus cum votis, incurrit autem excommunicationem impediendo fæminam ne monaſterium ingrediatur, & novitiatum ſuſcipiat: quia nemo poteſt profiteri, niſi prius habitum ſuſcipiat, unde qui ſuſceptionem habitus impedit, dicitur etiam impedire profeſſionem, unde hanc cenſuram incurrit; non autem incurrit impediens fæminam, ne faciat votum ingrediendi monaſterium, vel aſſumendi habitum religioſum, quia ſi Trid. intelligeret de impediente votum ſimplex apertius, & clarius locutum fuiſſet, ita non incurrit, qui fæminam ſolis præcibus à religione retrahit, nam non dicitur impedire voluntatem, non enim præces voluntarium auferunt: ſecus dicendum, ſi dolo retrahatur quia dolum voluntarium aufert, & propterea Trid. expreſſe excommunicat impedientes quocumque modo: dolus autem eſt genus quodam impedimenti: non autem incurrit impediens aliquem virum ne votum religionis emittat, ut dictum eſt ſupra.

2 Injuſte impedientes fæminam, ne Religionem aſſumat, ſeu profeſſionem emittat excommunicationem hujus Decreti, contrahunt, quia Concilim indefinitè loquitur, juſte autem impedientes non incurrunt, quia Concilim loquitur de impedientibus ſine juſta cauſa.

De Suſpenſione.

Quid ſit ſuſpenſio, & quotuplex, & quomodo differat à reliquis cenſuris, & penis. Cap. 283.

1 SVſpenſio proprie accepta eſt cenſura Eccleſiaſtica, quia perſona Eccleſiaſtica impeditur, ne functiones exerceat ſui beneficii, vel officii, vel ordinis in totum, vel in partem in perpetuum, vel ad tempus, quæ ferenda eſt à perſona Eccleſiaſtica, habente juriſdictionem in foro externo, unde Parochus, vel Confeſſarius ſi præcipiat Penitenti, ut abſtineat à functione ſui ordinis, non dicitur proprie ſuſpendere, quia caret juriſdictione in foro externo, & in perſonam Eccleſiaſticam fertur, nam proprie non cadit ſuper Laicos, qui ſit privantur facultate obtinendi officium, vel beneficium in futurum, illa privatio eſt inhabilitas quædam non ſuſpenſio proprie accepta, quæ impedit uſum facultatis, qua quis habet, & ideo diſteat ab irregularitate, quæ non ſolum tollit uſum facultatis, qua quis habet, verum etiam impedit aſſecutionem talis facultatis, & poteſtatis.

2 Suſpenſio multiplex eſt Primo alia eſt ab officio tantum, ſive officium ſit ordinis, ſive juriſdictionis, alia eſt à beneficio tantum, ſive beneficium ſit Canonicatus, ſive dignitas, ſive Epiſcopatus, ſive aliud alia eſt ab officio, & beneficio ſimul alia eſt ab officio in totum, qua quis privatur omni uſu ſui officii; alia eſt ab officio in partem qualis eſt illa, quis ſuſpenditur ab audiendis confeſſionibus, non vero ab adminiſtrandis cæteris Sacramentis, aut aliis, quæ proprium concernunt officium. Secundo alia eſt ſuſpenſio pænalis, alia medicinalis, pænalis fertur in pænam, & vindictam delicti, ut quando ſuſpenditur ob peccatum mere preteritum, quæ fertur non per modum cenſuræ, ſed ſolius pænæ. Medicinalis eſt illa, quæ intenditur emendatio, & bonum deliquentis, & hæc eſt proprie cenſura. Tertio alia eſt temporalis, alia perpetua. Temporalis eſt illaquæ fertur cum limitatione temporis, ſeu termini: perpetua eſt illa quæ impliciter fertur abſq; limitatione temporis. Quarto alia eſt a jure, alia ab homine.

3 Su-

3 Suſpenſio differt à cæteris cenſurabis & pænis : Primo differt excommunicat minori, quæ privat ſolum paſſiva receptione Sacramentorum, ſuſpenſio vero Privat activa, & plura alios habet effectus, quam habet minor excommunicatio, ut infra dicetur. Secundo differt ab interdicto, nam ſuſpenſio non inducit privationem tantarum rerum ſicut inducit interdictum, quod magis privat uſu paſivo, quam activo, & ſuſpenſio fertur in Eccleſiaſticas perſonas, interdictum, vero tam in Laicos, quam in Clericos. Tertio differt à majori excommunicatione, quæ includit ſuſpenſionem, & aliorum bonorum inducit privationem; & privat actionibus quatenus ſunt quædam communicatio: ſuſpenſio vero illis privat quatenus eſt quædam functio officii vel beneficii. Epiſcopus ferens excommunicationem non poteſt illam limitare ad aliquem ſolum ipſius excommunicationis effectum, ſicut poteſt ſuſpenſionem unde non poteſt aliquem excommunicare, privando illum tantummodo communibus Eccleſiæ ſuffragiis, conceſſa communicatione cum fidelibus: ferens vero ſuſpenſionem, poteſt illam ad aliquem particularem effectum limitare: & propterea diligenter attendenda ſunt verba, quibus fertur ſuſpenſio, ut cognoſcatur, quo nam uſu privat, & utrum privet in totum, vel in partem: inſuper differt ab excommunicatione: effectus. n excommunicationis non poteſt ſuſpendi nam non poteſt concedi, ut excommunicatus celebret abſq; peccato vel Irregularitate: poteſt vero ſuſpendere effectus ſuſpeſionis, aut interdicti tam localis, quam perſonalis, ſed Iudex, vel Epiſcopus, qui tulit cenſuram ſuſpenſionis, vel interdicti poteſt ex juſta cauſa illam ſuſpendere ad tempus, & concedere celebranti ut tunc temporis non incurrat irregularitatem, quia cenſura non ligat ultra intentionem judicis: & licet effectus cenſuræ ſint à jure communi: non tamen inferior diſpenſat in jure communi, & ſuſpendit effectus cenſuræ, ut ipſa cenſura perſeveret; ſed tollit cenſuram ad reincidentiam: & propterea ſuſpenſo effectum cenſuræ, ſeu ſublata ſuſpenſione, vel interdicto ad reincidentiam poteſt dari appellatio, ſuſpenden ſententiam, ne cenſura poſtea contrahatur quia prior ſententia, ſeu cenſura tunc temporis non trahit ſecum effectum: ſed perinde eſt ac ſi lata fuiſſet ſub conditione: à cenſura autem lata ſub conditione dari poteſt appellatio. Suſpenſio etiam differt ab Irregularitate: quia irregularitas ſuſceptione ordinis, ut ordo eſt: ſuſpenſio vero privat exercitio ordinis vel beneficii, ſeu poteſtatis Eccleſiæ, ut eſt quædam functio, differt etiam à degradatione, & depoſitione: qui per degradatione, vel depoſitionem inducitur privatio univerſalis beneficii, & officii ſine ſpe reconciliationis cum ſolenni quadam cerimonia, quod non accidit in ſuſpenſione.

De effectibus ſuſpenſionis.
Cap. 284.

1 SUſpenſio lata abſolute abſque limitatione expreſſa, vel tacita ſuſpendit abſolute ab omnibus: ideſt ab officio, & beneficio, ſed lata cum expreſſione alicujus effectus particularis, extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ ſunt illi adnexa, & non ad alia, nam cenſura efficit, quod ſignificat: propterea ſuſpenſus à celebratione, poteſt reliqua Sacerdotis onera præſtare: ſic Epiſcopus ſuſpenſus tantum à Pontificalibus, intelligitur ſolum ſuſpenſus ab iis, quæ concernunt uſum ordinis Epiſcopatus, qualia ſunt confirmare, ordinis conferre, conſecrare Eccleſias, &c. non autem ab iis, quæ pertinent ad juriſdictionem, ut ſunt excommunicare, conferre beneficia &c. & ſic ſuſpenſus ab ordine, ita ſuſpenſus ab ordine, non eſt ſuſpenſus à beneficio, vel ejus fructibus; ſed ego exiſtimo eſſe indirecte ſuſpenſum à fructibus, nam qui munus ſuum per ſe, vel ſaltem per al um non preſtat, non poteſt fructus beneficii percipere, ſic ſuſpenſus à collationem ordinum, non intelligitur ſuſpenſus à collatione primæ Tonſuræ, quia nomine ordinis non venit prima tonſura: ſic ſuſpenſus à collatione primæ tonſuræ, non eſt ſuſpenſus à collatione ordinum, ſed ſuſpenſus ab ordine inferiori, cenſetur ſuſpenſus à ſuperiori, quia cui non licet quod minus eſt, nec ei licere debet, quod malus eſt: ſed ſuſpenſus à ſuperiori ordine, non cenſetur ſuſpenſus ab inferiori, ſuſpenſus vero ab ordine abſque alia moderatione, intelligitur ſuſpenſus à quolibet ordine, nam nomen ordo abſolute prolatum, dicitur de quolibet ordine: ſic ſuſpenſus abſolute ab

intelligitur ſuſpenſus ab officio,non tantum ordinis, ſed etiam juriſdictionis, ideſt à poteſtate Eccleſiaſtica, quæ illi competit ratione ordinis, vel juriſdictionis quia uſus ordinis: & juriſdictionis competit ratione officii abſolutè prolati: ſed ſuſpenſus ab officio, non intelligitur ſuſpenſus à beneficio, ſeu fructibus beneficii: ſuſpenſus à beneficio intelligitur ſuſpenſus tantum à fructibus beneficii, quocumque nomine vocetur beneficium; etiam ſi forte ſit Epiſcopatus, modò cenſura ſuſpenſionis lata etiam ſit in Epiſcopos: Epiſcopi enim non ligantur cenſura ſuſpenſionis, vel interdicti, niſi exprimatur: ſuſpenſus autem à beneficio non intelligitur ſuſpenſus ab officio; etiam ſi officium competat ratione beneficii, nam aliud eſt officium, aliud beneficium, fructus vero beneficii, dum permanet ſuſpenſus à beneficio, ſunt convertendi in utilitatem Eccleſiæ, detractis iis,qui traduntur ſubſtituto ad inſervendum ſic diſtributiones tradendæ ſunt aliis Clericis, qui interſunt divinis officiis: non autem pro fructibus beneficii, intelliguntur fructus Patrimonii ſibi in titulum aſſignati, bona enim patrimonialia non ſunt beneficium Eccleſiaſticum, poteſt autem percipere diſtributiones, quæ dantur iis, qui interſunt divinis officiis, modo realiter interſit, nam diſtributiones non dantur intuitu beneficii, unde ſuſpenſus à beneficio poteſt percipere diſtributiones, cujuſmodi ſunt aniverſaria vel ſtipendia miſſarum ſuſpenſus à beneficio non eſt ſuſpenſus à fructibus penſionis collatæ titulo Clericali, quia penſio non eſt beneficium.

2 Suſpenſo à beneficio ob contumaciam non eſt tradenda aliqua portio fructuum ab ipſius ſuſtentationem: qui contumacia ſublata liberari poteſt à vinculo ſuſpenſionis, quia per ipſum ſtat: quando tamen non ſit externa neceſſitate, nam quilibet laboranti extrema neceſſitate tenetur ſubuenire; ſi vero ſuſpenſus fuit in pœnam perpetrati delicti, tradenda eſt portio fructuum ſufficiens ad congruam ſuſtentatinnem taxandam auctoritate ſuperioris, quoties ſuſpenſio lata fuit ab homine per ſententiam ſeu à jure, nec delictum deductum fuit ad forum contentioſum, portio fructuum taxari poteſt arbitrio prudentis viri: par enim non eſt ut Clericus ſuſpenſus in pænam delicti mendicare cogatur contra honeſtatem ſtatus Clericalis, dum non poteſt ſe à tali pœna eximere.

3 Suſpenſus ab officio non poteſt Sacramenta adminiſtrare: quia exerceret officium, & juriſdictionem contra prohibitionem: poteſt tamen Sacramenra recipere receptio Sacramentorum non eſt actus officii, & juriſdictionis, unde poteſt recipere indulgentias, & ſepeliri in loco ſacro: ſuſpenſus à divinis officiis, non poteſt intereſſe Choro, & percipere diſtributiones, quæ conferuntur cantoribus in Choro ex officio, poteſt tamen miſſam audire, aut cantare Epiſtolam in Choro abſque veſtibus quia hoc facit non ex officio: beneficiatus tamen ſuſpenſus tenetur horas privatim recitare: alioquin non perciperet fructus ad ratam officii omiſſi.

4 Injuſte tamen ſuſpenſus ab officio poteſt recipere diſtributiones, ſaltem ſi ante ſuſpenſionem conſerverat frequentare chorum, nam non debet pœnam pati, & privari diſtribntionibus abſque ſua culpa;ſed ob culpam Judicis injuſte ſuſpendentis: ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus prohibet adminiſtrationem temporalem, & ſpiritualem non vero ſuſpendit ab ordine, unde Sacerdos ita ſuſpenſus non ſit irregularis celebrando miſſam, nam irregularitas incurritur, quando violatur ſuſpenſio ab ordine per exercitium ordinis non verò quando violatur ſuſpenſio ab adminiſtratione, ac juriſdictione: peccabit tamen præfatus Sacerdos conferendo beneficia, vel adminiſtrando Sacramenta quia hæc eſt actio pertinens ad juriſdictionem, ſeu adminiſtrationem ſpiritualem: item peccabit agendo in judicio ſuper rebus ad Eccleſiam pertinentibus aut alia ratione de illis diſponendo in judicio, & extra judicium ſuſpenſus à perceptione Sacramentorum non poteſt Sacramenta recipere abſque gravi peccato, non autem ſit irregularis percipiendo Sacramenta.

Quamdiu duret ſuſpenſio, & utrum ſuſpenſus ab officio in aliquo loco remaneat ubique ſuſpenſus.
Cap. 285.

1 SUſpenſio abſolutè prolata abſque conditione, vel limitatione temporis durat donec auferatur per abſolutionem, niſi aliter conſtet de voluntate conditores

ſed

ſed lata cum temporis determinatione, durat iutra tempus determinatum, & ideo eo tempore elapſo ceſſat, & tempus debet incipere ab eo die, ſeu puncto, quo lata eſt ſuſpenſio: nam ſecum trahit executionem, & afficit in continenti: nec valet ille textus dies termini non computantur in termino: nam intelligitur de iis, quæ non trahunt ſecum executionem, quando dubitatur an ſuſpenſio ſit perpetua, vel temporalis, præſumenda eſt temporalis, quia pœnæ reſtringendæ: ſunt cenſetur tamen perpetua, quoties expreſſe non apponitur terminus: qui autem inchoato jam menſæ commiſit delictum propter quod lata eſt ſuſpenſio per menſem, menſis debet incipere ab eo die in quo contracta eſt ſuſpenſio uſque ad eumdem diem ſequentis menſis. quare qui contraxit ſuſpenſionem die tertio menſis, remanet ſuſpenſus uſque ad diem tertium, completum ſequentis menſis, nec ſufficit eſſe inchoatum: idem dicendum, ſi lata eſt ſuſpenſio per annum, nam debet ſervare ſuſpenſio per dies 365. ex quibus conſtat annus: unde qui inchoato anno lapſus eſt in ſuſpenſionem per annum: tenetur illam ſervare ab ipſa hora, qua illam contraxit, uſque ad eumdem diem ejuſdem menſis anni ſubſequentis: & ſi contrahatur ſuſpenſio in anno biſextili ſervanda eſt per annum. dierum 365. licet annus biſextilis ſit dierum 366. quia debet intelligi annus de anno communi, & ordinario, & non de extraordinario, & ſic qui ſuſpenſus eſt per menſem Feburarii, elapſis vigniti octo diebus liber remanet, licet ſit biſextilis: quando tamen qui ſuſpenſionem tulit per menſem Februarii,& noverit illum eſſe biſextilem,& ſuſpendere voluerit pro toto illo menſe: tunc n. ſervanda eſt ſuſpenſio omnibus diebus illius menſis. Secus dicendum de ſuſpenſione lata per tres, vel quatuor annos, intra quorum unum incidat biſextus, nam tunc ſervanda eſt etiam illo die biſexto, cum pertineat ad complementum quadriennii.

3 Suſpenſus ab officio ab aliquo Superiore eſt ubique ſuſpenſus, dummodo ſuſpenſio lata ſit abſque loci determinatione, nam ſuſpenſio cum ſit cenſura, ſequitur ſuſpenſum ubicumque ſit, eſt enim inhabilitas, inſtituta ab Eccleſia, qua ſuſpenſus redditur inhabilis ubicumque ſit: idem dicendum de ſuſpenſione ſimpliciter à beneficio, unde ſuſpenſus ſimpliciter à beneficio abſque loci determintione, intelligitur etiam ſuſpenſus à beneficiis, quæ alibi poſſidet; nam ſuſpenſio non fertur in beneficium alibi exiſtens; ſed in hanc perſonam exiſtentem in hoc territorio hujus Epiſcopi, & ſic collatio facta ſuſpenſo à Beneficiis abſolutè invalida eſt, quia ſuſpenſus à beneficio privatur jure percipiendi fructus beneficii: beneficium autem eſt jus percipiendi fructus beneficii.

De Violatione ſuſpenſionis. *Cap. 286.*

1 SUſpenſus peccat mortaliter ex ſuo genere excercendo actum, à quo eſt ſuſpenſus: quia violans præceptum Eccleſiaſticum in re gravi peccat mortaliter: licet ratione parvitatis materiæ excuſatur à mortali; Cooperans, & communicans cum, ſuſpenſo tolerato, ſed nondum denunciato in iis actibus juriſdictionis officii, à quibus eſt ſuſpenſus non peccat mortaliter unde potens Sacramentum à Sacerdote ſuſpenſo ab officio, ſed nondum denunciato non peccat, ut colligitur ex Concilio Conſtantienſi, in quo conceſſa eſt facultas communicandi cum excommunicatis; & ſuſpenſis nondum denunciatis: nec ſuſpenſus peccat, nec ſit irregulari, communicando functionibus ordinis, à quibus eſt ſuſpenſus, dum ab aliis petitur, modo non ſe ſponte ingerat. Secus dicendum de eo, qui communicat, & cooperat cum ſuſpenſo denunciato in illis actibus, à quibus eſt ſuſpenſus: nam peccat mortaliter, quia concurrit ad actionem malam,& prohibitam,non autem incurrit ullam pœnam, vel cenſuram excommunicationis,vel ſuſpenſionis in hujuſmodi participatione: etiam ſi participet in crimine criminoſo ob quod alter eſt ſuſpenſus: participans vero in aliis actibus, à quibus non eſt ſuſpenſus non peccat ſaltem mortaliter unde per hoc diſtinguitur ſuſpenſio ab excommunicatione, nam excommunicatio privat quocunque exteriori communicatione, non vero ſuſpenſio.

2 Suſpenſus ex delicto ſit irregularis violando ſuſpenſionem per exercitum ſolemne majoris ordinis, à quo eſt ſuſpenſus: ſecus dicendnm de ecercente actum ordinis non ſollemniter, nec ex officio: unde Subdiaconus ſuſpenſus ab officio Subdiaconatus

non incurrit irregularitatem canendo epiſtolam abſque manipulo, quia non canit ex officio: & idem dicendum non incurrere irregularitatem exercendo actus minorum ordinum, etiam ſolemniter, quia iſti actus fieri poſſunt etiam à Laicis, Irregularitas autem incurritur non ſolum quando per exercitum majoris ordinis violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura: ſed etiam quando violatur ſuſpenſio: quæ eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinatum tempus, ſuſpenſus autem violans ſuſpenſionem exercendo actus ſolius juriſdictionis, qui non ſunt conjuncti cum actibus ordinis, non incurrit irregularitatem, vel aliam pœnam, quia hujuſmodi irregularitas, vel pœna non extat in jure expreſſa.

3 Suſpenſus ab ordine efficitur irregularis benedicendo aquam, ceras fructus nuptias aut mulierem poſt partum nam violat ſuſpenſionem per exercitum ordinis ſacri, ſecus dicendum de benedictione menſæ cum non ſit uſu ſacri ordinis: ſed eſt actio, quam Laici, & Clerici facere poſſunt. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ fit irregularis celebrondo in Eccleſia, nam violat ſuſpenſionem per exercitum ordinis ſacri, non autem fieret irregnlaris, ſi celebraret extra Eccleſiam. Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, fit irregularis faciendo actus, qui ſoli Epiſcopo poſt conſecrationem conveniunt, ut conficiendo Chriſma, conferendo ordines, & ſimilia: ſecus non ſit irregularis faciendo actiones non facientes ad ſubſtantiam ordinis Epiſcopalis, ſuſpenſus à divinis officiis fit irregularis, quoties illa perſolvit ex officio, ut perſolvi ſolent ſolum ab initiatis ordine ſacro: Non autem ſit irregularis ſuſpenſus à ſuſceptione Sacramentorum, ſi illa ſuſcipiat: nec fit irregularis ſuſpenſus ab adminiſtratione ſpiritualium, vel temporalium ſi illa tempore ſuſpenſionis adminiſtret: non enim violat ſuſpenſionem per exercitum ordinis ſacri: nec fit irregularis ſi ſuſpenſus à beneficio recipiat fructus beneficii, peccat tamen contra juſtitiam uſurpando ſibi fructus beneficii, ad quos non habet jus ob cenſuram ſuſpenſionis, quæ ſecum trahit executionem, quia non violat cenſuram per exercitum ordinis ſacri, neque incurrit aliam pœnam, vel cenſuram, nam in nullo textu exprimatur.

4 Acta per ſuſpenſum, qui non eſt nominatim denunciatus valida ſunt: nam ſicut ab Eccleſia toleratur, ſic illo non adimitur juriſdictio: eſt autem invalida abſolutio impenſa à ſuſpenſo ab officio denunciato, nam caret uſu juriſdictionis: & propterea auſus ordinis qui non requirunt juriſdictionem ab ſui valorem ſunt validi ut conſecrare, confirmare, benedicere virgines altaria, &c.

De ſuſpenſionibus, quæ ipſo jure contrahuntur.

De ſuſpenſionibus contra Clericos. Cap. 287.

1 Clericus licet Religioſus recipjendo ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio ſit ſuſpenſus ab ordine ita ſuſcepto; quæ ſuſpenſio videtur Epiſcopo reſervata: ſic ſuſpenduntur Clerici facientes pactum cum Epiſcopo ordinante ante ordinationem vel cum patrono præſentante non petendi victum, alimenta, aut proviſionem: & ſic Epiſcopus, & patronus præſentans ſuſpenſi ſunt per triennium: Clericus autem ſuſpenditur donec abſolvatur. Eadem ſuſpenſione ligatur beneficiarius præſentans aliquem Clericum ad titulum ſui beneficii, ut illi conferatur ordines cum pacto non petendi fructus ad ſui ſuſtentationem, ſi autem nullum pactum ineatur, vel non adſit deceptio, ſeu falſitas non incurritur ulla ſuſpenſio, nam nullo jure conſtat incurri. Qui autem recipit majores ordines extra tempora conſueta conſtituta ab Eccleſia, vel ante legitimam ætatem, vel abſque literis dimiſſoriis fit ſuſpenſus: ad quam ſuſpenſionem incurrendam non requiritur præſumptio; vel gnorantiam affectata: ſed ſufficit ignorantia mortaliter culpabilis, unde ſi aliquis ex ignorantia mortaliter invincibili ordinetur ante legitimam ætatem incurrit ſuſceptionem; quæ privat uſu omnium ordinum ſuſceptorum, & repellit ab aliis ſuſcipiendis, unde delinquens non ſolum videtur ſuſpenſus ſed etiam irregularis: diſpenſatio autem hujus ſuſpenſionis pertinet ad Summum Pontificem Epiſcopus vero poteſt modo diſpenſare in hujſmodi ſuſpenſione, vel irregularitate quando delictam eſt occultum: hujuſmodi ſuſpenſione ſuſpenſus, incurrit irregularitatem celebrando vel

vel exercendo ordines, unde ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in iiſdem ordinibus celebrare præſumpſerit eo ipſo irregularitatem incurrit;recipiens minores ordines ante legitimam ætatem non eſt ſuſpenſus, aut irregularis, quia nullus textus hujuſmodi pœnam continent, ſed mortaliter peccat recipiendo ordines minores ante legitimam ætatem, quia facit contra prohibitionem in re gravi,qui vero recipit primam tonſuram ante ſeptenium, quod eſt tempus conſtitutum pro recipiendo tonſura non peccat mortaliter, ſi nondum pervenit ad uſum rationis ſed Epiſcopus conferens tonſuram ante ſeptennium mortaliter peccat quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Qui recipit ordines non ſervatis interſtitiis non incurrit ſuſpenſionem: ſed peccat, ſi hos faciat abſque licentia Epiſcopi: quia facit contra Tridentini præceptum ſeſſ. 23. c. 11. in materia gravi, nullam tamen pœnam incurit: Suſcipiens duos ordines ſacros eodem die ſuſpenditur ab executione poſteriori: ſic ſuſcipiens eodem die minoris ordines cum Subdiaconatu remanet ſuſpenſus à Subdiaconatu: ſic etiam ſuſpenditur recipiens duos ordines ſacros duobus diebus continuis, & immediatis abſque diſpenſatione, quę ſuſpenſio reſervatur Papę. Clericus qui vacante Epiſcopatu, & non arctatus occaſione beneficii recepti, aut recipiendi ſacros ordines ſumit cum litteris dimiſſoriis à capitulo receptis,eſt ipſo jure ſuſpenſus ab executione, majorum ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſed ſi ſuſcipit ſolum minores ordines, caret privilegio Clericali præſertim in criminalibus, non autem eſt ſuſpenſus, ut Sacra Cardinalium Congregatio declaravit. Clericus recipiens ordinem ſuperiorem per ſaltum ſit ſuſpenſus ab illo ordine ſuſcepto, donec recipit inferiorem prætermiſſum poteſt tamen Epiſcopus ex cauſa cum hujuſmodi promoto diſpenſare, ſi non miniſtraverit ex *Trid. ſeſſ.* 23. c. 14. Qui recipit ordines ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo aut interdicto denunciato, ſeu vitando, ſuſpenditur ab executione ordinum, idem dicendum de eo, qui recipit ordines ab Epiſcopo cenſurato, & irregulari: vel ab Epiſcopo Simoniaco per ſententiam declarato: excuſatur autem recipiens ordines ignorans Epiſcopum eſſe excommicatum; vel oppoſitum juxta meam ſententiam dicendum puto ſcilicet eſſe ſuſpenſum: ſicut etiam eſt ſuſpenſus, qui recipit ordines à dicto Epiſcopo per metum cadentem in conſtantem virum: ſic etiam recipiens ordines ſacros ab Epiſcopo qui denunciavit Epiſcopatui, id eſt loco, & dignitati, hoc eſt juriſdictioni, & officio Epiſcopi, nec non poteſtati ordinis ſeu potius ejus uſui, hic enim remanet ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto, quæ ſuſpenſio reſervatur Papę:hęc autem pęna non extenditur ad recipientes minores ordines cum in jure non extet: eſt etiam ſuſpenſus, qui aliquem ordinem ſcienter recipit per Simoniam, ab ordinibus, licet Simonia ut occulta: & ſuſpenſio reſervatur Epiſcopo ſit quam ſuſpenſionem incurrit, qui committit Simoniam in dimiſſoriis, quia cenſetur Simonia in ordine, idem dicendum de conferente, & præſentante per Simoniam, verum qui recipit ordinem Simoniace, ſed bona fide, & ignoranter non incurrit ſuſpenſionem, cum ignorantia excuſet à cenſuris. Suſcipiens ſcienter ordinem in excommunicatione eſt ſuſpenſus ab ordine ſic ſuſcepto ut in c. cum illorum de ſententia excommunicationis ubi habetur excommunicatum, qui ordinem recipit ſi ſit ſecularis à ſuſcepto ordine in perpetuum eſſe deponendum, & diſpenſationem Papæ reſervari, ſi vero ſit religioſus ab executione ſuſcepti ordinis,& officii remanet ſuſpenſus;non autem ſuſpenditur recipiens primam tonſuram in excommunicatione, cum non ſit ordo & jura loquentur de ſuſcipiente ordinem; à qua ſuſpenſione eximitur, qui Epiſcopatum recipit in excommunicatione juxta ſententiam eorum, qui Epiſcopatum non eſſe ordinem affirmant, ſic eximitur à ſuſpenſione, qui exprobabili ignorantia, vel inavertentia ſuæ excommunicationis vel juris recipit ordines: qui ordines ſuſcipit furtive incurrit ſuſpenſionem: qui etiam ſuſcipit ordines ſacros poſt matrimonium contractum etiam non conſumatum, exceptis caſibus à ſacris Canonibus conceſſis incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſic ſuſcepto, & ab officio, & à beneficio, quæ ſuſpenſio eſt reſervata Summo Pontifici etiam matrimonio ſoluto, niſi forte ſolvatur per profeſſionem valide emiſſam: tunc enim Epiſcopus diſpenſare poteſt; Qui celebrat miſſam, & in ea non communicat ſuſpenditur per annum à Communione, quod non eſt intelligendum de eo; qui

ex

ex inadvertentia, vel malitia in una tantum ſpecie conſecrat, & commmunicat quia ſermo eſt ſimpliciter de communione: qui autem unam tantum ſpeciem ſumit dicitur communicare. Clerici vero, qui celebrant, vel celebrare faciunt in locis interdictis à jure, vel ab homine ſunt ſuſpenſi ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfecerint ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt: qui præſumit omittere miſſam incompletam ſine gravi cauſa eſt ſuſpenſus à corpore, & Sanguine Chriſti. Clerici etiam exempti, & religioſi admittentes ad Sacramenta, ad Eccleſiaſticam ſepulturam vel ad officja divina publice excommunicatos denunciatos, vel interdictos, ſunt ſuſpenſi, ſeu potius interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfaciant ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt; qui admittunt manifeſtos uſurarios ad communionem altaris, ad ſepulturam Eccleſiaſticam, vel recipiunt eorum oblationem antequam dederint ſatisfactionem, vel idoneam cautionem de ſatisfactione; iſti enim ſuſpenſi ſunt ab officii executione donec ſatisfecerint ad arbitrium ſui Epiſcopi; Sacerdos tam regularis, quam irregularis conjungens in matrimonium, vel benedicens ſubditos alterius Paræciæ abſque licentia Parochi, vel ordinarii remanet ſuſpenſus ab officio donec ab ordinario Parochi obtineat abſolutionem ex *Trid ſeſſ.* 24. *c.* 1. de reform. Clericus beneficiarius, qui publice, & abſque rationabili cauſa utitur partita vel virgata veſte habente diverſos colores remanet ſuſpenſus per ſex menſes à recipiendis fructibus beneficiorum, ſi vero non ſit beneficiarius, ſed ſit Subdiaconus, vel Diaconus remanet ſuſpenſus per ſex menſes à recipiendo beneficio Clement. 2. de vit. & honeſt. C er. Clericus qui alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas gravare præſumit, aut litteras, aut ſigila alteri concedere, quibus obligari poſſit, ſuſpenſionem Ediſcopo reſervatam incurrit, ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium. Qui Sede vacante Cathedralis, Regularis, aut Collegiatæ Eccleſiæ occupant bona ſpectantia ad Prælatum defunctum vel ad ipſam ſedem, vel ad ſucceſſorem incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & à beneficio donec integre reſtituant. Compromiſſarius eligens indignum in Epiſcopum aut ſuperiorem dignitatem ſuſpenditur per triennium à beneficiis quæ obtinet in Eccleſia de cujus electione agitur, & quando. Et eamdem ſuſpenſionem incurrunt eligentes indignos ad Epiſcoparum, vel ad beneficia inferiora curam animarum habentia: quæ ſuſpenſio non extenditur ad Reges præſentantes illegitimum ad Epiſcopatum, vel ad Cardinales eligentes illegitimum ad Pontificatum: ſed ſermo eſt ſolum de Clericis. Eadem pœna ligantur impugnantes alicujus electionem vel poſtulationem, ſed in probatione deficiunt. Electores Epiſcoporum: qui infra octo dies poſtquam commode potuerint, præſentationem electo culpabiliter non præſentaverint, ſuſpenduntur per triennium à beneficiis, quæ poſſident in illa Eccleſia, de cujus electione agitur. Qui per abuſum ſecularis poteſtatis contra Canonicam libertatem præſumpſerint aliquem ad Eccleſiaſticam præbendam eligere ſuſpendendi ſunt per triennium ab officio, & beneficio, & eligendi ea vice poteſtate privantur, & electus eo pacto non cenſetur electus; nam dicitur, eligere cum abuſu poteſtatis ſecularis. Conferentes, & recipientes beneficia eorum pro ſuis negotiis ad Romanam Curiam acceſſerunt: aut aliqua negotia in ea exercent ſuſpenſi ſunt ab officio, & beneficio. Exercentes munus conſervatoris ſuſpenduntur per annum ob officio ordinis, & juriſdictionis ſi ſe intromittant ſcienter de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violentiis, aut ſuam poteſtatem ad alia, quę judicialem indaginem, ideſt ritum judicialem requiruntur ſcienter extendant. Judex Eccleſiaſticus non Epiſcopus faciens injuriam contra juſtitiam, & conſcientiam parti litiganti in judicio amore, prætio, vel odio ſuſpenſus eſt per annum ab executione officii, Judex qui fert ſententiam excommunicationis ſine ſcriptis, aut ſine cauſæ expreſſione, vel qui requiſitus non tradit copiam ſcripturæ intra menſem ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & à divinis officiis per menſem. Eadem pœna ligatur ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem ferens cenſuram excommunicationis ſine monitione, & teſtibus. Viſitatores in viſitatione recipientes pecuniam, aut munera ſuſpenduntur ab officio, & beneficio, niſi intra menſem duplum reſti-

tuant

ſtant eidem Eccleſiæ, à qua acceperunt. Prædicans, & diſputans, vel ſcribens, vel dictans in alter utram partem de Conceptione B. M. V. & propriam ſententiam, approbans, & alteram refellens ſuſpenditur à divinis ſi eſt in ſacris, & privatur omni gradu, & dignitate ipſo jure, & ad ſimilem redditur inhabilis, & à ſolo Papa diſpenſari poteſt. Iiſdem pœnis ligantur, qui quocumque modo aſſerunt B. Virginem cum originali peccato conceptam fuiſſe, & oppoſitam ſententiam impugnant. Qui ſponte jurant de tenendo ſchimate ſuſpenſi ſunt ab ordinibus, & dignitatibus, & hæc ſuſpenſio reſervatur Epiſcopo, Clericus notorius, & publicus concubinarius, aut fornicarius eſt ſuſpendendus ab Epiſcopo præmiſſa monitione. Epiſcopus concubinarius ſuſpenditur ipſo facto ſi non reſipuerit poſtquam fuerit admonitus à Synodo Provinciali.

De ſuſpenſionibus contra Epiſcopos.
Cap. 280

1 PRomoti à Sede Apoſtolica ſi adminiſtrationem accipiant abſque litteris authenti s ejuſdem ſe Sedis ſuſpenduntur ab adminiſtratione fructuum Eccleſiarum: & qui hujuſmodi promotos abſque præfatis litteris recipiunt ſuſpenduntur à beneficis donec à Summo Pontifice gratiam obtineant. Qui conſecrationem ab excommunicatis, ſuſpenſis vel interdictis accipiunt ſuſpenduntur à Pontificalibus; idem dicendum ſi à dictis conſecrationem accipiant ſi ignoraverint eſſe excommunicatos, dummodo tamen excommunicati ſint vitandi Epiſcopus, qui extravagantem 2. de elect. Joan. XXII. non ſervat quoad perceptionem fructuum primi, vel ſecundi anni Epiſcopatus ſuſpenditur à Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ donec reſtitutio fiat; qua facta ceſsat ſuſpenſio. Epiſcopus ſuſpenditur à Pontificalibus conferendo ordines, vel primam Tonſuram extraneo abſque licentia ſui Epiſcopi *Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.* de reform. & *ſeſſ. 23. cap. 8.* recipiens vero ordines ab Epiſcopo ſine dimiſsorils ſeu licentia Epiſcopi eſt ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto ad arbitrium proprii Epiſcopi. *Trident. ſeſſ. 23. cap. 8.* immò Sacra Congregatio Cardinalium declaravit hujuſmodi recipientem ordines ſi functiones ordinis eo pacto ſuſcepti exercet, nondum ab Epiſcopo licentia obtenta fieri irregularem. item ſuſpenditur à Pontificalibus ordinans in aliena Diœceſi abſqne licentia ordinarii loci: aut ordinans de licentia Epiſcopi perſonas non ſubditas. idem dicendum de ordinate conjugatum, exceptis caſibus per canones conceſſis. Ordinans Religioſum, vel qui non fecit votum ſolemne, ſuſpenditur per annum à collatione ordinum, quos contulit. Ordinans Monachum ſine licentia Abbatis ſuſpenditur à communione aliorum Epiſcoporum. Ordinans bigamum, vel qui fecit pœnitentiam publicam ſuſpenditur à celebratione per annum, ſic etiam ordinans invitum. Ordinans Sacerdotem indignum ſuſpendi. tur a collatione ordinis Sacerdotalis Conferens Tonſuram Illitterato ſuſpenditur per annum à collatione Tonſuræ, Illitteratus autem dicitur, qui neſcit legere, & ſcribere. Idem dicendum de conferente Tonſuram non completo ſeptennio. Conferens duos ordines ſacros eodem die, vel duobus diebus immendiatis ſuſpenditur à collatione utriuſque ordinis. Conferens ordinem Sacerdotalem indigno ſcienter, ſeu illi, qui à ſuſpenſione ordinis Sacerdotalis eſt ſuſpenſus, incurrit ſuſpenſionem à collatione ordinis Sacerdotalis. Conferens ordines cum pacto, ut Ordinatus ab eo non petat alimenta in defectum Beneficii, vel Patrimonii: ſuſpenditur à collatione ordinum per triennium; Epiſcopus conferens ordines, vel primam Tonſuram Simoniace, ſuſpenditur non ſolum à collatione ordinum, & primæ Tonſuræ per triennium: ſed etiam à Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ. Epiſcopus, qui Epiſcopum jam electum in Epiſcopatum confirmat, & conſecrat poſtquam appellatum fuit ad Sedem Apoſtolicam ſuſpenditur à confirmatione, & conſecratione Epiſcoporum per annum etiam ſi partes ab appellatione reſilierint, Non adhibens diligentiam circa proceſſum electionis, & perſonam electam ad curam animarum, ſuſpenditur à facultate confirmandi primum illius ſucceſſorem, & à beneficio. Admittens ad beneficii reſignationem contra præſcriptum Bullæ Pii V. incurrit ſuſpenſionem à collatione, præſentatione, ele-

ctio-

Digitized by Google

admittens aliquem ad probationem nondum expleto anno. Suſpenduntur ab ordinum ſuſceptione Religioſi promoti ad ſacros ordines nondum facta promiſſione Idem dicendum de Apoſtata ſuſcipiente ordinem Sacrum dum in Apoſtaſia remanet, & ab aliis ſuſcipiendis donec diſpenſetur. Idem dicendum de eo, qui ad aliam Religionem tranſit, & in eadem ſacros ordines capit. Ipſo facto ſuſpenduntur Religioſi à Religione electi ab exercitio ordinum ob decretum Sacræ Cardinalium Congregationis. Iſti autem ſi violant ſuſpenſionem per exercitum ordinis. Sacri fiunt Irregulares. Suſpenduntur omnes Religioſis concedentes reditur, vel profeſſiones, vel adminiſtrationem Eccleſiarum alicui ad ipſius vitam: & invalida eſt conceſſio dummodo non adſit neceſſitas, utilitas, vel de conſenſu Superioris fiat. Suſpenduntur uſurpantes Decimas Eccleſiarum cujuſcumque rationis ſint, Suſpendūtur à Pontificalibus Papę reſervatum fratres Prædicatorum promoti ad Prælaturas ſi conſecrationem ſuſcipiant antequam reddant ordini libros, & alia quæ tempore promotionis habent. Sic Prælati Religioſorum, ad quos aliquid exceſſuum Religioſorum prohibitorum pervenerit ſuſpenduntur niſi intra menſem ſatisfecerint Ecclæſiæ, vel perſonis damnificatis, exceſſus autem qui ſint vide (num. 9. & 20.) Suſpenduntur Conſeſſarii Religioſi, qui non faciunt conſcientiam Pœnitentibus de ſolvendis decimis, ab officio prædicandi, donec eiſdem pœnitentibus conſcientiam faciant, qui durante ſuſpenſione concionari audeant ligantur excommunicatione. Suſpenduntur Abbates, & alii concedendo dimiſſorias aliis quam ſuis ſubditis, ſuſpenduntur Monachi Nigri S Benedicti nonutentes habitu præſcripto & ſi fuerit Abbas ſuſpenditur à collatione Beneficiorum ordinum per annum. Si ſit inferior habens aliquam adminiſtrationem, eadem privatur per annum, ſi non habeat adminiſtrationem inhabilis ſit ab illam, vel ab beneficium intra annum recipiendum: eadem ſuſpenſio duplicato tempore extenditur ad eoſdem Monachos ve, anioni clamoroſæ ſi inter ſint, ſuſpendūtur fratres Prædicatores præſumentes perturbare Officium Inquiſitoris à fratribus minoribus ipſo facto ab executione ordinum Sacrorum quo uſque abſolvantur, Idem dicendum ſi fratres Minores perturbent officium Inquiſitoris à Prædicatoribus. Suſpenduntur ſuſpenſione reſervata Epiſcopo Religioſi conjungentes in matrimonium, vel benedicentes ſponſos abſque licentiâ, ſuſpendnntur à Divinis, & privantur beneficii, & ad illos redduntur inhabiles Religioſi præſumentes introducere mulieres in Monaſteria

De abſolutione à ſuſpenſione. Cap. 291.

1 SUſpenſio lata ad tempus, eo elapſo ceſſat, quia ſuſpenſio ex intentione prohibentis facta ſolum ad certum tempus ceſſat eo elapſo.

2 Non ſunt determinata aliqua verba ad abſolvendum à ſuſpenſione, ſunt tamen in uſu, Ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis in quam incurriſti, & reſtituo te ad executionem tui muneris, ordinis vel ad tuum beneficium.

3 Non eſt neceſſarium in abſolutione explicare cauſam ob quam contracta eſt ſuſpenſio.

4 In delictis gravibus petendum eſt juramentum obediendi Eccleſiæ, & petenda eſt ſatisfactio, & cautio.

5 Epiſcopus poteſt abſolvere ſuos ſubditos à ſuſpenſione perpetua vel ad certum tempns etiam reſervata Papæ, modo proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum.

6 Suſpenſio lata in puram pænam propr æterito delicto non aufertur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, unde non poteſt auferi ab eo, qui eſt inferior eo, qui ſuſpenſionem tulerat: diſpenſatio autem ex ſua natura cenſetur reſervata niſi explicite concedetur. Epiſcopus autem non poteſt abſolvere à cenſura reſervata ad forum contentioſum deducta.

De Degradatione

Quid ſit degradatio: ob quæ crimina fiat degradatio; ad quem ſpectet degradare, qui nam degradari poſſint, & à quo auferri poſſit degradatio vel depoſitio. Cap. 292.

1 DEgradatio duplex eſt, verbalis & actualis, ſeu realis, qua non ſolet

ſolet inferri, niſi illis, qui ſunt in ſacris conſtituti.

2 Degradatio verbalis, ſeu depoſitio eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua Eccleſiaſticus privatur omni officio, & beneficio In perpetuum, ſine ſpe illius conſequendi, non amiſſo privilegio Clericali, quod intelligitur depoſitione totali, non de partiali, nam non omnis depoſitio eſt totalis, nec omnis depoſitio privat officio, & beneficio, ſed aliqua privat officio, aliqua beneficio; totalis autem utroque privat. Qui autem depoſitionem à jure latam contraxit non tenetur ſe ſua ſponte beneficii abdicare, ſed poteſt Judicis ſententiam expectare.

3 Degradatio actualis, ſeu realis eſt pæna Eccleſiaſtica, qua Eccleſiaſticus privatur omni beneficio, officio, & privilegio clericali in perpetuum abſque ulla ſpe illius conſequendi cum quadam ſolemnitate, Actus autem quo quis traditur Curiæ Seculari eſt effectus degradationis actualis, ſed non ſemper, quia non omnis degradatus realiter tradendus eſt brachio ſeculari ſed declaratur privatus privilegio Clericali, traditur autem in delictis graviter enormibus, nec ſemper, licet tradetur brachio Seculari plectendus eſt pæna mortis, ut ipſa docet experientia.

4 Differt depoſitio verbalis ab actuali, Primo Actualis fieri ſolet cum maiori ſolemnitate, & indutus veſtibus, & cum vaſis ſacris, pertinentibus ad illum ordinem à quo degradatur, defertur ad conſpectum Epiſcopi, à quo gradatim exvitur, & capillis tondetur prolatis quibuſdam verbis, terrorem incutientibus, Secundo Verbalis fieri poteſt in abſentem contumacem, realis autem in præſentem, Tertio depoſitus actualiter non gaudet privilegio fori, & Canonis, ſed verbaliter fruitur, unde qui illum percutit incurrit excommunicationem: ſed ſi damnatus ſit ad triremes Magiſter percutiens illum ex officio non incurrit, quia cenſetur damnatus ad pęnas, & ad omnia conſequentia. Gaudet privilegio fori, quia non poteſt cogi, nec puniri à Judice Seculari niſi factus ſit incorrigibilis, ſcilicet quando perſeverat in prioribus criminibus.

5 Degradatio, Depoſitio, Cenſura, & Irregularitas differunt, nam degradatio differt à ſuſpenſione, quia ſuſpenſus non privatur ſpe conſequendi id à quo eſt ſuſpenſus, ut privatur degradatus, & depoſitus: qui non poſſunt à nullo, pręter quam à Pontifice in priſtinum ſtatum reſtitui: Excommunicatio, & Irregularitas non privant beneficio acquiſito, ſicut privat depoſitio, & degradatio.

6 Degradatus realiter valide conſecrat; quia per degradationem non amitit Characterem ordinis, unde valide conſecrat, & tenetur ad onera ordinis, ut ad recitationem horarum, & ſi contrahit matrimonium invalide contrahit quia adhuc retinet ordinem, & votum caſtitatis.

7 Crimina, quæ merentur verbalem degradationem, ſunt Adulterium, concubinatus, ſimonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, perjurium, homicidium. delictum quo quis permmittit ſua culpa ſuum Parochianum decedere ſine Baptiſmo, & alia crimina, quæ inferunt irregularitatem Crimina vero, quę merentur realem degradationem ſunt homicidium qualificatum, Crimen hæreſis, ſodomia ſæpius exercita, & ſimilia quæ judicis arbitrio tali pæna ſunt.

8 Degradatus non eſt alendus fructibus beneficii: quia imputare debet, quod beneficio: & fructibus privetur, quia ita videtur uſu receptum.

9 Depoſitio verbalis presbyteri ſpectat ad proprium Epiſcopum, vel ejus Vicarium Degradatio vero actualis ad ſolum Epiſcopum, non ad alium inferiorem. Degradatio vero Epiſcopi ſpectat ad Papam. Prelati vero Religioſorum non poſſunt deponere, ſeu degradare ſuos ſubditos, niſi per privilegium, vel conſuetudinem: Epiſcopus autem non conſecratus non poteſt degradare actualiter, ſed verbaliter, quia hoc pertinet ad jurisdictionem, quam Epiſcopus licet non conſecratus poteſt exercere, & poteſt delegare facultatem deponendi, verbaliter *Concilio Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 4. nec poteſt Epiſcopus alteri Epiſcopo conſecrato facultatem degradandi actualiter concedere.

10 In degradatione Sacerdotis requiruntur ſex alii Epiſcopi, in degradatione Diaconi, & Subdiaconi tres Epiſcopi: ſed ſi Epiſcopi haberi nequeant, adhibendi ſunt totidem Abbates, & in defectu Abbatum totidem aliæ perſonæ in dignitate conſtitutæ *Trident ſeſſ. cap.* 4. ſed in caſu hæreſis, prefatus aſſiſtentium numerus non

requi-

requiritur,ſed deponi poteſt convocatis illis, de quibus expedire videtur. Et Epiſcopus debet adeſſe tamquam Judex; Prælati autem, ui adhibentur in depoſitione reali, alicujus Sacerdotis debent omnes conſentire, quia à Sacerdotio non poteſt deponi niſi ad ſit concors ſententia, & propterea ad ferendam ſententiam degradationis debent adeſſe ſupradicti: non autem in executione ſententiæ degradationis dicunt aliqui, ſed ego cenſeo requiri præſentiam prediĉtorum, etiam in ipſamet actuali degradatione ſic *Conc. Tr d. ſeſſ. 13. n.* 4. nec eſt neceſſe uti veſtibus Pontificalibus in degradatione.

11 Degradari poſſunt, Clerici in quocumque ordine conſtituti, licet in minoribus non eſt in uſu, non autem poſſunt degradari abſque accuſatore, vel per viam ſolius inquiſitionis quia finis inquiſitionis non eſt depoſitio, ſed mitior pæna, dummodo delictum non ſit notorium, vel delinquens ſponte fateatur.

12 Sententia degradationis non poteſt ab Epiſcopo revocari, quia degradatus non caret ſpe reſtitutionis: modo degradatio valida ſit: quia injuſte degradatus poteſt ab Epiſcopo reſtitui in preſtinum, cum preſentia prædictorum, qui ad fuernnt nam res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur: Reſtitutio autem ſi fiat à Papa nullus modus neceſſario ab illo ſervandus eſt; ſed ſi fiat ab Epiſcopo, ſervanda eſt ſolemnitas præſcripta in c Epiſcopus presbyter. Depoſitus inſuper ſolum verbaliter poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, ſi depoſitio facta fuerit ob adulterium, vel ob alia crimina adulterio minora: ſed poſt peractam à reo penitentiam, &c. Clerici judiciis: quo depoſitio poteſt etiam diſpenſare Capitulum Sed vacante cum ſuccedat in juriſdictionem Epiſcopi.

De Interdicto.

Quid, & quotuplex ſit interdictum. Cap. 293.

1 INterdictum eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua homo ſeparatur perceptione quorundam Sacramentorum à divinis, & à ſepoltura Eccleſiaſtica.

2 Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale, & aliud mixtum; per locale interdicitur locus, perſonale interdicitur populus, vel aliqua perſona particularis, per mixtum complectitur locale, & perſonale: quæ interdicta ſunt inter ſe diverſa, nam ſi interdicitur locus, non interdicitur perſona; unde interdicta aliqua Eccleſia, Sacerdotes illius in alia Eccleſia poſſunt perſolvere divina officia, quando non fuerint cauſa interdicti; locale autem, & perſonale interdictum vel eſt, univerſale, vel ſpeciale, ſeu particulare, Locale generale ut Regnum, civitas, Provincia, aut ſimilia: alia, interdicta preter hæc non ſunt generalia ſed ſpecialia Interdictum Parochiæ eſt generale, ſi intelligitur per Parochiam totum ambitus alicujus caſtri: quia Parochia idem eſt ac totum caſtrum cujus interdictum eſt generale; erit autem ſpeciale ſi per Parochiam intelligatur ſolum Templum: Quando autem interdicitur aliqua Civitas excepta una vel duabus Eccleſiis, erit interdictum generale, quia per particularem exceptionem alicujus Eccleſiæ generaliter non auſertur.

3 Interdictum erit ſpeciale, ſi interdicatur aliqua Parochia alicujus loci, in qua ſunt aliæ Parochiæ, idem dic ſi interdicuntur aliquæ Eccleſiæ, vel omnes cujuſcumque loci nam non remanent interdicta omnia loca, nam officia poterunt celebrari extra Eccleſiam.

4 Interdictum Provinciæ eſt locale generale, & comprehendit etiam Eccleſias Cathedrales Metropolitanas: quia interdictum locale generale comprehendit omnia loca illius ſtatus, qui interdicitur, ſi interdicatur Diæceſis non cenſetur interdicta Civitas niſi clarius exprimatur: quia accipitur Diœceſis in ſua ſpecie, quatenus differt à Civitate

5 Interdictum perſonale generale eſt quo interdicitur generaliter, populus totius Regni, vel Provinciæ, vel Civitatis, & ſimilium. Speciale vero quo interdicitur pars aliqua populi, & communitatis: quando autem interdicitur Clericus, non interdicuntur Religioſi, quia Religioſi in inſavorabilibus veniunt nomine Clericorum non in odioſis, & ſic interdictis Religioſis non interdicuntur Clerici, ſic interdicto populo, non intelligitur interdictus Clerus & è contra: ſed interdicta familia aliqua: eſt interdictus etiam Clericus ejuſdem familiæ cum ſit pars familiæ: ſic interdictis Doctoribus alicujus Colegii cenſentur interdicti etiam Clerici Doctores, nam nomen Do-

ris tam convenit Doctoribus Clericis, quam lajcis. Interdicto autem populo Civitatis, non intelliguntur interdicti, qui habitant in ſuburbiis dummodo non ſint de populo Civitatis. Cives communitatis interdictæ abſentes ſubjacent interdicto; quia ſunt pars communitatis interdictæ, dummodo non habeant domicilium alibi, aut alio transfereant domicilium: tunc enim deſinunt eſſe interdicti: quia deſinunt eſſe pars illius communitatis, & populi, Interdicto autem populo, non intelliguntur interdicti exteri, cum non ſint pars illius populi. Interdicta aliqua Civitate per interdictum locale generale cenſetur etiam interdictæ Religionum Eccleſiæ, quæ alias ſunt exemptæ, & propterea, Religioſi tenentur ſervare interdictum: hoc autem non ſequitur in interdicto ſpeciali. Non poſſent autem Religioſi hoc tempore uti privilegiis conceſſi ante Tridentinum, ſcilicet celebrandi divina officia, & admittendi Lajcos tempore interdicti localis, quia *Conc. Trid. ſeſſ. 25 c. 2.* de Regular. noluit privilegium prodeſſe religioſis quoad feſta & interdicta, etiam ſi Religioſi ſint exempti, & ita declaravit Sacra Card. Congrag. Interdicta una Eccleſia, ſunt interdictæ Capellæ, & Cæmeterium, quia cenſetur unum corpus cum Eccleſia: ſecus dicendum quando Capella & Cæmeterium non eſt contiguum: Si autem una Eccleſia interdicatur de duabus: ſolo pariete vel cæmeterio communi una erit interdicta, non alia, quia non eſt ejus pars, Interdictum latum in terram alicujus principis, cadit in omnes terras illius, verba generalia ſunt generaliter intelligenda: non autem in terram poſt Interdictum acquiſitam. Judex etiam, qui aliquem locum interdixit tenetur abſtinere ab officiis perſolvendis in eo loco.

De Cauſis Interdicti. Cap. 294.

1 Interdictum ab illo ferri poteſt, à quo aliæ cenſuræ ferri poſſunt, & propterea Papa poteſt ferre Interdictum, Epiſcopus etiam ſine conſenſu Capituli, Prælati religionum poſſunt ferre interdictum perſonale non autem locale: quia ipſorum juriſdictio potius cadit in perſonas, quam in locos. Capitulum Sede vacante etiam poteſt.

2 Subjectum interdicti perſonalis ſunt homines, in quos juriſdictionem externam ſpiritualem exercere potes, qui fert interdictum.

3 Interdictum eſt pœna ſpiritualis, quæ ſupponit culpam.

4 Interdictum fertur, ut delinquens emendetur.

De Primo effectu interdicti, ideſt privatione Sacramentorum. Cap. 295.

1 Tres ſunt effectus interdicti ſive localis, ſive perſonalis; Primus eſt privatio aliquorum Sacramentorum; Secundus eſt privatio divinorum officiorum; Tertius eſt privatio Eccleſiaſtica; non autem ſunt ita inter ſe connexi, quin poſſint etiam ab Epiſcopo, qui eum tulit, ſeparari ad differentiam effectuum excommunicationis, qui non poſſunt ab Epiſcopo ſeparari, & propterea diligenter advertendum eſt quomodo feratur interdictum; nam quando feratur Interdictum, nam quando fertur abſolute, & ſine limitatione intelligitur quoad omnes tres effectus, ſi vero cum limitatione fertur, prohibet tantum eam actionem, quæ interdicitur, & omnem aliam quæ in ea includitur, & ſine qua illa non potes fieri, iſti autem ſunt effectus, qui incurruntur poſt Boniſ. VIII. Martinum V. & Eugenium VI.

De Privatione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis. Cap. 296.

1 Tempore Interdicti localis adminiſtrari poſſunt omnibus Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis cum ſolita ſolemnitate, & ſic in Eccleſia interdicta licet conficere Chriſma in die Cænę Domini, ſed januis clauſis, nec pulſentur Campanę; & excludantur Excommunicati, & interdicti: quia quando aliquid conceditur id ſine quo conceſſum non poteſt poni in eſſe, ſic etiam ſi aliqua Eccleſia ſit interdicta, poteſt in ea Sacramentum Baptiſmi adminiſtrari.

2 Interdictus perſonaliter poteſt recipere Sacramentum Confirmationis, quia pertinet ad quoddam complementum Baptiſmi, dummodo is non dederit cauſam interdicto; vel ſit perſonali interdicto ligatus, quia reus eſt culpæ, & contumaciæ.

3 Perſonæ interdictæ interdicto perſonali generali licitum eſt miniſtrare baptiſmum ſolemniter, non autem perſonæ ſpecialiter interdictæ, niſi in caſu neceſſitatis, & privatim, miniſtrare.

De

De Privatione Euchariſtiæ, *Cap.* 297.

1 POteſt tempore interdicti localis cum ſolita ſolemnitate miniſtrari Euchariſtia exiſtentibus in probabili periculo mortis, & in ingreſſu ad infirmum poſſunt concedi Indulgentiæ quia eſt actus externæ juriſdictionis, & poteſt miniſtrari in præſentia perſonæ interdictæ: per periculum mortis intelligitur etiam fœminæ vicinæ partui prima vice, vel ſi alias cum periculo peperit, ſic ſuſcipienti periculoſam navigationem poteſt miniſtrari: tempore interdicti tamen miniſtranda eſt Eucariſtia per modum viatici.

2 Tempore interdicti localis, poſſunt interdicti alibi recipere Euchariſtiam dummodo non ſint qui dederint cauſam culpabilem interdicto, vel ſint interdicti interdicto ſpeciali, vel generali. Clerici autem non poſſunt communicare mortem lajcorum tempore interdicti licet poſſunt celebrare, & celebrando Euchariſtiam ſumere, quia celebratio miſſæ non poteſt perfici ſine ſumptione Euchariſtiæ. Religioſi autem, & Moniales an poſſint virtute privilegiorum tempore interdicti conſulenda ſunt eorum privilegia.

3 Sacerdos autem tempore interdicti poteſt miniſtrare Euchariſtiam exiſtenti in periculo mortis, dummodo non ſit ligatus ſpeciali interdicto, vel dederit cauſam interdicto, qui tamen ligatus ſit, & eſſet neceſſitas adminiſtrandi Euchariſtiam, nec alius Sacerdos non ligatus adeſt, poſt ratione neceſſitatis miniſtrare. Parochus autem interdictus, poteſt concedere facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam Sacerdoti non interdicto; quia hujuſmodi conceſſio non eſt actus ordinis, ſed potius juriſdictionis, cujus uſus non eſt prohibitus tempore interdicti.

4 Interdictus perſonaliter interdicto generali poteſt recipere Euchariſtiam per modum Viatici abſque alia ſatisfactione, modo non dederit cauſam interdicto: Abſolutio autem interdicti in articulo mortis poteſt dari à quolibet Sacerdote.

5 Nullus tenetur in Paſchate ad implendum præceptum annuæ communionis recipere Sacramentum Euchariſtiæ nec tempore interdicti localis ſpecialis, nec generalis, quia interdictum privat ſuſceptione Euchariſtiæ preter quam in articulo mortis, nec ordines capi poſſunt in die Sabbati Sancti tempore interdicti localis generalis, quia ordinatio non venit nomine divino cum officiis quę licita ſunt in ſolemnitate Paſchali

De Privatione Sacramentorum Pænitentiæ Ordinis. Extremæ unctionis, & Matrimonii. Cap. 298.

1 JUre novo licitum eſt miniſtrare Sacramentum Pænitentiæ tempore interdicti aut interdicto tam ſano, quam infirmo, dummodo non ſit Excommunicatus nec fuerit in cauſa interdicti, jure autem antiquo conferebatur ſolum morientibus & peregrinis: miniſtratio etiam Euchariſtiæ poſt fieri in loco interdicto ſervatis ſupra dictis duabus conditionibus miniſter autem eſt quilibet Confeſſarius: qui non dedit cauſam interdicto, etiam ſi ſit ligatus interdicto perſonali generali; non autem poteſt ſi ſit ligatus ſpecialiter, vel ſit denunciatus Interdictus.

2 Non poteſt perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis adminiſtrari Sacramentum Ordinis, quia interdictum privat perceptione Sacramentorum, niſi fiat aliqua ſpecialis exceptio: poſſunt aut cui adminiſtrari ordines tempore neceſſitatis licet tempore interdicti, cum ſcilicet ſi non adeſſent Sacerdotes; qui tempore neceſſitatis conferrent Sacramenta, qui autem non eſt perſonaliter interdictus poſt in loco non interdicto ordines recipere, ſic poſſunt ce̸ rici ordinis ſuſcipere, etiam in loco interdicto, ſi ſit tamtum interdictus populus: ſic tempore interdicti localis poſſunt Clerici, vel Lajci alibi ordines ſuſcipere, modo cauſam interdicti non dederint.

3 Nullus perſonaliter interdicto, aut tempore interdicti localis poteſt miniſtrare Sacramentum Extremæ unctionis niſi permiſſum ſit ex privilegio, nec in loco non interdicto, nec etiam in loco interdicto perſonæ non interdictæ quamvis ſit Clericus non interdictus, nec hoc Sacramentum poteſt recipi in illis feſtivitatibus in quibus ex privilegio licitum eſt audire divina officia, cum ſit quid diverſum à divinis officiis.

4 Non eſt licitum perſonis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere Matrimonium, quando contrarium non ſit receptum conſuetudine; Sponſalia vero poſſunt tempore interdicti localis, vel à perſo-

X nis

nis interdictis fieri, cum non ſint Sacramenta; non nego tamen, quin etiam matrimonium ſit validum cum ſit Sacramentum in contractu fundatum, ſed licite non celebratur, Benedictiones jure novo licitæ ſunt, modo fiant janvis clauſis, exclusis excommunicatis, & interdictis, ſine ſolemnitate, & conjugati habeant privilegium aſſiſtendi divinis, & fieri poſſunt in diebus, in quibus licitum eſt perſolvere ſolemniter divina officia: exceptis diebus, quibus ſolemnitates nuptiales prohibentur ab Eccleſia, quæ tamen benedictiones non poſſunt fieri ſuper interdictos.

De Secundo effectu interdicti ideſt privatione Divinorum officiorum. Cap. 299.

1 Divinum officium ſunt horæ Canonicæ quæ cantantur in Coro publice nomine Eccleſiæ, quæ prohibentur tempore interdicti, cum quibus comprehenduntur, ea quæ aliquando conjuguntur cum horis Canonicis, ut eſt officium Defunctorum, & Beatiſſ. V. M. Sacramentalia veniunt nomine Divini officii ſub quibus comprehenduntur omnes ceremoniæ ſacræ, quæ ſpectant ab ſolemnem ritum Sacramentorum, ut eſt ſolemnis benedictio nunptiarum jam celebratarum, benedictio, Templi, Vaſorum Sacrorum, Corporalium Aliarum veſtium ſacrarum, Candelarum in die Purificationis, vel Ramorum in die Palmarum, ſolemnis benedictio aquæ, Benedictio Fontis Baptiſmalis in Sabbato Sancto, fuſio aquæ cum Aſperges. Benedictio ſolemnis Epiſcopi, Profeſſio ſolemnis in Religione, Litaniæ proceſſionaliter recitatæ, collatio prime Tonſuræ, &c. Officia vero, quæ non requirunt perſonam Eccleſiaſticam, ad ea deputatam non cenſentur prohibita tempore interdicti, quia non cenſentur Officia Eccleſiaſtica, & communia, ſed privata: litaniæ, quæ canuntur in Eccleſia, vel extra Eccleſiam, modo non canantur ſolemniter, ideſt cum ſuperpelliceo, & veſte aut cum Dominus Vobiſcum, quia: hoc fieri poteſt etiam à Lajcis, ſic Confraternitates poſſunt more conſueto canere litanias, Pſalmos, officium B Virg. vel etiam Sanctorum, non enim ſunt Officia Divina, cum ab Eccleſiæ miniſtris non canantur, tamquam ad hoc ex Officio deputatis, immo aliqui addunt licitam eſſe tempore interdicti animarum commendationem quia videtur quid annexum pœnitentiæ, quæ poteſt miniſtrari tempore interdicti, ſicut etiam dicunt, licitum eſſe accipere oblationes, & mortuaria pro defuncto interdicto, & pro eo Divina Officia celebrare ſervata moderatione c. Alma mater, cum hæc non fiat coram interdicto, nec eo ntra prohibitionem interdicti.

2 Clericus tempore interdicti non eximitur ab obligatione recitandi privatim Divinum officium, non enim par eſt, ut commodum reportet ex ſuo delicto.

3 Tempore interdicti localis generalis prohibitum eſt celebrare Miſſas, & Divina officia publice in loco interdicto, uti ſono organorum, & campanarum pro Officio, licet licitum ſit uti ſono campanarum pro Ave Maria, aut etiam aliis de cauſis, ut conſtabit ex dicendis, dictum eſt publice, quia Bonifacius VIII. in c. Alma Mater conceſſit ſingulis diebus facultatem celebrandi ſecreto miſſam, & divina officia tempore interdicti localis generalis in Eccleſiis, & Monaſteriis cum his limitationibus. Primo Januis clauſis Secundo voce ſubmiſſa, ita ut non poſſint audiri ab exiſtentibus extra Eccleſiam. Tertio exclusis excommunicatis, & interdictis. Quarto ſine Campanarum ſono.

4 Interdictum locale, & perſonale differunt inter ſe. nam tempore interdicti perſonalis perſonæ interdictæ perſonaliter interdicto particulari, vel generali, non poſſunt celebrare miſſas, nec intereſſe, ſic etiam differunt inter ſe, interdictum locale generale, & locale ſpeciale: quia tempore interdicti localis ſpecialis, non eſt licitum ſingulis diebus celebrare Divina officia, vel miſſas, ſed ſolum licitum eſt, ſemel in hebdomada celebrare miſſam ad renovandam Euchariſtiam in loco, ubi aſſervatur, ſicut licitum erat jure antiquo.

5 Licitum eſt tempore interdicti generalis pulſare campanas ad convocandum populum ad concionem, ad conficiendam Euchariſtiam deferendam infirmis, ad ſalutationem Angelicam, vel indicandum populo diem: feſtum, ad oſtendendas reliquias, quod non licet ad divina officia, vel ad miſſas celebrandas, neque in Sacrificio miſſæ cum hoſtia elevatur, vel ad Sanctus; ſed licitum eſt uti Tintiunabulo ex cap. Alma

Alma Mater., non autem eſt illicitum uti campanarum ſono, ad manifeſtandas horas præciſe cum non adhibeantur campanæ ad convocandum populum ad divina: adhiberi tamen poſſunt tempore interdicti pro campani Tabulę cum Matracis, vel Tubis cum non ſint vetita, cum non veniant nomine campanarum.

6 Non eſt licitum tempore interdicti generalis alibi, quam in Eccleſiis, & Monaſteriis celebrare divina officia ſecreto, & ſervata moderatione c. Alma Mater, ſic etiam in Monaſteriis Monialium ſervata prædicta moderatione; ſic in hoſpitalibus, erectis auctoritate Epiſcoporum, nam in favorabilibus veniunt nomine Eccleſiæ: idem dicendum de Oratorio, modo ſit approbatum ab Epiſcopo, ſed non in oratoriis privatis, cum non veniant nomine Eccleſiæ: quando tamen oratoria privata non ſunt approbata ad divina facienda, & ad celebrandam miſſam, quia hæc in materia favorabili veniunt nomine Eccleſiæ.

7 Sunt aliquæ feſtivitates, in quibus licitum eſt tempore interdicti localis generalis, non vero ſpecialis celebrare miſſas, & divina officia publice, & ſolemniter cum ſono campanarum januis apertis, alta voce, admiſſis interdictis: etiam illis, quorum cauſa latum eſt interdictum, modo illi longe ſint ab altari, ita ut non admittantur ad oblationes, vel communionem: feſtivitates autem ſunt, Natalis Domini, cum feſtivitatibus ſequentibus, ſic Paſchæ,& Pentecoſtes, cum feſtivitatibus ſequentibus; Aſſumptionis B. V. Addita fuit à Martino V. & Eugenio IV. ſolemnitas Corporis Chriſti cum octava, & à Leone X. dierum Conceptionis M. V. cum octava, quæ feſtivitates incipiunt à primis veſperis Vigiliæ uſque ad Completorium ipſius ſolemnitatis quod recitandum eſt hora conſueta, & non debet differri in fraudem interdicti, in quibus feſtivitatibus licitum eſt recipere tantum ea Sacramenta, quæ recipi poſſunt aliis diebus.

8 Amentes,& infantes,carentes uſu rationis poſſunt admitti ad divina officia tempore interdicti localis generalis, quia defectu libertatis non poſſunt interdici, ut non interſint divinis officiis, cum non cognoſcant quid agatur. Omnes etiam Clerici non conjugati, etiam extranei, tempore interdicti localis generalis poſſunt admitti ad divina officia, modo non ſint excommunicati, & interdicti, nec dederint cauſam interdicto, quod extenditur ad religioſos utriuſque ſexus,etiam novitios, nam in favorabilibus religioſi veniunt nomine Clericorum,quod non eſt intelligendum de Clericis conjugatis, qui non ſunt addicti alicui miniſterio ſacro, & in Eccleſia latina reputantur tamquam ſeculares; quamvis geſtando tonſuram, & habitum, gaudeant privilegio Canonis, & fori: ſi vero Clerici conjugati adſcripti ſint alicui Eccleſiæ poſſunt admitti ad divina officia audienda, & celebranda.

9 Non poſſunt admitti excommunicati, & interdicti; nec laici non habentes privilegium quibus cum ſit conceſſum privilegium aſſiſtendi divinis officiis,tenentur diebus feſtis intereſſe Sacro: quia præceptum audiendi Sacrum in die feſto obligat omnes legitime non impeditos, unde poſito privilegio non dicuntur impediti, & ſic eodem præcepto ſubiiciuntur Clerici, & Religioſi; quibus eſt conceſſum intereſſe divinis officiis; qui autem habet privilegium perſolvendi vel audiendi divina officia, poteſt cum ſua familia divinis intereſſe, modo inter eos non adſit aliquis, qui dederit cauſam interdicto, nec ſit aliquis, qui ſe fingat ex familia, cujus nomine veniunt ſervi, & alii, qui comitantur habentem privilegium, quamvis non habitent domi ſecum, modo non ſint aſſumpti in famulatum in fraudem interdicti, aliqui vero nomine familiæ intelligunt Uxorem, filios nepotes, ſervos in illius domo commorantes; unde Sacerdos poteſt ſecum ducere ſuum famulum.

De Tertio effectu interdicti qui eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ.
Cap. 300.

1 Interdictum tam locale, quam perſonale, generale, aut ſpeciale ſimpliciter latum abſque ulla reſtitutione, privat Eccleſiaſtica ſepultura perſonas interdictas, & locum ipſum interdictum; unde tempore interdicti localis non poſſunt Laici; quamvis non interdicti, ſepeliri in loco Sacro interdicto: nec ſunt admittendi ad Eccleſiaſticam ſepulturam excommunicati, & interdicti tempore interdicti localis generalis; Laici vero, qui non ſunt

X 2 per-

perſonaliter interdicti, nec dederunt cauſam interdicto poſſunt tempore interdicti ſepeliri in loco Sacro non interdicto; iſti etiam ſi ex hac vita deceſſerunt in loco interdicto, poſſunt transferri ad alium locum non interdictum, Lajci vero tempore interdicti ſepeliri poſſunt in Campo, vel Cæmeterio ab Epiſcopo deputato non tamen benedicto: nam hæc non dicitur Eccleſiaſtica ſepultura. Qui autem habent privilegium aſſiſtendi divinis officiis poſſunt ſepeliri in loco Sacro, licet in privilegio non exprimatur ſepultura. Licitum eſt etiam tempore interdicti localis generalis ſepeliri Lajcos adultos in iis feſtivitatibus, in quibus celebrari poſſunt divina officia; quia cui communicamus vivo, poſsumus etiam communicare defuncto. Lajcus autem non interdictus, nec cauſam dedit interdicto, tempore interdicti ſepultus in loco non Sacro, ſublato interdicto, exhumari poteſt & ſepeliri in loco, Sacro inam ſublata, cenſura ceſsat illius effectus.

2 Amentes, & infantes tempore interdicti generalis perſonalis non poſsunt ſepeliri in loco Sacro, quia videntur aliquaratione pars Communitatis, nec poſsunt ſepeliri tempore interdicti localis, quia per interdictum locale locus fit incapax ſepulturæ cujuſcumque ſit cadaver: tempore autem interdicti perſonalis ſpecialis poſsunt ſepeliri in loco non interdicto, quia non afficiuntur interdicto ſpeciali.

3 Sepeliens Lajcum interdictum interdicto perſonali generali, non peccat: quia non eſt vitandus, nec incurritur excommunicatio ſi ſepeliatur interdictus, dummodo non ſit ſpecialiter, & nominatim interdictus. Interdictus ab ingreſsu Eccleſiæ, non poteſt in Eccleſia, vel cæmeterio ſepeliri, nec poteſt celebrare, & Sacramenta miniſtrare; immo fieret irregularis, exercendo ordines Sacros in Eccleſia, poſset tamen extra Eccleſiam celebrare, nec poteſt formaliter audire divina officia, nam audiens mortaliter peccat: ſi vero tranſiens per Eccleſiam alio fine, aliquid incidenter audiat non peccat mortaliter, neque peccat ſi in tempore, quo non celebrantur Divina officia ingrediatur Eccleſiam, ibique privatim oret, quia non dicitur audire divina officia, vel illis intereſse, ſecus dicendum, ſi exiſtens extra Eccleſiam audiat miſsam, vel divina officia, quę in Eccleſia celebrantur. Interdictus autem ab ingreſſu Eccleſiæ poteſt recipere ſacramenta in Eccleſia, quando, non celebrantur divina officia, nam is eſt privatus uſu divinorum officiorum non autem uſu Sacramentorum. Idem dicendum de ſuſpenſo ab ingreſſu Eccleſiæ.

4 Clerici non interdicti, qui ſervarunt interdictum, nec dederunt cauſam interdicto poſſunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam ſpecialis ſepeliri in loco etiam ſpecialiter interdicto, ideſt in Eccleſia, vel cæmeterio ſacro, modo hoc fiat ſine ſolemnitate, & ſine ſono campanarum: nomine autem clericorum intelliguntur nō ſolum Clerici initiati aliquo ordine, vel tonſura, ſed etiam religioſi, & Moniales, etiam novitii, exceptis Clericis conjugatis, qui non gaudent privilegiis Clericorum, excluſo privilegio Canonis, & fori, niſi deputati ſint alicui Eccleſiæ, vel ſit conceſſum illis per conſuetudinem.

Utrum interdictus privetur uſu juriſdictionis exterioris. Cap. 300.

1 Interdictus non privatur exercitio juriſdictionis exterioris: quia hæc privatio non numeratur inter effectus interdicti, unde poteſt excommunicare, abſolvere, &c. etiam cum ſolemnitate, poteſt etiam indulgentias concedere, & illas conſequi dummodo ſit in gratia, & præſtet opera præſcripta.

De Peccatis, & pœnis violantium interdictum. Cap. 301.

1 Lajci violantes interdictum locale, vel ſpeciale mortaliter peccant ex ſuo genere, quia faciunt contra privationem cenſuræ in re gravi, vel etiam peccant violando interdictum perſonale, niſi excuſentur ratione parvitatis materiæ, ignorantiæ, vel urgentis neceſſitatis, & ſic lajci interdicti graviter peccant audiendo divina officia in loco interdicto, non autem violantes incurrunt pænas, quia in jure non ſunt expreſſæ. Ligantur tamen excommunicatione lajci, cogentes aliquem celebrare divina officia in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, ut interſint divinis officiis, quæ celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes, ne interdicti exeunt poſtquam fuerint à celebran-

brante admoniti exire, ut etiam excommunicantur ipſi interdicti, qui recuſant exire poſt admonitionem.

2 Clerici tam Seculares, quam Regulares violantes interdictum tam locale, quam perſonale, tam generale, quam ſpeciale peccant mortaliter ex ſuo genere, ſed ratione parvitatis materiæ peccant ſolum venialiter, excuſantur autem ob gravem metum incuſſum à Principe, qui tempore interdicti præcipiat Sacerdoti; ut celebret ſub pæna carceris &c. quando tamen non ſit periculum ſcandali, aut ſi Princeps metum incutiat in contemptum Eccleſiaſticę poteſtatis, aut fidei, vel Religionis, bonum enim poteſtatis Eccleſiaſticæ, fidei vel Religionis præponderat bono propriæ vitæ, tunc autem cognoſcitur, metum incuti ad celebrandum poſt prohibitionem Eccleſiæ, ſi nihil antea curabat de celebratione: unde videtur dirictè facere, ne obediatur Eccleſiæ, ſicut etiam ſi Sacerdos interdictus rariſſime conſueverit ante interdictum celebrare, & poſt interdictum quotidie celebrat: præſumitur id facere in contemptum interdicti.

3 Clerici ſcienter violantes interdictum per exercitium alicujus ordinis Sacri, lucurant irregularitatem, & ſuſpenſionem ab officio, & juriſdictione violando interdictum locale: quod ſi ſit generale violando interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & poſſunt per ſententiam privari beneficiis, & aliis pænis affici. Religioſi autē non ſervantes interdictum locale generale, quando ſervatur ab Eccleſia Cathedrali, ſeu matrice oppidi, ſeu Parochiali, incurrunt ipſo facto excommunicationem, etiam ſi interdictum per exercitium minoris ordinis non eſt ſufficiens ad peccatum mortale, & ad incurrendam Irregularitatem: in quam incurrit Clericus interdictus conferendo Sacramenta; vel non interdictus ſi confert Sacramenta in loco interdicto, ſic Subdiaconus canens ſolemniter Epiſtolam tempore interdicti in loco Sacro; Sic Sacerdos celebrans in loco interdicto, vel miniſtrans in loco interdicto, vel miniſtrans Sacramenta, quæ tempore interdicti non permittuntur, ſic ſit irregularis aſpergendo populum in principio miſſæ cum verſiculo Aſperges aut benedicendo Calicem, paramenta, vel candelas die Purificationis, vel olivas in die Palmarum, ita Epiſcopus incurrit celebrans in loco à ſe interdicto, niſi auferat interdictum, antequam celebret, quia non poteſt auferre effectus poſitos à jure communi.

4 Clericus violando interdictum per aliquam actionem non ſpectantem ad ordinem, vel ad ſuum officium non incurrit irregularitatem. Nec Sacerdos pulſando campanam ad convocandum populum ad miſſam, ſed poſtea non celebret; hic non violat interdictum per exercitium ordinis ſacri, ſed violat per ſonum Campanæ, & ideo mortaliter peccat, nec incurrit ſi pulſavit campanas ad miſſam, ſed poſtea januis clauſis miſſam celebravit nullo allo præſente: Incurrit autem irregularitatem celebrans januis apertis, nam violat interdictum cum exercitio ordinis: Sic celebrans in altari interdicto ſit irregularis, ſicut ſit ſerviens, quando actio eſt functio ordinis, Clericus autem recipiendo Sacramenta interdicto irretitus non ſit irregularis, quia non exercet ordines. Clericus interdictus celebrans in loco interdicto dupiici titulo ſit irregularis, unde in obtinenda diſpenſatione tenetur utramque circumſtantiam aperire. Celebrans in Eccleſia interdicta ſit irregularis, modo ſit denunciata interdicta.

5 Celebrans coram interdicto non incurrit irregularitatem. Clericus communicans cum nominatim interdictis in iis rebus, à quibus ſunt interdicti mortaliter peccat, non autem peccat ſi communicet in rebus humanis: quia in divinis eſt prohibitio, nec ſi communicet cum interdicto non denunciato nominatim.

De Caſibus in quibus incurritur interdictum. *Cap.* 302.

1 Interdictum locale incurritur; Primo, quando Dominus Regni, vel alterius loci impedit ne legatus Summi Pontificis ſuo fungatur officio: in quo caſu loca ipſius impedientis ſubjacent interdicto; Secundo quando Dominus alicujus territorii percutit injurioſe Epiſcopum, aut capit, vel bannit, vel mandat hæc fieri, vel dat conſilium, tunc illius territorium ſubjacet interdicto uſque ad condignam ſatisfactionem, ita illa Civitas remanet privata Pontificali, dignitate, & eidem interdicto ſubjacet Civitas, vel alius locus, detinens aliquem Epiſcopum

pum invitum, vel prædicta fieri mandans, idem dicendum de Civitate, quæ inſequitur Cardinales, vel inſecutoribus conſilium, vel favorem præbet, vel non punit intra menſem hujuſmodi inſecutores, ſi punire poteſt. Excipitur ab hoc interdicto Civitas Romæ. Eodem interdicto ligatur uſque ad reſtitutionem, & condignam ſatisfactionem univerſitas, civitas, collegium, vel locus, qui exigit per ſe, vel per alium ab Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis quidagia, edagia, vel alia de rebus ſuis, quas aſportant, vel important, non cauſa negotiationis, Eodem interdicto quoad ſepulturam tenetur Eccleſia, in qua ſcienter ſepelitur hæreticus; Tertio quando Dominus, vel rector civitatis in qua moritur Papa non præſtat præſcripta in Cap. ubi periculum de elect. in 6 Quarto interdictum locale generaliter incurritur dum Epiſcopus, & alii inferiores Eccleſiaſtici permanent per menſem in excommunicatione, vel ſuſpenſione ob culpam, quam admiſerunt, in concedenda domo manifeſtis uſurariis ad fœnus exercendum: ubi omnes iſtæ terræ per menſem ſubiciuntur interdicto, quandiu uſurarii ibi commorantur. Ob eamdem cauſam interdictum perſonale incurrunt univerſitates, quæ uſurariis alienigenis habitationem concedunt; Quinto quando Clerici regulares vel ſeculares inducunt aliquem ad vovendum, vel promittendum, ut in eorum Eccleſia eligat ſepulturam, vel ſemel electam non immutet: ſi deinde in eorum Eccleſia, vel Cæmeterio præſumpſerint hunc ſepelire, eorum Eccleſiæ, & cæmeteria ſunt ipſo facto interdicta, niſi intra decem dies Eccleſiæ, in qua ille de jure ſepeliendus erat, reſtituant omnia, quæ acceperunt occaſione ſepulturæ, & hoc interdictum perſeverat donec fiat completa reſtitutio omnium.

2 Interdictum perſonale generale incurritur, Primo quando univerſitas concedit ræpreſalia: vel pignorationes contra perſonas Eccleſiaſticas, vel eorum bona, & quando iis conceſſis ab aliis, non revocat conceſſionem intra menſem, nunc prædicta univerſitas incidit in interdictum, Eadem pœna extenditur ad univerſitates imponentes, vel exigentes decimas, taleas ab Eccleſiaſticis, vel bona Eccleſiarum occupantes: hoc caput revocatum fuit à Clemente V. Secundo quando univerſitates, vel Capitula, vel Collegia appellant à ſententiis Summi Pontificis ad futurum Concilium generale; eidem interdicto ſubiacent præbentes conſilium, & favorem in quo caſu non ſolum latum eſt interdictum, ſed etiam excommunicatio; Tertio quando Capitulum Sede vacante intra annum à die vacationis concedit litteras dimiſſorias alicui non arctato ratione beneficii; Quarto perſonaliter ſunt interdicti, qui cauſam culpabilem interdicto locali generali dederunt; Quinto Capitulum, & univerſitas quæ non obſervat conſtitutionem Joann XXII. circa fructus Beneficiorum vacantium; Sexto interdicitur univerſitas permittens uſurarios alienigenas.

3 Interdictum ſpeciale perſonale ab ingreſſu Eccleſiæ incurritur; Primo, quando quis recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu Laici; Secundo in idem incidunt uſque ad factam reſtitutionem Prælati, qui ſibi aliquid uſurpant ex redditibus dignitatis vacantis, aut Eccleſiarum ſibi ſubditarum: Tertio, quando Sacerdos præſumit admittere interdictum, vel excommunicatum publice ad divina officia, vel Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam; incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec competentem præſtiterit ſatisfactionem ad arbitrium illius cujus ſententiam contempſit. Quando quis inferior Epiſcopo, fert cenſuram ſine ſcriptura, vel ſine competente monitione vel abſque expreſſione cauſæ incurrit ſuſpenſionem à divinis officiis; Quinto, quando Epiſcopus in viſitatione aliquid quod ſibi non debetur accipit niſi intra duos menſes duplum reſtituat; Sexto violans interdictum locale ſaltem generale, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; Septimo abſolute interdicti remanent Judices Eccleſiaſtici, qui officiales Romanæ Curiæ, aut alios Romanam Curiam pro ſuis negotiis ſectantes privant ſuis beneficiis, eaque aliis conferunt; Octavo Prælati edentes commentaria in Tridentinum ſunt interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Nono Metropolitanus non deferens intra tres menſes per litteras, vel Nuntium Summo Pontifici ſuffraganeum ultra annum non reſidentem: idem dicendum de ſuffraganeo non deferente Metropolitanum.

De

De relaxatione ab interdicto.
Cap. 303.

1 INterdictum latum ad tempus ſub conditione, elapſo tempore, vel adimpleta conditione ceſſat: quia non ligat ultra intentionem conditoris; Interdictum vero latum abſolute non ceſſat per ſolum temporis lapſum; ſed auferendum eſt per abſolutionem impenſam ab eo, qui illud tulit, vel à ſuperiore, vel ab alio habente facultatem delegatam.

2 Interdictum locale non ceſſat deſtructione, aut refectione ædificiorum loci interdicti, quia non ſolum cenſentur interdicta ædificia: ſed etiam ipſum; unde deſtructa Eccleſia interdicta, non poſſunt in ejus ſolo corpora ſepelliri: interdictum latum in Collegium, ſi moriantur omnes homines illius Collegii, uno ſolo ſuperſtite ligat illum ſuperſtitem, quia ſuperſtes retinet jura collegii, unde etiam ſubiicitur oneribus Collegii. Interdictum poteſt auferri, vel ſuſpendi ab eo, qui tulit interdictum totum, aut quoad aliquos effectus immediatos, quæ cenſura ligat ad nutum, & voluntatem conditoris.

3 Epiſcopus poteſt abſolvere ab interdicto locali poſito à jure non autem à perſonali, quando non ſit occultum: vel etiam publicum ratione privilegii, in *Trid.* cum interdictum perſonale publicum non eſt Summo Pontifici reſervatum: ab interdicto vero poſito ab homine non poteſt abſolvere: unde ab Interdicto lato à Papa tamquam ab homine non poteſt, cum ſit inferior. Parochus non poteſt abſolvere ab interdicto locali, quia locus non eſt materia fori pœnitentiæ, ſed Epiſcopus habens juriſdictionem in foro externo nec Parochus abſolvere poteſt ab Interdicto perſonali; generali quia communitas interdicta ut communitas non pertinet ad forum pœnitentiæ: poteſt tamen Parochus abſolvere ab interdicto perſonali particulari non reſervato; quia ut poteſt ab aliis cenſuris, ſic ab interdicto.

4 Interdictum non eſt ſublatum, quando non ſervatur ab eo, qui tulit interdictum poteſt tamen dari abſolutio interdicti ad cautelam, excepto interdicto locali generali: nomine abſolutionis ad cautelam intelligitur abſolutio cenſuræ, quæ prætenditur nulla, ſeu non ligare: Papa poteſt auferre interdictum per ſolam voluntatem interiorem, quia cenſura non ligat ultra voluntatem legiſlatoris, quod poteſt facere Epiſcopus; ignorantes autem revocationem factam à Papa peccant non ſervando interdictum, ſed non incurrunt irregularitatem, vel alias pœnas.

DE CESSATIONE A DIUINIS.

Quid, & quotuplex ſit ceſſatio à divinis.
Cap. 304.

1 CEſſatio à divinis ita nuncupatur, quia miniſtri Eccleſiæ pro tempore, quo ceſſatio durat ceſſant à publica celebratione divinorum officiorum, & adminiſtratione Sacramentorum, unde ceſſatio eſt omiſſio, & deſiſtentia à divinis officiis ab adminiſtratione Sacramentorum, & ſepultura Lajcorum, vel ceſſatio eſt ſimplex prohibitio qua miniſtri Eccleſiæ prohibentur perſolvere divina officia, miniſtrare Sacramenta, & ſepelire lajcos in loco ſacro: Ceſſatio autem duplex eſt alia generalis, qua prohibentur divina in loco univerſali, ut in Regno: Civitate, &c. alia eſt particularis, qua prohibentur Divina in loco particulari ut in una, vel pluribus. Eccleſiis: quę ceſſatio non eſt cenſura, ſed in multis differt à cenſura; Primo. Ceſſatio fertur per modum ſimplicis prohibitionis ſed cenſura eſt quoddam accidens mortale ligans ſubjectum, in quo fertur; Secundo violanti ceſſationem non eſt impoſita irregularitas, ut eſt poſita violantibus interdictum. Religioſi tenentur ſervare ceſſationem generalem validam, etiam ſi non ſervetur à matrice: à qua ſi ſervetur & à Religioſis non ſervetur, iſti incurrunt in excommunicationem; Tertio tempore ceſſationis non licet celebrare officia, ſicut licet tempore interdicti generalis; Quarto ceſſatio nunquam à jure incurritur ipſo facto, ſed tantum comminatorie fertur, interdictum vero ipſo facto incurritur quando conceditur privilegium audiendi miſſam tempore interdicti, non cenſetur conceſſum privilegium ad audiendam miſſam tempore ceſſationis à divinis, & è contra.

De Cauſa efficiente, formale, materiali, & finali ceſſationis.
Cap. 305.

1 CEſſationem imponere poſſunt Papa, Epiſcopus, capitulum Sede vacante, Concilium Provinciale, & Diœceſanum, & alii poſſunt juxta facultatem ſibi delegatam, vel obtentam per conſuetudinem: forma ferendi ceſſationem hæc eſt. Nos ob talem cauſam Civitatem, vel Eccleſiam abſtinere præcipimus à divinis officiis: in ferenda autem ceſſatione, ſunt reſervandæ aliquæ conditiones; Prima quando capitulum imponit, debent convocari omnes Canonici, & duæ partes debent convenire in imponenda ceſſatione; Secunda, ut delictum propter quod imponitur ceſſatio ſit notorium; Tertia ut admoneatur is, ob cujus culpam ferenda eſt ceſſat'o: ut pareat, & ſatisfaciat; Quarta ut ferens ceſſationem, & ille, contra quem fertur, niſi ſe componant intra menſem, adeant Summum Pontificem per ſe, vel per procuratorem, ne Eccleſia tantum gravamen diu ferat, & propterea ſi imponens ceſſationem Romam non adeat intra menſem, non eſt obligatio ſervandæ ceſſationis poſt menſem, poteſt autem is qui ceſſationem tulit, etiam tranſacto menſe, poſtquam iter ad Pontificem ſuſcepit, tollere ceſſationem: quæ imponitur ob delictum, & culpam, quæ valde gravis eſſe debet, & gravior, quam ſit ea, ob quam ponitur interdictum; licet ad Papam poſtea ſpectet cognoſcere, an culpa ſufficiat, quæ debet eſſe manifeſta, & expreſſa in ipſis litteris in quibus continetur ſententia; quæ debent ſigillo publico communiri, & tradi illi, contra quem fertur ceſsatio, monendo illum, num velit ante ceſsationem emendari, finis remotus ceſsationis eſt emendatio illius, cujus cauſa lata eſt ceſſatio.

De effectibus Ceſſationis
Cap. 306.

1 PRimus effectus ceſsationis eſt, ut tempore ceſsationis tam generalis, quam particularis, abſtineatur à divinis officiis publice recitandis: quia receptum eſt conſuetudine, ut magis ceſsetur à divinis tempore ceſsationis, quam interdicti; quare non licet tempore ceſſationis, celebrare divina officia in feſtivitate Nativitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, nec aliter uſu, aut conſenſu Doctorum receptum eſt, & ſic tempore ceſsationis non eſt licitum pulſare campanas niſi ad concionem, ad orationem Angelicam, & ad alia, quæ non ſunt divina officia, niſi aliter conſuetudo poſtulet.

2 Licitum eſt; Primo, tempore ceſſationis generalis, vel particularis; ſemel in hendomada celebrare cum uno miniſtro ad renovandam Euchariſtiam ob neceſſitatem infirmorum, ne ſpecies putrefiant; Secundo licitum eſt recitare privatas orationes; etiam in Eccleſia, nec Beneficiarius eximitur à recitandis privatim horis Canonicis, etiam nomine Eccleſiæ; immo aliqui ſentiunt, poſſe binos, vel ternos voce ſubmiſſa, clauſis januis, & ſine cantu, recitare horas Canonicas, quia videtur officium privatum, ſicut ſit extra Eccleſiam, & ſicut Clerici prohibentur celebrare: ita etiam Lajci prohibentur audire: nam ceſſatio ponitur pro Clerico, & pro populo: immo ſi Clericus celebraret ex privilegio, Lajci tenerentur abſtinere ab audiendis, ſi ipſi quoque non eſſent privilegiati.

3 Secundus effectus ceſſationis eſt privatio Sacramentorum; nam tempore ceſſationis Sacramentum ordinis, aut extremæ unctionis, non confertur Laicis, aut Clericis, ſed Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ adminiſtrantur cum ſolita ſolemnitate, ob neceſſitatem eorum, & ſic Sacramentum Confirmationis, quod cenſetur complementum Baptiſmi. Sacramentum vero Euchariſtiæ ægrotantibus ſolum confertur per modum viatici: & ſic tempore ceſsationis licitum eſt celebrare pro communicando infirmo, verum in rigore juris, licitum eſt ſolum miniſtrare parvulis Sacramentum Baptiſmi, & Sacramentum Pœnitentiæ morientibus, cum ſint Sacramenta ad Salutem neceſsaria, nec eſt licitum tempore Ceſsationis contrahere matrimonium.

4 Tertius effectus ceſsationis eſt privare Laicos ſepultura ſacra ſaltem quoad divina officia, etiam quoad eos, qui habent privilegium ſepulturæ pro tempore interdicti, quia ita uſu, & praxi receptum eſt, Clerici autem ex benigna interpre-

pretatione non privantur ſepultura, modo ſepeliantur ſine divinis officiis, licet in rigore non conſtet in jure hoc conceſſum eſſe Clericis, præciſis autem à Divinis officiis, probabile eſt, licitum eſſe tempore ceſſationis ſepelire cadavera in loco Sacro, quia nullibi probatur id vetitum eſſe qui tres effectus non poſſunt minui ab Epiſcopo, quia ſunt ex jure communi, cui non poteſt Epiſcopus, vel alius inferior Pontifice derogare, & licet Epiſcopus poſſit tollere ceſſationem quoad omnes effectus, non tamen poteſt ſuſpendere quoad aliquem tantum, vel unum effectum tollere, aliis remanentibus, nam ceſſatio habet ſuos effectus connexos.

5 Graviter peccant violantes ceſſationem generalem, vel particularem, non autem incurrunt irregularitatem, ſed Religioſus, etiam exemptus incurrit excommunicationem non ſervando ceſſationem generalem, quæ ſervatur ab Eccleſia Cathedrali, vel à Parochiali, Religioſi etiam ex *Conc.* tenentur in ſuis Eccleſiis publicare, & ſervare ceſſationem ab Epiſcopo impoſitam.

6 Ceſſatio ſervanda eſt, licet non ſervetur ab eo, propter quem fuit impoſita. non enim debet reportari commodum ex alterius delicto, ſic etiam ſervanda eſt, licet non ſervetur ab eo, qui eam tulit: ille autem, qui poſt monitionem dedit cauſam juſtæ ceſſationis, tenetur ad reficienda omnia damna Clericis, qui coacti fuerunt ſervare ceſſationem, & diſtributiones amiſerunt, vel alia damna paſſi ſunt; ſicu tetiam tenetur ad reſtitutionem damni, qui injuſte ceſſationem tulit.

7 Debet autem ceſſatio tolli ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus ſuperiore, vel ſucceſſore, vel ab habente facultatem delegatam.

De Irregularitate.

De Illis quæ pertinent ad irregularitatem in genere. Cap. 307.

1 IRregularitas deſumitur ab in, & regula, quia irregularis caret regula, & non eſt intra regulam ab Eccleſia præſcriptam: ad incurrendam vero irregularitatem requiritur ut ſubjectum ſit capax irregularitatis, & ordinis, unde, fæmina non poteſt dici irregularis, cum non ſit capax ordinum; nec infidelis, qui nondum recepit Baptiſmum cum ſit incapax ordinum, cum non habeat Baptiſmum, qui eſt janua; & propterea Epiſcopus non afficeretur cenſura, ordinando infidelem, aut feminam, aut alium ſimpliciter incapacem ordinis, ſi cenſura lata eſſet contra ordinantem irregularem, quia non ordinat irregularem, ſed alia ratione incapacem, quia non eſt vera ordinatio, ſed apparens.

Quid, & quotuplex ſit irregularitas. Cap. 308.

1 IRregularitas eſt Canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quod directe impedit ſuſceptionem ordinum Eccleſiaſticorum, aut eorum uſum ob reverentiam divinorum: inducta eſt autem Irregularitas jure Canonico, non jure divino, & propterea non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis: Jus autem Canonicum eſt conforme juri naturali, quatenus ratio dictat non eſſe admittendos ad ordines, qui debita corporis integritate carent, aut alio laborant defectu, aliquam cum ordinibus repugnantiam habente, differt autem à cenſuris, quæ alia ratione privant uſu, & ſuſceptione ordinum; nam irregularitas non eſt cenſura, cum cenſuræ ſemper contrahantur ex aliquo delicto, irregularitas vero non ſemper, finis Cenſuræ eſt emendatio delinquentis, ſed irregularitatis eſt reverentia divinorum, & cenſuræ non ſemper ſunt à jure, irregularitas ſemper. Non omnis autem irregularitas, quæ impedit ſuſceptionem ordinum, impedit eorum uſum, nam aliqua irregularitas imdit ſuſceptionem ordinum, non impedit eorum uſum, nam irregularitas etiam diſtinguitur à degradatione; per quam Clericus dejicitur è ſtatu Eccleſiaſtico: per irregularitatem vero non admittitur ad ſtatum Eccleſiaſticum, turpius autem eſt eiici, quam non admitti.

2 Irregularitas impedit ſuſceptionem Primæ tonſuræ: quia licet tonſura, ſi ejus nomen ſtricte accipiatur, non ſit ordo, ſed diſpoſitio ad ordines, tamen in jure Canonico intelligitur nomine ordinis.

3 Irregularitas duplex eſt, una ex defectu;

Digitized by Google

ctu, vel indecentia, quæ provenit abſque culpa, alia dicitur ex facto, ſeu delicto ut ex homicidio. Multæ autem ſunt ſpecies irregularitatis ex defectu; Prima dicitur ex defectu animi, Secunda ex defectu corporis; Tertia ex defectu natalium; Quarta ex defectu ætatis, & libertatis; Quinta ex defectu Sacramenti ideſt bigamia; Sexta ex defectu levitatis, ideſt ex homicidio licite patrato, ſic multæ ſpecies ſunt irregularitatis ex delicto; Prima dicitur ex iteratione Baptiſmi; Secunda ex actu infidelitatis, aut hæreſis; Tertia ex indebita ſuſceptione, & uſu ordinis; Quarta ex infamia; Quinta ex homicidio illicite patrato de quibus ſingulis infra differemus.

De Cauſis irregularitatis. Cap. 309.

1 SUmmus Pontifex eſt cauſa efficiens irregularitatis, quam induxit, & per ſacros Canones expreſſit, & propterea, aſſeritur, nullam irregularitatem ad eſſe, niſi ſit in jure expreſſa; nomine autem juris: intelligitur jus Canonicum: poteſtas autem ferendi jus Canonicū pertinet ad Summum Pontificem, nomine autem juris non ſolum veniunt corpus Juris; ſed etiam Bullæ Pontificiæ, Concilia generalia à Summo Pontifice probata, unde ſequitur, Epiſcopum, alioſque Pontifici inferiores non poſſe irregularitatem ferre, cum ad ipſos nō pertineat jus commune ferre, & irregularitas nulla eſt, niſi ſit in jure expreſſa: negandum tamen non eſt, quia Pontifex poſſit irregularitatem per ſententiam, ſeu ab homine ferre, quia ipſe juri communi derogare poteſt. Nulla etiam irregularitas admittenda eſt per ſolam DD. auctoritatem teſtantium de conſuetudine, cum non ſit in jure expreſſa. Nec irregularitas incurritur ob æqualem ſimilem, vel majorem cauſam, ob quam inducta eſt in alio ſimili, æquali, vel majori caſu, quia non eſt in jure, irregularitas autem ſecum ſuos trahit effectus abſque judicis ſententia, & executione, nam eſt ſimilis cenſuræ, & ipſo facto inhabilem reddit ad ſuſceptionem, & executionem ordinum.

2 Subjectus in quo cadit irregularitas eſt omnis homo capax ordinis, ſubditus juri communi, cum ſit privatio, ſeu impedimentum ad recipiendos ordines, & propterea infideles, & fœminæ non ſunt irregulares, quia non habent capacitatem ordinum: ſed tam Laici, quam Clerici ſunt ſubjecti capaces irregularitatis. Sic etiam Epiſcopi, & Cardinales ligantur irregularitatibus in jure expreſſis, nam ſubiiciuntur juri communi; etiam ſi ipſorum mentio non fiat; non autem Pontifex afficitur irregularitate quia non eſt ſubditus juri communi nam non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam, & propterea qui in Summum Pontificem eligitur, dum vinculo irregularitatis detinetur, non poteſt illi cenſuram, vel irregularitatem obiici: ſed ſtatim immunem, & liberum ab omni Canonico impedimento judicandum eſſe; quia ſtatim deſinit eſſe ſubjectum juri Canonico quoad vim coactivam.

3. Aliquæ regulę ad cognoſcendum an verba ſufficienter exprimant irregularitatem traduntur à D. D. Prima autem, & præcipua hæc eſt, quoties *homo impeditur, ne ad clericatum promoveatur vel ne ad ordines admittatur etiam peracta pænitentia inducitur irregularitas, ut ſi dicatur, Nunquam ordinetur, vel ad Clericatum non promoveatur vel non aſpiret ad ordines, vel non fiat Clericus aut non poteſt eſſe Clericus, vel ad ſacros ordines aſpirare non audet vel non poteſt eſſe in numero Sacerdotum, vel non poſſunt ſecundum Canones Sacerdotii jura concedi ex quo* colligitur differentia inter irregularitatem, & ſuſpenſionem, nam Irregularitas directe privat ſuſceptione Clericatus, & ordinum, ſuſpenſio vero privat uſu, & exercitio ipſorum ordinum. Secundo patet, illum cenſeri irregularem, qui commiſit aliquod delictum: cui adjuncta eſt depoſitio ipſo jure: nam hęc pæna includit etiam inhabilitatem ad ordines. Tertio patet non eſſe determinata verba, quibus Irregularitas imponatur, cum variis verbis ſignificari poſſit, & ex circumſtantiis aliquando collegi debent, ut eſt *Sacerdotio privatus*.

Quid requiratur ad incurrendam Irregularitatem. Cap. 310.

1 AD Irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis, quod non requiritur ad incurrendam Irregularitatem ex defectu, nam non videtur

tur neceſſaria ulla culpa, ut patet ex multis irregularitatibus, quæ ex ſolo defectu contrahuntur. Ex delicto autem irregularitas non incurritur propter ignorantiam probabilem; quæ ſicut excuſat à culpa, ſic excuſat à pæna. Nec incurritur ab amente, vel dormiente, occidendo aliquem: quia illa actio non eſt humana, conſequenter non ſufficit ad inducendam Irregularitatem: ad quam incurrendam requiritur etiam actus externus conſummatus, unde irregularitas in homicidio contrahitur, quando eſt ſecuta mors, & mutilatio, & propterea actus internus non ſufficit ad incurrendam Irregularitatem: quia non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ. Ita etiam excommunicatus occulte celebrans incurrit Irregularitatem, nam exercet actum externum conſumatum prohibitum ſub irregularitate.

De effectibus irregularitatis.
Cap. 311.

1 IRregularitas impedit ſuſceptionem ordinis, & primę Tonſurę ſicut etiam Impedit ordinum uſus, & officium: tamen ordines collati Irregulari ſubſiſtunt, & ſunt validi: quia aliud eſt impedire, & inhabilem reddere, & aliud facere incapacem juxta illud (Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent,) ſecus dicendum de prima tonſura hæc enim irritari poteſt ab Eccleſia quia pendet ab inſtitutione Eccleſiæ: irregularitas autem impedit exercitium omnium ordinum ſuſceptorum quando irregularitas eſt totalis: nam quando ſolum eſt partialis prohibet ſolum illum actum, cui ponit impedimentum, ut accidit in irregularitate ex defectu corporis contracta poſt ſuſceptionem ordinum, cum qua irregularis poteſt exercere functiones ordinum, ad quos non eſt inhabilis, unde ſi alicui poſt ſuſceptum Sacerdotalem ordinem amputetur digitus, non propterea remanet irregularis, & inhabilis reſpectu omnium functionum Sacerdotalis ordinis ut reſpectu abſolutionis, promotionis ad beneficium, ad Canonicatum.

2 Irregularis ſuſcipiendo, vel exercendo ordines non contrahit novam irregularitatem: quia non eſt jure expreſſa: peccat tamen mortaliter, quia facit contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, etiam ſi primam Tonſuram ſolum ſuſcipiat. Nec irregularis prohibetur exercere quoslibet actus ſacros nam non prohibetur exercere eos; qui per Lajcum præſtari poſſunt, nam privatur ſolum actibus, qui ſunt proprii ordinatorum unde poteſt percipere Sacramenta excepto ordine, poteſt inſervire Miſſę, baptizare ſine ſolemnitate, eligi ab beneficium, actus juriſdictionis exercere, &c. non tamen poteſt celebrare, aut ſe ipſum communicare: quia eſt actus ordinis Sacerdotalis.

3 Irregularitas licet occulta facit hominem incapacem beneficii, unde invalide recipit beneficii collationem, nec illud poteſt retinere, niſi obtenta diſpenſatione Irregularitatis, & curaverit beneficium ſibi de novo conferri; nec poteſt fructus beneficii percipere, nec alios actus adminiſtrationis, qui ſunt adnexi beneficio exercere, cum invalide beneficium receperit; ſi vero irregularitas ſequatur poſt obtentum beneficium, non privat ipſo facto beneficiatum beneficio, ſed privandum: & propterea beneficiatus, qui incidit in irregularitatem poſt beneficii conſecutionem, poteſt reſignare beneficium in favorem alterius: quia adhuc habet titulum, & jus nec tenetur reſtituere fructus beneficii, ſi muneri ſuo ſatisfecit per ſe, vel per alium. Quando autem beneficiatus lapſus eſt in Irregularitatem, nec per alium ſupplere poteſt, nec irregularitatis diſpenſationem obtinere, tenetur beneficium in manibus ſuperioris reſignare: quia non poteſt beneficium cum ſuæ, vel aliorum ſalutis diſpendo retinere: niſi aliud gravis neceſſitas ſuadeat. Irregularis autem ob homicidium privandus eſt beneficio, non penſione; quæ ſtricte loquendo non venit nomine beneficii.

4 Irregularis videtur incapax juriſdictionis ordinariæ, non delegatæ nam eſt incapax omnium, quibus competit Juriſdictio ordinaria, delegatæ vero non eſt incapax; quæ non fundatur in beneficio. Confeſſio autem facta Irregulari eſt valida: quando non ſit facta irregulari denunciato, qui eſt vitandus; ita etiam valida eſt abſolutio collata ab irregulari denunciato, pænitenti neſcienti illum eſſe irregularem denunciatum, cum nihil deſit ex parte pænitentis.

Utrum

Utrum aliquis in dubio judicandus ſit Irregularis. Cap. 312.

1 DUbium duplex eſt, ſcilicet juris, & facti, Juris eſt quando quis ignorat legem continentem irregularitatem, facti vero cum ignoratur an factum ſit prohibitum ſub irregularitate: & propterea in dubio juris nullus eſt judicandus irregularis, quia lex non obligat ſubditos, quoties non eſt illis ſufficienter propoſita, qui autem habet dubium facti homicidii judicandus eſt irregularis, quæ regula ſolum valet in dubio facti homicidii, qui autem in dubio juris de irregularitate homicidii, vel de aliqua cenſura ſuſcepti ordinis mala fide; eo quod non adhibuerit debitam diligentiam ad veritatem inquirendam, poteſt poſt adhibitam debitam diligentiam ordines exercere, quamvis adhuc dubium perſeveret, quia verſatur adhuc in dubio juris, in quo nullus cenſendus eſt irregularis, tamen peccaſſet propter periculum, cui ſe expoſuit nõ adhibendo prius debitam diligentiam ad cognoſcendum, num lata eſſet irregularitas: cum tamen propter hoc peccatum non ſit impoſita cenſura, vel irregularitas, ſequitur ipſum non teneri abſtinere ab exercitio ordinum, adhuc enim verſatur in dubio juris. Ille cenſetur irregularis, qui fœminæ gravidæ præbuit pharmacum ad abortiendum fœtum, ſed dubitat an fœtus eſſet animatus; hic enim verſatur in dubio facti circa homicidium, ſic qui conſuluit homicidium, & dubitat utrum ſuo conſilio operatus ſit circa homicidium tenetur tamquam irregularis, quia verſatur in dubio facti circa homicidium.

De irregularitatibus pertinentibus ex defectu.

De irregularitate ex defectu animi. Cap. 313.

1 DEfectus animi inducens irregularitatem triplex eſt. Primus eſt defectus uſus Rationis, Secundus litteraturę, Tertius fidei; Carentes igitur uſu rationis quales ſunt amentes, non ſolum ſunt jure humano irregulares, ſed etiam jure divino & naturali ſunt inepti ad ſuſcipiendos ordines. Defectus ſcientiæ prohibet ſuſceptionem ordinum, ſed non facit irregularitatem, nec poteſt Summus Pontifex diſpenſare cum omnino illiterato, ut ordines recipiat, quia non poteſt diſpenſare in jure naturali; poteſt tamen diſpenſare, quatenus hoc impedimentum eſt à jure humano inductum, nam hæc inhabilitas non ſolum inducta eſt jure humano ſed etiam jure naturali, dictante omnino illiteratos non eſſe admittendos ad ordines; ſcientia autem, quæ requiritur ad ordines ſuſcipiendos habetur ex. *Trid. ſeſſ.* 23. c. 2. 4. Initiandus prima tonſura debet eſſe confirmatus, & calleat rudimenta fidei, ſciatque legere, & ſcribere; ſuſcepturi minores ordines debent tenere linguam latinam: ad Diaconatum, & Subdiaconatum promovendi debent habere inſtructionem eorum, quæ pertinent ad eos ordines exercendos: ad Presbiteratum vero requiritur, ut habeat eam ſcientiam, qua poſſit docere Populum, & adminiſtrare Sacramenta, Ad Epiſcopatum, ut ſit doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel in jure Canonico, vel ut publico teſtimonio conſtet, ipſum eſſe aptum ad alios docendos.

2 Neophyti ſunt irregulares, & ſunt illi, qui ex Lege Judaica, Maumeticha, vel Ethnica nuper converſi ſunt ad fidem Chriſtianam in adulta ætate, qui vero ab infantia Baptiſmum ſuſcepit non dicitur Neophytus quamvis deſcendat ab avo, vel patre Neophyto, vel Judæo, vel Saraceno, nec ille dicitur Neophytus qui ab hinc decem annis, vel eo amplius Baptiſmum ſuſcepit. Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in ſuperbiam, ſed ſi non deeſt humilitas competens Sacerdotio, ubi cauſa non hæret, vitium non imputatur; Epiſcopus autem promovere poteſt eum, quem poſt aliquam temporis dilationem à die ſuſcepti Baptiſmi, judicat habilem, & idoneum ad ordines, nec tunc diſpenſat in irregularitate, ſed declarat irregularitatem ceſſaſſe jura enim certum tempus non præſcribunt. Non autem poteſt Epiſcopus recenter Baptizatum admittere ad ordines, quia neceſſaria eſt aliqua dilatio temporis, alioquin diceretur ordinare Neophytum; etiam ſi Neophytus magnis virtutibus ornatus ſit; ſecus ſi id fiat de conſenſu Papæ, qui etiam poteſt diſpenſare cum Neophyto ad ordines, beneficia, & officia publica.

De

Digitized by Google

De irregularitate provenient ex defectu corporis.
Cap. 314.

1 ILle deffectus, ſeu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit uſum, & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem; quale vitium eſt naſi amputatio, aut privatio unius oculi, aut inſignis macula in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem; Non eſt autem irregularis qui caret uſu oculi dexteri, ſed habeat utrumque oculum, nec qui habet intuitum brevem vel qui non videt ſine conſpiciliis, ſecus dicendum de eo, qui non ſolum caret intuitu, vel etiam oculo, aut qui caret lumine oculi ſiniſtri, qui dicitur oculus Canonis: non autem eſt irregularis qui habet maculam in oculo non generantem deformitatem: ſecus ſi generat, vel habet oculos generantes deformitatem. Aſciſſio naſi inducit irregularitatem, ſic ſi ſit diſtortus, & magnus, ut inducat deformitatem.

Labia corroſa, vel abſciſſa inducunt irregularitatem, vel qui nodum linguæ ita patitur, ut verbum integrum vix poſſit exprimere. Carens dentibus non eſt irregularis, ſecus ſi dentes promineant extra os.

Surdus utraque aure, ut nullo modo poſſit audire eſt irregularis, nec poteſt promoveri ad Sacerdotium: carens auriculis non eſt irregularis, quando poteſt deformitatem auferre, ſeu celare capillorum velamine. Gibboſus non eſt irregularis niſi adſit deformitas, vel non poſſit ſe erigere aut ſtare recto capite.

Monſtruoſus eſt irregularis habens duo capita, quatuor manus, &c. non autem ſunt Ethiopes; vel viri grandioris, vel exiguæ ſtaturæ, niſi Epiſcopus aliter judicet ſic nec habens ſex digitos; quoties ſuperfluus non impediat uſum aliorum, vel quando index, & pollex ſub communi unge exiſtunt.

Herma froditus eſt irregularis, nec profeſſionem facere poteſt in religione nec virorum, nec mulierum, ob periculum ſcandali, & libidinis, quare repellitur ab ordine & profeſſione.

Qui habent crura diſtorta non ſunt irregulares modo deformitas tegi poſſit auxilio veſtium: ſed eſt irregularis, qui caret aliquo pede: vel indiget baculo, ſine quo non poteſt accedere ad altare.

Qui caret indice, vel pollice eſt irregularis, vel caret parte indicis, vel pollicis, ſecus dicendum de eo, qui caret ungue indicis vel pollicis niſi pariat deformitatem.

Laborantes febri continua ſunt irregulares. ſecus ſi ad tempus, vel non impediat celebrationem, ſunt autem irregulares laborantes gravi morbo capitis, vel dolore; ſic laborantes morbo Gallico, qui foris appareat, ſic laborantes lepra vel multa ſcabie ſunt irregulares quamdiu durat, ſic laborante peſte.

Laborantes morbo caduco ſunt irregulares, nec poſſunt ad ordines promoveri: poſſunt tamen ordines ſuſceptos miniſtrare, modo liberati fuerint.

Amentes, & furioſi habitualiter ſunt irregulares: nec poſſunt abſque approbatione Summi Pontificis, cui conſtet de ſanitate mentis recuperata celebrare etiam ſi omnino liberati ſint: non autem ſunt irregulares qui levem quandam mentis alienationem, vel vertiginem habent animi, vel quid ſimile; qui non ſunt mente habitualiter, nec poteſt Epiſcopus in irregularitate ob amentiam contractam diſpenſare ad ordines ſuſcipiendos, poteſt autem tranſacto anno ab amentia vel judicio prudentis, circa uſum ordinum antea ſuſceptorum diſpenſare, ſeu potius conſentire, & declarare ſublatum eſſe impedimentum.

Demoniaci obſeſſi à Dœmone; vel ſemel obſeſſi ſunt irregulares: nec poſſunt ordines ſuſcipere, nec ſuſceptos exercere, quamvis modo libertati ſint: ſed ſi fuit à Dœmone obſeſſus poſt ordines ſuſceptos, poteſt ordines exercere ex diſpenſatione Epiſcopi, modo conſtet ipſum à Dœmone ſpatio unius ani nō fuiſſe vexatum & liberatus poteſt ad ordines minores promoveri, non ad ſacros; ſi vero maleficiati qui ratione maleficii perpetui ſunt inhabiles ad matrimonium, non ſunt inhabiles ad ordines: addo non ſolum oppreſſi à Dœmone ſunt irregulares, ſed etiam qui ſe demoniacos ſimulant.

2 Licet defectus, qui reddit hominem inhabilem ad uſum ordinum, reddat etiam inhabilem ad ſuſceptionem, tamen ſi ſuperveniat ordinibus jam ſuſceptis non ſemper reddit hominem inhabilem ad uſum

illo-

illorum: ut ſi Sacerdoti ſuperveniat amputatio pollicis, vel indicis: licet inhabilis ad celebrationem miſſæ poteſt tamen confeſſiones audire: & exercere ordines Diaconi & Subdiaconi: ita etiam ſi poſt ſuſceptum Sacerdotium fit abſtemius, ita ut vinum non bibat, vel illud evomat, vel alio modo patiatur vomitum, non poteſt ad Sacerdotium admitti: quia ſacrificium miſſæ ſub utraque ſpecie fieri debet, nec poteſt peragi ab abſtemio propter periculum vomitus in ſumendis ſpeciebus. Habens item defectum corporis impedientem ſuſceptionem Sacerdotalis ordinis non poteſt admitti ad reliquos ordines, nam exiſto defectu fit irregularis: ergo non poteſt ad ullos ordines, promoveri.

3 Carentia alicujus membri vel partis etiam occulti ſi propria culpa contigat inducit irregularitatem, licet ea membri privatio non impediat uſum ordinis, neque notabilem afferat defformitatem, ſecus dicendum, quando ea membri carentia contingit abſque propria culpa, non impedit executionem ordinis, neque notabilem deformitatem habet adjunctam: & propterea privatio alicujus membri occulta, quæ contingit abſque propria culpa non inducit irregularitatem, modo non ſit conjuncta cum deformitate: nam non eſt in jure expreſſum, ſecus dicendum, ſi quis ſibi virilia amputavit, vel permiſit amputari abſque juſta cauſa, nam non poteſt ordines ſuſcipere, nec ſuſceptos exercere. Secus ſi ex juſta cauſa amputari permiſit, nec tenetur teſtes abſciſſos, vel eorum cineres ſecum deferre, ut falſo putat vulgus.

4 Qui per infirmitatem amiſit digitos pedum, aut virilia, vel curavit abſcindi propter ſanitatem, vel qui digitum manus non neceſſarium ad Euchariſtiam, vel ad faciendum ſignum Crucis in infirmitate amiſit, aut paſſus eſt ab inimicis per vim abſcindi, facta debita diligentia, & non inducatur deformitas, non eſt irregularis. Eſt autem Irregularis, cui abſciſſa ſunt virilia in pœnam delicti; vel virilia, vel teſtes amputavit, aut permiſit amputari cauſa cantus, vel etiam cauſa caſtitatis, nam eſt illicitum etiam ob caſtitatem ſe hoc modo ſecare, nam non eſt medium ad caſtitatem immo ſecti, majoribus vexantur ſtimulis carnis: ſic eſt irregularis qui ſibi membrum vel membri partem digitum, vel partem digiti ex indignatione vel impotentia abſcidit, licet non oriatur deformitas, vel impedimentum ad celebrandum: quæ irregularitas eſt potius in ducta ex injuſta ſævitia in ſe ipſum ſeu potius ex delicto, quam ex defectu. Non autem eſt irregularis, qui ſe ipſum ex indignatione vulneravit, vel dentem extraxit quia vulnus nullum induxit corporis defectum, ut ſuppono; & dens non eſt membrum, aut membri pars.

5 Ad Pontificem pertinet diſpenſare in irregularitate proveniente ex defectu vel ex deformitate, vel ex infirmitate, niſi forte conjuncta ſit cum impedimento juris naturalis; Ad Epiſcopum vero pertinet judicare utrum defectus vel deformitas inducat irregularitatem.

De irregularitate ex defectu natalium proveniente. Cap. 315.

1 Illegitimus quamvis occultus eſt irregularis, & expedit arceri ab ordinibus. Primo in deteſtationem delicti à parentibus commiſſi; Secundo propter periculum incontinentiæ in prole ex imitatione paterna. Non autem cenſentur filii Illegitimi nati ex matrimonio invalide contracto ob occultum aliquod impedimentum, ſed uterque contrahens, vel unus eorum bona fide ex probabili juris: vel facti contraxit coram Parocho, & teſtibus legitimi etiam cenſentur filii nati ex Infidelibus qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundum leges eorum, ſed invalidum ſecundum leges Canonicas nam iſti filii orti ſunt ex matrimonio valido, quod non diſſolvitur per eorum converſionem ad fidem, niſi ſit invalidum propter impedimentum juris naturæ, aut propter impedimentum inductum à Principibus: ſic etiam filius genitus à Parentibus, qui matrimonium invalide contraxerunt non tenetur ſe tamquam irregularem gerere, niſi ei conſtet de mala fide parentum, nam in dubio non debet præſumere parentes deliquiſſe, neque tenetur credere Matri aſſerenti illum eſſe illegitimum; niſi rationibus convincatur, ut ſi uterque parens idem affirmet, vel ſi mater etiam cum juramento affirmet, vel in mortis articulo afferat.

2 Illegitimus fit legitimus per ſubſequens matrimonii, & fit habilis non ſolum ad ſucceſſionem hæreditariam, & dignitates ſecu-

lares,

Digitized by Google

lares, ſed etiam fit idoneus ad ordines, & Eccleſiaſticas dignitates excepto Cardinalatu, quia matrimonium ſequens purgat omnia præcedentia, modo parentes tempore conceptionis, vel nativitatis habiles eſſent ad contrahendum matrimonium nec haberent aliquod impedimentum dirimens matrimonium; Quando autem aliquis contracto & non conſumato matrimonio, profeſſionem emiſit in approbata religione, eaque emiſſa priorem conjugem carnaliter cognovit, & ex ea ſuſcepit prolem, quæ eſt illegitima, & conſequenter irregularis, cum non ſit ſuſcepta ex legitimo matrimonio, quod fuit diſſolutum per profeſſionem.

3 Filius ex poſitus, cujus parentes ignorantur præſumendus eſt illegitimus, & irregularis quia in hujuſmodi caſu adſunt conjecturæ tam vehementes, ut fere certo conſtet expoſitum eſſe illegitimum, cum filii legitimi non ſoleant exponi.

4 Illegitimus peccat mortaliter recipiendo ordines abſque diſpenſatione cum faciat contra prohibitionem Eccleſiæ, non autem incurrit novam pænam cum non ſit in jure expreſſa, ſed repellitur ab executione ordinis.

5 Irregularitas proveniens ex illegitimitate tribus modis auferri poteſt. Primo per legitimationem ſive legitimatio fiat beneficio juris Canonici, ſive ab homine unde legitimatus à Papa cenſetur factus habilis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates & alia omnia, ad quæ ſe extendit poteſtas legitimantis; legitimatus vero à Comite Palatino non eſt habilis ad beneficia, vel ordines: quia non habet auctoritatem circa dignitates Eccleſiaſticas, ſicut non habet Imperator, vel aliquis Princeps ſecularis. Secundo per profeſſionem, unde illegitimus per profeſſionem fit habilis ad ordines, licet non fiat habilis ad Prælaturam, ſive ſit religioſus, ſive monialis, nec fit habilis ad ſucceſſionem paternæ hæreditatis; quia nullo textu hoc probari poteſt. Tertio per diſpenſationem, ſicut enim Irregularitas, eſt à ſuperiore inducta ita etiam poteſt à ſuperiore per diſpenſationem auferri, quæ diſpenſatio ſtricte interpretanda eſt quia diſpenſatus ad ordines, non cenſetur diſpenſatus ad ordines ſacros, niſi aliud ex circumſtantiis colligatur de mente Pontificis: & diſpenſatus ad beneficium; ſic etiam diſpenſatus ad aliquem ordinem certum non cenſetur diſpenſatus ad ordinem ſuperiorem: ſed ad alium, qui fuit expreſſus ad ordinem inferiorem; ſic diſpenſatus ad beneficium ſimpliciter, non cenſetur diſpenſatus ad beneficium curatum, & diſpenſatus ad dignitatem Eccleſiaſticam, non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum.

6 Epiſcopus, & alii juriſdictionem Epiſcopalem habentes, non poſſunt cum illegitimo diſpenſare ad majores ordines, ad dignitatem, & ad beneficium curatum: ſed poſſunt diſpenſare ad ordines minores, & ad beneficium ſimplex, non requirens ordinem ſacrum: quia hæc irregularitas connumeratur communiter inter Irregularitates ex defectu, *Trid.* autem non conceſſit facultatem Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus provenientibus ex defectu; ſed in provenientibus ex proprio delicto occulto: inſuper illegitimus recipiens ordines eſt ſuſpenſus ab ipſorum executione, & hæc ſuſpenſio eſt ex defectu & conſequenter Epiſcopus non poteſt in ea diſpenſare.

De Irregularitate ex defectu ætatis, & libertatis. Cap. 316.

1 Defectus legitimę ætatis requiſitę ad ordines inducit Irregularitatem: quandiu defectus durat, & propterea exercens functiones ſacri ordinis, non adepta legitima ætate, fit novo titulo Irregularis, ob violationem ſuſpenſionis per exercitium ordinis ſacri.

2 Defectus libertatis, inducit Irregularitatem in pluribus caſibus. Primo in Conjugatis; qui non admittuntur ad ordines ut dictum eſt in impedimento ordinis ad matrimonium, non tamen ſunt Irregulares licet habeant filios legitimos, vel illegitimos. Secundo in mancipiis, quæ ſunt omnino deſtituta libertate: quia non decet ſeruum ob vilem conditionem evehi, & promoveri ad dignitatem Sacerdotalem unde quamdiu ſunt ſervi impediuntur ne ordines ſuſcipiant: quando autem ſervus ordinatur de conſenſu tacito, vel expreſſo Domini fit liber, etiam ſi initiatus ſit prima Tonſura, ſi vero ſit initiatus abſque Domini conſenſu minoribus ordinibus adhuc manet ſervus; ſecus ſi ſit initiatus majoribus ordinibus ſine Domini conſenſu,

ſenſu, aquirit libertatem, ſolvendo Domino prætium, vel tradendo alium ſervum in ſui locum: aliter adhuc compellitur inſervire in iis rebus, quæ non dedecent ordinem ſuum Epiſcopus autem, qui ſeruum ſine conſenſu Domini ſcienter ordinavit peccavit mortaliter: & tenetur ſatisfacere Domino, reſtituendo illi duplicatum prætium, aut duos ſervos, non autem ante Judicis ſententiam: & ſi Epiſcopus ſeruum bona fide promovit ad ſacros ordines ad præfatam ſatisfactionem obligantur illi, qui culpabiliter cooperati fuerunt hujuſmodi ordinationi; ſi vero illi carent culpa tenetur ipſe ordinatus ad præfatam ſatisfactionem vel ſaltem ad ſubſtituendum proſe vicarium; ſi hanc ſatisfactionem præſtare non poteſt, et redigitur in ſervitutem, remanet irregularis, & Clericali privilegio caret: modo ipſe Dominus, poſtquam ſciverit hujuſmodi ordinationem, illum repetat intra annum à die ſcientiæ; modo ipſe ordinatus promotus ſit ſolum ad Subdiaconatum, aut Diaconatum, non vero ad Sacerdotium: ad quem promotus non redigitur in ſervitutem, ſed cogitur ſatisfacere ea ratione, qua poteſt. Tertio obligati ad ratiocinia impediuntur, ne ordines recipiant, iis tamen receptis, uti poſſunt, quare impediuntur ſolum ad tempus, donec reddant ratiocinium, unde reddito ratiocinio, & depoſita illius obligatione, poſſunt promoveri ad ordines. Illi autem dicuntur obligati ad ratiocinia; qui obligati ſunt ad reddendam rationem adminiſtrationis publicæ, vel privatæ. Illi vero qui adminiſtrationem gerunt Perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Perſonarum miſerabilium ut viduarum, pupillorum, cauſarum piarum, &c. non afficiuntur hoc impedimento; ſicut neque afficiuntur, qui ſunt obligati abſque ulla adminiſtratione reddere rationem ex aliquo contractu, ut emptione, depoſito, &c. niſi ante promotionem, vel in ipſa promotione mota ſit lis de dolo, aut perfidia, nam tunc non debent promoveri ante finitam litem. Non autem remanet Irregularis qui finita adminiſtratione, & redditis ratiociniis, adhuc remanet debitor, quia jura non loquuntur de debitore, ſed de obligatis ad ratiocinia, repelluntur ab ordinibus ſuſcipiendis Curiales, in ſervientes ex obligatione curiis Principum ſecularium, ut ſunt judices, advocati militum, & alii quamdiu non fuerint ſoluti ab illa obligatione; non vero arcentur, qui curiæ Epiſcopali inſerviunt; vel qui frequentant curias, & aulas Principum obſequii cauſa abſque obligatione, nam habent integram, & perfectam libertatem; ſed ſunt repellendi ab ordinibus feudatarii, qui re immobili accepta cum inſtrumento, & juramento, obligati ſunt perſonaliter inſervire domino, niſi feudum relinquat, vel facultatem à domino directo habeant. Arceantur ab ordinibus Tabelliones, Advocati & Judices, qui cauſas civiles agunt Judices vero, qui cauſas Criminales agunt, & tractaverunt ex alio capite ſunt irregulares, ſi judicium Sanguinis exercuerunt; non autem repelluntur ab ordinibus, qui curam pauperum ſuſceperunt, maxime ſi hoc fecerunt de licentia Epiſcopi, aut ex neceſſitate, licet Clericis vetitum ſit tutoris officium ſuſcipere; tamen ex cauſa pietatis illud ſuſcipere poſſunt: eoque ſuſcepto, non arcentur ab ordinum uſu ex debito autem pecuniario non inducitur irregularitas, quæ non eſt in jure expreſsa ſed ſi debitum ſit litigioſum, poteſt dici adeſse Irregularitas ex defectu obligationis ad reddenda ratiocinia, à qua Irregularitate poteſt ſe eximere, facta bonorum ceſſione, & reſervata ſibi congrua ſuſtentatione.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti ideſt Bigamia Cap. 317.

1 Bigamia eſt quædam Irregularis conſurgens ex multiplici matrimonio contracto, & conſummato: ideo bigamia ſignificat duplicatum, ſeu multiplicatum matrimonium; & eſt triplex ſcilicet Bigamia vera, interpretativa, & ſimilitudinaria Vera eſt, quando quis duas uxores legitime duxit, & carnaliter cognoſcit, ſive duxerit ante Baptiſmum, ſive poſt. Interpretativa eſt, quando quis revera non contraxit cum duabus ſed ſecundum interpretationem juris cenſetur contraxiſse cum duabus & Primo quando quis conjugatus jam de novo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet: vel quando unam uxorem legitimam habuit, & poſtea aliam invalide ducit cum impedimento dirimente, tunc enim ſi cum ea copulam conſummet fit bigamus non realiter ſed interpretative quia præſumitur bis contraxiſse, ſi eſt bigamus

mus interpetrative, qui duo matrimonia invalide contraxit cum aliquo impedimento dirimente, & conſummatis matrimoniis Non autem incurrit Irregularitatem contrahens matrimonium, cum vidua invalide, quia iſta irregularitas non eſt in jure expreſſa, contingit autem Bigamia interpretativa, quando quis contrahit vel cum vidua, quæ conſummaverat matrimonium cum priori viro, vel cum alia, quæ fuerat carnaliter cognita: non vero eſt bigamius ducens Viduam, non carnaliter cognitam à priori, neque ducens aliam à ſe ipſo ſolum cognitam: eſt etiam Bigamiam interpretativa ducens Virginem ab alio defloratam, ſeu adulteratam cum alio ſive ſit per vim, vel metum: Bigamia vero ſimilitudinaria eſt quando quis poſt votum ſolemne caſtitatis emiſſum in profeſſione religionis, vel in ſuſceptione Sacrorum ordinum, matrimonium celebrat cum aliqua virgine vel corrupta, eamque carnaliter cognovit: hujuſmodi vero bigamia, vel irregularitas non reperitur in eo, qui ſuſceptis minoribus ordinibus, aut emiſſo ſimplici caſtitatis voto contrahit: & conſummat matrimonium cum virgine, cum non ſit in jure expreſſa.

2 Bigamus, ex vera bigamia, Interpretativa, vel ſimilitudinaria eſt irregularit, & inhabilis ad ordines, & ad beneficia, quia bigamus difficile poteſt aliis caſtitatem perſuadere, & quam præſertim habere debent initiati ſacris ordinibus; itaque ut bigamia contrahatur duo requiruntur. Primo ut matrimonium contrahatur vere cum duabus, vel in erpretative, vel ſimilitudinarie. Secundo requiritur copula actualis. Multiplicitas vero matrimonii rati non conſummati non inducit Bigamia & tunc dicitur matrimonium conſummatum : quando fæmina recepit ſemen intra vas debitum quocunque modo recepit, Multiplicata ſponſalia non inducunt bigamiam etiam ſi ſecuta ſit copula, quia non ſignificant matrimonium: nec multiplicitas fornicationis, vel adulterii ex parte viri inducit bigamiam quia non eſt matrimonium, nec excuſatur à Bigamia, qui duxit fæminam, quam putabat eſſe virginem, ſed poſtea cognoverit non eſſe virginem: quia ignorantia non excuſat. Ille etiam eſt bigamus, & Irregularis, qui carnaliter cognovit ſuam uxorem poſtquam ipſe credens virum mortuum eſſe, contraxit bona fide, & conſummavit matrimonium cum alio; ita eſt bigamus qui poſt ſeparationem cum ſua uxore adultera, reconciliationem cum ea iniit eam que poſt reconciliationem carnaliter cognovit. Infidelis, qui in infidelitate ſæpius contraxit non ſit bigamus niſi poſt ſuſceptum baptiſmum, nam Baptiſmus non tollit delicta quoad conjugia, neque bigamiam ex conjungio provenientem, & propterea bigamia non cadit ſuper infidelem pro tempore infidelitatis; ſed ſuper ipſum jam paptizatum.

3 In quacunque bigamia poteſt Papæ diſpenſare, cum poſſit diſpenſare in iis quæ ſunt de jure humano: Epiſcopus vero in ſimilitudinaria bigamia diſpenſare poteſt cum eo, qui contraxit cum virgine jure hoc ſic concedente. Abbates vero, & alii ſuperiores religioſi non poſſunt diſpenſare in bigamia vera, vel interpretativa, niſi habeant ſpecialia privilegia. Bigamus abſque diſpenſatione initiatus ordinibus ſacris gaudet privilegiis Clericorum quia non poteſt vivere ut Laicus: ergo debet vivere ut Clericus: & conſequenter gaudere debet privilegiis Clericorum: ſecus dicendum: ſi eſt initiatus ſolum minoribus ordinibus, nam eſt privatus omni privilegio Clericali.

De Irregularitatibus provenientibus ex delicto.

De Irregularitate, quæ oritur ex infamia. *Cap. 318.*

1 INſamia eſt publica opinio prava dex vita, & moribus alicujus, quæ naſcitur ex publica notitia delicti, quæ vel eſt juris, vel facti. Prima juris Infamia contingit quando committitur delictum, cui impoſita eſt à jure Canonico, vel Civili, (unde omnis infamia, quæ per jus Canonicum revocata non eſt cenſetur Canonica) pœna Infamiæ, quale delictum eſt Apoſtaſia à fide:, raptus mulierum, periurium in judicio, Simonia, Sodomia, Hæreſis, ejuſque favor, Crimen læſæ Majeſtatis, Hoſtilis perſecutio Cardinalium, Crimen, quo uſuræ uſurarum exiguntur, Duellum, Pugna publica cum feris, Matrimonium actuale cum duobus, Læno-

cinium, Proſtitutio propriæ filiæ, vel nuptis Matrimonium cum Meretrice, vel repudiata: ſed ad incurrendam hujuſmodi infamiam requiritur ut factum ſit notorium majori parti viciniæ, vel Collegii, vel loci in quo quis degit: non enim videtur Infamis quamdiu delictum eſt occultum, & quamdiu integram, & illæſam retinet opinionem apud honeſtos, & graves homines. Secundo contingit per definitivam ſententiam Judicis; ſcilicet quando aliquis damnatus eſt à judice de gravi aliquo crimine, quod infert infamiam, ut de furto &c. Tertio contingit, quando delinquens crimen ſuum confeſſus eſt in Judicio: quæ confeſſio facit delictum Publicum publicitate juris.

2 Infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum, quod infame cenſetur apud graves, & honeſtos viros & debet eſſe publicum, ſeu totum majori parti viciniæ, nam crimen occultum non parit infamiam.

3 Infamia juris facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines ſuſcipiendos, & exercendos ſuſceptos. Infamia vero facti ex delicto facit hominem irregularem, & inhabilem ad recipiendo, ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus; quia per emendationem aufertur infamia facti, & Irregularitatis ex ea conſurgens; non autem impedit exercitium ſuſceptorum niſi crimen tale ſit, ut impediat etiam exercitium ſuſceptorum, & inducat peculiarem Irregularitatem: quale eſt homicidium, &c.

4 Infamia quatuor modis auferri poteſt. Primo Infamia facti auferri poteſt per emendationem Secundo Infamia juris Canonici, & Civilis poteſt à Summo Pontifice auferri: & Civilis poteſt auferri à Principe qui eam tulit Infamiam. Tertio poteſt auferri per diſpenſationem Epiſcopi, quatenus poteſt diſpenſare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio. Quarto per baptiſmum: nam per baptiſmum tollitur omnis infamia conſurgens ex delicto: nam Infamia ſequitur peccatum: ſed per baptiſmum aufertur peccatum: ergo per baptiſmum aufertur infamia.

5 Irregularitas inducitur etiam per gnominioſam profeſſionem alicujus artis quæ reddit hominem vilem, & indignum, qui ad ordines, & beneficia promoveatur: qualis eſt ars hiſtrionis, mimi, gladiatoris, citharædi, macellarii, tabernarii, aleatoris &c. quæ artes inducunt irregularitatem ſolum in iis, qui illam exercuerunt; non vero in ipſorum prole, modo ipſa proles non efficiatur aliunde indigna, & inhabilis ad ordines; ſic etiam filius proditoris Principis infami eſt & irregularis: & filius ejus qui manus violentas in Cardinalem injecit infamis eſt, & irregularis, & infamis in ordine ad ordines, & beneficia.

De irregularitate proveniente ex pænitentia publica. Cap. 319.

1 Triplex pænitentia olim in uſu extitit. Prima Sacramentalis ſecreta; quæ injungebatur à Sacerdote in Confeſſione. Secunda erat publica, ſed non ſolemnis, quæ imponebatur ex Epiſcopi, vel alterius Superioris mandato ob delictum publicum, ſed non enorme, nec ſcandaloſum, & fiebat ſine ceremoniis; Tertia vero fiebat in principio Quadrageſimæ cum certis ceremoniis, quæ continentur canone, & imponebatur ab Epiſcopo: vel de ejus mandato; ſed modo non eſt in uſu. Pænitentia autem Sacramentalis vel publica non ſolemnis, non inducebat, nec modo inducit irregularitatem cum non ſit in jure expreſſa, & canones loquuntur ſolum de pænitentia publica ſolemni. Pænitentia publica, & ſolemnis inducebat irregularitatem, & impediebat ſuſceptionem ordinum, & uſum ſuſceptorum dicunt aliqui; & illos eſſe Irregulares, quibus imponitur pænitentia publica, & ſolemnis manendi in foribus Eccleſiæ cum diademate in capite, & cum cereis in manibus accenſis dum perſolvuntur divina officia: ſed cotrarium mihi dicendum videtur, nam cum Canones loiquuntur de illa pænitentia publica ſolemn, quæ olim ſemel in vita imponebatur cum certis ceremoniis, non eſt, cur nos illam extendamus ad pænitentiam publicam, quæ modo fieri poteſt, quæ nullam inducit infamiam.

De

Digitized by Google

De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Sacramentorum præſertim occaſione Baptiſmi. *Cap. 320.*

1 EX culpabili iteratione Baptiſmi, publica, vel etiam occulta contrahitur irregularitas, conſequenter tam rebaptizans cum peccato mortali, quam rebaptizatus fit irregularis: immo toties incurrit irregularitatem, quoties reiterat baptiſmum, nam irregularitas incurritur quoties multiplicatur culpa, propter quam impoſita eſt, quæ irregularis extenditur ad Accolitum publicè miniſtrantem in reiteratione baptiſmi; & ad eos, qui interveniunt reiterationi Baptiſmi, ex officio. Infans vero, qui rebaptizatur ante uſum rationis, non eſt irregularis: etiam ſi poſtea ratam habeat rebaptizationem; nam qui caret culpa careret etiam debet pæna; nec eſt irregularis rebaptizatus ex ignorantia juris vel facti, quæ excuſat; nec eſt irregularis qui rebaptizat alium ſub conditione, quem ſcit eſſe baptizatum, ſive illa conditio apponatur tantum in mente ſive etiam exterius addatur: nam qui dicit ego te baptizo ſi non es baptizatus, non intendit baptizare ſi eſt baptizatus, nec ille cenſetur irregularis, qui poſtquam inquiſivit an alter eſſet baptizatus, illum rebaptizavit abſolute, & ſine conditione, ſed adhuc poſtea dubitat, an eſſet baptizatus, quia ille non dicitur abſolute rebaptizare cui non conſtat alterum eſſe baptizatum: ſed peccaſſet rebaptizando abſolute ſi deberet rebaptizare ſub conditione; & expoſuerit ſe periculo incurrendi irregularitatem. nec eſt irregularis, qui cum conſcientia erronea aliquem baptizavit credens antea baptizatum eſſe: nam irregularitas incurritur ob iterationem baptiſmi, non ob ſolam conſcientiam erroneam, nec eſt irregularis baptizans infidelium filios, vel expoſitos, ſine ullo ſigno perhibente teſtimonium de ipſorum Baptiſmo quia adeſt ignorantia facti, quæ excuſat: Ille autem eſt irregularis, qui rebaptizat, & rebaptizatur ex metu cadente in conſtantem virum, cum intentione iterum baptizandi, & recipiendi baptiſmum, quia facit contra præceptum continens irregularitatem, quia metus in hoc caſu non excuſat, nam metus non cadit in voluntatem & intentionem, nam baptizatus adhoc poteſt habere intentionem non baptizandi, qui autem rebaptizat ſine intentione baptizandi non incurrit irregularitatem, quia vere non baptizat idem dic de ficte rebaptizato aut de rebaptizato per vim abſolutam: quamvis in foro externo oppoſitum judicandum ſit, cum in eodem ex actibus externis judicetur. Irregularitas autem hæc lata contra rebaptizantem non eſt totalis, ſed impedit ſolu promotionem ad ſuperiores ordines.

2 Ex iteratione confirmationis & ordinis non contrahitur irregularitas cum non ſit in jure expreſſa.

3 In irregularitate publica, vel occulta, quæ contrahitur ex iteratione baptiſmi poteſt diſpenſare Summus Pontifex: quia poteſt in jure communi, Epiſcopus vero poteſt diſpenſare in rebaptizatione occulta.

4 Irregularitas incurritur ab eo, qui differ baptiſmum uſque ad ægritudinem, & ſenectutem, quia non videtur voluntarie fidem ſuſcipere, ſed coacte; quare hujuſmodi baptizatus non videtur promovendus, niſi paucitas miniſtrorum idoneorum id exigat, aut niſi ipſius fides, & vita probata fuerit poſt baptiſmum, quæ irregularitas non tollitur per ipſum baptiſmum, nam hæc irregularitas incurritur ob ipſam ſuſceptionem Baptiſmi dilatam, idem autem non eſt cauſa contrariorum effectuum. Adultus fit irregularis baptizatus ab haretico, ſi vero infans baptizetur ab hæretico non fit irregularis cum non ſit in jure expreſſa.

De irregularitate ex ſuſpenſione ordinum proveniente. *Cap. 321.*

1 LIgatus majori excommunicatione recipiendo ſcienter, vel cum ignorantia craſſa, vel affectata ordines ſacros incurrit irregularitatem; non autem incurrit ligatus minori excommunicatione; ſed mortaliter peccat, ligatus autem majori excommunicatione, recipiendo minores ordines, vel primam Tonſuram non incurrit irregularitatem, cum non ſit in jure expreſſa, poteſt tamen excuſari recipiens ignorantia probabili, vel etiam vincibili, modo non ſit craſſa, vel affectata.

2 Suſpenſus, vel Interdictus non incurrit Irregularitatem recipiendo ordines ſacros, quia jura loquuntur ſolum de excommunicato, non de ſuſpenſo, vel interdicto,

3 Non incurritur irregularitas ab eo qui ſuſcipit ordines, vel illos exercet, quando ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientes ordines vel exercentes ordines ſacros: nam excommunicatio ſupponit ſuſceptionem ordinis, vel ejus functionem, cum propter illam incurrat, & illam ſupponat tamquam cauſam: propterea delinquens eo tempore: quo ligatur excommunicatione, non dicitur incurrere irregularitatem, quæ incurritur ab eo: qui jam excommunicatus eſt, & in excommunicatione ſuſcipit ordines, aut ſolemniter illos exercet: ſed illam incurrit, ſi poſt illam actionem ob quam contraxit excommunicationem ſuſcipiat ordines ſacros, vel illos exerceat.

4 Qui uno, & eodem die inſcio, & non advertente Epiſc. recipit minores ordines, cum Subdiac. vel ultimum minorum cum Subdiac. vel duos ordines ſacros incurrit irregularitatem, vel potius ſuſpenſionem, quæ non extenditur ad eos, qui eodem die recipiunt minores ordines etiam cum prima tonſura, cum nullo jure probatur, in irregularitate contracta, ut ſupra, poteſt diſpenſare Epiſcopus, quando eſt occulta: in publica vero Papa, vel ordinatus ingrediatur religionem.

5 Recipiens ordines per ſaltum non eſt irregularis: ſed eſt ſuſpenſus, quia directe prohibetur functio ordinis ſuſcepti per ſaltum; quod eſt proprium ſuſpenſionis, fit autem irregularis, ſi poſt ſuſceptionem ordinis per ſaltum, in eo miniſtret, quia violat ſuſpenſionem per uſum ordinis, ideo incurrit irregularitatem.

6 Ille ſuſpenſus eſt, ſeu potius irregularis, qui furtive, ideſt neſciente Epiſcopo, nec approbante, nec examinante ordines recepit, vel ut ſuperius dictum eſt in tractatu de ſuſpenſione, ille dicitur furtive ordines ſuſcipere, qui ficto titulo, aut ſine veris dimiſſoriis ordines ſuſcipit, hic enim vinculo ſuſpenſionis ligatur, item ille dicitur furtive ordines ſuſcipere qui inſcio Epiſcopo non vocatus, vel non approbatus accedit ad ordines, aut qui alium in ſui locum examini ſub ſuo nomine ſubmittit, deinde vocatus proprio nomine, ordines capit, hunc enim vinculo irregularitatis irretiri probabiliſſimum eſt, cujus irregularitatis diſpenſatio competit Epiſcopo, quamdiu delictum eſt occultum, licet iſta irregularitas regulariter eſt reſervata Papæ.

7 Vir Conjugatus, qui illicite recepit ordinem ſacrum non ſolum eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, ut dictum eſt in tractatu de matrimonio, nam non ſolum prohibetur ordines ſuſceptos exercere; verum etiam alios ſuſcipere, quod eſt proprium Irregularitatis, qui autem recipit ordines ſacros ab Epiſcopo, qui renunciavit dignitati, incurrit irregularitatem, vel ſaltem ſuſpenſionem, etiam ſi recipiens forte ob ignorantiam non peccaverit. Epiſcopus vero dicitur renunciare dignitati quando renunciat juriſdictioni, & executioni ordinis Epiſcopalis, poteſt tamen proprius Epiſcopus diſpenſare, ſi ordinatus probabiliter ignoravit renunciationem.

De irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinum tempore cenſuræ. *Cap. 322.*

1 Ligatus majori excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, etiam ſi ſit occultus, & toleratus, incurit irregularitatem exercendo ſolemniter, vel ex officio actus majoris ordinis, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inadvertentiæ, vel oblivionis, non autem incurrit ligatus minori excommunicatione, vel ob exercitium minoris ordinis, cum actus minorum ordinum exercentur ex conſuetudine à Laicis etiam cum ſolemnitate, quoties autem excuſantur ratione neceſſitatis, vel oblivionis, vel alterius cauſæ, ratio eſt, quia excuſantur à mortali; & propterea excuſantur etiam ab irregularitate, quæ ſupponit peccatum mortale, nam irregularitas cum ſit gravis pæna, non incurritur niſi ob grave peccatum, qui autem dubitat ſe eſſe excommunicatum, celebrando incurrit irregularitatem, ſi revera detinebatur excommunicatione, ſecus ſi poſtea comperiat ſe revera non fuiſſe excommunicatum, nam irregularitas incurritur ob violationem cenſuræ, non ob conſcientiam erroneam; ſicut etiam non eſt irregularis, qui celebravit depoſito dubio, quamvis poſtea comperiat revera ſe fuiſſe excommunicatum, cum non peccaverit graviter contra cenſuram, excuſatur ab irregularitate.

2 Ligatus aliqua ex dictis cenſuris ſi irre-

irregularis: Primo canendo in Choro tamquam hebdomadarius cum Dominus vobiſcum; ſecus ſi non canat tamquam hebdomadarius ſine Dominus Vobiſcum; Secundo canendo Epiſtolam ſolemniter, ideſt cum manipulo, ſi ſit Subdiaconus, vel canendo Evangelium cum ſtola ſi ſit Diaconus, ſecus ſine manipulo, vel ſtola: quia non cenſetur exercere ordinem. Tertio baptizando ſolemniter, aut conſecrando aquam, aut aſpergendo fideles, aut benedicendo cum debita ſolemnitate fruges, cereos, & ſimilia nam ſunt actus ordinis ſacri. Quarto abſolvendo Sacramentaliter, etiam occulte, nam hic actus competit ſolum Sacerdoti, etiam ſi abſolutio ſit invalida ob culpam pænitentis; ſecus ſi abſolutio ſit invalida, eo quod Sacerdos non habuerit intentionem abſolvendi, ſed tantummodo proferendi illa verba materialiter tunc enim non dicitur actus ordinis exercere. Quinto Sacerdos excommunicatus incurrit irregularitatem benedicendo ſponſis, faciendo ſolemnitates baptiſmi, vel miniſtrando Euchariſtiam, cum ſint actus ordinis: ſecus dicendum de Sacerdote excommunicato aſſiſtente matrimonio, quia aſſiſtentia illa non eſt actus ordinis. Sexto Clericus ſuſpenſus vel interdictus non ſit irregularis exercendo ea, quæ ſibi non ſunt prohibita per cenſuram, qui non dicitur violare cenſuram per exercitium ordinis ſacri. Idem dicendum eſt de illo, qui functionem ordinis exercet contra præceptum ſuperioris, antequam vinculo Cenſuræ ligatus ſit, cum non videt cenſuram, ſed facit contra præceptum ſuperioris. Septimo Epiſcopus excommunicatus, vel ſuſpenſus incurrit irregularitatem exercendo ordinem Epiſcopalem. Idem dicendum de Abbate conferente minores ordines: ſi vero Epiſcopus impendat benedictionem ſine ſolemnitate, benedicendo populum in itinere, aut domi non incurrit irregularitatem: quia hujuſmodi benedictio, in rigore loquendo non eſt actus ordinis Epiſcopalis: quia parvitas materiæ excuſat à mortali, & à gravi pœna irregularitatis, qui autem eſt ligatus excommunicatione, & interdicto incurrit duplicem irregularitatem, quia violat duplicem cenſuram ſpecie diverſam.

3 In irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti per exercitium ordinis, ſolus Papa diſpenſat, quando delictum eſt publicum: ob delictum vero occultum, & ob violationem occultam diſpenſare poteſt Epiſcopus ex privilegio *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 7. eſt autem delictum occultum etiam ſi aliquis publice exerceat ordines, modo delictum excommunicationis, vel alterius cenſuræ ſit occultus, ita ut neſciatur an ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus.

De Irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinis, quem quis non habet.
Cap. 323.

1 Clericus qui miniſtrat in ordine ſacro quem non habet, incurrit irregularitatem, modo ſcienter, & ſerio, & ex officio miniſtret, cui præter excommunicationem comminatoriam, imponitur etiam irregularitas; ſi qui autem ex ignorantia, etiam craſſa, miniſtret in ordine, quem non habet credens ſe talem ordinem habere non incurrit irregularitatem; quia hic non dicitur ſcienter miniſtrare; ſic etiam qui miniſtrat loco, vel per repræſentationem non incurrit irregularitatem: quia non dicitur proprie miniſtrare in ordine ſacro propterea initiandus ordine ſacro non incurrit irregularitatem, ſi ſe exerceat in miſſa celebranda, ut illius cæremonias ediſcat; nam non dicitur celebrare ex officio, nec ſufficit ad incurrendam irregularitatem miniſtrare in minoribus ordinibus cum in iſtis ſoleant etiam Laici, adhibitis veſtibus miniſtrare. Exercens autem ordinem ſacrum ſine ſolemnitate, non incurrit irregularitatem; & propterea Clericus, qui non eſt Subdiaconus, canens Epiſtolam ſine manipulo, licet intendat eam canere ex officio non incurrit irregularitatem: quia non ſufficit actus internus, & interior intentio miniſtrandi ex officio, ſed requiritur exterior ſolemnitas, quæ eſt canere Epiſtolam cum manipulo, ſic non incurrit canens cum manipulo, & dalmatica Epiſtolam non intendens exercere ex officio; ſed ſolum ſupplere defectum Subdiaconi: quia non dicitur proprie exercere ex officio; nec eſt actus completus, cum deficiat intentio. Sacerdos vero exercens actus ordinis Epiſcopalis; ſcilicet confirmando, vel ordines conferendo, &c. ſit irregularis: ſic Clericus nondum Sacerdotio initiatus, qui aliquem ſerio, & ſacra-

mentaliter abſolvit fit irregularis: idem dicendum quando Clericus, qui non eſt Sacerdos miniſtrat ſolemniter Sacramentum Baptiſmi, etiam in extrema neceſſitate: & quando in Coro facit munus hebdomadarii, proprium Sacerdotis, & ipſe non ſit Sacerdos, niſi forte hoc bona fide faciat: quia tunc non dicitur ſe immiſcere ordini; Clericus item fit irregularis abſolvendo pœnitentes, aut benedicendo ſponſis, etiam ſi hoc faciat abſque ſuperpelliceo, vel ſtola, cum ſit munus proprium Sacerdotis: fit etiam irregularis Clericus per ſaltum promotus exercendo functiones ordinis prætermiſſi, qui etiam alio titulo eſt irregularis, quia violat ſuſpenſionem.

2 Ille dicitur actum aliquem ordinis exercere ſolemniter, & ex officio, quando actus talis eſt, ut ab alio non poſſit exerceri quam ab eo, qui talem ordinem habet; quando vero eodem modo poteſt ab alio exerceri, non dicitur exerceri ſolemniter, & ex officio: Clericus enim nondum initiatus ordine ſacro canendo Epiſtolam cum manipulo, aut Evangelium cum ſtola dicitur canere ſolemniter, & ex officio, unde fit irregularis: quia exercet ordinem ex officio, quem non habet, & facit actum, qui ab alio fieri non poteſt, quam ab eo, qui talem ordinem habet.

3 In irregularitate, quam quis contraxit exercendo ordines, quos non habebat ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, ut accedat ad ulteriores ordines. Epiſcopus autem poteſt diſpenſare, ut exerceat ſuſceptos, & etiam alios ſuſcipiat, quando delictum eſt occultum.

De irregularitate, quæ contrahitur ex delicto Hæreſis.
Cap. 324.

1 HÆretici, Apoſtatæ à fide, eorum fautores, & defenſores ſunt irregulares etiam ſi ſint occulti; quando Hæreſim ſuam ſigno aliquo ſufficienter indicant, & exterius manifeſtant: nam actus mere internus non ſubiacet pœnis Eccleſiaſticis; & propterea, qui exterius hæreſim profert, ſed interius bene ſentit, non eſt irregularis; quia verè non eſt hæreticus, nec excommunicatus, & per conſequens non eſt irregularis: ſecus dicendum eſt de eo, qui exterius eſt Apoſtata à fide: & qui exterius adorat Idolum in tormentis per metum, ſed animo non adorat: quia opere videtur Apoſtata: & exterius peccat contra præceptum fidei negativum: Apoſtata autem ſubiacet pœnis hæreticorum, eſt autem irregularis, qui lapſus eſt in hæreſim, etiam ſi delictum ſit occultum nam vere eſt hæreticus: qui vero pactum cum Dæmone ineunt, aut ipſum colunt abſque hæreſi, licet non ſint irregulares ob hæreſim, ſunt tamen ob ſuſpicionem hęreſis, ex qua conſurgit infamia, irregulares: nam ſuſpectus de hæreſi eſt irregularis, quandiu ſuſpectus manet, ſeu donec purgaverit ſuſpicionem: ſic eſt irregularis, qui cogitur abjurare hæreſim in judicio, nam cenſetur verus hæreticus.

2 Clericus qui lapſus eſt in hæreſim poteſt exercere ſuſceptos ordines poſt pęnitentiam, & abſolutionem: immo dicunt aliqui hęreticum occultum poſſe ad ordines promoveri obtenta legitima abſolutione excommunicationis ob hæreſim contractæ: verum ego exiſtimo non poſſe promoveri, nec ordines exercere ante obtentam legitimam diſpenſationem irregularitatis, quæ non poteſt hoc tempore impendi ab Epiſcopo, quia irregularis non poteſt ad ordines promoveri; vel eos ante diſpenſationem ſuſcipere.

3 Schiſmaticus non eſt irregularis, cum hæc irregularitas non ſit in jure expreſſa: quando, tamen ſchiſma non ſit conjunctum cum hæreſi: quia tunc eſt irregularis. Apoſtata vero à religione, vel à ſtatu clericali eſt irregularis, & propterea Summus Pontifex jubet apoſtatam ad Clericatus officium non admitti, & prohibetur miniſtrare in ordine eo tempore ſuſcepto; unde infertur, apoſtatam à Religione, durante eo ſtatu non eſſe admittendum ad ordines, Clericus vero qui eſt apoſtata à clericali habitu, & tonſura, non eſt irregularis, quia nullo jure probatur.

4 Filii hæreticorum ſunt irregulares uſque ad ſecundam generationem per lineam virilem paternam, per lineam vero fœmineam, ſeu maternam ſunt irregulares uſq; ad primam modo eorum parentes mortui ſint in delicto hęreſis, & non fuerint converſi, ſive poteſt primum, ſive poſt ſecundum lapſum: unde filii, & nepotes hæreticorum poſſunt promoveri, quando parentes ipſorum ante mortem fuerunt reconciliati Eccleſiæ ad diſtinctionem parentum, qui irregulares remanent, etiam poſt converſionem, niſi diſpen-

diſpenſetur, aut niſi aliter receptum ſit conſuetudine in aliquo loco, ut in aliquibus Germaniæ locis ſervari videtur. Non vero ſunt irregulares filii hæreticorum nati ante lapſum parentis in hæreſim: quia verſamur in materia odioſa: quæ benigne explicanda eſt: filii autem neophytorum, aut deſcendentium ex judæis vel paganis, qui Chriſtiani novi nuncupantur non ſunt irregulares: non enim dicũtur filii hæreticorum.

5 In irregularitate ob hæreſim contracta ſolus Pontifex diſpenſat, etiam ſi hæreſis ſit occulta, nam abſolutio hæreſis hoc tempore eſt reſervata Pontifici; ergo eſt etiam illi reſervata diſpenſatio irregularitatis inde provenientis.

De nonnullis irregularitatibus, quæ ab aliquibus aſſeruntur, & aſſeruntur, ſed ab aliis rejiciuntur, & refelluntur.
Cap. 325.

1 PRima eſt de eo, qui cum ſit excommunicatus, præcipit coram ſe celebrari, quæ non admittitur, quia caret ſolido fundamento.

Secunda eſt contra religioſos, egredientes clauſtrum ad audiendas leges, vel medicinam niſi redierint intra duos menſes c. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel Monaci.

Tertia eſt de infecto crimine ſodomiæ, ſed hoc falſum eſt.

Quarta eſt de ſimonia, ſed hoc gratis aſſeritur, & ſine fundamento.

Quinta eſt de celebrante in altari propria auctoritate erecto, & non conſecrato, ſeu benedicto ab Epiſcopo, hic caſus mihi non probatur, quia nullo jure conſtat.

Sexta de Sacerdote, qui miſſam pro aliquo homine in hac vita degente hoc fine celebrat ut mortem illi Deus inferat, id gratis à Magiolo dicitur.

Septima de illo, qui Corpus, & Sanguinem Chriſti conficit, prætermiſſo toto celebrandi, & ſacrificandi ritu, quem Eccleſia ſervare conſuevit: quia hic cum graviſſime delinquat in uſu Sacerdotalis ordinis dignus eſt, qui poteſtate ordinis, & illius uſu privetur, ſed hæc ratio firma non eſt, nec oſtenditur irregularitatem ipſo jure latam, ſed ſolum delictum adeo grave eſſe, ut hanc pænam mereatur inferendam.

Octava de eo qui altaria denudat, aut lugubri ornatu veſtit ſolum ob animi ſui triſtitiam non vero ob religionem, vel ad ſervandos ritus Eccleſiaſticos: ſed hic caſus merito rejicitur.

Nona De Epiſcopo, qui abutitur poteſtate ordinandi, ut quando alicui confert ordines per ſaltum, ad hoc probandum nullus textus adducitur.

Decima De Cardinali in Papam indebitè electo à paucioribus, quam à duabus partibus Cardinalium: hic enim ſi Papatũ uſurpare conetur, tam ipſe, quam ii, qui eum receperunt Excommunicationi ſubiaceant, & totius ſacri ordinis privatione mulctentur, ut dicitur in c. licet de Elect. ſed his verbis non exprimitur irregularitas, ſed pœna depoſitionis ferenda.

Undecima de Clerico, qui in vita, vel in morte favet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemoſynas accipiendo, vel eis pœnitentiam concedendo ſine debita reſtitutione, vel cautione, vel ſepulturis eorum aſſiſtendo, hic enim videtur irregularitatem incurrere ob textum in c. de raptoribus in 6. ſed mihi probabilius dicendum videtur, in eo textu non imponi irregularitatem, ſed ſuſpenſionem perpetuam ferendam: ſeu potius depoſitionem comminatoriam.

Duodecima eſt de Sacerdote, qui excommunicatum nominatim denunciatum ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittit, hunc enim irregularitati ſubiici putant; qui caſus mihi diſplicet quia in jure non eſt ſufficienter expreſſus.

Terciadecima de ſacrilegio, ſed hic etiam mihi diſplicet: ſi crimen ſacrilegii præcisè ſpectetur, ſi vero ex ſacrilegio conſurgat infamia, cenſeo ſacrilegium irregularem.

Quartadecima de eo qui turpiter cum moniali congreſſus eſt. Decima quinta de Clerico periuro, Decima ſexta de habente conſuetudinem patrandi aliquod mortale peccatum, Decima ſeptima de blaſphemo: verum in nullo horum caſuum impoſitam eſſe irregularitatem ſentio.

De Irregularitate proveniente ex homicidio.

De irregularitate ex defectu lenitatis, ſeu manſuetudinis ob homicidium à judice vel ejus cooperatoribus commiſſo.
Cap. 326.

1 IRregularitas ex defectu lenitatis, aliquando ex homicidio, vel mutilatione juſta, al quando ex injuſta oritur: irregularitas, quæ oritur ex homicidio vel mutilatione juſta dicitur ex defectu perfectæ lenitatis, ſeu manſuetudinis; quæ vero naſcitur ex homicidio, & mutilatione juſta dicitur ex delicto.

2 Ad incurrendam irregularitatem non ſufficit intentio mutilandi, vel occidendi, ſed requiritur actualis occiſio, vel mutilatio hominis, nec ſufficit amputatio membri alicujus mortui. Sufficiet vero occiſio vel mutilatio hominis infidelis, vel excommunicati, vel banniti, vel etiam infantis editi in lucem vel exiſtentis in utero matris: hæc enim dicitur mutilatio, vel occiſio hominis: occidens autem, aut mutilans requiritur ut ſit baptizatus. ſit doli capax, & influat in homicidium, vel mutilationem extra caſum neceſſitatis, & circa juſtam defenſionem: debet enim eſſe baptizatus, quia jura loquuntur tantum de mutilantibus; & occidentibus poſt ſuſceptum Baptiſmum; & debet eſſe doli capax, nam non eſſet actus hominis, ſi fieret ab eo, qui non eſſet doli capax.

3 Clericus, aut alius juſte mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem vel homicidium, ſecuto effectu ſit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines ſuſcipere, & ſuſceptos exercere, ita colligitur ex c. finali de Clerici, vel Monachi. Cui irregularitati ſubiiciuntur etiam ii qui mortem acceleraverunt, aut cauſam propinquam mortis dederunt, dicto, vel facto; unde quilibet Judex inferior Summo Pontifici, ferens ſententiam mortis, vel mutilationis ejuſq; aſſeſſores, cooperatores, ſatellites, comprehendentes reum, torquentes reum ad extorquendam veritatem, Notarius ſcribens, vel legens ſententiã, incurrunt irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione, nam ſunt cauſa propinqua mortis, vel mutilationis, famulus vero tranſcribens ſententiam, jam dictata à judice, vel notario, excuſari poteſt ab irregularitate, quoties ipſius actio, non fuit ullo modo; cauſa acceleratioinis mortis, vel mutilationis, ſimiliter qui levia ſeu valde remota exhibuit ſigna, & indicia non eſt irregularis, ut qui ſignum dedit, quo fur dignoſceretur, quamvis tur poſtea captus fuerit, & mutilatus; nam levia indicia non probant, nec cenſentur cauſa proxima, ſed remota mortis, vel mutilationis. Conſultores in cauſa ſanguinis ſunt irregulares: quando ſunt conſultores in caſu aliquo particulari, & propterea conſulens delinquentem mereri mutilationem, vel occiſionem, ſit irregularis ſecuta morte vel mutilatione membri ob ipſius dictũ: quia conſultor determinat voluntatem judicis, & influit in factum, ſecus ſi non influit, nam non eſt irregularis, ut quando Judex petens conſilium, firmiter paratus erat ad occidendum vel mutilandum etiam abſque conſilio Doctor autem, qui non dicit, quod ipſe ſentit; ſed tantum refert opiniones, & ſententias D. D. etiam in caſu particulari pendente in judicio, non eſt irregularis, nam nih l aliud facit, quam aperire veritatem. Sunt etiam irregulares, qui comitantur reum ad ſupplicium, cauſa ſecuritatis, ſic cuſtodes carcerum afferentes claves, aut aperientes oſtium carceris, ut inde reus ad mortem ducatur, ſic fabricantes furcam ad ſuſpendendum aliquem in particulari; aut docentes in cauſa particulari carnificem imperitum, quo pacto debeat funem aptare, &c Sic Judex Eccleſiaſticus eſt irregularis, qui fert duriſſimam ſententiam, qua reo victum adeo diminuit, ut citius moriatur: nam hæc ſententia æquivalet ſententiæ ſanguinis, & mortis. Inquiſitores vero qui maleficos, aut hæreticos intra duos parietes conjiciunt non ſunt irregulares, quia non ita diminuunt cibum, ut mors celerius ſequatur: ſic non ſunt irregulares Judices mittentes aliquem ad triremes: niſi forte præcipiant, male cum eo agi, ita ut mors acceleretur. Eſt etiam irregularis qui dicit reo (aſcende ſcalam, vel ſuppone caput, ad excipiendum actum) quoties ob ipſius dictum reus citius mutilatur. Idem ſentiendum quando dicit miniſtro juſtitiæ, ut gladium acuat, aut cito faciat, vel ſemel, & non ſæpius feriat, aut quid ſimile faciat, quo mors, vel mutilatio accelretur; etiam

ſi

ſi hoc facit ex pietate . Non autem eſt irregularis qui detulit ad Judicem crimen , quod non eſt dignum mutilatione , vel occiſione ; nec delator illas credebat , cum illarum non ſit cauſa . Eſt autem irregularis , qui præbet actu pugnantibus gladium ad aliquem particularem occidendum . Sic eſt irregularis , qui tradit ligna , quibus hæreticus vivus comburatur : fabricatores armorum non ſunt irregulares : licet poſtea aliquis cum illis armis occidatur : ſecus dicendum ſi vendant arma cauſa occidendi , aut mutilandi aliquem . Idem dic de eo qui præparavit , aut vendidit funem , aut venenum . Nec eſt irregularis pulſans campanam in ſignum alicujus ſuſpenſionis , ſecus ſi pulſat ad convocandos milites , cauſa ducendi aliquem ad mortem . Clerici aſſiſtentes executioni ſententiæ non ſunt irregulares , dum modo non habeant juriſdictionem temporalem ; qui ſua præſentia aliquo modo præſtant auctoritatem . Qui clamavit adeſſe latrones fit irregularis , quando ſuo clamore prævidit fore , ut alii accurrant , illoſque occiderent , quia cenſetur cauſa mortis ; ſecus dicendum ſi clamavit , aut pulſavit campanas , vel turbas convocavit ad res ſuas defendendas , vel ad ſedandam ſeditionem ortam in aliquo oppido . Sic eſt irregularis , qui quocumque modo fuit cauſa ut reus caperetur ſecuta morte , vel mutilatione : ſic qui injuſte eſt cauſa rixarum inter aliquos , & mors inde ſequatur . Clericus qui rogat Principem ut juſtitiam faciat , vel quid ſimilia, excuſari poteſt ab irregularitate , quia eſt modus loquendi indifferens , cum poſſit ex juſtitia condemnare , & liberare : ſecus dicendum , ſi Clericus , vel aliquis roget Principem , vel jubeat Judici , ſententiam exequi hic ſecuta morte per ipſius petitionem , fit irregularis . Quis occidit bannitum , vel hoſtem Reipublice publica auctoritate fit irregularis ex defectu lenitatis . Qui exercent officium in criminalibus abſque ulla mortis , vel mutilationis ſententia , ſeu effectu mortis , vel mutilationis non ſecuto non ſunt irregulares , quia non adeſt defectus lenitatis. Plures actus exercens condemnando reos ad mortem , vel mutilationem unicam tantum irregularitatem incurrit : Sic quis effodiat oculos , & manus alicui unam tantum incurrit irregularitatem : Sic unam incurrit , qui unica ſententia condemnat plures ad mortem , ſecus ſi pluribus ſententiis condemnet plures ad mortem : Eccleſiaſtici , qui degradant , & dant brachio ſeculari aliquem non ſiunt irregulares , & multo minus Inquiſitores , quia funguntur ſuo officio. Poteſt etiam Princeps , vel Dominus temporali , vel Clericus habens juriſdictionem temporalem conſtituere prætores , & alios officiales , qui cauſam ſanguinis inquirant abſque periculo irregularitatis , & delicta punire

4 Prælatus interrogatus à ſuis , quid facere debeant in cauſam ſanguinis præſentem , poteſt reſpondere , facite quod leges ſtatuunt , conſulite peritos , ego non poſſum conſilium ferre in cauſa ſanguinis : vel reſpondere poteſt , homicidæ pæna mortis puniuntur , graſſatores viarum ſuſpenduntur ſecundum leges ; nam hoc modo reſpondens nullam incurrit irregularitatem . Sacerdos poteſt prædere conſilium Principi Eccleſiaſtico , vel ſeculari ut legem ferat , qua fures , & alii delinquentes plectantur capite abſque periculo irregularitatis : quia ſicut poteſt ferri lex abſque periculo irregularitatis : cum cauſa mortis tantummodo remota , ſic poteſt conſuli . Sic licitum eſt conficere tractatum , & in ſcholis tractare , qua pæna digni ſunt delinquentes , & concionatoribus hortari Principes ad ſervandas leges , ad coercendos improbos debitis pænis , & ad purgandam Rempublicam prædictis hominibus , & reprehendere publicos peccatores ut blaſphemos homicidas , &c. quamvis Judex arripiat inde occaſionem , illos capiendi , & mutilandi , quia præſtat munus , ad quod tenetur . Secus dicendum quando peccatorem occultum publice reprehendit de occulto crimine ; quia peccat contra charitatem , & contra juſtitiam .

5 Sacerdos non incurrit irregularitatem dicendo penitenti , ſe eum non poſſe , nec velle abſolvere , ſi non proponat reos punire ſecundum jura , nam loquitur generaliter ; ſecus dicendum ſi loqueretur in particulari ; nam in hoc caſu Confeſsor cum non poſſit abſolvere pænitentem , & exiſtentem in peccato mortali , niſi reſipiſcat , & proponat facere quod tenetur , poteſt ex officio dicere pænitenti , ſe non poſſe illi abſolutionem impendere , niſi faciat quod tenetur ; neque credibile eſt , Eccleſiam velle irregularitatem imponere Confeſſa-

feſſa-

Digitized by Google

feſſario petenti quod ad ſuum officium pertinet: poteſt igitur Confeſſarius abſque periculo irregularitatis in hujuſmodi caſibus dicere pænitenti, non te abſolvam niſi facias, quod leges præcipiunt, vel niſi præſtes officium, quod debes, vel niſi punias reum ſecundum jura: Excuſandus eſt Confeſſarius ab irregularitate, qui pænitentem juridice interrogatum, hortatur ad confitendam veritatem in judicio, vel perſuadendo, ne appellationem injuſtam interponat; etiam ſi pænitens puniendus ſit pœna mortis; nam hortatur ad quod tenetur: nec intendit mortem, ſed animæ ſalutem. Secus dicendum quando Confeſſarius dat conſilium pænitenti, ut veritatem aperiat coram Judice, quam non tenetur aperire quando delictum nondum eſt ſemiplene probatum, aut quando judex non eſt competens: tunc enim ſecuta morte, vel mutilatione, non excuſarem Confeſſarium ab irregularitate; quia videtur dare operam rei illicitæ periculoſæ homicidii. Confeſſarius ita incurrit irregularitatem, dicendo pænitenti, ut mittat reum in malam crucem, vel mutilet, vel occidat, nam cooperatur mutilatio. i, vel homicidio, ſecuto tamen effectu.

6 Clerici beneficiarii, vel in ſacris conſtituti peccant mortaliter ſeſe immiſcendo in cauſa juſta ſanguinis, violant enim prohibitionem Eccleſiæ in re gravi: Clerici vero minoribus inſigniti non peccant mortaliter, ſicut nec peccant laici, cum non faciant contra ullam prohibitionem. Igitur irregularitas, quæ contrahitur à laicis exercendo cauſam ſanguinis dicitur ex defectu lenitatis, quæ vero contrahitur à Clericis poteſt dici ex delicto.

De irregularitate quæ incurritur accuſando. Cap. 327.

1 Accuſans alium in cauſa criminali incurrit irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione propter ſuam accuſationem, niſi hoc faciat, petendo ſatisfactionem pro injuria ſibi, vel ſuis rebus illata, quia accuſans cooperatur, ad mortem vel mutilationem: ſi autem faciat petendo ſatisfactionem, ad ſe ipſum indemnem ſervandum licitum eſt alterum accuſare, modo accuſatio ſit juſta, & ſententia juſta: nam ſi accuſator eſſet cauſa injuſtæ ſententiæ, vel etiam juſtæ, ſed per injuſtas probationes reus eſſet irregularis, peccaret enim contra juſtitiam, & eſſet reus omnium damnorum & pœnarum, inde ſurgentium: & propterea quia accuſat alium in cauſa criminali, petendo vindictam, fit irregularis ſecuta mutilatione, vel morte, etiam ſi proteſtetur ſe non intendere pœnam mortis, vel ſanguinis, aut intendat vindictam ſanguinis in ſatisfactionem: quia eo ipſo, quo in cauſa criminali petit vindictam, vult rerum puniri pœna ſanguinis, quæ propter illius delictum à lege imponitur, unde cenſetur petere effuſionem ſanguinis.

2 Qui accuſat, vel denunciat non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem, vel intereſſe ſibi debitum, etiam in criminibus dignis morte, non fit irregularis, proteſtando expreſse, ſe non intendere pœnam ſanguinis: etiam ſi poſtea ſequatur mutilatio, vel mors.

3 Accuſans aliquem de injuria illata perſonis extraneis, aut etiam conſanguineis fit irregularis ſecuta mutilatione, aut morte, etiam ſi præmiſerit proteſtationem; nam permittitur Clericis conqueri coram Judicem de malefactoribus ſuis, non vero de iis, qui aliis damna intulerunt, licet probabiliter eſtimetur licitum eſse conqueri de illis, qui damnum ſuis parentibus, propinquis vel domeſticis intulerunt, ut ſunt filii, fratres, vel alii ſub ſua protectione exiſtentes, quia iſtorum damnum reputatur proprium, & ſic Clericus poteſt accuſare injuſtum damnificatorem bonorum ſuæ Eccleſiæ; nam bona Eccleſiæ ad ipſum pertinent, & non ſolum excuſatur quando accuſat, ſed etiam quando detinet, & Judici tradit, vel quando indicat locum ubi latro exiſtit, vel clamat, ut capiatur, modo præmittat proteſtationem cum ipſa accuſatione, aut poſt accuſationem ſed ante probationem ſententiæ, cum qua ſatis indicat, ſe non intendere mortem, & non habere affectum ad homicidium vel mutilationem, & ſic etiam Clericus accuſans alium ad ſui defenſionem, vel ſuorum non incurrit irregularitatem: etiam ſi ſequatur mors præmiſsa proteſtatione.

4 Dantur aliqui caſus in quibus Clericus excuſatur ab irregularitate accuſans alium de Crimine. Primus eſt quando crimen eſt adeo leve, ut non videatur dignum mutilatione etiam ſi reus poſtea mutiletur, vel occidatur ex malitia judicis: nam accuſator non cenſetur efficax mortis, etiam ſi non præmi-

præmiſerit proteſtationem , ſecundus eſt , quando quis accuſavit reum de levi crimine ; ſed poſtquam reus in carcerem conjectus fuit, acceſſerunt alii accuſationem præbentes aliorum criminum , propter quæ reus juſtè adjudicatus eſt morti , nam mors non videtur imputanda propriè ipſi accuſatori, licet proteſtationem non præmiſerit ; Tertius caſus eſt quando aliquis accuſat non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem ſibi debitam : Quartus caſus eſt , quando non accuſat de injuria illata extraneis, ſed inferenda, nec ipſe poteſt aliter illa damna impedire, quam accuſando, & denunciando : idem dicendum eſt eo , qui præmiſſa proteſtatione, revelat proditionem patriæ, quia hic caſus non videtur comprehenſus in jure.

5 Qui omittit proteſtationem in cauſa criminis ex oblivione , & inadvertentia , irregularitatem incurrit , nam non ſolum incurritur ex delicto : ſed etiam ex defectu lenitatis ; proteſtatio autem facienda eſt coram Judice , apud quem deponitur querela, his vel ſimilibus verbis : Domine peto cures mihi ſatisfactionem , vel reſtitutionem exiberi à Titio, qui mihi damnum intulit, proteſtorque me nulla ratione intendere pænam ſanguinis, mutilationem, vel mortis , & propterea accuſans non evadit irregularitatem, quando dicit ſolum. Peto meum intereſſe, & nihil aliud addit :& propterea requiritur proteſtatio expreſſa; non eſt autem neceſſarium, proteſtationem fieri in ſcriptis, cum nullo jure probetur , ſcripturam requiri : proteſtatio vero ſolo animo facta non prodeſt , unde debet eſſe expreſſa: & ſic qui juſte denunciat præmittendo proteſtationem ficto animo, & interius deſiderando vindictam, & ſanguinem non incurrit irregularitatem, quia proteſtatio ficta tantum valet apud judicem ignarum fictionis, quantum valeret, ſi ex animo, & non ficte fieret, proteſtatio autem non ſolum requiritur in Clericis, ſed etiam in Laicis accuſantibus delinquentes, ad conſulendum ſibi, vel rebus ſuis: etenim hunc modum ſeu proteſtationem invenit, ut impediatur quantum fieri poteſt in accuſante cooperatio, & concurſus ad mortem , declarando non intendere mortem per accuſationem , Qui alteri in periculo vitæ , vel amiſſionis bonorum exiſtenti conſulit, vel denunciat cum poteſtatione ad ſervandam vitam , vel bona , non incurrit irregularitatem etiam ſi ob hujuſmodi conſilium auctor accuſet, & mors inſidiatori, ſeu damnificatori ſequatur, quia ſicut accuſans in præfato caſu cum proteſtatione non ſit irregularis ita neque conſulens. Tota autem univerſitas, quæ procuratorem, ſeu Syndicum univerſitatis conſtituit ad aliquem accuſandum non incidit in irregularitatem, ſecuta morte, vel mutilatione propter accuſationem procuratoris, ſeu Syndici, ut univerſitas eſt : quia irregularitas ſupponit ſubjectum capax ordinis, communitas autem, ut ſic, non eſt capax ordinis , cum ipſa communitas, ut ſic, non ſit perſona vera, & particularis; ſed perſona ficta, & corpus fictum Singulæ vero perſonæ illius communitatis, quæ ſuum præſtiterunt conſenſum in conſtituendo procuratore ad accuſandum ſuo nomine , incurrunt irregularitatem: nam quæ Syndicus ſeu procurator agit, nomine communitatis agit , & ideo communitas ſufficienter concurrit ad mortem , & mutilationem : modo communitas non conſtituat procuratorem ad petendum ſuum intereſſe, præmiſſa proteſtatione; tunc enim ſingulares perſonæ communitatis non aſficiuntur irregularitate: nam licitum eſt accuſare delinquentem cum proteſtatione , ad ſuum intereſſe exigendum.

De irregularitate, quæ contrahitur ab advocatis, & teſtibus in cauſa Sanguinis. *Cap. 328.*

1 Ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis incurrit irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione : etiam ſi aſſertio teſtis exhibuerit tantummodo indicium ad capiendum, vel ad inquirendum, vel ad torquendum reum : licet poſtea ſit mors ſecuta ad probationes aliorum, vel ob propriam ipſius rei confeſſionem, quia cooperatur mutilationi, vel morti; etiam ſi teſtis præmiſerit proteſtationem; nam proteſtatio ſolum prodeſſe ſolet, quando de proprio agitur intereſſe, aut quando teſtis tenetur jure naturæ ſeſe offerre ad teſtandum; tunc enim Eccleſia non præſumitur, velle irregularitatem imponere, præmiſſa proteſtatione, & propterea teſtis ex cujus dicto mors ſecuta fuit, eſt irregularis, ſive teſtatus fuerit juridice , ſive non : Secus dicendum , quando ipſius aſſerto nihil

nihil profuit ſed Judex aliis probationibus adductus fuit ad ferendam ſententiam, vel ad capiendum reum, &c. Non autem Clericus cogi poteſt ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis contra reum, nam multum cooperatur teſtis in cauſa ſanguinis ad mortem in alterius judicio quod non licet Clerico: immo non poteſt ferre propria ſponte; poteſt autem in favorem rei teſtari de licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, nam hoc nullo jure vetitum eſt.

2 Quando Clericus ferens teſtimonium in favorem rei, ſi mors ſequatur accuſatori eo quod reus inventus ſit innocens, & accuſator calumniator non incurrit irregularitatem, quia mors accuſatoris, reſpectu Clerici teſtantis in favorem rei, cenſetur ſequi per accidens ex ipſius dicto; nam ipſius dictum per ſe ordinatum eſt ad manifeſtandam rei innocentiam, illumque defendendum: Idem dicendum eſt de advocato, qui cauſam rei ſuſcipit. Secus dicendum quando advocatus petiit, accuſatorem puniri pœna talionis, ſeu Sanguinis, nec illi prodeſt proteſtatio, cum non agatur de rebus ipſius; idem dicendum quando advocatus injuſte defendit reum, & ob injuſtam illius defenſionem ſecuta eſt mors, vel mutilatio accuſatoris, nam ſua actione injuſta cenſetur cauſa omnium malorum inde provenientium, unde cenſetur reus irregularitatis ex delicto, niſi hoc bona fide fecerit; credens accuſationem fuiſſe injuſtam tunc. n. ratione bonæ fidei ſicut excuſatur à delicto: ita etiam videtur excuſandus ab irregularitate. Quando vero reus imperitia vel negligentia advocati fuit adjudicatus morti, quam evaſiſſet, ſi advocatus munus ſuum rite obiiſſet; tunc advocatus incurrit irregularitatem: quia mors imputatur ipſis culpæ, ut patet à ſimili de morte ægroti, quæ ſequitur ex prætermiſſa à Medico debita diligentia.

3 Advocatus, vel procurator accuſatoris fit irregularis ſecuta morte, vel mutilatione rei, contra quem pro accuſatore agebat, quia cenſetur cauſa ſanguinis vel mutilationis, nec excuſatur ab irregularitate præmittendo proteſtationem, quia cooperantur in cauſa ſanguinis, nec in jure excipiuntur, ob proteſtationem: excuſantur ſolum accuſatores, ſeu denunciatores, ne patiantur injurias in rebus ſuis præmiſſa proteſtatione.

4 Excuſatur autem teſtis ab irregularitate; Primo quando teſtatur ex metu gravi nam ſicut hic excuſat ab aliis pænis, & cenſuris incurrendis: ita videtur excuſare teſtem ab irregularitate; Secundo quando tenetur jure naturæ ſeſe offerre ad teſtandum: nam accuſatori conceſſum eſt privilegium accuſandi pro ſuo intereſſe: hoc autem privilegium videretur inutile, ſi teſtis non poſſet abſque irregularitate teſtari, nam timore tantæ pænæ retraheretur atteſtando, & accuſator nihil probare poſset, & nihil obtineret, nec non ipſius privilegium vanum, & inutile redderetur.

De Irregularitate, quæ contrahitur ob Bellum, Cap. 329.

1 OCcidens alium in bello tam juſtæ; quam injuſto incurrit irregularitatem quia eſt cauſa mortis, ſi vero quis procedat ad bellum juſtum alio fine, quam pugnandi, & occidendi; & occidat adverſarium ad defendendam vitam propriam, dum eam aliter tueri non poteſt, quam ipſum occidendo, non incurrit irregularitatem quia occidens alterum ad ſui defenſionem, cum moderationæ inculpate tutelæ non incurrit irregularitatem, qui vero proceſſit ad bellum intentione pugnandi fit irregularis, ſive bellum ſit juſtum, ſive injuſtum, ſecuto homicidio, differentia tamen eſt inter irregularitatem contractam ex bello injuſto, & juſto; nam quæ contrahitur ex bello juſto, dicitur ex defectu perfectæ lenitatis; quando autem milites diviſi in duas partes, una pars committit homicidia, & altera non, quæ committit homicidia fit irregularis, alia non videtur cooperare re, aut verbis ad homicidium.

2 Conſulens alicui Principi bellum contra alium non eſt irregularis: quia ſolum eſt ſermo de interficiente, & propterea Clericus non fit irregularis conſulendo bellum juſtum: immo neque fit irregularis, pugnando in bello juſto: modo ipſe non mutilet, vel occidat, licet ab aliis militibus committantur homicidia uam Pontifex illum duntaxat judicat irregularem, qui in bello occidit, aut dubitat occidiſse Non incurritur irregularitas, hortando alterum ad vitam effundendam pro fide Chriſti, vel pro tuenda Eccleſia, aut defendenda Republica,

quia

quia non cooperatur morti, quæ à Judice infertur, ſed cooperatur ardori charitatis, & actui virtutis ex parte ipſius, qui mortem patitur. Excuſatur etiam ab irregularitate, qui ſuadet alteri rem piam eſſe mori tunc temporis, quo tenetur mori, vel quo poteſt licitè mori. Secus dicendum de conſulente, vel hortante ad opus illicitum periculoſum, ut quando quis conſulit alteri, ſeipſum in flumen deiicere abſque neceſſitate cum probabili vitæ periculo, abſque ſufficienti cautione: ſicut enim deiiciens ſe in flumen in eo caſu cenſetur homicida ſui ipſius: ita etiam conſulens cenſetur illius homicida, & fit irregularis: ſicut etiam fit irregularis, qui per tectum, & loca periculoſa facit ad ſe venire adulteram, & inde ſequitur ipſius mors, vel abortus.

3 Tam Clerici, quam Laici poſſunt intereſſe bello juſto abſque irregularitate: etiam ſi hortentur milites, ut ſuo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter ſe gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendam, ad patriam defendendam, &c. Nec Duces exercitus, Conſultores militiæ, tubicines, pulſantes tympana, & alii qua vis ratione concurrentes ad bellum juſtum ſunt irregulares, niſi per ſe ipſos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in particulari: nec præbens, aut vendens arma in bello juſto eſt irregularis, etiam ſi arma ſint offenſiva ſecus dicendum de eo, qui præbet arma in bello injuſto, huic enim imputantur homicidia in eo bello ſecuta, nec ullo jure eximitur ab irregularitate, & hæc eſt differentia inter aſſiſtentes bello juſto, & aſſiſtentes injuſto; nam aſſiſtentes bello injuſto incurrunt irregularitatem ſecuto homicidio: etiam ſi ipſi non occiderint, vel mutilaverint propria manu: aſſiſtentes vero bello juſto ad hortandum, vel juvandum non ſunt irregulares, ſecuto homicidio, vel mutilatione, modo ipſi non occiderint, nec mutilaverint, nec horrati ſunt ad occidendum aliquem in particulari; nec Clerici fiunt irregulares, præbendo arma militibus in bello juſto, modo non præbeant arma ad occidendum hunc, vel illum in particulari. Clerici non poſſunt abſque facultate, per ſe ipſos pugnare, poſſunt tamen in exercitu armati incedere, & cum vexillo Crucis: immo etiam poſſunt aliquando pugnare in bello juſto, quando ſcilicet neceſſitas cogit ad defendendam Rempublicam, vel ad conſequendam inſignem victoriam, ex qua Reſpublica relatura ſit magnum commodum. Nec fiunt irregulares Clerici pugnantes de licentia Summi Pontificis: non enim veriſimile eſt Summum Pontificem velle Clericum propriis manibus pugnare & pugnando ſubiacere irregularitati. Secus dicendum, quando Summus Pontifex conceſſit Clerico facultatem, ſolum aſſiſtendi bello, non vero pugnandi.

4 Solus Summus Pontifex poteſt de jure communi diſpenſare in irregularitate contracta cauſa belli: quia ſolus habet poteſtatem ordinariam ſupra jus commune, & irregularitas ſit impoſita à jure communi.

De irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel Chirurgiam exercendo. *Cap. 330.*

1 Laicus exercens Chirurgiam, vel Medicinam ſecundum regulam artis non fit irregularis, etiam ſi membrum aliquod abſcindat cauſa ſanitatis, quia abſcinditur pars, ut totum ſervetur, ſed ſi culpa, vel imperitia Medici, vel Chirurgi mors ſequatur incurrit irregularitatem ex delicto, nam cenſetur cauſa mortis, & propterea non poſſet ad ordines promoveri; ſic ſunt irregulares, qui curam infirmorum habent quoties culpabiliter mortaliter ſunt cauſa accelerationis mortis; ſi vero cum prudentia, & abſque notabili negligentia ſe geſſerunt non ſunt irregulares. Medicus qui habet remedium certum ad ſanitatem, peccat, & ſecuta morte fit irregularis, adhibendo remedium incertum, & dubium; ſi vero non habet remedium certum debet adhibere remedium, quod melius eſt, & opportunius juxta probabiliorem ſententiam Medicorum, & ſecus faciendo non evadit notam irregularitatis, ſecuta morte infirmi: quando autem habet remedium ſolum dubium, de quo dubitat, an profuturum, vel nociturum, fit peccat, & fit irregularis adhibendo hujuſmodi remedium; quando ſalus infirmi nondum eſt deſperata, nam fieri poteſt, ut infirmus propter illud pharmacum decedat ex hac vita, cum omnia medicamenta venena ſint, quando vero ſalus infirmi jam eſt deſperata, Medicus non peccat, nec fit irregularis, præben-

bendo pharmachum, de quo dubitat, an ſit profuturum, vel nociturum, nec Medicus habet aliud remedium: tunc enim prudentius agit applicando remedium aliquod cum ſpe ſalutis, quam relinquendo infirmum in ſtatu deſperatæ ſalutis, & idem dicendum eſt de Chirurgo, qui dubitat an membrum abſcindendum ſit.

2 Clericus etiam beneficiarius non fit irregularis, exercendo officium Medici, vel Chirurgi ſecundum regulam artis circa abſciſſionem, vel aduſtionem, cum nullo jure prohibeatur; nullus autem poteſt mederi omiſſis regulis artis, quia exponit infirmum periculo vitæ, & ſecuta morte fit irregularis ex delicto, nam mors illius culpa imputatur. Clericis vero majoribus ordinibus initiatis ſpecialiter prohibitum eſt mederi abſcindendo, vel adurendo: Clerici vero minoribus ordinibus inſigniti, quamvis habeant beneficium, poſſunt artem Medicam, & Chirurgiam exercere, etiam abſcindendo, & adurendo ſecundum regulam artis, nam in c. ſententiam ſanguinis fit tantummodo mentio Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotis: Clericus autem majoribus ordinibus initiatus non peccat, nec fit irregularis, incidendo vel adurendo urgente neceſſitate ut tempore peſtis, quando non adeſt alius, qui hoc munus præſtat, nam obligat jus naturæ, & ceſſat prohibitio juris poſitivi. Clericus exercens officium Medici, vel Chirurgi ſecundum regulam arris, ſecluſa aduſtione vel inciſione non fit irregularis, etiam ſi mors ſequatur, cum non ſit hoc illi ſpecialiter prohibitum ſub mortali, & ſub irregularitate; cum mors inde ſequens non provenit ex culpa Clerici: qui ſupponitur curaſſe ſecundum regulas artis. Sacerdos, qui ſecundum regulam artis applicat remedium, ſeu emplaſtrum mollificativum, quo apoſtema ſeſe aperit, & mors inde ſequitur abſque culpa Sacerdotis, non eſt irregularis, quia non dicitur proprie artem Medicam exercere ſcindendo, vel adurendo: ſic Clericus, qui ſecundum peritiam artis jubet inciſionem, vel aduſtionem non fit irregularis, etiam ſi mors inde ſequatur: quia jus prohibet Clerico ſub irregularitate inciſionem, vel aduſtionem morte inde ſecuta: ille autem, qui jubet incidi, vel dat conſilium incidendi, non dicitur proprie incidere, vel adurere, unde non incurrit irregularitatem. Clericus itaque abſque irregularitate poteſt conſulere, ſecundum regulam artis, ut membrum cancro infectum abſcindatur, aut vena aperiatur ad emittendum ſanguinem: nam non eſt incidere, vel adurere. Clericus vero ſacris initiatus, ſcindendo venam ad emittendum ſanguinem fit irregularis ſecuta morte, quia proprie dicitur incidere: Si vero Clericus majoribus ordinibus initiatus exerceat officium Medici, ſeu Chirurgi abſcindendo, vel adurendo, ſecundum regulam artis, non incurrit irregularitatem morte non ſecuta; quia licet vetitum ſit illi abſcindere, vel adurere, tamen non incurrit irregularitatem ex ea mutilatione, vel abſciſſione; cum irregularitas non conſurgat ex quacumque mutilatione, vel abſciſſione; ſed ſolum ex ea quæ dirigitur ad privationem membri, & eſt conjuncta cum defectu lenitatis, ut eſt illa, quæ fit à judice, vel miniſtro juſtitiæ; ex ea vero mutilatione, quæ ordinatur ad vitam conſervandam non oritur irregularitas; modo Clericus adhibuerit debitam diligentiam, nec mors inde ſecuta ſit. In dubio autem an mors inde ſecuta ſit, Clericus habendus eſt pro irregulari: modo dubium non ſit ſcrupuli; ſcrupuli enim repellendi ſunt.

3 Clericus, vel alius qui adjuvant Chirurgum ad juſte abſcindendum membrum alicujus ægroti non incurrit irregularitatem, ergo nec eam incurrit Clericus cooperans, cum ſit prohibitum ei adjuvare, ſicut prohibitum eſt per ſe ipſum abſcindere.

De irregularitate proveniente ex homicidio facto ad defenſionem ſui, rerum ſuarum, ac proximi. *Cap. 331.*

1 Conditiones, quæ requiruntur ut occiſio alterius ad ſui defenſionem licita ſit, & dicatur fieri cum moderatione inculpatæ tutelæ, & abſque irregularitate ſunt aliquæ; Prima eſt, ut fiat, quando vis ab altero injuſte infertur, tunc licitum eſt vim vi repellere, modo vis injuſte inferatur: Secunda eſt ut occiſio fiat in ipſo actu aggreſſionis, quando alter moraliter incæpit aggreſſionis actum, nec aliter proprium damnum evitari poteſt, quam occidendo, vel mutilando, tunc enim vis vi repellitur: Tertia eſt ut invaſus probabiliter credat, ſe occidendum, vel muti-

mutilandum, vel ſibi periculoſum vulnus infligendum, aut grave damnum inferendum: quilibet enim tenetur leve damnum pati, dum illud evadere non poteſt ſine graviſſimo proximi detrimento, tunc autem reſervatur moderamen inculpatæ tutelæ, quando concurrentibus conditionibus ſupradictis, adhibetur illa cautio, & illud medium ſive quo ſalvari vita non poteſt; propterea qui occidit invaſorem vitæ ſuæ, dum non poteſt aliter vitam ſuam tueri quã illum occidendo, dicitur ſervare moderamen inculpatæ tutelę: ille vero non dicitur ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, qui occidit ſuum invaſorem; quando poteſt fuga non ignominioſa, aut clamare, aut aliter ſe defendere, quam occidendo.

2 Occidens alium ad vitæ ſuæ defenſionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ non incurrit irregularitatem, cum hæc actio non cenſeatur injuſta, unde non eſt irregularitati ex delicto expoſita; homicidium enim hoc non reputatur voluntarium, ſed neceſſarium: qui autem notabiliter moderamen cum peccato mortali excedit, incurrit irregularitatem; ut quando quis occidit invaſorem: à quo ſe poterat tueri fugiendo, aut vulnerando ſolum, & non occidendo: ſecus dicendum, quando leviter ſolum excedit cum peccato veniali: qui vero occidit invaſorem dum non poteſt aliter ſe defendere, non fit irregularis, quamvis invaſorem occidat ex odio, & cum intentione ſumendę vindictæ; quia actio homicidii non eſt injuſta: cum non poſſit ſe aliter defendere, & propterea dicitur occidere cum moderamine, & abſque irregularitate, nec occidens invaſorem vitæ cum moderamine fit irregularis quamvis ipſe homicida cauſam dederit invaſionis, & nvaſionem præviderit ſecuturam, ut quando quis alium afficit contumeliis.

3 Quando autem quis occidit invaſorem cum moderatione inculpatæ tutelæ, d defendendum ſe à membri mutilatione, el à brachii debilitatione, vel à gravi peruſſione non incurrit irregularitatem nam efendendo brachium ne debilitetur cenſe- r vitam propriam tueri: cum brachium ſit trs, & membrum vitæ hominis: ſicut enim itum eſt tueri vitam cum morte invaſoris etiam licitum eſt tueri partem vitę: prætim quando ex hujuſmodi percuſſione, l mutilatione ſequi poteſt amiſſio vitæ; nec fit irregularis, qui occidit Judicem injuſte ſibi parantem mortem; quia occidens hujuſmodi Judicem, quamvis peccat contra charitatem, occidendo perſonam publicam, valde utilem Reipublicæ, non tamen peccat contra juſtitiam peccato homicidii, unde non incurrit irregularitatem poſitam contra homicidas; quia Clement. ſi furioſus, abſolute dicit non fieri irregularem, qui juſte occidit invaſorem, quando aliter vitam propriam tueri nequit ubi autem non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Nec fit irregularis captus ab hoſtibus, volentibus illum interficere, occidendo cuſtodem, vel alium, quando aliter evadere non poteſt: nec fit irregularis qui ture domi invento clamaverit ad vitam, vel res ſuas defendendas (Ad latrones, ad latrones:) vel (Cape, cape,) ſecus dicendum ſi clamavit (occide, occide) præſertim ſi potuit res ſuas defendere alia ratione, quam occidendo; nec fieri irregularitem addo illum, qui clamavit (ad latrones, ad latrones etiam ſi ob id ſatellites furem ceperunt, & Judex illum morti adjudicaverit, modo clamans præmiſerit proteſtationem, & non hoc fecerit animo vindictæ, ſed intentione rei ſuę conſervandæ.

4 Non incurrit irregularitatem occidens invaſorem ad ſe defendendum à gravi deformitate vultus: quia homo tanti facit gravem vultus deformitatem, quam gravem divitiarum jacturam; ſed non eſt credibile, illum eſſe irregularem, qui occidit alterum ad divitias ſuas defendendas ergo neque credibile eſt, occidentem alterum ad vitandam gravem vultus deformitatem contrahere irregularitatem. Nec fit irregularis Titius, qui non poteſt ſe ipſum defendere ab invaſore, ſed tradit arma Cajo ad ſui defenſionem, & Cajus acceptis armis occidit invaſorem Titii: quia poteſt ad ſui defenſionem alios vocare, & illis arma præbere. Sic occidens alium ad defenſionem ſui honoris, rerumque ſuarum non fit irregularis, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ; occidens autem publica auctoritate fit irregularis ex defectu, quamvis occidat ſine peccato: Nec incurrit irregularitatem occidens invaſorem proximi cum moderamine, nam licitum eſt vim vi repellere, non ſolum ad propriam defenſionem: verum etiam ad defenſionem proximi, & extranei. Nec eſt irregularis, qui tradit arma alicui inva-

Digitized by Google

invaſo ad ſe defendendum, & invaſor occiditur ab invaſo cum moderamine.

5 Qui alterum occidit ad ſui defenſionem in foro externo, non præſumitur hoc feciſſe ad ſui defenſionem, niſi probet, nam habet præſumptionem contra ſe, quia homicidium, & mutilatio ex ſua natura mala ſunt, & delicta, in delictis autem præſumitur dolus; quare homicida non debet ad ordines promoveri, vel ſuſceptos exercere, antequam à Judice declaretur, vel potius ab Epiſcopo ad quem pertinet ferre judicium, an defenſio neceſſaria fuerit, & ſervatum ſit moderamen, ex declaratione Cardinalium; in foro autem conſcientię ſtandum eſt judicio prudentis viri: qui judicium ferre poterit inſpectis regulis, & conditionibus: unde qui commiſit homicidium, & judicio docti, & prudentis judicatur, non contraxiſſe irregularitatem, non tenetur abſtinere ab ordinibus, vel ab ipſorum uſu.

De Irregularitate proveniente ex homicidio caſuali. Cap. 332.

1 HOmicidium caſuale duplex eſt, vel ſimpliciter, & omnino caſuale, vel non ſimpliciter, & non omnino caſuale: hoc eſt illud, quod licet directè ſit caſuale, tamen indirectè, & ſimpliciter eſt voluntarium; homicidium vero omnino caſuale eſt illud, quod non eſt volitum directè, vel indirectè in ſe, vel in cauſa; unde homicidium commiſſum in ebrietate quod non fuit prævifum ante ebrietatem, dicitur omnino caſuale eo quod non ſit volitum in ſe, nec in cauſa. Non in ſe, quia quando committitur homicidium, ebrius non utitur uſu rationis, ſine quo non ſubſiſtit voluntarium in ſe: neque eſt volitum in cauſa, eo quod ebrius, quando ſe dedit ebrietati, non præviderit ſecuturum homicidium. Homicidium igitur in ebrietate commiſſum & non prævifum dicitur caſuale: quamvis ebrius mortaliter peccaverit ſe inebriando. Homicidium igitur omnino caſuale, quod non eſt volitum in ſe, nec in cauſa, non inducit irregularitatem; quia homicidium, quod nullo modo eſt peccaminoſum, aut voluntarium non inducit irregularitatem, unde non inducit irregularitatem homicidium commiſſum ab amante, vel furioſo tunc non habente lucida intervalla, nec ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud ſecuturum, cum cenſeatur omnino caſuale, nec ab infante rationis uſu carente.

2 Homicidium, quod non eſt omnino caſuale, ſed volitum in cauſa, ſeu implicite voluntarium inducit irregularitatem: quia eſt ſufficienter voluntarium, aut peccaminoſum mortaliter, & propterea homicidium inducit irregularitatem, quando eſt voluntarium in ſe, & directe, ideſt cum advertentia, & deliberatione, ex induſtria, & ex propoſito, unde dans operam rei licitæ, vel illicitæ non eſt reus homicidii, aut irregularitatis, ſi debitam diligentiam adhibuit, ne ſequeretur homicidium: irregularitas autem non incurrit ex homicidio quando non eſt voluntarium, eo quod adhibita fuerit diligentia ne ſequeretur: Nec eſt irregularis, qui dat operam rei illicitæ periculoſæ homicidii, ſecuto homicidio, ſi debitam adhibuit diligentiam, ne ſequeretur homicidium, nam hoc homicidium non eſt voluntarium: non in ſe, quia committitur eo tempore, quo non eſt advertentia illius, nec eſt voluntarium in cauſa per hoc, quod volontarie detur operarei illicitæ per culoſæ, nam periculum tollitur, & purgatur per ſufficientem diligentiam, quæ facit, ut homicidium non dicatur voluntarium, ſecus dicendum, ſi fuit omiſſa debita diligentia cum peccato mortali, & propterea conſecutio homicidii cenſetur invincibiliter ignorati, ſi fuit adhibita ſuffixiens diligentia, ne ſequeretur; ignorantia autem invincibilis homicidii, ſeu facti excuſat ab irregularitate, excipiuntur autem aliqui caſus, In quibus videtur impoſita irregularitas ob actionem periculoſam homicidii, quamvis diligentia adhibita. Primus caſus eſt; mandans alterum percuti afficitur irregularitate, ſecuta morte, vel mutilatione, etiam ſi expreſſe impoſuerit mandatario, ne lethaliter vulneraret: Secundus caſus eſt, irregularis declaratur Monachus, qui omni adhibita diligentia aperuit apoſtemam in gutture mulieris, quæ poſtea mortua eſt; nec incurritur irregularitas quando datur opera rei periculoſæ, ex qua raro mors contingit; ſecus quando datur opera rei illicitæ periculoſæ; ex qua ſolet mors, ut plurimum ſequi, tunc enim incurritur irregularitas ſecuta morte, vel mutilatione, quia non videtur ſufficiens dili-

diligentia adhiberi, ne ſequatur mors quoties datur opera rei illicitæ periculoſæ; ex qua mors, ut plurimum, ſequi ſolet: Non fit irregularis conficiens gladios, quibus aliqui poſtea occiduntur, quia eſt cauſa remota mortis. Aromatarius fit irregularis conficiens medicinas ex rebus corruptis, ſi hac de cauſa ſequatur mors, quia eſt cauſa proxima, ſic fit irregularis qui tradit aliquid infirmo contra præceptum Medici, quoties ex illius rei traditione infirmus periit, nam exercet opus illicitum periculoſum homicidii, non autem incurrit irregularitatem, qui ſecundum regulas artis extraxit ſagittam ex vulnerato; ex cujus extractione vulneratus mortuus eſt: quia ſervando regulas artis, cenſetur ſufficientem adhibuiſſe diligentiam in opere periculoſo ne ſequeretur homicidium, fit vero irregularis Magiſter verberando diſcipulum ſi excedit modum percuſſionis, nec adhibet debitam diligentiam ne ſequatur mors, vel mutilatio, ſed judex non eſt irregularis, quando licite præcipit reum verberari juxta leges quę levem imponunt percuſſionem, miniſter vero adeo exceſſit in verberibus inferendis, ut ratione illius exceſſus reus mortuus ſit, etiam poteſt excuſari ab irregularitate, qui alteri inflixit vulnus leve, ſed non lethale ex quo vulneratus ex ſua intemperantia, aut ex incuria Medicorum ex hac vita decedit, ille autem eſt irregularis, qui mandavit, aut conſuluit Titio occidere Cajum ſed poſtea Titius occiſus eſt à Cajo, quia videtur mandaſſe, vel conſuluiſſe opus periculoſum mortis non adhibita ſufficienti diligentia ad præcavendam mortem mandatarii: ſic etiam eſt irregularis, qui inter dormiendum interemit infantem in lecto eo quod non adhibuerit debitam cautionem, & voluntarie dedit operam rei illicitæ periculoſæ, ſic fit irregularis, qui proiicit lapidem in Titium, ſi lapis Titio illum declinante, concidit in Cajum, illumque occidit, Titius vero declinando ictum lapidis non fit irregularis, quia utitur jure ſuo declinando ictum, ut ſe ipſum ſervet in columen; ille autem qui proiicit lapidem ideo fit irregularis, quia facit actionem periculoſam homicidii, abſque ſufficienti diligentia, ne lapis ad Cajum perveniret; ſic eſt irregularis, qui reficiendo tectum proiicit regulam ex qua occiditur viator, niſi monuerit, vel ſignum e more expoſuerit; ſic eſt irregularis qui niveis pilis glacie confectis alteri oculum eruit, vel qui lapidibus certant aut gladiatoriam artem exercent, aut haſtis inter ſe concurrunt abſque ſufficienti diligentia ne mors, vel mutilatio ſequatur. Saltans cum muliere prægnante non fit irregularis ſecuto abortu, quando ſaltatio fuit moderata. Declaratus item fuit irregularis Clericus falce occulte præcinctus, quia alter cum eo colludens falce vulneratus obierit, quia non adhibuit debitam diligentiam: licet in foro conſcientiæ non eſt irregularis, ſi re ipſa periculum nulla ratione prævidit, nec fit irregularis, inſidens equo, quando fractis habenis, puerum in via exiſtentem conculcavit, & interfecit, nam mors eſt omnino caſualis; ſecus dicendum de illo, cujus equus morsu, vel calcibus interfecit alterum, nam debebat præcavere: non fit irregularis, qui domi cuſtodit feram, quæ abſque illius culpa ſoluta aliquem occidit; ſecus de eo, qui detinet in platea incautè & accedentes occidit. Non eſt irregularis, qui bona fide in conventu hominum detexerit mulieris adulterium, quod delatum viro adulteræ, adulteram interfecit, nam illa manifeſtatio non videbatur periculoſa homicidii, nec eſt irregularis Cajus qui dixit Titio, ubi eſſent exules, & Titius detulit judici, cujus iuſſu conprehenſi exules, morti traditi ſunt, nam mors illorum videtur caſualis reſpectu Caii, ſecus ſi quis referat alicui injurias illi ab alio illatas, ſi affectus injuriis occidit illatorem, nam ut plurimum ex hujuſmodi relationibus ſequi ſolent damna, & ſic eſt irregularis, qui joco terrorem incutit alteri, qui eo terrore perterritus, ſe dat præcipitem, idem die de incutiente terrorem mulieri gravidæ, quæ ob terrorem abortum facit.

De irregularitate proveniente ex homicidio voluntario injuſte facto ab homicida & ejus cooperatoribus.

Cap. 333.

1 Homicidium aliud eſt caſuale, aliud voluntarium. Voluntarium contingit vel abſolutè directe, & in ſe formaliter, vel indirectè, & ſecundum quid: homicidium commiſſum à Titio intentione occiden-

cidendi, dicitur ſimpliciter, & directe voluntarium: voluntarium autem indirecte, & ſecundum quid dicitur illud, quod licet non intendatur in ſe directe explicitè, & in actu ſignato: nihilominus cenſetur, & reputatur intentum in actu exercito, eo quod aliquid actu fiat per ſe, & immediatè ordinatum ad illum effectum, unde qui alteri venenum mortiferum propinat, non intendens mortem, cenſetur velle mortem indirectè: illamque intendere in actu exercito, & hæc eſt differentia inter homicidium caſuale, & voluntarium: nam caſuale dicitur, quod non eſt formaliter intentum, nec reputatur judicio prudentis, tamquam formaliter intentum, ut accidit quando quis percutit aliquem ea percuſſione, quæ non eſt apta ad mortem, ſed forte fortuna accidit, ut percuſſus inter fugiendum appulerit in ſaxum vel parietem, indeque fracto capite mortuus ſit, & propterea dicunt aliqui illud ſolum appellari homicidium voluntarium in jure Canonico, quod ſit ex propoſito ſeu quod eſt per ſe, & directè intentum, ſi vero fiat ſine animo occidendi: etiam ſi alioquin fiat talis actio, ex qua ut plurimum ſequitur mors, appellatur caſuale: quod non videtur improbabile, & ſic poteſt dici voluntarium reſpectu mandantis, vel conſulentis, quando intendatur à mandante, vel conſulente; vel mandans mandavit aliquid, ex quo facile ſequi poteſt mors alterius; poteſt etiam, reſpectu mandantis eſſe voluntarium, & reſpectu exequentis caſuale, vel e contra, ut ſi mandans intendat mortem, mandatarius vero velit leviorem injuriam inferre: ſed errore manus, vel alia de cauſa contingit lethale vulnus. Membrum proprie dicitur pars illa corporis, quæ proprium habet officium diſtinctum ab aliis partibus.

2 Homo baptizatus occidens, vel abſcindens alterius membrum voluntarie ſimpliciter vel ſecundum quid, eſt irregularis ſecuta morte, aut mutilatione; vel etiam caſualiter cum mortali culpa eſt irregularis, & propterea mutilans membrum alterius ſit irregularis: etiam ſi membrum debilitatum eſſet, vel aridum, modo mutilans non ſit chirurgus; nec eſt irregularis, qui membrum alterius debilitat: quia non mutilat, vel reddit aliquem Cœcum, vel Claudum non eruxens oculum, nec abſcindens membrum, nec qui digitum abſcindit, quia non eſt proprie membrum; ſit vero Irregularis abſcindens majorem membri partem, ut totam fere manum, quando pars, qua remanet, exigua eſt, hic enim moraliter cenſetur membrum abſcindere. Mutilans cadaver non incurrit, quia non dicitur hominis mutilatio: abſcindens vero aliquando non poteſt eſſe irregularis, & abſciſsus poteſt, & eſt: quando quis abſcindit alteri digitum, vel infligit vulnus in facie, etiam cum magna ſanguinis effuſione non eſt irregularis, quia per ablationem digiti vel inflictionem vulneris in facie non dicitur membrum auferre, vel mutilare: Abſciſsus vero digito, aut deformiter vulneratus in facie manet irregularis ob magnam, & ingentem deformitatem.

3 Mandans expreſse, vel tacite homicidium, vel mutilationem, ſicut eſt reus homicidii, & mutilationis, ita eſt irregularis, & tenetur ad reſtitutionem, niſi expreſse aut tacite revocaverit mandatum, & illius revocatio innotuerit mandatario: quia mandans cenſetur cauſa efficax homicidii, & damni: unde non eſt imputandum homicidium mandanti, quando mandatarius occidit poſtquam cognovit pacem initam: qua cognita mandatarius occidit: unde homicidium ſequens non videtur oriri ex priori mandato, ſed ex malitia mandatarii, ſecus dicendum ſi non innotuerit mandatario pax, vel revocatio, licet mandans omnia tentaverit, ut ad illius aures perveniret: immo etiam ſi mandans penitentiam egerit, & confeſsus ſit peccatum ab ipſo commiſſum in dando mandato, & poſt pænitentiam, ſecutus ſit effectus mandati, quia licet talis effectus non ſit in ſe, & directe voluntarius, eſt tamen volũtarius in cauſa. Eſt etiam reus homicidii, & irregularitatis Pater, vel Dominus, dicens filio, vel ſervo injuriam paſſam, & quod non redeant Domum ſi aliquid novi non audiat, unde unus illorum illum qui intulit injuriam occidit, quia cenſetur tacite mandaſse homicidium: ſic eſt reus, qui mandavit verberare, ſuum inimicum, imponendo expreſse ne occideret: ſed mandatarius occidit, quia mandavit actionem periculoſam mortis, & ſic extat in jure expreſſum.

4 Conſulens homicidium illi, qui paratus non erat ad homicidium patrandum eſt reus homicidii, & irregularitatis, ſecuta morte, vel mutilatione, quia eſt cauſa effi-

efficax mortis: ſecus dicendum de conſulente homicidium alicui, jam parato ad occidendum, cum non cenſeatur cauſa efficax homicidii: eſt tamen irregularis, ſi voluntatem occidendi auget, nam vere dicitur influere in homicidium: ſecus dicendum, ſi conſultus non auget voluntatem, ſed exigue movet, aut quando parato facere majus malum ſuadet minus, ut parato occidere ſuadet ſolum percutere: ſecus dic de cooperante ad minus malum, ut evitet majus, ut ſi volenti alterum occidere, præſtet opem ad ſecandum brachium, vel pedem. Conſulens tenetur ad reſtitutionem; & fit irregularis: quando ſuaſit homicidium, vel mutilationem, quam alter ſuaſiſſet, quia efficaciter influit & ſic eſt irregularis, quia ſuaſi homicidium alicui, quod commiſiſſet abſque conſilio, nam conſulens non cenſetur cauſa efficax homicidii: idem dicendum de mandante: Cajus fit irregularis, quando interrogatus à Titio num remaneret offenſus à Sejo ob rixam habitam, & Cajus aſſeruit remanere offenſum, unde ex hoc audito Titius occidit Sejum: quia Cajus ſuo dicto influit in homicidium. Ille etiam eſt irregularis, qui dedit conſilium faciendi abortum fœtus animati anima rationali, ſecuto tamen effectu.

5 Auxiliantes, aut cooperantes ad homicidium rei ſunt homicidii, & ſic irregularitatis, ſecuta morte, vel mutilatione; quia efficaciter influunt in homicidium; unde quando plures de communi conſenſu aggreſſi ſunt Titium, ſed Titius invaſus ex uno tantum vulnere periit, omnes ſunt irregulares etiam ſi non omnes percuſſerint, nam omnes cooperati ſunt ad homicidium: ſi vero non ſe concitaverint, nec præmiſerunt conſilium, ſed ſubita quadam rixa inflixerunt vulnera, & unus tantum lethaliter vulnus inflixit, ille tantum videtur reus homicidii, modo conſtet quiſnam illud inflixerit, & conſtet alios non concurriſſe ad vulnus. Quando vero neſcitur quis nam lethale vulnus inflixerit, omnes qui dubitant, à ſe lethale vulnus inflictum eſſe, debent ſe tamquam irregulares gerere. Sic ſunt irregulares quando plures plura vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe mortalia, ſed ſimul ſumpta ſunt cauſa ſufficiens mortis, nam ſinguli cooperati ſunt ad mortem. Quando autem quis primo inflixit vulnus leve, ſed cæteri lethale, vel primi inflixerunt vulnera levia ſed ultimus lethale; qui lethale vulnus inflixit fit irregularis, modo qui vulnus leve, vel vulnera levia inflixerunt non cooperati ſint ad mortem. Quando autem primus percuſſit lethaliter, & cæteri advenientes lethaliter percuſſerunt: videndum eſt an percuſſus obierit ſtatim ac fuit percuſſus à ſecundis, ſi ſtatim obiit, primus non videtur irregularis: quia mors ſecuta non fuit ob percuſſionem primi: Tradens etiam arma Titio ad occidendum Cajum fit irregularis, dum habuit ſuſpicionem vel notitiam patrati homicidii, ſecus dicendum, ſi ille, cui tradita ſunt arma ad occidendum; non occidit inimicum cum traditis armis, ſed cum aliis, & propterea qui tradidit arma non incurrit irregularitatem ſecuto homicidio; quia non influxit in homicidium Cooperator committit homicidium voluntarium quando lethale vulnus ſuis manibus infert, nam lethale vulnus inferens directe in actu exercito, vult inferre mortem; ſi vero cooperator homicidii non infligit ſuis manibus lethale vulnus, nec intendit homicidium, ut qui ſolum comitatur homicidam, vel ei aſſiſtit, nec intendit mortem, non videtur committere homicidium proprie voluntarium, & conſequenter non incurrit irregularitatem homicidii voluntarii.

6 Qui voluntarie non impedit homicidium, quod tenetur ex juſtitia impedire incurrit irregularitatem, non autem qui involuntarie non impedit, quia non eſt culpa niſi voluntaria, & irregularitas ex delicto non incurritur, niſi adſit culpa, & voluntatis conſenſus: ad incurrendam autem irregularitatem ob omiſſionem non ſatis eſt quodlibet voluntarium, aut qualibet inadvertentia etiam culpabilis: ſed opus eſt, ut mors ipſa, ſeu mortis periculum prævиſum fuerit, & directe volitum: ſi vero teneatur ex ſola charitate: quia peccat ſolum contra charitate; unde qui non revelat Cajo homicidium contra ipſum initum, peccat contra charitatem, & non fit irregularis. Princeps autem non impediendo neces, Judex non impediendo injuſtam ſententiam contra vitam innocentis, Medicus non curando eos, à quibus pretio conductus eſt ligatur irregularitate ſecuta morte; nam tenetur ex officio, & ex juſtitia impedire.

7 Ratum habens homicidium ſuo no

mine factum ipſo inſciente non eſt irregularis quamvis graviter peccat propter affectum ad homicidium; quia rati habitio, ſeu approbatio homicidii jam facti non eſt injurioſa, vel injuſta contra occiſum, cum nihil influat in homicidium, quod jam præteritum eſt; ſecus ſi approbat homicidium ipſe proſpicit, & præſeus adeſt, ſciens illud ſuo nomine, ſeu occaſione, ſeu propter ipſum committi, tunc.n. moraliter eſt cooperatus: & propterea ille non eſt irregularis, qui donat aliquid ei, qui ſuo nomine mortem intulit ſuo inimico, ipſo neſciente; nam tradens donum non influit in homicidium; quod jam præceſſit.

De Diſpenſatione irregularitatis ex homicidio provenientis. *Cap.* 334.

1 SUmmus Pontifex poteſt diſpenſare in qualibet irregularitate proveniente ex homicidio juſto, vel injuſto, voluntario, vel caſuali, cum habeat ſupremam auctoritatem, & poteſtatem, & poteſt in impedimentis juris humani diſpenſare; an vero Religioſi poſſint diſpenſare ſtandum eſt eorum privilegiis. Epiſcopus autem non poteſt diſpenſare niſi in irregularitate proveniente ex delicto occulto excepto homicidio voluntario; Poteſt autem diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali proveniente, modo delictum ſit occultum ex *Tr. ſeſſ.* 2. 6. & propterea non poteſt diſpenſare cum eo qui alium occidit in rixa inopinato ſuborta, licet homicidium ſit occultum, quia provocatus licet principio rixæ non intenderit mortem, in progreſſu autem intendit, & efficaciter vult, poteſt tamen diſpenſare in irregularitate occulta contracta ab eo, qui habebat intentionem leviter percutiendi, ſed accidit ut ſecutum ſit homicidium; ſic etiam poteſt diſpenſare cum eo, qui mandavit ſervo, ut alterum percuteret ſed caveret ne mutilaret, vel oluideret: quia homicidium ſequens eſt caſuale culpabile: ſic etiam poteſt diſpenſare in homicidio occulto patrato cauſa defenſionis non ſervato moderamine, nam in *Tr. ſeſſ.* 24. *c.* 6. nomine homicidii voluntarii non videtur intelligi homicidium volitum cauſa defenſionis: Non autem poteſt diſpenſare cum eo, qui contraxit irregularitatem, occidendo in bello juſto etiam ſi occiſio ſit occulta quia non provenit ex homicidio caſuali, aut ex homicidio juſto voluntario. Poteſt autem Epiſcopus diſpenſare in irregularitate proveniente ex injuſta mutilatione occulta: quia iſta irregularitas conſurgit ex delicto occulto, & *Trid.* concedit Epiſcopo facultatem diſpenſandi in hujuſmodi irregularitate. Quam facultatem non habent Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem quando tamen non habeant Diœceſim; cum juriſdictione quaſi Epiſcopali; poteſt igitur Epiſcopus ſolum diſpenſare in homicidio caſuali: quia hoc non dicitur proprie voluntarium

De Ceſſatione, & diſpenſatione irregularitatis in communi.

Utrum Summus Pontifex, & Epiſcopo diſpenſare poſſint in irregularitate. *Cap.* 335.

1 SUmmus Pontifex diſpenſare poteſt in omni irregularitate jure humano introducta quia ſupremam in terris habet poteſtatem circa ea, quæ jure humano Eccleſiaſtico inſtituta ſunt: quia ſicut poteſt legem condere: ita etiam poteſt eam per diſpenſationem abrogare: ſi autem Summus Pontifex auferret legem qua irregularitatem impoſuit incurrendam ob certam cauſam cenſetur eximere non ſolum à contrahenda in futurum ob talem cauſam irregularitate, verum etiam à contracta ante legis abrogationem, nam ablata lege irregularitatem inducente, cenſetur etiam ablata irregularitas an ea contracta, quia iregularitas fundatur in lege, ergo lege ablata, etiam tollitur irregularitas modo abrogatio legis ſimpliciter, & abſolute fiat, nam ſi apponantur verba reſpicientia ſolum tempus abrogationis perſpicuum videtur, irregularitatem antea contractam non auferri, unde abrogata lege, qua decernitur illegitimos eſse irregulares, ille, qui ante legis abrogationem ex damnato congreſsu ortus fuerat non eſt amplius irregularis: ſed ſi quis celebravit in excommunicatione contracta ob Clerici percuſſionem, non ſit liber ab irregularitate, revocata lege imponente excommunicationem: quia non ob id cenſetur abrogata lex imponens

ponens irregularitatem : nam hic conſiderandæ ſunt duæ leges. Prima continet excommunicationem contra percuſſores Clericorum: Secunda continet irregularitatem contra celebrantes in excommunicatione. Prima abrogatur ut ſuppono, non autem ſecunda, conſequenter ad ſummum tollitur excommunicatio, non autem irregularitas.

2 Epiſcopus dum in ſua Diœceſi exiſtit diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentioſum *Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* tamen nomine Epiſcoporum in præſenti decreto *Trid.* non venit quilibet Epiſcopus, etiam conſecratus, niſi habeat juriſdictionem, & ſubditos, cum quibus poteſt ſolum diſpenſare, non cum extraneis : ſed poteſt diſpenſare cum religioſis exemptis, & Prælatis Inferioribus alias exemptis ; ſe ipſos illi ſubiicientibus in iis caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt cum ſuis ſubditis. Non autem eadem ſubjectio requiritur in obtinenda diſpenſatione irregularitatis, & in obtinenda abſolutione cenſurarum ; nam in diſpenſatione irregularitatis requiritur, ut Epiſcopus habeat juriſdictionem ordinariam in eum, cui concedit relaxationem irregularitatis ; in abſolutione vero caſuum reſervatorum, & cenſurarum impedientium receptionem Sacramenti pænitentiæ ; videtur requiri ea ſolum ſubjectio, quæ ſufficit, ut Epiſcopus Sacramentalem abſolutionem impendat : Nec Epiſcopus extra ſuam Diœceſim poteſt diſpenſare in irregularitate, & aliis caſibus Papæ reſervatis ex *Trid.* loco citato, poteſt autem Epiſcopus extra Diœceſim exiſtens extrajudicialiter abſolvere ſuos ſubditos à cenſuris non reſervatis, vel à ſe latis ; ſecus dic de reſervatis Sedi Apoſtolicæ ; nam ab iis abſolvere poteſt ſolum, dum exiſtit in ſua Diœceſi, ut in *Concil. Trid.* non poteſt autem Epiſcopus diſpenſare, quando delictum eſt publicum, vel notorium : ſed ſolum poteſt, quando delictum non eſt publicum, vel notorium, ut quando eſt notum tribus, vel quatuor tantum, nec eſt fama in majori quantitate viciniæ, vel Collegii de illo delicto ; & ſic quando actio ipſa materialis eſt publica ; ſed delictum eſt occultum in ratione delicti, Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut poteſt diſpenſare in irregularitate, quam excommunicatus contraxit publice celebrando ; ſed illius Excommunicatio erat ignota adſtantibus, quamvis enim celebratio ſit publica, nihilominus delictum cenſetur occultum : quare quando actus eſt materialiter publicus, non vero formaliter in quantum delictum poteſt Epiſcopus diſpenſare, adhuc enim delictum dicitur occultum. Non autem poteſt Epiſcopus diſpenſare in delicto deducto ad forum contentioſum ; quando ſcilicet delinquens accuſatus fuit de aliquo delicto, & nondum ſe purgavit in judicio, nec fuit liberatus definitive, aut ab inſtantia ; Poteſt etiam Epiſcopus dare facultatem alteri, qui ſecum diſpenſet in iis caſibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in irregularitate, & cenſuris ; quia favores ſunt ampliandi : Epiſcopus autem eo ipſo, quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit litteras dimiſſorias, cenſetur cum eo diſpenſare in irregularitate, aut concedere facultatem, ut diſpenſetur ab Epiſcopo, ad quem mittitur pro recipiendis ordinibus, modo ſciat ordinandum eſt irregularem, & intentionem habeat diſpenſandi, quia Epiſcopus non præſumitur velle delinquere, ordinando irregularem, aut concedendo facultatem, ut promoveatur.

Utrum irregularitas tollatur per baptiſmum, profeſſionem, ceſſationem cauſæ, & per juriſdictionem delegatam

Cap. 336.

1 OMnis irregularitas ſaltem conſurgens ex proprio delicto tollitur per Baptiſmum, licet irregularitas non dicatur proprie tolli per Baptiſmum, cum ante Baptiſmum non ſit ulla proprie irregularitas : ſed potius dicendum eſt, hominem non affici irregularitate ob defectum exiſtentem ante Baptiſmum, niſi aliter in aliquo caſu particulari ſancitum ſit in jure aut niſi defectus adhuc perſeverat poſt baptiſmum : quia homo per baptiſmum regeneratur, & fit quaſi novus homo, unde omnis macula, & indecentia aufertur, niſi aliter ſancitum ſit in aliquo caſu, ut in caſu bigamiæ non conſurgentis ex delicto aut niſi perſeveret defectus, propter quem

inducta eſt irregularitas: & quia irregularitas eſt inducta ab Eccleſia in ſuos ſubditos: Infideles autem pro tempore infidelitatis non ſunt ſubditi Eccleſiæ: ergo neque puniri debent pænis Eccleſiæ pro delictis commiſſis tempore infidelitatis ante Baptiſmum, conſequenter ſuſcepto Baptiſmo non remanent irregulares, niſi aliter expreſſum ſit in jure.

2 Per profeſſionem in approbata Religione tolluntur Irregularitates in jure expreſſæ, quare per profeſſionem auſertur irregularitas, quæ provenit ex defectu natalium, ſed ſolum quoad ordines, non vero quoad prælaturas, unde illegitimus non poteſt abſque Summi Pontificis diſpenſatione fieri Abbas, vel Prior, licet hic mos in Religionibus receptus ſit, ut quælibet irregularitas per profeſſionem auferatur: ſive hic mos receptus ſit per conſuetudinem, ſive fundatus ſit in aliquo privilegio, ideo in hac re conſulenda cenſeo ſingularum Religionum privilegia.

3 Irregularitas auſertur ablata cauſa, ob quam fuerat inducta, quoties irregularitas fertur pro tali tempore, pro quo durat talis cauſa, unde irregularitas ex defectu ætatis tollitur ſublato ætatis defectu per adventum legitimæ ætatis, ſecus dicendum de irregularitate, quæ fuit ſimpliciter lata, & non pro tali tempore ſolum, ut in irregularitate homicidii, quæ non tollitur per pænitentiam, & emendationem, ſed per diſpenſationem.

4 Irregularitas tolli poteſt per facultatem à Summo Pontifice conceſſam, aut etiam collatam ab Epiſcopo in iis caſibus, in quibus Epiſcopus jure ordinario diſpenſare poteſt, nam habens poteſtatem ordinariam poteſt eam alteri delegare, & quæ delegatus agit, valide agit auctoritate ſibi ab ordinario commiſſa, facultas autem diſpenſandi conceſſa à Papa Ordinario, vel Confeſſario ſub hanc conditione (Si res ita eſt) expirat morte Papæ, nam hujuſmodi facultas eſt veluti quoddam mandatum; mandatum autem expirat morte mandantis. Illa autem facultas, quæ aliquando tempore Jubilei, vel alia occaſione conceditur, abſolvendi ab omnibus caſibus, cenſuris, pænis, & ſententiis, non intelligitur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitate, niſi fiat illius expreſſa mentio, nam in bulla nomine pœnarum, non intelliguntur irregularitates, ſed pœnæ, quæ præſtant impedimentum conſecutioni Jubilei, & in Bulla adhibetur verbum (abſolvere) quod verbum ſi proprie, & in rigore accipiatur, ſolet tantum accomodari relaxationi cenſurarum.

De conditionibus requiſitis in obtinenda, & concedendo diſpenſatione.

Cap. 337.

1 IN concedenda, & obtinenda diſpenſatione requiritur Primo; ut diſpenſatio ſigno aliquo externo, ſufficienter manifeſtante voluntatem ſuperioris exprimatur, nam diſpenſatio eſt actus humanus: qui debet eſſe ſenſibilis, cum homines non intueantur cor, & interna voluntas inter homines nihil præſtet niſi manifeſtetur. Secundo requiritur juſta cauſa ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 18.* Tertio requiritur, ut exprimatur ſpecies irregularitatis, ſeu delicti, alioquin obſtrictus pluribus irregularitatibus, nullam valide obtinet diſpenſationem, cum non conſtet in qua nam fuerit diſpenſatus: ſecus dicendum, ſi petat diſpenſationem ab omnibus Irregularitatibus, quibus detinetur; tunc enim per generalem diſpenſationem remanet liber ab omnibus. Non eſt autem opus in obtinenda diſpenſatione irregulritatis, exprimere numerum delictorum, propter quæ petens diſpenſationem contraxit irregularitatem; modo delicta non ſint diverſæ rationis, quare ſi excommunicatus centies celebravit, non tenetur in obtinenda diſpenſatione irregularitatis exprimere, ſe toties celebraſſe in excommunicatione, ſed ſatisfacit dicendo, ſe exiſtentem in excommunicatione celebraſſe. Quando autem Titius, qui petiit à Summo Pontifice diſpenſationem irregularitatis contractæ, celebrando in excommunicatione, poteſt in irregularitate diſpenſari ſi poſt obtentam ſupplicationem, & privilegium iterum celebravit in excommunicatione, antequam virtute illius privilegii diſpenſaretur.

2 Non eſt neceſſe in concedenda diſpenſatione dicere *diſpenſo te toties, quoties incurriſti*, ſed ſufficit dicere *diſpenſo te ſuper irregularitate, quam celebrando in excommunicatione contraxiſti*, nam actus diſpenſandi ſufficienter exprimitur his verbis, *diſpenſo te ſuper irregularitate.* Neceſſe tamen eſt eum, qui contraxit irregularitatem, celebrando

in

in excommunicatione, & ſuſpenſione, debere in obtinenda diſpenſatione ſimul exprimere utramque cenſuram: quia delicta non ſunt ejuſdem rationis Qui vero obtinuit diſpenſationem irregularitatis cum expreſſione alicujus cauſæ, non cenſetur diſpenſatus in omnibus irregularitatibus etiam contractis ex alia cauſa per generalem diſpenſationem, niſi revera ſuperior intendat generaliter diſpenſare: quia diſpenſatio ſtrictam habet interpretationem, & una irregularitas ſicut poteſt ſine alia induci, ita poteſt auferri, & conceſſio ſolet accomodari petitioni, unde diſpenſatus indefinite ad ordines, non poteſt promoveri ad majores: diſpenſatus vero ad majores, cenſetur etiam diſpenſatus ad minores, nam ſicut ordines majores virtualiter continent minores, ita diſpenſatio ad majores, virtualiter continent diſpenſationem ad minores; & ſic diſpenſatus ad beneficium non cenſetur diſpenſatus ad ordines, niſi illius beneficii qualitas talem ordinem expoſcat; quare in diſpenſatione non eſt facienda extenſio ad ea quæ expreſsè, vel tacite in ea non comprehenduntur.

3 Non extat certa, & determinata verborum forma in concedenda diſpenſatione irregularitatis nam nullo jure probatur eam requiri, hæc tamen communiter adhiberi poteſt; Diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, quas ob talem, vel talem cauſam contraxiſti: teque habilem efficio ad ſuſceptionem, & executionem ordinum, & officiorum tuorum quantum poſſum in nomine Patris, &c. quando vero dubitatur, an irregularitas contracta ſit, poteſt hæc forma adhiberi. Diſpenſo tecum in irregularitate, ſi forte incurriſti ob talem, vel talem cauſam; ſi vero in diſpenſatione utantur hæc verba ſeu hæc forma, Abſolvo te ab irregularitate, quam contraxiſti, &c. eſt valida, modo diſpenſans intenderit ſub ea forma diſpenſare, quia ad diſpenſationem irregularitatis non eſt neceſſaria certa, & determinata verborum forma, immo non videntur neceſſaria verba, igitur valida eſt diſpenſatio irregularitatis collata ſub hac forma (Abſolvo te,) & irregularitas ſit quoddam vinculum, quod ſufficienter judicari poteſt, diſſolvi, & auferri per verbum (abſolvo, licet verbum abſolvo potius adhibetur ad auferendas cēſuras; quam irregularitates.

DE HORIS CANONICIS.

De iis quæ ad privatam Divini Officii recitationem ab Eccleſia præſcriptam pertinent. De Horarum Canonicarum definitione, inſtitutione, & numero. Quia ſint horæ Canonicæ ſeu Divinum Officium. Cap. 338.

1 DIvinum officium materialiter ſumptum; ſeu horæ Canonicæ per ſe ſumptæ nihil aliud ſunt, quam quædam laudes, & preces ab Eccleſia iſtitutæ, ad orandum, & ore laudandum Deum ſingulis diebus, certis, ac definitis horis, quia horis Canonicis Deus oratur, & laudatur, & collatio harum precum facta eſt ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ recitatur; ob id in privata Divini officii recitatione dicitur, Dominus vobiſcum, & multa in plurali recitantur; unde ſi quis componat aliquas preces, eaſque recitet, non dicitur divinum officium perſolvere, ſed privatâ oratione orare, & horæ Canonicæ voce proferuntur, ad diſtinctionem orationis mentalis, de qua hic non tractatur, ſed ſolum de certo vocalis orationis genere; & eſt onus ſingulis diebus & quaſi ſtatutis horis annexum, & propterea Horæ dicuntur, quia certis diei horis perſolvuntur; dicuntur Canonicæ, quia per Sacros Canones præſcriptæ ſunt, dicuntur Divinum, quia Dei laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & quia in eo multa extant, quæ ex divinis litteris deſumpta ſunt, dicuntur Officium, quia Clerici in hoc præcipue munere officii recitandi exerceri, & detineri debent, Officium autem de Sanctis dicitur, quia in memoriam Sanctorum offertur, ut dicitur Officium mortuorum, quia in ſuffragium defunctorum recitatur.

2 Horæ Canonicæ formaliter conſideratæ, ut ſunt actus orationis, nihil aliud eſſe videntur, quam actus quidam Religionis, vel obedientiæ, aut etiam juſtitiæ, quo non ſolum Deus laudatur; verum etiam explicatur deſiderium Eccleſiæ, & à Deo, vel à Sanctis petuntur res decentes, juxta ejuſdem Eccleſiæ præſcriptum; cum enim Deus officii recitatione, & oratione colatur, & rerum omnium auctor indicetur, qui eſt actus religionis: ſequitur recitationem officii ad virtutem religionis pertinere,

tinere, & eſſe actum obedientiæ; quia virtute obedientiæ recitandum eſt; poteſt autem à Deo obtineri, quod petitur, licet Pſalmi, & preces quæ Deo funduntur, alia habeat ſignificationem, nam Deus intuetur deſiderium, mentem, & cor noſtrum; nobiſque largiri dignatur id quod optamus, licet aliis verbis exprimamus; debemus autem res bonas & decentes à Deo petere: hoc enim eſt commune omni orrationi rite factæ, nam res turpes, aut; saluti noſtræ noxiæ peti non poſſunt abſque peccato, & Deus non eſt mali fautor, & auctor, ſed odio proſequitur impium, unde oratio, qua aliquid malum à Deo petitur non eſt oratio, ſed execratio, Res vero indifferentes, ut divitiæ Beneficium, &c. peti poſſunt ſub conditione tacita vel expreſſa, ſi nobis profutura ſint, vel ſi Deus ea nobis expedire judicaverit: oratio aliquando dirigitur etiam ad Sanctos Divini Officii, ſed diverſo modo, nam Deo funditur oratio, tamquam primario vitæ, & ſalutis auctore; Sanctis vero tamquam adjutoribus ad orandum Deum pro nobis, ad ſuggerendum bona conſilia puraſque cogitationes, ad fugandum Dæmones, ad impediendum mala, & ſimilia, unde orari poteſt Deus non ſolum in virtute meritorum Chriſti, verum etiam Sanctorum: poſſunt etiam animæ in Purgatorio exiſtentes orari, quia per Angelos cuſtodes admonentur,

Quo jure præſcriptæ ſint Horæ Canonicæ. Cap. 339.

1 HOræ Canonicæ non ſunt de jure Divino, ſed Eccleſiaſtico, quia neque ex ſcriptura, neque ex Eccleſiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum teſtimonio colligitur, Canonicas preces jure Divino inſtitutas fuiſſe: & communiter Horæ Canonicæ appellantur, quia per ſacros Canones præſcriptæ, & ab Eccleſia inſtitutæ ſunt ad laudandum Deum, Quæ horæ Canonicæ, quatenus important Divinum officium abſolute ſumptum, & quoad ſubſtantiam, originem uſque à temporibus Apoſtolorum traxerunt, Actorum 3. (Petrus, & Joannes aſcedebant in templum ad oram orationis nonam,) & quod, ſint inſtitutæ jure Eccleſiaſtico, patet ex eo quia Pontifex poteſt diſpenſare cum Clerico Sacris initiato circa obligationem Divini officii recitandi, etiam ſi aliud onus non injungat quod non poſſet ſi eſſent de jure Divino, non autem poſſunt Cardinales cum ſuis familiaribus neque Collegium Cardinalium Sede vacante diſpenſare, nec Epiſcopus ſubditos cum non poſſint circa jus commune; nec Superiores Religioſorum cum Religioſis ſibi ſubditis poſſunt diſpenſare.

Quot ſint horæ Canonicæ. Cap. 340.

1 HOræ Canonicæ ſunt ſeptem videlicet Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpeæ, Completorium; quod eſt communior Doctorum opinio, appellantium Divinum Officium ſeptem horas Canonicas.

De iis, qui ad Horas Canonicas recitandas obligantur. Cap. 341.

1 QUælibet Creatura rationalis orare poteſt, quia oratio eſt quædam locutio, ſeu petitio, qua cum ſubjectione petitur à ſuperiore quod deſideratur: locutio autem ſeu petitio propria eſt creaturæ rationalis, & propterea oratio activa nulli perſonæ divinæ convenit: quia Deus ſuperiorem non agnoſcit, à quo aliquid cum ſubjectione petere poſſit: Oratio autem Chriſto convenit, ut homo eſt: quamvis enim pro omnibus exacte in hac vita ſatis fecerit, nobiſque omnia bona ſua paſſione meruerit: nihilominus dum in Cœlo exiſtit, Deum interpellat pro nobis, non ſolum repræſentando vulnera, & cicatrices, verum etiam petendo bona, quæ modo ſucceſſu temporis conferuntur: nec videtur illicitum, ſpeculative loquendo, Chriſtum, ut hominem rogare, ut pro nobis oret; practice autem, præſertim in publica oratione faciendum non eſſe; quia preces noſtræ dirigi ſolent non ad naturam humanam: ſed ad perſonam in natura humana ſubſiſtentem, quæ ſua poteſtate dare, & conferre poteſt, unde expedit ad Chriſtum orationes fundere, non ut pro nobis oret, ſed tribuat, conferat, & audiat. Oratio convenit Angelis, quia ſunt creaturæ rationales, ſuperiorem habentes: ſic Oratio convenit Sanctis in Cœlo exiſtentibus, & poſſunt

pro

pro nobis orare principaliter in virtute meritorum Chriſti, & ſecundario in virtute propriorum meritorum; ſicut etiam poſſunt pro ſe ipſis orare, non petendo ea, quæ pertinent ad beatitudinem eſſentialem, quia illam jam habent, petere tamen poſſunt, quæ pertinent ad beatitudinem accidentalem, revelationes aliquarum rerum, quas ignorant. Viatoribus oratio convenit, etiam ſi peccatis obſtricti ſint, qui naturam habent rationalem, & fieri poteſt, ut media oratione exaudiantur, & convertantur. Animabus in Purgatorio exiſtentibus convenit oratio: nam ſunt creaturæ rationales, & petere poſſunt, ut ab igne liberentur, unde dum ſciunt remedium extare, nempe pia fidelium opera, ſuffragia, & indulgentias, poſſunt Deum orare, ut fideles excitet ad hujuſmodi remedia præbenda, quæ animæ poſſunt etiam pro viatoribus orare: quia in ſtatu gratiæ exiſtunt, & fieri poteſt, ut intuitu petitionis ipſarum Deus viatoribus bona conferat. Verum Dæmonibus, & damnatis proprie oratio non convenit: quamvis enim ſint Creaturæ rationales, & ſuperiorem agnoſcant: tamen ratione ſtatus in quo reperiuntur, nihil boni à Deo expectare poſſunt.

2 Singuli fideles, poſtquam rationis uſum adepti ſunt tenentur orare jure divino, & naturali; jure Divino, quia frequenter ipſius uſus commendatur in ſcriptura *Lucæ.* 18. oportet ſemper orare, & nunquam deficere; quantum ſcilicet humana fragilitas fert ut explicatur, jure naturæ eſt neceſſaria oratio ex præcepto religionis, vel ex aliis virtutibus, quia, lumine naturę dictante, cognoſcimus, illud petendum eſſe, ſine quo perſeverantia, & auxilia ad ſalutem non obtinentur: ſed hæc petitio eſt oratio; ſine qua non obtinentur ab adoleſcentibus rationis uſum habentibus, auxilia ad ſalutem & ad vincendas tentationes: illa autem Deus confert orantibus *Matth.* 7. Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim qui petit accipit, &c. ideo jure naturali neceſſaria eſt oratio, præcepto autem Religionis non eſt determinatum tempus ad orandum; ſed aliquoties in vita, ut ſingulis menſibus, & in articulo mortis orandum eſt: ex præcepto autem aliarum virtutum, perſpicuum eſt obligationem extare ad orandum: ſcilicet quando peccator diſponere ſe debet ad gratiam, & quando tentationes ingruunt cum periculo ſuccumbendi, tunc enim medium ad peccatorum veniam, & auxilium impetrandum adhibendum eſt ex eo præcepto, quo quis ad gratiam ſe diſponere, & ad vincendas tentationes munire debet; unde ommiſſio orationis tunc temporis mala eſt, quia qui eam ommittit, interpretative cenſetur velle peccatum; ad quod præcavendum orationis actum exercere debet: tenemur etiam aliquando pro aliquo in particulari orare ex charitate, ut in neceſſitate proximo exiſtenti ſubveniamus, dum noſtra indiget ope, & auxilio, nam oratio eſt quædam ſpiritualis eleemoſina, & propterea cum Petrus eſſet in vinculis, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo; quare ſequitur, fideles teneri ex lege charitatis, & miſericordiæ orare pro mortuis: præſertim pro patribus, Parentibus, fratribus, & benefactoribus, nam in magna neceſſitate exiſtunt.

Utrum Religioſi teneantur Divinum Officium recitare. Cap. 342.

1 OMnes Religioſi Choro deputati ex conſuetudine, vel ex peculiaribus decretis tenetur poſt profeſſionem ad perſolvendum Divinum Officium, etiam ſi non ſint ſacris initiati, ſub mortali. Novitii autem ante profeſſionem, & Converſi ante, vel poſt profeſſionem non tenentur ad divinas laudes recitandas, quia non eſt uſu receptum, ut Converſi ad hoc onus obligentur: & novitii non tenentur ad onera religionis nondum facta profeſſione; cum ipſis liberum ſit adhuc egredi; Ex conſuetudine autem obligantur Religioſi ad onus Divini officii: nam nullum aliud jus, vel textus afferri poteſt, quo probetur, ipſos ad hoc onus obligari, non enim jure naturali, quia aliis mediis perfectionem aſſequi poſſunt; immo ſequeretur omnes Religioſos ad idem officium obligari; nam jus naturæ idem eſt omnibus; nec obligantur ob eleemoſinas, quia non conferuntur hac conditione: neque obligantur jure Divino, vel Canonico: quia nullus jus afferri poteſt, cum non extet, & propterea Religioſus, quia in priori Religione tenebatur recitare Divinum Officium, non tenetur ſi tranſeat ad aliam Religionem in qua conſuetudo recitandi intraducta non

ſit: non

ſit: non enim conſuetudo obligat, ubi accepta non ſit. Sic etiam Religioſus, qui compellitur ad triremes, vel per ſententiam eiicitur e Monaſterio, non tenetur ad Horas Canonicas recitandas, quia removetur à ſtatu, in quo ex conſuetudine tenebatur, & transfertur ad alium, in quo obligatio non reperitur, quod debet intelligi modo Religioſus nondum promotus fuerit ad Sacros ordines, quia tunc teneretur ratione Sacrorum ordinum. Moniales profeſſæ Choro deputatę tenentur ad Divinum officium perſolvendum, juxta conſuetudines, & regulas ipſarum. Religioſum autem fugitivum in praxi conſulerem teneri ad recitandum. Igitur Patres Societatis Ieſu; aliique Religioſi, qui non choro, ſed aliis piis operibus exercendis deputati ſunt, non tenentur ex vi profeſſionis ad recitandum officium.

2 Religioſi non tenentur ſub mortali ad illud publice in Choro perſolvendum, nam tenentur ad Chorum vi Regulæ, quæ obligare non conſuevit ſub culpa ſaltem gravi, ſed potius ſub pæna: & propter hoc eſt differentia inter Canonicos, & Religioſos nam Canonici ſtrictiùs obligantur ad Chorum, quia accipiunt beneficium; quod non ſolum confertur ob privatam Divini officii recitationem: ſed maxime ob publicam. Religioſi vero obligantur ad Divinum officium vi Regulæ, quæ cum levem obligationem pariat, levem etiam cauſam ad ſui excuſationem admittit. Poteſt tamen Supérior ſub gravi culpa impónere Religioſis, ut Choro interſint aliqui juſta de cauſa, ut ſi omnes negligant Chorum ita ut Divinum officium penitus in Eccleſia prætermittatur, & propterea ſicut Superior tenetur ſtrictum præceptum ſingulis im imponere; ita ſinguli tenentur intereſſe.

3 Superior poteſt cum Religioſis circa obligationem recitandi officium diſpenſare ex juſta cauſa, ut ex cauſa ſtudiorum aut negotiorum: nam obligatio recitandi officium in Religioſis pendet ex conſuetudine, quæ vim legis habet in Religione & ſicut ſuperior Religionis poteſt in legibus Religionis diſpenſare, ſic etiam in iſta conſuetudine, quæ ſicut introducta fuit conſentiente ſuperiore, ita in ea diſpenſari poteſt, accedente legitimo conſenſu ſuperioris: quod non quilibet, ſed ſupremus ſuperior poteſt.

Utrum Clerici ſacris ordinibus initiati ad horas Canonicas teneantur.
Cap. 343.

1 CLerici majoribus ordinibus initiati jure Eccleſiaſtico tenentur da recitandas Horas Canonica, non autem minoribus ordinibus initiati, cum nulla ratione ſufficienti de minoribus probetur; iſti tamen tenentur recitare bis, aut ter Pſalmos ab ordinario in ordinatione injunctos: immo poteſt in ſua Diœceſi Clericis ſibi ſubjectis præcipere aliquid ſingulis diebus recitandum: quod ſicut poteſt conſuetudine induci, ita etiam fieri poteſt anctoritate Epiſcopi: initiati autem majoribus ordinibus tenentur ad Horas recitandi non jure Divino, ſed Eccleſiaſtico: nam Officium Divinum inſtitutum eſt ab Eccleſia, & propterea initiatus ordine ſacro tenetur ad Divinum Officium privatim recitandum, etiam poſt degradationem, vel poſtquam incidit in aliquam cenſuram: verum Clericus degradatus, aut Excommunicatus non poteſt dum recitat Divinum Officium, dicere, (Dominum vobiſcum;) quia eſt quædam communicatio, & functio ordinis; nec poteſt excommunicatus officium cum aliis recitare, nam per excommunicationem arcetur à participatione cum aliis. Suſpenſus vero etiam ab Officio poteſt cum aliis recitare in Choro, modo nihil faciat pertinens ad officium à quo ſuſpenſus eſt, unde non poteſt munus Hebdomadari exercere, aut dicere Dòminus vobiſcum, quia hæc ad officium pertinent, ſic etiam ſacris iniantus tenetur ad recitandum poſtquam damnatus fuit ad Triremes, vel Captus à Turcis, niſi ob impotentiam, vel ob aliam juſtam cauſam excuſetur.

2 Clericus, qui de conſenſu Summi Pontificis duxit uxorem, tenetur ad penſum Canonicarum precum: niſi forte in hoc etiam fuerit à Papa diſpenſatus, quia adhuc retinet Characterem, ratione cujus viget obligatio recitandi Divinum Officium; & licet ſacris initiatus ſit in ſtatu peccati mortalis, tenetur tamen Officium recitare, vel ſi beneficium habeat: ſic recitans ob aliquem pravum finem, ſatisfacit quoad ſubſtantiam, & non tenetur ad reſtitutionem, modo recitet cum debita attentione, & intentione orandi.

Utrum

Utrum habentes Beneficium onere Divini Officii detineantur.
Cap. 344.

1 HAbentes beneficium Eccleſiaſticum etiam ſi non ſint ſacris initiati, tenentur ex inſtitutione Eccleſiæ ad horas Canonicas: ſive beneficium ſit ſimplex ſive curatum; ſit alia præbenda tituli Clericalis, nam in jure dicitur beneficium dari propter Officium, quod complectitur horas Canonicas, & uſu, & conſuetudine Eccleſiæ ita receptum eſt, quare tenentur ad Divinum Officium qui beneficium habent integre in Commendam, quamvis non habeant titulum Beneficii, cum habeant veram illius adminiſtrationem. Equites Hieroſolimitani gaudentes commendis Eccleſiaſticis tenentur, quia dicuntur habere Beneficia Eccleſiaſtica: verum ſunt aliqua beneficia, quæ ex ſua inſtitutione non obligant ad Horas Canonicas, ſed ad alias preces, ut ſunt quædam ſimplices Præpoſituræ, vel penſionatus, vel Prioratus qui ad recitationem Officii B. V. M. vel alicujus Pſalmi ſolum obligant; immo aliqua beneficia reperiuntur, quæ non obligant ad quid quam recitandum, ut recipiens Beneficium ad pulſanda organa, ad docendam Teologiam, vel ad aliud officium non Eccleſiaſticum non tenetur ad recitandum Divinum officium: licet hæc non dicantur proprie beneficia: ſed fructus dantur per modum ſtipendii ob aliquam actionem temporalem.

2 Habens Capellaniam Eccleſiaſticam, auctoritate Epiſcopi erectam ex quibuſcunque bonis tenetur ad Horas. Penſionarius non tenetur ad Divinum Officium, quia penſio non eſt beneficium proprie acceptum ſed ut Clericus percipiens penſionem tenetur ad recitandum Officium parvum B. M. V. ſub eadem pæna, ſub qua Beneficiarii tenentur ad recitationem Divini Officii: Qui autem percipiunt penſionem, non ut Clerici; ſed obtinent tabula pulſanda, vel ad aperiendos fores Eccleſiæ, &c non tenetur ad Officium parvum: quia non recipiunt penſionem ut Clerici. Clericus autem ſacris intiatus, vel habens beneficium, ſimulque penſionem ſatisfacit ſuæ obligationi unica Divini Officii recitatione, etiam ſi parvum B. V. M. Officium non recitet; ſicut obtinens plura beneficia, aut plures penſiones, unica Divini Officii recitatione oneri ſuo ſatisfacit.

3 Epiſcopus tenetur Divinum Officium ſaltem privatim recitare, quia poſſidet Epiſcopatum, qui inter præcipua Eccleſiæ beneficia comuneratur, idem dicendum de Parocho animarum curatore. Coadiutor beneficiarii ratione coadiutoriæ præcisè non tenetur perſolvere Divinum Officium quia obligatio recitandi Divinum Officium reſidet penes proprietarium: ideo non afficit coadiutorem; alioquin duo ex eodem beneficio obligarentur ad Divinum officium: & ſicut principalis, & coadiutor non tenentur ad alia onera duplicata, ut ad Miſſas vel ad alia, ſed uno ſatisfaciente alter non tenetur, ita neque videtur, utrumque teneri ad penſum Canonicarum Precum ſecus dicendum ſi coadiutoria habeat rationem beneficii Eccleſiaſtici, ut ſi coadiutori aſſignati ſint proventus, ad quorum titulum promoveri poſſit; tunc enim reputantur duo beneficia, vel ſi coadiutor aſſumatur in totum ad onera beneficii: aut ſaltem ad Horas recitandas: tunc tenetur horas recitare: & propterea ſi aſſumatur ad ſatisfaciendum in Choro in locum Beneficiarii, tenetur in Choro canere, & Horas publice recitare, non vero privatim, niſi aliud expreſſum ſit, ſi autem Coadiutor ſit initiatus ſacris ordinibus, licet ratione coadiutoriæ non teneatur ad Horas: tenetur tamen ratione ordinis. Qui etiam privilegium Canonicatus obtinuit cum futura ſucceſſione, non tenetur ad officium, quia non eſt vere Canonicus, nec pro tali habendus eſt vivente principali; nec coadiutor, qui aliquos fructus recipit per modum ſtipendii tenetur ad officium: ſi vero proprie penſionem recipiat, tenetur ad Officium B. V. M. tamquam penſionarius.

4 Beneficiarius tenetur Divinum officium recitare, licet beneficium ſit tenue, ut non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem, quia ſponte ſua acceptans beneficium; acceptat etiam onus illi adnexum: idem dicendum de eo qui majorem fructuum, vel redditu um partem tradit Sacerdoti ſubſtituto, ad peragenda beneficii opera, aut ſua voluntate, aut culpa beneficii fructus non recipit: nam is non eximitur ab onere Officii, quia adhuc retinet beneficium cum jure ad fructus, & onus officii eſt perſonale: & affi-

afficit perſonam juſtum beneficii titulum habentem; idem dicendum de eo, cui collatum eſt beneficium: ſed quia poſt collationem ineptus requiritur ad munus beneficii exercendum, compellitur, coadiutorem aſſumere; illique omnes, aut fere omnes fructus beneficii, pro munere obeundo tradere: tenetur hic ad Divinum officium, quia ipſe habet titulum, & poſſeſſionem Beneficii, & per ipſum ſtat quominus fructus percipiat: ſic tenetur ad officium qui omnes fructus beneficii loco penſionis impendit: quia ipſe habet titulum, poſſeſſionem, & adminiſtrationem beneficii; & eſt per accidens ſi caret fructibus beneficii: & ſic ipſe voluit; idem dicendum de illo, cui reſignatum eſt beneficium, reſervatis omnibus fructibus reſignanti; nam tenetur ad officium quia verum habet titulum Beneficii, & voluntarie beneficium cum hoc onere acceptavit: tenetur etiam ad officium Beneficiarius, cujus beneficii fructus in alios pios uſus ex conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ impenduntur: quia licet illos non percipiat materialiter: recipit tamen quoad fructum, & effectum ſpiritualem, cum in pios uſus impendantur: & quia hujuſmodi conſuetudo non eſt inducta, ut minuatur onus Divini Officii: ſic etiam Beneficiarius tenetur ad beneficium, qui capta poſſeſſione fructus pro aliquo tempore non percipit: ſpem tamen habet aliàs recipiendi: nam titulum habet beneficii, nec ſimpliciter beneficii fructibus caret, cum ſpes illa pretio æſtimabilis ſit, qui etiam ob delictum, vel alia juſta de cauſa privatur fructibus teneturad Officium: quod ſi non recitet non tenetur ad reſtitutionem: ſecus dicendum de illo, qui injuſte, ob bellum, vel alia injuſta de cauſa privatur omnibus fructibus, nam mihi probabile videtur, non teneri ad penſum Officii, quamdiu privatio iniuſta durat, & beneficiarius credit, ſe numquam fructus, recitationi reſpondentes recuperaturum: litigantes autem circa idem beneficium non teneri ad penſum Officii: quia nullus eorum poſſidet beneficium: licet aliquis habeat titulum, & ſperet ſe victorem futurum in cauſa, ſeque fructus habiturum: quia neuter habet jus certum in beneficio; ſecus ſi unus litigantium pacificè incœpit poſſidere beneficium: nam illi incumbit obligatio recitandi; quia habet jus, titulum, poſſeſſionem, & adminiſtrationem beneficii: Ad unum officium recitandum tenetur qui plura beneficia habet, cum legitima Superioris auctoritate: quia Eccleſia præcipit recitationem officii, non pluries, & propterea Beneficiarius plura beneficia poſſidens unum ſpecie peccatum committit: dum officium prætermittit: qui autem plura beneficia injuſte, & abſque legitima ſuperioris facultate retinet, licet directè ex præcepto Eccleſiæ non teneatur ad ullum officium, cum nullum cenſeatur habere beneficium, tamen ex jure naturæ tenetur; quia contra voluntatem Eccleſiæ defraudat Deum debito obſequio, & privat Eccleſiam officio, & miniſterio: qui autem unum beneficium juſtè, & aliud injuſtè poſſidet tenetur ad duo officia perſolvenda; immo aliqui dicunt, illum teneri ad reſtitutionem fructuum illius Beneficii, quod iniuſtè poſſidet; nam nullum jus habet ad illos fructus percipiendos; niſi forte onera illius beneficii perſolverit; tunc enim non videtur improbabile poſſe ſibi tantum retinere quantum alteri ſubſtituto datum fuiſſet.

5 Qui juſtè habet plura beneficia, licet non tenetur toties officium recitare quot ſunt beneficia, tenetur ſaltem tot commemorationes facere, quot ſunt beneficia, ſeu patroni beneficiorum. Ut ſolutionem hujus difficultatis, quam nullus hactenus explicavit quilibet clare percipiat, quatuor explanabo. Primo Beneficiarius illis diebus, quibus commemorationes fiunt, tenetur commemorationem illius Sancti facere, in cujus honorem beneficium erectum eſt, vel à quo Eccleſia illa particularis nomen accepit: quia ſic communi uſu beneficiorum receptum eſt; Secundo tot commemorationes faciendæ ſunt quot ſunt beneficia, modo id commodè fieri poſſit, ſervato Eccleſiæ more, & propterea, ſi quis quam pluribus beneficiis onuſtus ſit, ita ut Patroni nonnullorum beneficiorum ſint Apoſtoli, nonnullorum ſint martires non nullorum ſint Pontifices, poterit unica commemoratione complecti Apoſtolos, alia Martires, alia Pontifices, &c. expreſſis in orationibus nominibus Patronorum, ſi oratio illa expreſſionem commode patiatur: item ſi titularis ſit Beatiſſima Virgo, aut Sanctus Petrus, vel Paulus, ſufficit commemoratio conſueta: quæ in

in Breviario Romano ſuo loco habetur: hoc enim pacto ſervatur uſus, Tertio ommittens Patroni, vel Titularis commemorationem venialiter peccat; quia parvitas materiæ à mortali excuſat; nam ut plurimum beneficiarii tenentur unam ſolum, vel alteram commemorationem facere, propterea non peccant mortaliter in omiſſionem, commemorationum; unde non videtur materia ſufficiens ad mortale peccatum: ſecus dicendum, ſi quis tot beneficia poſſideat, ut illis reſpondeant plures commemorationes: quæ ſimul ſumptæ gravem materiam conſtituant: cenſeo Beneficiarium hujuſmodi commemorationes ommittentem, reum eſſe lethalis culpę, quia violat præceptum Religionis, ſeu obedientiæ, & juſtitiæ in materia gravi; Quarto, ommittens patroni, vel titularis commemorationem juxta communem Doctorum opinionem, ſed ſi plures commemorationes eadem die ommittantur, conſtituentes materiam notabilem, & ſufficientem ad lethalem culpam, arbitror, ommittentem obligari ad reſtitutionem pro rata fructuum reſpondentium ſingulis commemorationibus ommiſſis, & propterea habens duo beneficia, non tenetur majorem fructuum reſtitutionem primi beneficii facere, quam teneretur, ſi ſecundum non haberet: ſed obligatur ſolum pro rata fructuum reſpondentium ſingulis commemorationibus debitis ex propriis titulis; nam quæ ratio eſt recitationis ad æquiſitionem fructuum: eadem eſſe debet ommiſionis ad omiſſionem.

* *Nota, quod damnata fuit ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. hæc propoſitio. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.*

Quando nam Beneficiarii, aut Clericis ſacris ordinibus initiatis aut Religioſi ad Divini Officii penſum obligari incipiant.

Cap. 345.

1 BEneficiarius ad Divinum officium recitandum obligatur ſolum poſt captam beneficii pacificam poſſeſſionem; nam Clericus ante captam Beneficiarii poſſeſſionem, habet jus incertum ad fructus, & impediri poteſt ne illos capiat, unde par non eſt, ut ad onus certum obligetur, modo Clericus beneficiarius non differat ſponte poſſeſſionem capere; nam Eccleſia debito obſequio non debet defraudari ob Illius negligentiam; ſed ſi Clericus per litem impeditur accipere poſſeſſionem beneficii ipſi collati non tenetur ad officium. Coadiutor cum futura ſueceſſione non tenetur ad officium vivente coadiuto; quia non dicitur habere proprietatem, & poſſeſſionem beneficii; quod manci ſcim debet mortuo coadjuto: Secus dicendus, quoties beneficium in alterius favorem reſignatur, cum reſervatione fructuum, translato in reſignatarium titulo, & poſſeſſione, qui penſionis, titulum obtinuit, ſed penſionem non percipit, nec illius in futurum percipiendæ ſpem habet, non tenetur ad officii parvi, vel magni recitationem: ſic etiam non tenetur, qui penſionem obtinuit ante litterarum expeditionem: idem dicendum de eo, in quem translata eſt penſio, ſed non athuenticum inſtrumentum, quo penſionem exigere valeat, ſibi à Notario fieri curavit: nondum enim videtur eſſe in poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem penſionis.

2 Qui Divinum Officium prætermittit poſt ſex menſes à collatione computandos non tenetur ad reſtitutionem fructuum: niſi elapſi etiam fuerint ſex menſes poſt poſeſſionem, ut obligat Summus Pontifex.

3 Clericus Sacris initiatus tenetur ſtatim ſuſcepto Subdiaconatu ad onus Divini Officii, nam ad hoc onus obligatur ratione ordinis Sacri; unde illo ſuſcepto ſtatim obligatur. Idem dicendum de Religioſo poſt profeſſionem: Beneficiarius autem ſacris ordinibus iniatus, & profeſſus tenetur ſolum ad recitandas horas reſpondentes horis in quibus Beneficiarius poſſeſſionem accepit, & initiatus fuit ordine ſacro; & profeſſionem emiſit, qui autem Divinum Officium integre recitavit antequam ordinem, vel beneficii poſſeſſionem caperet, vel profeſſionem emitteret, tenetur iterum ad partem Officii reſpondentem horæ, in qua ordine ſacro eſt initiatus, poſſeſſionem accepit, & profeſſionem emiſit; quia adimpietio præcepti ſupponit obligationem unde qui ante ordinis, vel profeſſiones vel ſuſceptionem beneſficii, nam habebat onus & obligationem Officii recitandi, non ſatiſfac

tisfac

tisfacit præcepto Officii: & propterea ſuſcepto ordine, poſſeſſione beneficii, & facta profeſſione, tenetur iterum recitare pro rata temporis.

De Conditionibus, & Circumſtantiis in recitatione horarum Canonicarum obſervandis.

Quodnam Officii genus adhibendum ſit in recitatione Horarum Canonicarum ſeu qua forma recitandæ ſunt horæ Canonicæ.
Cap. 346

1 OMnes, quid ad horas Canonicas recitandas adſtricti ſunt, tenentur illas ſub mortali recitare juxta Breviarium Romanum; quia Eccleſia irritat, & caſſat reliqua breviaria. Excipiuntur autem Eccleſiæ, quarum Officia approbata ſunt à Summo Pontifice, aut quæ à ducentis, & eo amplius annis, ante editionem Breviarii Pii V. conſuetudinem habeant recitandi Divinum Officium alia forma. Papa tamen concedit illis Eccleſiis facultatem recipiendi Breviarium Romanum cum conſenſu Epiſcopi, & Capituli: & eo acceptato non poterunt amplius ad prius Breviarium ſine licentia Papæ redire: quia prius cenſebitur irritatum

2 Qui habet privilegium utendi Breviario non Romano non poteſt privatim uti Romano, relicto proprio ſuæ religionis, vel Eccleſiæ, vel e contra, quia quilibet debet ſe ſuæ Eccleſiæ in qua degit, accomodare, & conſormare; non nego tamen probabiliter defendi poſſe, præciſo præcepto in contrarium, poſſe aliquem privatim, relicta conſuetudine propriæ Eccleſiæ recitare Divinum Officium juxta Breviarium Romanum; nam recitans Officium juxta Breviarium Romanum conſormat ſe Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum. Clericus autem Mediolanenſis qui Divinum Officium juxta ritum Ambroſianum perſolvere tenetur, poteſt dum Romæ cauſa devotionis, vel negotiorum commoratur officium juxta ritum Romanum recitare; quia ad hoc facit commune axioma: (ſi fueris Romæ, Romano vivito more, ſi fueris alibi, vivito ſicut ibi,) idem dicendum de extraneo: qui juxta decreta ſuæ Diœceſis tenetur in patria ſua officium Divinum recitare ritu quodam particulari; ſi alibi commoratur non ſolum poteſt; ſed etiam tenetur uti breviario, quod in eo loco adhibetur, cum hac diſtinctione tamen; vel extraneus ad aliam Diœceſim accedit, abſque animo ibi conſtituendi domicilium, vel ibi manendi majori anni parte; vel accedit intentione conſtituendi domicilium, vel manendi majori anni parte, ſi accedit abſque animo, non videtur obligandus ad recitandum Breviarium juxta ritum illius, loci cum non ſit proprie ſubditus Superioris, & Epiſcopi illius loci, ſi vero intendit ibi manere, tenetur officium juxta illius loci ritum perſolvere; quia dicitur moraliter ibi eſſe; qui autem duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſiis quæ diverſis utuntur officiis, debet adhibere breviarium, quod adhibetur in Eccleſia, in qua Beneficiarius reſidet: non nego tamen, quin probabilis ſit opinio, aſſerentium, extra Chorum adhibendum eſſe Breviarium, quod adhibetur in ea Eccleſia, in qua quis habet Beneficium dignius: etiamſi alibi habeat pinguius; quia obligatio Divini Officii eſt perſonalis, & ſequitur perſonam ubicumque ſit, & major dignitas prævalet minori: ſi vero beneficia ſint æqualia, liberum eſt Beneficiario extra Chorum adhibere breviarium juxta formulam alterius Eccleſiæ; quia non eſt major ratio cur ad unum potius ritum, quam ad alterum obligetur.

3 Qui utuntur Breviario Romano Pii V. non tenentur extra Chorum ad recitandum officium defunctorum; vel beatiſſimæ Virginis, aut Pſalmos Pœnitentiales, excepto Defunctorum dei, nam ſic expreſſe decernitur in bullis Pii V. & Clem. VIII. exceptis Eccleſiis, in quibus ex conſuetudine recitatur officium B. Virg. Illi vero, qui non utuntur Breviario Pii V. tenentur ſervare conſuetudinem ſui loci, & Eccleſiæ; eo modo, quo conſuetudo recepta eſt; Ideo Sacerdos Mediolanenſis, dum Mediolani commoratur, peccat mortaliter, niſi recitet Officium Defunctorum tempore feriator juxta conſuetudinem Mediolanenſis Eccleſiæ. In die autem Commemorationis omnium defunctorum recitandum eſt officium Defunctorum etiam privatim: quia eſt pars officii illius diei, ut patet ex rubricis, & ex communi Eccleſiæ praxi. Litanias etiam quæ

quæ tempore litaniarum, & Rogationum recitantur, tenentur Sacerdotes, & beneficiarii etiam privatim recitare ſub mortali: quia hæc eſt pars Divini Officii eo die recitandi ut patet ex rubricis, & Calendariis, & extat conſuetudo, immo qui hujuſmodi litanias, & præces non recitant, tenentur ad reſtitutionem pro rata Divini Officii. Qui autem Proceſſionibus litaniarum, & rogationum tempore interſunt; ſed litanias, & preces, quæ ab aliis perſolvuntur, non recitant, vel ad eorum partem non attendunt; ſatisfaciunt etiam ſi recitant litanias breviores; quæ præcipiuntur non intereſſentibus, nam intereſſentes ſtricta obligatione non tenentur ad longiores, & publicas preces, ſed quia dum aſſiſtunt, & interſunt publicis precibus præſumuntur velle oneri ſuo ſatisfacere publica oratione, & recitatione.

4 Qui privatim recitat Divinum Officium lingua Hebraica, Greca, vel Italica non peccat graviter, præciſis aliis circumſtantiis, & ſatisfacit præcepto quoad ritum ſubſtantialem, quia eſt idem officium, licet quoad verba ſit accidentaliter diverſum, & levem culpam admittit, quia facit contra uſitatum Eccleſiæ morem, ſed qui recitat alia lingua non tenetur ad reſtitutionem fructuum: quia præcepto ſatisfacit quoad ſubſtantiam; & ſic ſatisfacit voto, qui ex voto tenetur recitare Pſalmos pænitentiales, aut alias preces ſi recitet vulgari, vel materna lingua: immo in tali eventu ſi faciat ſcilicet cauſa majoris devotionis, excuſabitur ob omni culpa.

5 Graviter peccant, & oneri Divini Officii recitandi non ſatisfaciunt, qui mutant officium unius Diei in Officium alterius, unde peccat mortaliter, & non ſatisfacit, quia mutans Officium non adimplet præceptum quoad ſubſtantiam, nam Eccleſia non ſolum præcipit recitationem Divini Officii in genere, verum etiam in particulari, videlicet, ut tali, & tali die, tale, & tale Officium recitetur, & quilibet tenetur ad Divinum Officium juxta formam, & ritum à Pio V. præſcriptum; ad formam autem, & ritum à Pio V. præſcriptum pertinet diſtributio Officii per dies feriales, & feſtos tempori accomodatos.

6 Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum aliquo, ut relicto proprio breviario recitet Officium juxta formam alterius breviarii, vel ut recitet alium Officium quam præſcriptum: quia non poteſt diſpenſare in lege Superioris, nam Pontifex præſcripſit, ut quilibet juxta Romanum breviarium recitet Officium:

7 Non licet quidquam addere tamquam partem Divini Officii, nam Summus Pontifex eodem pacto, prohibet aliquid addi, quo prohibet quidquam detrahi, dico autem illum à mortali poſſe excuſari; qui aliqua occaſione, non ad mutandum ritum ſed ex devotione indiſcreta aliquid addit, ut curando ut in Choro aliqua commemoratio fiat, ubi non eſt facienda, vel quid addatur tamquam aliquid extrinſecum, ſeu concomitanter ad majorem ſolemnitatem ut ſi inter unum, & alterum pſalmum aliquid cantatur ad organum, vel muſicum inſtrumentum: hoc .n. nullo jure vetitum videtur teſte praxi, modo cantus non ſit laſcivus, vel omnino profanus, quando autem recitandum eſt Officium alicujus Sancti de quo nulla in Breviario mentio habetur recitandum eſt Officium juxta rubricas Breviarii Romani; ita ut in Eccleſia cujus eſt Patronus recitetur Officium Duplex cum octava, vel ſine octava de conſenſu tamen Epiſcopi: addi etiam poſſunt lectiones propriæ, quę ſi hoc tempore addantur approbandę ſunt à Sede Apoſtolica juxta rubricam primam Breviarii Rom.

* *Nota, quod damnata fuit ab Alexandro VII. ſub die 18 Martii 1666. hæc propoſitio. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.*

Quomodo recitandæ ſunt horæ Canonicæ. *Cap. 347.*

1 HOræ Canonicæ recitandæ ſunt ſtudioſè, & devote, quia de ratione orationis vocalis eſt ut ſtudioſè, & devote recitetur; quia ſic expreſſe habetur in Concilio Generali ſub Innocentio III. c. dolentes de celebrat. Miſſarum, ubi hoc præcipitur in virtute obedientiæ in hæc verba. Hæc igitur, & ſimilia ſub pæna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtinctè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum quantum eis Deus dederit, ſtudioſè pariter celebrent, & devotè.

Quid

Quid requiratur, ut officium ſtudioſè perſolvatur. Cap. 348.

1 UT Officium ſtudioſè recitetur requiritur, ut verba non omittantur, vel mutilentur, ſed omnia proferantur, nec ſyllabæ abſcindantur, ſed recitentur ſine ſincopa, unde deficiente hac conditione Divinum Officium non dicitur ſtudioſè, ſed cum defectu, & negligentia recitati, unde omittens in notabili quantitate peccat mortaliter, quia violat præceptum in re gravi, niſi excuſetur ob præcipitantiam linguæ, aut balbutiem quam corrigere nequeat, qui autem cum ſociis feſtinanter recitant, ut nondum expletis verſiculis à ſociis verſiculos ſequentes recitare incipiant, iſti ſuæ obligationi non ſatisfaciunt: quia pars, quæ anticipatę dicitur, non communicatur cum ſociis, qui eam audire nequeunt, unde præſcriptum violatur: & non ſolum illi peccant, qui verba dimittunt verum etiam, qui cum diminutione ſyllabarum recitant: hæc tamen differentia eſt inter abſciſſionem ſyllabarum, & omſſionem verborum, abſciſſio n ultimarum ſyllabarum, non eſt peccatum mortale, ſed veniale: etiam ſi notabilis adſit abſciſſio ſyllabarum: quia non violatur præceptum in re gravi, cum adhuc perſevéret ſenſus, & ſignificatio verborum.

2 Recitantes cum ſocio ſatisfaciunt obligationi Officii recitandi, quia ſibi commune faciunt quod alternatim recitant; & ſic uſu receptum eſt: ſicque fieri conſuevit dum horæ Canonicæ in Choro celebrantur: modo quæ ſecreto dicenda ſunt, ſingulis integrè dicantur, ut Pater, Ave & Credo: qui modus recitandi cum ſocio etiam valet etiam ſi ſocius non tenetur recitare, vel ſocius recitet ſine interna attentione: dum alter recitat ſuam partem, & aliam attente audiat; licet enim reſpectu recitantis nomen orationis non mereatur; eſt tamen oratio reſpectu attente audientis: quod procedit non ſolum in oratione debita ex præcepto Eccleſiæ; verum etiam in debita ex voto, penitentia vel alia oratione: etiam ſi oratio recitanda ſit Roſarium, aut Corona B. V. M. vel Litaniæ. Qui vero ex officio, vel mandato ſuperioris detinentur in pulſandis organis, vel traſferendis libris, vel in thure præbendo, mihi videntur ſatiſfacere aſſiſtentię, & obligationi Chori, & ideo poſſe diſtributiones accipere: non vero ſatisfacit ſimpliciter obligationi Divini Officii; niſi illud poſtea privatim recitet, vel ſaltem niſi attendat ad ea, quæ interim recitantur. Illi Canonici non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem diſtributionum, qui domi privatim recitant Officium: & poſtea in Eccleſia aliis ſervitiis Eccleſiæ, & Chori vel in miniſtrandis Sacramentis, ſeu in audiendis Confeſſionibus detinentur ſi ex officio incumbunt, ea munia obire attentis conſtitutionibus, & uſu Eccleſiæ, quia cooperantur Divino Officio, quantum commode poſſunt.

3 Qui Choro intereſt, auditque ſolum alios recitantes non ſatisfacit præcepto: quia præceptum Eccleſiæ eſt de recitandis Horis Canonicis, unde qui tantum audixt non recitat: qui autem audit ſocios canentes ſuam partem; ſed ipſe ſuos verſus ſubmiſſa voce recitat, ſatisfacit obligationi Divini Officii: quia ipſe recitat ſuam partem, & communicat in parte Sociorum communicantium ſibi ſuam partem quamvis ipſe ſubmiſſe recitando non communicet ſuam partem ſociis, ſed non ſatisfacit Choro: quia redditus Eccleſiaſtici dantur Canonicis ut inſerviant, & cantent cum aliis: & propterea recitans ſubmiſſa voce aliis canentibus non poteſt diſtributiones percipere: quia diſtributiones conferuntur canentibus, & inſervientibus in Choro: ut ex Bulla Pii V. in qua Summus Pontifex fructus, & diſtributiones abſolute denegat intereſsenti, ſed non recitanti, cum hac tamen limitatione, ut ſi extra Chorum recitavit officium, recipiat fructus, ſi vero neque in Choro, neque extra Chorum recitavit amittat fructus, & diſtributiones, nam ratione omiſſionis officii amittit fructus; ratione abſentiæ à Choro jacturam diſtributionum facit. Qui autem adſtant Choro tenentur ad attendendum, & audiendum more orantium, alioquin vana, & inutilis eſset ipſorum præſentia, nam non poteſt quis dici præſens alicui rei, dum ad aliud attendit, unde ea pars Chori, quæ tacet tenetur attendere ad aliam, quæ cantat, eamque audire nam ex vi ſuæ obligationis tenetur ad officium concurrere, & totam orationem aliquo pacto facere ſuam, nec ſatisfacit præveniendo, & privatim recitan-

ta n.

tando partem alterius Chori, & poſtea libere vagando: quia non ſatisfacit publicæ orationi Chori, licet ſatisfaciat privatæ, nam perfecta ſua recitatione tenetur attendere ad ea, quæ ab alia parte canuntur, ut communicet in oratione publica.

4 Non eſt opus, ut recitans privatim officium ſe ipſum audiat, ſed ſufficit, ut omnia verba diſtincte proferat, ſive ſe ipſum audiat, ſive non, quia nullo jure probatur, recitantem ad hoc teneri, nam præceptum obligat ad dicendum non ad audiendum.

5 Officium ut ſtudioſè recitetur, debet perſolvi abſque interruptione partium ejuſdem horæ; non autem peccat mortaliter recitans Divinum officium cum interruptione, ſed ſatisfacit præcepto Eccleſiæ quoad ſubſtantiam ſive ad longum, ſive ad breve tempus intermittat; quare interrumpens horam in medio, vel etiam Pſalmos, non peccat mortaliter; modo poſtea reliquam partem abſolvat etiam ſi partem prius dictam non repetat: quia verum eſt dicere hunc inter eundem diem totum Divinum officium recitaſſe, & ideo Eccleſiæ præcepto ſatisfeciſſe: verum interruptio Divini officii non caret culpa veniali, ſi abſque juſta cauſa fiat, nam eſt contra unitatem moralem uniuſcujuſque horæ & contra conſuetudinem, habet que adiunctam quandam indecentiam: etiam ſi fiat animo repetendi partem jam dictam: ſecus dicendum ſi Divini officii interruptio fiat ex juſta cauſa, quia poteſt etiam excuſari à veniali culpa immo modica, & valde brevis interruptio excuſari poteſt ab omni peccato, etiam ſi fiat abſque juſta cauſa quia parum pro nihilo reputatur.

6 Qui inceptum officium interrumpit animo repetendi jam recitata, quæ poſtea non repetit, vel qui recitat Divinum officium nolens tunc præcepto ſatisfacere, ſed intendens iterum repetere ad ſatisfaciendum præcepto, iſte ſatisfacit præcepto, nec tenetur ex vi præcepti Eccleſiaſtici repetere jam recitata, nam fecit opus ab Eccleſia præceptum; Eccleſia enim non præcipit recitare officium animo repetendi, vel adimplendi præceptum: ſed ſimpliciter præcipit quotidie recitari Divinum officium, ergo ſatisfacit præcepto.

Quid requiratur ut officium devote recitetur. Cap. 349.

1 ATtentio formalis, aut virtualis eſt de ſubſtantia orationis, quia oratio eſt quædam adoratio: quæ fieri debet in ſpiritu, & veritate, & non modo attentio, ſed etiam intentio ad orationem requiritur, ſaltem implicita, & virtualis, & propterea ut officium devote recitetur requiritur intentio illius recitandi; nam Recitatio Divini officii eſt actus humanus, & humano modo exerceri debet, nec poteſt humano modo exerceri ſine intentione orandi, ſeu recitandi; recitans vero horas Canonicas per metum ſatisfacit præcepto: quia metus non tollit abſolute voluntarium & intentionem, ſed recitans cum omnimoda violentia non ſatisfacit præcepto, quia cum vi abſoluta non ſubſiſtit intentio, & voluntarium.

2 Ut officium devote recitetur requiritur attentio ſive illa ſit ad verba, ſive ad ſenſum verborum, ſive ad Deum, vel ad Chriſti paſſionem, vel ad aliam rem piam cum intentione laudandi Deum, vel ad rem, quam petimus, vel ad Sanctos, ad quos orationem dirigimus, & hæc conditio neceſſaria eſt, ut præceptum impleatur: nam Eccleſia præcipit officium devote recitari; devotio autem eſt actus internus, & ideo deum Eccleſia præcipit recitationem officii tamquam actum orationis Deo gratum, oratio autem non eſt Deo grata ſine attentione interna, quæ attentio eſt ſufficiens ſive ſit ad verba, ſive ad ſenſum, &c. ut dictum eſt, quia quæcumque harum eſt actus humanus, & ſignum Divini cultus, & petitionis, quæ Deo interna mente offertur, unde ſufficit, nec aliud ex vi orationis exigitur, & propterea recitans Coronam ex devotione peccat venialiter, dum ea recitat ſine attentione quia licet tunc non teneatur ex præcepto affirmativo orare: nihilominus ex præcepto negativo religionis tenetur cavere actus irreverentiæ, & alloqui Deum convenienti modo, ex ſuppoſitione, quod ipſum alloqui, & orare velit: ſecus dicendum de eo, qui aliquem Pſalmum: vel Hymnum dicit non animo orandi, ſed ut mentem abſtrahat à moleſtiis cogitationibus, vel ut memoriæ mandet, vel ut alium doceat.

Digitized by Google

modum recitandi officium, vel ut ſe recreet: hic enim non peccat; quia non facit contra ullum præceptum, & cum non intendat orare, nec Deum alloqui, non tenetur attendere, qui verò recitat orationes abſque attentione, ad quas tenetur ex præcepto, peccat mortaliter niſi ob parvitatem materiæ excuſetur, aut niſi intentionem habeat repetendi, unde non ſatisfacit præcepto, qui Divinum officium devote non recitat: ita etiam qui recitat Horas Canonicas, vel partem notabilem cum diſtractione confabulando, vel dormiendo peccat mortaliter, niſi forte habeat propoſitum formale, aut virtuale repetendi, & ſupplendi defectus, ut ſi tunc expreſſe proponat repetere, vel etiam tunc non expreſsè proponat repetere, conſuetudinem tamen habeat repetendi, quæ ſine attentione recitavit: hic enim virtualiter habere videtur propoſitum repetendi, & ideo non peccat mortaliter, dum non intendit ea recitatione præcepto ſatisfacere, & perinde eſt, ac ſi tunc temporis non recitaret: præciſo verò hoc propoſito, recitans cum voluntaria diſtractione non ſolùm graviter peccat: verùm etiam tenetur ad fructuum reſtitutionem; immo ſi hoc faciat culpabiliter in Choro, non lucratur diſtributiones quia non ſatisfacit muneri Chori: ille etiam non excuſatur à mortali; qui ita reſtitutionem Divini officii difert, vel ita re componit, ut advertat, ſe ſomno præoccupandum, ut ſi reſervat Completorium Veſperi dicendum in lecto, ſciens ſe illis horis ſomno præoccupari: Satisfacit verò præcepto, qui dum recitat Divinum officium, detinetur in aliqua re exteriori non incompoſſibili cum intentione interna, ut ſi recitat dum ſe veſtit, vel ſpoliat, vel ambular, vel aliquid aliud faciat, ſciens, ſe illas actiones poſſe exercere ſine diſtractione ab oratione; ſecus dicendum, ſi voluntarie, & advertenter occupet ſe in aliqua re incompoſſibili cum attentione interna, ut ſi inter recitandum ſcribat, vel pingat, aut aliud legat, &c. tunc enim non ſatisfacit præcepto: ſed iterum recitare tenetur ſub mortali, ut præcepto ſatisfaciat, qui autem dum recitat Divinum officium involuntarie, aut inadvertenter detinetur in aliqua re incompoſſibili cum attentione, ſatisfacit præcepto: quia illa diſtractio dicitur involuntaria, & cum diſtractione involuntaria adeſſe poteſt virtualis attentio: poſſumus autem eodem tempore Miſſam audire, & Horas Canonicas recitare, ut dictum eſt in Sacrificio Miſſæ audiendæ, quia hæc ad unū finem diriguntur, & attentio Divini officii nō eſt incompoſſibilis cum auditione Miſſæ.

3 Ad ſatisfaciendum præcepto Divini officii attentio actualis non eſt neceſſaria, virtualis ſufficit, habitualis vero neceſſaria, nec ſufficit. Attentio virtualis dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem, quamvis inter orandum involuntarie diſtrahatur, nam illa prior attentio durat virtualiter, niſi expreſſe, vel tacite revocetur; Attentio actualis eſt illa, qua quis actualiter attendit ad ſenſum verborum, vel ad ipſam meditationem paſſionis Chriſti, vel Divinitatis. Attentio habitualis contingit, dum quis recitat aliquid ex habitu, & uſu, nihil ad illud advertens, vel nulla præcedente advertentia in principio, ut ſi quis canat in ſomnis ex habitu juxta quem in vigilia canere conſuevit: attentio igitur actualis ſufficit quidem ad ſatisfaciendum præcepto quia eſt maxima attentio, non tamen eſt neceſſaria: quia difficilimum eſt ſemper eam habere, nec credibile eſt hominem ad opus tam arduum tamquam difficile, vel impoſſibile obligari; igitur attentio virtualis ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto Divini officii, quia cum attentione virtuali ſubſiſtit oratio, & actus humanus, & propterea hæc attentio requiritur; quæ ſufficit eſſe implicitam, & tacitam, ſicut ſufficit intentio implicita orandi, nam cum utraque ſubſiſtit oratio, & actus humanus, immo intentio orandi includit attentionem nam intendens aliquid facere, attendit ad id, quod intendit, & nihil eſt volitum, quod non ſit præcognitum.

4 Non requiritur, ut recitans Divinum officium expreſſe proponat officium recitare attente, & ſtudiosè, ſed ſufficit, ut qui Divinum officium recitat, intendat in genere recitare officium modo conſueto; & ſatisfacit qui officium recitat cum confuſa apprehenſione, & propoſito faciendi opus conſuetum; ſicut ſatisfacit, qui Divinum officium recitat, intentionem habens laudandi Deum, vel ſatisfaciendi ſuo muneri, & ita ſatisfacit, qui accedit ad Eccleſiam de more ibi officium recitaturus: quamvis poſtea recitet involuntarie diſtractus, & pro-

propterea eo ipſo, quo quis voluntarie facit quæ dixi in hoc num. 4. habet intentionem perſolvendi munus ſuum, & etiam habet intentionem attendendi, cum intentio non ſubſiſtat ſine attentione, & attentionem orandi.

uo tempore recitandæ ſunt Horæ Canonicæ ut præceptum Divini officii ritè adimpleatur. Cap. 350.

1 DIvinum officium ſingulis diebus recitandum eſt jure Eccleſiaſtico ex Concilio Lateranenſi, ex Bulla Pii V. & tempus recitandi incipit à media nocte antecedentis diei, & perſeverat uſq; ad mediam noctem ſequentis incluſive; & propterea quia Divinum officium recitandum ſingulis dieb. Dies juxta communem uſum Eccleſiæ incipit a media nocte anteeedentis Diei, uſque ad mediam ſubſequentis, unde non ſatisfacit præcepto, qui recitat officium proſequenti die, excepta recitatione Matutini officii, quia non recitat intra tempus ab Eccleſia præſcriptum, & obligatio affixa diei, non poteſt adimpleri ante adventum illius diei: qnia ante illum diem non eſt obligatio: qui vero Divinum officium intra hoc temporis ſpatium recitavit differendo, aut recitando ante horam præſciptam, non tenetur repetere: ut ſi Veſperas recitavit mane: quia ſubſtantia præcepti adimpleta eſt: & hora fuit præſcripta quaſi ſecundario, & obligatio illius ſervandę ſaltem per conſuetudinem eſt relaxata.

2 Recitans Officium in Choro extra horas præſcriptas præciſo ſcandalo, aliave circumſtantia, ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam, & ideo non peccat mortaliter contra præceptum Divini officii recitandi licet non ſatisfaciat obligationi quoad circumſtantiam horæ, quæ pluris facienda eſt in oratione publica, quam in privata: tamen cogendi ſunt Beneficiarii ad ſervandam circumſtantiam temporis propter vitandum ſcandali periculum, & negligentiam, & ob conſuetudinem, quę ſervata eſt: immo peccatum potius imputandum eſt Superiori, cujus eſt curare, ut officium debito tempore celebretur, quam canonicis paratis ad obediendum: licet autem abſque ulla culpa officium in choro publicè canere hora anticipata, aut poſtpoſita, ut ſi proceſſio facienda ſit, aut habenda ſit concio.

3 Ut peccatum veniale vitetur, ſaltem in privata recitatione, ſervari poteſt conſuetudo temporis legitimè introducta, ut eſt recitatio Veſperarum ante prandium in Quadrageſima, & ſic excuſatur ab omni peccato, qui Primam recitat cum Tertia, Sexta, & Nona duabus, vel tribus horis poſt ſolis ortum: quia hæc eſt moderata, & conſueta poſtpoſitio, nam tempus à jure præſcriptum non conſiſtit in indiviſibili, ſed magnam habet latitudinem, teſte conſuetudine: qui vero Matutinum ſine cauſa differt ad Veſperas, aut completorium ſine cauſa recitat ante prandium, venialiter peccat, quia hæc eſt inſueta, & extraordinaria inverſio, & variatio.

4 Matutinum, & laudes recitari poſſunt in veſperis antecedentis Diei: præſertim ſi honeſta, & juſta cauſa ſubſit, quia permiſſum videtur ab Eccleſia teſte conſuetudine, unde ab omni peccato excuſari poteſt; cavendum tamen eſt, ne Matutinum ſequentis Diei abſque juſta cauſa dicatur antequam officium illius diei fueri perſolutum, Veniale peccatum fugiendi cauſa; nam invertitur ordo Horarum canonicarum, recitando Matutinum ſubſequentis Diei, non expletis horis illius diei, quamvis ſubſtantia Præcepti adimpleatur, qui autem vult Matutinum recitare in Veſperis præcedentis diei, non tenetur ſolis occaſum expectare, ſed poteſt Matutinum perſolvere poſt tempus Completorii; quod juxta communem fere conſuetudinem ſolet eſſe circa tertiam, vel quartam horam poſt meridiem, & propterea Matutinum poteſt aliquando recitari hora vigeſima, aliquando hora vigeſima prima, aliquando hora vigeſima ſecunda pro ratione temporum ſeu longitudinis, & brevitatis diei.

Quo ordine recitandæ ſunt Horæ Canonicæ. Cap. 351.

1 HOræ Canonicæ recitandæ ſunt juxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum: ideo prins recitandum eſt matutinum & laudes; deinde Prima, Terzia, Sexta & ſic deinceps: nam præceptum non ſolum adimplendum eſt quoad ſubſtantiam, verum etiam quoad modum, unde qui or-

dinem gorarum non ſervat, recitando Primam ante Matutinum, aut Veſperas ante alias horas, peccat quidem venialiter, dum facit advertenter, & ſine juſta cauſa, quia non obſervat conſuetudinem, & modum præcepti, non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere: quia adimplet præceptum quoad ſubſtantiam: immo nec peccat venialiter, dum hoc facit ex juſta cauſa: quia ordo, & modus cenſetur à Superiore præſcriptus ſub hac tacita conditione, niſi aliter poſtulet juſta cauſa, unde excuſatur à peccato, qui invitatur ad recitandam Primam, quando ipſe nondum recitavit Matutinum, & ideo poteſt cum eo recitare Primam, recitando poſtea Matutinum, quia habet juſtam cauſam; ſic qui Tertiam recitat, & recordatur ſe non recitaſſe Primam vel Matutinum, poteſt Tertiam proſequi, cum intentione recitandi poſtea Matutinum, vel Primam: idem dicendum de eo, qui ad chorum accedit dum canitur Tertia, ſed ipſe nondum recitavit Matutinum: nec etiam committitur peccatum mortale, ſecluſo contemptu, & ſcandalo ab eo à quo pervertitur ordo ejuſdem horæ, dicendo Pſ. ante Hymnum, aut unum Pſalmum ante alium; immo ſi fiat ex juſta cauſa, excuſari poteſt ab omni peccato, ut accidit quando canonicus, legitimo detentus impedimento non potuit chorum ingredi, niſi inchoata hora, quam ipſe proſequitur cum reliquis uſq; ad finem, animo poſtea ſupplendi partē ommiſſam: verùm gravior culpa committitur, dum in recitatione publica in Choro non ſervatur ordo Divini officii, quàm recitatione privata, quia facilius inde naſci poteſt ſcandalum, & offenſio populi, & gravior cōtemptus Eccleſiaſtici præcepti exiſtimatur.

2 Qui ex oblivione dixit officium de Sancto, quod dicendum erat de feria, ſatisfacit repetendo ommiſſa, quamvis non repetat illa, in quibus utrumq; officium convenit, nam quoad illam partem adimplevit præceptum quoad ſubſtantiam, quod non obligat cum tanto rigore ad repetendum officium, ut ſervetur ordo Pſalmorum etiam qui aliquem Pſalmum, vel horam ex oblivione ommiſit, non tenetur iterum reficere totum officium, ut Pſal. vel horam ſuo loco, & ordine dicat, ſed ſatisfacit ſupplendo ommiſſum; ſic etiam qui inter recitandum advertit ſe aliquod ommiſiſſe, poteſt proſequi uſq; ad finem, & poſtea dimiſſum recitare, ita etiam qui in choro aliquid ommiſſit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet ommiſſum repetere, durante officio in choro, ſed potius debet illud reſervare poſt expletum officium, aut nō debet illius rationem habere, ſi pars exigua ſit, & parva, quia juſtam habet cauſam differendi.

3 Non peccat mortaliter, qui Miſſ m celebrat nondum recitato Matutino; quia recitans Veſperas ante Miſſam non peccat mortaliter quamvis conſuetudine receptum ſit, ut Miſſa dicatur ante Veſperas: ergo neque peccat mortaliter celebrans Miſſam ante Matutinum; immo neque peccat venialiter ſi hoc ex juſta cauſa fiat.

Quo in loco recitanda ſunt Horæ Canonicæ. Cap. 352.

1 Canonici cæterique Choro deputati, Diu, officium in Eccleſia juxta inſtitutionem benefactorum, & conſuetudinem perſolvere debet, niſi aliud cogat neceſſitas, conſuetudo, vel fundatoris inſtitutio, quia quilibet ſtare debet intentioni fundatoris; unde Canonicus, aliuſve beneficiarius, qui Divinum officium in Choro recitare debet non poteſt percipere diſtributiones quæ conferuntur canentibus in Choro, niſi officium in Eccleſia publice perſolverit: verum ſi daretur caſus, quem alias Mediolani contigiſſe novi, ut Canonici ob frigoris aſperitatem, hyemis tempore ſine licentia Epiſcopi Divinum officium in Sacriſtia bona fide recitaſſent, non viderentur jacturam diſtributionum feciſſe: quia moraliter cenſerentur in Eccleſia recitaſſe.

2 Qui ad Chorum, ſeu ad officium in Eccleſia perſolvendum deputati non ſunt, Divinum officium ubique recitare poſſunt; quia nullum jus reperitur hoc mandans, vel locum aſſignans ad Divinum officium privatim recitandum, unde præceptum Divini officii quoad ſubſtantiam adimpleri poteſt, ſive officium recitetur ſtando, ſive ſedendo, ſive ambulando, ſive domi, ſive in vinea, &c. modo non recitetur in loco, ubi impediatur attentio: quia ſe exponeret periculo non ſatisfaciendi præcepto, & modo recitet in loco decenti: quamvis enim præceptum adimpleatur quovis in loco recitetur, tamen peccat um veniale committitur recitando, ſine cauſa, in loco indecenti; quia debita rei ſacræ vene-

veneratio adhiberi non videtur, Canonicus autem, vel alius beneficiarius, qui non potuit intereſſe cum aliis Canonicis, tenetur ubique locorum privatim recitare: non enim quia non potuit intereſſe eſt liber ab obligatione recitandi privatim, licet non poſſit diſtributiones percipere.

3 Epiſcopus non tenetur Choro intereſſe, etiam diebus Dominicis, aliſque feſtis diebus: quia ex nullo textu colligitur hæc obligatio, nec uſu, & conſuetudine receptum videtur: tenetur tamen aliquando choro aſſiſtere, quando id exigit ratio ſui muneris adimplendi, aut vitandi ſcandali, aut exempli, aut alterius circumſtantiæ: quam Epiſcopus prudenti ſuæ mentis conſilio examinare debebit, cum in jure tempus aſſiſtendi præſcriptum non ſit; optimum tamen Conſilium inibit, ſi frequenter interfuerit, Dominicis præſertim diebus, & reliquis ſolemnibus feſtis.

4 De obligatione Parochi ad divina officia publice in choro perſolvenda dicendum eſt cum hac diſtinctione, vel loquimur de rigore juris antiqui, vel de eo, quod longa conſuetudine inductum, & receptum eſt Si de jure antiquo, non ſolum in chatedralibus, & collegiatis, verum etiam in Parochialibus publice perſolvenda ſunt ſingulis diebus Divina officia; ſi vero loquamur de conſuetudine fere univerſali, & moribus Parochianorum fere communiter recepta, arbitror Parochus non ſolum per ſe ipſos non teneri, verum neque per ſubſtitutos ſingulis diebus, immo neq; diebus feſtis omnia Divina officia in choro publice perſolvere, exceptis Veſperis, aut Miſſæ Sacrificio, quod aliquibus diebus feſtis ſolemni ritu perſolvitur, & celebratur; fieri tamen poteſt, ut alicubi talis uſus ſit in viridi obſervantia, aut pecuniaria extent ſtatuta, quæ ſine dubio ſervanda erunt: & idem dicendum de cappellaniis, qui cum ex fundatione non tenentur, nec etiam tenentur hoc onus ſubire.

Quonam corporis habitu, & ſitu recitandum ſit Divinum officium. Cap 353.

1 NOn peccat, qui Divinum officium privatim recitat ſedendo, cum ſtandum eſt, aut ſtando, vel ſedendo dum geneflectendum eſt, quia ritus recitandi officium hoc modo non videtur ſub rigore præcepti, ſed ſolum majoris devotionis gratia [illegible]tus, ſaltem in privata oratione: in pu[illegible]er o facile fieri poteſt, ut aliqua culpa in[illegible]veniat pro ratione circumſtantiæ con[illegible]is actui malitiam unde qui abſque ul[illegible]no cauſa recitat. officium in choro ſedendo, cum ſtandum, vel genuflectendum eſt aliquam culpam incurrit, quia debitam Deo, & Divinis laudibus reverentiam exhibere non videtur, dum aliis genuflectentibus ipſe ſine ulla cauſa publice ſtat, vel ſedet, ingeritque aliquam modicæ in Deum devotionis ſuſpicionem; non autem damnarem veniali orantem uno poplite genuflexo, & altero recto, præciſa tamen ſcandali circumſtantia, quæ in Eccleſiaſticis frequenter inveniri poteſt; quia juxta communem loquendi modum genuflexus dicitur, qui uno genu ad terram deſſexo orat quamquam unicuique conſulendum eſt, ut non unum, ſed utrumque poplitem ad terram flectat, quia majoris humilitatis ſignum exhibebit.

2 In Diœceſi ſeu provincia Mediolanenſi circa, quæ pertinent ad Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, ea Divinum officium caveur, ne cui, proprio in dumento, quodque ordini ſuo, tempori, & officio congruat, in Eccleſia, Chorove non induto, diſtributiones ſtatæ illius Canonicæ Horæ detur.

De Fructu, & effectu recitationis Divini Officii.

Quid requiratur, ut recitatio Divini officii profic. Cap. 354.

1 DIvinum officium dupliciter recitarì poteſt, primo nomine proprio, ſecundo nomine Eccleſiæ: is nomine Eccleſiæ recitat, qui Divinum officium perſolvit tamquam miniſter ad hoc deputatus ex præcepto, vel ordinatione, ut à Beneficiario, vel Clerico ſacris initiato ut officium nomine Eccleſiæ proſit, requitur, Primo prolatio verborum, cum intentione orandi, & cum attentione, nam ſubſtantia Divini offici non ſubſiſtit ſine prolatione verborum, & ſine attentione; & intentione. Secundo ut recitans non ſit vitandus ob excommunicationem aliamve cenſuram, ob quam à Divinis repellitur.

2 Ut officii recitatio, & alia quilibet

 oratio

oratio nomine proprio facta proſit quoad meritum ipſi recitanti, & quo ad ſatisfactionem ipſi, vel aliis, non ſolum requiritur verborum prolatio, intentio, attentio, & carentia cenſuræ, ut dictum eſt, ſed etiam ut oratio in ſtatu gratiæ fiat; nam officium in ſtatu peccati mortalis, vel cum pravo fine recitatum non eſt meritorium, vel ſatisfactorium ſi ſpectetur, ut perſolutum nomine proprio ab ipſomet recitante, nam ſi ſpectetur, quatenus nomine Eccleſię offertur, prodeſt, quia Sanctitas Eccleſiæ ſupplet recitantis defectum, unde officium in mortali peccato nomine proprio recitatum non eſt meritorium, vel ſatisfactorium, quia ad meritum de condigno iſtæ conditiones requiruntur; Prima ut actus in ſe bonus ſit, nam quæ mala ſunt non curat Deus; Secunda ut actus ſit liber, Tertia ut fiat ab homine viatore; Quarta ut fiat ab homine in ſtatu gratiæ exiſtente; propterea oratio peccatoris non eſt meritoria de condigno: ſed ſi loquamur de impetratione fieri poteſt, ut licet oratio peccatoris non ſit ſatisfactoria, tamen ſit impetratoria, quia peccatores Deus etiam aliquando exaudit, & plurima bona confert, ideo conſulendum eſt peccatoribus, ut Deum frequenter orent nam oratio cum fiat ex gratia præveniente, & adiuvante fieri poteſt, ut à Deo exaudiatur, & licet opera peccatoris non ſint ſatisfactoria, aut meritoria de condigno, poſſunt tamen eſſe impetratoria, ſi cum fide, & ſpe præſtentur.

3 Ut oratio infallibiliter impetratoria ſit & obtineat quod petitur, debet habere has conditiones: Prima ut petens ſit vir juſtus; Secunda eſt fides potentiæ, & Clementiæ Dei, certaque fiducia impetrandi quod petitur; Tertia eſt, ut id quod petitur neceſſarium ſit ad ſalutem petentis, vel ad illam conducat, majuſque animæ bonum non impediat; Quarta conditio eſt ut oratio fiat pro ipſomet orante, licet probabile videatur hanc conditionem neceſſariam non eſſe, nam oratio habet certam, & infallibilem impetrationem, etiam ſi pro aliis fiat, modo ex parte aliorum non adſit incapacitas, nec cæteræ conditiones deſint Quinta conditio eſt perſeverantia, nam non oportet orationem intermittere: etiam ſi ſtatim, quod petitur, non obtineatur, & ideo orationi tamdiu inſiſtendum eſt, quamdiu opus eſt ad rem conſequendam.

Quibusnam proſit Divini officii recitatio & quomodo. Cap. 355.

1 RECitatio Divini officii quoad fructum infinita eſt extenſive, & prodeſt omnibus fidelibus, ſi fiat ab eo; qui ex Eccleſiæ præcepto, vel conſuetudine Divinum officium recitare debet, quia hæc oratio cenſetur publica; ob id etiam, dum officium privatum recitatur dicitur (Dominus vobiſcum, Tu autem Domine miſerere noſtri,) &c. non licet autem quemquam ab oratione publica excludere quia officium nomine Eccleſiæ recitatur, ergo prodeſt ipſi Eccleſiæ juxta proportionem, quam Deus novit, Eccleſia autem nihil aliud, quam fidelium congregatio, ſi vero divinum officium ex mera recitantis voluntate recitetur, tanquam à perſona privata prodeſſe ſolum videtur ipſi recitanti, & iis, quibus ipſe officii fructum applicare intendit; nam non recitat tamquam miniſter ab Eccleſia deputatus, ſed nomine proprio, unde illis tantummodo prodeſſe videtur, pro quibus recitans orare intendit: & propterea officium prodeſt omnibus, ſi recitans pro omnibus orare intendat, modo illi, pro quibus orat, nondum ſint in termino, ſed illum aſſequi poſſunt; unde nos omnium ſalutem optare, & pro ea Deum rogare poſſumus, prodeſt etiam ſingulis, non ſolum amicis: ſed etiam inimicis, tam fidelibus, quam infidelibus, ſi pro ipſis oratio fiat, & pro quolibet debito modo orare poſſumus: beatis autem, qui beatitudinis terminum aſſecuti ſunt, oratio non prodeſt, non ſolum quoad meritum, ſed nec quoad impetrationem, vel ſatisfactionem, licet proſit quoad honorem, & cultum; nec oratio fieri poteſt pro iis, qui beatitudinem aſſequi non poſſunt; nam oratio fieri debet pro illis, quos oratione noſtra juvandos ſperamus; unde ſi conſtaret de aliquo reprobum, & præſcitum eſſe, pro ipſo orandum non eſt ſicut nec pro illo, quem conſtaret in notorio mortali peccato mortuum eſſe. Idem dicendum de damnatis in inferno exiſtentibus.

2 Fructus Divini officii non æque prodeſt multis, ac uni tantum, ſi loquamur de fructu quem medium appellavimus; quia hujuſmodi fructus finitus eſt, ſicut eſt finitus fructus ipſi recitanti reſpondens; fini-

tum

Digitized by Google

tum autem ablatione finiti conſumitur, & ſi in plures dividatur minus ſingulis contingit, quam ſi una tantum traditum fuiſſet & ſic oratio ſecundum ſe videtur efficacior ad impetrandum, ſi pro uno offeratur, quam pro pluribus.

3 Recitatio Divini officii non prodeſt ex opere operato, ſed operantis, quia recitatio precum non prodeſt ultra meritum Eccleſiæ, cujus nomine offertur; Recitatio Divini officii prodeſt aliis etiam ſi recitans [illegible] peccati morta liſexiſtat, quatenus fit nomine Eccleſiæ; quia militia miniſtri non nocet operi boni auctoris: auctor autem videtur Eccleſia cujus nomine oratio off[illegible]

De Gravitate culpæ, & pœna reſtitutionis fructuum ab eo faciendæ qui penſum Canonicarum precum prætermittit

Utrum prætermittens horas Canonicas mortaliter peccat
Cap. 356.

1 QUi ad Horas Canonicas recitandas tenetur, mortaliter peccat eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo, quia violat præceptum in re gravi pertinente ad virtutem Religionis, & ad colendum Deum. Notabilem vero partem eſſe arbitrior horam parvam non tamen tertiam, vel mediam partem horæ parvæ, quia videtur modica, & levis, & non ſufficiens ad mortale

2 Qui ratione ordinis Sacri, & beneficii. Divinum officium recitare tenetur plura ſpecie peccata committit, unum contra obligationem ordinibus adnexam, alterum contra obligationem ex beneficio conſurgentem, quia violatur virtus Religionis, & lęditur juſtitia ratione beneficii immo quilibet Clericus adſtrictus onere Divini officii committit etiam peccatum contra ſpecialem obedientiam; quia in c. dolentes de celebrat. Miſſæ, imponitur præceptum in virtute obedientiæ. Secus dicendum de Religioſis, qui poſt profeſſionem ex ſola conſuetudine, & non ex Eccleſiæ præcepto tenentur ad Divinum officium: hos enim arbitror unum tantum ſpecie peccatum contra Religionem committere; quia hæc conſuetudo videtur inducta ſolum ex motivo Religionis: unde ex noſtra ſententia ſequitur pœnitentem, qui Divinum officium prætermiſit, teneri in confeſſione aperire titulos ſuæ obligationis, ſcilicet beneficii, & ordinis.

3 Beneficiarius, aut initiatus ordine ſacro prætermittens aliquo die Horas Canonicas non tot numero peccata ommittit, quot ſunt horæ ommiſſæ; præciſis actibus voluntatis moraliter interruptis, & propterea, ut hoc clare, & diſtincte explicem dico primo omittendo D officium, toties in die peccare peccato interno, quoties moralite rrepetit voluntatem ommittendi offi- [illegible] mane ſtatuit non recitare Divinum officium, & poſtea ſæpius in die repetit voluntatem non recitandi, toties peccat, quot ſunt actus peccaminoſi voluntatis moraliter interrupti; dico Secundo, qui uno die Divinum officium ommittit: committere unum tantum peccatum externum ommiſſionis conſummatum, ſi ommiſſio per ſe consideretur; quia dicitur unum tantum officium ommittere, ſingulis diebus perſolvendum; unde qui differt recitationem Divini officii uſque ad Veſperas, & in Veſperis proponit non recitare officium, committit unum tantum peccatum mortale, non ſolum externum, ſed etiam internum, ſi poſtea non repetita moraliter voluntate tradat ſe ſomno unde in confeſſione ſatisfacit, dicendo, ſe Divinum officium ſemel prętermiſſe ſicut tenetur dicere ſi totum officium, vel aliquas horas vel notabilem illius partem ommiſit: ſicut exprimendus eſt numerus actiuum voluntatis moraliter interruptorum: quibus quis decrevit Divinum officium ommittere: Qui vero recitato Matutino, cæteras horas ommittit committit unum peccatum externum ommiſſionis: quamvis interius ſæpius peccet repetitione actuum voluntatis moraliter interruptorum: non autem committit plura peccata: qui habens plura beneficia ommittit recitationem officii.

4 Si lata eſſet excommunicatio, ſeu cenſura contra non recitantes horas Canonicas, incurreretur; dum non amplius vacaret tempus ad horas recitandas; quia cenſura incurritur ob peccatum externum completum.

Utrum qui recitationem Horarum Canonicarum prætermittit, ad reſtitutionem fructuum teneatur aliamque pœnam incurrat. Cap. 357.

1 HIc ſermo eſt de reſtitutione facienda ab iis, qui privatim Divinum officium non recitant, unde dico Beneficiarios habentes onus recitandi Divinum officium titulo beneficii teneri etiam ante ſententiam judicis ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis officii; ſi elapſis ſeſſionem officium culpabiliter non recitaverint: etiam ſi alio die penſum prætermiſſum ſupplere conentur: niſi forte pars ommiſſa levis ſit ut patet ex Conc. Lateranenſi, ſub Leone X. & ex Bulla Pii V. qui autem alio Titulo ad horas Canonicas obligatur non tenetur ad reſtitutionem, ut ſunt Clerici ſacris ordinibus initiati nullum tamen beneficium habentes, quia nullos percipiunt fructus: Qui etiam bona fide, vel ex naturali oblivione, vel ex legitimo impedimento Divinum officium non recitarunt, nõ tenentur ad fructuum reſtitutionem: quia non dicitur culpabiliter, officium ommiſiſſe: tenetur autem ad reſtitutionem; qui alio die ſupplet defectum in recitatione Divini officii commiſſum: quia obligatio officii recitandi eſt affixa diei: Nec tenetur Confeſſarius in ſatisfactionẽ ommſſi officii, novam ejuſdem officii recitati onem, vel quid æquivalens injungere ſed arbitrio prudentis Confeſſarii injungenda eſt congrua, & rationabilis pœnitentia; quia ſicut Beneficiarius non tenetur tranſacto die officium præteritis diebus ommiſſum ſupplere; ſic nec Confeſſarius tenetur hoc onus injungere; Tenetur autem Beneficiarius ob ommiſſionem officii ante ſententiam Judicis ad reſtitutionem fructuum; quia beneficium confertur ſub hac tacita conditione, ut beneficiarius percipiat fructus, ſi officium recitaverit, & Cenc. Later. & Pius V. obligat in conſcientia beneficiarium in pœnam delicti ad reſtitutionem fructuum; Si autem beneficiarius ommittat officium primis ſex menſibus peccat quidem mortaliter; quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in gravi, & contra finem propter quem datur Beneficium tamen non tenetur ad reſtitutionem ob Divinum officium primis ſex menſibus ommiſſum, nec ex diſpoſitione juris Eccleſiaſtici, nec ex natura rei quia obligatio reſtituendi impoſita eſt elapſis ſex primis menſibus ſi vero Beneficiarius ommiſit paucos verſiculos, vel unum Pſalmum non tenetur ad reſtitutionem ob Divinum officium ommiſſum.

2 Non ſolum ad reſtitutionem fructuum obligatur qui totum officium prætermiſit, verum etiam, qui aliquam partem notabilem ommiſit cum peccato [illegible] ſub mortali ad reſtitutionem, qui ſæpius partem notabilem Divini officii ommiſit; quamvis ſingulis ommiſſionibus non reſpondeat pars notabilis fructuum; ſed pars notabilis reſpondeat omnibus ommiſſionibus ſimul ſumptis, quia ex violatione juſtitiæ commutativæ oritur obligatio reſtituendi; ſic etiam tenetur ad reſtitutionem, qui eodem die in ſingulis horis paucos verſiculos ommiſit: qui ſimul ſumpti gravem materiam conſtituunt: quia ſicut continentur in ordinem ad gravem culpam, ita etiam in ordine ad reſtitutionem. Qui hebet plura beneficia tenetur fructus omnium beneficiorum pro rata officii culpabiliter ommiſſi reſtituere: quia ſicut ratione omnium tenebatur officium recitare; ita etiam fructus omnium pro rata officii dimiſſi reſtituere tenetur, ſic etiam tenetur ad reſtitutionem, qui Divinum officium recitavit abſque attentione; quia perinde eſt, ac ſi non recitaſſet, & idem dicendum eſt de recitante officium in Choro abſque atentione, qui non poteſt retinere fructus, neque diſtributiones. Non vero tenetur ad reſtitutionem qui in peccato mortali cum attentione recitavit Divinum Officium: quia non ommiſit officium, ſed adimplevit præceptum Eccleſiæ, cum Eccleſia non præcipiat Divinum officium in gratia recitari; obligant ad reſtitutionem; immo Excommunicatus recitans officium in excommunicatione poteſt retinere fructus, & diſtributiones; modo ſuum præſtet officium. Ille vero, qui nondum finito officio è Choro egreditur, graviter peccat; poſita materia gravi, & ideo ad fructuum reſtitutionem obligatur. Penſionarius autem, qui tamquam Clericus recipit fructus, & parvum B. V. M. officium ommiſit, tenetur ad reſtitutionem eo modo, quo tenetur Beneficiarius.

3 Om-

3 Ommittenti Divinum officium præter obligationem reſtitutionis impoſita eſt pæna privationis beneficii, ſi Beneficiarius ultra præfatum tempus ſex menſium admonitus neglexeriet officium recitare ex decreto *Conc.* Lateranenſis, quæ pœna non ipſo facto incurritur, quia Summus Pontifex menſes faciendam ei qui Divinum officium recitare neglexit; illum autem cenſetur officium negligere, qui intra quindecim [illegible] non recitaverit ex *Conc.* Lateranenſi.

* *Nota bis, quod Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit hanc propoſitionem!. Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.*

* *Nota, quod hodie ab Alexandro VII. damnata fuit ſub die 18. Marti 1666. hæc propoſitios: Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.*

* *Nota hic, quod hodie ab Alexandro VII. ſub die 24. Septembris 1665. damnata fuit hæc propoſitio. Habens Capellaniam collativam, aut quod vis aliud Beneficium Eccleſiaſticum; ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi per alium recitet.*

Quomodo facienda ſit reſtitutio, ſeu quænam fructuum portio reſtituenda ſit propter Divini officii ommiſſionem.

Cap. 358.

1 Reſtitutio facienda eſt eo pacto, quo à jure præſcripta eſt, & in conſtitutione Pii V. his verbis conſtat. Verum multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui Horas omnes, uno vel pluribus Diebus intermiſeri, omnes Beneficii, ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum dimidiam, qui ceteras omnes horas aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, quæ Bulla ex Doctorum ſententia poteſt dilatari, & aliquam moderationem recipere; itaut Beneficiarius ommittens Divinum officium non teneatur ad reſtitutionem omnium omnino fructuum, ſed ſolum reſpondentium oneri Divini officii: ideo inquiunt nonnulli D.D. quod Parochus, aut Epiſcopus ommittens officium debet reſtituere tertiam; vel quartam partem fructuum pro rata. Cæteras partes fructuum videtur poſſe ſibi retinere ratione aliorum onerum: Canonici, aliqui habentes obligationem reſidendi, reſtituant dimidiam; alii habentes onera Capellaniæ reſtituant dimidiam, vel tertiam partem; Simplices vero Beneficiarii qui ſolummodo tenentur ad Horas Canonicas reſtituere debent omnes fructus, pro rata officii: Hæc autem Bulla debet recipere hanc obligationem, & moderationem; quia nonnulli Beneficiarii non ſolum recipiunt fructum pro recitatione officii verum etiam pro aliis laboribus, & oneribus: ergo par eſt ut in reſtitutione, non ſolum habeatur ratio officii ommiſſi: verum etiam aliarum obligationum, & onerum, quæ cum ſint diverſa facienda eſt diverſa commutatio: nec pair eſt, ut gravius damnum patiatur Beneficiarius, qui præter officii obligationem alia onera ſuſtinet: quam qui ſolum habet recitandi officii obligationem; ideo dum in Bulla dicitur, ommittentem Divinum officium, debere omnes fructus reſtituere, ſermo eſt de fructibus reſpondentibus recitationi Divini officii, non vero de fructibus reſpondentibus aliis oneribus; nec præſumendum eſt Summum Pontificem loqui ultra ſubjectam materiam, niſi clare, & ſufficienter exprimat, unde cum Bulla expreſſe non præſcribat contrarium: ſtandum eſt diſpoſitioni juris antiqui & quia ex ſententia contraria ſequeretur Clericum habentem Capellaniam reddentem quinquaginta aureos; quos omnes Clericus in onere Capellaniæ perſolvendo expendit: teneri alios quinquaginta reſtituere: ſi Divinum officium illo anno non celebret: hoc autem durum videtur, & hæc eſt praxis Beneficiariorum, & conſuetudo: quæ non eſt facile carpenda, niſi manifeſte conſtet de ipſius malitia, & iniquitate: & hæc Bulla edita eſt ad tollenda dubia, ut conſtat ex præcitatis verbis, ſed dubium non erat de fructibus reſpondentibus aliis oneribus; ſed de illis qui debentur ratione officii, unde Bulla de his tantum explicanda eſt.

Cui

Cui facienda ſit fructuum reſtitutio.
Cap. 359.

1 RESTITUTIO ob ommiſſionem Divini officii facienda eſt fabricæ beneficii, vel pauperibus, ut patet ex Bulla Pii V. & ex Conc. Lateranenſ. ex quo patet liberum eſse Beneficiario reſtitutionem facere pauperi, aut fabricæ Beneficii, modo aliud non ferat conſuetudo, vel ſtatutum alicubi receptum, & propterea reſtitutio neceſsario non eſt facienda in utilitatem Eccleſiæ Beneficii: ſed fieri poteſt in utilitatem fabricæ domus Beneficii vel alterius domus ipſius aut etiam in emendis, vel meliorandis agris, ut fructus in perpetuum augeantur, nec poteſt reſtitutionem facere in utilitatem alterius loci; quia Pius V. mentionem facit fabricæ, & pauperum, niſi hæc reſtitutio redundet in utilitatem pauperum. Pauperibus autem poteſt fieri non ſolum loci in quo beneficium exiſtit: ſed etiam pauperibus alterius loci: quia Bulla generaliter loquitur de Pauperibus, quæ reſtitutio etiam fieri poteſt in celebrandis miſſis, vel in aliis ſuffragiis offerendis pro Defunctis: nam etiam Defuncti ſunt indigentes,

2 Penſionarius qui parvum B. V. officium prætermiſit, tenetur fructus reſtituere fabricæ, vel pauperibus, non vero Beneficiarius: quia in Bulla Pii V. dicitur Penſionarium obnoxium eſſe amiſſioni fructuum modo prædicto; ideſt eo pacto, quo Beneficiarius obligatur, & propterea Beneficiarius, qui novit Penſionarium non recitaſse Divinum officium, non poteſt penſiones denegare penſionario, ut ſibi retinent fructus penſionis ob ommiſsum officium, qui debentur fabricæ Eccleſiæ; vel pauperibus, non vero Beneficiario.

3 Beneficiarius pauper poteſt ſibi applicare, quod reſtituendum eſt ratione officii ommiſſi, modo vero pauper ſit, quia non videtur deterioris conditionis aliis pauperibus: quamvis enim peccet officium ommittendo, tamen cum pauperibus reſtitutio facienda ſit, & ipſe ſit pauper; negandum non videtur, quin gaudere poſſit fructu Ecclemoſynæ, quæ pauperibus tribuitur, nec in præcitatis juribus excluditur: modo aliud non conſtet, aut aliud rationabiliter non præſumatur de voluntate Summi Pontificis: vel ex conſuetudine, vel ex ſtatuto particulari non ſit facienda reſtitutio ad aliquod certum pium locum, vel opus, aut non ſit facienda aliis Canonicis, vel Clericis illius Eccleſiæ, quia Summus Pontifex non intendit hujuſmodi ſtatuto, vel conſuetudini derogare, ſed determinat cui facienda ſit reſtitutio, quando alias non eſt determinatum.

4 Beneficiarius, qui Divinum officium non recitavit poteſt ſibi retinere fructus quos titulo donationis accipit à pauperibus, vel piis locis, quibus traditi fuerunt, ſeu quibus tradere intendebat, vel promiſerat, & non ſolum fructus, ſed etiam diſtributiones poteſt retinere, quoties ſine fraude, & dolo traditæ jam fuerunt Canonicis, qui interfuerunt Divinis officiis, & ab ipſis poſtea reſtituuntur Canonicis, qui non interfuerunt, nam in *Conc. Trid.* ſolum prohibetur remittere, ſeu condonare, non vero donare poſtquam re accepta fuit.

5 Colluſio eſt conventio inter duos importans mutuam condonationem, ſeu remiſſionem mulctæ quamquam in *Conc. Trid* non ſolum prohibetur colluſio, verum etiam ſimplex remiſſio; etiamſi bona fide fiat; remiſſio autem eſt condonatio illius quod ſperamus, ſed nondum habemus, ſed potius adhuc eſt penes debitorem: Unde Canonicus, qui nō interfuit Divinis officiis non poteſt ſibi remittere diſtributiones, quarum remiſſionem obtinuit à reliquis Canonicis, quibus de jure obveniunt dum Canonicus abſuit alia de cauſa, quam infirmitatis vel juſtæ corporis neceſſitatis; poterit vero jure communi eas retinere, ſi donatione ſibi traditæ fuerint, & reſtitutæ.

De caſibus excuſantibus à recitatione Horarum Canonicarum, & fructuum reſtitutione.

Utrum gravis infirmitas excuſet à recitatione Horarum Canonicarum.
Cap. 360.

1 INfirmitas gravis, ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini corporis, juſtam præbet excuſationis cauſam à Divini officii recitatione ſicoli-

colligitur ex c. Clericus victum diſt. 91 unde levis non excuſat qualis eſſe poteſt dolor Stomachi, Capitis, vel Pectoris, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana, cum hujuſmodi febris non ſoleat toto die vehementer affligere, ita ut non vacet tempus ad Divinum officium recitandum: infirmus autem aliquando poteſt excuſari à recitatione Horarum Canonicarum in Choro, quamvis non excuſetur à recitatione privata; ut quando quis pedibus ita laborat ut Eccleſiam adire nequeat quamvis alioquin bene valeat, aut dum quis ob morbum cogitur in lecto decumbere, ſed morbus non eſt adeo gravis, quia horas privatim recitare permittat; & propterea, quando dubitatur an recitatio Divini officii valde nociva ſit valetudini, ſtandum eſt judicio prudentis Medici; nec tenetur infirmus tranſacta infirmitate recitare, quæ in infirmitate prætermiſit; quia onus perſolvendi officium eſt affixum diei, nec tenetur ſi per ſe ipſum recitare non poteſt, per alium ſupplere, nam onus recitandi, ut dictum eſt, perſonale: nec tenetur loco officii alias orationes ſuſtituere, aut alium recitantem audire hoc enim ab Eccleſia non præcipitur. Peregrinatio autem ad loca pia non eximit Peregrinum à privata recitatione Divini officii; idem dicendum de Adoleſcente, qui ſtudiis operam navet.

Utrum gravis occupatio, & impotentia excuſent à recitatione Divini officii. *Cap. 361.*

1 GRavis occupatio honeſta, & neceſſaria, quæ in aliud tempus differi non poteſt commode abſque ſcandalo, vel peccato, vel detrimento ſui, vel proximi excuſat ab onere Divini officii, unde aliquando poſſunt excuſari Concionatores, Confeſſarii, vel etiam alii; qui tamen gravi occupatione detinentur tenentur officium anticipate recitare ſi occupatio anticipatam recitationem petat; obligatus autem ad recitationem horarum non poteſt voluntarie ſuſcipere aliud munus, & officium, cujus executio incompoſſibilis ſit cum recitatione Horarum, modo non adſit gravis aliqua neceſſitas illius ſuſcipiendi.

2 Qui ob gravem occupationem officium Divinum recitare non potuit, ad fructuum reſtitutionem non obligatur, quia par non eſt, ut pænam ſubeat, qui culpam non admiſit.

3 Impotentia, qualis eſt carentia Breviarii, ſine quo Divinum officium recitari non poteſt, excuſat ab obligatione recitationis; quia impoſſibilium non eſt obligatio. Cæcus quoque ex toto, aut etiam ex parte non tenetur ad officium dum legere non poteſt: ſic qui non poteſt majorem matutini partem recitare, non tenetur ad recitandum reliquam Matutini partem, quam recitare poteſt, licet teneatur ad reliquas horas, quas poteſt, qui aliquam partem officii memoria tenet, & non habet Breviarium, non tenetur ad id, quod memoria tenet: quia Eccleſia obligat ſolum ad recitandum: qui vero non poteſt totum officium recitare, tenetur ad illam partem recitandam, quam poteſt, modo illa pars ſit notabilis: qui vero non poteſt officium recitare abſque auxilio Socii, quem non conſuevit adhibere, tenetur ſocium adhibere, modo commode poſſit, & non ſit ſurdus, vel ſurdaſter, qui nequeat audire ſine magna vociferatione. Beneficiarius autem habens fructus ſufficientes tenetur conducere ſocium, ut ad onus officii perſolvendi auxilium præſtet, ſecus dicendum de illo, qui beneficium non habet: nam ſuis propriis expenſis non tenentur ſocium conducere; ut cum eo officium recitet.

4 Qui Domo diſceſſit nil cogitans de Breviario, aut rationabiliter judicans alibi reperturum Breviarium, non peccat, & non tenetur ad reſtitutionem, ſi poſtea officium prætermittat, eo quod Breviarium invenire non potuerit, excuſante ipſum inadvertentia, vel bona fide: ſic excuſatur qui verba proferre nequit, immo non tenetur audire, aut interius recitare: quia præceptum eſt de recitatione actuali, & vocali. Qui autem choro intereſſe debet, tenetur choro aſſiſtere recitando cum ſuo choro prout potuerit, & attendendo ad ea, quæ ab alio choro perſolvuntur: quia non habeat impotentiam ad aſſiſtendum; ſic Beneficiarius cæcus choro deputatus, ſi choro aſſiſtat, ſed officium cum choro recitare non poſſit, vel ob defectum memoriæ: vel qui alios canentes non audit, ſatisfaciet muneri chori recitando partem quam memoria tenet, & quam cum aliis recitare poteſt. Cæcus autem abſolute, qui divinum officium recitare non poteſt

poteſt non tenetur ad divinum officium.

5 Infans promotus ad ordines ante uſum rationis non tenetur ad officium; quia cenſetur impotens nec tenetur in adoleſcentia, niſi ordinis ſuſceptionem ratificaverit poſtquam ad rationis uſum pervenit: idem dicendum de eo, qui beneficium ante rationis uſum adeptus eſt: quia nondum aptus eſt ad Horas Canonicas devote recitandas initiatus vero ordine ſacro ante pubertatem vel ante 16. annum tenetur Divinum officium recitare.

Utrum Diſpenſatio Summi Pontificis, carentia fructuum, ignorantia, & metus, à peccato excuſent ommittentem Divinum officium.
Cap. 362.

1 DIſpenſatio Summi Pontificis excuſat ab officii recitatione: quia poteſt diſpenſare, cum officium Divinum ſit de jure humano Eccleſiaſtico: licet ſine cauſa diſpenſet, cum ſit de jure humano poſitivo, in quo valide poteſt diſpenſare ſine cauſa: ſed Epiſcopus diſpenſare non poteſt: quia in jure communi facultatem non habet diſpenſandi.

2 Carentia fructuum; quando ſcilicet Beneficiarius non percipit, nec perceptutus eſt fructus beneficii per ſe, aut per alium excuſat ommiſſionem Divini officii, quia altari ſervire non tenetur, qui de altari non vivit, modo non ſit inſignitus ordine ſacro quia tunc teneretur ex vi ordinis recitare, vel ſua culpa, vel delicto non careat fructibus beneficii: tenetur autem ad officium: ſi recipiat diſtributiones licet non recipiat fructus Beneficii, quia vivit de altari, & habet beneficium, cui eſt obligatio Divini officii: qui vero habet beneficium, quod nullus pænitus fructus reddit non tenetur ad Divinum officium: quia ceſſat ratio obligationis, cum nullos omnino proventus habeat Eccleſiaſticos, qui dari conſueverunt ad ſuſtinenda beneficii onera: quod valet etiam in beneficiis, quę alias fructus reddiderunt modo injuria temporum non reddunt: quia actu, non videntur beneficii rationem habere: nam beneficium eſt jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ; ſic etiam qui impeditur ne reſideat propter bellum, & pericula hoſtium non tenetur ad officium dum nihil ob id recipit, nec recepturus eſt.

3 Ignorantia probabilis legis excuſat ab officio nam ignorantia craſſa, & vincibilis non excuſat à culpa, ita neque ab onere officii. Ignorantia pœnæ non excuſat à culpa neque à reſtitutione: quia eſt conformi juri naturali, nec excuſat oblivio naturalis, ſeu inadvertentia: quia comparatur ignorantiæ invincibili: modo ipſamet oblivio propria culpa non contigerit, ſeu modo prævisa non fuerit, & tamen non fuerit impedita, nam qui adverti, ſe aliquoties aliquam horam prętermiſiſſe ob talem, & talem cauſam, tenetur talem cauſam removere, aut recitationem prævenire, aut tale ſignum apponere, quo ſuæ obligationis recordetur; aliquin ommiſſio imputatur in cauſa, niſi forte etiam in advertentia contingere in appoſitione ſigni, aut in præventione recitationis: debet autem qui ordinem Sacrum vel beneficium capit Breviarium, & alia parare, quibus valeat oneri ſuo ſatisfacere, alioquin peccat exponens ſe periculo faciendi contra proprium officium: qui autem dubitat, an officium, vel aliquam horam integram recitaverit, tenetur iterum recitare: quando tamen dubium practice non deponatur probabili aliqua ratione: liberum .n. eſt cuique opinionem probabilem ſequi, & tunc non ad eſt dubium, ſed opinio qui autem officium recitaverit, vel dubitat tan Pſalmum aliquem, vel Antiphonam, vel quid ſimile prætermiſerit, non tenetur Pſalmum illium, vel Antiphonam recitare, quia via infinitis ſcrupulis aperiretur.

De iis, quæ ad Divinum officium in Choro publice recitandum faciunt ſub pæna privationis diſtributionum,

De onere, & obligatione, qua Canonici, aliique beneficiarii Choro deputati divina officia in Eccleſia perſolvere tenentur.

Utrum extet obligatio recitandi officium in Choro, & quas perſonas hæc obligatio afficiat Cap. 363.

1 IN Eccleſia extat obligatio recitandi Canonicas preces in Choro quia Divinum officium reſtitutum eſt non ſolum in utilitatem recitantium, verum etiam fidelium, ut eo frui, illi intereſſe, & Deum laudere poſſint per publicos Eccleſiæ miniſtros;

ſtros; populus autem non poteſt Divino officio frui, illi inter eſſe, &c. niſi divinum officium in loco publico ad hoc deputato recitetur, & propterea Divinum officium publicè recitandum eſt in loco publico, ideſt in Choro ad hoc deputato.

2. Clerici Eccleſiarum Cathedralium, & collegiatarum obligantur ad officium in Choro ſingulis diebus perſolvendum, niſi aliud ferat conſuetudo, vel Eccleſiæ inſtitutio, nam ob id accipiunt ſtipendia, & diſtributiones; conſuetudine tamen induci poteſt, ut Canonici non teneantur ſingulis Diebus ad penſum Canonicarum Precum in Choro recitandum, quando juſta ſubeſt cauſa, quæ turpitudinem contra jus naturæ auferat qualis poteſt eſſe tenuiſſimum Stipendium; ratio enim naturalis dictat, onus minuendum eſſe, ubi valde modica eſt merces,& ſtipendium tenuiſſimum;ad quam conſuetudinem non requiritur tempus Immemorabile: ſi vero Canonicorum Collegium inſtitutum eſt cum onere Divini officij liquoties ſolùm in hebdomada, ſeu menſem recitandi: certum eſt hos Canonicos non teneri ſingulis diebus ad Chorum convenire, quia munus ſuum obeunt ſervatis ſuæ inſtitutionis regulis: ſic titulo neceſſitatis alio in loco de licentia Epiſcopi dum ad ipſum aditus patet, officium celebrari poteſt.

3 Clerici Eccleſiarum, quæ non ſunt Cathedrales, vel Collegiatæ non tenentur ad officium in Choro publicè recitandum nam in jure non extat obligatio: Laici verò poſſunt ad Chorum convenire, & officium publicè canere, nam opus canendi Divinum officium in Choro non eſt ita proprium Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum; quin etiam Laici poſſint ad Divinum officium canendum adhiberi ab illis, qui ad Chorum deputati ſunt: quia officium,& miniſterium Pſalmiſtæ,ſeu cantoris non exigit clericatum, ut patet ex uſu Eccleſiæ, & ex(Conc. Carthaginenſi VI.c. 19 c. Pſalmiſta d.13.) ubi dicitur Pſalmiſta poteſt abſque licentia Epiſcopi ſola juſſione Presbiteri officium cantandi ſuſcipere.

4 Regulares, ſeu Religioſi Choro deputati tenentur ſolum juxta ſuas proprias Religionis regulas, inſtitutiones, & conſuetudines ad Divinum Officium in Choro celebrandum: quia nullus in jure textus reperitur, quo Religioſi teneantur officium recitare: quare graviori obligatione Beneficiarij tenentur ex officio Choro intereſſe quàm Religioſi, & conſequenter Beneficiarij tenentur ex juſtitia: quæ ex ſuo genere obligat ſub mortali: Religioſi vero cùm ſolùm ex vi regulæ tenentur, quæ non inducit obligationem ſub mortali, ſed potius ſub pæna, modò privatum officium extra Chorum recitent.

Utrum graviter peccant Canonici, aliique Beneficiarij qui divinis officijs in Choro non aſſiſtunt. Cap. 364.

1 QUi ultra tempus à Concilio permiſſum à Choro notabiliter abſunt, mortaliter peccant, eum reſidentia in loco Beneficij præſcribatur, ut Beneficiarius Divinis officiis interſit, & Canonicas Preces cum aliis perſolvat,& ad hoc faciunt Cardinalium declarationes quarum Prima eſt. Nullus excuſatur à reſidentia, licet diſtributiones quotidianas amittere conſentiat; Secunda eſt. Puniendi ſunt qui a ſervicio Eccleſiæ abſunt, licet in civitate locorum, in quibus ipſa Eccleſia conſiſtit ſint præſentes tantum, ſed pœna ſupponit culpam, ideo abſens à ſervitio Eccleſiæ incurrit culpam, quæ non eſt levis, Canonicus autem qui intra tempus in(Con. T.ſeſ 24.c. 12.) permiſſum, adeſt, non peccat quamvis interius diſtributiones non lucretur, ſi qui tantum tribus, vel quatuor diebus, Divinis officiis ultra tempus in Conc. permiſſum, non intereſt, non videtur reus lethalis culpę: quia hæc videtur materia parva in hoc genere. parvitas autem materiæ excuſat à mortali, nec ad tàm gravem culpam imputatur unica in die abſentia à choro ſicut una in die Divini officii recitandi ommiſſio, ſic etiam abſens juſta de cauſa poteſt excuſari à mortali: arbitror autem leviorem cauſam excuſare abſentia à choro, qua excuſet privata Divini officii recitandi ommiſſionem.

Utrum canonici; aliique choro deputati non ſolùm Divinis Officiis in choro intereſſe, & recitare, verum etiam canere teneantur. Cap. 365.

1 LIcitus eſt cantus in choro, immo laudabilis, & commendatione dignus: quia cantus ex ſua natura indifferens eſt: actus autem ex ſua natura indifferens honeſta-

neſtatem acquiri, ſi ad honeſtum finem dirigitur. Cantus autem in choro dirigitur ad Dei cultum, audientes ad majorem animi devotionem excitat, canentium vires recreat, mentem ad Deum elevat, triſtia corda conſolatur, & non ſolum licitus eſt uſus canendi, ſed etiam licita eſt praxis adhibendi muſica inſtrumenta, ſi decenter abhibeantur, nam Eccleſia hujuſmodi inſtrumentis nullo pacto uteretur, ſi illicitus, & peccaminoſus eſſet ipſorum uſus; nec illicitus eſt ſonus inſtrumentorum eo quia pars, quæ per ſolum organum, aut aliud inſtrumentum dicitur, non eſt vocalis oratio, cum ore non recitetur: quia uſu receptum eſt in Eccleſia ut verſus Divini officii, qui per organum decantantur, ab aliquo canonico diſtinctè pronuncientur, ut ab aliis aſſiſtentibus audiantur.

2 Canonici, aliiq; choro deputati tenentur Divinum officium canendo, & alta voce recitando perſolvere juxta Eccleſiæ ritum, ſeu uſum quia c. ult. 92. diſt. habetur clericos choro deputatos debere in Eccleſia convenire ad quotidianum pſallendum officium: is autem pſallere non dicitur, qui Divinum officium ſubmiſſa voce recitat.

**Nota, quod Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit illas propoſitiones, quæ dicebant. Reſtitutio S. Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis eo quod ſit pena. Item illam, quæ dicit. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacat, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.*

Utrum canonicus poſſit alium in ſui locum ſubſtituere, & diſtributiones capere.
Cap. 366.

1 CAnonicus, aliuſque Beneficiarius non poteſt alium in ſui locum ſubſtituere ſaltem præciſa conſuetudine, vel privilegio: quia recitatio Divini Officii in choro perſolvendi eſt perſonalis: obligatio autem perſonalis non poteſt ab alio adimpleri, ut patet in Jejunio, &c vel oratione debita ex præcepto confeſſarii: immo etiam in ipſo præcepto recitandi privatim Divinum Officium, quod per alium perſolvi non poteſt: licitum erit tantummodo per alium inſervire, ubi conſuetudo id permittit: ſicque intelligendam arbitror Sacræ congregationis Declarationem.

Utrum conſuetudine induci poſſit, ut quis per alium choro inſerviat.
Cap. 367.

1 LEgitima conſuetudine, præſertim immemorabili induci poteſt, ut quis per alium choro aſſiſtat, quia ex conſuetudine immemorabili præſumitur titulus, & privilegium: hæc autem conſuetudo ſtrictè explicanda eſt, ut pote juri contraria; unde non licet per extraneum inſervire: quia uſu receptum eſt, ut alter ejuſdem Eccleſiæ miniſter ſubſtituatur.

De Varia, & originarla nominis acceptione eſt definitione, & inſtitutione diſtributionum, quarum jacturam faciunt Beneficiarii choro deputati dum Horis Canonicis in choro non aſſiſtunt.

Quid nomine diſtributionum intelligatur, & quibus vocabulis diſtributiones appellantur. Cap. 368.

1 DIſtributiones, quæ nomen ſuum à verbo diſtribuo acceperunt, ſunt ea portio proventuum, qui tribui, & dividi debent per ſingulas horas inter eos, qui D. Offic inſerviunt, pro rata ſervitii præſtiti: communiter autem nuncupantur quotidianæ diſtributiones: quia accipiuntur ab iis, qui quotidie D. offic interſunt, ſeu quia diſtribuntur in ſingulos, juxta quotam offic. cui quiſq; ſingulis dieb. interfuit ideſt juxta cujuſque; merita. Diſtributiones alio nomine vocantur (portiones quotidianæ) quia pro rata portione conferuntur quotidie inſervientibus divinis officiis: aliquando vocantur (veſtuariæ) aut (victuariæ) quia faciunt ad quotidianum, victum, & veſtitum eorum, qui divinis Officiis interſunt, licet hoc tamen potius fructibus Beneficii, quam diſtributionibus accomodatur: aliquando dicuntur (Sportulæ, & diaria) ſumpta ſimilitudine à donis, & muneribus quæ quaſi dietim judicib. occaſione ſui officii conferuntur; Aliquando veniunt nomine (emolumenti beneficiorum, ſeu præbendarum) ſunt n.

quod-

quoddam commodum, ſeu utilitas quæ ſuſcipitur ex beneficiis: aliquando diſtributiones nomine (redditum Eccleſiaſticorum, aut Beneficii) continentur, quia proveniunt ex beneficiis Eccleſiaſticis.

2 Diſtributiones à fructibus diſtinguuntur, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 52. unde qui ob perpetratum crimen privatur diſtributionibus non ob id tenetur privari fructibus, cum nomine diſtributionum non veniant fructus Beneficii niſi aliud exprimatur; modo beneficium reddat fructus, & diſtributiones, nam ſi ſolas habet diſtributiones, non diſiunctas à fructibus, cenſeo, privatum fructibus, cenſeri privatum diſtributionibus: ſic etiam ille, cui tempore abſentiæ datur facultas percipiendi fructus, ſeu tantum lucrandi, quantum lucri faceret reciatndo, non poteſt diſtributiones tempori abſentiæ corriſpondentes capere nam nomine fructuum non veniunt diſtributiones, nec diſtributiones ob ſolam reſidentiam acquiruntur, vel ob præſentiam, & debitam in D. Of aſſiſtentiam. Penſio alicui beneficio impoſita, non cenſetur ſuper diſtributionibus, ſed ſuper fructibus conſtituta, niſi beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, aut niſi Pontifex aliud exprimat, quia quando non exprimit conſtitui ſolet ſuper fructibus, ſeu ſuper præbenda, vel Beneficio; diſtributiones autem non veniunt nomine fructuum, vel præbendæ, ſed ab ipſis diſtinguuntur: ſi vero Beneficium nullos alios redditus habeat præter diſtributiones: idque Pontifici expreſſum fuerit, penſio cenſetur poſita ſuper diſtributionibus quia diſtributiones tunc temporis vices gerunt fructuum, alioquin daretur beneficium ſine fructibus & conſtitutio penſionis eluſoria redderetur: in impetratione autem Beneficii non eſt neceſſe exprimere diſtributiones; quia in beneficio impetrando exprimitur fructus, & valor Beneficii: diſtributiones autem non veniunt nomine fructuum beneficii, nec in valore Beneficii computari debent: cum n. incertum ſit, an Beneficiarius quotidianas diſtributiones percepturus ſit, diſtributiones in valore minimè computandæ ſunt, & uſu & praxi receptum eſt, ut diſtributiones non exprimantur, cum fieri poſſit ut Beneficiarius non reſideat, ſeu choro non aſſiſtat, & conſequenter diſtributiones non capiat.

Quid ſint diſtributiones, & quot ipſarum ſpecies. Cap. 369.

1 Diſtributiones, quæ propriæ, ordinariæ, & quotidianæ diſtributiones appellantur ſunt portio proventuum beneficii, quæ confertur iis, qui divinis Officiis interſunt, & juxta ſui beneficii, conditionem, & qualitatem inſerviunt: extant autem aliquæ diſtributiones, quibus propria diſtributionum ratio non competit, ut ſunt illæ, quæ ex communi maſſa alicujus Eccleſiæ conferuntur Clericis alicujus Eccleſiæ, etiam ſi Divinis Officiis non interſunt: modo reſideant in loco ſuarum Eccleſiarum, aut ſaltem non recedant ſine juſta cauſa; quæ diſtributiones vocantur portio privilegiata, ſeu menſa groſſa, ſeu groſſi fructus; Portiones autem, quæ ex proventibus Beneficii non ſunt collatæ, non appellantur proprie diſtributiones, unde portiones funerales, quæ vocantur anniverſariæ, quæque conferuntur iis, qui exequiis, aliiſque officii defunctis celebrari ſolitis aſſiſtunt, non ſunt proprie diſtributiones, quamquam diſtributionum privilegio gaudeant, & intereſſentibus ſolum conferuntur: nec conſuetudo in contrarium induci poteſt.

Quo jure, & qua cauſa introductæ fuerint diſtributiones. Cap. 370.

1 Jure humano Eccleſiaſtico, non vero naturali, vel divino diſtributionum uſus inductus eſt ex *Trid ſeſſ.* 21. *cap.* 3. ex qua licet colligere uſum univerſalem quotidianarum diſtributionum præſcriptum, fuiſſe: & licet quotidianæ diſtributiones in aliquibus Eccleſiis antiquitus introductæ fuiſſent, in omnibus tamen Eccleſiis quotidianarum diſtributionum uſus non extabat, ſed ex Tridentini decreto jure merito conſtitutus, & univerſaliter introductus fuit: & propterea de jure naturali non ſunt introductæ: quia ſequeretur Summum Pontificem non poſſe cum abſente diſpenſare, ut diſtributiones tempore abſentiæ capere valeat, aut non poſſe alicui Collegiatæ facultatem dare, ut diſtributionum uſus non ſervetur, & ideo hujuſmodi facultas invalida eſſet, cum Summus Pontifex in jure naturali diſpenſare nequeat

Con

Concedo tamen diſtributiones poſita ipſarum inſtitutione, intereſſentibus Divino Officio jure naturæ aliquo pacto deberi, quia dignus eſt operarius mercede ſua: & hæc eſt diſtributionum natura, ut aſſiſtentibus conferantur: unde patet primariam, & formalem inſtitutionem à jure naturæ inductam eſſe; uſus autem diſtributionum ad manutenendum, & augendum, honorem, & cultum Divinum introductus eſt ex *Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 3. initio: & quia ſicut homines amore præmii facilius trahuntur ad obſequium aliquod præſtandum, ita Beneficiarii affectu diſtributionum acquirendarum ad intereſſendum divinis officiis alliciuntur, & invitantur.

De Conditionibus requiſitis in eo, qui ad diſtributiones admitti cupit.

De beneficio, ac ætate in eo requiſita, qui ad diſtributiones admittendus eſt. Cap. 371.

1 ADmittendus ad diſtributiones, titulum, & poſſeſſionem Beneficii habere debet; jus enim ad diſtributiones ratione Beneficii acquiritur, & nemo dicitur habere beneficium; qui ejus titulum, & poſſeſſionem nondum adeptus eſt.

2 Qui ad diſtributiones in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata admitti petit, ejus eſſe debet ætatis; ut intra annum promoveri poſſit ad ordinem, quem ipſius Beneficium poſtulat; non enim poteſt quis ad beneficium admitti, niſi eam ætatem habeat, ut intra annum poſſit ad ordinem illi beneficio annexum promoveri: alioquin collatio Beneficii invalida eſt; præciſa tamen diſpenſatione Summi Pontificis, qui poteſt diſpenſare, ut quis ad beneficium, & ad diſtributiones conſequenter lucrandas promoveatur, licet eam ætatem nondum nactus ſit, quam alioquin Beneficium poſtularet, immoqui Canonicatum ante legitimam ætatem ex diſpenſatione obtinuit poteſt in genere abſque nova Summi Pontificis diſpenſatione ad diſtributiones admitti, niſi aliud ferat conſuetudo; acceſſorium enim ſequitur principale: poteſt tamen diſtributiones lucrari reſpondentes intereſſentiæ Divini Officii, non vero functioni ordinis, cum illum exercere nequeat quiꝰ eo non eſt initiatus, licet poſſit Divinis Officiis intereſſe.

3 Ut alicui Beneficio adnexus ſit ſacer ordo, & qualis; in Collegiatis poteſt colligi ex primaria Beneficii inſtitutione, vel ex decennali conſuetudine, aut legitima conſtitutione; nam in Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones annexum habent ordinem ſacrum, & ad Epiſcopum pertinet decernere, cui beneficio adnexus ſit ordo Sacerdotii, vel Diaconatus, vel Subdiaconatus, ex *Trid. ſeſſ.* 24 *c.* 12. vero in omnibus, & ſic poterit compellere Canonicos; etiam ſub pæna privationis ad eum ordinem ſuſcipiendum, quem poſtulant ipſorum beneficia *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 4. & *ſeſſ.* 24. *c.* 12. ſicut etiam poteſt cogere aliquos Eccleſiæ Collegiatæ Canonicos ad ſacrum ordinem ſuſcipiendum: ſi ejuſdem Eccleſiæ neceſſitas hoc poſtulaverit c. quæres, de ætate, &c. non tamen cogere poterit omnes Canonicos Eccleſiæ Cathedralis ad ſuſcipiendum ordinem Sacerdotalem: quia hæc facultas non ei datur ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12.

An prærequiratur ordo in eo, qui ad diſtributiones admitti petit. Cap. 372.

1 CAnonicus, qui ad diſtributiones admitti poſtulat, ad illas præciſa in contrarium conſuetudine admitti debet: etiam ſi actu ordinem non habeat, quam tale beneficium exigit, quia ad lurandas diſtributiones ſufficit aſſiſtentia in Choro, & debita Canonicarum precum recitatio; quæ præſtare poteſt Canonicus qui nondum ſuſcepit ordinem beneficio adnexum licet functiones ſacrorum ordinum exercere, & diſtributiones ipſis reſpondentes recipere non poſſit; & ex Clementina ſupponitur Beneficiarium interim participem eſſe diſtributionum quotidianarum, ſi divinis interſit ante ſuſceptionem ordinis tali beneficio adnexi. Mediolani vero conſuetudine introductum eſt in nonnullis Eccleſiis, ut Canonici ad diſtributiones non admittantur, donec ordine ſui beneficii initiati ſint.

De ſcientia, & peritia cantus requiſita in eo, qui ad diſtributiones admitti cupit. Cap. 373.

1 PRomovendus ad diſtributiones, ſeu ad Canonicatum, eam callere debet ſcientiam, quæ ad uniucujuſque beneficii ordinem requiritur, vel ſaltem ut habilis,& idoneus cenſeatur, qui infra annum eam adiſcat, qua ad debitum ordinem promoveri poſſit, quæ autem ſcientia in ſingulis ordinibus requiratur conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 2. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. 11. 13. & 14. In Canonicatibus vero nullum ordinem adnexum habentibus, arbitror requiri ſaltem, ut promovendus fidei rudimenta edoctus fuerit, ſciatque legere, & ſcribere, neceſſaria ad primam conſuram, quam unum quodque beneficium ſupponit, & aliquam latinæ linguæ ſcientiam habeat, ut rubrica intelligat, ut in Divino officio perſolvendo non erret, nam cuilibet ſcire debet, quæ ad munus ſuum ſubeundum neceſſaria ſunt.

2 Præsbitorarum ſcientiam in eo, qui ad diſtributiones admittendus eſt, requiritur moderata, & ſufficiens inſtructio in cantuquo Divinum Officium recitari ſolet, quia nullus ad officium admitti debet, cujus partes obire nequat Canonicus ob imperitiam cantus fieri poteſt ut non admittatur ad diſtributiones, vel admittatur ad vocem in Capitulo, nam licet ex Canonicatu conſurgat jus in habitu ad vocem in Capitulo, & ad diſtributione, tamen fieri poteſt, ut quis iis qualitatibus excultus ſit, quæ ad diſtributiones actu acquirendas requiruntur, non vero ad vocem in capitulo, ſed è contra, nam ad diſtributiones non prærequiritur ordo ſacer, ſed requiratur ad ferendum in Capit. vocem: quamvis enim ſolis Canonicis præciſa conſuetudine, vel privilegio competat vox, & locus in capitulo ratione Canonicæ, ſeu canonicatus, tamen eam actualiter rerre, & ſedem in Capitulo ex ſacra Cardinalium congregatione habere non poſſunt, niſi ordine ſacro initiati ſint, & *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 4. tamen limitatur in Decano; ſeu Archidiacono, ad quem ex officio ſpectat capitulum convocare: qui poteſt convocare etiam ſi in ſacris non ſit conſtitutus, nam actus convocandi Capitulum, &c. eſt actus juriſdictionis: qui competit Archidiacono etiam in ſacris non conſtituto, quæ limitatio non tollit quod dictum eſt, nam convocare, proponere, & reſolutiones accipere non eſt vocem in Capitulo ferre. Trid. autem loco citato loquitur de voce in capitulo ferenda ad quam ſacrum ordinem prærequirit.

Cui ad diſtributiones jus competat.

An jus percipiendi diſtributiones ad intereſſentes officiis pertineat ſolique intereſſentes lucrari poſſint.
Cap. 374.

1 JUs percipiendi diſtributiones competit clericis Eccleſiæ collegiatæ; vel cathedralis, vel ſimilis, Divinis Officiis ad diſtributiones admiſſi in ſuis Eccleſiis interſunt, & inſerviunt, juxta legitimam ſui capituii conſtitutionem, aut Superioris diſpoſitionem, vel diſpenſationem: quæ diſtributiones non modo debentur Canonicis, antiquis, verùm etiam junioribus ſupra numerum conſtitutis, quia ſunt veri canonici, & aſſiſtunt ut ſuppono modo canonici creati non fuerint ſupra numerum cum clauſula (ſine prejudicio antiquorum canonicorum,) tunc. n. percipere nequeunt diſtributiones, donec aliquam præbendam in futurum vacaturam obtinuerint, nam hoc pacto canonicatum conſecuti ſunt: quibus canonicis ſupra numerum conſtitutis competunt mortuaria, & collationes, quæ ſingulis Canonicis fies conſueverint: diſtributiones verò non acquiruntur à quolibet canonico poſt adeptam Beneficii poſſeſſionem, niſi ad reſidentiam ſit admiſſus, & Choro inſerviat ſive interſit; nec preſentia nuda ſufficit; ſed opus eſt ut devotè recitet, & perſonaliter canat inſuper ut ea præſtentur munera quæ uniuſcujuſque beneficium poſtulat, & quæ in aliquibus Eccleſiis præſcribuntur ſub amittendarum diſtributionum pæna, nam *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 3. 4. & *ſeſſ.* 24. *c.* 12 decenit, ut Epiſcopi compellant etiam gravibus pænis beneficiarios ad obeunda per ſe ipſos propria munera, & officia, & jure merito vigore Trid alicubi ſancitum eſt, ut canonici, non obeantes ſua munera, & officia, dum ſua ad ipſos reddit Hebdomada, certa diſtributionum quantitate careant.

2 Beneficiario jus competit percipiendi pro aſſiſtentia tantam diſtributionum par-

tem

tem quantam unicuique horæ, aut Capitulum, aut Epiſcopus applicuerit: cùm ad hos ſpectet decernere, ut tantum datur ei, qui matutino interierit, tantum ei, qui Miſſæ, aut primæ aſſiſterit, & ſic de reliquis: quia ad Epiſcopum Capitulo pertinet ea decernere, quæ ad ſpiritualem Eccleſiæ adminiſtrationem faciunt.

3 Ab Epiſcopum in diſtributionum aſſignatione ſervandum eſt Primo, ſcilicet ineunda eſt ratio, ut non ſolùm habeatur ratio Horarum canonicarum: verùm etiam ipſius Miſſæ: quamvis enim Miſſa Capitulatis non veniat nomine Horarum Canonicarum veniet tamen nomine Diu. Of. unde cùm diſtributiones conſerendæ ſint aſſiſtentibus Divinis Officiis, etiam conferendæ ſunt aſſiſtentibus miſſæ: unde habenda eſt ratio in aſſignatione diſtributionum Miſſæ conventualis. Secundo ut habeatur ratio non ſolùm Divini Officii univerſalis, quod in aliis Eccleſiis communiter perſolvitur, verùm etiam aliorum officiorum, quæ ex legitima conſuetudine, vel ex particulari illius Eccleſiæ ſtatuto in tali Eccleſia perſolvuntur: hæc enim omnia ad divinum Officium pertinent. Tertio alicubi in diſtributionum diviſione non ſolùm reſpectum fuiſſe ad ipſas Præces, quæ in choro celebrantur, verum etiam ad capitula, aliaſque ſpirituales actiones, quæ aliquando de Summi Pontifici, vel Epiſcopis mandato, vel ex Eccleſiæ conſuetudine peraguntur. Quarto, ut in prudenter aſſignanda diſtributionum taxa inſpiciatur ſolemnitas, quantitate Officii, & temporis in eo inſumendi, aliæque hujuſmodi circumſtantiæ; quæ aſſiſtentem divinis, majori, vel minorum diſtributionum: copia dignum efficiunt: quamobrem major quantitas reſpondere debet Matutino quam alterius horæ, pavæ Miſſæ quam Tertiæ, & ſic de cæteris: qui autem toti matutino non interſuit; ſed major parri, privandus non eſt totis diſtributionibus, quia quæ ratio ut totius eſt totum, eadem eſt partis ad partem, ſed qui totum Matutinum ommittit privatur totis diſtributionibus: igitur qui partem ſolum prætermittit, privandus eſt ſolum parte diſtributionum.

4 Jus percipiendi diſtributiones competit ſolis intereſſentibus Divinis Officiis vere, ac realiter, vel ſaltem fictione juris; unde colligitur Primo Canonicum, qui divinis non intereſt, non lucrari diſtributiones; & hoc procedit primo etiam in tribus illis menſibus, qui canonici in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. vermittuntur; licet enim canonici eo tempore abſentes non priventur fructibus: diſtributionis tamen ipſis non conceduntur, ex Sacræ cardinalium congregationis declaratione 3. Auguſti 1586. Secundo procedit etiam ſi pro primis ſex menſibus non interſit quamvis enim Beneficiarius, qui primis ſex menſibus à die adepti Beneficii officius non recitat lucretur fructus ex conſtitutione Pii V. non tamen lucratur diſtributiones, cum diſtributiones ſolis intereſſentibus; & recitantibus debeantur. Secundo colligitur canonicum, qui Divinum officium attente, & ſtudioſ: in choro recitat, lucrari diſtributiones; ſive canonicus ſit vir juſtus, ſive peccator occultus aut publicus, nam facit, quod ab Eccleſia preſcriptum eſt ad lucrandas diſtributiones: licet quod Deum non recte inſerviat. Tertio Canonicum, qui notabilem officii partem attente non recitat, aut devote non attendit, dum aliqua Divini Officii pars perſolvitur non lucrari diſtributiones: quia non dicitur Divinis Officii intereſſe modo ab Eccleſia præſcripto. Canonicus autem dum recitatum Officium ſi dormiat vel confabuletur, tenetur ad reſtitutionem diſtributionum; quia diſtributiones non conferuntur ob ſolam corporalem, & materialem præſentiam ſed ob formalem, & humanam: qui autem confabulatur, vel obdormiat dicitur ſolum materialiter intereſſe. Quarto canonicum lucrari diſtributiones dum choro intereſt, & cum aliis Divinum Officium recitat: etiam ſi forte non ſit in ſuo proprio ſtallo, aut non ſit induetur veſtes, & habitum, quæ cæteri canonici deferre ſolent, quæ tamen intelligende ſunt præciſa particulari conſtitutione, aut conſuetudine in contrarium.

Utrum

Digitized by Google

Vtrum qui beneficium reſignavit, aut cum altero permutavit poſſit diſtributiones percipere ſi facta reſignatione vel permutatione adhuc Divinis Officiis interſit, antequam is in cujus favorem facta fuit reſignatio poſſeſſionem cœperit vel reſidere inceperit. Cap. 375.

1 RE ſignatio duplex eſt, altera pura, & ſimplex: quæ ad nullius favorem fit, altera non pura, nec ſimplex: quæ fit ad favorem alterius ſimpliciter, & abſolute, vel ex cauſa permutationis: reſignatio pura, & ſimplex completa cenſetur ſtatim, ac illam legitimus in hæc re ſuperior acceptat: reſignatio vero facta ad favorem alterius titulo permutationis non videtur completa niſi poſtquam permutans poſſederit beneficium illius cum quo permutat niſi forte fuerit in mora: item facta titulo reſignationis in favorem alterius non videtur completa, & perfecta niſi reſignatarius beneficium acquiſierit, ejuſque poſſeſſionem ceperit, modo per ipſum non ſtet, ne poſſeſſionem capiat.

2 Reſignans pure, & abſolute non poteſt, facta Beneficii reſignatione, eaque à Summo Pontifice acceptata, diſtributiones ſubſequentis temporis lucrari, quia caret beneficii titulo. Reſignans vero ſub conditione in favorem reſignatarii; poteſt diſtributiones lucrari intereſſendo, donec reſignatarius poſſeſſionem ceperit, modo per ipſum non ſtet, quominus poſſeſſionem capiat aliæque conditiones in reſignatione appoſitæ impleantur, quia non cenſetur reſignans titulum, & dominium amiſiſſe, donec reſignatio completa ſit, ſeu donec impletæ fuerint conditiones ſub quibus facta fuit reſignatio; unde reſignans permanere poteſt in beneficii poſſeſſione, donec reſignatarius beneficii poſſeſſionem accipiat, & ſic dum onera beneficii perſolvit, ita poteſt etiam diſtributiones intereſſendo percipere.

3 Reſignans poſtquam præſtitit conſenſum in Camera, vel Cancellaria Apoſtolica, & notitiam habuit præſtiti conſenſus per procuratorem, recipit fructus nomine reſignatarii, non proprio: diſtributiones vero percipit nomine proprio ob propriam & perſonalem intereſſentiam, quam nullus pro altero præſtare poteſt.

Utrum qui dignitatem, canonicatum, ſeu duplicem canonicatum habet unam tantum diſtributionem intereſſendo acquirat an binas: & utrum non aſſiſtendo unam, vel binas perdat. Cap. 376.

1 HAbens dignitatem, & Canonicatum, vel duplicem canonicatum in eadem Eccleſia non poteſt, præciſa diſpenſatione, vel conſuetudine, duplices diſtributiones utrique canonicatui reſpondentes lucrari, quia Sacra Cardinalium congregatio bis declaravit obtinentem legitime duas dignitates, debere in digniori reſidere, & poſſe fructus præbendæ alterius dignitatis percipere, non tamen quotidianas diſtributiones, quæ illi reſponderent Summus autem Pontifex in hac re diſpenſare poteſt, nam ſuperios diſpenſare poteſt, ut quis, uno, & eodem actu pluribus præceptis ſatisfaciat; ſic etiam fieri poteſt, ut per conſuetudinem, qui habeat dignitatem, & canonicatum vel duos canonicatus binis diſtributionibus gaudeat: quia ut fieri poteſt per diſpenſationem, ita etiam per conſuetudinem: nam induci poteſt per conſuetudinem, quod per diſpenſationem conceditur, & ſicut per conſuetudinem, & uſum receptum eſt ut obtinens duo, vel plura beneficia publica Divini Officii recitatione omnibus beneficiis ſatisfaciat, & fructus omnium capere queat, ita etiam conſuetudine obtinere poteſt, ut habentes plures canonicatus in eadem Eccleſia omnium diſtributionum unica reſidentia capaces fiant ſic .n. Sacra congregatio declaravit privilegio, aut conſuetudine induci poſſe, ut ſi quis in eadem Eccleſia duo munera ſuſtineat, conſequenter binas diſtributiones lucretur.

2 Tempus ad ſupradictam conſuetudinem inducendam, requiritur ſpatium ſaltem quadraginta annorum: nam hæc conſuetudo eſt contra jus, quod probo, quia alioquin ſequeretur habentem plures canonicatus in eadem Eccleſia, non peccare percipiendo diſtributiones omnium canonicatuum: quia nullum eſt peccatum, quod legi non adverſetur; inſuper conſuetudo, & diſpenſatio ſunt circa idem, & contra legi iden, ſed diſpenſatio, qua alicui facultas

datur recipiendi plurimum Canonicatum deſtributiones in eadem, vel in diverſis Eccleſiis exiſtentium eſt contra jus commune: ergo etiam conſuetudo percipiendi diſtributiones omnium Canonicatum eſt contra jus commune; cùm autem ad conſuetudinem contra jus commune legitimè præſcribendam quadraginta annorum ſpaitum requiratur, ſequitur ad hujuſmodi conſuetudinem inducendam ſaltem quadraginta annos requiri: unde habentes plures Canonicatus, vel dignitates, aut dignitatem, & Canonicatum in eadem Eccleſia, non poſſunt eadem intereſsentia utriuſque Canonicatus diſtributiones capare, præciſa conſuetudine, & diſpenſatione.

Utrum qui ex privilegio, vel diſpenſatione inſervit Eccleſiæ per coadiutorem, ſeu Vicarium lacretur diſtributiones. Cap. 377.

1 Diſtributiones non debentur Coadiutori: quia debentur illi cui datus eſt coadiutor, niſi alter Summus Pontifex diſpoſuerit, vel niſi coadiutus conſenſerit, ut coad utori tribuantur, quia puod alicujus favore inductus eſt, non debet in ipſius damnum retorqueri, ſed conditor regulariter conceditur in favore coadiuti, ergo non debet illi damnum circa diſtributiones afferre ergo diſtributiones conferendæ ſunt coadiuto, niſi coadiutus juri ſuo cedati, aut ceſserit antequam ſupplicationem Summo Pontifici exhiberet: tunc enim ſtandum eſt tenori Brevis Apoſtolici, in quo ſæpe exprimitur ut aliquid coadiutori tribuatur, addo cum cui datus eſt coadiutor, lucrari diſcributiones etiam ſi coadiutor abſit ex aliqua cauſa, ut infirmitatis, neceſsitatis corporalis, & ſimilium, ex qua coadiutus ipſe ſi abeſset, non careret diſtributionibus, ſi vero coadiutor, dum in locum Principalis intereſse tenetur, ſua culpa abſit ex aliqua cauſa, ob quam non conceduntur, diſtributiones tenetur coadiutor damnum diſtributionum reſarcire; quia cauſa injuſta damni ad reſtitutionem obligatur. Dico igitur Diſtributiones deberi coadiutor, cùm ipſe ſit Canonicus, & per alium, ex legitima ſuperioris auctoritatibus ſatisfacit.

Utrum Canonici, qui in Choro quidem aſſiſtunt, ſed ex conſuetudine officium per ſe ipſos in Choro non recitant, ſed per manſionarios Eccleſiæ exſtentes muneri ſuo ſatisfaciunt diſtributiones lucrari poſſit Cap. 378.

1 In hoc caſu diſtinguendum videtur mihi: vel loquimur de conſuetudine legitimo tempore preſcripta, vel de nondum præſcripta: ſi loquamur de conſuetudine nondum preſcripta, cenſeo hujuſmodi conſuetudinem non eſſe permittendam, vel improbandam, nec Canonicus per alios canentes tutus eſſe in coſcientia: ſi vero loquamur de conſuetudine ſaltem preſcripta poſt *Trid.* cenſeo hujuſmodi conſuetudinem tolerari poſſe, quia non magis repugnat induci conſuetudinem, ut Canonicus aſſiſtens ſatisfaciat per alium; quam induci conſuetudinem, ut habens duos Canonicatus in Eccleſia, unico reſidentia, & recitatione ſatisfaciat utrique, licet ſinguli ſuam peculiarem reſidentiam requirant, ſed hæc conſuetudo poteſt induci: ergo etiam illa quæ non grave præjudicium Eccleſiæ affert, neque Divinum cultum notabiliter minuit: quia alii conducti ſunt, qui loco Canonicorum cantare coguntur, & fieri poteſt, ut iſti manſionarii alantur ex bonis Canonicorum aſſignatis ad hujuſmodi Manſionarios, ſeu Capellanos alendos, & ſuſtentandos, & cùm diviſi ſint redditus, per eſt, ut etiam onus diviſum ſit. Addo fieri poſſe ut redditus ab origine illus Eccleſiæ Collegiatæ conſtituti fuerint, ut ſimpliciter officium canatur decorè, & devotè non autem ut à ſingulis perſonaliter in Choro recitetur, & hoc præſumi poſſe videtur ubi non conſtat de fundatione contraria, & ubi conſuetudo ita recepta eſt; ea autem conſuetudo ſufficit, quæ ſufficit ad præſcriptionem Eccleſiaſticam: ad quam præſcriptionem, ſeu ad præſcribendum contra legem Eccleſiaſticam requiratur ſpatium quadraginta annorum moddo non præſcribatur aliquod jus Eccleſiæ, cui præſcriptioni Eccleſia reſiſtat, tunc enim requiritur ſpatium quadraginta annorum cum titulum, vel tempus immemorabile.

Qui-

Quibus ex cauſis abſens diſtributiones lucrari poſſit.

An abſens ex cauſa infirmitatis diſtributiones lucrari poſſit. Cap. 379.

1 ABſens cauſa gravis infirmitatis poteſt, etiam præciſa conſuetudine, diſtributiones lucrari: etiam ſi propria culpa infirmitatem contraxerit, ne in loco beneficii tempore infirmitatis exiſtat; quæ infirmitas debet eſſe gravis: quia non quilibet morbus efficit, ut intereſse non poſſit, ſicut non quilibet morbus excuſat ab obligatione recitandi divinum Officium; exiſtimo tamen leviorem morbum excuſare ab onere intereſsendi choro, quam ab onere Divini Officii recitandi; nam fieri poteſt, ut morbus alioquin levis accedendo ad chorum facilius incrementum capiat, quam domi privatim Officium recitando: unde morbum gravem hoc loco appello, non ſolum illum, qui abſolute gravis eſt, verum etiam, qui abſolute levis eſt, ſed acceſsu ad chorum gravis efficeretur. Qui autem morbus ſit levis, aut gravis, viri prudentis, aut Medici conſilio extra judicium judicandum relinquitur: in judicio vero ad ipſum judicem ſpectat judicium, quamquam ipſe, niſi in arte peritus ſit, ſecundum peritorum conſilium judicare debet; ac requiritur conſuetudo, ut abſens cauſa infirmitatis diſtributiones recipiat, nam jus ipſum hoc illi permittit: modo in contrarium non extet conſuetudo conferendi diſtributiones tantummodo præſentibus, non autem abſentibus, etiam ex cauſa infirmitatis. Diſtributionum etiam capax eſt infirmus, qui elapſo vacationis tempore ad reſidentiam acceſſiſset, niſi infirmitate extra urbem detentus fuiſset: dem valet in ægroto, qui de conſilio Medici Urbe egreditur ad balnea, vel ad ſalubriorem aerem: qui autem data opera in morbum incidit, ne choro aſſiſteret, hic vere dicitur abeſse ob infirmitatem: & cum jus non diſtinguat de infirmo ex propria culpa, vel ſine culpa, non eſt cur nos diſtinguamus.

Utrum abſenti ob corporis neceſſitatem diſtributiones quotidianæ conferri debeant. Cap. 380.

1 ABſens ex juſta, & rationabili corporis neceſſitate lucrari poteſt diſtributiones, quandiu neceſſitas durat, præciſa tamen conſuetudine in contrarium ut patet ex c. unico. de cler. non reſid. in 6 ſed ablata neceſſitate, cum non dicatur amplius abeſſe ob corporis neceſſitatem, ſi abſit, non poteſt amplius diſtributiones lucrari.

2 Qui de conſilio Medici Domo non egreditur ob valetudinis periculum, poteſt diſtributiones capere: quia dicitur abeſſe ob juſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem. Idem dic de eo, qui Domi ſe continet cauſa ſumendæ medicinæ, aut qui ſanguine eo die minutus ſit: idem dicendum de Canonico, quem cum febris dereliquit, urbe egreditur, ut ſalubriori cælo perfruatur, & viribus roboretur: idem dic de eo qui ob cantum nimium defatigatus aliquandiu per ſe retrahit à choro, ut ſpiritus aſſumat. Seni etiam ita ſenio confecto, ut Div. Offic. commode intereſſe non poſſit, quibus alias intereſſe conſueverat, diſtributiones debentur: dandæ etiam ſunt diſtributiones canonico abſenti cauſa peſtis, dum ea in illo oppido graſſatur, nam dicitur abeſſe ob rationabilem corporis neceſſitatem: ſecus dicendum de canonico, qui curam animarum habet; nam cum agatur de animarum ſibi commiſſarum ſalute, pro qua corpus ſuum ponere debet, non dicitur abeſſe ob juſtam, & rationabilem cauſam, & ideo non poteſt fructus tempori abſentiæ reſpondentes recipere, vel diſtributiones. Canonicus etiam, qui tempore peſtis abeſt dum grave & probabile periculum non imminet illius contrahendæ, non poteſt percipere diſtributiones, cum non abſit ob juſtam corporis neceſſitatem, ſed impendendæ ſunt illi, qui ob gravem metum injuſte incuſſum reſidere, vel Divinis intereſse non poteſt: quia dicitur abeſſe ob juſtam cauſam, quod debet intelligi quamdiu durat metus. Dandæ etiam ſunt diſtributiones detento privata vi, vel ab hoſtibus, quamdiu tamen apud hoſtes commoratur.

Utrum Canonicus, qui fuit in carcerem conjectus, gaudere debeat diſtributionibus reſpondentibus tempori, quo in carcere detinetur.
Cap. 381.

1 QUi juſte in Carcere detinetur ob crimen patratum, & probatum non gaudet diſtributionibus, quia ſua culpa abeſſe dicitur; qui vero in carcere detinetur ob criminis ſuſpicionem, poſtquam per ſententiam innocens judicatus fuerit, poterit diſtributiones capere, quia per ipſum non ſtetit, quin choro intereſſet, ſed injuſto carcere impeditus fuit, ne ad Eccleſiam ſe conferret: idem dic de eo, qui abſens à ſervitio ſuæ Eccleſiæ ob litem, quam capitulum contra ipſum injuſte proſequitur, non percipere poteſt diſtributiones.

Utrum canonicus juſte, vel injuſte excommunicatus lucretur diſtributiones.
Cap. 382.

1 JUſte excommunicatus privatur diſtributionibus, quandiu Divinis Officiis cum aliis non aſſiſtit, quia non dicitur abeſſe ex juſta, & rationabili cauſa ſed ob delictum, in cujus pœnam excommunicatus eſt, & à Divinis remotus, etiam ſi abſolutionem petat, & denegetur, nam denegatio non tollit effectum excommunicationis: ſecus dici poteſt ſi abſolutio injuſte denegetur: & debet intelligi de excommunicatione majori, non de minori: nullo enim jure conſtat excommunicatum minori excommunicatione privari diſtributionibus, ſi Divinis interſit: debet etiam intelligi de excommunicato vitando: nam excommunicatus toleratus, qui divinis Officiis cum aliis intereſt, ſuoque munere fungitur, poteſt recipere diſtributiones, quia Officium ſuum præſtat: & licet apud Deum non rite præſtet, tamen quoad Eccleſiam facit quod ab ipſa præcipitur. Excommunicatus autem ob Clerici percuſſionem ſi detineatur, ne choro intereſſe poſſit, ut lucretur diſtributiones, poteſt hujuſmodi abſentiam computare intra ſpatium duorum menſium quibus à Sede Apoſtolica indultum eſt, ut Canonici illius Eccleſiæ ſingulis annis per bimeſtre ſine jactura diſtributionum abeſſe valeant, modo obtenta excommunicationis abſolutione, choro per decem anni menſes interſit, & muneri ſuo integre ſatisfaciat juxta præſcriptum Privilegii Apoſtolici tenorem: cum ei liberum eſſet tunc temporis: impune abeſſe à choro etiam præciſa excommunicationis cauſa.

2 Injuſte, ſeu invalide excommunicatus, qui antea Divinis Officiis intereſſe conſueverat non amittit diſtributiones, immo ſubtractus recuperat, poſtquam de nullitate, ſeu injuſtitia excommunicationis conſtiterit, quia per ipſum non ſtat, ne interſit, cum paratus ſit intereſſe, & abſolutionem petere ſi opus ſit, unde jacturam diſtributionum pati non debet, quamdiu autem non conſtat de injuſtitia, & nullitate cenſuræ, non gaudet fructibus, vel diſtributionibus, quando autem debet recuperare abſtractas, poteſt ab ipſiſmet Canonicis repetere, quibus applicatæ fuerunt: In Defectu vero canonicorum datur actio contra Judicem injuſte excommunicatum, tam pro diſtributionibus quam, pro intereſſe damnorum, & expenſarum.

Utrum canonicus injuſte, vel juſte ſuſpenſus privetur diſtributionibus.
Cap. 383.

1 INjuſte ſuſpenſus diſtributiones percipere poteſt, ſive ſit ſuſpenſus ab officio, ſive à beneficio, ſive etiam à fructibus ſi forte ob hujuſmodi ſuſpenſionem à choro abeſſe cogatur; quia ubi non eſt culpa, par eſt, ut neque ſit pœna quod procedit etiam ſi ſuſpenſus ſit à diſtributionibus, ſeu à Divinis, nam cum cenſura ſit injuſta, & conſequenter invalida nullum effectum operari debet in foro conſcientiæ, immo neque in externo poſtquam de injuſtitia cenſuræ conſtiterit.

2 Juſte ſuſpenſus ab officio non privatur diſtributionibus, ſecus ſi ſuſpenſus ſit à beneficio, vel à Divinis officiis, nam ſuſpenſus ab officio non prohibetur, quin Divinis officiis intereſſe poſſit, & conſequenter quin diſtributiones percipiat; niſi forte aliquæ diſtributiones conferantur ratione officii tunc enim officium exercere nequit, & ſic diſtributiones percipere non poteſt, ſuſpenſus autem à beneficio privatur fru-

ctibus

Digitized by Google

ctibus, & diſtributionibus, quæ beneficiariis intuitu beneficii conferuntur, ut ſunt diſtributiones quotidianæ, quæ conferuntur canonicis choro intereſſentibus, nam ſuſpenſio à Beneficio importat privationem omnium emolumentorum, & reddituum, qui intuitu beneficii percipiuntur: ſecus dicendum de diſtributionibus, ſeu Eleemoſynis, quæ ob mortuaria, ſeu anniverſaria, & his ſimilia conferuntur, nam non conferuntur intuitu beneficii, ſed perſonalis miniſterii. Suſpenſus autem à beneficio non repellitur ab exercitio rerum ſpiritualium, vel à Divinis officiis, conſequenter neque privatur diſtributionibus, quæ alicui competunt alio titulo, quàm beneficii, quæque diſtributiones quotidianæ propriæ non vocantur, ſuſpenſus à Divinis officiis cenſetur ſuſpenſus etiam à diſtributionibus quæ conferuntur perſolventibus Divinum officium ex officio, modò ſuſpenſus a Divinis non ſit vitandus, ſed toleratus.

Utrum juſtè vel injuſtè interdictus privetur diſtributionibus.

Cap. 384.

1 INiuſte interdictus a Divinis officiis, non privatur diſtributionibus per eaſdem rationes dictas de ſuſpenſo. Juſtè verò interdictus privatur diſtributiónibus quia interdictus privatur Divinis officiis: privatur diſtributionibus, quæ conferuntur intereſſentibus Divinis officiis. Idem dicendum de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ; quia hic non poteſt Divina officia in Eccleſia formaliter audire, aut illis formaliter intereſſe, & ſic privatur diſtributionibus, quæ conferuntur intereſſentibus modò interdictus ſit vitandus, ideſt modò denunciatus ſit interdictus.

2 Quando autem Eccleſia eſt interdicta quomodo priventur Canonici diſtributionibus dicendum eſt: vel locus interdictus eſt interdicto generali vel ſpeciali: ſi eſt interdictus interdicto ſpeciali; Canonici non privantur diſtributionibus: quia per ipſos non ſtat ne Divinis interſint; cùm in Eccleſia celebrare nequeant: ſi verò eſt interdictus interdicto generali, Canonici privantur diſtributionibus niſi Divinis Officiis interſint, nam tempore interdicti localis generalis perſolvuntur Divina Officia: ſervata ſolemnitate præſcripta in ca. Alma Mater, de Sentent. Excommun. in 6.

Utrum Canonici tempore ceſſationis diſtributiones percipere poſſint.
Cap. 385.

1 CAnonici, qui tempore ceſſationis à Divinis nequeunt Divina Officia recitare, non percipiunt diſtributiones, quia illi diſtributiones percipiunt, qui Divinis interſunt. Canonici autem non interſunt, quia ipſis tempore ceſſationis non licet officia celebrare, nec ceſſationis particularis, nec generalis; ut dictum eſt de Cenſuris Tamen hujuſmodi Canonici, qui ex cauſa legitima, & Canonica ceſſaverunt actionem habent contra eum, qui monitus cauſam ceſſationis dedit.

Utrum Canonici Diſtributiones capiant eo tempore, quo polluta remanet Eccleſia. Cap. 386.

1 CAnonici percipiunt diſtributiones, dum Eccleſia, in qua celebrare conſueverunt polluta eſt, & violata: quia per ipſos non ſtat, ne Divina Officia in Choro perſolvantur, nam intereſſe non poſſunt, eo quod in Eccleſia polluta Divina Officia celebrari nequeant. Polluitur autem Eccleſia per voluntariam Seminis humani effuſionem, per iniurioſam Sanguinis humani effuſionem, per benedictionem factam ab Epiſcopo Excommunicato, quando Excommunicatus vitandus ſepelitur in Eccleſia, quando in ea ſepelitur paganus, vel infidelis, quando Parietes Eccleſiæ deſtruuntur.

Utrum Irregularis privetur diſtributionibus.
Cap. 387.

1 CAnonicus Irregularis ob irregularitatem præcisè contractam poſt beneficii conſecutionem non privatur diſtributionibus: quia irregularis poteſt licite D. Officiis intereſſe, quia non impedit Divini Officii celebrationem: ſi autem canonicatui annexus ſit aliquis ordo, cujus functioni aliquæ diſtributiones reſpondeant: cùm irregularis ordinem exercere nequeat, ſequitur ipſum carere diſtributionibus illi ordini reſpondentibus, niſi forte

ſit irregularis toleratus, & functionis ordinis exerceat, ſi autem irregularitas contracta ſit ob delictum, cui adiuncta ſit beneficii privatio ipſo facto, & Canonicus hanc pœnam per ſe ipſum nulla omnino ſententia expectata ſubire debeat; non poteſt qui hujuſmodi delictum commiſit, diſtributiones recipere, non ratione irregularitatis, ſed ratione privationis beneficii, quam ipſo facto contraxit, & quam per ſe ipſum exequi tenetur, non expectata ſententia, non ſolùm condemnatoria, nec declaratoria criminis: ſi autem irregularitas contracta ſit antequam beneficium obtineretur arbitror hujuſmodi Beneficiarium non lucrari diſtributiones, ſi vera eſt ſententia eorum, qui beneficii collationem irregulari factam, irritam eſſe putant.

Utrum Depoſitus, vel degradatus percipiat diſtributiones.

Cap. 388.

1 CAnonicus actualiter, ſeu realiter degradatus diſtributiones percipere non poteſt, quia caret beneficio, nec poteſt abſq; Summi Pontificis diſpenſationes diſtributiones capere; immo nec depoſitus, qui dicitur verbaliter degradatus, gaudet diſtributionibus, quia caret beneficio, ratione cujus jus habet ad diſtributiones; modò tamen degradatus legitimam appellationem non interpoſuerit.

Utrùm is, qui beneficio privatus eſt diſtributiones lucrari poſſit.

Cap. 389.

1 CAnonicus, qui beneficio privatus eſt non habet jus ad diſtributiones; quia ſublato principali corruit acceſſorium, & propterea quando pœna privationis ipſo facto contracta eſt ob delictum, cui annexa eſt ipſo facto privatio beneficii, licet beneficiarius non teneatur beneficium à ſe abdicare ante ſententiam criminis declaratoriam, ea tamen ſubſecuta, executio retrotrahitur ad diem patrati delicti, conſequenter beneficiarius privatur fructibus, & diſtributionibus à die patrati delicti perceptis; ac ſi ab eo die lata eſſet ſententia, niſi forte reus à declaratoria legitimè appellaverit: quando vero pœna privationis beneficii non eſt ipſo jure impoſita: ſed inferenda: ſeu quando per judicis ſententiam inducitur, reus à die ſententiæ privatur jure percipiendi fructus, & diſtributiones, quæ ratione beneficii conferuntur, niſi forte intra legitimum tempus appellaverit poteſt enim bis appellare, & per appellationem effectum ſententiæ ſuſpendere, conſequenter interim poteſt diſtributiones percipere, quamdiu Divinis officiis intereſt, cum hoc tamen onere, ut ſi prima ſententia condemnatoria bis confirmata fuerit, vim ſuam habeat, ac ſi ab initio nulla interpoſita fuiſſet appellatio. Si vero ſententia privationis fuerit revocata, & per judices appellationis bis confirmata, ſeu alias in judicatum, tranſierit: ſeu reus plene abſolutus, & liberatus fuerit, non ſolum poterit retinere beneficium, fructus, & diſtributiones, quas officiis inteſſendo jam accepit; verum etiam illas, quas abſens amiſit, cauſa litis proſequendæ, nam per ipſum non ſtetit, ne eas lucraretur.

An abſens in utilitatem Eccleſiæ diſtributiones lucrari poſſit.

Cap. 390.

1 CLericus Eccleſiæ Catedralis, vel Collegiatæ, qui alias intereſſe, conſueverat, poteſt, jure ſibi permittente diſtributiones capere, dum abeſt in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem, non verò in utilitatem Eccleſiæ univerſalis.

2 Diſtributiones non debentur illi, qui tempore Divinorum Officiorum; in confeſſione ſuorum peccatorum facienda detinetur: quia non abeſt in evidentem ſuæ Eccleſię utilitatem, nec abeſt cauſa adimplendi votum peregrinationis: poteſt tamen diſtributiones percipere qui aliò ſe transfert ad ſublevandam evidentem propriæ Eccleſiæ neceſſitatem, quia dicitur abeſſe ob evidentem Eccleſiæ ſuæ utilitatem, neceſſitas enim cum utilitate confertur: ſunt etiam participes diſtributionum Canonici, qui tempore Divinorum Officiorum ex mandato Capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt; ſic lucrari debet, qui a ſuo capitulo titulo legationis, vel alio titulo ad aliquem locum, vel Principem mittitur, vel ad Concilium generale, vel provinciale mittitur: ſic etiam lucratur Vicarius Capituli, qui ſimul canonicus, &

Digitized by Google

& Vicarius eſt dum Epiſcopalis ſedes vacat in Vicarii officio perfungendo abeſt, quia dicitur abeſſe ob utilitatem ſui capituli, cujus juriſdictionem exercet; ſic etiam Canonicis diſtributiones debentur, qui ab Epiſcopo ad Apoſtolorum limina mittuntur vel ipſum ad eadem limina comitantur.

3 Qui data opera curavit ſibi à Capitulo provinciam demandari ad peragenda Eccleſiæ negotia tempore Divinorum Officiorum, poteſt tempore abſentiæ diſtributiones percipere, modo negotium ad evidentem Eccleſiæ utilitatem ſpectet, & peragat: ſic lucratur, qui ex officio deputatus eſt ad negotia Eccleſiæ peragenda: quæ alio tempore quam hora Divinorum Officiorum expedire poterat, quando non tenebatur negotium illud anticipare, & extra tempus Divini Officii abſolvere, quia videtur abeſſe ob negotium Eccleſiæ, qui etiam ad peragendum Eccleſiæ negotium citius, & maturius diſceſſit, quàm opus eſſet, aut qui regreſsum diutius diſtulit, quàm par ſit lucratur diſtributiones, ſi bona fide diſceſſit putans negotium tunc temporis tractandum eſse, vel grave impedimentum ſupervenit, ob quod redire non potuit, nam legitimè impedito non currit tempus: & ſuperveniente juſto impedimento perinde eſt, ac ſi abeſset ex priſtina cauſa: quantum verò temporis ſit concedendum, & computandum ad iter peragendum, arbitror hoc dum taxat in foro externo admittendum eſse, cùm forus externus nitatur præſumptioni, tempus unius diei pro ſingulis viginti miliariam: in foro verò conſcientiæ ſtandum eſt conſcientiæ ipſiuſmet abſentis: qui aliquando diutius, aliquando iter ſuum commodè abſolvit: in dubio tamen arbitror etiam in foro conſcientiæ ſuſtinendum eſse judicium, & præſumptionem fori externi concedentis ſpatium unius diei pro ſingulis viginti miliaribus nam forum externum prudenter præſumit, ita lucratur diſtributiones canonicus cui à capitulo demandatum fuit negotium expediendum per aliquot dies, etiam ſi aliquot illorum dierum horas in ludos,& recreationem inſumat, immo ſi aliquot horas ad turpia inſumat modò negotio expediendo grave detrimentum inde non ſequatur, quia ſubſiſtit cauſa abſentiæ: qui verò mandatum à capitulo accepit ad peragendum matutino tempore negotium, Eccleſiæ commodo conducens: ſed matutino tempore propriis negotiis incumbit, dilato in Veſperas negotio Eccleſiæ peragendo, poteſt diſtributiones, tempori aſſignato reſpondentes lucrari, non autem, quæ reſpondent tempori quo horis canonicis intereſſe potuiſſet, ſi negotium ſtatuto tempore peregiſſet, nam reſpectu iſtius temporis dicitur abeſſe ex propria culpa; lucratur etiam diſtributiones, qui ſine licentia Epiſcopi abeſt in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem; nam neceſſaria non eſt Epiſcopi licentia, quia in c. unico de cler. non reſid. abſolutè permittuntur diſtributiones abſenti in Eccleſiæ ſuæ utilitatem.

Utrum abſens in ſervitio Papæ lucretur diſtributiones.
Cap. 391.

1 ABſenti in ſervitio Papæ non ſunt denegandi fructus ſui beneficii c. cum dilectus de præb. in 6. diſtributiones tamen præciſo privilegio, non debentur, quia non dicitur abeſse in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, nec ullo jure conſtat huic diſtributiones concedi. Idem dicendum de abſentibus in ſervitium Principis ſecularis, vel Eccleſiaſtici, etiam Cardinalis, vel legati Summi Pontificis.

Utrum Canonici, qui cum Epiſcopo tempore Divinorum officiorum abſunt percipere poſſint diſtributiones.
Cap. 392.

1 CAnonici, qui cum Epiſcopo tempore Divinorum officiorum abſunt in utilitatem propriæ Eccleſiæ lucrantur diſtributiones, ut ſi abſint in iis caſibus in quibus ex conſuetudine, vel ex jure Capitulum aliquos canonicos eligit, ut Epiſcopus in negotiis peragendis ipſorum conſilium, aut conſenſum perquirat, ut eſt caſus in *Trid. ſeſſ. 24. c. 12. ad fin. verſ. interea ſeſſ. 5. de refor. verſ. & quatenus, & ſeſſ. 25. c. 6. de ref. verſ. videlicet in capitulum.* Alii verò canonici, qui in ſervitio Epiſcopi exiſtunt; ut ſi illum comitentur, dum Diæceſim viſitat, aut cum Miſſam extra propriam ipſius canonici Eccleſiam auditurus eſt non acquirunt diſtributiones, quia non dicuntur abeſse in evidentem Eccleſiæ ſuæ utilitatē; nam abſenti in ſervitio Epi-

Epiſcopi conceduntur fructus, non vero diſtributiones quotidianæ, quamquam ſi beneficium nullos habeat redditus præter quotidianas diſtributiones probabile eſt canonicum in ſervitio Epiſcopi exiſtentem eas lucrari, excepta tertia parte quæ deſervientibus accreſcit: quia diſtributiones in locum fructuum ſuccedunt: Epiſcopi enim poſſunt in ſui ſervitium duos canonicos Eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ, etiam ſi Doctoralem, & Magiſtralem præbendam habeant, adhibere: iſti enim fictione juris præſumuntur reſidentes c. ad audientiam cit. ibi, cum abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuos ipſiæ Eccleſię ſervitio commorantur, etiam ſi in ea Eccleſia extet ſtatutum juratum, & à Summo Pontifice approbatum, ut canonici abſentes fructibus priventur, iſti enim fictione juris cenſentur præſentes, unde ex vi ſtatuti fructibus privari non debent; immo Epiſcopus non ſolum poteſt canonicos Eccleſiæ in urbe fundatæ in ſervitium adhibere, verum etiam canonicos collegiatæ extra urbem erectæ, quia in c. de cætero cit. nulla fit exceptio, vel diſtinctio: ſed abſolute ſermo eſt de canonicis, immo cum ibi non ſit ſermo de numero canonicorum; quam plures, quam duos adhibere, modo non ſint canonici Eccleſiæ cathedralis, cujus Eccleſiæ duos tantum canonicos Epiſcopus in ſui ſervitium aſſumere poteſt.

Utrum abſentes ad tuenda capituli jura diſtributiones lucrentur. Cap. 393.

1 ABſentes ad tuenda capituli jura non privantur diſtributionibus: quia dicuntur abeſſe in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, etiam ſi ob id ad longe diſtantem locum ſe transferant, etiam ſi abſenti ad tuenda ſuæ Eccleſiæ jura congruum à capitulo conſtitutum ſit ſalarium.

2 Qui abeſt ut tueatur jus, cujus ipſe in beneficio prætenſionem habet contra alterum, qui prætendit beneficium idem non poteſt diſtributiones lucrari, quia non dicitur abeſſe in evidentem Eccleſiæ ſuæ utilitatem; ſecus dicendũ ſi abeſt ut tueatur jura ipſa beneficii, hic n. jus habet ad diſtributiones in ea Eccleſia, nam Beneficium in jure appellatur Eccleſia, unde dum abeſt in utilitatem proprii beneficii, dici poteſt abeſſe in utilitatem propriæ Eccleſiæ.

Utrum canonicus, qui tempore Divinorum officiorum Miſſam in propria Eccleſia celebrat percipere valeat diſtributiones. Cap. 394.

1 CAnonicus qui tempore Divinorum officiorum Miſſam in ſua Cathedrali, aut collegiata Eccleſia celebrat non lucratur diſtributiones, quia non abeſt in evidentem ſuæ Eccleſiæ utilitatem, etiam ſi celebrat ex onere capellaniæ, vel alia de cauſa, vel ex conſenſu ſui Superioris, qui in jure communi non poteſt diſpenſare, præciſo tamen Summi Pontificis privilegio, aut ſecluſa legitima conſuetudine, vel præciſo mandato ſuperioris, tunc n. poteſt diſtributiones lucrari: canonicus autem ex devotione, aut ex eleemoſyna tempore Divinorum officiorum celebrans juxta præceptum ſuperioris, non poteſt diſtributiones acquirere, quia celebrat tamquam capellanus pretio conductus.

Utrum pœnitentiarius percipere poſſit diſtributiones, dum in Confeſſionibus excipiendis tempore Divinorum Officiorum detinetur. Cap 395.

1 PÆnitentiarius Eccleſiæ cathedralis non poteſt ſpectato jure antiquo diſtributiones capere, dum in confeſſionibus excipiendis detinetur: quia hic non dicitur abeſſe in evidentem Eccleſiæ ſuæ utilitatem, ſed in commodum civitatis ſeu Eccleſiæ ſpecialis, vel univerſalis. Jure autem novo ſancitum eſt *Tr. ſeſſ. 24. n. 8.* ut Pænitentiarius dum confeſſiones in Eccleſia audit, præſens in choro cenſeatur, & conſequenter diſtributiones, quæ choro intereſſentibus tribuuntur percipere poſſit, unde ſequitur Pænitentiarium, qui tempore Divinorum officiorum privatim officium recitat in confeſſionario, aut alibi, aut etiam celebrat, aut confabulatur, non lucrari diſtributiones, quia ex *Conc. Trid.* decreto eas lucratur, dum confeſſiones in Eccleſia audit per ſacram etiam Cardinalium congregationem declaratum eſt pœnitentiarium non ſolum cenſeri præſentem Divino officio, verum etiam proceſſionibus & exequiis Defunctorum, quæ fiunt eo tẽpore,

quo

quo ipſe confeſſiones audit. Canonici autem ſi audiunt confeſſiones in Eccleſia præſente pænitentiario tempore divinorum officiorum non ſunt participes diſtributionum præcɪſo particulari ſtatuto à Sede Apoſtolica confirmato, quia nullum jus hoc eis privilegium conceſſit, cum *Trid.* loquatur de pænitentiario, ſi vero aliquis canonicus de licentia Superioris confeſſiones audit, Sede pęnitentiali vacante, ſeu in defectum pęnitentiarii abſentis lucrari poteſt diſtributiones, nam vices pęnitentiarj ſubſtinet, & conſequēter par eſt, ut ipſius privilegiis gaudeat.

Utrum Theologus, ſeu obtinens præbendam Teologalem lucretur diſtributiones tempori abſentiæ reſpondentes.
Cap. 396.

1 THeologus, ſeu obtinens præbendam Theologalem non poteſt præciſo privilegio, tempore abſentiæ lucrari diſtributiones, etiam ſi à choro abſit prætextu parandæ concionis, vel lectionis, vel defatigationis, quæ ex ſtudio conſurgere poteſt niſi forte ipſius præbenda fructus non habeat diſtinctos à diſtributionibus, quia ſic ffertur per Sacram congregationem declaratum, exipiuntur autem illi Dies, quibus Theologi in ſuis Eccleſiis leguntːillis enim diebus tamquam præſentes in choro, & inſervientes habendos declaravit Greg. XIII. ſed ſolum deberi diſtributiones, pro tempore quo legit, ita ut ſi ſero legat poſt Veſperas, cenſetur præſens in Veſperis, ſed mihi probabilius videtur cenſeri pręſens etiam quoad diſtributiones pro tota die, juxta declarationes Sac. cong. Si vero præbenda in ſolis conſiſtat diſtributionibus, communis, DD. opinio eſt, Teologum dum adeſt prætextu ſui muneris gaudere quotidianis diſtributionibus, quia ſic declaravit Sacra Card cong.

Utrum obtinens dignitatem vel Canonicatum cum cura animarum frui poſſit diſtributionibus, ſi tempore Divinorum officiorum abſit ad animarum curam exercendam.
Cap. 397.

1 HAbens dignitatem, vel canonicatum in Eccleſia cathedrali, vel collegiata; cui canonicatui, vel dignitati adnexa ſit animarum cura, non poteſt, præciſo privilegio, vel conſuetudine in contrarium, lucrari diſtributiones, dum tempore Divinorum Officiorum eſt ad exercendam animarum curam, modo beneficium reddat fructus, & diſtributiones; ita Sacra cardinalium congregatio, & colligitur ex conſtit 64. Pii V. quæ incipit, cupientes ubi decernitur, ut Rectores Parochialium, qui obtinent canonicatus, vel dignitates in cathedrali, vel collegiatis Eccleſiis ſi reſideant in Eccleſiis Parochialibus, lucrentur omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus ſui canonicatus, vel dignitatis exceptis quotidianis diſtributionibus. Sed ſi beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, & beneficiarius nequeat canonicatui, & Parochiali inſervire, Sacra cardinalium congregatio declaravit hujuſmodi beneficiarium integris diſtributionibus frui. Idemque decrevit Pius V. ex ſententia congregationis: in more poſitum eſt in multis locis, ut canonici habentes curam animarum in eadem Eccleſia ſui canonicatus, percipiant diſtributiones dum abſunt occaſione muneris Parochialis, & propterea à Sacra Cardinalium congregatione abſolute definitum eſt in una Papienſi, & Aſſiſienſi, ut Archypresbiter habens curam animarum in choro præſens cenſeatur dum muneri Parochiali incumbit, quæ conſuetudo, ſeu deciſio, ſive privilegium jure merito inductum fuit, ne canonici animarum curam habentes, timore amittendarum diſtributionum, muneri ſuo Parochiali, cum diſpendio animarum aliquando deeſſent.

Utrum Canonici adminiſtrationem piorum locorum habentes, aut examinandis Clericis adſcripti, lucrentur diſtributiones pro tempore, quo ad horum officiorum onera ſuſtinenda abſunt. *Cap.* 398.

1 CAnonici, quibus locorum piorum cura, vel adminiſtratio aliqua demandata eſt, ut ſunt deputati Seminarii, Hoſpitalium, & ſimilium locorum, non poſſunt pro tempore, quo in commodum, & utilitatem horum locorum abſunt diſtributionibus frui: quia non dicuntur abeſſe in utilitatem propriæ Eccleſiæ, modo non adſit legitima conſuetudo in contrarium, aut privilegium Summi Pontificis.

Utrum

Vtrum habens cauſam ſtudendi, vel docendi, lucretur diſtributiones.
Cap. 399.

1 ABſens cauſa ſtudendi, vel docendi non lucratur diſtributiones, quia non dicitur abeſſe in evidentem Eccleſiæ ſuæ utilitatem, modo beneficium habeat alios redditus, ſeu fructus à diſtributionibus ſeparatos, nam ſi beneficium in ſolis conſiſtat diſtributionibus, arbitrantur DD. Beneficiarium cauſa ſtudii abſentem, lucrari poſſe diſtributiones, niſi aliud per conſuetudinem receptum ſit: conſuetudo n. induci poteſt, ut diſtributiones abſentibus cauſa ſtudii conſerantur.

2 Ut quis privilegio non reſidendi cauſa ſtudii gaudere poſſit, requiritur Primo, ut ex abſentia plurium canonicorum notabiliter non lædatur Divinus cultus, Secundo requiritur, ut operam det ſtudiis in univerſitate, ſeu ſtudio generali, in loco videlicet, in quo patet omnibus ad itus ad ſtudia: Tertio: ut abſentes operam dent ſtudiis pro majori anni parte, juxta quam in tali loco opera ſtudiis dari ſolet; Quarto ut ſi abſens cauſa ſtudii in Phyſica, aut in jure civili ſit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpoſitus, Cantor, vel perſonatum habens, peculiarem obtineat licentiam cum his ſub excommunicatione ipſo facto vetitum ſit Phyſicam, aut jus civile audire, quando autem quis ſtudiorum cauſa vult abeſſe, & habeat curam animarum aut juriſdictionis exercitium, quod per alium adimpleri poſſit, debet alium in ſuū locum ſubſtituere, quia par non eſt, ut beneficii fructibus cum damno aliorum perfruatur: ſi vero vult ſtudiorum cauſa abeſſe, & habeat ſolum beneficium ſimplex, habens ſolam chori obligationem, non tenetur Vicarium in ſui locum ſubſtituere quia ex nullo jure colligitur hujuſmodi obligatio in habente ſimplex beneficium.

Vtrum aliquis poſſit ex privilegio lucrari diſtributiones dum horis Canonicis non aſſiſtat.
Cap. 400.

1 EX privilegio Summi Pontificis poteſt abſens diſtributiones conſequi, Summus .n. Pontifex poteſt diſpenſare in iis quæ jure humano præſcripta ſunt & diſtributiones jure humano inductæ, & præſcriptæ ſunt: Ergo Summus Pontifex diſpenſare poteſt circa diſtributiones, conſequenter poteſt alicui privilegium concedere, ut abſens diſtributiones conſequatur, nec alius à Summo Pontifice hanc facultatem poteſt concedere.

2 Privilegium alicui conceſſum, ut abſens diſtributiones conſequatur, ſtrictè explicandum eſt, ſervata verborum proprietate, quia privilegium nihil eſt aliud, quam diſpenſatio: diſpenſatio autem ſtrictam poſtulat interpretationem, niſi aliud neceſſitas cogat; unde qui habet privilegium, ut abſens percipiat omnes fructus ſui beneficii, non poteſt virtute illius privilegii percipere diſtributiones: quia diſtributiones non veniunt nomine fructuum, modo beneficium non habeat alios redditus præter diſtributiones, tunc enim diſtributiones in locum fructuum ſuccedunt, ne privilegium ſpeciale ſit irritum, & nihil operetur: nec poteſt virtute privilegii percipere diſtributiones, etiam ſi in privilegio habeatur, ut omnes fructus integre percipiat, ac ſi in eadem Eccleſia reſideret, vel ac ſi præſens eſſet: quia non eo ipſo, quo quis præſens eſt, vel reſidet lucratur diſtributiones, ſed requiritur, ut Divinis officiis interſit, & cum aliis in Divino officio perſolvendo communicet, inſuper privilegium percipiendi fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta ſui canonicatus non extenditur ad mortuaria, & anniverſaria: quia non eodem nomine, nec ſub eadem verborum ſignificatione veniunt: immo hæc anniverſaria, & mortuaria non cenſetur conceſſa, etiam ſi in privilegio detur facultas, ut abſens diſtributiones quotidianas obtineat: quamvis enim aliquando vocentur diſtributiones, nihilominus ex diſtributionibus quotidianis in propria ſignificatione quotidianæ illæ dicuntur, quæ quotidie diſtribuuntur, vel diſtribui poſſunt: hujuſmodi autem mortuaria, vel anniverſaria, non quotidie diſtribuuntur, ſed inſtar cujuſdam ſalarii, aut eleemoſinæ conferuntur, nec pendent ex beneficio, ſed ex conferentium voluntate. Qui etiam habet privilegium non reſidendi certo anni tempore cum jure ad diſtributiones, non poteſt hujuſmodi privilegio uti, dum uſu

trip-

privilegii Divinus cultus notabiliter lediretur, ut quando ob nonnullorum abſentiam, canonicorum numerus diminuitur, ut Divina officia celebrari nequeant; quia in promiſſionibus hæc tacita conditio ſubintelligitur, niſi notabilis mutatio ſuperveniat: ergo etiam, ſub intelligenda videtur in hoc privilegio gratuito, ne gravis læſio, quam ſuperior non præſumitur velle, cultui Divino afferatur; quare huic incommodo per Epiſcopos in aliquibus Eccleſiiis conſultum eſt, ut certo tempore, non niſi tertia pas Canocorum abeſſe poſſit, aſſignatis cuilibet ſuis hebdomadis, ut ſufficiens canonicorum numerus ad Divina celebranda ſemper remaneat.

3 Privilegium quibus Collegiatis conceſſum, ut Canonici duorum, vel trium menſium ſpatio ſingulis annis impune poſſint abeſſe recreationis ergo; vel negotiorum ſuorum cauſa, ita explicandum eſt, ut Canonicarum uno anno abtinuerint immo non ſufficit uno anno poſſediſſe: niſi etiam Canonicus ad quotidianarum diſtributionum participationem admiſſus fuerit: quam diu enim quis ad diſtributiones non fuit admiſſus, non poteſt diſtributiones percipere; ideo privilegium duorum menſium computandum eſt ad ratam à tempore, quo quis capta poſſeſſione ad diſtributiones fuit admiſſus, & propterea privari ſolum debet diſtributionibus, non aſſiſtendo ultra duos menſes.

4 Qui habet privilegium, quo poſſint non intereſſe duobus menſibus, ſpatio duorum menſim naturalium, ideſt ſexaginta duobus naturalibus abeſſe poteſt, modo abſentia non excedat ſexaginta dies, nec in privilegio aliqua contineatur limitatio, aut per Epiſcopos alter non decernatur, nec Divinus cultus notabiliter diminuatur, & propterea habens præſatum privilegium, poteſt quovis tempore abeſſe, niſi aliud obſtet. Habens autem privilegium percipiendi fructus, vel diſtributiones, non poteſt cogere Capitulum ad reſtitutionem fructuum, ſeu diſtributionum poſtquam bona fide facta fuit illarum diviſio inter Canonicos, quia reſtitutio facienda eſt ab illis, qui diſtributiones receperunt: Capitulum autem non accepit diſtributiones, ſed illæ collatæ fuerunt ſingularibus Canonis; ergo Capitulum cogi non poteſt ad reſtitutionem diſtributionum.

An ſtatuto, ſeu conſtitutione aliquarum Eccleſiarum Capitulorum, vel Epiſcoporum induci poſſit, ut abſentibus diſtributiones tribuantur.

Cap. 401.

1 STatuto, vel conſtitutione capitulorum, vel Epiſcoporum induci non poteſt, ut diſtributiones abſentibus conferantus, quia inferiores non poſſunt contra canones, ſtatutum, vel conſtitutiones abſentibus confferri non debent, unde ſtatuto induci non poteſt, ut abſentibus conferantur. Canon autem ſi aer contrariam conſuetudinem ſit abrogatus condi poteſt ſtatutum conforme conſuetudini; quia hic caſus à communi regula cenſetur exceptus, & ſic ſi Epiſcopus aliquod ſtatutum faciat in caſibus, in quibus ipſe in jure Communi diſpenſare poteſt, validum eſt ſtatutum, ut ſi urgens, & gravis de repente cauſa ſuperveniat, ob quam in communem Eccleſiæ ſuæ utilitatem aliquid circa diſtributiones ſtatuere cogatur; quamquam in tali caſu præceptum potius, quam ſtatutum proprie acceptum ab Epiſcopo proferendum eſt.

2 Statutum, quo decernitur, ut ſenibus, qui quadraginta annorum ſpatio Eccleſiæ ſervierunt, diſtributionis tamquam præſentibus tribuantur, mihi non probatur niſi adſit Summi Pontificis approbatio: quia non obſtat quod ex declaratione Sacræ Congregationis ad *ſeſſ.* 24. *c.* 12. de reformat. ubi dicitur Sacram congregationem cenſuiſſe, quod licet ſtatuta ſint ſublata, per quæ abſentibus dantur diſtributiones nihilominus Greg. XIII. ſenibus, & benemeritis miſertus; mandavit ſtatutum Compoſtellanum tolerari, per quod debentur diſtributiones non ſerventibus, qui quadraginta annis ſervierunt; non imquam obſtat, quia pro confirmatione illius ſtatuti itum eſt ad Summum Pontificem, ab eoque obtenta fuit aprobatio, & privilegium. Si autem in fundatione alicujus Collegiatæ Eccleſiæ habeatur, ut Canonici duorum, vel trium menſium ſpatio impune, & ſine diſtributionem jactura abeſſe poſſint, & juxta hujus fundationis inſtitutum conſtitutio aliqua feratur illud confirmans, hæc conſtitutio veribus non carebit, quia cum in c. unico ſit dero

gatum

gatum fundationibus, dicendum eſt hujuſmodi conſtitutionem juris communi Canonico non adverſari, & conſequenter ſuſtineri poſſe.

An conſuetudine induci poſſit, ut abſentibus diſtributiones conferantur. *Cap.* 402.

1 NOn poteſt ſola conſuetudine induci, ut diſtributiones abſentibus licite conferantur, niſi conſuetudo ex rationabili cauſa inducatur, aut niſi Summus Pontifex conſentiat, quia non poteſt induci conſuetudo contra naturam rei: ſed natura diſtributionum eſt, ut non conferantur abſentibus, ſed præſentibus, ergo non poteſt induci conſuetudo, quòd diſtributiones abſentibus conferantur: quamvis enim diſtributionum uſus jure humano ſit inductus, nihilominus poſita illarum inſtitutione, contra ipſarum naturam eſt, ut abſentibus conferantur.

2 Conſuetudine induci poteſt, ut diſtributiones conferantur, ſi juſta ſubſit cauſa ob quam hujuſmodi conſuetudo inducatur, nam ſuperior reprobans conſuetudinem futuram, eam ſolum reprobare cenſetur, quæ ſine cauſa inducitur, aut quæ intrinſece mala eſt, aut quamdiu perſeverat cauſa, ob quam reprobatur, hæc etiam cenſetur irrationabilis; quæ vero ex nova cauſa inducitur, & intrinſecam malitiam non habet non cenſetur in futurum reprobari; quæ conſuetudo induci poteſt conſentiente Summo Pontifice: Summus enim Pontifex ſicut diſtributionum uſum induxit: ita etiam valide poteſt illum in totum, vel in partem a diſpenſando auferre, & propterea juxta probabilem nonnullorum Doctorum ſententiam permitti poteſt conſuetudo; juxta quam Beneficiarii Cathedralis Eccleſiæ, vel Collegiatæ ab iiſdem Eccleſiis per duos, vel tres menſes abſunt, & tamquam præſentes reputantur, quoad diſtributiones percipiendas quia hujuſmodi abſentia ſaltem ſine fructuum amiſſione permittitur in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. circa medium: ergo hujuſmodi conſuetudo non reprobatur; fieri enim poteſt, ut hujuſmodi conſuetudo inſta de cauſa inducatur; conſuetudo autem juſta de cauſa inducta non reprobatur, ſed vim habet abrogandæ legis, ſi legitimum tempus ad legem abrogandam intercedat, unde poterit diſtributiones capere, qui duorum, vel trium menſium ſpatio abſuit ex conſuetudine recepta, & juſta de cauſa introducta; non tamen poteſt conſuetudine induci, ut Sacerdotes non intereſſentes dum anniverſaria celebrantur, eleemoſynam, vel ſtipendium, quod Divina pro mortuis officia recitantibus, vel aſſiſtentibus conferri præſcribitur, percipere valeant; nec per conſuetudinem admitti poteſt, ut Clericus in Canonicorum nmuerum de recenti admiſſus gaudeat diſtributionibus, etiam ſi per aliquot dies abfuit; nec conſuetudine obtineri poteſt, ut Canonicus integras diſtributiones lucretur, ſi præſentem ſe invenerit, dum Canonicæ præces inchoantur, etiam ſi poſtea à Choro diſcedat: nec conſuetudine induci poteſt, ut diſtributiones primi anni conferantur hæredibus, quaſi jure proprio ipſorum hæredum, quia diſtributiones conferri nequeunt illis, qui Divino perſonaliter non inſerviunt officio; non nego tamen, quin hæredibus Canonici mortui debeantur diſtributiones pro rata temporis præteriti: in quo prædefunctus inſervivit, qui antequam diſtributiones caperet ex hac vita migravit: item non nego, quin hujuſmodi diſtributiones primi anni conferri poſſint hæredibus defuncti ob aſſiſtentiam, quam defunctus primo anno præſtitit, traditis illius anni diſtributionibus hæredi alterius prædefuncti.

3 Conſuetudine induci poteſt, ut fructus primi anni dentur hæredibus Canonici mortui, quia, ſic habetur in Extravagant, ſuſcepti regiminis de electione, non autem approbari debet conſuetudo, qua nonnulli Canonici alterius hebdomadis, quibus ipſi Eccleſiæ inſerviunt, verum etiam quibus ab Eccleſia abſunt, putantes ſe poſſe ob conſuetudinem abeſſe, & diſtributiones lucrari ſingulis hebdomadis, niſi adſit conſenſus Summi Pontificis, aut niſi juſta cauſa hanc conſuetudinem excuſet; non vero condemnanda eſt conſuetudo, ut Clerici nocturnis prcibus aſſiſtentes tãtum lucrentur, quantum lucrantur cæteri, qui reliquis omnibus Divini officii horis interſunt, ſed Matutinis, aut nocturnis precibus non interfuerunt: quia juſta de cauſa inducta videtur hæc conſuetudo, ut beneficiarii ſpe diſtributionum, eo tempore acquirendarum alliciantur ad divinas laudes noctu decantandas, & à nimio ſomno diſtrahantur.

Digitized by Google

tur. Non autem videtur admittenda conſuetudo, ut qui quadraginta annis Divinis interfuerunt: diſtributiones capitant in futurum etiam ſi choro non interſint, quia non video rationem ob quam à reſidentia excuſari debeant: permitti autem poteſt conſuetudo, ut Beneficiarii ſenio confecti ut ſeptuagenarii, diſtributiones capiant, etiam ſi ad chorum non accedunt; nam hæc conſuetudo ex ſufficienti cauſa inducitur, quia ſenectus infirmitati, & morbo comparatur, immo ſenectus à comico poeta vocatur morbus, & ab aliis morbus inſanabilis, & longa infirmitas, non autem admitti poteſt conſuetudo immemorabilis, ut quis per alium ejuſdem Eccleſiæ canonicum aſſiſtens, & ſerviens Eccleſiæ fruatur diſtributionibus, quia hujuſmodi conſuetudo diſtrictè explicanda eſt, ut pote juri contraria, & conſequenter Sacerdotem alterius Eccleſiæ ſubſtitui non poſſe; quia uſu tantummodo receptum eſt, ut miniſtri ejuſdem Eccleſiæ ſubſtituantur. Qui vero habet duos canonicatus in duabus Eccleſiis non poteſt per conſuetudinem acquirere jus percipiendi diſtributiones illius Eccleſiæ, in qua non reſidet, quando tamen Beneficium nihil aliud reddat, præter quotidianas diſtributiones, nam conſuetudine induci poteſt, ut beneficiario non intereſſenti Divinis officiis aliquid tradatur non ob abſentiam, ſed ob alia onera beneficio annexa valida autem eſt conſuetudo, ut abſens cauſa ſtudii, vel obſequii Papę, vel Epiſcopi, vel alia juſta de cauſa diſtributiones tempore abſentiæ capiat, ut ſuperius probatum eſt, nec eſt improbanda conſuetudo, qua canonicus, qui juſtam ob cauſam abſuit, & jam rediit, domi biduo aut triduo ſe continet ad quieſcendum, tamquam defeſſus ex labore itineris ſuſcepti in evidentem Eccleſiæ propriæ utilitatem, præciſa vero conſuetudine nullum, vel ſaltem valde modicum tempus concedendum eſt illi, qui rediit, etiam ſi abſuerit ex juſta cauſa: exiſtimo tamen illi, qui ex hujuſmodi cauſa longe abſuit, concedi poſſe reliquum illius Diei in quo revertitur, vel quid ſimile.

4 Ex conſuetudine induci poteſt, ut intereſſentes Div. off. certo quodam tempore nullas diſtributiones lucrentur, quia in jure non reprobatur conſuetudo non conferendi aſſiſtentibus diſtributiones, ſed improbatur conſuetudo conferendi non aſſiſtentib. unde canonici, qui ex ſtatuto tenentur ſolum alternis hebdomadis intereſſe, ſi interſint alternis hebdomadis, non ſua, nullas diſtributiones ea hebdomada lucrantur immo nec eſt improbanda conſuetudo, vel conſtitutio, qua cavetur, ut abſens diſtributiones non lucretur, etiam ſi abſit cauſa infirmitatis, aut alia de cauſa, ex qua diſtributiones in jure permittuntur, quia hujuſmodi conſuetudo, vel conſtitutio favorabilis eſt cultui Divino; non nego tamen, quin hæc conſuetudo dici poſſit contra jus ipſorum canonicorum abſentium ex cauſa ob quam diſtributiones in jure permittuntur.

Utrum Canonicus, qui Divinis officiis non interfuit, poſſit diſtributiones percipere, ſi alii quibus ob aſſiſtentiam accrevarunt eas remittant largiantur, vel ex pacto condonet. Cap. 304.

1 Ante ſolutionem propoſitæ quæſtionis præmittendum eſt hoc, ſcilicet Remiſſio eſt condonatio eorum, quæ nobis dentur, ſed nondum ſunt in dominio, & poteſtate remittentis; Donatio ſpontanea, & voluntaria datio eorum, quæ poſſidemus. Colluſio in ſubiecta materia importat mutuam condonationem, ſeu remiſſionem mulctæ, ut ſi quis hoc pacto cum altero conveniat, ſi tu abſueris diſtributiones tibi condonabo; ſi ego abſuero tu mihi condonabis: Tranſactio, quę ſic dicitur quaſi tranſitus, & receſſus ab actione, eſt pactio nō gratuita de re dubia, ut ſi dubium ſit quotam diſtributionum partem Titius amiſerit, ſeu quandiu Titius abſuerit, aut ſi ad diſtributiones jus aliquod habere prætendat, aliis contra exiſtimantibus, & conveniat de certa diſtributionum parte ſibi ſolvenda, dicitur tranſigere; ſi vero partem diſtributionum ſibi ex juſtitia debitarum dumtaxat exigat, reliquam vero condonet dicitur potius amicabilis compoſitio, quam ſimplicem tranſactionem facere.

Utrum

Vtrum licita ſit, aut valida diſtributionum remiſſio. Cap. 404.

1 NOn eſt licita diſtributionum remiſſio facta abſenti ab aliis Canonicis, quibus ob aſſiſtentiam in choro diſtributiones debentur, ex *Conc.Tr.ſeſſ.*24 *c.*12. *verſic.* Diſtributiones; non intereſsentes excluduntur à diſtributionibus, etiam per remiſſionem, immo neque eſt valida nam *Conc. Tr. loc. cit.* abſolutè aſserit, abſentes diſtributionibus carere, quamvis colluſione, vel remiſſione excluſa, modo non abſuerint ob infirmitatem, vel ob rationabilem corporis neceſſitatem, vel inevidentem Eccleſiæ utilitatem, nam abſens in his aſibus diſtributiones amittere non debet ex juris communis conceſsione: abſens autem qui per remiſſionem diſtributiones accepit, non eſt tutus in conſcientia: quia nullus recipere, & retinere poteſt id, ad quod acquirendum incapax, & inhabilis effectus eſt immo irrita eſt diſtbribptionum remiſſio, & de futuro, & de præterito; quia *Con. Tr.* & Sacra Card congr. abſolute & diſtinctà loquitur, & diſtributionum remiſsionem univerſaliter excludunt.

Vtrùm licita, aut valida ſit diſtributionum donatio. Cap. 405.

1 IUre communi vetita non videtus diſtriqutionum donatio facta ab eo, qui jam acceperat diſtributiones, quas alter ob abſentiam amiſerat, nam *Con. Tr.* non excludit donationem, ſed colluſionem, & remiſsionem, cum non ſiut idem colluſio, remiſsio, & donatio: & propterea canonicus poteſt de jure communi donare diſtributiones abſcentibus, quas ipſe jam accepit per ſe, vel Procuratorem à ſe electum: Canonicus autem ille non eſt tutus in conſcientia, quia diſtributiones amiſsas propter abſentiam tradit intereſsentibus, hæc prævia conventione, ut ſibi reſtituantur, & poſtea verè ſibi reſtituuntu: quia hoc fit in fraudem legis prohibentis remiſsionem.

Vtrum licita, aut valida colluſio, vel tranſactio circa diſtributiones. Cap. 406.

1 NOn eſt licita; aut valida diſtributionum colluſio inter abſentes, quia expreſsè prohibetur, & excluditur in *Conc. Tr.* Licita videtur tranſactio circa preteritas diſtributiones, cum dubium aliquod inter canonicos conſurgit, an quis amittere debeat diſtributiones, vel an illas male perceperit; quia nullo jure prohibetur tranſactio circa diſtributiones tempori præteriſo reſpondentes, ſecus dicendum arbitror de amicabili compoſitione, quatenus aliqua diſtributionum pars certo debita condonatur, nam quoad hanc partem, nihil aliud eſt, quàm remiſsio: ſicut autem vetita eſt remiſsio diſtributionum debitarum, ita etiam amicabilis compoſitio, quoad hanc partem.

2 Super diſtributionibus futuris, ut ſic arbitror licitè, & abſque nota Simoniæ tranſigi poſse, ſaltem ſi loquamor de ſimonia jure naturali, vel Divino prohibita, quia diſtributiones præcisè ſunt aliquid temporale, ſicut beneficii fructus, ut ſic: ſicut autem tranſigi, aut vendi poſsunt beneficii fructus ſubſequentium annorum, ita etiam vendi, & tranſactioni ſubjici poſsunt diſtributiones futuræ; nam benefic ario liberum competit jus in diſtributionibus; modò tranſactio fiat ſine præjudicio aliorum Canonicorum, quibus diſtributiones abſentis accreſcunt; modò hæc tranſactio non attingat ſucceſsores: Beneficiarius enim non poteſt ſine facultate ſuperioris tranſactionem facere, obligantem ſucceſores, quia cùm Beneficiarius non habet jus perpetuum in diſtributiones, ſed ſolùm quamdiu beneficium poſsidet, non poteſt majus in alterum jus transferre, quàm ipſe habeat modo non fiat cum alii Canonici de diſtributionibus, quæ ſibi accreſcent ob ipſorum abſentiam; hæc enim eſt veluti quedam remiſsio, & colluſio, quam jura prohibent; non tamen ſimoniæ vitium incurritur hæc limitatione non ſervata; modò non fiat de ipſo diſtributionum jure formaliter; ſed fiat de ipſis diſtributionibus, ſalvo cujuſque jure, hoc. n. eſt aliquid ſpirituale, cùm beneficiario jus ad diſtributiones competat propter Divinum Officium: conſequenter non poteſt de hoc jure fieri tranſactio pecunia, aut alia re prætio æſtimabili.

Utrum

Utrum Canonici, qui Choro non aſſiſtunt, non ſolum jacturam diſtributionum faciant; verum etiam ad alia onera diſtributionibus adnexa teneantur, quamvis illis per abſentiam à Choro priventur.

Utrum beneficiarii quindennium, vel annatam, aut charitativum ſubſidium ex diſtributionibus ſolvere teneantur. Cap. 407.

1 Singulis quindecim annis ſolvenda eſt annata, ſeu quindennium ex fructibus beneficiorum, quę menſę capitulari, ſeu collegiali unita fuerunt, ut ipſorum fructus dividantur in quotidianas diſtributiones iis applicandas, qui Divinis officiis interſunt; Annata autem eſt illa media pars fructuum, quæ perimpetrantes beneficia à Sede Apoſtolica ſolvitur Cameræ Apoſtolicæ in ipſomet beneficii ingreſſu, modo beneficii redditus vigintiquatuor ducatos Camerales excedat. quindennium vero, quod loco annatæ ſolvitur, eſt penſio integrorum unius annis fructum, aut ſaltem dimidiæ partis, quę decimoquinto quoque anno Summo Pontifici ſolvitur ex beneficio alicui Communitati, vel collegio, vel capitulo adnexo; cum enim obtinentes beneficium, annatam ſolvere conſueverint Summo Pontifici, cumque decimo quinto quo que anno fingatur beneficium vacare, jure cautum eſt, ut annata, ſeu quindennium ſingulis quindecim annis ſolvatur, perinde ac ſi beneficium vacaſſet, & alteri collatum fuiſſet, ne Romanę Curiæ miniſtri ob perpetuam beneficiorum unionem damnum patitur an Dico igitur annatam; ſeu quindennium ſolvendum eſſe, quod patet ex multis Summorum Pontificum conſtitutionibus, tum Pauli II. quæ incipit Decet Romanum Pontificem, &c: à quo genut hoc penſionis in Ecleſia primario inventum fuiſſe teſtantur aliqui, tum Pauli IV. quæ incipit Decens eſt, & in qua præſcribitur quindennium ſolvi ex omnibus beneficiis, cuilibet loco, Collegio, vel Communitati unitis; & Pii V. quæ eſt 174 & incipit Apoſtolicæ, & ex quampluribus aliis conſtitutionibus, quod quindennium à penſionaribus ſolvendum eſt pro rata penſionis, & quindennium ſolvendum eſt anticipate, quia in locum annatæ ſuccedit, quæ anticipate ſolvitur ab iis, qui beneficium à Sede Apoſtolica conſequuntur, & propterea quindennium ſolvendum eſt à Canonico etiam ſi choro non aſſiſtat, quia ſolvitur anticipatè, quæ ſolutio nullam habet ſimonię labem, quia annata non imponitur tamquam in pretium beneficii, ſed in ſubſidium, ad ſuſtentationem miniſtrorum, qui Summo Pontifici inſerviunt.

2 Ex quotidianis diſtributionibus in ingreſſu beneficii non ſolvitur annata, quæ ſolvitur de fructibus: diſtributiones vero non veniunt nomine fructuum, nec ſolvitur annata ex fructibus dum beneficium titulo permutationis obtinetur: quia pauciſſimæ permutationes fierent in Romana curia timore ſolvendæ annatæ.

3 Ex diſtributionibus ſolvendum non eſt Epiſcopo ſubſidium charitativum, quod ei perſolvi præſcribitur, nam ſubſidium ſolvitur de fructibus, diſtributiones autem non ſunt fructus. Charitativum ſubſidium dicitur illud auxilium quod Epiſcopus juſta, & rationabili de cauſa exigere poteſt à clericis ſibi ſubditis beneficium poſſidentibus ex fructibus beneficii.

Utrum decima ex diſtributionibus ſolvenda ſit. Cap. 408.

1 Decima ſpiritualis, quę Parochis ſolvi conſuevit, ſolvenda eſt etiam de diſtributionibus quia de omnibus terræ fructibus ſolvenda eſt decima ſpiritualis, unde ſolvenda eſt decima de diſtributionibus, quæ conſiſtunt in fructibus in diſtributionibus converſis: ſi autem loquamur de decima quæ Papæ, aut aliis ex præſcripto Papæ aliquando ſolvitur, judicium ferendum eſt ex verbis, quibus decima imponitur, nam ſi decima imponatur ſimpliciter ſuper fructib. & redditibus beneficii, non eſt ſolvenda ex diſtributionibus, quæ non ſunt fructus, unde dum Pontifex vult diſtributiones hoc onere afficere, ſolet hoc exprimere, ſaltem per verba ita generalia, quæ in ſua ſignificatione accepta ſuper diſtributiones cadere neceſſe ſit: ſi vero præſcribat eas ſolvi ex omnibus proventibus, ſeu redditibus Eccleſiaſticis, arbitror decimam ex diſtributionibus deberi: quia diſtributiones vere ſunt proventus ſeu redditus, & obventiones Eccleſiaſticæ.

Vtrum penſio ex diſtributionibus ſolvenda ſit & à quo ſolvenda ſit. Cap. 409.

1 PEnſio non eſt ſolvenda ex diſtributionibus, quia perſolvenda eſt ex eo ſuper quo imponitur, ſed cùm regulariter non imponatur ſuper diſtributionibus; non eſt igitur ex diſtributionibus ſolvenda penſio non n cenſetur ſuper diſtributionibus impoſitam eſſe penſionem: niſi beneficium in ſolis conſiſtat diſtributionibus, aut niſi Summus pontifex aliud exprimat ne eluſoria reddatur penſionis conſtitutio; & conſtat Summum Pontificem ob pleniſſimam, quam habet in beneficialibus poteſtatem, poſſe penſionem in diſtributionibus ſolvendam alicui concedere, unde in his duobus caſibus cenſetur imponi poſſe in diſtributionibus penſionem.

2 Si penſio ſuper diſtributionibus impoſita ſit, ſolvenda eſt ab illo, qui diſtributiones percipit, quia obligatio ſolvendæ penſionis eſt onus reale: onus autem reale ſolvendum eſt ab ea, qui rem habet, & propterea onus penſionis impoſitum ſuper diſtributionibus, tranſit ad Capitulum dum illæ accreſcunt capitulo: quia res onere affecta tranſit cum onere ad qu mcumque perveniat, & ſic ſinguli canonici, quibus accreverunt diſtributiones beneficiarii abſentis, tenentur pro rata ad penſionem, modò beneficiarius non perceperit tot diſtributiones, quæ ad penſionem ſolvendam ſufficiat, cum n. diſtributiones nōn ſint ſimpliciter, ſed ſolùm quaſi in abſtracto hypothecatæ, cumque beneficiarius primo loco teneatur, ſequitur ipſum beneficiarium ad penſionis onus teneri; Capitulum verò teneri, quoties percipit illam partem, quæ penſionis onere affecta fuit, ſeu quatenus beneficiarius non accepit diſtributiones ad penſionis ſolutionem ſufficientes.

3 Canonicus non tenetur ad priorem penſionem, poſt quam aliud beneficium per novam penſionem obtinuit: ſecus ſi retento primo titulo obtineat alia bona, vel priora bona in alia commutet, quia canonicus tenebatur ad penſionem ratione primi beneficii: cùm ergo illud dimiſerit, cenſetur etiam onus penſionis dimiſiſſe, illudque in ſucceſſorem tranſtuliſſe.

Quibus acquirantur diſtributiones abſentium à Divinis Officiis.

Vtrum diſtributiones abſentium aliis intereſſentibus accreſcant. Cap. 410.

1 DIſtributiones quotidianæ propriè ſumptæ, quæ conferuntur iis, qui abſunt, ſi Divinis officiis intereſſent, præciſa conſuetudine in contrarium debentur aliis Canonicis qui Divinis officiis interſunt: modò re ipſa aliqui interſint, & non omnes ſua culpa abſint ex *Conc. Tr. ſeſſ. 21. c. 3.* circa medium, in quo dicitur diſtributiones inter ipſos intereſſentes dividendas eſſe: ſi verò loquamur de diſtributionibus extraordinariis, de quibus ſermo eſt in *Conc. Tr. ſeſſ. 22 c.3.* illæ ſunt applicandæ fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco ad arbitrium Ordinarii, & ſic ſi loquamur de certa quantitate inter Canonicos præſentes diſtribuenda, ut ſi decem aurei ſingulis præſentibus conferendi tradantur, portio, quæ deberetur abſentibus ſi intereſſent non accreſcit intereſſentibus, ſed potius Eccleſiæ; ſi autem loquamur de diſtributionibus, quibus beneficiarii titulo, quam ratione abſentiæ privantur, non idem judicium ferendum eſt, nam ſi alicui ſubtrahantur diſtributiones per ſententiam criminis condemnatoriam, aut in pœnam criminis, cui ipſo facto adiecta ſit pæna privationis diſtributionum, arbitror hujuſmodi diſtributiones non eſſe conferendas aliis Canonicis, ſed potius fiſco Eccleſiæ, ſeu pio loco, qui in locum fiſci ſuccedit; quia hæc ex natura privationis, & confiſcationis bonorum, ut fiſco applicata cenſentur; Eccleſia autem, ſeu loci pii habentur loco fiſci.

2 Diſtributiones, quas beneficiarius abſens amittit cauſa juſtæ excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel interdicti perſonalis, aut etiam totalis generalis, aut ob degradationem, aut ſimiles ob cauſas, conferendæ ſunt Canonicis intereſſentibus, nam diſtributiones propriè ſumptæ, quæ deberentur abſentibus, ſi intereſſent, accreſcunt cæteris intereſſentibus ſolis.

Vtrum

Utrum inſervientes diſtributiones abſentium acquirant ante ullam Judicis ſententiam, conſequenter utrum Beneficiarius qui Divinis officiis non interfuit, pœnam privationis diſtributionum ſubire debeat ante ullam Judicis ſententiam.

Cap. 411.

1 BEneficiarius Divinis Officiis in Choro mancipatus, ſi Divinis non interſit, non poteſt diſtributiones percipere,& perceptas tenetur reſtituere,etiam ante ullam Judicis ſententiam quia pœna ipſo jure lata, quæ ad ſui executionem nullam hominis actionem requirit, ſubeunda eſt ante ullam Judicis ſententiam. Diſtributiones vero abſentium Canonicis intereſſentibus accreſcere incipiunt ab eo tempore, quo Canonicus abeſt ex aliqua cauſa, ob quam abſentes non lucrantur diſtributiones quia reſpectu abſentium tunc temporis deficit cauſa ob quam conferuntur diſtributiones; quia reliqui Canonici ab eo tempore majorem præſtant operam: idem valet, ſi Beneficium per mortem vacet, aut etiam per reſignationem completam, nam nullum jus perfecta reſignatione, vel permutione competit reſignanti, vel permutanti, unde ab eo tempore diſtributiones accreſcunt intereſſentibus, niſi ſucceſſor reſideat, & aſſiſtat.

De Clauſura, & pœnis violatoribus ipſius impoſitis.

De obligatione, qua Moniales à Monaſterio egredi prohibentur.

Quid ſint Clauſura. Cap. 412.

1 CLauſura eſt ſpatium, quod intra januam Monaſterii ſemper clauſum continetur; ſeu eſt locus Monaſterii intra quem Moniales ſiſtere debent, & à quo egredi nequeunt ſine violatione præcepti, vel etiàm voti, dum clauſuram ex voto ſervare tenentur, ut conſtat ex motu proprio Gregorii XIII. edito anno 1572. tertio Kalendas Ianuarii unde non poteſt Monialis ad Domos Monaſterio contiguas accedere: etiam ſi Domos illas inhabitent tantummodo fœminæ eleemoſynis colligendi, & ſervitiis Monaſterio præſtandis deputatæ, nam ad hujuſmodi Domos ſecularibus patet acceſſus, & propterea intra Monaſterii ſepta non connumerantur, nec clauſuræ terminis clauduntur, & nomine Domus intelligitur Monaſterium & unum pro alio accipitur, & ſic violat clauſuram ſi ad alieni tecti partem tranſeat quia non eſt pars Monaſterii, nec intra terminos Monaſterii continetur, ſecus dicendum ſi in ſuperiori tecti parte, quæ ad Monaſterium pertinet ſiſtat, quia intra terminos Clauſuræ continetur, peccat autem contra Clauſuram ſi ad unum, vel duos pedes janua exeat; non autem peccat ſi Monialis rotam ingrediatur, & rotam ad partem, quæ ſecularibus patet, vertat dummodo à rota non egrediatur, cum limites Clauſuræ nondum perfecte excedat, licet forte graviter peccet ratione alicujus periculi mortalis. Nec poteſt Monialis transferre ſe ad Eccleſiam exteriorem: vel ad alium locum, ad quem ſecularibus patet acceſſus: nam intra limites Clauſuræ non continetur.

Quænam Moniales ad Clauſuram teneantur, itaut Monaſterio egredi nequeant. Cap. 413.

1 OMnes, & ſingulæ Moniales, cujuſcumque ordinis ſint poſt profeſſionem tenentur ordine Clauſuræ, modo in congregatione vivant ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 25.c.5. unde Moniales etiam Converſas,& Tertiaria ſequitur teneri poſt profeſſionem ad Clauſuram,ad quam Novitiæ non tenentur, quia In jure ſermo eſt de Profeſſis, non de Novitiis, nec ad Clauſuram tenentur illæ fœminæ, quæ non ſunt vere Moniales: etiam ſi aliqua ſimplicia vota emittant; quæ hortandæ ſunt ut ſolemniter profiteantur, facta autem profeſſione ad Clauſuram tenentur; quod ſi renuant profeſſionem ſolemniter emittere, & clauſuram recipere, non poſſunt ullam in poſterum in ſuam congregationem recipere, & ſi aliquā recipiant, receptio irrita eſt: fœminæ autem, quæ ſolemnem profeſſionem emitterent hac conditione, ut in Domo propria remanerent, ut alias factum fuiſſe conſtat ex c. inſinuante, qui Clerici, vel voventes, non tenentur ad Clauſuram; quia in juribus ſermo

eſt de Monialibus in Congregatione viventibus; ſecus dicendum eſt de illis, quæ in congregatione vivunt: etiam ſi tempore profeſſionis animum haberent non obligandi ſe ad Clauſuram; onus .n. clauſuræ non oritur ex voluntate Monialium, ſed ex diſpoſitione Summorum Pontificum qui Moniales profeſſas ad clauſuram obligant. Moniales autem, quæ clauſuram non ſervant, committunt peccatum contra præceptum Eccleſiæ præſcribens Monialibus clauſuram, immo faciunt contra votum, ſi ſe voto ad clauſuram obſtrinxerunt, aut contra regulam, ſi in regula præcipitur clauſura.

Quo jure clauſura Monialium introducta ſit. Cap. 414.

1 CLauſura Monialium jure humano poſitivo, non autem jure naturali, vel Divino inducta eſt: de jure humano ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 5. non de jure naturali, nam jus naturæ ſemper idem eſt, ſed antiquis temporibus clauſura in uſu non erat, & ſic eſt ſignum non eſſe de jure naturæ, nec eſt de jure divino, quia ex ſcriptura neque ex traditione aliqua Divina hujuſmodi clauſura clare deduci poteſt.

Quibus cenſuris, & pœnis afficiantur Moniales clauſuram violantes, egreſſu è Monaſterio. Cap. 415.

1 COntra Moniales Clauſuram violantes, egrediendo è Monaſterio Inducta eſt pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, quæ excommunicatio extenditur ad concedentes licentiam egrediendi, comitantes, receptantes in caſibus, in quibus Monialibus egredi è Monaſterio non permittitur: immo prædictæ Moniales egredientes, & ſuperiores egrediendi facultatem concedentes incurrunt privationem dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum, & inhabiles ad illa, & ad alia in futurum obtinenda efficiuntur; ſic enim decernitur in motu Pii V. qui incipit Decori, & honeſtati, in quibus pænis incurrit ſi Monialis extra januam Clauſuræ ambobus pedibus ſe tranſtulit; etiam ſi receperit ſe ad illud ſpatium, quod jacet inter clauſuram Monaſterii portam, & inter aliam, quæ ſecularibus inſervit; idem dicendum ſi ſe tranſferat ad eam Eccleſiæ partem, quæ ſecularibus patet; nec poteſt excuſari ratione parvitatis materiæ, quia clauſura certis terminis definitur; hos autem excedit tam is, qui à Monaſterio longe recedit, quam qui ad duos pedes egreditur. Monialis autem egreſſa juſta de cauſa, & ea finita non ſtatim regreditur pænis ſupradictis non ſubjicitur; quia licet faciat contra præceptum clauſuræ non ſtatim regrediendo, tamen Pius V. prædictas pœnas imponit ſolum illicite egredientibus, &c.

Qui poſſit ab excommunicatione, & præfatis pœnis abſolvere, & diſpenſare. Cap. 416.

1 NEmo præter Summum Pontificem vel habenrem ab ipſo facultatem jure communi poteſt à dicta excommunicatione abſolvere, dum excommunicatio publica eſt, quia illius abſolutio Summo Pontifici reſervatur in motu Pii V. ſupra citato: ſi vero excommunicatio ſit occulta poteſt Epiſcopus, vel habens ab illo facultatem abſolvere virtute *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. de reform.) virtute Bullæ cruciatæ poteſt ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo conferri, non autem toties quoties: quia à cenſuris reſervatis non poteſt niſi ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo abſolvere. Religioſi autem habentes privilegium abſolvendi à cenſuris Summo Pontifici reſervatis poſſunt à prædicta excommunicatione abſolvere.

Quinam jus habeant coendi Moniales ad clauſuram. Cap. 417.

1 ONus cogendi Moniales ad Clauſuram incumbit Epiſcopo auctoritate ordinaria in ſuis Monaſteriis; auctoritate vero Sedi Apoſtolicæ delegata, *In* Monaſteriis Sedi Apoſtolicæ ſubditis, ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 5. In Monaſteriis vero exemptis, hæc facultas non competit Epiſcopo, ſed Superioribus illorum ordinum ex c. periculoſo de ſtatu Regularium in 6. Epiſcopi autem, ſeu ſuperiores Monialium uti poſſunt opera Secularium ad continendas in Clauſura Moniales, unde *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 5. hortatur Principes Chriſtianos ad præbendum hujuſmodi auxilium, dum auxilium ab ipſis imploratur, immo obli-

gat

gat Magiſtratus ſeculares ad opem ferendam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda: Epiſcopi autem non tenentur ſub mortali ſingulis annis decretum de Clauſura Monialium publicare, quando alias publicatum ſit, niſi aliud neceſſitas ſuadeat.

An Magiſtratus ſecularis teneatur ſub excommunicatione auxilium Epiſcopo præbere circa clauſuram Monialium. Cap. 418.

1 MAgiſtratus ſeculares non præbentes Epiſcopis auxilium circa Clauſuram Monialium excommunicationem incurrunt ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* de Reg. nam conſiſtit in ommiſſione non præbendi auxilium: cui excommunicationi ſubjiciuntur omnes, & ſinguli Magiſtratus ſeculares non præbentes auxilium cujuſcumque generis, & ordines exiſtunt; etiam ſi ſint Eccleſiaſtici, ſecularem juriſdictionem exercentes, cujus excommunicationis abſolutio non eſt Summo Pontifici reſervat: quia in Conc. nullum de hoc caſu reſervationis verbum reperitur.

Ad quem pertineat facultatem exeundi Monaſterio Monialibus concedere. Cap. 419.

1 AD Epiſcopum, vel ad ejus Vicarium Generalem pertinet facultatem exeundi à Monaſterio concedere Monialibus in Monaſteriis Epiſcopo, aut Sedi Apoſtolicæ ſubiectis ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* in Monaſteriis vero exemptis, quæ regularibus ſubduntur facultas exeundi concedenda eſt à Superiore ordinis; & præterea ab Epiſcopo, vel illius Vicario; quia in motu proprio Pii V. qui incipit Decori, & honeſtati, præſcribitur, ut licentia à Superioribus ordinis, & ab Epiſcopo, ſeu loci ordinario concedatur, etiam ſi monaſteria ab Epiſcoporum, & Ordinariorum juriſdictione exempta ſint, quod eſt intelligendum, ubi prædictus Pii V. motus uſu receptus eſt, nam alicubi receptus non eſt, & propterea in Monaſteriis exemptis non eſt neceſſaria in iis locis Epiſcopi licentia, ſed ſufficit facultas ſuperioris juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis; Non tamen ſufficit licentia Abbatiſſæ ipſarum Monialium, quia etiam ipſa clauſuræ præcepto tenetur; & in motu proprio eſt ſermo de ſuperioribus ordinum Monialis. Licentia autem in ſcriptis dari debet, ſic enim præſcribitur in ſupradicto motu proprio, nec tenet ſi ſolo verbo datur: quando autem neceſſitas urget, & periculum ſit in mora, ut Monialis è Monaſterio exeat, excuſatur à peccato, & à cenſura, ſi exeat abſque licentia obtenta: tenetur tamen poſt egreſſum admonere ſuperiorem, ſi poteſt quamdiu extra Monaſterium exiſtit, quia cognitio cauſæ pertinet ad ſuperiorem.

2 Monialis excuſatur à peccato ratione parvitatis materiæ, ut ſi Monialis, quæ ſub oſtio clauſuræ exiſtit uno pede extra januã extenſo, altero in januam retento excuſatur à peccato; quia Clauſuram tra perfecte non violet: ſic dicendum de Moniali intra rotam exiſtente, ſecus dicendum ſi utroque pede, & toto corpore egreſſa eſt, & etiam ſi ad unam, vel duos tantum palmos janua egreſſa ſit, quia perfecte clauſuram violavit, ex quo patet quid dicendum ſit de eo; qui Monaſterium Monialium ingreditur: eadem enim argumentandi ratione in utroque caſu uti poſſumus.

Quibus ex cauſis facultas exeundi Monialibus concedi poſſit. Cap. 420.

1 UT Monialis e Monaſterio licite egredi poſſit requiritur facultas Superioris cum juſta, & gravi cauſa ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* & ex conſtitutionibus Pii V. Cauſæ autem ſunt. Prima magnum incendium: Secunda infirmitas lepræ; Tertia infirmitas Epidemiæ: nomine autem Epidimiæ intelligitur morbus contagioſus qui alios inficere ſolet, ut eſt peſtis &c. ſed ſi Moniales poſſint curari in Monaſterio abſque aliarum infectione, aut ſi incendium in Monaſterio graſſetur, & Moniales ad aliam Monaſterii partem abſque vitæ pericuſoſe recipere, & incendium evadere valeant, non poſſunt e Monaſterio exire: quia ceſſat exeundi juſta cauſa.

2 Abbatiſſa non poteſt è Monaſterio exire, ut viſitet ædificium Eccleſiæ num ſibi placeat cum nulla ſit cauſa ex ſupradictis: nec poteſt exire cauſa inviſendi Monaſteria ſibi ſubjecta, cum hoc munus ad Prælatos pertineat, nec ut curam ſuorum

nepotum gerat: qui ſint omnibus aliis propinquis deſtituti, nec ad parentes vel alios infirmitatis cauſa viſitando ex motu præcitato Pii V.

3 Moniali concedi poteſt facultas exeundi non ſolum ob tres allatas cauſas, verum etiam tempore belli, ſeque in locum tutum recipere, ne gravi damno afficiantur ſic dum totus ipſarum Conventus in alium locum de conſenſu Epiſcopi transfertur, ſic etiam dum Abbatiſſa, vel Prioriſſa tenetur propter ſæudum præſtare juramentum fidelitatis; alicui Domino ſeculari, nec illud per procuratorem præſtare poteſt, poteſt cum honeſta ſocietate exire, modo ſtatim præſtito juramento revertatur, quia in hoc caſu de Communi Monialium bono agitur: ſic poteſt exire de licentia ſuperioris ad reformandum, vel fundandum aliquod ejuſdem ordinis Monaſterium: quæ autem ad aliud Monaſterium ejuſdem ordinis, & habitus in utilitatem publicam traſlata fuit, poteſt peracto officio, ob quod traslata fuit redire ad prius Monaſterium de conſenſu utriuſque Monaſterii: & etiam ſi ſocia, cum qua translata fuerat regredi nolit. Monialis item poteſt ad aliam religionem perfectiorem tranſire; ſic poteſt ad aliud Monaſterium transferri cauſa punitionis, quoties jus ita decernit, vel dum in proprio Monaſterio aliqua de cauſa commode corrigi non poteſt. Nulla autem Monialis propter incorrigibilitatem Monaſterio eiici poteſt, quia id uſu nunquam receptum eſt.

4 Monialibus converſis licitum eſt è Monaſterio exire ad petendas eleemoſinas Conventui neceſſarias, dum eas per alios commode petere non poſſunt; ſervatis tamen conditionibus præſcriptis in Motu Pii V.

5 Infirmitas non contagioſa, qua Monialis ita detinetur, ut ab ea curari nequeat dum in Monaſterio exiſtit, non eſt juſta, & ſufficiens à Monaſterio exeundi cauſa, etiam ſi hujuſmodi infirmitas vitæ periculum i, ſi Moniali afferat: quæ autem ob infirmitatem contagioſam exierunt; tenentur ſtatim ac moraliter poſſunt, ſe ad Monaſterium recipere.

De Obligatione, qua Religioſi viri Clauſtro ſine licentia exire vetantur.

Utrum Religioſi viri ad Clauſuram teneantur. Cap 421.

1 Religioſi non tenentur ad clauſuram perpetuam, quia nullo jure interdicta eſt; poteſt autem à Summo Pontifice imponi juſta concurrente cauſa; tenentur tamen ad aliquam Clauſuram temporalem, nam religioſi ſubditi ex clauſtro ſine ſui Superioris licentia expreſſa, vel tacita, præſumpta, vel interpretativa exire non poſſunt ex regulis omnium Religioſorum, violatio autem eſt tantum venialis, nam quę continentur in Regulis Religioſorum pręter tria eſſentialia Religionis vota obligare non ſolent ad mortale: per accidens ratione alterius circumſtantiæ fieri poteſt mortalis, ut ſi clauſtro egrediatur, ut extra illud diu, & quaſi ſtabili modo vivat contra Prælati obſervantiam, aut ſi noctu furtive egrediatur, egreſſus enim nocturnus, & fugitivus eſt caſus reſervatus in decreto Cl. VIII. de caſibus reſervatis Religioſorum caſu tertio, licentia autem tradita à ſuperiore expreſſa, vel tacita exeundi excuſat ab omni culpa: non poteſt autem Religioſus de licentia ſui Prælati extra monaſterium manere abſque habitu, nam non poteſt habitum dimittere abſque licentia Papæ, etiam ſi habitum dimittere intendat, ut commodius parentum neceſſitati conſulere valeat.

2 Multis modis clauſuram violare poſſunt Religioſi. Primo dimittendo habitum, Secundo matrimonium contrahendo de quo dictum eſt ſuperius in tractatu de matrimonio. Tertio proficiſcendo ultra mare ſine ſuperioris licentia. Quarto adeundo curias Principum in conſulto ſuperiore. Quinto. accedendo ad ſtudia non obtenta à Prælato facultate. Sexto exeundo ad audiendas leges vel Phyſicam. Septimo illicite tranſeundo ad aliam religionem. Octava inique reclamando contra profeſſionem, indeque occaſionem exeundi arripiendo. Nono dando voluntarie cauſam expulſioni. Decimo fugiendo, vel apoſtatando à Religione.

De Religioſis habitum ſuæ Religionis dimittentibus.

Cap. 422.

1 RELigioſus profeſſus, habitum temere dimittens, excommunicationem incurrit: ſic habetur in c. 2. ut periculoſa de Religioſis Domibus: ille autem temere dimittit habitum, qui ad ſic incedendum, vel ad ſe occultandum habitum deponit, ut agnoſci nequeat; non autem afficitur excommunicatione hac, qui ſe veſtibus ſpoliat, ut dormiat, ut hab. tum purget, vel accommodet, &c. nec qui ſuis veſtibus indutus à Monaſterio abſque ſuperioris licentia fugit: quia excommunicatio non eſt lata in fugitivos, & Apoſtatas, vel in eos, qui habitum dimittunt; nec afficitur hac excommunicatione Religioſus, qui eſt per ſententiam perpetuo carceri damnatus, ſi ſine veſtibus Religioſis fugiat: qui hic non dicitur habitum dimittere, cum eo juſtè privatus fuerit ſed hab tus privationem patitur, quem ipſe licitè nequit aſſumere.

2 Excommunicationem iſtius capitis incurrit, qui nudus fugit, aut cum ſolis femoralibus; quia dicitur habitum ſuæ religionis deponere ad ſe occultandum, cum hoc pacto nequeat dignoſci: & ſic eadem excommunicatione afficitur qui partem veſtium ſuæ Religionis dimittit, & aliam retinet, ſed ex parte retenta cognoſci nequit tamquam religioſus; idem dicendum, ſi partem habitus alterius religionis aſſumat, quo aſſumpto cognoſci nequeat tamquam religioſus: hac eadem excommunicatione afficitur, qui ſe habitu novitiorum induit, & ſit profeſſus: quando tamen ſit diſtinctio in habitu ipſorum novitiorum, & in habitu profeſſorum, quia dicitur habitum ſuæ religionis dimittere, & datur ſufficiens vagandi occaſio: ita hac excommunicatione afficitur quoties Religioſus proprium habitum ita occultat, ut à circumſtantibus agnoſci nequeat, cujus ordinis religioſus ſit, quia licet occultans habitum, non dimittat illum materialiter, admittit tamen formaliter, quia dimittit tamquam habitum, quo diſcerni non poteſt tamquam religioſus: ita etiam incurrit, qui obtenta à ſuperiore facultate accedendi ad aliquem locum, ad illum dimiſso habitu accedit; quia licet hic non dicatur vagari, cùm facultatem à Superiore obtinuerit, tamen habitum ſuæ Religionis dimittit, & vagandi occaſionem acquirit: ſic incurret, qui intra privatos ſui Monaſterii parietes habitum ſuæ Religionis non defert: etiam ſi poſtea non vagetur, nec Monaſterio egrediatur: quia textus abſolutè loquitur de dimittentibus habitum, quovis in loco dimittant: ſaltem ſi hoc faciat ad ſic incedendum, vel ad ſe occultandum.

3 Non quælibet habitus dimiſſio ſufficit ad incurrendam iſtam excommunicationẽ ſed opus eſt, ut dimiſſio ſit temeraria, quia in textu bis exprimitur hæc conditio temere dimittat: ut autem dimiſſio temeraria cenſeatur duæ conditiones requiruntur; Prima ut non fiat ex cauſa rationabili vera, & apparente: hæc.n potiùs dicetur prudens, diſcreta, & rationabilis; unde Religioſus excuſatur, qui cauſa ſervandæ vitæ dum per loca Turcarum, Hæreticorum, vel aliorum tranſiturus eſt, habitum dimittit; nec afficitur, qui habitum dimittit, & alium induit ad ludricam aliquam actionem inter Religioſos faciendam titulo cujuſdam honeſtæ lætitiæ, quia non eſt temeraria dimiſſio; nec afficitur, qui habitum alterius Religionis ſtrictioris aſsumit: quia permiſsus eſt tranſitus, ad arctiorem Religionem, nec eſt temeraria; modò ingrediatur arctiorem Religionem: qui autem dimittit habitum ſuæ Religionis, & habitum alterius Religionis aſsumit contra jura excommunicationem incurrit: quia temerè, & cum graviſſimo peccato dimittit habitum; Secunda conditio neceſſaria, ut dimiſſio habitus temeraria cenſeatur, eſt, ut ſi fiat ex contemptu legis, hoc eſt non obſtante privatione legis & propterea ignorans prohibitionem qui dimittit habitum non incidit in excommunicationem: etiam ſi ignorantia ſit vincibilis, vel etiam craſsa, vel ſupina, modò non ſit quaſi ſcientia, & ingens temeritas, quia non dicitur, prohibitionem trangredi ex contemptu; ad incurrendam autem hanc excommunicationem non opus eſt, ut dimiſſio habitus ſit perpetua: quia ſatis eſt, ut ad tempus deponat; quia textus loquitur de illa dimiſſione habitus, quæ vagando occaſionem præbet; occaſionem verò vagandi præbere poteſt dimiſſio habitus, etiam ſi ſit temporalis, & non perpetua: nec incurrit in hac Canonis excommunicationem ſi per dimidiam, vel

integram horam dimittat, ratione parvitatis materiæ, & non dicitur dimitti, quod brevi tempore ſumendum eſt, unde exiſtimo ad incurrendam hanc excommunicationem duas, vel tres horas ſufficere ob dimiſſionem habitus; quia videtur tempus notabile ſecundum ſe; unam vero horam ut plurium non exiſtimarem notabile tempus in hac materia, nam habetur ratio ad dimiſſionem habitus notabilem, unde non cenſerem, eſſe obnoxiam excommunicationi dimiſſionem habitus per unam horam contra hunc Canonem, licet ob alias circumſtantias fieri poſſit, ut pluribus lethalibus culpis infecta ſit.

4 Omnes, & ſinguli Religioſi habitum ſuæ religionis temerè dimittentes excommunicationem incurrunt, quia textus ſimpliciter loquitur de Religioſis habitum temerè dimittentibus. Religioſi itaque Societatis Jeſu, qui habitu dimiſſo ſecularem induerent in Italia, ubi ſæculari habitu non incedunt, vinculo hujus cenſuræ obſtringerentur, nam ſunt verè Religioſi, unde oneribus Religioſorum ſubiiciuntur; ſicut etiam illorum privilegiis fruuntur: ſic Religioſus promotus ad beneficium parochiale alicujus Eccleſiæ afficitur excommunicatione, dimittendo habitum ſuæ Religionis quia adhuc tenetur votis Regionis, nec abſolutè exemptus eſt ab obſervantia regulari, dum eam commodè ſervare poteſt una cum Parochiali munere. Religioſus autem Epiſcopus, vel Cardinalis creatus in iſtam non incidit excommunicationem, dimittendo habitum ſuæ Religionis; quia religioſus factus Epiſcopus eximitur ab omnibus regulis, & ſtatutis Religionis c. unic. 18. 9. 1 ergo in nullam incidit culpam, eas non obſervando. Idem dicendum de Religioſo electo ad dignitatem Abbatis, habentem propriam Diœceſim, nulli Epiſcopo ſubiectam.

5 Excommunicatio hujus Canonis impoſita ob dimittentes habitum, & ob auditionem Phyſicæ, & Legis abſque licentia Superioris, ſufficit ad incurrendam hanc excommunicationem alterutra iſtarum actionum: hæc n. eſt Summi Pontif. intentio: & propterea DD. has tamquam duas excommunicationes diſtinctas referunt. Ad Summum Pontificem ſpectat diſpenſatio circa dilationem habitus: quia obligatio deferendi habitum conſurgit ex jure Canonico, & facultas diſpenſandi in jure Canonico pertinet ad Papam.

De Religioſo ultra mare proficiſcente ſine licentia ſui Superioris. Cap. 423.

1 Religioſus proficiſcens ultra mare ſine licentia ſui ſuperioris excommunicationem incurrit, nam Joannes XXII. in extravag. ſub excommunicatione interdixit: actio autem ſubiecta iſti excommunicationi duplex eſt, una ex parte Religioſi inferioris, alia ex parte Superioris. Ex parte igitur inferioris, ſi quis ſe transferat ad partes tranſmarinas abſque licentia ſuperioris excommunicationem incurrit; & licentia debet eſſe expreſſa, & ſcriptis exarata, quia Pontifex in ſua Bulla hoc explicitè petit; transferens ſe autem abſque licentia ad partes traſmarinas; ubi eſt multitudo fidelium non ligatur hac excommunicatione, ſi ibi ſit major pars fidelium, quàm infidelium; nam in Bulla ſermo eſt de tranſerentibus ſe ad partes tranſmarinas, in quibus pauci fideles, reſpectu infidelium commorantur; ex parte autem Superioris, Superior afficitur excommunicatione, ſi concedat licentiam accedendi ad partes tranſmarinas aliis, quàm viris doctis, & expertis, ſic enim habetur in Bulla, in qua requiritur triplex conditio in eo, cui facultas concedenda eſt, Nempe, Scientia, Prudentia, & Peritia ſeu experientia, & ibi loquitur per dictionem conjunctivam cum hic verbis (Litteratis, Providis & Expertis,) non autem iſte ſuperior incurreret excommunicationem, ſi hujuſmodi licentiã concederet fratribus alterius Religionis: fratres autem ſe transferentes ultra mare cum hujuſmodi licentia in excommunicationem inciderent, cùm hujuſmodi licentia irrita ſit, ut obtenta ab eo, qui ejus concedendæ poteſtatem non habet. Subditi autem huic excommunicationi ſunt omnes, & ſinguli Religioſi, & reſpective ſuperiores Religioſorum unuſquiſque pro ſua actione: non autem incidit in Excommunicationem Superior ordinis ſi ad hujuſmodi loca abſque licentia accedat; nam textus loquitur de Religioſis ſubditis accedentibus ſine licentia Superioris: qui debet eſſe Generalis, vel æqualis in juriſdictione. Abſolutio autem iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſervata eſt,

De

De Religioſo adeunte curias Principium abſque Superiorum ſuorum licentia.
Cap. 425.

1 MOnachi, & Canonici Regulares adeuntes curias Principum ad nocendum Prælatis aut Monaſteriis excommunicationem ipſo facto incurrunt: ſic habetur in Clem prima, in agro de ſtatu Monach. ad quam incurrendam duæ conditiones requiruntur. Prima eſt acceſſus ad Curias Princip. ſecunda eſt intentio nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſteriis, quare non afficitur hac cenſura, qui animum habet nocendi ſuis prælatis, ſed non accedit ipſe ad præfatas curias; nec afficitur qui iter inchoat ad Curias, ſed poſtea animum mutat, & curiam alio animo ingreditur: ſubiicitur autem qui morbo, aut alio impedimento detentus non potuit curiam ingredi, ſubiicitur autem huic Cenſuræ accedens ad curiam intentione damnum inferendi, licet nullum damnum inferat, nam hic facit actionem ſub cenſura prohibitam.

2 Duo prohibentur in hoc textu. Primum eſt accedere ad Curias Principum ſine ſpeciali licentia, exceptis iis, qui adminiſtrationem habent, quia ipſis ſæpe opus eſt, cauſa adminiſtrationis curiam adire: ſecundum eſt accedere ad curias Principum animo nocendi ſuis prælatis vel Monaſteriis, ſive licentia obtenta ſit, ſive non: qui igitur accedit ad Curias Principum animo nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſterio in excommunicationem incidit: etiam ſi forte accedat de licentia ſui Prælati; quia licet in hoc textu præſcribatur, ut Nullus Monachus, vel Canonicus Regularis ad Curiam Principum ſe conferre præſumat abſque ſpeciali licentia, tamen dum imponitur excommunicatio accedentibus animo nocendi, nulla de licentia fit mentio: & propterea ſive accedat obtenta licentia, ſive non excommunicationem incurrit, modo accedat eo pravo animo. Is autem ſpecialem licentiam habet, cui à ſuperiore data eſt facultas accedendi ad Curiam Principis, ſecus ſi data ſit facultas eundi quo velit, quæ non eſt licentia ſpecialis, ſed generalis; cum qua licentia, ſi quis ſe confert ad Curiam, non excuſatur à peccato, neque à Cenſura, ſi accedat animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſteriis, non afficitur autem accedens ad Curiam animo nocendi alicui Religioſo Monaſterii, qui Prælatis non ſit, vel nocendi alteri religioni, quia in textu loquitur de ſuis Prælatis, & Monaſteriis.

3 Subiecti huic excommunicationi ſunt Monachi, & Canonici regulares, non habentes aliquam adminiſtrationem dum ad Curias Principum accedunt intentione nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſteriis, & non alii religioſi: quia textus iſtorum ſolum meminit; & propterea ſinguli Monachi, qui vocantur Monachi, vel Regulares Canonici qui nullam adminiſtrationem habent, ligantur hac cenſura ſi ſe transferant ad Curias cum præfata intentione; poſſunt tamen ignorantia excuſari, quia textus loquitur de præſumente. Abſolutio autem iſtius excommunicationis jure cõmuni reſervata non eſt

De Religioſo conferente ſe ad ſtudia abſque licentia ſuperioris.
Cap. 425.

1 REligioſi accedentes ad ſtudia ſine licentia ſui Prælati, & conſilio Conventus, vel majoris partis ligatur excommunicatione ut in c. 2, perículoſa ne Clerici, vel Monachi. Religioſus igitur qui cauſa cujuſcumque ſtudii prohibiti, vel alias permiſſi proficiſcitur extra oppidum ſui Monaſterii ligatur excommunicatione: non autem ligatur ſi ſine licentia accedit ad ſtudia ſui oppidi: nec ſi accedit ſine licentia ad Monaſterium ſuæ religionis in alio oppido exiſtens, ubi ſunt ſtudia intra clauſtrum: quia non dicitur accedere ad ſtudia, ſed potius mutare Cœnobium, & Monaſterium, nec ligatur, qui ad aliud Monaſterium ſuæ Religionis ſe confert intentione dandi operam ſtudiis, quæ extra Monaſterium exiſtunt, ſi intentionem habeat manendi in Monaſterio, & juxta modum ordinarium ad ſcholas accedendi; ut autem non ligetur iſtâ excommunicatione, requiritur licentia proprii Prælati immediate cum conſilio Conventus, vel majoris patris, ſic .n. dicitur in textu, nec valet licentia invalide obtenta, ut per dolum, vel metum gravem, vel à ſuperiore non habente facultatem eam concedendi ad excuſandum ab hac Cenſura.

2 Subiiciuntur huic excommunicationi omnes Religioſi profeſſi ſubditi Prælato imme-

immediato Conventus, unde non afficiuntur Novitii, qui non ſunt profeſſi. nam textus loquitur de Profeſſo. Prælatus autem Monaſterii non afficitur hac cenſura proficiſcendo ad ſtudia ſine licentia: quia hæc licentia neceſſaria eſt Religioſo, qui ſubditus eſt Prælato habenti Conventum. Abſolutio iſtius Excommunicationis jure communi Summo Pontifici reſervata non eſt.

De Religioſo è Monaſterio egrediente ad audiendas leges, vel medicinam.
Cap. 426.

1 Religioſus è Clauſtro exiens ad audiendas leges, vel medicinam ſubiicitur excommunicationi, niſi ad Clauſtrum intra bimeſtre redeat: & propterea ſi exeat ad audiendas leges, vel medicinam: & non redeat intra bimeſtre, ligatur excommunicatione: quare Religioſus ſtudens in Clauſtro legi, vel medicinæ non ligatur, quia è Clauſtro non exit; nec ligatur Religioſus, audendo medicinam, aut leges in eadem civitate, ſi domum ſero redeat, quia non habitat extra clauſtrum; & ceſſat altera actio, niſi intra bimeſtre redierit, opus autem eſt ad incurrendam excommunicationem, ut Religioſus exeat intentione audiendi præfatas ſcientias, nam ſi alia de cauſa exeat contra iſtam conſtitutionem non facit; nec ligatur, qui exivit non animo audiendi præfatas, licet poſtea mutata voluntate permanet extra clauſtrum principaliter animo audiendi, ſic que poſt hujuſmodi voluntatis mutationem duos menſes extra Clauſtrum moratur; quia textus loquitur de egredientibus eo animo audiendi: ligatur tamen qui Clauſtro egreſſus eſt animo audiendi præfatas ſcientias, ſed re ipſa non audivit, modo intra duos menſes ad Monaſterium non revertatur; quia excommunicatio non eſt lata contra Religioſos audientes, ſed contra Religioſos egredientes animo audiendi, & non redeuntes intra duos menſes. Religioſus autem exiens ad docendum præfatas facultates non contrahit iſtam Excommunicationem: quia textus loquitur ſolum de exeunte ad audiendas leges, vel Phyſicam. Quando autem Religioſus è Clauſtro exiit animo audiendi leges, ſed intra duos menſes revertitur non ligatur excommunicatione: quia cenſura lata ſub conditione non incurritur non adimpleta conditione, tempus autem duorum menſium computandum eſt à die, qua Religioſus egreditur ad præfatas ſcientias audiendas.

2 Omnes autem Religioſi exeuntes è Clauſtro ad audiendas præfatas ſcientias ſunt ſubjecti iſti excommunicationi, niſi intra duos menſes redierint; nec excuſantur Patres Societatis Jeſu ſi delinquant, nam ſunt vere Religioſi; excuſantur autem Novitii quia non ſunt proprie Religioſi, & loquitur textus de Religioſis poſt factam profeſſionem. Diſpenſatio autem ſpectat ad ſuperiorem Religioſorum cum ſuis Religioſis, nec abſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici eſt reſervata.

An etiam Magiſtri, ſeu Doctores ligentur excommunicatione docendo Religioſum leges vel medicinam, aut in Scholis retinendo.
Cap. 427.

1 Magiſtri, ſeu Doctores qui Religioſum, poſtquam dimiſit habitum, medicinam, aut leges docere aut in Scholis retinere præſumunt, excommunicationis pœnas ipſo facto puniuntur: nam in c. ut periculoſa ne cler. vel Monac. in 6. duplex habetur excommunicatio. Prima eſt contra ipſos Religioſos, qui habitum ſuæ religionis temere dimittere, vel ad ſtudia litterarum ſine licentia Prælati, & conſilio conventus, vel majoris partis ejuſdem accedunt. Secunda eſt contra Magiſtros, ſeu DD. *qui Religioſos, habitu ſuo dimiſſo, legem aut Phyſicam audientes ſcienter docere, aut in Scholis ſuis præſumpſerint retinere*. Hæc ſunt ipſiſſima præfati capitis verba, quare ſub præfata excommunicatione duæ actiones prohibitæ ſunt: Prima eſt ſcienter docere leges, vel Phyſicam religioſos profeſſos, qui ſuæ religionis habitum dimiſerunt. Secunda eſt præſumere præfatum religioſum in ſuis ſcholis retinere, etiam ſi non doceatur, ut patet ex ſupradictis.

2 Qui autem præfatas ſcientias docet religioſum, qui habitum non dimiſit non incidit in hanc excommunicationem: nec qui religioſum poſtquam habitum dimiſit docet Theologiam, aut alias facultates, quæ nomine legum, vel medicinæ non ve-

veniunt, nec qui religioſum profeſſum, quem ignorabat habitum dimiſiſſe; ſive ignorantia ſit juris, ſive facti, ſive ignorantia ſit craſſa, & ſupina, ſive etiam affectata, niſi forte adſit ingens temeritas, ut ſi Doctor probabiliter ſuſpicetur, & nolit veritatem certo inquirere; ſi autem iſte religioſus ob iſtud crimen ſit denunciatus excommunicatus, Doctor docendo duplicem excommunicationem incurrit, unam in c. nuper, & alteram in hoc textu c. 2. ille autem dicitur retinere, qui locũ in ſuis Scholis concedit, ſeu eum in Scholis ſuis commorari permittit, cum alioquin poſſet expellere, eique cura ſcholę incumbat; & propterea iſte in hanc cenſuram incidit: idem dicendum arbitror de rectore Scholarum, qui prędictum religioſum non expellit, nam ipſe ad hoc tenetur ex officio, modo ipſe ſit Doctor; nam in textu ſermo eſt tantum de Doctoribus, & Magiſtris.

3 Ad incurrendam hujus Canonis excommunicationem alterutra actio ſufficit: quia textus diſiunctivè loquitur: & propterea retinens hujuſmodi religioſum in ſuis Scholis ligatur hac cenſura, etiam ſi eum non doceat, ſicut etiam eadem afficitur qui docet, ſed non expellit, dum hoc onus ipſis non incumbit: & propterea incurrit non quod eum retineat, ſed quia docet, non autem incidit in Cenſuram Doctor, qui retinet in ſuis ſcholis pręfatum religioſum, dum lectio non habetur, quia textus loquitur, Doctorem docentem, vel retinentem audientem leges incidere in excõmunicationem, in quam non incidit Magiſter, qui dum aliquos docet, novit religioſos in domo Scholis propinqua ipſum audire, quia impedire non poteſt, ne in illa domo exiſtat quando autem Doctor advertit aliquem religioſum in ſchola adeſſe, debet hujuſmodi religioſum aliqua vi expellere pręciſo tamem ſcandalo, aut alio gravi periculo; ſi autem, nec vis nec alia ratione expelli nequeat, & religioſus admonitus exire noluit, aut ſine ſcandalo, vel gravi periculo expelli nequeat; lectio dimittenda eſt.

4 Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, ut retinens ſit Doctor, aut magiſter illius Scholæ, unde non ligatur, qui retinet, & non ſit Doctor, nam in textu eſt ſermo de Doctoribus; nec ſufficit eſſe inſignitum Doctoratu, niſi ſimul doceat, unde debet eſſe Doctor, & doceat, & propterea nomen Doctoris adhibitum eſt ad ſignificandum gradum doctoratus, nomen vero Magiſtri ad ſignificandum docendi officium. Abſolutio hujus excommunicationis Summo Pontifici reſervata non eſt.

De Tranſeuntibus ab una ad aliam Religionem.

Utrum tranſitus ab una ad aliam Religionem licitus ſit. Cap. 428.

1 Licitus eſt tranſitus ab una ad aliam arctiorem Religionem niſi aliud obſtet; quia cuilibet jure naturæ competit jus perfectioris vitæ capeſſendæ, cum hoc pacto melius Deo ſerviatur, & ſaluti propriæ conſulatur, niſi aliqua ſubſit circumſtantia prohibens ingreſſum.

Quo jure, & quibus perſonis compętat jus tranſeundi ad Relionem arctiorem. Cap. 429.

1 Tranſitus ad arctiorem Religionem non ſolum conceditur jure humano, c. licet de regular. verum etiam jure naturali divino, nam quilibet poteſt perfectiorem vitę ſtatum ſectari: hoc enim gratius eſt Deo, nam gratior eſt Deo perfectior Religio, quam minus perfecta, niſi forte aliquibus interdicatur, vel tranſeundi facultas denegetur, nam juſtus de cauſis à Summo Pontifice impediri poteſt ut cauſa vitandi ſcandali, aut quietis Religioni, aut quia non conſtat, an alia Religio ſit perfectior: &c. Ingreſſus autem vel poteſt interdici, vel denegari: cui interdicitur, ſi ingrediatur valide ingreditur: ſi denegatur abſolute, vel non obtenta licentia, non valide ingreditur, niſi licentiam obtinuerit: Tranſitus vero non modo poteſt fieri à Religioſis Sacerdotibus, ſed etiam à converſis, etiam tranſitus poteſt fieri à Moniali ad aliam arctiorem Religionem, quia in ipſa militat eadem ratio, petita prius à ſuperiore ordinario licentia etiam ſi forte non obtineatur. Conciliam autem in hoc caſu non loquitur.

Que

Quænam conditiones ſervandæ ſint, dum quis ab una ad aliam Religionem tranſit.

Vtrum tranſiens ad aliam Religionem petere debeat licentiam à Superiore, & à quo Superiore eam petere tenetur. Cap. 430.

1 Volens ad arctiorem Religionē tranſire, licentiam tranſeundi petere debet ſub mortali, quia in c. licet imponitur præceptum petendi licentiam; nec ſatisfacit petendo licentiam poſt Religionis ingreſſum: quia præcedere debet, & cauſam tranſeundi Superior debet ſignificare: quia Superior non poteſt licentiam concedere, niſi cognita cauſa; nec Superior poteſt admittere in ſuam Religionem ſubditum alterius Religionis, niſi ipſi conſtet, ipſum petiiſſe licentiam tranſeundi, vel conſtet licentiam inique denegari à Superiore Prioris Religionis; tunc enim ſicut licitum eſt ipſi Religioſo tranſire ad arctiorem Religionem, non obtenta licentia: ita liberum eſt Prælato ſecundæ Religionis illum admittere. Tenetur autem Religioſus, qui licentiam tranſeundi obtinuit, non ſtatim è Religione egredi, ſed prius Religionem inquirere, in qua recipiatur, quia alioquin obligationem clauſuræ violat: poteſt verò ad arctiorem tranſire petita, ſed non obtenta licentia, quia ſic decernitur in c. licet ibi *libere poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati*, modo debito tempore expectet vel ſuperior licentiam indiſcretè, vel iniuſtè neget. Illius autem, qui tranſit ad aliquam Religionem non petita licentia, aut petita ſed non obtenta, valida eſt profeſsio in arctiori Religione facta, unde Religioſus non poteſt poſt dictam profeſsionem à prima Religione repeti, & revocari, vel ad eam propria ſponte redire, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Ille verò qui non petita licentia, ad aliam Religionem tranſivit, ſed lis ſuboritur, in qua Religione permanere debeat, debet pendente lite in poſteriori remanere; nam danda eſt manutentio Religioni, donec conſtet Religioſum ad priorem Religionem pertinere.

3 Licentia tranſeundi poteſt petià Prælato, Provinciali, ſeù Generali: quia iſti verè ſunt Prælati Religionis, & ſatiſfacit petendo licentiam ab immediato Prælato Monaſterii, etiam ſi eam non petat à Conventu, nam jure naturali divino competit jus ad perfectiorem Religionem capeſſendam, & iure poſitivo iubetur ſolùm licentiam à Prælato petere. Quando vero Religioſus tranſiturus eſt ad Religionem æque ſtrictam, aut laxiorem, Generalis de conſenſu Capituli generalis facultatem concedere debet. Cauſa concedendi huiuſmodi licentiam eſt, Corporis inhabilitas, aut magna difficultas ad ferendas Religionis auſteritates, nova aeris intemperies, dum eadem Religio non habet aliud Monaſterium ſalubriori gaudens aere: item magna parentum neceſsitas, cui Religioſus in prima Religione nequeat commodè ſuccurrere: item perſecutio aliorum Religioſorum, cui ipſe Religioſus cauſam non dedit &c.

Vtrum tranſitus ab una Religione ad aliam fieri debeat bono affectu, & ſine damno primæ Religionis. Cap. 431.

1 Tranſitus ab una Religione ad aliam fieri debet bono Zelo, ſeu amore maioris perfectionis: ſic ex c. licet de reg. quando autem dubitatur, an bono, vel pravo animo ad aliam Religionem tranſire velit bonum animum, & Zelum præſumendum eſſe, quia in dubio quilibet præſumitur bonus, ſed non malus. Tranſitus verò ab una ad aliam Religionem fieri debet ſine notabili damno, vel infamia prioris Religionis, niſi forte depravati mores illius Religionis cauſam tranſeundi dederint: exiſtimo tamen hujuſmodi profeſsionem validam eſſe, cum nullo jure irritetur.

Vtrum tranſitus ab una Religione ad aliam fieri debeat in arctiorem. Cap. 432.

1 Tranſitus ad aliam Religionem fieri debet in perfectiorem, niſi legitima diſpenſatio tranſeundi ad aliam obtenta fuerit, quia in c. licet habetur ibi (liberè poteſt) ſanctioris vitæ propoſitum adimplere: ea autem vocatur perfectior non quæ perfectior, & fructuoſior eſt in ordine ad ſuum finem, ſed quæ durior, arctior, & aſperior eſt, qua in c. licet citato fit mentio arctioris, & aſperioris vitæ ibi arctio-

ſtioris vitæ prætextu: illa autem Religio eſt arctior, in qua nunc vitæ rigor magis viget, aut exacta paupertas, ſtricta propriæ voluntatis abnegatio, & ſimilia, ideo jure merito ſub excommunicatione prohibitum eſt nonnullis Religioſis aliam Religionem ingredi, ant alios admittere: quia fieri poteſt, ut decipiantur in dijudicanda majori Religionis aſperitate: ob id judicio Summi Pontificis ſtandum eſt.

De effectibus conſurgentibus ex tranſitu ab una ad aliam Religionem.

De effectibus ex tranſitu ad aliam Religionem conſurgentibus circa perſonas ipſas tranſeuntes. Cap. 433.

1 Legitime translatus ad aliam Religionem non tenetur ad vota ſpecialia primæ Religionis, quia vota primæ Religionis commutantur in vota ſecunda & debet ſedere juxta tempus, quo profeſſionem in Secunda emiſit: quia tunc cœpit eſſe Religioſus illius Religionis. Quando autem Religioſus vult redire ad primam Relig. eſt recipiendus à prima, ſi redit antequam fecerit profeſſionem in ſecunda: quia ad huc eſt verus illius Religionis Religioſus: ſi vero redeat poſtquam valide profeſſionem emiſit in ſecunda, non tenetur prima illum recipere; quia non eſt amplius illi ſubditus: ſed eſt ſubditus ſecundæ. Religioſus translatus ad aliam Religionem, ut ibi ſit Prælatus, vel Superior finito officio manet ſubditus primæ Religioni; quia qui ad aliam Religionem proficiſcitur, ut ibi ſit Prælatus, non ſolet ibi profeſſionem emittere: ſubiectio autem Religioni acquiritur per profeſſionem.

De effectibus ex tranſitu ad aliam Religionem conſurgentibus circa bona ipſius Religioſi. Cap. 434.

1 Quando Religioſus certam ſedem non habet, ſed ad nutum Superioris amovetur, & tranſmittitur ab uno Monaſterio ad aliud ejuſdem Religionis, cujus unus eſt caput, ideſt Generalis, vel Provincialis: bona ab hujuſmodi Religioſo acquiſita jure comuni pertinet ad totum ordinem, ſeu Religionem, & ad Generalem pertinet illa applicare cui Monaſterio velit, niſi aliud ferat conſuetudo, vel ſtatutum Religionis; ſi vero certam quaſi ſedem habeat: eo quod Religioſi illius ordinis mutari non ſoleant à Monaſterio, in quo profeſſionem emiſerunt: bona, quæ Religioſus acquirit pertinent ad illud Monaſterium, quod dicitur illius, niſi aliqua bona acquiſierit contemplatione, vel ex re poſterioris Monaſterii, in quo reperitur; quia tunc hujuſmodi bona pertinent ad poſterius Monaſterium; ſi vero aliud ferat conſuetudo, ſervanda eſt; dum igitur Religioſus tranſfertur ab una Religione ad aliam, bona acquiſita ab illo Religioſo remanent apud prius Monaſterium, quia ſic habetur authent: de Monachis, ſi vero relinquens: quando vero poſterius Monaſterium cogitur illum recipere, vel transferatur, ut ibi pænitentiam agat, tunc pars uſus fructus ſufficiens ad alimenta Religioſi, tradenda eſt poſteriori Monaſterio; ſic decernitur in c. dilapſis 16. q., & niſi forte poſteriori Monaſterio inſerviat; illique adeo utilis ſit, ut ipſius obſequia pretium alimentorum adæquent; tunc enim prius Monaſterium nihil dare tenetur poſteriori.

2 Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, nec poteſt quicquam ſecum deferre niſi à Prælato primæ Religionis, vel à Summo Pontifice expreſſe, vel tacitè data ſibi fuerit facultas deferendi: quia bona pertinent ad prius Monaſterium: ſic Religioſus, qui ad aliud Monaſterium tranſmittitur, ut ibi ſit Prælatus; vel ut aliud negotium ibi peragat, non habet jus ad uſum fructum bonorum primæ Religionis acquiſitorum: Monialis autem auctoritate Papæ translata ad ſuam inſtantiam, vel ad inſtantiam ſecundi Monaſterii de uno Monaſterio ad aliud, non poteſt ſecum deferre dotem, vel alia bona priori Monaſterio acquiſita; quia dos, & alia bona non fuerunt tradita ſub conditione; nam cum in dicto Monaſterio profeſſionem emiſerit, ſequitur prius Monaſterium eſſe abſolute dominum prædictorum bonorum: ſi vero ſecundum Monaſterium coactum fuit illam admittere, dos ſolvenda eſt: quia Moniales non ſolent abſque dare admittit: niſi Monaſterium voluntarie dotem remittat. Peculium etiam, quod Reli-

Religioſus tempore profeſſionis ſibi reſervavit de licentia Superioris, pertinet ad prius Monaſterium, quia illius dominium acquiſitum fuerat priori Monaſterio: & uſus fructus conceſſus fuerat Religioſo non abſolute; ſed revocabiliter ad nutum ſuperioris: Idem dicendum de peculio à parentibus aſſignato ipſi Religioſo; ſic etiam hæreditas Religioſo competens pertinet ad prius Monaſt. dum hæreditas delata fuit antequam Religioſus profeſſionem emiteret in ſecunda Religione: etiam ſi hæreditas tunc temporis adita non fuerit, quia eſt inſpiciendum tempus, quo acquiritur hæreditas, quę cum ſit acquiſita ante factam profeſſionem in ſecunda Religione, pertinet ad primam Religionem Bona etiam, quæ prius Monaſterium acquiſivit, non ſunt reſtituenda ſecundæ Religioni, ad quam Religioſus tranſivit, vel ipſimet Religioſo à prima religione exeunti; etiam ſi forte illa bona cedant ſubſtituto poſt mortem ipſius Religioſi in iis caſibus, in quibus per profeſſionem non excluditur ſubſtitutus: quia prius Monaſterium valide acquiſivit jus à tempore, quo Religioſus profeſſionem emiſit, cum onere ſolum reſtituendi poſt mortem Religioſi illa bona ſubſtituto, quoties ſubſtitutus per profeſſionem non fuit excluſus.

3 Uſus fructus alicujus rei, quam Religioſus acquiſiraret ante profeſſionem, vel etiam poſt profeſſionem contemplatione ſui, non contemplatione prioris Monaſterii, non remanet penes prius Monaſterium, ſed penes ſecundum à die profeſſionis factæ in ſecunda Religione: quia uſus fructus ſequitur perſonam, & pendet à Monachi vita in Monaſterio perſeverante, nam uſus fructus dicitur ſervitus perſonalis, & propterea tranſlata perſona, transfertur uſus fructus in Monaſterium, ad quod Religioſus tranſit, modo Monaſterium ſit capax bonorum: hoc enim ſecundum Monaſterium ſuccedit in jura ipſius Religioſi; ſi vero ſecundum Monaſterium eſt incapax bonorum, conſolidatur uſusfructus cum proprietate, & tranſit ad dominum rei, non vero ad prius Monaſterium: cum prius Monaſterium non haberet jus in uſum fructum, niſi ex ipſius Religioſi perſona. Quando autem uſus fructus relictus fuit alicui Religioſo contemplatione prioris Monaſterii, pertinet centum annis ad prius Monaſterium nam uſus fructus alicui Monaſterio, vel Eccleſiæ, vel Communitati relictus abſque temporis determinatione durat centum annis: quia cum uſus fructus ſit jus perſonale, pendens ab hominis vita, & ſpatium centum annorum ſit finis longæ vitæ hominis, ſit ut uſus fructus relictus Monaſterio, Eccleſiæ, vel Communitati duret centum annis, qui eſt terminus longæ vitæ, In dubio autem, an uſus fructus relictus ſit contemplatione Monaſterii, vel perſonæ, præſumitur relictus contemplatione Monaſterii ſi Religioſus tunc temporis profeſſionem ſecerat, quia cum Monachus nihil ſibi acquirere poſſit ſed Monaſterio acquirat, præſumitur uſus fructus relictus contemplatione Monaſterii, unde durabit centum annis.

4 Peculium conceſſum Religioſo hac lege, ut Monaſterium in illud non ſe ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur ſecundo Monaſterio, quoad fructus percipiendos, poſtquam Religioſus profeſſionem in ſecundo Monaſterio emiſerit, quia Monaſterium jus non habet in præſatum peculium, niſi quatenus Religioſo deſertur. Bona acquiſita à Religioſo poſtquam tranſit à Religione capaci, vel incapaci ad Religionem incapacem, vel etiam capacem, non pertinent ad primam Religionem, modo in ſecunda profeſſus ſit, quia non eſt amplius Religioſus Prioris Monaſterii; ſi vero adhuc in ſecunda profeſſionem non emiſerit, bona pertinent ad primam Religionem ſi capax eſt; quia non eſt Religioſus Monaſterii ad quod translatus eſt, cum profeſſionem non emiſerit.

De Pænis contra Religioſos ad aliam Religionem tranſeuntes.

De pænis contra Religioſos ad aliam Religionem in cauſa permiſſa advolantes. Cap. 435.

1 OMnes Religioſi tranſlati ad aliam Religionem incapaces ſunt quorumcunque beneficiorum ſecularium etiam curatorum. Ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 13.* in fine de reformat. Mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes etiam cum facultate Pontificis plures pænas incurrunt Clement. 1. ut profeſſ. de regul. Primo privan-

vantur voce in Capitulo, tàm act va, quàm paſſiva, quia textus generaliter loquitur: idem dicendum ſi hic translatus obtineat adminiſtrationem in Eccleſia ſeculari Collegiali, non poteſt habere vocem in capitulo illius Eccleſiæ. Secundo privatur loco in Capitulo, videlicet quoad honores, in electionibus, & tractatibus non verò quoad onera, ut in diſciplinis, & correctionibus; non autem privatur loco in Choro, & aliis congregationibus. Tertio inhabiles efficiuntur ad prælaturas, adminiſtrationes, & quælibet officia, etiam tamquam vicarii, ſeu miniſtri, nec animarum curam pro ſe, vel pro aliis exercere poſſunt.

2 Nomine Mendicantium intelliguntur ii, qui ex vi ſuæ profeſſionis, vel regulæ, vel conſtitutionum à Sede Apoſtolica confirmatarum nequeunt redditus, vel poſſeſſiones ad congruam ſuſtentationem in communi habere; ſunt tamen mendicantes, qui redditus habere poſſunt ſolùm ex diſpenſatione, & conceſſione Summi Pontificis ſicut in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.* de regul. conceſſum fuit omnibus mendicantibus exceptis Capucinis, & minoribus de obſervantia redditus, & poſſeſſiones in communi habere.

De pœnis ſeu cenſuris contra Religioſos quibus vetitum eſt ad alias Religiones tranſire. Cap. 436.

1 PLures extant excommunicationes contra nonnullos Religioſos tranſeuntes ad aliam Religionem, vel eos admittentes. Prima eſt Leonis X. in Bulla unionis, in qua ſub excommunicatione latæ ſententiæ interdixit, ne fratres reform tranſeant ad fratres Conventuales, vel recedant ab obedientia ſuorum miniſtrorum, quæ extenditur ad omnes, ac ſingulos Conventualium, ſecundùm privilegia viventium Prælatos, ac ſubditos, ſi aliquem ex præfatis reformatis recipere audeant, modò Capitulum provinciale minus malum eſſe arbitretur dimittere aliquem reformatum ad nondum reformatos, quàm ipſum inter reformatos retinere. Secunda eſt Pauli III. Julii III. & denique Siſti V. in qua præcedentes conſtitutiones confirmantur, & excommunicantur non ſolùm Capuccini recipientes fratres minores de obſervantia ſine facultate Summi Pontificis, aut ſine licentia in ſcriptis eorum Provincialium miniſtrorum, verum etiam ipſimet fratres de obſervantia præſumentes ſe ad congregationem Capucinorum transferre abſq; præfata licentia: præterea receptio irritatur, & inhabilitas ad quælibet officia inducitur. Tertia eſt Julii II. in qua Summus Pontifex excommunicat fratres Sancti Franciſci de Paula qui Minimi nuncupantur recipientes, vel retinentes ſine licentia Papæ fratres Ord. minorum de obſervantia. Quarta eſt Pii V. contra profeſſos Ordinis Humiliatorum admittentes aliquem ad habitum, vel profeſſionem ſui Ordinis. Quinta eſt Pii V. contra Religioſos cujuſcumque Ordinis recipientes Patres Societatis Jeſu ſine licentia ſui Superioris, exceptis tamen Cartuſianis, & contra ipſoſmet patres ſine dicta licentia ingredientes aliam Religionem quàm Cartuſianam, & contra dantes auxilium: immo Religioſi Societatis neque poſſunt ad Cartuſianam tranſire, niſi obtenta à ſuperioribus licentia, quam Pater Generalis ſibi reſervavit. Sexta eſt Julii II. contra Clauſtrales recipientes Minimos ſine licentia Summi Pontificis. Septima eſt Clementis contra minores recipientes fratres Ordinis prædicatorum, volentes ad ipſos tranſire ſine expreſſa licentia Papæ, vel ſuorum Superiorum. Octava eſt Pauli III. contra Minimos qui ſe ab obedientia Correctorum ſubtrahunt. Nona eſt Leonis X. contra Tertiarios eremitas deferentes habitum minorum. Decima eſt Martini V. contra Religioſos mendicantes tranſeuntes ad Religiones non mendicantes.

De Religioſis contra profeſsionem reclamantibus, & ob id à Religione diſcedentibus.

Ad quid teneatur Religioſus invalidè profeſſus. Cap. 437.

1 REligioſus invalidè profeſſus non tenetur ex vi profeſsionis regulam, aut vota ſervare ex quo ſequitur Religioſum, invalidè profeſſum non eſſe Apoſtatam fugiendo: ratione vero alterius circumſtantiæ fieri poteſt ut obligetur, ut ſi ſcandalum præbeat, regulam, aut vota coram aliis non ſervando, nam quilibet tenetur ſcandali occaſionem præcavere. Religioſus

gioſus invalidè profeſſus tenetur reclamare, ſi quinquennium nondum elapſum fuit, aut tenetur profeſſionem ratificare, quia non reclamando, & profeſſionem non ratificando iniuriam Religioni infert, cum recipiat alimenta, & alia commoda in utilitatem profeſſorum inſtituta, & propterea invalidè profeſſus tenetur profeſſionem poſt quinquennium ratificare, ſaltem dum profeſſio irrita fuit ob ipſius culpam. Secundo quia gravibus periculis ſe exponit non ratificando, nam bonis Religionis aletur, vota profeſſorum feret, ad ſacros ordines ſine titulo, & ſine litteris dimiſſoriis legitimi Prælati promovebitur, &c. Tertio quia profeſſio eſt contractus mutuus, quo Religioſus obligatur Religioni, & religio veram habuit intentionem admittendi hunc ad profeſsionem. Quarto quia religio licet ſit grave jugum, nihilominus eſt etiam valde utile ipſimet profeſſo onus illud ſuſcipienti.

2 Ad validam profeſsionis ratificationem requiritur novus conſenſus eam approbare volens, ut ex tunc teneat, & firma ſit: ſive approbet verbis, ſive factis, ſive etiam ſolo animi conſenſu, ut ſi actus profeſſorum faciat intentione approbandi profeſsionem, aut ſi dicat ex nunc me trado Religioni iſtar aliorum profitentium: novus autem conſenſus requiritur, quia profeſsio perficitur conſenſu, non autem requiritur novus conſenſus Religionis, modò ſuperior, qui prius conſenſerat, non revocaverit conſenſum; nec opus eſt iteratio cæremoniarum, quæ adhiberi ſolent; quia non ſunt de ſubſtantia; nec tenetur novum novitiatum peragere, ſi novitiatus validus fuit; quia nullo jure probatur: Religioſus autem, qui profeſsionem ratificavit, poteſt privilegiis Religionis frui, ac ſi ab initio validè profeſſus eſſet; quia Religio quantùm ex ſua parte eſt, illum ad ea privilegia admiſit uſque è tempore acceptationis.

Quibus ex cauſis Religioſo competat jus reclamandi contra profeſſionem.

Cap. 438.

1 PRima cauſa reclamandi eſt dum quis profeſsionem emiſit ſine legitimo conſenſu ad profeſsionem requiſito, licet forte in foro externo non audietur, cùm defectum conſenſus probare non poterit, nam quæ in animo conſiſtunt, alieno teſtimonio probari non poſſunt. Primo igitur regularis, qui profeſsionem tempore dementiæ celebravit, poteſt acquiſita ſanitate reclamare, quia invalidè profeſſus eſt: ſic etiam interrumpitur annus novitiatus quando tamen amentia eſt unius menſis, non autem octo vel quindecim dierum ex morbo proventus. Secundò Regularis, qui profeſsionem per vim, vel metum celebravit, poteſt intra quinquennium intra profeſsionem reclamare, quia non fuit celebrata cum legitimo conſenſu. Tertio profeſſio celebrata ſub conditione de futuro non eſt valida, nondum adimpleta conditione, modò conditio non ſit contra ſubſtantiam profeſsionis, ut quando dicitur, Profiteor hac conditione, ut proprium retineam independenter à Superioris facultate, & vivam juxta meæ voluntatis arbitrium, vel ut caſtitatis onere non obſtringar; nam iſtæ conditiones ſubſtantiæ profeſsionis adverſantur.

2 Secunda cauſa ob quam contra profeſsionem reclamare licet contingit dum profeſſio celebrata fuit non præmiſſo integro novitiatus anno juxta *Con. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. & novitiatus fieri debet in legitima ætate, quæ eſt pubertas completa unde *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15 irritam facit profeſsionem emiſſam ante decimum ſextum annum completum, & debet eſſe annus integrus, & continuus, nec obſtat ſi longa mora interceſſerit ab anno novitiatus completo ad profeſsionem: annus autem novitiatus fieri debet cum habitu Religionis; ſic. n. ſtatuit *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. ſufficit autem annus novitiatus peractus extra Monaſterium ex licentia ſuperioris.

3 Tertia cauſa reclamationis intra quinquennium eſt defectus legitimæ ætatis: legitima autem ætas in Religione tam virorum, quàm mulierum eſt annus decimus ſextus completus, ex *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. de regular. quæ ætas computanda eſt de momento ad momentum, & etiam computandus eſt dies biſſexti, & ætas computanda eſt à die nativitatis, non die conceptionis.

4 Quarta cauſa eſt reclamationis, quando profitens non erat ſui juris, ita ut alteri ſue

ſe ipſum validè tradere non poſſet, & propterea conjugatus non poteſt validè profeſſionem emittere invita conjuge, niſi forte perpetui divortii cauſam habeat, nec ſervus poteſt abſque Domini conſenſu validè profiteri.

5 Quinta cauſa reclamandi eſt diverſitas ſexus, ut ſi fæmina in Religione virorum, & vir in Religione Monialium profeſſionem emiſit, nam hæc profeſſio irrita eſt: ut qui Monaſterium Monialium ingreſſus fuit, cùm ex aſpectu pudendarum partium pro fœmina haberetur, poteſt, & debet à Monaſterio recedere, ſi poſtea virilia prodeant, ut alias contigiſſe audivi: ſic Hermaphroditus, in quo virilis ſexus prævalet, non poteſt validè profiteri in Monaſterio Monialium; ſi verò profitetur in Religione virorum valida eſſet profeſſio: quia cenſetur vir: ſi vero uterque ſexus æqualis ſit, in neutra Religione validè profiteri poteſt.

6 Sexta cauſa reclamandi eſt, dum profeſſio facta fuit illi, qui eam acceptare non poterat, nam hujuſmodi profeſſio irrita eſt; nam poteſtas admittendi ad profeſſionem jure communi, præciſis privilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudine in contrarium pertinet ad immediatum Conventus Superiorem, vel ad alium ipſi directè Superiorem in officio: Generalis, autem, vel Provincialis non poteſt directè irritare profeſſionem, nam ad ſolùm Pontificem ſpectat, ſed ſolùm indirectè, quatenus adimit inferiori Prælato facultatem admittendi: ex quo poſtea ſequitur profeſſionem invalidè emitti defectu poteſtatis in admittente.

Quid ſervandum ſit ab eo qui contra profeſſionem reclamare intendit.

Cap. 439.

1 TRes conditiones ſervandæ ſunt ab eo, qui contra profeſſionem reclamare intendit; Prima eſt ut habitum ante reclamationem non deponat ex *Tr. ſeſſ.* 25. *c.* 19 niſi juſtam habeat habitus dimittendi cauſam, nam *Conc.* loquitur de Sponte dimittente: poteſt autem reclamare qui ob dimiſſionem habitus non fuit auditus, ſi poſtea aſſumpto habitu reclamat; Secunda conditio eſt, ut cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis deducat coram ſuo ſuperiore, & ordinario ex Trid. & ſic in foro conſcientiæ licitè poteſt exire ſi cauſas coram Superiore, & ordinario deduxit, ſed non probavit, & ob id exeundi facultatem non obtinuit; Tertia conditio eſt, ut reclamatio intra debitum tempus fiat.

Quo tempore facienda ſit reclamatio ut a Religione dimitti poſſit.

Cap. 440.

1 TEmpus intra quod reclamatio permittitur, incipit à profeſſionis uſque ad quinquenium, ſive profeſſio expreſsè, ſive tacitè emiſſa fuerit ex *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 9. de regular. & illa dies eſt computanda de momento ad momentum, ſicut quinquennii ſpatium computandum eſt à die profeſſionis, etiam in illo, qui tunc temporis laborabat ignorantia invaliditatis profeſſionis, aut alio impedimento, nec ullum remedium competit Religioſo poſt quinquennium reclamare; quia *Trid. loc. cit.* hoc denegat; quando autem manifeſtè conſtat, aliquem laborare perpetuo impedimento irritante profeſſionem, poteſt elapſo quinquennio audiri: idem dici poteſt in defectu legitimæ ætatis permanente toto quinquennio.

Quam culpam, & pœnam incurrat Religioſus reclamans contra profeſſionem.

Cap. 441.

1 RElígioſus reclamans contra profeſſionem validam, ſciens validam, ſeu falſis teſtibus probans invalidam eſſe, & ob id reſiliens à religione, graviter peccat. & pænas apoſtatarum incurrit; quia eſt verè apoſtata. Qui invalidè profeſſus eſt, & poſtea profeſſionem expreſsè, vel tacitè non ratificavit non peccat mortaliter reclamando contra profeſſionem; quia jure ſuo utitur, & *Trid. ſeſſ.* 25 *c.* 19. reclamandi licentiam intra quinquennium concedit,

Digitized by Google

De Apoſtatis, & fugitivis, eorumque fautoribus, ſeu receptoribus

Quis nam dicatur apoſtata, & fugitivus. Cap. 442.

1 APoſtata dicitur, qui à vera Religione diſcedit animo deſerendi ſtatum Religioſum, ſeu intentione non redeundi ad Religionem, ſive diſceſſerit cum habitu, ſive non, unde ille eſt apoſtata in foro conſcientiæ, qui diſceſſit animo deſerendæ Religionis, ſed pænitentia ductus ſtatim reverſus eſt, huic .n. competit definitio apoſtaſiæ, ergo eſt apoſtata. Non autem eſt apoſtata qui fugit ante factam profeſſionem; nec eſt apoſtata qui ad aliam Religionem tranſit, licet laxiorem, & profeſſio in Religione laxiori irrita ſit, quia hujuſmodi Religioſus non habet ſimpliciter animum recedendi à ſtatu Religioſo.

2 Fugitivus à Religione dicitur, quia Monaſterio ad tempus diſcedit, non animo recedendi à Religione, ſed intentione poſtea redeundi, & propterea non idem eſt eſſe apoſtatam, & fugitivum; & licet omnis apoſtata ſit fugitivus, non tamen omnis fugitivus eſt apoſtata, & propterea non ſubiicitur pænis contra apoſtatas impoſitis: etiam ſi habitum aliis veſtibus tegat, vel dimittat: ſic Religioſus Societatis Jeſu fugiens ad tempus animo ad Religionem redeundi non afficitur excommunicatione, & aliis pœnis latis in Bulla Pii V. & Greg XIV. quia non dicitur recedere, & exire, qui ſolum ad tempus vagari intendit; Pęnę item latæ in Bulla XIV. Pauli IV. contra Religioſos extra clauſtra ſuorum locorum regularium degentes, ſeu vagantes extenduntur ſolum ad apoſtatas, non vero fugitivos, quia in ea Bulla decies mentio fit apoſtaſiæ,& apoſtatarum. Religioſi autem in carcere incluſi, ſeu perpetuo carceri damnati cenſendi ſunt fugitivi, ſi è carcere fugiant quia recedunt à Monaſterio abſque debita licentia; non autem cenſetur fugitivus, ſi damnatus ſit carceri, & poſtea mors, aut mutilatio ei inferenda ſit, quia unicuique à natura magnum jus tributum ſit ad vitam propriam tuendam, unde non videtur delinquere fugiendo, ut vitam, & membra tueatur: idem dicendum ſi ſententia ſit injuſta; aut ſi Religioſus tanta pœna dignus non ſit; aut ſi ſententia quidem juſta ſit; modus tamen exequendi ſit injuſtus, reus enim non tenetur in conſcientia hujuſmodi ſententiæ obedire: ſic etiam Religioſus damnatus ad Triremes ſi inde fugiat non dicitur fugitivus, vel ſit damnatus in perpetuum, vel ad tempus: nam cenſetur perpetuo à Monaſterio electus; & damnari ſolent ad Triremes non ut ibi ſponte maneant, ſed ut patiantur ibi detineri; nec cenſendi ſunt fugitivi Religioſi, quoties ad Superiorem confugiunt abſque licentia immediati Superioris, ut eximantur ab iniqua vexatione, quum injuſtè ab immediato Superiore patiuntur, modo certo conſtet de iniqua vexatione.

De obligatione, qua Religionum Prælati tenentur erga fugitivos, & Apoſtatas. Cap. 443.

1 PRælati Religionum tenentur fugitivos, & apoſtatas, aut etiam ejectos data opportunitate revocare, ſi ſpes ſubſit emendationis, quia ex officio tenentur ſaluti ſubditorum conſulere, unde cenſeo ſi non revocent dum ſpes ſubeſt emendationis, incidere in pænas privationis officiorum, & alias pænas in decreto Sacræ Congregationis expreſſas.

An apoſtata, vel fugitivus pœnam aliquam incurrat. Cap. 444.

1 APoſtata, & fugitivus à Religione ubique capi poteſt à ſuo Superiore etiam extra ſuum Monaſterium, & territorium, quia Honorius III. in c. à nobis de apoſtatis, ſtatuit apoſtatas, qui minis, vel blanditiis nullatenus induci poſſunt, ut abjectum habitum reaſſumant, poſſe ſub gravi cuſtodia carcerari, & ibi dure affligi; Religioſus autem apoſtata non gaudet privilegii Religionum ſi habitum dimittat, prætendens irritam eſſe profeſſionem, nam ita ſancitum fuit in Trid. ſeſſ. 25. c. 19. quia vero Trid. utitur verbis futuri temporis, propterea non inducit privationem privilegiorum ipſo facto, ſed requiritur Judicis ſententia; quæ pæna non incurritur à quibuſcumque apoſtatis, ſed ab illis qui jam habitum dimiſerunt, prętendentes invalidam eſſe profeſſionem; quare apoſtata, qui cum

Digitized by Google

cum habitu receſſit, & quicumque alius Religioſus, qui licite, aut licitè à Religione diſceſſit, gaudet privilegiis toti Religioni conceſſis; quia adhuc ſunt veri Religioſi obſtricti vinculo obedientiæ Religionis; donec per ſententiam priventur.

2 Apoſtata, vel fugitivus privatur alimentis, ſeu jure alimentorum, quę Religio ei exibuiſſet; quia apoſtata, vel fugit vius frangit fidem, qua obedientiam Religioni pollicitus fuerat: ergo etiam Monaſterium non tenetur illi fidem ſervare, qua ſe ad ipſum alendum adſtrinxerat; unde Monaſterium non tenetur ſolvere expenſas factas ad ſui ſuſtentationem, vel ſi nummos mutuo accepit ad ſe alendum, bona vero Religioſi apoſtatæ, vel fugitivi acquiſita poſt legitimum tranſitum ad aliam Religionem facta profeſſione in ſecunda Religione pertinent ad Religionem, ad quam tranſit; quia fit ſubditus illius Religionis; ſi vero illegitime tranſit ad aliam Religionem bona ipſius, exceptis iis, quæ contemplatione ſecundi Monaſterii acquiſivit, pertinere videntur ad priorem Religionem; etiam ſi forte ſecunda Religio bona fide receperit apoſtatam, vel fugitivum. Si vero Apoſtata vel fugitivus aliam Religionem non eſt ingreſſus, ſed in ſeculo mortuus eſt jure antiquo bona ipſius pertinebant ad Monaſterium, quia quod Monachus acquirit, acquirit Monaſterio; jure vero novo in Conſtit. Greg. XIII. Bona apoſtatæ, vel fugitivi poſt mortem acquiruntur Cameræ Apoſtolicæ, ſive præfata bona deberentur præfato Religio ſo ab inteſtato, ſive donatione, ſive alia ratione.

3 Religioſus apoſtata eligi poteſt in Abbatem, vel Superiorem, ſi ad Religionem redierit, & fiat bonæ opinionis, & emendetur; quia oppoſitum in jure non eſt expreſſum.

Utrum apoſtatæ præter pœnas in capitulo proximo præcedentes enumeratas incurrant aliquam cenſuram, vel Irregularitatem. Cap. 445.

1 Apoſtata jure communi excommunicationem non incurrit propter Apoſtaſiam præcisè, quia iſta excommunicatio in jure non reperitur: ſed ſunt excommunicati, quando in non nullis Religionibus ex peculiari privilegio adeſt hęc excommunicatio, ut patet ex privilegiis Societatis Jeſu conceſſis à Greg XIII. anno 1584. in Bulla 89 ſic Religioſi Societatis deficientes à Religione excommunicantur ipſo facto, & apoſtatarum pœnis ſubiiciuntur, & abſolutio ipſius impendi non poteſt ab alio quam à Summo Pontifice aut à præpoſito generali Societatis; cuius privilegiis Gregorius in prędicta Bulla prohibet fieri communicationem cum aliis, qui participant privilegia Societatis.

2 Apoſtata à Religione repellitur ab ordinum ſuſceptione, & ab exercitio illorum quos Apoſtaſiæ tempore ſuſcepit, unde ſuſpenſus eſt, vel potius irregularis: ſed data opinione, quod ſit ſuſpenſus, apoſtata in apoſtaſiæ tempore ſuſpenditur à receptione ſacris ordinis; & nomine ſacri ordinis intelligo Subdiaconatum, Diaconatum & Sacerdotium: immo etiam conſecrationem Epiſcopalem: hæc .n. eſt extenſio ordinis Sacerdotalis: unde non remanet ſuſpenſus, qui in apoſtaſia minores ordines ſuſcepit: nec indiget diſpenſatione niſi forte illos ſuſceperit in excommunicatione, tunc eſt enim irregularis juxta ſententiam traditā in tractatu de irregularitate; nec eſt ſuſpenſus, qui recepit ordinem ſacrum ante apoſtaſiam, nec repellitur ab exercitio illius ordinis, nec eſt ſuſpenſus qui recepit ordinem ſacrum poſt diſpenſationem obtentam à Summo Pontifice, nec eſt ſuſpenſus, qui ad aliam Religionem advolavit, & in ea ordinem ſacrum ſuſcepit, quia hic non videtur ſimpliciter apoſtata, ut videtur declaratum in c. ex parte.

3 Apoſtata ſuſpenditur ab executione ordinis, tempore apoſtaſiæ ſuſcepti; unde poteſt uti ordine ſuſcepto ante apoſtaſiam, niſi forte alia cenſura ſit obſtrictus, ſeu niſi abſtinere debeat ob lethalem culpam, nondum delatam. Apoſtata poteſt relicta apoſtaſia ordines ſuſcipere, & in eis miniſtrare quia per pænitentiam, & reditum ad priſtinum ſtatum collitur hoc impedimentum; Non autem poteſt apoſtata, qui tempore apoſtaſiæ ſacrum ordinem ſuſcepit, poſt apoſtaſiam ad alium ſuperiorem ordinem adſcendere abſque diſpenſatione ſuſpentionis ordinis ſuſcepti tempore apoſtaſiæ, nec indiget alia diſpenſatione, ut ad Superiores aſcendat. Diſpenſatio in hoc impedimento Canonico pertinet ad Summum Pontificem.

Digitized by Google

An recipiens, ſeu detinens apoſtatas cenſuram aliquam incurrat.
Cap. 446.

1 DEtinens apoſtatas non videtur reus excommunicationis, niſi admonitus ab ordinario loci, cum dimittere nolit juxta Pauli IV. conſtitutionem, quę excommunicatio jure communi reſervata non eſt; ſic detinens in ſuis Monaſteriis apoſtatas ordinis Prædicatorum eſt excommunicatus ex Bonifacii conſtitutione teſtibus S. Antonio, & aliis, quorum teſtimonio, & auctoritati in hac re nitor cum Bonifacii conſtitutionem in Bullario non inveniam.

De Ejectis à Religione, & pœnis ipſis impoſitis.

Utrum profeſſi Religioſi à Religione eiici poſſint. Cap 447.

1 REligioſus non poteſt abſque juſta cauſa expelli, & propterea Superior qui abſque juſta cauſa Religioſum expellit graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni: quod Religioſus ejectus patitur; qui Religioſus poteſt Monaſterium cogere, ut ſe iterum admittat, & ipſum alat, & expenſas ad litem neceſſarias conferat, & poteſt etiam alimenta præterita petere: juſta autem concurrente cauſa Religioſus ob Religionis utilitatem poteſt à Monaſtero expelli: juſta autem cauſa cenſetur incortigibilitas: quæ exiſtimatur cum ter monitus adhuc perſiſtit in patrandis iiſdem, vel gravioribus delictis, nec ulla extat ſpes emendationis; quæ non ſatis eſſe arbitror, ſed requiritur, ut uno anno in carceribus probetur jejunio, & pœnitentia, & ſi poſt hujuſmodi probationem adhuc pertinaciter depravatis moribus adhærere velit, incorrigibilis habeatur, & expellatur, ſic.n. expreſſe ſancitum fuit à Sac. Cardinalium Congregatione de Speciali Summi Pontificis Urbani VIII. mandato die 21. Septemb. anno 1624. Non autem juſtam expulſionis cauſam præbet, qui profeſſionem emiſit celato morbo, aut alio notabili vitio, quo cognito ad profeſſionem admiſſus non fuiſſet; quia licet hujuſmodi Religioſus pœna dignus ſit ab deceptionem: tamen deceptio non eſt circa ſubſtantialia Religionis; neque eſt tanti momenti, ut excluſionem poſtulet.

Utrum Religioſus ejectus teneatur ſe corrigere, & ad Religionem redire.
Cap. 448.

1 REligioſus à Religione ejectus tenetur ſuos depravatos mores corrigere, & emendare, ut iterum in Religionem recipiatur, & tenetur petere, ut iterum in Monaſterium admittatur, ſed ſi ad Religionem iterum redeat non eſt admittendus in eodem loco, & gradu: quia cum delictum commiſerit, puniri poteſt privatione gradus, & dignitatis; quam privationem jam contraxerat per expulſionem.

Utrum Religioſus ejectus eximatur à votis, & oneribus religionis, quamdiu in ſeculo manet. Cap. 449.

1 REligioſus profeſſus à Religione ejectus tenetur vota Religionis ſubſtantialia ſervare, quia adhuc eſt Religioſus profeſſus; ob id ſi ad Religionem redeat novam profeſſionem facere non tenetur, & propterea præfati ejecti tenentur ad trium votorum obſervantiam: etiam poſtquam admitti petierunt, ſed eis denegatum fuit; non autem tenentur ad paupertatem, & obedientiam eo pacto, quo in Religione tenebantur: nam cum Superior illos eiiciat, nec vult illis neceſſaria ad victum miniſtrare, cenſetur, illis facultatem dare; ut ſibi meliori, quo poſſunt modo conſulant, & cum curam illorum deponat, videtur illos à Regulari obſervantia deponere & ſic ejecti ſi aliquid inutiliter expendant, non peccant contra paupertatis votum; ejectus autem ſi à Superioribus petatur, ut ad Monaſterium revertatur, tenetur redire, & ad id cogi poteſt.

Utrum Religioſus ejectus ad aliam religionem tranſire valeat, teneatur, vel cogi poſſit. Cap. 450.

1 REligioſus ejectus, qui jam emendatus eſt, ſed deſperat fore, ut ad primam Religionem admittatur, poteſt propria auctoritate abſque ulla licentia aliam

aliam ingredi æquæ perfectam, vel etiam laxiorem: Religioſus in perpetuum ejectus non tenetur aliam Religionem ingredi: ſi prior illum nolit iterum admittere niſi forte electus fuerit ſub hac conditione, ut ad aliam tranſiret, quia profeſſus eſt hanc religionem, non vero aliam, ſed ſi fuit electus cum hac conditione, ut ad aliam tranſiret, tenetur ad aliam tranſire; ut adimpleat conditionem promiſſam: ſi vero ad aliam religionem non tranſeat, tenetur ad primam redire: quia non fuit à prima libere ejectus, ſed conditione, Ejectus cogi non poteſt ab eiiciente, vel à Pontifice, ut ad aliam religionem tranſeat, quia non poteſt cogi ad novam Religionem, quam non promiſit.

Utrum religioſus religione ejectus teneatur obedire Epiſcopo, aut ei ſe præſentare, & habitum ſuæ religionis deferre. Cap. 451.

1 Religioſus ejectus à Religione non tenetur ex vi voti obedire Epiſcopo, quia ex vi voti tenetur ſolum ad id, quod in profeſſione promiſit: obedientiam autem non promiſit Epiſcopo: neque tenetur Epiſcopo ſe præſentare, illique ſignificare ſe à Monaſterio ejectum: quia id non promiſit; concedo tamen teneri obedire Epiſcopo tanquam ſubditum juriſdictionis illius in cujus Diœceſi habitat: nam Epiſcopus generalem habet juriſdictionem in eos qui in ſua Diœceſi habitant: probabile tamen eſt teneri ex vi voti obedire Summo Pontifici. Religioſus ejectus e Religione ſi privatus fuit habitu, non poteſt illum deferre: quia ſententiæ juſtę obedire tenetur, ſi vero cum habitu expulſus fuit, tenetur illum deferre; quia adhuc eſt Religioſus.

Utrum ejectus religione promoveri poſſit ad ordines, vel ab iis ſuſcipiendis, vel exercendis ſuſpenſus remaneat. Cap. 452.

1 Religioſus à Religione ejectus ſuſpenſus eſt nam ita ſancitum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione de facultate Summi Pontificis Urbani VIII. die 12. Septembris 1624. quod non militat in Novitiis; ſed in Religioſis, & Religioſis degentibus extra Religionem; quæ ſuſpenſio repellit ab exercitio ordinum omnium, nam ſupradicta Congregatio abſolute loquitur: unde ejectus ſi celebrat, aut ſacrorum ordinum functiones exerceat incidit in irregularitatem, ſic ejectus non poteſt beneficium recipere, cui adnexus aliquis ordo, ſeu functio ordinis, nam ſuſpenſus ab exercito ordinum ſuſpenditur etiam à beneficio, cui ordo adnexus eſt: ejectus item non poteſt ad Superiores ordines aſcendere: quia cui vetita eſt functio ordinis, vetita eſt etiam illius ſuſceptio. Abſolutio, ſeu moderatio iſtius ſuſpenſionis Summo Pontifici reſervata eſt ut patet in ſupradicto decreto; ejectus autem non modo eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, ſi delictum commiſit, cui adnexa ſit irregularitas, ut ſi delictum graviſſimum, & notorium commiſit, cui adjuncta ſit infamia, & irregularitas, poſita delicti notorietate.

Ad quem pertineant bona quæ religioſus à religione ejectus acquirit.

Cap. 453.

1 Bona, quæ Religioſus ejectus acquirit, aſſerunt aliqui, pertinere ad Monaſterium à quo ejectus eſt: quia Monaſterium in hac parte juri ſuo non ceſſit; alii affirmant acquiſita à Religioſo expulſo jure novo pertinere poſt Religioſi obitum ad Cameram Apoſtolicam: ſic enim ſtatuit Gr. XIII in motu proprio, modo Religioſus ejectus extra Religionem obierit: nam ſi ad primam Religionem rediit, bona ipſius ad illam Religionem pertinent: ſi vero ad aliam tranſivit, in eaque profeſſionem emiſit, bona ipſius pertinent ad ſecundam Religionem, nam per profeſſionem tranſeunt cum illo bona, modo Monaſterium capax ſit: ſi vero ſit incapax, dominium pecuniæ, & aliorum bonorum: quæ Religioſo incapaci ſpectant ut ſunt Religioſi S. Franciſci; pertinet ad Summum Pontificem ex conſtitutionibus Martini IV. & Pauli III.

Digitized by Google

De prohibitione, & pœnis contra accedentes, vel frequentantes Monaſteria Monialium impoſitis.

Quid acceſſus ad Monaſterium.
Cap. 454.

ACceſſus ad Monaſterium eſt ille actus, quo quis ſe transfert, aut ſe tranſferri ſinit ad Monaſterium: hoc enim eſt ad aliquem locum accedere; unde qui nõ accedit, ſed cogitavit ad Monaſterium accedere, & iter inchoavit, ſed ab inchoato itinere deſtitit, non dicitur ad Monaſterium accedere: nec qui Domum Monaſterio contiguam habet, & è feneſtra ſuę Domus Monialem alloquitur dicitur ad Monaſterium accedere: quia non ſe transfert ad Monaſterium: nomine autem Monaſterii intelliguntur Ipſe Moniales, unde is dicitur ad Monaſterium accedere qui ad eum locum ſe tranſfert, ut Moniales alloquatur.

Quænam perſonæ prohibeantur ad Monaſteria Monialium accedere.
Cap. 455.

1 OMnibus tam Laicis, quam Clericis & regularibus interdictum eſt jure communi ad Monialium Monaſteria accedere, & illa frequentare ex decreto Sacræ Congregationis, quare acceſſus, & frequentatio prohibetur; frequentare autem cenſeo illum dici, qui bis una die, aut ter trib. diebus aut quater in eadem hebdomada, aut ſemel ſingulis hebdomadis, vel menſibus; ſecus ſi quater in anno, ſeu ſemel ſingulis tribus menſibus: non autem interdictum eſt communiter litteras ad Moniales ſcribere: ſi autem vetitum eſt, ut in aliquibus Diœceſibus jure ſpeciali, litteras ad Moniales ſcribere: pœnæ Impoſitæ contra ſcribentes non incurrunt, niſi litteræ ad illam ad quam ſcriptæ ſunt perveniant.

Utrum acceſſus ad Monialium Monaſteria ſub mortali vetitus ſit.
Cap. 456.

1 ACceſſus ad Monaſteria Monialium ſine licentia, & cauſa videtur ſufficiens ad lethalem culpam, niſi ratione parvitatis materiæ, vel alterius circumſtantiæ excuſetur; quia hæc eſt natura legis, ut in materia gravi ſub mortali obliget.

De Pœnis contra frequentantes Monaſteria Monialium.
Cap. 457.

1 COntra Laicos ſine manifeſta, & notabili cauſa frequentantes Monaſteria Monialium fertur excommunicatio comminatoria, quam ſolo frequenti acceſſu non incurrunt, niſi ab Epiſcopo moniti, ut deſiſtant, nolint ab acceſſu deſiſtere c. Monaſteria de vita, & honeſtat Cleric. ſi poſt monitionem accedant, excommunicatio contra ipſos feratur, & excommunicati declarentur Contra Clericum frequentantem Monaſteria Monialium, ſi ab Epiſcopo monitus corrigi noluerit, ferenda eſt pœna ſuſpenſionis c. Monaſteria: addo Clericum Monaſteria frequentantem poſſe excommunicari, & deponi ſi corrigi nolit cap. ut Clericorum de vita, & honeſtate Cleric. & poteſt ſtatim ſuſpendi, ſi poſt Epiſcop monitionem ſemel ad Monaſterium accedat; quia hic eſt ſufficienter contumax, & accedendo dicitur non deſiſtere. Contra Religioſos accedentes ad Monaſteria Monialium impoſita eſt pæna privationis officiorum, vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut patet ex decreto ſacræ Congregationis juſſu Sixti V. edito anno 1590. quod decretum ſub mortali obligat, quia Sacra Congregatio præcipit inviolabiliter obſervari; quæ loquendi forma indicare videtur ſtrictiſſimam obligationem, & lex pænalis gravem pænam imponens, obligat ſub mortali: modo id non faciant de licentia Summi Pontificis, vel Sacræ Congregationis, vel de licentia Epiſcopi. Nam à Sacra Cardinalium Congregatione duodecimo Kalen. Decembris 1623. de mandato D. N. Urbani VIII. conceſſum fuit Epiſcopis, ut licentiam dare valeant Religioſis, alloquendi Moniales ſervatis certis regulis, & conditionibus. Religioſus autem præfatis pœnis afficitur unico acceſſu; quia decretum loquitur de accedentibus: non de frequentantibus, tenentur autem Religioſi has pænas in conſcientia ſubire ante judicis ſententiam declaratoriam, ſi loquamur de privatione vocis activæ, & paſſivæ, nam ad executio-

cutionem hujus pœnæ nulla hominis actio requiritur: his pœnis ſubiiciuntur Equites S. Ioannis Hieroſolimitani quia ſunt vere Religioſi. Religioſi etiam non exempti aſficiuntur cenſuris ab Epiſcopo impoſitis contra accedentes ad monaſteria Monialium abſque ſua licentia; qu'a jure communi ſubditi ſunt juriſdictioni, & Epiſcopi poteſtati: Religioſi vero exempti non afficiuntur; quia excommunicatio fertur in ſubditos, Religioſi autem hoc tempore alloquentes Monialem abſque licentia, etiam ſi alloquantur in Monaſterio regularibus ſubjecto puniri poſſunt ab Epiſcopo ex conſtitutione Greg. XV. in Bulla de Exemptorum privilegiis, & idem Sac. Card. cong. cenſu it, & Summus Pontifex Urbanus VII. anno 1624. approbavit.

* *Sacra Congregatio Concilii die 11. Maii 1669 improbans ac damnans ſententiam eorum, qui docebant non eſſe interdictum Regularibus Moniales, aliaſque perſonas intra clauſuram exiſtentes per breve tempus alloqui, declaravit peccare mortaliter Regulares quoſcumque qui ad Monaſteria Monialium, quamvis ab Ordinarii juriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubiecta abſque legitima facultate accedunt colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus. Quam declarationem Clemens Papa IX. die 7. Junii ejuſdem anni approbavit, & ſervari juſſit.*

Quo pacto poſſit frequentans Monaſteria Monialium à culpa, & pœna excuſari.
Cap. 458.

1 LAici, & Clerici triplici ſaltem de cauſa excuſari poſſunt à culpa, & pœnis jure communi impoſitis contra frequentantes Monaſteria Monialium; Prima eſt parvitas materiæ, ut ſi quis una, vel altera vice accedat; quia non dicitur frequentare: idem dici poteſt de Religioſo, qui obtenta à ſuo Superiore licentia accedendi ad Monaſteria Monialium, cauſa concionis, aut celebrationis pauca verba loquitur cum Moniali, aut ſi facultatem habeat loquendi cum una, eadem occaſione, quaſi per accidens, urbanitatis gratia compendioſis verbis aliam alloquitur; Secunda cauſa eſt legitima conſuetudo in contrarium, alicubi enim uſu receptum eſt, ut fœminæ, & viri præſertim Laici, ſine ullo conſcientiæ ſtimulo ad Monialium Monaſteria accedant; Tertia cauſa eſt licentia ſuperioris cum cauſa rationabili, & manifeſta; quæ ſufficit ore tenus, & tacita quoties ex ſignis, & conjecturi apparet ſuperiorem conſentire; licentia autem ſubreptitia non ſufficit: qui autem poteſt licentiam ingrediendi concedere, ille poteſt dare licentiam accedendi; licentia autem ad accedendum, vel ingrediendum primo actu non finitur; nam fieri poteſt extenſio ad iteratos actus quoties privilegium abſolute conceditur; ſola autem conſanguinitas, vel affinitas non eſt cauſa rationabilis: pater autem, mater, fratres, & ſorores poſſunt, niſi extet probibitio contra quoſcumque.

De Violatione Clauſuræ per ingreſſum in monaſterium Monialium.

Quid nomine Monaſterii intelligatur, & quibus perſonis Monaſteria Monialium ingredi non liceat.
Cap. 459.

1 NOmine Monaſterii intelligitur illud ſpatium, quod intra Monaſterii januam ſemper clauſam continetur, modo clauſuræ deputatum ſit; ſeu eſt locus in quo ſiſtere debent Moniales, & extra quem ſe recipere nequeunt abſque violatione clauſuræ, propterea qui intra januam Monaſterii, quæ ſemper claudi ſolet, ſe recipit, vocari poteſt ingreſſus in Monaſterium, & pœnis ingredientium Monaſteria Monialium afficitur, etiam ſi forte ad unum vel duos pedes intra januam ſe recipiat: ſi autem ſpatium illud nondum clauſuræ deputatum ſit, non venit nomine Monaſterii. Omnibus perſonis cujuſcumque generis, aut conditionis, vel ſexus fuerint, poſtquam ad eam ætatem pervenerunt; quę ad rationis uſum requiritur, interdictus eſt in Monialium Monaſteria ingreſſus ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 6* quare non ſolum viri: verum etiam nec mulieres poſſunt Monaſteria Monialium ſine licentia ingredi; etiam ſi fœmina ingrediatur ut Religioſum habitum aſſumat, nam Monaſteria Monialium nullus ingredi poteſt ſine licentia etiam ſi juſtam ingrediendi licentiam habeat; quamquam in præfato caſu fœmina eo animo ingediens à peccato, & à cenſuris excuſabitur ratione bonæ fidei, nec etiam poteſt

ingredi Monialis alterius ordinis, & habitus quia textus abſolutè loquitur, de perſonis cujuſcumque conditionis, & ſtatus, nec Reges, Reginæ, Imperatores, Imperatrices, aliæq; cujuſcumq; dignitatis perſonæ ingredi Poſſunt Monaſteria Monialium cum *Tr. ſeſſ. 25. c 5.* generaliter loquatur de perſonis cujuſcumque generis, & conditionis.

Quis poſſit facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium concedere. Cap. 460.

1 FAcultatem ingrediendi Monaſteria Monialium concedere poteſt Superior, qui Monaſterio præeſt, & cujus eſt Clauſuram Monialibus indicere, quia in jure explicitè non exprimuntur perſonæ, quibus concedendæ hujuſmodi licentiæ facultas competit: ergo hujuſmodi facultas tacitè conceſſa videtur illi, qui præeſt Monaſterio, & cujus eſt Moniales ad clauſuram cogere; quare Epiſcopus in Monaſteriis ſibi ſubditis poteſt auctoritate ordinaria hanc facultatem concedere, auctoritate verò delegata in Monaſteriis Summo Pontifici ſubiectis: idem dic de Vicario Generali Epiſcopi, aut Capituli. In Monaſteriis verò regularibus ſubjectis: facultas ingradiendi concedenda eſt à Generali, Provinciali, aliove immediato Conventus, ſeu Monaſterii Prælato. Abbatiſſa autem non poteſt facultatem ingrediendi Monaſterium concedere, quia ad ipſam non pertinet clauſuram indicere, nam ipſa etiam onus Clauſuræ ſervare tenetur; quando tamen Epiſcopus aliuſve legitimus Superior hanc facultatem ipſi Abbatiſſæ non delegaverit. Ad ingreſſum autem Monaſteriorum Sanctæ Claræ, & Conceptionis requiritur licentia Papæ, præter caſus in regula iſtarum Monialium exceptos interdictus eſt etiam ingreſſus ad Monaſterium Monialium Fratribus Minoribus, qui Monaſteria quarumcumque Monialium ingredi non poſſunt abſque ſpeciali Summi Pontificis licentia, ut patet ex regulis ipſorum fratrum. Poteſt autem idem ingredi Monaſteria Monialium qui ingrediendi aliis facultatem dare poteſt, modo id faciat in caſibus neceſſariis, & comitatus paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis.

Qualis eſſe debeat licentia ingrediendi Clauſtra Monialium. Cap. 461.

1 DUæ conditiones ad licentiam ingrediendi Clauſtras Monialium requiruntur; Prima eſt ut licentia ſpecialis ſit, ideſt ut in favore contineat facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium; quare non ſufficit, ſi in facultate nulla fiat de ingreſſu Monaſterii mentio; etiam ſi facultas detur ad quoſcumque actus, quos Superior concedere poteſt; Secunda conditio eſt ut licentia in ſcriptis detur, niſi periculum ſit in mora, quia ſic præſcribitur in *Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* qui autem præciſo moræ periculo licentiam verbis ſolùm obtinuit peccat graviter ingrediendo; quia ſcriptura eſt de eſſentia illius privilegii, ad quod Superior ſcripturam requirit Privilegium autem, quod alicui conceditur ad dandam alteri licentiam ingrediendi Monaſteria non eſt neceſſario in ſcriptis concedendum: quia jura non requirunt ſcripturam in hujuſmodi privilegio, ſed ſolùm in ipſamet licentia ingrediendi.

Quibus de cauſis facultas ingrediendi Monaſteria Monialium concedi poſſit. Cap. 492.

1 FAcultas ingrediendi Clauſtra Monialium concedi non poteſt, niſi ob cauſam neceſſitatis Monaſterii, ſeu Monialium manifeſtam, cui aliter commodè occurri non poſſit, quàm ingreſſu extraneorum in Monaſterium ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* quæ cauſa debet eſse rationabilis, & manifeſta: juſta autem cauſa eſt, ſi Confeſſor ingrediatur ad coſeſſionem audiendam, quàm commodè ad feneſtrellam audire non poteſt, & ſic licitus eſt ingreſsus Chirurgo, Barbitonſori, Medico aliiſque ad medendum ſic Superiori cauſa viſitandi, vel ad electionem Abbatisſæ, ſic bajulo dum aliquod onus in Monaſterium transferendum eſt, quod à Monialibus commode portari nequit, ſic licet hortolanis ad excollendum interiorem hortum: ſic fæminis in famulatum Monialium; quoties in Monaſterio non adſint: ſic Puellis educationis gratia.

De

De Cenſuris aliiſque pœnis contra ingredientes Cœnobia Monialium & contra eos, qui ingredi faciunt permittunt, & admittunt.
Cap. 463.

1 INgredientes Clauſtra Monialium, ſine juſta cauſa, & ſine licentia pœnam excommunicationis incurrunt ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* quæ excommunicatio jure communi reſervata non eſt: in quam ex Trid. incurrit, qui ſine licentia in ſcriptis obtenta ingreditur: ſic præſumentes ingredi Monaſteria prætextu facultatum à Summo Pontifice, Legato, Epiſcopo, vel aliis conceſſarum ante motum proprium Gregor. XIII. editum anno 1575. Idibus Junii: ſic qui prætextu facultatum ab Epiſcopo, vel ab aliis Superioribus, ad quos pertinet facultatem ingrediendi concedere in caſibus neceſsariis conceſſarum, præſumunt ingredi caſibus non neceſſariis; iſti n. præſumentes ingredi prætextu dictarum facultatum abſque neceſſitate incurrunt excommunicationem, privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa. Prælati etiam ſi ultra caſus neceſſitatis ingrediantur afficiuntur pœnis: ſcilicet Prælati ſæculares Pontificali dignitate prædití pro prima vice, qua citra caſum neceſſitatis ingrediuntur incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, pro ſecunda contrahunt ſuſpenſionem à munere Pontificali, & à Divinis, pro tertia verò vice, & deinceps excommunicatione ipſo facto afficiuntur: Prælati verò regulares incurrunt excommunicationem, & ſimul privationem omnis officii, & miniſterii.

De cenſuris, & pœnis contra eos, qui aliquem in Cœnobia Monialium ingredi faciunt permittunt, admittunt.
Cap. 464.

1 ABbatiſsæ, Conventus, & Superiores facientes, vel permittentes aliquam perſonam ingredi ſua Monaſteria prætextu facultatum obtentarum a Summo Pontifice, Legato, vel aliis ante motum Gregorii XIII. incurrunt excommunicationem, privationem dignitatum, & inhabilitatem ad illas: ſicut etiam Abbates Conventus, aliiq; Monaſterium Superioris facientes, vel permittentes fœminas ingredi ſua Monaſteria, eidem excommunicationi, privationi dignitatum, beneficiorum ſuorum, & inhabilitati ad alia in poſterum obtinenda ſubiiciuntur, Monialis etiam, quæ virum, vel fœminam prætextu facultatis ingredientem admittere præſumit in Monaſterium extra caſum neceſſitatis, incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam, & privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa.

De Violatione Clauſuræ ob ingreſſum fœminarum in Monaſteria Religioſorum virorum.

Quid nomine Monaſterii intelligatur.
Cap. 465.

1 NOmine Monaſterii, in quo Clauſura ſervanda eſt, intelligitur totum illud ſpatium, quod intra Monaſterii ſupra continetur. Chorus autem Eccleſiæ Religioſorum non eſt obnoxium clauſuræ, quia eſt pars Eccleſiæ. Infirmariæ, ſeu Domus ad recipiendos infirmos, vel ad excipiendos Religioſos tamquam hoſpites non obſtringuntur clauſura, quia nomine Monaſterii non compræhenduntur: horti autem Religioſorum Monaſterio contigui ſunt ſubiecti Clauſuræ, quia intra Monaſterii ambitum continentur.

Quænam fœminæ Religioſorum Monaſteria ingredi nequeant. Cap. 466.

1 OMnes fœminæ poſtquam ad eam pervenerunt ætatem, quæ ad rationis uſum ſufficit, interdicuntur Monaſteria Religioſorum ingredi, niſi forte ex privilegio ingrediantur, vel cauſa Divini officii vel gravis neceſſitatis, cui aliter commode occurri nequeat, ut patet in motu proprio Pii V. excipi tamen probabiliter poſſunt Reginæ, Imperatrices, ac ipſarum filię; quia iſtæ ſunt ſpeciali nota dignæ, & de ipſis nullum verbum reperitur in præcitatis motibus Religioſi autem graviter peccant admittendo fœminas in ſua monaſteria quia cooperatur delicto fęminarum.

Quis

Quas pœnas incurrant fœminæ ingredientes, & Religioſi eas admittentes, & quis poſſit in illis pœnis diſpenſationem, & abſolutionem conferre.

Cap. 467.

1 Fœminæ ingredientes Monaſteria virorum incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ut patet ex motu Pii V. edito ann. 1566 14. Octobris, & ex motu Greg. XIII. excuſantur fœminæ non ſolùm ob bonam fidem, verum etiam ob ignorantiam vincibilem, craſſam, ſupinam & affectatam: ſic Religioſi, qui faciunt, aut permittunt fœminas ingredi ſua Monaſteria prætextu facultatum à Summo Pontifice, vel ab aliis conceſſarum incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, & privationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in poſterum obtinenda ex motu Gregorii XIII. alii verò Religioſi, qui fœminas in Monaſteria intromittere præſumunt; etiam ſi fœminæ abſque prætextu facultatum ingrediantur incurrunt ipſo facto ſuſpenſionem à Divinis, & præterea privationem officiorum, & inhabilitatum ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ut patet in præfato motu Pii V. Nullus autem præter Romanum Pontificem, vel habentem ab ipſo privilegium poteſt extra mortis articulum à præfata excommunicatione abſolvere: quia præfati Pontifices abſolutionem ſibi reſervant.

Quibus de Cauſis fœminæ ingredientes Monaſteria virorum excuſar poſſint à culpa, & pœnis contra ingredientes latis.

Cap. 468.

1 TRibus de cauſis excuſari poſſunt fœminæ Monaſteria Religioſorùm ingredientes, prima privilegio Summi Pontificis obtento poſt conſtitutiones Pii V. & Greg. XIII. quia privilegia ante obtenta revocata ab iiſdem Pontificibus in præcitatis motibus: Secunda ob inſtantem neceſsitatem; cui alia ratione commodè occurri nequeat excuſari poſſunt à peccato, & pœnis contra fœminas ingredientes impoſitis. Tertia, cauſa proceſsionis, Miſſæ; funeris, vel alterius Divini officii: vel etiam cauſa concionis audiendæ, vel dum tantus eſt populi concurſus, ut Mulieres commodè ingredi Eccleſiam non poſſint, aut egredi, quàm per clauſtra, vel alia Religioſorum loca, excuſantur à culpa, & pœnis, ut conſtat ex quam declaratione Pii V. & propterea fœminæ ingredi poſſunt Monaſteria Religioſorum, dum Miſſa celebratur in aliqua capella in clauſtro Monaſterii exiſtente, vel dum ibi perſolvuntur horæ Canonicæ, aut officium B. V. vel Defunctorum, aut fit ſolemnis benedictio candelarum, aut olivarum, aut aliæ ſimiles ceremoniæ; vel dum fit lotio pedum in die Cænæ, vel dum aliquis in clauſtro profeſſionem èmittit; vel dum concio in Monaſterio habetur, vel cauſa proceſſionis quæ fiat per clauſtra; vel dum Eccleſia populi multitudine adeò plena eſt, ut fæminæ per portam Eccleſiæ principalem commodè ingredi, vel egredi nequeant; quibus de cauſis excuſantur modò ad alia loca non progrediantur, & tenentur egredi ſtatim finita cauſa.

TRACTATIONES VARIÆ,

Quarum

I. Eſt de Simonia.
II. De Alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.
III. De Largitione munerum regularibus utriuſque ſexus interdicta.
IV. De onere beneficiorum ad reſidendum.
V. De Obligatione inſumendi beneficiorum fructus in pios uſus.
VI. De Obligatione denunciandi delinquentes præſertim Hæreticos, & Confeſſarios ad turpia in Confeſsione ſollicitantes.

Tractatio ſeu diſputatio de Simonia.

Quid ſit Simonia. Cap 469.

1 SIMONIÆ Nomen originem traxit à Simone Mago, qui Dei donum, ſeu Spiritum Sanctum emere volebat, ut illum venderet. Dicitur autem Simonia à Simone potiùs, quam ab aliis, qui prius Simoniæ vitium commi-

ſerant.

ferant in lege antiqua, quia Simon primus extitit, qui hoc vitium in novo teſtamento commiſit putans Spiritualia vendi poſſe, quod vitium ipſimet Simoni per Apoſtolos exprobatum fuit. Act 9.

2 Simonia eſt Sacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, aut vendendi, ſeu commutandi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali adnexam pro temporali, quod peccatum committi poteſt non ſolum externo opere, verū etiam ſola voluntate abſque opere externo: ob id in jure vocari ſolet hæreſis Simoniaca, nam vitium Simoniæ magna ex parte pendet à voluntate operantis, & committitur emptione, aut venditione, ſeu permutatione rei Sacræ ſeu Spiritualis pro temporali. Clericus autem inſerviens Epiſcopo ſpe beneficii, non committit Simoniam, niſi pactum ineat aut intendat beneficium tamquam pretium ſervitutis, & obſequii; Simonia autem non committitur dum res ſpiritualis commutatur cum alia re ſpirituali, ſed dum res ſpiritualis commutatur cum re temporali pretio æſtimabili, ut equo, veſte, & ſimilibus. Simonia igitur committitur, dum temporale traditur, vel promittitur pro re ſpirituali tamquam illius pretium, quia tunc fit irreverentia rei ſpirituali, quæ confertur; & commutatur cum temporali; unde malitia Simoniæ in hoc poſita eſt, ut temporale tradatur in commutationem, & quaſi appretiationem: ſeu æſtimationem rei ſpiritualis; & propterea non committitur Simonia, dum res pretio æſtimabilis gratis datur ante collationem rei ſpiritualis: vel traditur titulo gratitudinis poſt acceptam rem ſpiritualem; quia non traditur in commutationem, ſeu tamquam pretium rei ſpiritualis nec eſt Simonia ob traditionem pecuniæ cauſa celebrationis Miſſę, quia traditur in eleemoſynam, vel ſuſtentationem Sacerdotis, nec Simonia committitur, dum aliquid ſponte oblatum accipitur occaſione adminiſtrationis Baptiſmi, Euchariſtię, vel Pœnitentię; quia non accipitur tamquam pretium, nec committitur Simonia contra jus Divinum vel humanum, dum beneficium confertur conſanguineo propter conſanguinitatem, quia conferens beneficium nihil temporale accipit pro beneficio; qui autem tradit beneficium alicui; ut alat conſanguineum committit Simoniam: quia imponit illi obligationem pretio æſtimab em pro re ſpirituali. Epiſcopus non committit ſimoniam tradendo beneficium alteri in gratiam Principis, quia non accipit temporale pro ſpirituale, dummodo non tradat, ut ad meliorem Epiſcopatum promoveatur, nam intendit tunc lucrum, ſeu temporale commodum adnexum Epiſcopatui, pro collatione beneficii, quæ eſt actio ſpiritualis. Committit autem ſimoniam Epiſcopus, dum beneficium confert ſuo debitori cum pacto ut debitum ſibi ſolvat, quia in beneficiis omnis pactio ſimoniaca eſt ſaltem ex jure Canonico, & obligatio, quæ ex novo pacto imponitur debitori ad ſolvendum eſt pretio æſtimabilis, unde ſimoniam committit: ſecus dicendum ſi Epiſcopus conferat beneficium debitori, timore amittend creditum, ſeu intentione recipiendi ſolutionem ſibi debitam, ſed abſq; ullo pacto, ſeu nova obligatione, quia non recipit lucrum, ſed ſolum intendit id, quod ſibi alias debetur: ſic committit ſimoniam, qui beneficium confert filio Judicis, cum pacto, ut abſolvat reum, vel rigorem juſtæ ſententiæ, ſeu pęnę mitiget, quia imponit onus pretio æſtimabile: ſecus dicendum videtur ſi beneficium conferat abſque ullo pacto cum animo conciliandi ſibi benevolentiam Judicis, ſperans inde mitigationē pęnæ juſtę, & debitæ, in quo caſu licet graviter peccet, cum intendat actioneni Judicis injuſtam, tamen non peccat peccato ſimoniæ, quia non tradit ſpirituale pro illa actione temporali.

Quotuplex ſit pretium, cujus traditione committitur ſimonia.
Cap. 407.

1 PRetium, quod pro re ſpirituali tradi ſolet, & cujus traditione committitur ſimonia triplex eſt, ſcilicet à manu, à lingua, & obſequio, unde vocatur munus à manu, munus à lingua, & munus ab obſequio, ad quatria genera rerum renucari poſſunt omnia alia, quæ in pretium pro re ſpirituali tradi poſſunt. Nomine muneris à manu intelliguntur quælibet bona externa pretio æſtimabilia: ſive ſint mobilia, ſive immobilia, ſive corporalia, ſive incorporalia: quare ſimoniam committit, qui rem ſpiritualem alicui conferr ob pecuniam, ob remiſſionem debiti, vel ob profeſſionem illud remittendi, vel ob aliam rem

rem prætio æſtimabilem, quia promittit, vel tradit temporale pro ſpirituali: ſic qui promittit penſionem, vel pecuniam conferenti, vel procuranti beneficium, vel collatori, vel præſentatori, quia eſt pecunia æſtimabilis, vel promittens præſentatori, ſe decimas ab eo non exacturum, vel alia ſimilia, quæ ſunt prætio æſtimabilia: ſic ſimoniam committit, qui mutuum petit, accipit pro re ſpirituali, quia imponit alteri onus, & accipit commodum temporale, quod ex mutuatione conſequitur; quæ mutuatio cum præciſe non ſit prætio æſtimabilis, eſt tamen quid nere temporale, unde non poteſt dari, vel permutari cum re ſpirituali; idem dicendum de eo qui ſpirituale confert alteri, ut ſibi dilationem ſolutionis debiti concedat; nam conceſſio dilationis ad ſolvendum eſt virtualiter mutuari, unde idem ſentiendum eſt, quod de mutuo: ſic eſt virtualis mutuatio, dum quis tradit ſpirituale, ut anticipate ſolvat debitum, nam continet temporale commodum, & dicitur munus à manu. Munus autem ab obſequio intelligitur opus hominis conducens ad utilitatem, ſeu commodum hominis, quod duplex eſt, temporale, ſcilicet & ſpirituale: temporale conſiſtit in actione hominis ordinata ad utilitatem, ſeu commodum corporis vel animę in ſuo eſſe naturali ſpectatæ. Spirituale conſiſtit in functione ſpirituali, ad animæ ſalutem conducente: hoc ſecundum non ex prætio æſtimabile, ſi functio ſpiritualis per ſe ſpectetur. Obſequium vero temporale eſt prætio æſtimabile: prætium enim tradi ſolet, ut obſequium, ſeu miniſterium temporale obtineatur; quare Simoniam committit, ſi quis tradat alicui beneficium, ut doceat Grammaticam, Theologiam, vel quid aliud, vel ut ſibi inſerviat, vel quid ſimile: ſic committit Simoniam Epiſcopus ſi conferat facultatem Sacerdoti abſolvendi à reſervatis, cum onere ſibi certo tempore inſerviendi: nam obſequium temporale tunc temporis non exigitur niſi pro ſpirituali. Munus autẽ à lingua intelligitur actio præcum, ſeu ſupplicationum, & interceſſionum, quæ lingua exerceri ſolent in favorem illius, qui rem ſpiritualem confert, hujuſmodi autem actio, ſeu pręces ut rationem pręcis habeant, opus eſt, ut fiant ex pacto expreſſe, vel tacite inito cum eo, qui ſpirituale confert: tunc enim pretio ęſtimatur, & commutari videntur cum re ſpirituali, ut ſi quis det Beneficium Titio, ut oret Principem pro ſe vel ut ipſum laudet apud Principem, vel alium: ſi vero nullum pactum pręceſſit, vel ſi pręces poſtulatę non fuerint à collatore Beneficii, ſeu rei ſpiritualis cenſetur factę gratis, & ideo Simonię culpam non inducunt; Simoniam igitur committit Epiſcopus, dum beneficium alicui promitit, ut pro ſe intercedat apud Principem, ſeu pro ſe petat aliquam gratiam: intendit enim præces cum pacto, & præcibus beneficium prommittit.

Quomodo poſſumus cognoſcere pecuniam, vel rem aliam temporalem tradi tamquam prætium rei ſpiritualis.

Cap. 471.

1 AD cognoſcendum an res temporalis tradita ſit pro re ſpirituali, judicium ferendum eſt ex aſſertione delinquentis: ipſius enim teſtimonio ſtandum eſt, quia culpa Simoniæ magna ex parte pendet ab intentione operantis; ſi vero loquamur in foro externo ſeu quoad alios, qui judicium ferre debent de actione alterius cenſeo has regulas aſſignari poſſe. Prima eſt ut inſpiciatur, an ſimpliciter vetitum ſit intuitu Religionis dare, vel accipere aliquid in tali materia, & talli modo, tunc enim ſi aliquid tradatur, vel accipiatur præſumitur Simmonia, quia conſtat de lege, & de actione facta contra legem ut ſi vetitum ſit intuitu Religionis quicquam. tradere tempore confeſſionis, ſeu Baptiſmi & Sacerdos aliquid eo tempore accipit, Secunda eſt, ut inſpiciatur an adſit aliquis probabilis titulus tradendi rem temporalem quæ Simoniacam labem non contineat, & ejus ſuſpicionem purgare poſſit, ut eſt titulus ſuſtentationis debitæ operario, aut titulus redimendæ vexationis, aut titulus laboris extra ordinarii, aut titulus liberalitatis; unde ſi titulus aliquis intercedit præſumendum eſt, pecuniam, vel rem aliam prætio æſtimabilem, non dari tamquam prætium rei ſpiritualis: quando autem non adeſt aliquis probabilis titulus excuſans traditionem rei temporalis, ſed ſolum dubitatur, an traditio rei temporalis facta ſit gratis, & liberaliter; recorrendum eſt ad alias conjecturas, quarum, Prima eſt, ut inſpicia-

ſpiciatur, an præceſſerit aliqua pactio, vel taxatio rei temporalis tradendæ, tunc enim non præſumitur liberalis traditio; quia ex pacto conſurgit obligatio liberali donationi contraria, & taxatio ſupponit pactionem. Secunda conjectura eſt, ut inſpiciatur an res temporalis non ſponte tradatur, ſed exigatur ab eo qui ſpirituale confert, nam ſi non ſponte tradatur, ſed exigatur, non præſumitur liberaliter donari, ſed potius commutari cum re ſpirituali. Tertia conjectura eſt, ut quando non adſunt aliquæ conjecturæ ex duabus prædictis, attendantur ea, quæ habentur in c. & ſi quæſtiones de Simon. Primum eſt æqualitas perſonæ, an ſit liberalis, aut contemptrix divinorum, an timoratæ conſcientiæ, & honeſtis moribus; hujuſmodi enim conjecturæ ſuſpicionem Simoniæ maxime minuunt: item an ſit dives, vel pauper, nam quod reſpectus unius modicum cenſetur, reſpectu alterius eſſe poteſt magnum, ideo minuit opinionem donationis: item an tradens ſit vir nobilis, nam in viro nobili faciliter præſumi poteſt donatio: quia viri nobiles proni ſunt ad largiendum: item attendenda eſt neceſsitudo, familiaritas, conſanguinitas, ſeu vinculum ipſarum perſonarum inter ſe, nam quo majus vinculum inter ipſas perſonas tradentes, & accipientes reperitur eo facilius conjici poteſt liberalis traditio. Secundum eſt quantitas rei: an videlicet ſit valde magna, mediocris, vel tenuis: ſi tenuis cenſetur liberaliter tradi, nullus enim fere adeo demens eſt, ut velit rem ſpiritualem, quæ excellentiſsima eſt, & maximi momenti cum re vili conſerre, & commutare, ſi quantitas nimis magna eſt, non præſumitur liberaliter donari, quia nullus præſumitur res ſuas prodigere: ſi quantitas rei ex ſe mediocris eſt, & dubia, recurrendum eſt ad qualitatem perſonæ, an ſit dives, vel pauper, vel aliis qualitatibus exculta: item attendenda eſt dignitas, & excellentia rei ſpiritualis, nam quo excellentior fuerit, eo maior quantitas rei temporalis requiritur ad præſumendam rem temporalem traditam fuiſſe tanquam pretium rei ſpiritualis: item non leve indicium deſumitur ex materia ipſa temporali, nam ſi tradantur exculenta, vel poculentia, quæ brevi conſummi poſſunt, non præſumuntur tradi tamquam pretium rei ſpiritualis; ſecus ſi pecunia ipſa tradatur, hæc enim raro liberaliter tradi conſuevit. Tertium eſt circumſtantia temporis, an videlicet res temporalis detur ante traditionem rei ſpiritualis, vel in ipſa traditione rei ſpiritualis: vel poſt: ſi enim res temporalis datur, dum res ſpiritualis confertur, inducit aliquam ſuſpicionem commutationis, ſeu recompenſationis pro re ſpirituali; ſi res temporalis datur ante collationem rei ſpiritualis, redolet aliquam ſuſpicionem, quia videtur tradi, ut res ſpiritualis conferatur, & collator inducatur ad tradendam rem ſpiritualem. Si vero traditur poſt factum, facilius præſumi poteſt donatio: præſertim ſi mora temporis interceſsit; frequenter enim poſt factum traditur temporale titulo gratitudinis.

Quotuplex ſit Simonia.
Cap. 472.

1 Simonia eſt triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis. Mentalis dupliciter accipitur: Primo pro nudo propoſito, ſeu deſiderio committendi Simoniam, hæc n. ſola mente concepitur, & nulla ratione cum externo actu conjungitur, Secundo accipitur pro illa actione, quæ fit mente Simoniaca; ſed ex ſe & ex circumſtantiis Simoniam non proferr, ut ſi Capellanus pecuniam titulo ſuſtentationis, ſeu eleemoſinæ relictam pro celebratione quotidianæ miſſæ accipiat, intentione accipiendi illam tamquam precium miſsæ, nullo dato exterius ſigno, quo indicet, ſe pecuniam accipere tamquam pretium miſsæ, hic comittit Simoniam mentalem, quia intentione Simoniaca facit actum externum, n. quo Simoniæ labes non apparet; fieri etiam poteſt, ut Simonia Mentalis aliquando committatur ab uno tantum, aliquando ab utroque, ut ſi quid exterius tradi ſolum videatur animo gratuito, vel ad ſubſtentationem, ſed accipiens intendat illud accipere, tamquam pretium rei ſpiritualis, ſed nullus pravam ſuam mentem verbis, ſeu conventione, aut alia ratione manifeſtet: hæc enim eſt Simonia mentalis, quia mente retinetur, & exterius non apparet actum externum ea intentione fieri. Conventionalis conſiſtit, in pacto, ſeu conventione expreſsa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro ſpirituali: hæc Simonia diſtinguitur à mentali ob conventionem externam, quam non includit mentalis: diſtinguitur vero à reali,

reali, quia non habet adiunctam retraditionem. Realis eſt illa, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro ſpirituali: hæc eſt duplex, vel incompleta, vel completa: incompleta committitur, dum ex una tantum parte adimpletur, ut ſi tradatur res ſpiritualis, cum pacto rei temporalis recipiendæ: completa verò cenſetur, dum utrimque ad actum traditionis pervenitur.

2 Simonia confidentialis aliquando poteſt reduci ad mentalem, aliquando ad conventionalem, aliquando ad realem: ad mentalem revocatur, quando qui reſignat beneficium, intentione obligandi alterum, ſed ei non manifeſtat ſuam intentionem: quamquam hæc non eſt propriè ſimonia confidentialis, nec cadit ſub pœna ſimoniæ confidentiali impoſita. Ad conventionalem revocatur; dum pactum initur de reſignando, vel conferendo, præſentando, vel inſtituendo cum pacto ut beneficium ſibi, vel alteri reſtituatur, vel ut ſibi, vel alteri pars fructuum tradatur. Realis verò confidentialis contingit, dum beneficium vere renunciatur, vel confertur cum pacto, ut ſibi, vel alteri reſtituatur, vel ut ſibi, vel alteri pars fructuum tradatur, & hæc ſimonia cadit ſub pœna lata à Pio IV. etiam ſi non ſit completa ex utraque parte, vel ſolum reſignatum, vel collatum ſit beneficium cum præfato pacto, & effectus reſtitutionis nondum ſecutus ſit.

3 Quando Eccleſia intuitu Religionis prohibet aliquam acceptionem, vel largitionem ob ſuſpitionem, umbram, periculum vel præſumptionem ſimoniæ, quæ ſequi poſſet, niſi acceptio, vel largitio prohibetur, ſequitur largitionem, vel donationem ab Eccleſia prohibitam tali occaſione intuitu Religionis ſimoniacam eſſe: & hujuſmodi ſimonia revocatur ad realem, & conventionalem, quia Eccleſia præſumit conventionem interceſſiſſe, & rem temporalem tradi intuitu ſpiritualis. & licet non ſit vera ſimonia, cùm ſit contra jus naturale, & Divinum: eſt tamen ſimonia putativa, & exiſtimata ob prohibitionem ab Eccleſia factam intuitu Religionis in materia ſpectante traditionem, vel acceptationem rerum temporalium occaſione ſpiritualium, unde ob quamlibet aliam Eccleſiæ prohibitionem non incurritur ſimonia: niſi ob illam quæ fertur intuitu Religionis in materia ſpectante ad traditionem, vel acceptationem temporalium occaſione ſpiritualium. Ob id ſimonia incurritur, dum conferens ordines petit aliquid ab eo, cui ordines confert, nam hujuſmodi petitio prohibetur ab Eccleſia, præfato intuitu, & intentione.

4 Simonia ficta non eſt vera ſimonia, & eſt quando non intendit emere, aut vendere rem ſpiritualem: ſed potiùs decipere, & mendacium committere, & exterius promittit rem ſpiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro ſpirituali abſq; animo tradendi, & ſe obligandi ad rem ipſam tradendam, & cum ab aliquo committitur non ſubiicitur pœnis contra ſimoniacos latis: verum tamen eſt quod committentes ſimoniam fictam in foro externo præſumuntur Simoniaci, & conſequenter puniri poſſunt tamquam ſimoniaci, cum externum opus ſimoniacum faciant.

5 Simonia mentalis non committitur, niſi intendatur temporale tamquam pretium rei ſpiritualis, vel ſpirituale tamquam pretium rei temporalis, nam ſimonia mentalis non committitur, niſi intendatur temporale tamquam pretium; quia actus internus malitiam ſumit ab externo, ſed actus externus non habet malitiam ſimoniæ, niſi res ſpiritualis tradatur pro temporali pretio; ergo ſimonia mentalis non committitur, niſi intendatur temporale tamquam prætium rei ſpiritualis, vel e contra, unde ſimonia committitur ab eo, qui ad Chorum accedit, intendens diſtributiones accipere tanquam pretium celebrationis Divini officii, ſeu intendens Divinum officium vendere; ſeu intendens diſtributiones tamquam fructum commenſuratum Divino officio, ſeu ſacro miniſterio; tunc enim virtualiter intendit vendere, conſequenter intendit temporalem tamquam pretio miniſterii ſpiritualis. Simonia mentalis committi poteſt, dum mens verſatur circa ea, quæ Simoniaca ſunt, quia prohibita nam voluntas faciendi opus ab Eccleſia prohibitum eſt mala ea ſpecie malitiæ, qua eſt ipſum opus prohibitum: etiam ſi ad actum externum non progrediatur.

Quo jure prohibita ſit Simonia, & quale peccatum ſit. Cap. 473.

1 Simonia prohibita eſt jure divino, naturali, & humano. Jure Divino ex verbis Chriſti Matthæi 10. (Gratis accepiſtis,

piſtis, gratis date.) Jure naturæ Actorum 8. Petrus dixit Simoni Mago *Pecunia tua tecum ſit in perditionem quoniam donum Dei ex ſtimaſti pecunia poſſideri*. Jure humano poſitivo conſtat ex toto Titulo de Simonia.

2 Simonia committitur tantum juris humani. Primo ob permutationem beneficii cum alio beneficio abſque auctoritate legitimi Superioris. Secundo ob reſignationem beneficii propria auctoritate facta cum reſervatione penſionis. Tertio ob venditionem beneficii, non quidem habita ratione tituli, nam conſtat eſſe Simoniam jure divino prohibitam, ſed habita ratione fructuum, & emolumentorum temporalium, ut dicunt aliqui doctores. Quarto ob acceptationem alicujus rei occaſione examinis ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 15.* Quinto officia Diſpenſatoris, ſeu Procuratoris, & Oeconomi, Defenſoris, Judicis, Manſionarii, Primicerii licet vendi prohibeantur, ſi vendantur non committitur Simonia: quia ſunt opera mere corporalia, & pretio æſtimabilia, nec jure Eccleſiaſtico vendi prohibentur, nec committitur Simonia vendendo bona mobilia, vel immobilia Eccleſiæ, quia ſunt pretio æſtimabilia, unde vendi poſſunt abſque Simonia; modo non vendantur ut ſunt ſacra.

3 Simonia eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra Religionem: quia reliqua crimina comparatione Simoniæ levia putantur, nam per Simoniam infertur gravis injuria Deo, & rei ſacræ, quæ confertur, comparatur, & commutatur cum re temporali, unde contemnitur res ſacra; nec Simonia unquam licita eſt, nam Deus licet ſit omnium rerum Dominus, facere tamen non poteſt ut res ſpiritualis non pluris æſtimetur, quam res temporalis: & Simonia non eſt mala, quia prohibita jure divino, vel humano: ſed ideo prohita, quia mala, ergo intrinſecam habet malitiam: ex quo ſequitur in Simonia diſpenſari non poſſe. Nam Superior diſpenſando ſolum auſert prohibitionem; ablata autem prohibitione juris divini, vel humani, adhuc Simonia remanet illicita, quia non eſt mala, quia prohibita: ſed eſt prohibita, quia mala. Quando autem Deus alicui concederet donum prophetiæ, vel gratiam ſanitatum, ut ex illius uſu viveret: tunc uſu licitum eſſet aliquid accipere, non pro uſu prophetiæ, vel gratiæ ſanitatum ut ſic, ſed pro labore, & exercitio, quia operarius dignus eſt cibo, & mercede. Nec Simonia poteſt eſſe veniale peccatum ratione parvitatis materiæ, nam tota ratio malitiæ reperitur in venditione rei ſpiritualis in pauca quantitate, ac in magna, fieri tamen poteſt veniales ob ignorantiam, inadvertentiam, & inconſiderationem: Opponitur autem Simonia Religioni, ad quam ſicut pertinet cultus Dei, ita etiam eidem adverſatur id quo Deus in ſe, vel in re ſacra contemnitur: bonitas enim alicujus actus, & illius privatio ad eandem virtutem ſuo modo pertinent: ideo malitia Simoniæ non eſt per ſe conjuncta cum malitia injuſtitiæ, ſed ſolùm per accidens: malitia enim injuſtitiæ invenitur, cum ius alterius violatur, illique fit injuria, & propterea per accidens habet Simonia adjunctam malitiam injuſtitiæ, in actibus videlicet erga proximum, dum jus proximi læditur, ſeu dum proximo damnum contra ipſius voluntatem infertur, ut ſi Parochus nolit Sacramentum ſine pretio miniſtrare ſuis ovibus, quibus aliàs tenebatur gratis miniſtrare.

Quænam ſit materia, circa quam Simonia committitur. Cap. 474.

1 Materia Simoniæ eſt res aliqua ſacra ſpiritualis, & ſupernaturalis: quia peccatum Simoniæ apponitur Religioni, & cuttui debito rei ſacræ: ergo illius materia debet eſſe res ſacra: Sacrilegium n committitur violatione rei ſacræ, & privatio ſpecificatur ab oppoſita forma; Simonia autem eſt Sacrilegium ſeu irreligioſitas contra res ſacra, unde illius materiæ ſunt res ſacræ: quare Simonia committitur vendendo gratiam Sanctificantem: quia gratia ſanctificans eſt res ſpiritualis, & ſacra; & gratia, vel Spiritus Sanctus non de jure, ſed de facto multis modis vendi poteſt, Primò in concreto, ut ſi pluris redimatur Chriſtianus, quatenus fidem habet, vel ſanctitatem, aut ſi vendatur Sacerdos intuitu Sacerdotii. Secundo in abſtracto, ut ſi quis prætio conferat alteri ſacrum ordinem, & characterem, aut gratiam Sacramentalem; hic. n. quantum ex ſe, prætio confert dona ſacra nam hujuſmodi ordinatio tenet quoad ſubſtantiam, & collatio gratiæ tenet, ſi non ponatur obex ex parte recipientis, ut ſi bona ſide recipiens recipiat, ignorans pecuniam

nſam ob collationem Sacramenti traditam fuiſſe. Tertio quoad actum, ut ſi vendatur Sacramentalis abſolutio, per quam confertur gratia in recipiente.

2 Simonia committi potuit vendendo Chriſtum, habita ratione unionis hypoſtaticæ, vel donorum ſacrorum, & ſupernaturalium in Chriſto exiſtentium, ſic committitur vendendo rem increatam; ut ſi quis vendat Euchariſtiam Judæo quatenus continet Chriſtum ſeu Verbum divinum, & tamen Verbum divinum eſt res increata, & alterius ordinis; Judas vero cognoſcens gratiam unionis, ideſt credens, Chriſtum eſſe verum Deum, & Secundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, Simoniam commiſiſſet vendendo illum, ut Deum temporali pretio; ergo Simonia committi poteſt etiam vendendo gratiam unionis, de facto tamen Judas vendendo Chriſtum, & Phariſæi illum emendo peccatum Simoniæ non commiſerunt: quia vendidit illum tamquam hominem, non habita ratione rei ſacræ in Chriſto exiſtentis, nec quicquam cogitavit de ſpiritualitate, quæ Chriſto Inerat, negari tamen non debet quin Judas graviſſimè peccaverit peccato Sacrilegii contra Honorem Hyperduliæ, & Latriæ Chriſto debitum: quamvis enim illum vendiderit non habita ratione ſanctitatis noverat tamen Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem, illumque contempſit tradendo Judæis, ut morte damnaretur, ſic committitur Simonia vendendo Euchariſtiam, ſic accipiendo vel tradendo pecuniam pro Sacramentis, vel Sacramentalibus, ſic ſi venderet Sacerdotium, ſic vendens opera miſericordiæ, ſic vendendo reliquias, ſic dando pecuniam pro miſſæ Sacrificio, non titulo eleemoſinæ vendendo Roſarium majori pretio, eo quod reliquias tetigerit.

An Simonia committatur accipiendo aliquid pro Sacramentis vel ipſorum adminiſtratione. Cap. 475.

1 Committitur Simonia accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, ut ſunt quid conflatum ex materia, & forma; quia Sacramenta ut ſic ſunt res ſacræ, tam in ſe, quàm quoad effectum, quem patiuntur. Simonia autem committitur dando, vel accipiendo temporale pro re ſacra unde Simonia committitur, dum aliquid accipitur pro Baptiſmo, Pænitentia, & Matrimonio, ſic de cæteris. Non autem committitur Simonia tradendo, vel accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, ut pro pane, vino, oleo, &c. non accipitur temporale pro ſpirituali, nam materia remota Sacramenti ſecundum ſe eſt res naturalis, temporalis, & pretio æſtimabilis: pro materia autem proxima, ut pro ablutione in Baptiſmo &c. nihil accipi, nec dari poteſt abſque labe Simoniæ, & quod dicitur de materia idem dicendum eſt de forma. Pecunia autem tradi poteſt, non pro ipſis Sacramentis vel eorum adminiſtratione, vel ad removendum impedimentum vel ad redimendam injuſtam vexationem, dum gravis urget neceſſitas recipiendi illa Sacramenta: quia non adeſt intentio emendi rem ſacram, ſed inducendi alterum ad id quod præſtare tenetur, & hujuſmodi Sacerdos induci poſſet minis, ergo etiam muneribus & pecuniis quare licitum eſt pecuniam tradere Sacerdoti nolenti Baptiſmum abſque pecunia conferre infanti: ſic licitum eſt inducere Sacerdotem pretio nolentem Sacramentum conferre ex odio, vel avaritia, vel alio pravo affectu: ſic emi poteſt Aqua licet benedicta ab eo, qui urgente neceſſitate infantis, non vult eam tradere ſine pecunia nec adeſt alia aqua, quæ poſſit adhiberi ad baptizandum infantem; Violenter impedienti dignum à conſecutione beneficii aut injuſte contradicenti electioni, vel confirmationi tradi poteſt pecunia, ne impediat, vel contradicat: hoc enim fit ad redimendam injuſtam vexationem.

An Simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro Sacramentalibus. Cap. 476.

1 Nomine Sacramentalium intelliguntur cæremoniæ, & benedictiones ſacræ, quæ publica auctoritate, & inſtitutione Eccleſiæ fiunt, & propterea Simonia committitur dando, vel accipiendo aliquid temporale pro Sacramentalib. tranſeuntibus, quia ſunt actiones ſacræ in ſe: procedunt enim à poteſtate ſupernaturali, & ordinatæ ſunt ad finem ſpiritualem: ſic Simonia committitur tradendo, vel accipiendo aliquid pro Sacramentalibus ipſis permatibus, nam illud eſſe, quod habent ut res ſacra ſunt

Digitized by Google

ſunt, eſt ſpirituale, & ſupernaturale, & ad finem ſpiritualem, & ſupernaturalem proxime ordinatur. Simonia igitur committitur ſi præfata Sacramentalia citius vendantur ratione benedictionis, aut conſecrationis; quam antea valerent ratione materiæ, vel Artificii. Sacramentalia verò permanentia vendi poſſunt ratione materiæ abſque Simonia. niſi in re aliqua ſpecialis exter prohibitio Eccleſiaſtica, quia materia illarum ſecundum ſe pretio æſtimabilis eſt; Hoc tempore Simonia committitur vendendo Agnos Dei benedictos, quamvis enim ex ſua natura vendi poſſint ratione materiæ, Gregorius XIII. prohibuit Agnos Dei pingi, & ſic pictos venales proponi ſeu retineri.

An Simonia committatur occaſione collationis, vel ſuſceptionis ordinum. Cap. 477.

1 Suſcipiens ordines prævia pecunia, ſeu pretio Simoniacus eſt, quia peculiares cenſuræ & pænæ in ruitu Religionis latę ſunt ab Eccleſia contra accipientes ordines prævia pecunia, ſic Epiſcopus, & alii collatores ordinum Simoniam committunt, accipiendo aliquid in collatione ordinum ex *Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 1. de reformat. & propterea collatores ordinum Simoniaci ſunt accipiendo aliquid occaſione ordinationis, quamvis ſponte offeratur: excipiuntur tamen Candelæ ex declaratione ſacræ Congregationis. Notarius autem, cui ſalarium alia ratione conſtitutum non eſt, poteſt aliquid pro litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus loco ſtipend i accipere, quia non tenetur gratis operam ſuam præſtare.

An Simonia committatur tradendo vel accipiendo pretium pro functionibus ordinum. Cap. 478.

1 Simonia committitur accipiendo, vel tradendo temporale pro functionibus ordinum, quia hujuſmodi functiones ſunt res ſacræ, vel ex inſtitutione Chriſti, vel ex inſtitutione Eccleſiæ; res autem ſacra ex inſtitutione Chriſti, vel Eccleſiæ eſt materia Simoniæ. Simonia committitur ſi pecunia tradatur pro actione conſecrandi, abſolvendi, conferendi extremam Unctionem, offerendi miſſæ ſacrificium, orandi pro populo, vel conſecrandi calices, templum, altaria, Chriſma, Agnos Dei, Benedicendi corporalia, Aquam, Veſtimenta, Incenſum, Cereum Paſchale, Cineres, Candelas: quia iſtæ omnes functiones ſunt actus ſolius poteſtatis ordinum ex inſtitutione Chriſti, vel ſaltem Eccleſiæ, cui data fuit à Chriſto poteſtas inſtituendi hujuſmodi functiones exercendas per Eccleſiæ miniſtros certis ordinibus inſignitos, ſic Simoniam committit tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus majorum, vel minorum ordinum.

Utrum Simonia committatur, accipiendo aliquid pro divinis officiis, vel etiam pro privata oratione. Cap. 479.

1 Nomine divini officii hoc in loco intelligo orationem, quæ publicè fit ab Eccleſiæ miniſtris ex inſtitutione Eccleſiæ, etiam ſi fiat aliquando ſine functione alicujus ordinis, ut ſunt horæ canonicæ, exequiæ, vel publicæ proceſſiones: nomine verò orationis privatæ intelligo illam, quæ non fit ab aliquo tamquam Eccleſiæ miniſtro, ſed ex privata devotione, & pietate, Simonia committitur accipiendo, vel tradendo aliquid tamquam pretium pro divinis officiis: quia divina officia ſunt actus Religionis, continentes divinum cultum, & ideo ſunt res ſacra, ergo ſunt materia Simoniæ; ſic committitur in privatis orationibus illas emendo, aut vendendo; quia etiam privatæ orationes continent divinas laudes, & cultum Dei, & ideo ſunt res ſacra & Religioſa, ergo ſunt materia Simoniæ: actiones autem funerum, & exequiarum, quæ non ſunt ſpirituales, ſeu quæ non pertinent ad miniſterium ſpirituale, & Eccleſiaſticum officium non ſunt materia Simoniæ, ut tumulum conſtruere, ornare, purgare, cadaver deferre, tradere ſepulturæ terram ſuper, imponere, & ſimilia, quæ potius ſunt opera materialia, quam ſpiritualia.

An Simonia committatur vendendo ſepulturam. Cap. 480.

1 Locus pro ſepultura vel erat ſacer pro ſepultura fidelium, ut cæmeterium, vel non erat ſacer; ſi non erat locus ſacer communis pro ſepultura vendi po-

E e teſt,

teſt, quia materia venalis eſt, & dicitur purus locus; vel locus jam deſtinatus erat ad ſepulturam communem, ut cæmeterium, diſtinguendum eſt: vel rei naturam ſpectamus, vel Eccleſiæ conſtitutionem: ſi naturam rei ſpectamus, cenſeo vendi poſſe terram, ut ibi ſepultura conſtituatur: quia fundus vendi poteſt ad conſtruendam in eo Eccleſiam, ergo etiam vendi poteſt ad conſtruendam ſepulturam; ſi vero ſpectemus conſtitutionem Eccleſiæ dicendum eſt locum ſacrum communem pro ſepultura fidelium vendi non poſſe abſque Simonia juris humani; conſequenter aliquem ibi ſepeliri non poſſe accepto pretio niſi forte aliquid gratis tradatur, vel aliquid libere fuerit relictum ab eo, qui ibi ſepeliendus eſt, aut niſi diuturna conſuetudo extet in contrarium; Qui vero vendit ſepulturam in loco communi ad ſepulturam fidelium, committit peccatum Simoniæ jure humano prohibitæ, ſi pretium exigatur pro ipſa terra; quia hæc lata ſunt jure ad vitandam Simoniæ ſuſpicionem, quando autem traditur pecunia pro honoratiore loco ſepulturæ: ſi locus eſt honoratior ob rationem, & reſpectum aliquem temporalem non committitur Simonia, quia non emitur res ſacra, ſed honor quidam humanus, qui in hominum æſtimatione, & apprehenſione poſitus eſt: ſi vero locus eſt honoratior ob reſpectum ad rem ſpiritualem committitur Simonia, aut quia locus eſt intra Eccleſiam non in cæmetio, aut quia locus eſt propinquior altari: quia fundamentum iſtius honoris fundatur in majori ſanctitate loci, ex majori propinquitate ad altare majus, vel ad Chriſti corpus.

Utrum Simonia committatur tradendo, vel promittendo aliquid temporale alteri, ut operetur actum utilem ſolum ipſimet operanti, ut ſi tradatur alicui pecunia, ut fiat Chriſtianus vel Religioſus, vel ut Sacramenta recipiat. Cap. 481.

1 Qui promittit, vel tradit temporale alteri, injuncta obligatione, ut det opus ſpirituale Simoniam committit, quia Simonia committitur emendo, aut vendendo ſpirituale pro temporali: qui tradit aliquid alteri, ut peccatum vitet vel ut opus ſpirituale faciat in ſolius operantis utilitatem, relicta illi facultate, & libertate faciendi tale opus, non committit Simoniam, nec alia ratione peccat, præciſo ſcandali periculo, ſive tale opus ſit conſilii, ſive ſupererogationis, ſive præcepti: quia Simonia committitur, emptione, & venditione, ſed hic non adeſt emptio, & venditio, nam ex parte dantis, vel promittentis non eſt emptio, cùm ipſe nihil ab alio recipiat, neque ex parte recipientis eſt venditio, cùm ipſe nihil det tradenti pecuniam, ſed ſolum ſibi conſulat, acquirat & proficiat, & in ſui commodum operetur: nec Simonia committitur ſi quis dicat alteri, promitto tibi mille aureos ſi fias Chriſtianus, vel Religioſus quia iſta promiſſio non eſt contractus oneroſus, ſed vim habet liberalis donationis. Nec committitur Simonia ſi actu tradatur temporale, & recipiens obligetur ad reſtituendum acceptum, niſi ſpirituale opus præſtiterit: quia ſicut promitti poteſt temporale tradendum conditione adimpleta, & non aliter, ita tradi poteſt injuncto onere reſtituendi, ſi conditio adimpleta non fuerit.

Utrum tradi, vel accipi poſſit aliquid pro ingreſſu in Religionem. Cap. 482.

1 Nihil tradi, vel accipi poteſt tamquam pretium pro ingreſſu in Religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu Religioſo: quia dans, vel accipiens aliquid pro ingreſſu in Religionem ligatur excommunicatione Summo Pontifici reſervata extrovag 1. communi de Simonia: ergo ſignum eſt grave peccatum committi, & Simoniam incurri tradendo, vel accipiendo aliquid pro ingreſſu in Religionem non autem committitur ſi aliquid tradatur alicui ſub conditione tantùm invitante, ut alliciatur ad Religionem: nec committitur, ſi aliquid tradatur non tamquam pretium ingreſſus, ſed pro congrua ſuſtentatione, aut alio titulo pretio æſtimabili, quia non traditur temporale pro ſpirituali.

Utrum Simonia committatur accipiendo pecuniam pro abſtinendo à bono opere. Cap. 483.

1 Non committitur Simonia accipiendo pecunia pro abſtinendo à bono opere naturali, non pertinente ad Religio-

gionem, quia non datur temporale pro ſpirituali, quare non committit Simoniam præceptor, qui non vult à lectione in die feſto abſtinere, niſi accepto pretio, etiam ſi vacatio à lectione dirigatur ad feſtum colendum, quia accipiens pretium pro lectione non committit accipiendo pecuniam pro vacatione à lectione. Nec committit Simoniam dando, vel accipiendo pecuniam pro ommiſſione actus ſpiritualis, ut ſi quis pecuniam alteri tradat; ut Miſſam ommittit, ne ordinet, ne abſolvat, &c. modò cum hujuſmodi ommiſſione conjunctus non ſit actus juriſdictionis, qui cum ipſa ommiſſione pretio vendatur, nam non datur, vel accipitur pretium pro re ſpirituali, cum ommiſſio non ſit res ſpiritualis, & ſacra, ſed carentia rei ſpiritualis.

Utrum Simonia committatur vendendo ſcientiam ſeu pretio docendo, vel docendi licentiam concedendo.
Cap. 484.

1 SImonia non committitur vendendo ſcientiam, & doctrinam, ſeu dona ſpiritualia intellectus ſpeculativa, vel practica; quia actus prædictorum donorum non eſt res ſacra: ſed potiùs eſt res naturalis non pertinens ad Religionem; quare dans conſilium, ad vincendam litem, ad gubernandum, & ſimilia, non committit Simoniam: quia illa actio eſt res naturalis, & pretio æſtimabilis; etiam ſi vendens exercitium illorum donorum, quæ miraculosè, vel ſine labore conſecutus ſit, ut ſi miraculosè obtinens ſanitatem brachiorum, manuum, vel pedum, quibus antea carebat, non committit Sacrilegium recipiendo ſtipendium laboris, quem brachiis, manibus, vel pedibus præſtat: nec committitur Simonia docendo pretio Theologiam practicam, vel ſpeculativam, ſeu ſcholaſticam; ſeu interpretativam ſcripturarũ: quia actiones magiſtri docentis Teologiam naturales ſunt, & labor, & opus ipſius eſt pretio æſtimabile. Simonia committitur tradendo, vel accipiendo aliquid pro concione, quia, præciſo labore, & ſuſtentatione, quæ in pactum deduci poteſt, nihil accipi poteſt pro ipſa concione, quia concio eſt actus ſacer, & eſt opus proprium, & principale Dei Concionator enim eſt veluti legatus Dei miſſus ad hoc opus; nec Simonia committitur accipiendo aliquod pro actu docendi Doctrinam Chriſtianam ad inſtituendum intellectum, vel ad juvandam, & exercendam memoriam ut communiter fieri ſolet in Scholis doctrinæ Chriſtianæ, hic enim eſt actus naturalis: ſi verò doctrina Chriſtiana tradatur, vel explicetur concionando, & perſuadendo, committitur Simonia, ut ſi infidelis doceatur doctrinam Chriſtianam oſtendendo illius credibilitatem ut credat & convertatur: quia hic eſt actus concionis. Idem dicendum eſt, ſi actus docendi Doctrinam Chriſtianam exerceatur ſolemni ritu, tamquam actus ordinis ut in baptiſmo: in quo patrinus loco infantis de præcipuis noſtræ fidei articulis interrogari ſolet, cum.n. hæc ſit functio ordinis ex inſtitutione Eccleſiæ fatendum eſſe actum ſacrum, conſequenter Simoniæ materiam eſſe, non autem Simonia committitur dando, vel accipiendo pretium pro licentia docendi: quia actus docendi non eſt res ſacra, nec committit vendens licentiam ad docendam Theologiam; quia actus docendi Theologiam non eſt res ſacra, ſed eſt actus naturalis, & poteſtas, ex qua datur, non eſt ſpiritualis: nec committitur à vendente magiſterium, ſeu Doctoratum Theologiæ: quia hujuſmodi magiſterium nihil aliud eſt, quàm quædam approbatio ad docendam talem facultatem cum quibuſdam honoribus, & privilegiis, & hujuſmodi gradus conferri non ſolent ſine pretio, & actus docendi non eſt ſpiritualis.

Utrum materia Simoniæ non ſolùm ſint res ſacræ & ſpirituales ſecundùm ſe, verùm etiam illæ, quæ ſpiritualibus ſunt adnexæ.
Cap. 485.

1 DUo ſunt genera rerum ſacrarum & ſpiritualium, nam aliæ ſunt res ſacræ, & ſpirituales per ſe, aliæ per adnexionem ad rem ſacram. Res ſacræ, & ſpirituales per ſe, aliæ ſunt tales ex ſui natura ut ſunt gratiæ gratis datæ, gratia ſanctificans, habitus virtutum ſupernaturales, vel ipſorum actus: aliæ ſunt tales ob Eccleſiæ inſtitutionem, quia ſcilicet ab Eccleſia inſtituræ ſunt: ſuppoſita tamen inſtitutione ſunt per ſe ſacræ, & ſpirituales, ut ſunt benedictiones nuptiales, Sacramentalia, &c. per inde enim ſe habent ac ſi à Chriſto inſtitu-

Digitized by Google

ſtitutæ fuiſſent, nam inſtitutio Eccleſiaſtica revocatur ad divinam inſtitutionem, res verò ſacræ per adnexionem illæ dicuntur, quæ ex ſe materiales, vel naturales ſunt, per conjunctionem tamen, ſeu vinculum cum re ſacra cenſentur ſacræ ſeu ſpiritales; adnexum autem alteri tripliciter dici poteſt. Primò antecedenter. Secundò comitanter. Tertiò ſubſequenter: illud dicitur antecedenter adnexum rei ſacræ, quod præcedit rem ſacram, ſeu ſupponitur rei ſacræ cui connectitur, ut ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ, &c. nam licet iſta ſint ſacra per ſe, ſi conſiderentur formaliter ut ſacra, tamen ſi conſiderentur materialiter, non ſunt ſacra per ſe, ſed dicuntur ſacra antecedenter ratione materiæ, quæ ſupponitur conſecrationi, & præcedit conſecrationem. Adnexum comitanter dicitur illud, quod comitatur rem ſacram, illique intrinſice conjungitur, & eſt veluti pars, unum totum cum re ſacra componens, ut eſt labor ad rem, ſeu actionem ſacram peragendam requiſitus. Adnexum conſequenter dicitur illud quod conſequitur ſpirituale, & eſt veluti effectus illius rei ſpiritualis, quam conſequitur, hujuſmodi ſunt beneficia; hæc enim conſequuntur divina officia: quia inſtituta ſunt propter divina officia, & dicuntur adnexa divinis officiis, tamquam ab illis dependentia. In hoc puncto agimus de iis, quæ non ſunt ſpiritualia per ſe, ſed per adnexionem cum ſpiritualibus.

2 Adnexum antecedenter ſpirituali ſi ſpectetur ut adnexum rei ſpirituali eſt materia Simoniæ, ideo vendi non poteſt, quia ut ſic cenſetur res ſacra, cùm habeatur ratio rei ſacræ, & res materialis non ſpectetur abſolutè, ſed ſub reſpectu, & ratione rei ſpiritualis; res autem ſpiritualis vendi non poteſt, nec eſt materia venditionis: ſi verò adnexum antecedenter ſpirituali per ſe ſpectetur non eſt materia Simoniæ, unde ſine labe Simoniæ vendi poteſt: quia ſecundum ſe eſt pretio æſtimabile, nec valorem, & æſtimationem ſuam amittit ob conjunctionem cum ſpirituali, ſi ſpectetur abſque relatione ad ſpirituale.

3 Jus patronatus vendi non poteſt; quia eſt aliquid antecedenter adnexum rei ſpirituali, idem dic de ipſa præſentatione, ſeu actu præſentandi: quia eſt actio ſpiritualis, unde præſentans non poteſt ob præſentationem imponere onus præſentato, ad quod alias non tenebatur; quia præſentatio eſt actio ſpiritualis, unde gratis fieri debet, bona autem juris patronatus cariùs vendi non poſſunt ob jus patronatum illis adnexum; quia ipſum jus eſt ſpirituale, & non eſt pretio æſtimabile, ſed ipſa bona ſunt pretio æſtimabilia, ideo vendi poſſunt, quantum ex ſe æſtimantur, non habita ratione juris patronatus; alioquin ipſum jus vendi cenſetur.

4 Adnexum ſpiritualibus comitanter eſt materia Simoniæ, quia eſt intimè conjunctum rei ſpirituali: Sic adnexum ſpiritualibus conſequenter eſt materia ſimoniæ, unde vendi non poteſt abſque ſimonia; quia cùm pendeat à ſpirituali tamquam acceſſorium à principali; vendi non poteſt ſine principali: ſed principale eſt materia ſimoniæ: ergo etiam acceſſorium: ergo vendi non poteſt niſi venditio fiant auctoritate Summi Pontificis: cum enim bona temporalia auctoritate ipſius adnexa fuerint juri ſpirituali, poſſunt etiam ipſius auctoritate ſeparari, & facta realiter vel per intentionem ſeparatione vendi: quia facta ſeparatione non habent rationem acceſſorii, ſed principalis: ideo non ſequuntur tunc naturam ſpiritualis, cùm illi adnexa non cenſeantur.

5 Beneficiarius, qui beneficium alicui reſignat, non poteſt quicquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiam ſi intendat aliquid exigere ratione fructuum, quia exigens ratione fructuum, incurrit etiam Simoniam juris divini: quia accipitur temporale pro ſpirituali, nam qui beneficium alteri conferr, exigendo aliquid pro fructibus, cenſetur illud exigere pro ipſo beneficio, ſeu titulo, quia vendit fructus obtinendos titulo beneficii, unde etiam cenſetur vendere titulū beneficii, & ſic vendit ipſum titulum ſpiritualem, ideo ſimoniam committit contra jus divinum.

6 Epiſcopus non poteſt quicquam exigere, dum confert alteri beneficium, etiam ſi hoc facere intendat intuitu temporalis incommodi: nam ſi ſpectemus beneficium ut continet titulum ſpiritualem, certum eſt vendi non poſſe, cùm titulus beneficii ſit jus quoddam ſpirituale: ſi verò ſpectetur beneficium ratione præbendæ, ideſt emolumentorum, neque poteſt vendi: quia Epiſcopus jure poſitivo prohibente, ſeparare

rare

rare non poteſt fructus, & emolumentorum beneficii; nec facere poteſt, ut jus ad fructus beneficii acquiratur, niſi ratione juris, & tituli ſpiritualis, nam jure communi ſancitum eſt, ut Epiſcopi conferant beneficia ſine diminutione c. prohibemus de cenſibus: excipiciuntur tamen nonulli caſus à D.D. Primus eſt, quando Epiſcopus ſeparat Eccleſiam ſui juris à ſua dignitate; tunc enim poteſt aliquid in recognitionem antiqui juris, & ſuperioritatis reſervare ſuæ ſedi cap. conſtitutus de Religioſ. domib. Secundus eſt dum Senex beneficium renunciat: tunc enim putant aliqui D. D. Epiſcopum poſſe reſervare penſionem ad vitam reſignantis propter ſenium: Tertius eſt in tranſactionibus, & concordia litium, in quo caſu aliqui D.D ſentiunt Epiſcopum poſſe penſionem perſonalem imponere cap. de cetero de tranſact.

7 Papa non poteſt in collationibus beneficiorum quicquam exigere in ſui, vel alterius favorem ſi beneficium ſpectetur ratione tituli ſeu juris ſpiritualis; quia titulus eſt aliquid ſpirituale: ſimonia autem contra jus Divinum committitur accipiendo temporale pro ſpirituali, unde Papa eſt reus ſimoniæ ſi exigat temporale pro beneficio, non facta ſeparatione præbendæ à titulo: cum enim jus ad fructus acquiratur ratione juris ad divinum officium, ſequitur vendentem jus ad fructus: vendere etiam jus ad Divinum officium, cum jus ad fructus ſit aliquid ſpirituale conſequenter. Si vero beneficium ſpectetur ratione præbendæ, ſeu emolumentorum, exiſtimo Papam poſſe aliquid exigere ratione præbendæ aut illam vendere: quia Papa ſi non eſt Dominus, eſt ſaltem adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum cum maxima facultate, & jure: ergo poteſt uni conferre beneficium tantum, reſervata ſibi, vel alteri reliqua parte Pontifex igitur tradens alicui beneficium cum onere penſionis non eſt ſimoniacus; quia penſio non habet vim pretii, nec Papa quicquam accepit à penſionario, quod ſit ipſius penſionarii, ſed Papa ſibi reſervat jus circa fructus beneficii ad congruam ſui, vel alterius ſuſtentationem, & quia hæc fructuum reſervatio non fit in perpetuum, ſed ad tempus, ideo imponitur beneficiario onus illam ſolvendi. Immo Papa poteſt imponere penſionem, & nolle beneficium conferre, niſi illi, qui vult penſionem ſolvere, non enim petit penſionem pro titulo, ſed ratione fructuum, ad quos jus ſibi, vel alteri reſervat, & in hoc caſu duo concurrunt: quorum unum eſt datio beneficii, & ejus acceptatio, alterum eſt impoſitio penſionis: unum tamen non miſcetur cũ alio, ſed Papa non vult unum ſine alio celebrare: poteſt etiam Papa recipere, aut facultatem conferre alteri ad recipiendum illum valorem penſionum, ſeu penſiones anticipatas: quia ſicut penſio ſtatim ac impoſita eſt, redimi poteſt, & Papa concedere poteſt facultatem, ut redimatur: Ita etiam poteſt imponere onus, ut penſio ſtatim redimatur, Papa enim non exigit temporale pro ſpirituali ſed mente, & intentione facit ſeparationem fructuum, & emolumentorum à titulo, & ex illis certam partem reſervat, eamque ſtatim ſibi vult perſolvi; in quo caſu non facit injuriam beneficiario, cum Papa ſit adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum cum plena poteſtate, ut poſſit beneficium libere conferre, vel cum onere habita ratione commodi temporalis, quod mente ſeparat à titulo. Reſignans vero Epiſcopatum alteri cum penſione, qua poſita non remanerent mille reſignatario juxta Conc. diſpoſitionem, poteſt de licentia Papæ cum reſignatario convenire, & debitam cautionem extorquere, ut reſignatarius ſtatim capta Epiſcopatus poſſeſſione redimat penſionem conventis annatis.

* *Nota, quod ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. damnata fuit hæc propoſitio. Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre tenebatur.*

Utrum Simonia committatur in permutatione beneficiorum, aliarumve rerum ſpiritualium. *Cap. 486.*

1 NOn committitur Simonia contra jus divinum tradendo, ſeu commutando ſpirituale pro ſpirituali: quia Simonia conſiſtit in comutatione rei ſpiritualis pro pecunia: ſed res ſpiritualis non eſt pecunia: quia non eſt pretio æſtimabilis nam nomine pecuniæ intelligitur omne

id quod eſt pretio æſtimabile, ſed Simonia committitur dum pro ſpirituali traditur res temporalis. Committitur Simoniæ crimen contra jus Canonicum, dum de privata auctoritate aliquid fit circa permutationem, ſeu proviſionem beneficiorum c. quæſitum & alia. Eccleſia autem vetuit omnes pactiones in beneficiis ob periculum, ſuſpicionem, & occaſionem Simoniæ: in permutationibus autem non committitur Simonia contra jus divinum, modo permutationes ſimpliciter, & purè fiant ſine interventu pecuniæ, vel alterius rei temporalis: tunc enim ſolum committitur Simonia contra jus divinum. Permutantes beneficia privata auctoritate peccant quidem contra jus divinum, & rei ſunt Sacrilegii, & injuſtitiæ; quia ſpiritualia indigne tractant, & juriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi uſurpant; hoc tamen peccatum non eſt Simonia, quia non intervenit emptio ſpiritualis pro temporali: Committitur tamen Simonia contra jus humanum in commutationibus actionum pertinentium ad proviſiones beneficiorum; quia omnia pacta in beneficialibus probibita ſunt: ſic committitur contra jus humanum permutando privata auctoritate beneficium cum Vicaria Temporali ad nutum amovibili; vel dum permutatur privata auctoritate beneficium cum penſione; quæ non fuit erecta in beneficium, vel dum beneficium cum beneficio permutatur impoſita ſimul penſione ad æquandos fructus; volentes etiam permutare poſſunt inter ſe agere de permutatione facienda; ſimulque præſtare conſenſum, & inter ſe concludere, non quidem abſolute, ſed in ordinem ad conſenſu prælati.

2 Permutatio autem facienda coram proprio Epiſcopo loci, in quo ſitum, beneficii cum beneficio, non vero beneficii cum penſione, & modo permutatio pure fiat; quia Epiſcopo datur facultas admittendi permutationes beneficiorum in c. quæſitum, de rerum permutat. nomine Epiſcopi intelligo, qui juriſdictionem habet Epiſcopalem; etiam ſi forte dignitatem Epiſcopalem non habeat, ob id Abbas, aut Capitulum ſede vacante, aut alius Epiſcopali juriſdictione gaudens poteſt permutationem facere, & approbare, niſi aliud aliquibus in locis ferat legitima conſuetudo: quia hæc facultas convenit ſuperiori ratione juriſdictionis, non vero ratione dignitatis: Epiſcopi autem volentes permutare aliqua beneficia, quæ ipſi poſſident, poſſunt permutationem facere coram Archiepiſcopo ipſorum, vel Primate, vel Patriarchas .n. eſt illorum ſuperior, & eſt inſtar proprii Epiſcopi: permutatio etiam fieri poteſt coram Epiſcopo unius beneficii cum alio: etiam ſi beneficium ſit dignius, alterum tenuius modo permutatio pure fiat: non poteſt autem privata auctoritate, vel etiam auctoritate Epiſcopi permutari beneficium cum penſione temporali, aut commenda militari, vel alia re temporali, alioquin committeretur Simonia, non ſolum juris Canonici; verum etiam Divini. Nec poteſt coram Epiſcopo fieri permutatio cum pacto, ut unus ſolvat omnes expenſas, vel expediat ſuis ſumptibus Bullas ad utrumque pertinentes: quia non eſt pura permutatio: tamen coram Papa fieri poteſt, ſi hoc exprimatur, & ipſe conſentiat. Non poteſt auctoritate Epiſcopi fieri permutatio benefii pinguioris cum tenuiori, accepta penſione temporali, aut pecunia, vel alia re pretio æſtimabili, quin Simonia contra jus divinum committatur: quia ſequeretur ſi unum beneficium nullos haberet fructus & aliud haberet, poſſe hujuſmodi beneficia permutari, exigendo pecuniam omnibus illis fructibus reſpondentem, quod eſt falſum. Poteſt autem auctoritate Papæ inæqualitas proventuum beneficii compenſari non ſolum annua penſione, verum etiam numerata pecunia, permittendo ſcilicet, ut ille qui pinguius beneficium recipit, det aliquid alteri non in ſtipendium permutationis, ſeu in compenſationem pro fructibus ſpiritualibus, ſed in congruam ſuſtentationem illius, qui tunc beneficium recipit: Pontificis enim munus eſt curare, ut uterque congruam habeat ſuſtentationem. Quando autem beneficia ſunt inæqualia ratione dignitatis, ſeu rei ſpiritualis, non poteſt exceſſus, ſeu inæqualitas ſuppleri pecunia, vel alia re pretio æſtimabili, quia tunc daretur ſpirituale pro temporali.

Utrum Simonia committatur occaſione penſionum. Cap. 487.

1 PEnſio, quæ ex bonis Eccleſiaſticis percipi poteſt duplex eſt, alia eſt ſpiritualis, ſeu Clericalis, alia temporalis, ſeu Laicalis. Penſio temporalis, & Laicalis, eſt

eſt illa, quæ Laicis tribuitur, ſeu quæ ob cauſam merè temporalem, & humanam confertur. Penſio ſpiritualis eſt illa, quæ non traditur ſolùm ob titulum temporalem, ut eſt penſio, quæ ſolùm Clericis traditur, & Clericatum ſupponit in recipiente penſionem. Penſio temporalis non eſt materia Simoniæ ſaltem contra jus divinum: quia eſt res temporalis pretio æſtimabilis, non enim fundatur in titulo ſpirituali, neque ad functionem ſpiritualem refertur, & propterea vendi, & redimi poteſt abſque Simonia ſaltem contra jus divinum. Penſio autem Clericalis eſt materia Simoniæ non ſolùm contra jus humanum, verum etiam contra jus divinum, nam jure novo ubi recepta eſt Bulla Pii V. penſio eſt materia Simoniæ non ſolùm contra jus Canonicum, verùm etiam contra divinum, quia penſio ut ſic eſt aliquid ſpirituale, nam poſita conſtitutione Pii V. penſioni eſt adnexum onus recitandi parvum B. V. Officium; ideo eſt adnexa rei ſpirituali, confertur n. cum onere, & titulo ſpirituali, ergo eſt materia Simoniæ, etiam contra ius divinum, unde vendi non poteſt abſque Simonia contra jus divinum.

2 Simonia committitur à Titio qui nominatus fuit ad penſionem pro ſe, vel pro alio quem vellet: & cedit Cajo cum conditione Papæ non expreſſa, ut Cajus ſibi ſolvat omnes fructus, quamdiu ipſe Titius vixerit. Nec Penſionarius poteſt penſionem transferre accepto pretio, vel reſervatis ſibi fructibus, vel parte, etiam ſi habeat facultatem transferendi penſionem, quia rem pretio æſtimabilem accipit pro re ſpirituali, nec penſionarius poteſt penſionem anticipatis quibuſdam ſolutionibus extinguere privata auctoritate, quia obſtat Curiæ ſtylus. Beneficiarius non poteſt penſionem privata auctoritate redimere: quia ſtylo Curiæ receptum eſt, ut penſio non redimatur abſque conſenſu Papæ, modò penſio valida ſit Penſionarius tenetur officium recitare, quamdiu retinet commodum penſionis Penſionarius non eſt reus Simoniæ liberè cedendo penſioni propria auctoritate, quia gratis remittit jus, modò non ſit ordinatus ad titulum penſionis. Penſionarius poteſt alteri vendere, vel donare fructus ſuæ penſionis, etiam ad totam ſuam vitam abſque Simoniæ labe, modò penſionarius titulum retineat penſion s.

Utrum Simonia committatur in reſignatione beneficiorum. Cap. 488.

1 Reſignatio tripliciter fit Primò, purè ideſt ſine onere penſionis, vel alterius oneris, & abſolutè, ideſt abſque deſignatione perſonæ, cui beneficium confertur. Secundò non purè. Tertiò non abſolutè, ſed cum deſignatione perſonæ. Reſignatio beneficii pura, & abſoluta licita eſt, & non Simoniaca, quia nihil datur, vel recipitur pro hujuſmodi reſignatione. Reſignatio beneficii non pura labem Simoniæ continet ſi coram Prælato inferiore Papæ fiat: ſic committitur Simonia faciendo coram Epiſcopo reſignationes reciprocas, cùm non ſit pura, & in jure vetita eſt omnis pactio. Reſignatio beneficii non abſolutè facta, ſed cum deſignatione ſucceſſoris illicita eſt, & invalida, quia ex Bulla Pii V. 58. ſtatuitur; ne reſignationes coram Epiſcopis, vel aliis collatoribus fiant cum pacto, ſeu conditione, vel deſignatione futuri ſucceſſoris, cui reſignans intendit beneficium conferri.

An tranſactio ad componendam & dirimendam litem in rebus ſpiritualibus Simoniæ labem contineat. Cap. 489.

1 Tranſactio eſt pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta, ad litem dirimendam, ſeu debet eſſe de ea re, de qua lis, ſeu diſcordia exercita ſit, vel excitari poſſit, unde timor litis excitatæ, vel excitandæ de jure, vel de facto ſufficit ad validam tranſactionem: & hæc eſt differentia inter tranſactionem, & condonationem, ſeu ceſſionem, ſeu compoſitionem amicabilem, quia tranſactio eſt contractus oneroſus, quo una res cum alia permutatur, ceſſio verò, ſeu amicabilis compoſitio eſt contractus gratuitus, ſeu gratuita donatio, quæ duobus modis fieri ſolet. Primo dum altera pars liberaliter cedit juri ſuo, & à lite deſiſtit, quod licitè fieri poteſt, etiam ſi cedens poſt factam liberam ceſſionem ſuorum jurium, donum ex gratitudine oblatum recipiat. Secundò quando litigantes amicabiliter promittunt ſtare judicio alicujus viri prudentis, ut lis deferatur ab eo quem arbiter judicaverit minus probabile jus habere; & in his caſibus

non eſt neceſſaria Prælati auctoritas, niſi poſt datum arbitrium, aut niſi poſt gratuitam compoſitionem, ſeu ceſſionem facienda eſſet nova inſtitutio, aut renuntiatio: ſic etiam tranſactio duobus modis fieri poteſt. Primo compenſando rem ſpiritualem cum temporali; Secundo compenſando rem ſpiritualem cum ſpirituali

2 Tranſactio Simoniaca eſt, dum in tranſactione remittitur, aut retinetur, jus ſpirituale pro temporali, quia venditur jus ſpirituale pro temporali: unde Simonia committitur faciendo tranſactionem circa reliquias tradita vel accepta pecunia, & litem componere circa beneficium accepta, vel tradita alteri pecunia, & ſi lis præſentandi pecunia terminetur, & faciendo tranſactionem circa juriſdictionem ſpiritualem, tradita alteri pecunia. Tranſactio autem circa rem ſpiritualem non eſt Simoniaca, dum res ſpiritualis compenſatur largitione, ceſſione alterius rei, ſeu juris ſpiritualis proportionati, modo fiat in materia beneficiali, quia traditur res ſpiritualis pro ſpirituali: ad valorem autem tranſactionis in aliquibus caſibus requiritur auctoritas legitimi Prælati Primo quando res, quæ alteri in compenſationem traditur, non eſt pars litis, & talis eſt, ut in alterum transferri, aut alienari non poſſit abſque Prælati auctoritate: Secundo ſi tranſigentes intendunt tranſactionem perpetuam facere, quæ ſucceſſores etiam afficiat. Tranſactio autem in materia beneficiali poteſt fieri auctoritate Epiſcopi, quia nullum jus prohibet hujuſmodi tranſactionem fieri auctoritate Epiſcopi: qui cauſa litis dirimendæ poteſt penſionem ipſimet beneficiario imponere ad vitam ipſius beneficiarii, non vero ſuper beneficio: quia cum non agtur de jure beneficii ſed ipſius beneficiarii par non eſt ut beneficium obligetur, ſed perſona: quæ penſio imponi poteſt ex prævia petitione, & requiſitione partium, modo partes non abſolute inter ſe convenerint de hujuſmodi penſione, & poſtea illius confirmationem petant ab Epiſcopo: quia peti poteſt ab Epiſcopo, quod ab eo fieri poteſt. Epiſcopus etiam, vel arbiter poteſt pluribus de cauſis aliquid temporale applicare parti cedenti juri ſuo. Primo propter bonum pacis, Secundo ratione æquitatis innixæ neceſſitati alimentorum: quam patitur is, qui juri ſuo ad beneficium cedit, Tertio ratione laboris, & expenſarum, quas fecit in proſecutione litis; has .n. conſtat eſſe pretio æſtimabiles, partes autem litigantes circa aliquod beneficium poſſunt de communi conſenſu eligere, quia hoc nullibi vetitum eſt.

Utrum Simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus juriſdictionis fori interni. *Cap.* 490.

1 Simonia committitur dando, vel accipiendo aliquid pro actibus juriſdictionis fori interni, quia datur temporale pro ſpirituali: actus enim juriſdictionis fori interni ſunt ſpirituales, unde ſimonia committitur tradendo, vel accipiendo pecuniam pro facultate audiendarum confeſſionum, pro impendendo abſolutionem à cenſuris, quia ſunt actus ſpirituales, ſic committitur tradendo aliquid pro conceſſione, vel applicatione Indulgentiarum quia eſt actus ſpiritualis poteſtatis: ſic dando, vel accipiendo pecuniam pro levi pœnitentia imponenda in Sacramento confeſſionis; quia eſt actus clavium, ideſt pertinens ad poteſtatem ordinis, & juriſdictionis. Non autem eſt ſimoniacus Confeſſarius imponens pænitenti eleemoſynam, ſeu ſolutionẽ certæ pecuniæ in ſatisfactionem peccatorum, ſi hujuſmodi onus ſimpliciter imponat in ſatisfactionem peccatorum, nam eleemoſyna eſt opus ſatisfactorium dummodo Confeſſarius non cogat pœnitentem tradendo obligationem ſibi, tunc enim ſimonia eſſet, quia illa obligatio eſt pretio æſtimabilis.

Utrum ſimonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus juriſdictionis fori externi, vel pro cooperatione ad hujuſmodi actus. *Cap.* 491.

1 Simonia non committitur dando, vel accipiendo temporale pro actibus juriſdictionis Laicæ, & temporalis, ſeu politicæ, quia non datur temporale pro ſpirituali cum actus juriſdictionis laicæ ſit temporalis, nec res ſacra: quare Judex ſecularis ferens ſententiam in cauſa temporali pro pecunia, non eſt ſimoniacus, injuſtitiam tamen committit, dum gratis judicare

Digitized by Google

care debet: ſic Prælatus, habens propriam juriſdictionem temporalem non eſt ſimoniacus accipiendo aliquid pro actibus juriſdictionis temporalis: Simonia committitur tàm dando, vel accipiendo temporale pro juriſdictione Eccleſiaſtica voluntaria vel contentioſa quàm dando, vel accipiendo temporale pro actib9s juriſdictionis Eccleſiaſticæ gratioſæ, vel contentioſæ; quia non ſolùm ipſa juriſdictio Eccleſiaſtica eſt aliquid ſpirituale: verum etiam ipſius actus, & propterea ſimonia committitur: dum pretio confertur Beneficium, vel dignitas Eccleſiaſtica, & ſic non poteſt conſtitui Vicarius Epiſcopi, aut Capituli, vel Parochi, aut Capellanus pretio abſque ſimoniæ labe. Si autem Stylo Romanæ curiæ receptum eſt, ut aliquid tradatur pro diſpenſationibus, quæ ſunt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, non traditur pecunia pro ipſa diſpenſatione; ſed pro ſuſtentatione Summi Pontificis, & labore, & onere officialium: Sic Summus Pontifex vendendo officia, ut Auditoratum Cameræ, & alia, quibus adnexa eſt facultas exercendi juriſdictionem Eccleſiaſticam non incurrit, quia non vendit hujuſmodi officia ratione juriſdictionis illius adnexæ; ſed ratione emolumentorum: gratis. n. confert juriſdictionem ſpiritualem, emolumenta verò, vel eorum partem ſibi reſervat, aut jus ad illa vendit.

Quænam perſonæ poſſint ſimoniæ labem committere. Cap. 492.

1 OMnes cujuſcumque conditionis homines culpam ſimoniæ juræ naturali, & Divino vetitæ contrahere poſſunt quia omnes, etiam Papa, juri naturali & Divino ſubiiciuntur; quare Papa reus eſt criminis ſimoniæ tradendo Spirituale pro temporali, vel temporale pro Spirituali, ut ſi Sacramenta, vel ordines conferat pretio, & Hæretici etiam, pagani, & infideles peccato ſimoniæ ſubiici poſſunt, ut ſi Baptiſmum, vel ordinem, vel Epiſcopatum emant pro filio; vel alia ratione ſpirituale tradant, vel recipiant prævia pecunia; quia etiam infideles juri naturali, & divino ſubiiciuntur: iſti autem committentes ſimoniæ crimen, vel in eo communicantes non ſubiiciuntur cenſuris, & pænis ab Eccleſia latis contra ſimoniacos; poſſunt tamen extraordinaria pœna puniri ſi principibus Chriſtianis temporaliter ſubiecti eſſent; cum Deo autem non poteſt committi ſimonia, ſaltem contra jus naturale Divinum niſi forte ex conſcientia erronea; quia ſimonia committitur tradendo temporale pro Spirituale: ſed Deo nihil tradi poteſt, cuius antea Dominium non haberet, cùm ipſe ſit univerſorum Dominus, Omnes cujuſcumq; conditionis homines baptizati ſimoniam iure Canonico prohibitam incurrere poſſunt; quia omnes homines baptizati ſubiiciuntur legibus Eccleſiaſticis generaliter latis & propterea Papa poteſt culpam ſimoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere ſi rei naturam præcisè ſpectemus; quamvis enim Papa ſuis legibus non ſubiicatur, materia legis eſt communis Papæ, & ſubditis, & ſecum in ea lege non diſpenſat: ſic poſſunt ſimoniam committere Cardinales, & alii Papæ inferiores pro diverſis rationibus, ſcilicet vendentes, vel ementes, vel tradentes temporalia pro ſpiritualibus, & e contra. Quando autem quis contrahit in materia ſpirituali cum Papa, vel cum aliquo ipſius miniſtro de conſenſu expreſſo, vel tacito Papæ; ſi contrahit in materia ſimoniæ iure divino, & naturali vetitæ incurrit culpam ſimoniæ, quia tam ipſe, quàm Papa iuri naturali & divino ſubiicitur, & Papa in iure naturæ, vel divino diſpenſare non poteſt: ſi verò contrahit in materia ſimoniæ iure ſolum Canonico prohibitæ, vel introductæ non incurrit culpam ſimoniæ: quia cenſetur Papam diſpenſare: Non excuſatur a ſimoniæ culpa contra ius canonicum, qui ſimoniam ſolo iure poſitivo prohibitam exercet ſciente, & diſſimulante Pontifice, niſi adſit talis ſcientia, tolerantia, & conſuetudo, ut iudicio prudentum ea lex ſublata cenſeatur.

Utrum

Utrum aliquis titulus aſſignari poſſit, propter quem tradens, vel accipiens temporale occaſione ſpiritualis excuſari poſſit à labe ſimoniæ.

Utrum occaſione rei ſpiritualis accipi poſſit aliquid temporale titulo liberalitatis, vel gratitudinis.

Cap. 493.

1 NOn committitur ſimonia dum occaſione rei ſpiritualis accipitur pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis, non tamquam pretium rei, ſed gratis, vel titulo gratitudinis, & non in pretium rei ſpiritualis; ſicut etiam non committitur ſimonia dum occaſione rei temporalis accipitur, vel traditur aliquid ſpirituale, non tamquam pretium rei temporalis, ſed gratis, ſeu titulo gratitudinis; quia quod gratis datur non datur tamquam pretium: ſimonia autem committitur dum traditur pretium pro re ſpirituali; nec committitur ſimonia tradendo aliquid alteri ex gratitudine, ſeu in remunerationem obſequiorum, ut ſi Prælatus beneficia conferat iis, qui de ipſo bene meriti ſunt; Poteſt etiam quis tradere aliquod donum vel obſequium, ſperans, ſeu intendens obligationem antidoralem ſeu aliquid ſpirituale ex gratitudine obtinendum, quia qui poſt acceptum liberaliter temporale donum, tradit ſpirituale intentione adimplendi antidotalem, obligationem, non committit ſimoniam, etiam ſi verbis exprimat, quia non datur ex obligatione juſtitiæ; donum.n.gratuitum rependitur, non tamquam debitum ex juſtitia, neque ut quid commenſurativum rei acceptæ, vel ad obtinendam remiſſionem obligationis gratitudinis, quæ naturaliter conſequitur. Committitur autem ſimonia deducendo in pactum antidoralem obligationem; ut ſi aliquid ſpirituale tradatur; cum pacto, ut recipiens ſit gratus, vel cum pacto, ut antidoralem obligationem adimpleat quia in mutuo committitur uſura deducendo in pactum hujuſmodi obligationem: ergo etiam committitur ſimonia in traditione, vel promiſſione rei ſpiritualis pro temporali, vel è contra; quia pro re ſpirituali imponitur onus pretio æſtimabile, & propterea ſimonia committitur, dum quis aliquid ſpirituale tradit alteri cum pacto, ut obſequium ſibi præſtet, vel rem pretio æſtimabilem præbeat vel agat.

* *Nota, quod ab Innocentio XI die 2. Martii 1679. damnatæ fuere hæ duæ propoſitiones. Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel offerendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imo etiam ſi finis ipſius rei ſpiritualis ſit, ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.*

Utrum titulo ſuſtentationis aliquid tradi, vel accipi poſſit abſque ſimonia.

Cap. 464.

1 NOn committitur ſimonia dum pro obligatione actionis ſpiritualis accipitur aliquid titulo ſuſtentationis, quia ſimonia committitur, dum pro re ſpirituali accipitur aliquid temporale in debitum: accipiendo autem aliquid titulo ſuſtentationis pro re ſpirituali, non accipitur aliquid indebitum, cum ſuſtentatio jure naturæ debeatur, unde excuſantur miniſtri Eccleſiaſtici accipientes pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine, vel legibus Eccleſiæ præſcribentibus aliquid dari pro certis muneribus; hæc n. non dantur tamquam pretium rei ſpiritualis, ſed in ſtipendium, ſeu ſuſtentationem; quæ ſuſtentatio deduci poteſt in pactum; quia quilibet in pactum adducere poteſt, quod ſibi iure naturæ debetur, & licet plures extent Canones, in quibus generaliter interdictum eſt omne pactum in ſpiritualibus, tamen in præfatis textibus non compræhenditur ſuſtentatio, quæ iure naturæ debetur.

Utrum pro labore extrinſeco aliquid tradi, vel accipi poſſit abſque labe ſimoniæ.

Cap. 495.

1 COmmittitur ſimonia accipiendo aliquid pro labore intrinſeco, vel extrinſeco actioni ſpirituali; quia labor iſte non diſtinguitur ab ipſa actione ſacra; ſed unum opus componit, quod totum ſacrum eſt, unde tamquam ſacrum tractandum eſt, & labor operis non eſt dignus alia æſtimatione, quam ipſum opus, cum intrinſecè con-

conjunctus ſit, ipſimet operi; ſed ipſum opus non habet æſtimationem, cùm ſit aliquid ſpirituale, & ſacrum, ergo neque illam habet labor intrinſice conjunctus operi ſacro & ſpirituali, ergo qui vendit laborem, ſine quo opus ſacrum, & ſpirituale non fit, non cenſetur derelinquere opus ſpirituale invenditũ, & ideo ſimoniam committit: ſi vero accipiatur pro labore extrinſeco aliquid ſeu per accidens adiuncto operi ſacro, vel ſpirituali, ſub titulo ſuſtentationis, non committitur ſimonia; quia hujuſmodi labor in ſe eſt aliquid temporale, & pretio æſtimabile neque æſtimationem, & valorem amittit ob coniunctionem ad opus ſpirituale, & propterea non committitur ſimonia accipiendo aliquis pro labore in faciendo ſacro, in baptizando, &c nec à concionatore, qui magna animi, & vocis contentione concionatur, ob idque valdè deſatigatur: nec à Sacerdote accipiente pecuniam pro labore, & deſatigatione in canenda alta voce Miſſa, nec à Sacerdote accipiendo pretium pro longo itinere, quod ſuſcipit cauſa celebrandæ Miſſæ: hoc. n. opus extrinſecum eſt celebrationi.

Utrum titulo privationis libertatis, vel alterius commodi temporalis aliquid tradi, vel accipi poſſit abſque culpa ſimoniæ. Cap. 496.

1 NOn committitur ſimonia accipiendo aliquid titulo privationis libertatis ad alia opera utilia, quæ quis eo tempore præſtitiſſet, quia privatio hujuſmodi libertatis eſt pretio æſtimabilis: ergo aliquid pro ipſa accipi poteſt habita ratione commodi, quod veriſimiliter capere potuiſſet, ſi ſe tali obligatione non obſtrinxiſſet; quia in mutuo accipi poteſt pretium titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis: ergo etiam in obligatione, quam ſibi imponit ad opus ſpirituale peragendum; unde excuſatur à ſimonia ille, qui pecuniam accipit, non ſimpliciter, ut procuret alteri beneficium: ſed habita ratione in ſcribendo laboris, iter peragendo in expenſis faciendis, in privatione lucri, & commodi temporalis, quo ſe ea de cauſa privat, & ſimilibus.

Utrum titulo redimendæ vexationis excuſet à crimine ſimoniæ tradentem aliquid temporale. Cap. 497.

1 INiuſta vexatio excuſat à labe ſimoniæ dum pecunia traditur ad tollendam ipſam iniuſtam vexationem, quam quis patitur circa rem ſpiritualem, quia traditur temporale pro temporali, non pro ſpirituali: ipſa. n. vexatio eſt temporale impedimentum: Simonia autem non committitur dum temporale traditur pro temporali: modò res quæ traditur ad tollendam Iniuſtam vexationem non ſit res ſpiritualis, ſed temporalis: modo vexatio ſit iniuſta, vel ut alii loquuntur, ut ſit vexatio de facto, non de iure: ſecus ſi vexatio iuſta ſit: tunc enim non licet media pecunia tollere vexationem qua parte iuſta eſt; quia pecunia tradi videretur pro acquirenda re ſpirituali, cuius acquiſitionem impendit vexatio; quamvis enim pecunia immediate tradatur pro vexatione; mediatè tamen traditur pro ipſa re ſpirituali ad quam paratur via media pecunia, & moraliter loquendo tradi cenſetur pro ipſa re ſpirituali: modo vexatio non ſit in beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis; quoties vexatus tollere intendit vexationem illatam ab eo, qui obeſſe poteſt, & prodeſse in tali materia: tunc enim ſimonia committitur.

2 Non committitur ſimonia tradendo pecuniam ſubornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit electores, ne me ipſum eligant: non enim datur pecunia, ut me ipſum eligat, ſed ne damnum mihi inferat, vel ne corrumpat electores: nec committitur tradendo pecuniam illi, qui per vim, vel fraudem me detinet, ne concurram cum ipſius amico in petitione beneficii, aut qui me apud Epiſcopum infamat, ne beneficium mihi conferatur: quia pecunia traditur pro ceſſatione damni, & pro redemptione vexationis, quam alter mihi infert contra meam libertatem, & famam; ad quam ego habeo ius acquiſitum: nec committitur ſimonia tradendo pecuniam teſti pro dicenda veritate: qui aliter non vult teſtari quam pretio accepto; nam redimitur vexatio, ſeu impia obſtinatio teſtis nolentis alia ratione teſtari. Electoribus volent bus eligere hæreticum, vel ſchiſ-

ſchiſmaticum, aut alium alia ratione indignum tradi poteſt pecunia, ne illum eligat. Secus dicendum ſi pecunia tradatur eo fine, ut omiſſo indigno, vel minus digno, eligatur dignior, tunc enim traderetur pecunia pro electione, quod eſt aliquid ſpirituale.

Utrum conſuetudo excuſare poſſit à labe ſimoniæ traditionem, vel acceptionem rei temporalis pro ſpirituali.
Cap. 498.

1 Conſuetudo non eſt titulus ſufficienter excuſans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro ſpirituali per modum pretii; quia hoc eſt intrinſice malum, & ſimoniacum contra ius naturale, & divinum: nulla autem conſuetudo induci poteſt, quæ ius naturale, vel divinum abroget: ſecus dicendum eſt de ſimonia ſolo iure humano inducta, quæ conſuetudine poteſt abrogari, dicendum eſt conſuetudinem eſse titulum ſufficientem ad excuſandum à ſimonia contra ius humanum. Qui autem officio miniſtrare tenentur, & redditus ad ſuſtentationem aſſignatos habent, poſsunt per conſuetudinem acquirere ius ad maiores proventus, ſaltem titulo ſuſtentationis: quia fieri poteſt, ut huiuſmodi conſuetudo laudabilis ſit, honeſta, & pia: quæ in hac materia approbatur: ſecus dicendum, ſi ſpeciem, & ſuſpicionem aliquam ſimoniæ, vel turpis avaritiæ habeat: quæ induci non poteſt.

De pœnis contra ſimoniacos latis, & de ipſarum diſpenſatione.

Quas cenſuras inducat ſimonia.
Cap. 499.

1 Contra ſimoniam confidentialem duæ præſertim conſtitutiones, excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ, pœnam continentes, emanarunt: quarum prima eſt Pii IV. 85. in ordine: altera eſt 45. Pii V. Simonia confidentialis in beneficiis contingere ſolet in reſignatione, hoc animo ut beneficium, vel fructus in totum, vel in partem reſtituantur, vel reſerventur ipſimet reſignanti, conferenti, eligenti, vel præſentanti aut alteri iuxta ipſius electionem. Materia iſtius excommunicationis eſt receptio beneficii in confidentiam, & quæ quatuor modis contingit: Primus modus eſt dum recipitur beneficium ab altero, qui hoc ipſi reſignat cum ſpe, & confidentia, ut recipiens beneficium, illud poſtea dimittit, vel ſolvat fructus in favorem reſignantis, vel amici, vel alterius, quem reſignans nominaverit, quæ reſignatio, & receptio ſub prædicta confidentia non eſt vetita ſub excommunicatione: quia Pius IV & Pius V. loquuntur de recipiente, non de reſignante, & requiritur, ut reſignans cum hac ſpe reſignet, & reſignatarius iſtum reſignantis animum animadvertat: etiam ſi recipiens hunc animum non habeat, nam eo ipſo, quo reſignatarius advertens illum reſignantis animum recipit beneficium, cenſetur tacitè conſentire, ſimoniam committere, & propterea dum recipiens beneficium, non animadvertit ſpem, & confidentiam reſignantis, nec recipit beneficium in confidentia, nec cum illa ſpe, labem ſimoniæ non participat: nec afficitur excommunicatione, qui recipit beneficium animo illud poſtea reſtituendi danti, aut eius amico, vel alteri: ſed reſignans non habebat hanc ſpem, & confidentiam: quæ requiritur ad committendam ſimoniam confidentialem: nam ſimonia confidentialis originem trahit à ſpe, & confidentia ipſius reſigantis: Secundus modus, quo ſimonia confidentialis in beneficiis committitur, contingit, dum quis confert alteri beneficium confidens, quòd beneficiarius reſignabit beneficium iuxta voluntatem conferentis, aut fructus, vel eorum partem, vel penſionem tradet ſibi, vel alteri, Tertius modum eſt dum quis eligit aliquem ad beneficium cum ſpe, & fiducia iam explicita in ſecundo modo: Quartus modus eſt dum patronus licet laicus aliquem præſentat cum præfata confidentia: Quæ excommunicatio incurritur ſtatim ac beneficium cum præfata intentione acceptum eſt: receptio. n. beneficii, vel etiam penſionis in confidentiam eſt actio ſub cenſura prohibita, nec aliud deſideratur.

2 Subiectum excommunicationis latæ ob ſimoniam confidentialem ſunt omnes recipientes, vel retinentes beneficia, vel penſiones cum ſimonia confidentiali, dantes verò, vel reſignantes, aut alii cooperatores non ſubiiciuntur huic excommunicationi: ut autem cognoſcatur, quando excom-

excommunicatio confidentialis commiſſa ſit in foro conſcientiæ, ſtandum eſt dictis eorum, qui ſimoniam commiſerunt; quia in foro conſcientiæ creditur ipſi pænitenti, in foro autem externo cognoſcitur, Primo, ſi is poſt poſſeſſionem captam à reſignatario ſeſe in illo, vel in rebus illius per ſe, vel per alium de facto ingerat, aut fructus percipiat. Secundo ſi reſignatarius conſtituit reſignantem, vel illius parentes procuratores ad percipiendum fructus beneficii dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, vel percipiendis donationem fecit; Tertio ſi ſoli procuratori rerum expeditio fiat; Quarto ſi quis pro conceſſione alicui facta quacumque auctoritate de beneficio Eccleſiaſtico per ſe vel per alium, ſeu alios intercesserit, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo: deinde aliquid de fructibus talis beneficii perceperit, & de illis diſpoſuerit.

De Excommunicatione contra committentes ſimoniam in ordine, & beneficio. Cap. 500.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt ſacrilegium in ordine, vel beneficio quod in tribus actionibus conſiſtit. Prima eſt dare temporale pro ſpirituali; vel è contra in beneficio, aut etiam in ordine; Secunda actio eſt accipere temporale pro ſpirituali, vel contra pro beneficio, aut etiam pro ordine; Tertia eſt mediatorem eſſe, ſeu procurare, ut temporale tradatur pro ſpirituali, vel è contra; nomine autem ordinum intelliguntur tam minores, quam majores ordines, & etiam Prima Tonſura. Nomine autem beneficii intelliguntur ſolum beneficia proprie accepta: ideo ob officia temporalia, ut ob Vicarium temporalem iſta excommunicatio non incurritur; nec in collatione, aut conſecutione penſionis, cum non ſit beneficium: ad incurrendam autem hanc excommunicationem requiritur ſimonia realis: tam jure divino interdicta, quam jure Eccleſiaſtico prohibita.

2 Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant etiam Cardinales, & Reges, qui ſimoniæ crimen in ordine, vel beneficio committunt dando, vel accipiendo, vel procurando, non ligantur autem hac excommunicatione ratam habentes ſimoniam, quia in hac extravante non eſt ſermo de ratum habentibus. Petrus non incidit in iſtam excommunicationem: beneficium obtinuit per ſimoniam contractam à Titio, inſcio tamen Petro, & cognito ſimoniæ crimine reſtituat Titio pecuniam, quam Titius pro conſecutione beneficii erogaverat; quia Petrus non dicitur accepiſſe beneficium cum culpa ſimoniæ, quæ ipſi imputetur: nam traditio ſimoniaca pecuniæ reſpectu Petri eſt poſterior conſecutione beneficii, nec ipſam beneficii conſecutionem inficit, licet facta fuerit ob crimen Titii, quod jam tranſactum eſt, dum Petrus pecuniam tradit: Nulla extat excommunicatio contra non revelantes, dum ſciunt ſimoniam ab alio commiſſam in ordine vel beneficio, nec incurritur iſta excommunicatio in qualibet materia niſi ſit in jure expreſſa, Pœnæ comminatoriæ jure antiquo contra ſimoniacos ſancitæ, jure novo non incurruntur ipſo facto ex vi iſtius extravagantis, quia in hac extravagante non imponuntur ipſo facto pœnæ juris antiqui, ſed ſolum jura ipſa antiqua innovantur. Abſolutio hujus excommunicationis reſervata eſt Summo Pontifici.

De Excommunicatione contra petentes, vel exigentes aliquid in collatione, aliave proviſione beneficiorum, aut admiſſione ad illorum poſſeſſionem. Cap. 501.

1 ACtiones ſub cenſuris prohibitæ ſunt, Prima retinere fructus, vel diſtributiones vel eorum partem proventuram ex beneficio primo anno à vacatione, aut longiore, vel etiam breviore tempore; Secunda eſt quomodocunque petere, vel exigere renuntiationem hujuſmodi fructuum aut diſtributionum; Tertia petere, vel exigere quomodocumque dulciaria, vel quid aliud; ſufficit tamen; Primo ſive exigatur per ſe, ſive per alium, ſive directe, ſive indirecte; Secundo ſufficit una iſtarum actionum; quia textus alternative, & disjunctive loquitur, petens autem fructus ceſſionem &c. non incurritur excommunicatio non ſecuta ceſſione, vel traditione fructuum; Quarta eſt inducere aliquem ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate proviſum ad ſtandum juramento de obſervandis hujuſmodi privilegiis, conſuetudinibus, & ſtatu-

ſtatutis; Quinta eſt præſtare juramentum de prædictis obſervandis quamquam hujuſmodi juramentum, & alia hujuſmodi irritantur in Bulla; Sexta eſt impedire, vel remorari poſſeſſionem illi, qui prædicta non facit: iſtæ omnes actiones exprimuntur in Bulla, cujus cenſuræ incurruntur: dum fiunt iſtæ actionis occaſione collationis, proviſionis, ſeu poſſeſſionis in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis. Subiectum cenſurarum hujus Bullæ ſunt perſonæ in hac Bulla expreſſæ. diverſa tamen ratione: nam Epiſcopi aliique Antiſtites ſuſpenduntur à Pontificalibus, donec præſtita ſatisfactione, à Summo Pontifice abſolvantur, Capitula, & Collegia ſubjiciuntur interdicto: aliæ verò perſonæ ſingulares vinculo excommunicationis obſtringuntur.

De Excommunicatione, quæ contrahitur ob ſimoniam commiſſam dando vel recipiendo aliquid ento ingreſſu in Religione.

Cap. 502.

1 Materia Excommunicationis in hac extravaganti contentæ ſunt duæ actiones ſimoniacæ; Prima eſt dare aliquid ex pacto pro Religionis ingreſſu. Secunda actio eſt accipere aliquid ex prævio pacto; unde non incurritur iſta excommunicatio quoties aliquid ſponte, ſeu ſine pactione traditur; nec incurritur dando, vel recipiendo aliquid pro ſuſtentatione ingrediendi etiam ſi Monaſterium dives ſit, & locuples: modò non accipiatur aliquid ſuperans onus ſuſtentationis, vel præciſo ſcandalo aliove peccato. Moniales verò, quæ nolunt nullam in Monaſterio admittere, niſi congruam dotem afferat, non afficiuntur pæna iſtius excommunicationis: ſed exigentes aliquid ultra congruam ſuſtentationem non excuſantur ab hac cenſura: niſi aliud ferat conſuetudo, aut niſi liberaliter tradatur, & non ex pacto. Subiectum excommunicationis impoſitæ in hac extravaganti ſunt omnes ſingulares perſonæ, quæ aliquid dant, vel accipiunt pro ingreſſu in Religionem, ſive ſint viri, ſive fæminæ. Collegium verò, vel conventus incurrit pænam ſuſpenſionis, quæ ſuſpendit ab officio, & beneficio.

De Excommunicatione, quæ contrahitur publicando vel concedendo ob quæſtum Indulgentiam, aut facultatem abſolvendi. Cap. 503.

1 Materia iſtius cenſuræ eſt ſcrilegium, quod committitur publicando, vel concedendo indulgentias, vel facultatem circa reſervatos caſus ſolventibus certam pecuniæ ſummam: & nomine caſuum hoc in loco intelliguntur etiam ii quibus cenſura adnexa eſt. Epiſcopi, aliique præſules, ſeu Antiſtites, etiam Cardinales ſi præfata faciant incidunt in ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum, reſervatam Summo Pontifici, a qua abſolvi nequeunt niſi præſtita ſatisfactione; alii vero inferiores Epiſcopis incurrunt excommunicationem eidem Summo Pontifici reſervatam: Prælati etiam his pænis puniuntur ſi per alios hujuſmodi indulgentias, & facultates publicent: non autem ſi publicatæ non fuerint, licet mandaverint publicari.

De Suſpenſione contra ſuſcipientes ordines Simoniacè. Cap. 504.

1 Materia iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſceptio ordinum cum vitio ſimoniæ commiſſo ab ipſo ſuſceptore ordinum, vel illi quoad culpam imputatio: quæ ſuſpenſio non incurritur, ſi vitium ſimoniæ committatur à tertia perſona inſcio ipſo ordinando; quia non incurritur niſi ob culpam: hic autem caret culpa; nec incurritur à ſuſcipiente ſimoniace ordines bona fide: etiam ſi poſt ordinationem ratificet ſimoniam ab altero commiſſam: Simonia autem debet eſſe completa ad incurrendam ſuſpenſionem. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt omnes cujuſcunque gradus, & conditionis homines ſuſcipientes ordines ſimoniacè, quæ ſuſpenſio non incurritur à mediatoribus. Iſta autem ſuſpenſio ſuſpendit ab exercitio, & executione ordinum ſuſceptorum, & ab illis ſuſcipiendis: non autem ſuſpendit ab officio, & beneficio; quia hoc nullo iure probatur: Suſpenſio verò lata contra ſimoniacos in ordine perpetua eſt; quia jura abſolute loquuntur. Si ius antiquum ſpectemus Epiſcopus

ſcopus abſolvere poteſt ab hac ſuſpenſione, nam ſi inſpiciamus conſtitutionem Sixti V. non poteſt Epiſcopus abſolvere ſaltem in delicto publico; quia revocat omnes facultates.

De ſuſpenſione contra conferentes ordines, vel Tonſuram ſimoniace.
Cap. 505.

1 JUre novo in bulla Sixti V. lata eſt ſuſpenſio contra conferentes ſimoniacè ordines, vel primam tonſuram: quæ Bulla licet revocata ſit in alia bulla Clementis VIII. & ad terminos juris communis redacta quoad alia, quæ in ipſa Bulla continentur: quoad collationem tamen, aut ſuſpenſionem ordinum ſimoniacam non fuit immutata, nam præter ſuſpenſionem imponitur etiam in eadem bulla interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ contra conferentes ordines, vel primam tonſuram ſimoniace, ſive hoc vitium ſit publicum, ſive occultum; quę ſuſpenſio etiam jure antiquo lata erat contra ſimoniacos tam occultos, quam publicos in collatione ordinum. Subjectum illius ſuſpenſionis ſunt Epiſcopi: iique ordinum, vel Tonſuræ collatores, qui ſimoniace ordines, vel tonſuram conferunt; quæ ſuſpenſio ſuſpendit conferentes ordinem, ſive tonſuram ſimoniace à Pontificalibus, à collatione ordinum, & primæ tonſuræ, & ab ingreſſu Eccleſiæ: quam ſi non obſervant incurrunt ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione, Eccleſiæ. Abſolutio autem, & miſſio pœnarum obtinenda eſt à Summo Pontifice.

Utrum acta Simoniace valida ſint.
Cap. 506.

1 ACtiones ſeu functiones ordinis, vel juriſdictionis ſimoniace factæ validæ ſunt, quia pendent ex poteſtate ordinis; quam Eccleſia non tollit, & nullibi conſtant irritari actus juriſdictionis. Collatio autem ordinum ſimoniace facta eſt valida: quia adſunt omnia neceſſaria ad validam ordinationem, & culpa conferentis, vel recipientis non tollit validam ordinationem: omnis autem actio juriſdictionis, vel adminiſtrationis, quæ ordinatur ad obtinendam beneficii proviſionem ſi fiat per ſimoniam irrita eſt non quidem jure naturali, vel divino, ſed jure Eccleſiaſtico ex c. Matthæus de ſimonia: quare proviſus per ſimoniam tenetur beneficium dimittere, quia nullum acquiſivit jus in beneficium, & poſita irritatione proviſionis jus ipſum naturale obligat ad reſtituendum beneficium cum fructibus perceptis, vel non perceptis: ſic etiam collatio, ſeu proviſio facta per ſimoniam ignoranti invalida eſt ipſo jure; quamvis proviſio beneficii ſimoniace facta ſciente, vel ignorante proviſo valida ſit inſpecto ſolum jure naturali, vel divino; tamen jure canonico irritatur ipſo facto ex communi ſententia Rotæ. Qui autem bona fide beneficium obtinuit ignorans ſimoniam ab alio commiſſam, gaudere poteſt regula de trienniali poſſeſſore: ita ut elapſo triennio turbari nequeat, & moleſtari circa illud beneficium; quia regula generalis eſt & hic caſus in ea non excipitur. Qui autem beneficium obtinuit promiſſa pecunia non tenetur promiſſionem adimplere, quia ſolutio pretii ſimoniaca eſſet, & compleret ſimon iam realem, & nullus ad rem turpem obligari poteſt.

Utrum ſimonia realis in beneficiis privet ipſo facto beneficiis antea rite obtentis. Cap. 507.

1 SImonia in beneficiis non inducit ipſo facto privationem beneficiorum ante rite obtentorum; quia non poteſt lex, ſeu textus aſſignari, in quo hujuſmodi pęna ipſo facto contineatur ante ſententiam Judicis condemnatoriam, neque inducit irritationem aliorum actuum pręcedentium ordinatorum ad perfecte obtinendum beneficia, & inter ſe ſubordinatorum: verum tamen eſt; actum præcendentem irritari poſſe per ſententiam judicis, quia in delicti pænam privari poteſt jure prius acquiſito per actum præcedentem rite celebratum: ſecus dicendum eſt ſi crimen ſimoniæ committitur in actu præcedenti, ſcilicet in electione: tunc enim confirmatio irrita erit etiam ſi pure, & abſque ſimoniæ labe celebretur; quare ſimonia non privat beneficiis rite antea obtentis, nec irritat actionem beneficialem rite antea factam: irritam vero reddit actionem ſubſequentem per ſe ordinatam ab obtinendum beneficium; quare committens ſimonia in poſteriori beneficio

ficio, non privatur fructibus prioris beneficii rite obtenti: exiſtimo tamen per ſententiam Judicis privari poſſe hujuſmodi fructibus in pœnam delicti: ſic etiam ſi ſimonia commiſſa ſit ab examinatoribus beneficiorum in Synodo conſtitutis: iſti. n. non poſſunt quicquam occaſione examinis accipere: alioquin ipſo facto privantur beneficiis antè rite obtentis, & tenentur illa dimittere etiam ante ſententiam Judicis dclaratoriam criminis ex *Trid ſeſſ.* 24 *c.* 18. Nec Epiſcopus, vel ejus Vicarius aſſiſtentes examini poſſunt aliquid accipere.

Utrum Simoniacus in adoptione beneficii efficiatur inhabilis ad alia beneficia. *Cap.* 508.

1 Simoniacus in beneficio efficitur inhabilis ad obtinendum illud idem beneficium, in quo ſimonia commiſerat, niſi habilis ad illud efficiatur per diſpenſationem ex c Si alicujus de elect ſicut etiam efficitur inhabilis ad alia beneficia in futurum obtinenda ex Bulla 5. Pii V. quæ incurritur ipſo facto ante ullam ſententiam: quia hæc pœna ipſo jure imponitur, & ad ſui executionem non requirit hominis actionem. Ad Papam autem pertinet convalidationem collationis, & diſpenſationem inhabilitatis ad beneficium ſimoniacè obtentum. Ad Papam etiam pertinet diſpenſationem inhabilitatis ad alia beneficia obtinenda.

Utrum Simonia inducat obligationem reſtituendi accepta Simoniace. *Cap.* 509.

1 Qui pretium accepit, ſed rem ſpiritualem nondum tradidit, tenetur jure naturali divino pretium reſtituere: quia datum ob cauſam, retineri non poteſt, cauſa non ſubſecuta, immo pretium acceptum pro re ſpirituali reſtituendum eſt; quia pretium acceptum pro re ſpirituali ut ſic, retineri non poteſt etiam tradita re ſpirituali; unde multo minus retineri poteſt non tradita re ſpirituali, cùm non ſit adimpletum onus, ſeu conditio; ſub qua traditum fuit pretium, & reſtitutio facienda eſt illi qui tradidit, quia non adimpleta conditione pretium eſt reſtituendum tradenti.

2 Qui pretium Simoniacè accepit, ſed non injuſtè, ſeu cum injuria, & injuſtitia contra ipſum tradentem non tenetur jure naturali divino ad reſtitutionem pretii accepti: qui verò pretium ſimoniacè, & injuſtè accepit ſcilicet pro re ſpirituali cum injuria, & injuſtitia cõtra ipſum tradentem, tenetur ex jure naturali divino ad reſtitutionem pretii. Qui ergo pretium accepit ſimoniacè, ſed abſque injuria. & injuſti ia contra ipſum tradentem commiſſa non eſt obnoxius reſtitutioni: quia obligatio reſtituendi ob delictum non conſurgit ex quolibet delicto, ſed ex peccato injuſtitiæ: qui autem pretium ſimoniacè accepit ſine injuria, & injuſtitia in tradentem pretium, non peccavit peccato injuſtitiæ, ſed peccato ſimoniæ, ſimonia enim non eſt injuſtitia, ſed irreligioſitas, & actio ſacrilega, quæ committi poteſt aliquando ſine peccato injuſtitiæ: unde accipiens pretium ſimoniacè abſque injuria tradentis non tenetur ad reſtitutionem. Qui autem pretium ſimoniacè, & ſimul injuſtè accepit, ſcilicet pro re ſpirituali, tenetur reſtituere ex jure naturali divino, quia accipiens aliquid ſupra id, quod ſibi debetur, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem: qui verò accepit pretium pro re ſpirituali, accepit aliquid ſupra id, quod ſibi debetur. Quare obligatus ex juſtitia ad functionem ſpiritualem præſtandam tenetur ad reſtitutionem pretii acceptæ pro his functionibus exercendis: ſic tenentur ad reſtitutionem Electores beneficiorum, qui pretium accipiunt pro eligendo digno, quia accipiunt indebitum, nam ex officio tenentur dignum eligere. ſic tenetur ad reſtitutionem, qui accipit pecuniam tanquam pretium reliquiarum, quia reliquiæ ratione materiæ nihil valent, & ut ſic non ſunt pretio æſtimabiles.

3 Lex Eccleſiaſtica non extat generaliter obligans ipſo jure ad reſtitutionem pretii, quia dum Eccleſia imponit obligationem reſtituendi ob crimen ſimoniæ, illam imponit per modum pœnæ. Pœnæ autem Eccleſiaſticæ ipſo facto latæ contra ſimoniacos non habent locum niſi in tribus caſibus. Primus eſt in pretio ſimoniacè accepto pro collatione beneficii, vel pro alia actione ordinata ad proviſionem beneficii: Secundus caſus eſt in pretio ſimoniacè accepto in ingreſſu religionis:

nis; exiſtimo tamen pretium ſimoniacè acceptum pro ingreſſu in Religionem, reſtituendum non eſſe ante judicis ſententiam; Tertius caſus eſt pretio ſimoniace accepto pro collatione ordinum, aut aliorum Sacramentorum, vel Sacramentalium: ſi pretium notabiliter excedat id, quod pro congrua ſuſtentatione debetur; præfatum autem pretium non eſt obnoxium reſtitutionl ante ſententiam.

1 Pretium ſimoniace, & Injuſtè acceptum jure naturali divino reſtituendum eſt illi, qui pretium dedit, non autem Eccleſiæ, vel pauperibus: Papa poteſt diſpenſare, quando reſtitutio debita eſt ſolum jure Eccleſiaſtico in pœnam delicti: ſi vero reſtitutio facienda eſt certæ perſonæ ex jure naturę cenſeo Papam non poſſe ante ſententiam diſpenſare, quia non poteſt alios jure ſuo privare ſine cauſa.

Utrum is, qui rem ſpiritualem prævia pecuina accepit, teneatur illam reſtituere jure naturali divino vel Canonico. Cap. 510.

1 Res ſpiritualis ſimoniacè accepta non eſt obnoxia reſtitutioni jure naturali, quia collatio rei ſpiritualis valida eſt, cum adſint omnia requiſita ad validam collationem eſt enim capacitas in recipiente, & poteſtas, ac voluntas in conferente; quod autem validè acceptum eſt, non eſt obnoxium reſtitutioni, niſi obſtet alia circumſtantia. Res autem ſpiritualis ſimoniacè accepta non eſt obnoxia reſtitutioni jure canonico ante ſententiam judicis exceptis beneficiis: beneficia enim retinere non poſſunt, & ante judicis ſententiam ſunt reſtituenda ex c. ſi quis neque 1. qu. 1. ubi habetur, Eum periturum in æternum, qui adeptum ſimoniace Epiſcopatum, ſponte in vita ſua non dimiſerit: ſic etiam fructus percepti ex beneficio ſimoniacè acquiſito ſunt reſtituendi ante Judicis ſententiam; quia nullo juſto titulo retineri poſſunt, & reſtitutio eorum facienda eſt Cameræ Apoſtolicæ, niſi compoſitio ab ipſa obtineatur: ubi ſpoliorum uſus viget: aut eſt facenda ſucceſſori, ubi conſuetudine receptum eſt, ut fructus beneficii vacantis ad ſucceſſorem pertineant: aut facienda eſt in pios uſus, vel Eccleſiæ: hæc .n. læſa fuit, ipſique fructus beneficii vacantis competere ſolent, ubi ſpoliorum uſus, vel contraria conſuetudo non reperitur: Sic Mediatores ſimoniæ commiſſæ in beneficio non ſolum tenentur ad reſtitutionem pretii accepti: verum etiam In defectum beneficiarii ad reſtitutionem fructuum perceptorum à beneficiario ſimoniaco, nam ipſi cenſentur cauſa damni.

Quis poſſit in his pænis diſpenſare, & qua forma. Cap 511.

1 Nullus homo diſpenſare poteſt in ſimonia jure naturali, vel divino inducta, quia poſitum non eſt in poteſtate hominis, legem naturalem, vel dlvinam tollere: In ſimonia vero contra jus Canonicum Papa diſpenſare poteſt, eximendo aliquem à lege Eccleſiaſtica, per quam aliqua actio tamquam ſimoniaca prohibita fuerat in bonum Religionis: nam Papa facere poteſt ut venditio quorumdam officiorum Eccleſiaſticorum, ut ęconomi, advocati Eccleſiæ, & ſimilium ſimoniaca non ſit, auferendo legem prohibentem hujuſmodi venditionem, ſeu eximdendo aliquem à pręfata lege. Nulla verborum forma neceſſaria eſt ad diſpenſandum in ſimonia: quia nulla hujuſmodi forma in jure præſcripta eſt.

TRACTATIO, SEU DISPUTATIO SECUNDA.

De Alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.

Quo jure, & quibus pænis vetita ſit bonorum Eccleſiaſticorum alienatio. Cap. 512.

1 Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum vetita eſt. Primo jure naturali divino adnexo juramento, ſi loquamur de Summo Pontifice, & de Cardinalibus reſpectu bonorum Sedis Apoſtolicæ, aut de Epiſcopis, & Prælatis reſpectu bonorum ſuæ Eccleſiæ: juramentum enim inducit obligationem juris naturalis, & Divini. Secundo jure Cæſareo in Læinbemus, & quamvis leges Principis ſecularis circa res Eccleſiaſticas non ligent, nihilominus

F f ligant,

ligant, & obligant, quatenus ab Eccleſia recipiuntur, & confirmantur; Tertio jure Canonico ex *Trid ſeſſ.25. c. 11.* nam interdicitur, & irritatur alienatio bonorum Eccleſiæ Monaſteriorum, & locorum Piorum, tam immobilium, quam mobilium pretioſorum, quæ ſervando ſervari poſſunt ſi alienatio fiat inconſulto Summo Pontifice. Immo alienans ſi non fuerit Epiſcopus vel Abbas ligatur excommunicatione, nec non privatur beneficiis, officiis, & adminiſtratione bonorum, quæ alienare præſumptit: eadem excommunicatio extenditur ad recipientem; Si vero alienans ſit Epiſcopus, vel Abbas incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi per ſex menſes in interdicto permanſerit ſuſpenſus remanet à Regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, vel Monaſterii, cui præſidet in temporalibus, & ſpiritualibus: quando tamen alienatio non fiat ex juſta cauſa, & cum debita ſolemnitate; vel niſi fiat in cauſa locationis ad breve tempus; aut in cauſa Emphytheuſis ab antiquo dari ſolitæ, & in evidentem Eccleſiæ utilitatem, vel niſi fiat de re levis momenti, vel de rebus, quæ ſervando ſervari non poſſunt, modo fiat ab eo, qui dictorum bonorum adminiſtrationem habet Extat etiam peculiaris prohibitio contra Religioſos circa bonorum immobilium, vel mobilium pretioſorum alienationem: nam ex decreto Sacræ Congregationis edito die 7 Septembris 1624. ubi Sacra Congregatio juſſu Summi Pontificis Urbani VIII. Religioſis cujuſcumque ordinis, & Religionis: etiam ſi alias ex peculiari privilegio, & conſuetudine facultatem alienandi haberent, perpetuo interdicit omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipſorum dominium transfertur ad cenſus perpetuos, ſeu vitalitios hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim: præterquam in caſibus jure permiſſis: pœna autem alienantium præfata bona abſque licentia in ſcriptis ipſius Congregationis gratis concedenda, eſt privatio ipſo facto vocis activæ, & paſſivæ, perpetua inhabilitas ad illam in poſterum obtinendam; ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, & permanentibus in ſuo robore pœnis Apoſtolicarum conſtitutionum, & præſertim fœlicis recordat. Pauli II.

Quid nomine alienationis, & bonorum hoc in loco intelligatur.
Cap. 513.

1 NOmine alienationis hoc in loco intellitur actus, quo dominium rei directum vel utile, aut uſus fructus, aut jus in alterum transfertur, vel abdicatur: bona autem, quæ in hac extravaganti alienari prohibentur ſunt bona immobilia Eccleſiaſtica, vel etiam mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, unde bona Eccleſiæ mobilia, & pretioſa, quæ ſervando ſervari non poſſunt, poſſunt abſque alia ſolemnitate vendi ab Epiſcopo, vel ab alio bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem habente: Pecunia autem quæ eſt in montibus, vel cenſibus collata, quæ pro bono immobili habetur non poteſt vendi; nec dos, quæ pro Monialium ſuſtentatione traditur alienari poteſt, cum inter bona pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt recenſeatur, nec pecunia, quæ accepta fuit pro venditione rei immobilis, ad alias res immobiles, emendas alienari poteſt, quia eſt res prætioſa, quæ ſervando ſervari poteſt, & debet, donec ad eum finem inſumatur, ad quem tradita fuit; pecunia autem deputata ad bona immobilia emenda, qualis videtur pecunia pro dote Monialium tradita, poteſt abſque aſſenſu Apoſtolico inſumi in emendis agris, aut in emenda, vel conſtruenda domo neceſſaria; non autem poſſunt abſque debita ſolemnitate incidi arbores ſolo adhærentes, ſive fructiferæ ſint, ſive etiam infructiferæ, exceptis tamen cæduis; quia cedunt ſolo, & inter bona pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, enumerantur; ita etiam invalidus eſt quilibet contractus, quo dominium directum, vel indirectum, vel utile rei Eccleſiaſticæ immobilis, vel mobilis, pretioſæ, quæ ſervando ſervari poteſt, transfertur non ſervata debita ſolemnitate; hæc enim eſt alienatio prohibita: bona autem Confraternitatis, vel Collegii, vel Congregationis, vel Hoſpitalis erecti, & fundati auctoritate Epiſcopi non poſſunt ſine debita ſolemnitate alienari, quia ſunt loca pia, quorum alienatio irritatur facta ſine ſolemnitate,

nec

nec Oratorium fundatum auctoritate Epiſcopi ad perpetuum uſum Eccleſiaſticum, aut in pio loco poteſt alienari abſque debita ſolemnitate: ſecus dicendum de Oratoriis factis in domibus privatis. Commenda autem S. Joannis, & aliæ non poſſunt abſq; aſſenſu Apoſtolico alienari, quia cenſentur bona Eccleſiaſtica. Diſmembratio fructuum non poteſt fieri abſque debita ſolemnitate. Nec bona incorporalia, ideſt jura, actiones, & ſervitutes poſſunt ſine prædicta ſolemnitate alienari. Quæ non ſunt ſolita tradi in feudum, vel Emphyteuſim non poſſunt emphyteuticari, vel infeudari ſine dicta ſolemnitate; Res Eccleſiaſticæ immobiles, vel etiam mobiles pretioſæ non poſsunt locari ad longum tempus, cum ſit quædam alienatio quæ expreſse prohibetur in dicta extravaganti. Locatio fructuum ultra triennium non eſt licita, nec valida. Bona Patrimonii, ad quorum titulum quis ordinatus fuit, non poſsunt alienari abſque Epiſcopi licentia, donec Clericus, qui ad illorum titulum fuit promotus edeptus ſuerit beneficium, vel aliunde habeat, quo vivere poſſit.

Quænam ſit juſta & ſufficiens cauſa ad alienanda Eccleſiæ bona immobilia vel pretioſa, quæ ſervari poſſunt.
Cap. 514.

1 QUatuor cauſæ aſſignantur à Doctoribus, quæ ad duas revocantur ab aliquibus, ſcilicet ad utilitatem, & pietatem, propter quas alienatio bonorum Eccleſiaſticorum licitè, & validè fieri poteſt; Prima eſt neceſſitas urgens Eccleſiæ, modo non adſint fructus pro ſatisfactione; Secunda eſt Pietas, ut quando opus eſt alienatione ad Religionem propagandam, ad ſuſtentandos pauperes preſsos valde gravi neceſſitate, vel ad redimendos captivos: Tertia eſt utilitas evidens, ita ut ex alienatione conditio Eccleſiæ melior fiat.

Quænam ſolemnitas requiratur ad validam alienationem bonorum immobilium Eccleſiæ vel etiam mobilium pretioſorum, quæ ſervando ſervari poſſunt, & utrum contractus aliter celebratus validus ſit.
Cap. 515.

1 AD validam alienationem bonorum menſæ Epiſcopalis, aut Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ immobilium, aut etiam bonorum mobilium pretioſorum quæ ſervando ſervari poſsunt, præter iuſtam cauſam jure antiquo requiruntur ſequentes ſolemnitates; Primò requiritur unus ſaltem tractatus, ideſt diſcuſſio quæ fit allatis rationibus pro, & contra; Secundò poſt tractatum requiritur conſenſus expreſſus majoris partis illorum, qui interfuerunt, ſingulariter præſtitus; Tertiò requiritur ſubſcriptio in caſibus, in quibus jus ſubſcriptionem præſcribit; Quartò requiritur conſenſus Superioris; Quintò in alienatione bonorum Eccleſiæ Cathedralis jure antiquo requiritur facultas, ſeu conſenſus, Sedis Apoſtolicæ, non ut alienatio ſit valida, ſed ut ſit licita; nam jure antiquo eſt valida ſi hęc conditio ſolum deſit: jure autem novo requiritur etiam conſenſus Summi Pontificis, non ſolùm in rebus Eccleſię Cathedralis, verum etiam in aliis bonis Eccleſiaſticis.

2 Ad validam alienationem bonorum Eccleſię non Cathedralis, nec Collegiatę, ideſt carentis collegio, requiritur conſenſus Rectoris Eccleſię cum conſenſu Epiſcopi, immo etiam cum aſsenſu Pontificis poſt Extravagant.; ſed ſi Eccleſia careat rectore conſtituendus eſt defenſor Eccleſię, & audiendus eſt, unde Epiſcopus non poteſt vendere res inferioris Eccleſiæ, non audito illius Rectore, vel defenſore conſtituto; quando autem res mobilis, vel immobilis donata, vel relicta fuit loco pio capaci, ſub conditione, ut poſſit alienari abſque prædicta ſolemnitate, non poteſt alienari non ſervata prędicta ſolemnitate; qui hujuſmodi conditio habetur pro non appoſita, cum ſit contra jura, res verò relicta Eccleſiæ, ut in nullo caſu alienari poſſit, etiam ſervata ſolemnitate, alienari non poteſt, niſi accedat conſenſus Summi Pontificis, qui circa voluntatem donatoris, vel te-

ſtatoris diſpenſare poteſt: Pęna caducitatis adiecta rei quę donata fuit Eccleſiæ, cum hac conditione ut non alienetur, incurritur, quoties alienatur abſque juſta cauſa, & ſine debita ſolemnitate, ac conſenſu Sedis Apoſtolicę.

3 Contractus alienationis bonorum Eccleſię celebratus ſine præſcripta ſolemnitate invalid s eſt in foro externo, & in foro conſcientię, etiam ſi celebratus ſit in favorem recipientis, & in favorem, & utilitatem Eccleſię alienantis, quia ſolemnitas à jure pręſcripta eſt tamquam forma ſubſtantialis contractus.

Quænam perſonæ ſubiiciantur cenſuræ, & aliis pœnis alienando bona Eccleſiaſtica abſque juſta cauſa, & debita ſolemnitate. Cap. 516.

1 OMnes, & ſinguli Eccleſiaſtici, tam ſeculares, quam regulares, qui bona Eccleſiaſtica male alienare præſumunt, excommunicationem incurrunt, modo non ſint Epiſcopi, vel Abbates: iſti enim interdicto, ab Eccleſiæ ingreſſu, aut etiam ſuſpenſione puniuntur, modo qui aliquid alienat, deſtruit, vel demolitur, adminiſtrationem habeat, nam in extravagant. ſermo habetur de adminiſtrationem habentibus, vel ſcienter alienans, quia præſumit alienare, & alienatio ſit ſecuta; nam attentatio non ſufficit. Male autem alienans, vel recipiens bona Eccleſiaſtica afficitur excommunicatione Papæ reſervata in *Trid. ſeſſ.* 22. c. 11. quia non eſt vera alienatio, ſed potius uſurpatio in Concillo prohibita, & privantur ipſo facto beneficiis abſque alia declaratione.

Utrum Summus Pontifex peccet contra juramentum alienando bona Eccleſiaſtica. Cap. 517.

1 SUmmus Pontifex peccat contra juramentum alienando, ſeu infeudando caſtra, civitates, dominia Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, niſi juramenti vinculum ſibi prius relaxet: quia Cardinalis, dum ad Cardinalatus apicem promovetur, jurat ſe non alienaturum, aut conſenſurum in alienationem hujuſmodi bonorum: vinculum autem juramenti non ceſſat aſſecutione Pontificiæ dignitatis; & Papa adepto Pontificatu novum juramentum de hac etiam re emittit.

An Summus Pontifex, præciſo juramento peccat alienando bona Sedis Apoſtolicæ aut alia bona Eccleſiaſtica. Cap. 518.

1 SUmmus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica cum damno Eccleſiarum peccat contra juſtitiam, niſi alienet ex juſta cauſa: quia non eſt Dominus bonorum Eccleſiaſticorum, ſed adminiſtrator. Probabile tamen eſſe cenſeo alienationem bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta à Summo Pontifice validam eſſe: quia etiam ſi admittam Summum Pontificem non eſſe Dominum bonorum Eccleſiaſticorum, nihilominus negari non debet, quin ſit Vicarius Dei, & adminiſtrator cum plenitudine poteſtatis: adminiſtrator autem, & qui Dei vices perfecte gerit, alienare poteſt; Summus autem Pontifex peccat prædicta bona alienando ſine juſta cauſa cum damno Eccleſiæ, & tenetur ad reſtitutionem damni illati, quia ex violatione juſtitiæ cum damno alterius conſurgit obligatio reſtituendi; & propterea alienatio gratuita bonorum Eccleſiæ immobilium facta à Papa ſine juſta cauſa va lida eſt, ſed injuſta.

Quam cenſuram incurrat delegatus à Sede Apoſtolica dum facultate alienandi concedit detrimento Eccleſiæ. Cap. 519.

1 IN Bulla Secunda Pauli II. præcipitur Judicibus ſeu Commiſſariis deputatis ad examinandas cauſas à ſupplicantibus expreſſas, ut examinent cauſas, propter quas Summus Pontifex adductus eſt ad concedendam in ſuis litteris facultatem alienandi; quod ſi conſenſum, vel auctoritatem præſtiterit alienandi bona Eccleſiaſtica in detrimentum Eccleſiæ, ſubiiciuntur excommunicationi, modò ſint inferiores Epiſcopis, Epiſcopi verò aut ſuperiores Epiſcopis incurrunt ſuſpenſionem per annum ab executione officii: quæ excommunicatio, & ſuſpenſio non eſt reſervata Papæ: contra verò procuratores dolosè, vel ſcientes hujuſmodi alienationem, aut decretum alienationis, lata eſt excommunicatio Summo Pontifici reſervata. Actio igitur con-

ſen-

ſentiendi alienationi bonorum Eccleſiæ in gravamen Eccleſiæ eſt materia Cenſuræ: ſic actio interponendi auctoritatem, aut decretum ad hujuſmodi alienationem eſt materia Cenſuræ: Sub ectum autem Cenſuræ ob præfatas actiones ſunt, Omnes Commiſſarii, vel delegati à Sede Apoſtolica ad examinandas cauſas propter quas in literis apoſtolicis conceditur facultas alienandi.

De Cenſura quæ incurritur ab eo, qui doloſè, vel ſcienter procurat alienationem, aut alienationis decretum a Delegato Sedis Apoſtolicæ cum detrimento Eccleſiæ. Cap. 520.

1 Materia iſtius Cenſuræ eſt duplex actio Eccleſiæ noxia. Prima eſt procurare alienationem fieri in damnum Eccleſiæ, modo iſta actio fiat cum dolo, aut ſcientia. Secunda actio eſt extorquere ab ipſis Commiſſariis, vel delegatis decretum alienationis per ſordes, ideſt per iniquas donationes, aut per impreſſionem, ideſt, per importunam perſuaſionem, vel deprecationem, vel ſimilem inductionem. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui procurant alienationem fieri, aut decretum alienationis extorquentes. Quæ excommunicatio incurritur nondum ſecuta alienatione, ut dicunt aliqui: ſed ego cenſeo excommunicationem non incurri ante ipſam actualem alienationem; cujus excommunicationis abſolutio Summo Pontifici reſervata eſt.

De Pœnis contra ſuadentes Papæ, ut infeundet, aut alienet Civitates, & loca S. R. E. Cap. 521.

1 Contra ſuadentes quovis prætextu infeudari, aut alienari Civitates & loca S. R. E. lata eſt excommunicatio à Pio V. in Bulla 35. cujus excommunicationis materia ſunt iſtæ actiones. Prima eſt tractare, conſulere, aut alia ratione verba facere de alienandis, aut infeudandis bonis immediate pertinentibus ad Eccleſiam Romanam: Secunda actio eſt inſinuare, vel ſuadere hujuſmodi alienationem Summo Pontifici, ſive id fiat per ſe ſive per alium. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes quis præfatas actiones faciunt, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive ſeculeres cujuſcumq; dignitatis, & ordinis etiam Epiſcopalis, vel majoris, etiam Cardinalatus honore fulgentes; ſive id agant publice, ſive privatim: ſive id agant per ſe, ſive per alium.

TRACTATIO, SEU DISPUTATIO TERTIA.

De Largitione munerum regularibus utriuſque ſexus interdicta.

Quænam ſit materia iſtius conſtitutionis: ſeu quænam actiones in Bulla Clementis prohibeantur. Cap. 522

1 Materia iſtius conſtitutionis, ſeu actiones, quę in hac conſtitutione fieri prohibentur ſunt duæ. Prima eſt donatio, ſeu largitio munerum quo vis pacto acquiſita ſit res, quæ donatur, vel donatio fiat per ſe immediatè, ſive per alium, vel fiat donatio directè, ſive indirectè, ſive palam, ſive occulte, ſive nomine proprio ſive Religionis; etiam ſi fiat prætextu ſtatuti, vel conſuetudinis; ſecunda actio prohibita, eſt erogare quovis modo pecunias aliquas in honorem alicujus, etiam protectoris, benefactoris, vel ordinarii: etiam ſi fiat occaſione tranſitus, vel primi ingreſſus aut in memoriam acceptorum beneficiorum aut pro aliquo honorifice excipiendo, aut pro conviviis cujuſcumque exhibendis, aut pro ſpectaculis, etiam piis.

2 Nonnulli caſus in Bulla Clem. VIII. excipiuntur, in quibus licitum eſt regularibus aliquid largiri, vel erogare. Primus eſt ſi fiat de conſenſu, ſeu licentia generalis Capituli, in quo maturè diſcutiatur cauſa largitionis, & adſit permiſſio ſeu facultas Superiorum in Capitulo exiſtentium & nullus eorum qui in eo capitulo adſtant contradicat. Secundus caſus eſt de levioribus poculentis, & exculentis, & de munuſculis ad devotionem, & Religionem pertinentibus, hæc enim de conſenſu Superioris, & Conventus tradi poſſunt. Tertius caſus eſt de pecuniis, quæ in divinum cultum expenduntur; quia Religioſus poteſt da conſilio, & conſenſu ſuperiorum pecuniam conferre pro apparatu dei faſti ſuæ Eccleſiæ. Quartus caſus eſt de eleemoſyna

ad ſublevandas veras pauperum neceſſitates. Quintus caſus eſt de hoſpitalitate præſertim erga pauperes, & peregrinos.

Quænam perſonæ munera, ſeu largitiones facere interdicantur. Cap. 523.

1 OMnes, & ſinguli Religioſi utriuſque ſexus, cujuſcumque gradus, & dignitatis exiſtant: immo etiam capitula, tam generalia, quam provincialia, Ordo, Conventus, vel Religio prohibentur munera largiri ex bonis ad Monaſterium pertinentibus; excipiuntur tamen Religioſi habentes beneficium Eccleſiaſticum; nam in Bulla prohibentur ſolum largitiones bonorum pertinentium ad Monaſterium, Moniales in hac Bulla compræhenduntur, quia in Bulla ſermo eſt de regularibus utriuſque ſexus; unde non poſſunt donare aliis bona etiam acquiſita proprio labore, & in Bulla non compræhenduntur; quia ex induſtria, nam quæ Religioſus acquirit Monaſterio acquirit. Novitii in hac Bulla non conprhenduntur quia ibi ſermo eſt de Religioſis: Novitii autem ante profeſſionem non ſunt Religioſi. Tertiaril ut plurimum in hac Bulla non compræhenduntur; quia non ſunt vere, & proprie Religioſi. Religioſi Societatis Ieſu compræhenduntur in hac Bulla, quia ſunt vere Religioſi. Religioſi militares non compræhenduntur.

Quænam perſonæ munera, ſeu largitiones à regularibus recipere nequeant Cap. 524.

1 OMnes tam mares, quam fæminæ, tam Eccleſiaſtici, quam Laici, cujuſcumque gradus, ordinis, ac dignitatis exiſtant: quamvis ſint Religioſi alterius, vel ejuſdem Monaſterii, vel ordinis, ſive ſint Superiores, ſive ſubditi, prohibentur dona recipere à Religioſis. Qui autem beneficia, vel munera contulit alicui Religioſo, vel Moniali, poteſt aliquid ab eodem in remunerationem, ſeu compenſationem accipere, modo munera accepta non excedant merita, nam qua parte excedunt merita revocantur ad donationem proprie & ſtricte acceptam.

Quibus pænis afficiantur qui munera capiunt à regularibus. Cap. 525.

1 REcipiens aliquid à Religioſo, vel Moniali extra caſus expreſſos tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ, nec abſolvi poteſt nondum facta reali reſtitutione, & hic caſus eſt Summo Pontifici reſervatus ante præſtitam ab accipiente ſatiſfactionem: qui autem aliquid accepit à Religioſo, ad illius reſtitutionem obligatur ante Judicis ſententiam: Nec valet abſolutio collata pænitenti ante actualem reſtitutionem, modo pænitens moraliter ſatisfacere poſſit abſque gravi damno, & incommodo, unde impotens ad ſatisfaciendum abſolvi poteſt data poſſibili cautione de reſtituendo. Confeſſarius autem, qui abſolutionem impendit nondum facta reali reſtitutione tenetur ipſe ad reſtitutionem, Reſtitutio autem rei acceptæ à Religioſo contra Clem. VIII. conſtitutionem facienda eſt Monaſterio, in quo degit Religioſus à quo res accepta fuit, ſeu alteri loco de cujus bonis res dono data fuit.

Quas pænas incurrant Religioſi conferentes munera ultra præſcriptam in Bulla Clem. VIII. formam. Cap. 526.

1 REligioſi largitionem facientes contra diſpoſitionum Bullæ Clem. VIII. plures pęnas incurrunt. Prima eſt privatio dignitatum, graduum, munerum, & officiorum. Secunda eſt incapacitas, & inhabilitas ad illa, & alia in futurum obtinenda. Tertia eſt perpetua infamia, & ignominia. Quarta privatio vocis activæ, & paſſivæ. Quinta ut contra ipſum regularem tamquam furti, & Simoniæ reum agi, & procedi valeat: pęnas autem privativas ad quarum executionem hominis actio requiritur non incurrit ante ſententiam criminis declaratoriam: alias verò pænas privativas, quæ actionem hominis ad ſui executionem non requirunt incurrit ante ullam judicis ſententiam: in his autem pænis diſpenſatio pertinet ad Summum Pontificem, dum res ad forum externum delata fuit

2 Ad incurrendam mortalem culpam contra paupertatis votum, ea quantitas ſufficit, quæ ex ſe præciſis aliis circumſtantiis ſufficit ad peccatum mortale furti: Ad pecca-

peccatum autem furti cenſeo ſufficere quantitatem duorum vel trium juliorum: & idem ſufficere ad mortale peccatum paupertatis. Ad incurrendas autem pœnas in conſtitutione Clem. VIII. impoſitas ea quantitas ſufficit, quæ à legitimo ſuperiore taxata fuerit: quantitas enim rerum minimarum, quæ cum debita licentia licite donari poteſt à Religioſis, taxanda eſt à Superioribus regularium: donatio autem rerum modicarum quotidiana moraliter loquendo cenſetur donatio magni momenti: unde ſi paulatim tradit modicam quantitatem abſque præfata licentia arbitror reum eſſe lethalis culpæ, atque pænarum, dum pervenit ad eam quantitatem, quæ requiritur ad culpam, & ad pænas Bullæ Clemen. VIII. ut ſuperius dictum eſt.

Quas eleemoſynas, aut donationes facere poſſint religioſi jure communi, ſeu præciſa Clement. VIII. Bulla, aut ubi ea recepta non fuit, vel quatenus recepta non fuit. Cap. 527.

1 PRælatus Religionis non ſolum poteſt eleemoſynas facere de ſuperfluis aut de non ſuperfluis Conventus; verum etiam alias donationes pro ratione adminiſtrationis ex cauſa, quam vir prudens ſufficientem exiſtimaverit, quia Prælatus Religionis eſt adminiſtrator bonorum Religionis: ergo licitè poteſt bona Religionis diſpenſare, & inſumere, pro ut recta ratio dictabit, modo aliud non ferat conſuetudo, vel ſtatutum Religionis, ſeu conventus circa quantitatem, modum, & dependentiam à majori parti capituli, vel à conſenſu non nullorum ad hoc deputatorum. Religioſus ſubditus non poteſt ullas eleemoſynas, vel donationes facere abſque ſuperioris licentia, quia non habet bonorum dominium, vel adminiſtrationem, & paupertatis voto detinetur.

2 Superior, qui facultatem Religioſo ſubdito concedere poteſt, eſt Generalis, aut Provincialis, vel immediatus Monaſterii ſuperior. Sic Abbatiſſa reſpectu ſuarum Monialium. Quantitas vero expendendi præfigi non poteſt, ſed judicio prudentis viri definienda eſt: non poteſt autem Superior concedere licentiam expendendi, ex quavis cauſa, ſed tantum ex cauſa juſta, & ſufficit licentiam eſſe tacitam: non excuſantur ſi dubitat de conceſſione, ſecus ſi probabiliter credit conceſſionem; quare Religioſus accipiens, vel expendens aliquid non petita expreſſa licentia excuſatur quoties in tali Religione viget conſuetudo illa accipiendi, vel expendendi abſque expreſſa licentia; quia cenſetur adeſſe tacita voluntas, & licentia Superioris: nec peccat mortaliter accipiendo, vel expendendo aliquid in propria extrema neceſſitate: quia cenſetur Superiorem conſentire; nec peccat Religioſus, cui datur certa quantitas ad ſui ſuſtentationem, nec Monaſterium tenetur aliud ei tradere, ſi expendat id, quod de ea quantitate ſubtrahit parce vivendo, in hoc enim caſu adeſt tacita licentia. Idem dicendum de Religioſis extra monaſterium cum debita facultate exiſtentibus; ſeque proprio labore, & induſtria ſuſtentantibus, nec quicquam à Monaſterio recipientibus quia eo ipſo, quod Religioſo certa quantitas præſcribitur; aut facultas alendi ſe ſua opera, & induſtria datur: cenſetur etiam tacitè dari licentiam expendendi in pios, vel honeſtos uſus id, quod ſubtraxerit. Idem dicendum de Religioſo, qui à Monaſterio ſuſtentatur in ſtudiis, vel alibi cauſa negotiorum, aut peregrinationis, nam hic poteſt moderatas eleemoſinas facere, & moderatam quantitatem cauſa honeſtæ recreationis, ſeu ludi expendere. Sic etiam Procuratores, Cellerarii, & his ſimiles poſſunt eleemoſynas, vel donationes facere juxta quantitatem adminiſtrationis, & conſuetudinem; quia cenſetur Superiorem contuliſſe hanc facultatem; ſic Monachus ſurans aliquid extraneo poteſt reſtitutionem facere ex peculio, quod habet cum licentia diſponendi, ut ſibi placuerit. Sic non peccat accipiendo, & diſtrahendo aliquid Superiore vidente, & non contradicentes: ſic excuſatur à mortali accipiens, vel expendens aliquid ex tacita voluntate Superioris, qui licentiam concederet, ſi peteretur. Non autem excuſatur, ſi rem accepit, vel expendit cum licentia per dolum obtenta. Nec excuſatur expendens aliquid in profanos uſus, nam non præſumitur tacita licentia.

3 Qui aliquid accepit à Religioſo, non habente tacitam, vel expreſſam facultatem diſtrahendi, tenetur ad reſtitutionem: quæ facienda eſt Monaſterio, modo

Superior juſta de cauſa non condonet reſtitutionem, quæ reſtitutio fieri poteſt etiam eidem Religioſo: Religioſus qui habuit à Superiore rem Monaſterii in proprium uſum, & commodum, re pereunte, vel deteriorante, tenetur de lata culpa, non de levi; quia Religioſus non ita ſevere obligatur, ſicut extranei.

TRACTATIO, SEU DISPUTATIO QUARTA.

De obligatione Beneficiariorum circa Beneficiorum fructus, & proventus in pios uſus expendendos.

Utrum beneficiarius dominium habeat fructuum, & proventuum.
Cap. 528.

1 Beneficiariorū bona, vel ſunt patrimonialia; aut quaſi patrimonialia, aut mere Eccleſiaſtica: Patrimonialia ſunt, quæ acquiſivit donatione, labore, hæreditate, aut ſimili alia ratione. Quaſi patrimonialia ſunt: quæ recepit tamquam Clericus, ſed non habita ratione beneficii, ut concionando; Miſſam celebrando, funus ducendo, &c. Mere Eccleſiaſtica ſunt ea quæ beneficiarius titulo beneficii acquirit, ut ſunt primitiæ, decimæ, redditus, & fructus beneficii. Nomine Dominii intelligitur jus, & facultas diſponendi ad ſuum libitum ſuo nomine de re aliqua.

2 Beneficiarius Dominium habet bonorum patrimonialium; ſicut etiam Dominium abſolutum habet bonorum quaſi patrimonialium: & fructuum, & proventuum beneficii.

Utrum Beneficiarius poſſit fructus Beneficii ad ſuum libitum expendere vel teneatur illos in pios uſus erogare.
Cap. 529.

1 Fructus, & proventus beneficii alii ſunt neceſſarii ad ſubſtentationem Beneficiarii, alii ſunt ſuperflui: fructus neceſſarii ad ſuſtentationem diſpenſari poſſunt ad libitum beneficiariorum ſicut poſſunt bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia: & propterea in iis caſibus, in quibus beneficiarii non tenentur bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia in opera pia expendere, neq; tenentur fructus Beneficii, ſibi ad ſuſtentationem neceſſarios in opera pia erogare; fructus vero beneficii ſuperflui in pios uſus erogari debent ex *Trid. ſeſſ.* 25 *c.* 1. Qui autem habet patrimonium pingue, poteſt beneficium quo vivat acquirere: & patrimonium propinquis, aut aliis reſervare. ea autem pars fructuum beneficii conſtituenda eſt, quæ ad beneficiarii, & ipſius familiæ ſuſtentationem neceſſaria judicatur, habita ratione ſcientiæ, & litteraturę, nobilitatis, aut dignitatis, quam beneficiarius habet; aut loci in quo beneficium habet, nam major quantitas neceſſaria eſt in Civitate, quam in Villa.

2 Beneficiarius, qui fructus beneficii ſuæ ſuſtentationi ſuperfluos non in pios uſus, ſed in profana opera expendit graviter peccat, quia facit contra ſtrictum Tridentini præceptum *ſeſſ.* 25. *n.* 1. Et propterea Beneficiarius debet quod ſibi de beneficii fructibus, & proventibus ſupereſt expendere in pios uſus, ut in uſum fabricæ Eccleſiæ, domus Religioſæ, & ſimilia: ſic in opera hoſpitalitatis expendere, ut domi peregrinos, advenas, aut etiam amicos, & notos excipiendo, ſic enim non dicitur profane erogare: ſic etiam in recognitionem obſequii, & officii in ſui utilitatem præſtiti, elargiri: ſic poteſt ſuperfluos tradere titulo paupertatis; parentibus, & conſanguineis indigentibus: ita poteſt ex beneficii fructibus alere filios non ſolum legitimos, verum etiam ſpurios, dum aliud non habet, quo ipſos alat, quia eſt opus pietatis; & ſic poteſt ex fructibus beneficii rationabilem dotem filiæ ſpuriæ, vel ſorori tradere, dum aliunde non habet, quo illis conſulat, nam dos in locum alimentorum ſubrogatur. Qui vero percipit penſionem ex aliquo beneficio poteſt, ut voluerit diſpenſare ſaltem id, quod congrue ſuſtentationi, parce vivendo ſubtraxit: & idem dicendum arbitror de penſionario, ac de beneficiario, ſic beneficiarius poteſt diſtributiones pro ſua libertate, & arbitrio diſponere.

Utrum

Utrum Beneficiarius teſtari poſſit de beneficii fructibus, & proventibus, eoſque conſanguineis relinquere.
Cap. 530.

1 Beneficiarius attento jure communi antiquo non poteſt de beneficii fructibus teſtari, & diſponere ad cauſas profanas; tamen ex privilegio, vel conſuetudines pluribus in locis recepta poteſt etiam ad cauſas profanas de beneficii fructibus teſtari: quia hujuſmodi conſuetudo potuit induci, quia juri divino, vel naturali non adverſatur: quia alioquin neq; Summus Pontifex poſſet Clericis teſtandi facultatem concedere niſi fuiſſent Domini fructuum, & proventuum beneficii. Beneficiarius non ſolum valide, verum etiam licite poteſt teſtari de bonis patrimonialibus vel quaſi, aut de fructibus beneficii neceſſarii ad congruam ſui, & familiæ ſuſtentationem, ubi conſuetudo invaluit, ut beneficiarii teſtentur: ſi verò loquamur de fructibus congruæ ſuſtentationi ſuperfluis, arbitror Beneficiarium non poſſe licite de hujuſmodi bonis teſtari: quia uſu receptum non eſt quoad cauſas profanas in beneficii fructibus, qui congruæ ſuſtentationi neceſſarii non ſunt, poſſe teſtari

Utrum beneficiarius qui beneficii fructus ſuæ congruæ ſuſtentationi ſuperfluos in profanos uſus erogavit ad reſtitutionem teneatur. Cap. 531.

1 Beneficiarius, qui beneficii fructus ſibi ſuperfluos expendit non in pios, ſed in profanos uſus non tenetur ad reſtitutionem, nam eſt dominus fructuum beneficii, unde non tenetur ad reſtitutionem qui rem ſuam diſtraxit, & propterea ille, qui fructus a beneficiario accepit, non tenetur ad reſtitutionem; & ſic excuſatur hæres a culpa capiendo fructus, ſeu bona beneficiarii, dum illi ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedit, nam obligatio expendendi beneficii fructus in pios uſus eſt perſonalis pertinens ad ſolum teſtatorem: ergo hæres non peccat illos capiendo: fieri tamen poteſt, ut prius peccaverit, ſi beneficiarium induxit ad teſtandum ad profanas cauſas de ſuperfluis beneficii fructibus: tunc .n. cooperatur peccato beneficiarii.

2 Beneficiarius non eſt Dominus bonorum Immobilium Eccleſiæ, ſed uſuarius, vel uſufructuarius, unde non habet de illius facultatem diſponendi, ſed validè poteſt de fructibus beneficii diſponere: ut melius hoc intelligatur dicendum eſt. Uſuſfructus eſt jus utendi, & fruendi aliena re ſalva illius ſubſtantia, Uſus verò eſt jus ſolum utendi aliqua re, ſalva illius ſubſtantia: unde ſunt differentes, licet ſtrictius utendi: tamen uſuſfructus eſt etiam jus ſi uendi; quare cui conceditur uſus alicujus rei, poteſt quidem re illa uti, non tamen poteſt uſum illius rei vendere, locare, aut gratis concedere; qui vero habet uſumfructum, non ſolum poteſt re illa uti, verum etiam frui, ideſt percipere quicquid emolumenti ex re illa percipi poteſt, niſi à jure prohibeatur unde poteſt illius fructus alienare alioquin non diceretur re illa frui, ſeu percipere quicquid emolumenti ex re illa percipi poteſt: propterea beneficiarius dicitur uſu fructuarius, & non tantum uſuarius bonorum beneficii & propterea fructuum & emolumentorum eſt dominus.

TRACTATIO SEU DISPUTATIO QUINTA.

De onere, & obligatione beneficiariorum ad reſidendum.

Quid ſit reſidentia. Cap. 532.

1 Reſidentia eſt perſiſtentia in loco, quo quis habet beneficium: ideo dicitur ille non reſidere, qui non habitat in loco beneficii, ſed ab eo longe diſtat; dicitur autem reſidere licet non multum à Parochia diſtet: & ad ipſum Parochianis aditus patet, unde facile queunt ad Parochum recurrere pro ſublevanda ſpirituali neceſſitate, tamen melius eſt Parochum prope Eccleſiam commorari, non autem dicitur non reſidere, qui aliquibus diei horis extra paræciæ ambitum ſe confert, quia nullus ſibi hac in re conſcientiam peccati faciat.

Quinam reſidere teneantur. Cap. 533.

1 Omnes, & ſinguli beneficiarii, qui onus per ſe ipſos in loco beneficii

cli exercere debent ad reſidentiam obligantur, quia beneficium datur propter officium, quod ſi præſtari nequeat abſque reſidentia, ſequitur Beneficiarium teneri ad reſidentiam. Parochus dum intra parochiæ ambitum commoratur ſed animarum curam non exercet, non ſatisfacit præcepto reſidendi, quia perinde eſt, ac ſi non reſideret, & ideo ad reſtitutionem fructuum eo tempore perceptorum obligatur, poteſt autem fructus percipere, & retinere, quoties ita per Capellanum inſervit, ut oves nullum grave detrimentum inde ferant: quia hic exiſtit intra terminos paræciæ, & licet formaliter ſuæ obligationi non ſatisfaciat, materialiter tamen ſatisfacit.

Quo jure teneantur beneficiarii in loco beneficii reſidere. Cap. 534.

1 Beneficiarii curam animarum gerentes, ut Epiſcopi, & Parochi reſidere tenentur jure divino, naturali, & Canonico: Jure naturali, quia curatores animarum ſuſcepto jam munere, & officio, tenentur jure naturali paſcere gregem, & ſubire onera ſui officii. Jure divino, colligitur ex verbis Chriſti, (Paſce oves meas) Jure Eccleſiaſtico ex *Trid. ſeſſ. 23. c. 1.*

Quam culpam, & pœnam incurrant beneficiarii, quando in loco beneficii non reſident. Cap. 535.

1 Parochus aliuſve curator animarum graviter peccat non reſidendo, niſi materiæ parvitas, aut alia juſta circumſtantia ſufficientem præbeat excuſationem, quia facit contra propriam obligationem in re gravi. Beneficiarius, qui non reſidet, dum reſidere tenetur, præter culpam, fieri poteſt, ut incurrat aliquam cenſuram, vel beneficii privationem, aut aliam pœnam quam ordinarius loci pro qualitate contumaciæ, & inobedientiæ à non reſidentibus incurrendam iniunxerit juxta facultatem ſibi collatam in *Trid. ſeſſ. 23. c. 1.* & qui non reſidet præter culpam, & pœnas incurrit privationem fructuum pro rata abſentiæ, quia ita ſtatuit *Trid. loc. cit. verſ.* ſi quis: cui autem facienda ſit reſtitutio conſtat ex ipſo *Trid. ſeſſ. 32. c. 1.* ubi ait reſtitutionem faciendam eſſe fabricæ Eccleſiæ; vel Pauperibus, nec obtinere poſſe compoſitionem. Parochus autem, aut Epiſcopus non reſidens, non tenetur ſimpliciter ad integram omnium fructuum reſtitutionem: ſed illorum, qui ratione reſidentiæ, & oneris reſidentiæ percipiuntur, quia Parochus, aut Epiſcopus non ſolum recipit fructus beneficii pro reſidentia: ſed etiam pro recitatione Divini Officii, unde non ſolum haberi debet ratio reſidentiæ, ſed etiam oneris ad Canonicas Horas perſolvendas: quare coadiutor, conſtituta illi certa fructuum quantitate non poteſt ullos fructus percipere pro tempore abſentiæ: quia hic non habet onus recitandi officii ex vi coadiutoriæ, cum ad curam animarum deputatus ſit. Pœnam autem fructuum privationis, Parochus, aut Epiſcopus aliuſque curam animarum habens, ante ullam judicis ſententiam incurrit ex Trid Parochus autem non tenetur ad reſtitutionem niſi ultra bimeſtre abſit: quia Tr. hujuſmodi abſentiam impune permittere videtur, ſaltem ſi abſentiæ juſta cauſa ſequatur, & propterea qui juſta de cauſa ultra bimeſtre non reſidet, tenetur ſolum ad reſtitutionem fructuum pro tempore, quod bimeſtre excedit.

Quandonam beneficiarii non reſidentes excuſentur a culpa, & pœna. Cap. 536.

1 Beneficiarii non reſidentes excuſantur à culpa, & pœna dum abſunt ex iſta cauſa cum legitima Superioris licentia: quia cum abeſt ex juſta cauſa, cum licentia Superioris non tranſgreditur legem; juſta autem cauſa obtinendæ licentiæ ad non reſidendum pro aliquo tempore quadruplex eſt, ſcilicet Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Rei publicæ utilitas ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 12.* quare Parochus tutus eſt in conſcientia dum non reſidet ob inimicitias cum periculo vitæ, vel obtenta ab Epiſcopo licentia non poteſt ſine periculo reſidere ob peſtem: vel abſens ex privilegio Summi Pontificis, vel abſens ad redimendas controverſias inter aliquos ortas, vel ad alia opera Charitatis proximi quia titulo charitatis abeſſe dicitur; ſic excuſantur inſervientes Papæ in utilitatem Eccleſiæ. Sic excuſatur Epiſcopus, qui in utilitatē ſuæ, vel alterius Eccleſiæ abeſt. Officium autem

autem inquiſitoris, aut ſub collectoris non excuſat à reſidentia Beneficii Parochialis, niſi tamen neceſſitas aliquando urgeat ad hæc munera obeunda: excuſatur etiam à reſidentia, qui cauſa litis ſui beneficii abeſt. Canonicus poteſt de licentia Epiſcopi abeſſe in viſitanda Diœceſi, & aliis Eccleſiæ, & Epiſcopo ſervitiis præſtandis, licentia autem obtinenda eſt in ſcriptis.

TRACTATIO, SEU DISPUTATIO SEXTA.

De onere, & obligatione denunciandi eos, quos jura, vel edicta denunciari præcipiunt.

De onere, & obligatione denunciandi in genere loquendo.

Quinam teneantur ad denunciandum ex vi monitorii. Cap. 537.

1 MOnitorium eos ſolum obligat ad denunciandum, quos Judex, ſeu Superior intendit obligare, & cum Judex fert monitorium in gratiam petentis ligare non intendit ultra intentionem petentis.

Utrum qui tenetur ad denunciandum, debeat eſſe ſubditus illi, qui monitorium, edictum aut legem ſub pœna Cenſuræ tulit. Cap. 538.

1 QUi ad denunciandum ſub pœna cenſuræ obligatur debet eſſe ſubditus ipſimet ferenti cenſuram, quia actus juriſdictionis exerceri non poteſt in non ſubditos, ſi loquamur de monitoriis ſtricte acceptis, & certas quaſi perſonas reſpicientibus. Secus ſi loquamur de monitoriis latis per modum legis; ſeu ſtatuti, quamquam hæc proprie loquendo non vocantur monitoria.

Utrum teneamur ad denunciandum in delictis in damnum noſtrum ab aliis patratis, aut dum ex denunciatione damnum nobis impendet. Cap. 539.

1 NEmo tenetur in delictis, ab aliis commiſſis in ſui damnum, ſeu in cauſa propria denunciare delinquentem, niſi aliter poſtulet commune bonum, aut niſi alia circumſtantia obligationem inducat: quia non eſt præſumendum Prælatum velle obligare contra Evangelica conſilia; conſilium autem Evangelicum eſt injurias proprias condonare; ratione vero circumſtantiæ alicujus fieri poteſt, ut obligemur, ut in fæminis, quæ à Confeſſariis ſolicitantur ad turpia; nec eſt obligatio denunciandi, quando ex denunciatione magnum imminet periculum, & detrimentum denuncianti, unde ſi ego privatim novi aliquod delictum, quod etiam delinquens novit à me ſciri, ita ut poſſit colligere denunciationem à me factam fuiſſe, & non ab alio non teneor denunciare, quoties ex denunciatione periculum mihi impendet in vita, vel in bonis, &c. modo crimen non urgeat in detrimentum, & damnum publicum: nam bonum commune præferendum eſt privato, quare fur, vel ſocius delicti non tenetur ex vi monitorii ad manifeſtandum delictum proprium, niſi juridice interrogetur, nec uxor tenetur maritum denunciare, quia cenſetur unum, & idem cum ſuo marito, ſunt enim duo in carne una, nec filius tenetur delictum Patris, nec Pater delictum filii; quia damnum patris redundat in filium, & contra: ab hac autem doctrina excipitur crimen hæreſis: quia hujuſmodi crimen vergit in detrimentum commune, & ſerpit ut Cancer, & etiam læſæ majeſtatis quando in fieri: ſic etiam excipitur crimen Blaſphemiæ, eo quod honor, & gloria Dei præferri debeat reverentiæ Parentum, & ſic excipitur crimen Confeſſarii ſollicitantis in Confeſſione.

An ea denunciare teneamur, quæ non ſcimus vere, & realiter, aut quæ probare non poſſumus. Cap. 540.

1 NOn eſt obligatio denunciandi ea, quæ non vere, & realiter ſcimus, quia obligatio non eſt extendenda ultra id, quod exprimatur: edicta autem loquuntur de ſcientibus, qui ſcilicet, & vere, & realiter ſciunt, nam ſcire proprie eſt veritatem viſu, vel alio corporis ſenſu perceptam mente retinere: & propterea non obligamur ad denunciandum ea, quæ à levibus perſonis, quæ non ſunt fide dignis acce-

accepimus : ſed ad ea denuncianda, quæ ſcimus per viſum, vel alium ſenſum externum : nec tenemur denunciare audita à fide digno, ſed non meminimus à quo, vel quæ audivimus à perſonis ignotis : nec tenemur denunciare delictum ab eo auditum, qui jam denunciavit: quia denunciatio eſſet inutilis; nec tenemur denunciare, quando certo ſcitur, vel probabiliter creditur nullum remedium adhibendum eſſe à Prælato; nec tenemur denunciare ea, quę non poſſumus probare per teſtes, vel ſcripturas, quando autem in edicto præcipitur non denunciatio ſed teſtificatio, tunc tenemur teſtari ſi juridice interrogemur* : ſi autem tenemur denunciare, delictum reſpiciens fidem, & Chriſtianam Religionem ut eſt hæreſis, vel blaſphemia hæreticalis tenemur denunciare quia in hujuſmodi caſu creditur uni teſti, ſic quando crimen vergit in grave damnum Communitatis.

* *Nota, quod Alexander VII. damnavit illam propoſitionem, quę dicit. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſit.*

An teneamur ea denunciare quæ novimus ſub ſecreto, aut quæ juramento promiſimus, non denunciare.
Cap. 451.

1 NEmo poteſt vi edicti cogi ad revelandum id quod novit ſub ſecreto noturali, ut quod novit per ſolam conſultationem præſtandam, vel ad remedium adhibendum pro ſalute animę, aut corporis, aut honoris, aut pro defenſione bonorum externarum : obligatio enim ſecreti eſt de jure naturæ, unde revelans in hoc caſu peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem etiã ſi revelet id de quo præceſſit infamia vel ſemiplena probatio; quia Superior non poteſt aliquid pręcipere contra ius divinum vel naturale, qui autem tenetur revelare non eximitur ab obligatione revelandi, etiam ſi promiſerit cum juramento non revelare : nam juramentum de re illicita non obligat.

An juſtos rei alienæ detentores manifeſtare teneamur vi edicti, quo jubemur detentores rei alienæ manifeſtare.
Cap. 542.

1 QUando in edicto percipiuntur manifeſtari fures, vel injuſti detentores, non eſt obligatio denunciandi juſtum compenſatorem; aut alium juſtum detentorem; quia excommunicatio cadit ſupra injuſtum detentorem : nec tenetur denunciare debitorem, quem novit non poſſe reſtituere ob impotentiam. Conſcius vero juſtæ compenſationis vel alterius legitimæ cauſæ in quibus non tenetur denunciare, poteſt jurare, ſe nihil ſcire intelligendo intra ſe, ut teneatur manifeſtare, quia juſtam habet tergiverſandi cauſam. Conſcii vero ligantur excommunicatione non denunciando, quando dubitant de juſtitia compenſationis, vel impotentia reſtituendi; niſi rationabiliter deponat dubium. Qui occultant bona ob es alienum, vel ob delictum commiſſum officio, vel ne à creditoribus capiantur tenentur vi monitorii ad illam manifeſtanda; nam hujuſmodi bona non poſſunt retineri vel occultari in fraudem creditorum : ſic qui habet ſcripturas tenetur illas vi monitorii exhibere ſub cenſura, quoties exibendo, vel revelando, non patitur grave damnum.

Quando nam incipiat obligatio denunciandi, & utrum qui excuſatur a culpa non denunciando, excuſetur etiam a cenſura.
Cap. 543.

1 OBligatio in monitoriis conſtituta ad revelandum incipit à die, & hora, qua publicatur monitorium : tunc .n. vim habet obligandi, & propterea qui non revelavit intra terminum aſſignatum ſub excommunicatione latę ſententię ſtatim tranſacto termino ligatur vinculo excommunicationis : modo quis ob juſtam, & rationabilem cauſam non excuſetur, & monitorii non habeat notitium. Quia is excuſatur etiam ab incurrenda excommunicatione lata in monitoriis, quia excommunicatio ſupponit peccatum mortale.

An

Digitized by Google

An fraterna correctio præmittenda ſit, antequam denunciatio fiat: & qua forma fieri debeat denunciatio.
Cap. 544.

1 QUando Prælatus præcipit maniſeſtari delinquentem ad ipſius emendationem, vel ſatisfactionem partis vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda eſt fraterna correctio ante denuntiationem, modo ſperetur emendatio per correctionem: quia præceptum Superioris non eſt contrarium Evangelio: unde ſi facta correctione delinquens jam ſit emendatus, vel ſatisfecerit, non licet amplius eum denunciare, modo ſuperior intendat ſolum emendationem, & ſatisfactionem, ſi verò intendat etiam punitionem in ſua inquiſitione, incurritur excommunicatio non denunciando delinquentem, etiam jam emendatum, modo delictum ſit publicum; quando autem non ſperatur correctio delinquentis, delinquens denunciandus eſt. Hæreticus autem ex malitia denunciandus eſt ante correctionem. In revelatione ritè recipiatur per Notarium approbatum, nec ſolum fiat ore, & expreſſo nomine, & cognomine deferentis.

An obligatio denunciandi finiatur lapſo termino præſcripto ad denunciandum.
Cap. 545.

1 QUi non denunciat intra tempus præſcriptum in edicto, tenetur elapſo eo tempore denunciare quam primum commode poteſt; quia terminus non apponitur ad finiendam obligationem denunciandi; ſed ad eam ſollicitandam; unde qui non revelavit termino præfixo ligatur excommunicatione; & ſemper tenetur ſub eadem excommunicatione denunciare, qui autem ob aliquam cauſam juſtam non denunciavit in termino præfixo, ſublata cauſa tenetur ſub eadem excommunicatione denunciare; & ita qui in termino præfixo non denunciavit, toties incurrit excommunicationem, quoties poteſt commode denunciare, & non denunciat.

Quis abſolvere poſſit à cenſuris, & pœnis in edicto impoſitis contra non revelantes.
Cap. 546.

1 NEmo poteſt abſolvere ab excommunicatione contracta ob inobedientiam contra edicta, & monitoria; niſi facultatem abſolvendi habeat ab eo, qui tulit edictum, & monotorium: A cenſuris autem occultis latis in edictis & monitoriis & non deductis ad forum contentioſum poteſt Epiſcopus vel ejus Vicarius abſolvere quia Trid. abſolute concedit Epiſcopis facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis unde cum Trid. abſolute loquatur, nec diſtinguat de cenſuris præteritis, vel futuris; ideo dicendum eſt poſſe abſolvere ab hujuſmodi caſibus.

De obligatione, & pœnis contra eos, qui hæreticos non denunciant.
Cap. 547.

1 QUilibet ſub mortali tenetur jure communi hæreticum denunciare ex c. 2. de hæreticis, ſi delictum ſit occultum, ut probari non poſſit; & etiam ſi hæreticus denunciandus ſtrictiſſimo conſanguinitatis vinculo nobis conjunctus ſit, unde tenetur denunciare frater fratrem, Pater filium, & etiam filius patrem: quia hæreſis adeo pernicioſa eſt bono communi, ut damnum, quod ex ea Republicæ imminet, præferendum ſit damno parentum, vel conſanguineorum: ac etiam ſi hæreſis alterius nobis manifeſta fuerit ſub ſecreto, præciſo tamen ſecreto Confeſſionis, & etiam ſi hæreticus fuerit emendatus: quia fieri poteſt, ut hæreticus fingat ſe correctum metu denuntiationis: poteſt autem quis retrahi à denuntiatione ob metum gravis damni, vel quia non certo novit, ſed tantum modo ſuſpicatur aliquem hæreticum eſſe, aut dum hoc audivit à perſona non fide digna; vel ſi audierit à perſona fide digna; non amplius recordatur à quo audierit: in his enim caſibus denunciare non tenetur, vel ſi hæreticus ſit ſocius criminis; ut ſi particeps, vel cauſa fuit cur alter fieret hæreticus: quia nullus tenetur ſe ipſum prodere, niſi juriſdice interrogetur; denunciandi

etiam

etiam ſunt; Apoſtatæ à fide nam differt ſpecie ab hæreſi, licet ſit gravior hæreſi, cum Apoſtata recedat à tota fide Chriſtiana: ſic etiam denunciandi ſunt, qui maleficia, ſeu ſortilegia exercent inito pacto cũ Dęmone.

2 Licet multi D D. arbitrentur eum qui non denunciat hæreticum jure communi affici excommunicatione; tamen probabilius mihi videtur non affici excommunicatione ipſo facto: quia in ullo textu eſt expreſſa iſta excommunicatio: perſpicuum tamen eſt jure particulari, & edictis inquiſitorum, & Epiſcoporum pluribus in locis excommunicationis latæ ſententiæ pæna præcipi, ut hæretici intra certum temporis ſpatium denuncientur,& qui non denunciavit tempore præſcripto tenetur adhuc denunciare, quia terminus non apponitur ad finiendum, ſed ad ſollicitandum obligationem.

* *Sententia contraria fuit damnata ab Alexandro VII. 24. Septembris 1665.*

De Obligatione denunciandi Confeſſarium ſollicitantem pœnitentes ad Turpia, & inhoneſta. Cap. 548.

1 VErbum (ſollicitare) licet aliquando accipiatur pro verbo pluries inſtare, & requirere, aliquando pro moleſtare, offendere, ſeu faſtidire, aliquando pro expediri: hoc tamen in loco ſignificat provocare, ſeu allicere, ſeu precibus cogere: ſeu alia ratione invitare ad turpia, & inhoneſta: ideſt ad res carnales,& venereas, & propterea Confeſſarius, qui pænitentem in confeſſionali oſculatur, aut cum venerea delectatione manus, vel aliam partem pęnitentis attrectat, aut ictu oculorum, aut alio ſigno ad libidinem provocat, ſubiicitur pænis contra ſollicitantes impoſitis, quia dicitur ſollicitare ad inhoneſta.

2 Certum eſt obligationem extare denunciandi Confeſſarium ad inhoneſtos actus ſollicitantem, ſic enim expreſſe habetur in litteris Clem. VIII., & in Bulla Gregorii XV. ſive penitens conſenſerit provocationi, & ſollicitationi Confeſſarii, ſive non, ſive actus completus fuerit, ſive non, ſufficit enim, ut Confeſſarius tentaverit ſollicitare, vel provocare pænitentem aut cum eo illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerit; etiam taſſim pæniteat ſollicitaſſe pænitentem quia quod factum eſt, non poteſt eſſe non factum; vel ſi Confeſſarius tentaverit allicere, & provocare verbis expreſſis, ſive tacitis; ſive Confeſſarius tentaverit provocare, ſeu allicere pænitentem ad peccandum ſecum, ſive cun tertia perſona, ſive tentaverit in actu confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, ſive confeſſio, vel abſolutio ſecuta fuerit, ſive non, immo etiam extra occaſionem confeſſionis, ſi provocatio fiat in confeſſionali, ſeu in loco, ubi confeſſiones audiuntur, ſeu electo ad confeſſiones audiendas, & Confeſſarius ſimulabat ſe ibi velle confeſſionem audire: quæ obligatio denunciandi intelligenda eſt etiam ſi Confeſſarius pænitentem ad veneream ſollicitaverit, antequam iſtæ Bullæ promulgentur, quia Pontifices mandant Inquiſitoribus, ut in pręmiſſis dil genter inquirant, ergo poteſtatem conferunt inquirendi de crimine ſollicitationis, ſive patratum fuerit poſt Gregorii conſtitutionem, ſive ante illius editionem: licet Confeſſarius in hoc caſu non eſt puniendus juxta Gregorii conſtitutionem, cum hæc nondum edita eſſet, dum ipſe deliquit: non autem eſt denunciandus ſi ſollicitaverit occaſione aliorum Sacramentorum, vel non fuerit Sacerdos; nam ſi fæmina ſe tranſtulit animo confitendi, & arbitratur Laicum eſſe Sacerdotem qui eam ſollicitavit; non ſubiicitur pænis: quia pænæ contra Sacerdotes edictæ non afficiunt Laicos, quibus pænis non modo ſubiciuntur Sacerdotes ſaculares, ſed etiam Regulares, immo etiam Epiſcopi quia verba conſtitutionis generaliſſima ſunt de quibus libet Sacerdotibus.

3 Præceptum denunciandi Confeſſarium ſollicitantem obligat ſub mortali: præceptum enim in materia gravi obligat ſub mortali, & pœnitens non detegit turpitudinem ſuam manifeſtando Confeſſarium eum ſollicitaſſe: quia non tenetur dicere ſe conſentiſſe Confeſſario: ſed ab illo eſſe ſollicitatum, immo ſi pęnitens interrogetur num conſenſerit, non tenetur reſpondere, denunciatio autem facienda eſt licet non poſſit probari. Pontifex autem dum actum denunciationis præcepit, reſpexit virtutem Religionis, ne injuria Sacramento Pænitentię fiat. Pęnitens vero non tenetur denunciare Confeſſarios: ſi ad alia peccata ſollicitaverint, ſed non ad venerea.

4 Om-

4 Omnes tam mares quàm fœminæ tenentur denunciare confeſſarium, qui eos ad turpia ſollicitare, vel provocare tentavit occaſione, vel prætextu confeſſionis: quia Pontifices de omnibus generaliter loquuntur præſertim Greg. XV. non autem pœnitens tenetur denunciare Confeſſarium, quem ipſe pœnitens ſollicitavit, quia in Bullis ſermo eſt de Confeſſariis ſollicitantibus, hic autem non ſollicitavit pænitentem, ſed ipſe ſollicitatus eſt à pænitente. Pænitens tenetur denunciare Confeſſarium, qui eam induxit, ut filiam ſibi proſtituat, ſeu aliam inducat ad peccandum ſecum, vel cum alios: quia hoc in Bulla Greg. continetur. Confeſſarius verò ſollicitatus à pænitente in confeſſione non tenetur pænitentem denunciare: quia conſtitutiones loquuntur de Confeſſariis.

5 Sacerdos ſollicitans gravibus pœnis afficiendus eſt pro qualitate criminis, ut in Bulla Greg. XV. & ad Inquiſitores, Epiſcopos, ac Ordinarios locorum pertinet inquirere, cognoſcere, & pænam imponere ob crimen ſollicitationis. Non poteſt autem Epiſcopus, vel Inquiſitor, Sacerdotem de hoc crimine delatum punire ſi delictum non probetur, quia Judex non poteſt pœnam de aliquo ſumere, niſi legitime conſtet ipſum deliquiſſe, alioquin exponeret ſe periculo puniendi innocentem: magnum tamen in hac re ſupremis Inquiſitoribus arbitrium conceditur, ſervatis prudentiæ regulis. Crimen autem hoc non poteſt cognoſci niſi per fœminas: quæ ſunt teſtes ſingulares: & licet teſtes ſingulares non probent, tamen quoties crimen alia ratione probari non poteſt probant, & licet fœminæ non admittantur ad probationem, tamen in quibuſdam delictis enormibus, vt eſt ſollicitatio, admittuntur. Delictum verò plenè probari non poteſt teſtimonio duarum fœminarum: quia cùm fœminæ leves ſint, & mutabiles: etiam ipſarum teſtimonium debile cenſetur, & infirmum. Quot verò fœminæ, ſeu perſonæ ſufficiant ad plenè probandum præfatum crimen, relinquitur judicio Inquiſitorum, ſpectatis circumſtantiis, & qualitate perſonæ denunciantis, & Sacerdotis denunciati, & hoc præſertim valet dum Sacerdos ob hujuſmodi crimen Curiæ Seculari tradendus eſt, ut perſpicue conſtat ex verbis Bullæ Greg. XV. Inquiſitores cogere poſſunt Confeſſarium ſollicitantem pænitentem in confeſſione ad abiurandum, quia hujuſmodi Confeſſarius cenſetur ſuſpectus de hæreſi, ut decernitur in conſtitutionibus Pii IV. Pauli V. & Greg. XV. Suſpectum autem de hæreſi cogi debet ad abjurandum.

* *Adverte, quod ab Alexandro VII. die 24. Septembris damnata fuit illa propoſitio, quæ dicit; Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pænitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

Finis Tomi Primi.

SYM-

SUMMA BONACINÆ.

Tomus Secundus.

Tractatus de Legibus.

Diſputatio prima de Legibus in genere, & in particulari.

De iis quæ pertinent ad Legem præceptivam, & pænalem.

Quid ſit Lex. Cap. 549.

LEX varie definitur, ſcilicet: Lex eſt præceptum commune, juſtum, ac ſtabile ſufficienter promulgatum; vel Lex eſt rationis ordinatio oſtendens homini quid agendum, quidve non agendum ſit in commune bonum inſtituta: ſed communiter definitur ſic, Lex eſt ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, ſeu ab eo qui poteſtatem habeat obligandi; Lex. n. eſt quædam directio, ſeu regula, qua ſubditi recta ratione diriguntur, Lex autem debet eſſe promulgata: nam Superior non poteſt ſua voluntate ad aliquid faciendum obligare; niſi ſuam voluntatem exterius manifeſtet, & debet habere vim cogendi, & inducendi ad præſtandum opus præſcriptum, hanc autem vim non habet, niſi feratur ab habente curam communitatis, & obligandi poteſtatem & fertur ob bonum commune, quia dum lex fertur per publicam poteſtatem, poteſtas publica ſpectat bonum commune, & licet aliquæ leges immediatè ferantur ob bonum particularium perſonarum, ut ſunt leges conditæ in favorem minorum pupillorum &c. tamen cedunt etiam in bonum commune, & propterea omnes Leges per ſe primò, & principaliter reſpiciunt bonum commune quoad intentionem; quoad executionum vero aliquando reſpiciunt principaliter bonum privatum, & ſecundario publicum, & aliquando principaliter publicum, & ſecundario privatum, & hæc eſt differentia inter Legem proprie acceptam, & præceptum imponi poteſt perſonæ particulari, Lex verò Communitati imponi conſuevit.

2 Ad condendam Legem humanam requiruntur aliquæ conditiones; quarum Prime eſt, ut Lex ſit juſta; Secunda ut promulgatur; Tertia ut feratur à legitimo Superiore: Quarta ut feratur ob commune Bonum mediatè, vel immediatè, & propterea Lex omnino inutilis communitati non obligat: nec peccat qui eam non ſervat præciſo ſcandalo; aliove ſimili damno: idem dicendum, quando ſubito certo conſtat Legem magis eſſe noxiam, quàm utilem communitati, & bono communi, non tenetur eam ſervare præciſo ſcandalo, aliove ſimili incommodo; quando autem eſt dubium an Lex ſit magis noxia, quam utilis, tunc ſervanda eſt; quia poſſeſſio ſtat

pro

pro Lege; Lex vero, quæ ab initio, aut alias fuit inutilis, ſed modo utilis eſt communitati ſervanda eſt, quia cenſetur lata ob commune bonum, quamvis non obligaret pro tempore, quo fuit inutilis.

Quotuplex ſit Lex. Cap. 550.

1 LEx dividitur in Æternam, Divinam, Humanam, & Naturalem: Lex eterna lata accepta, eſt ipſa mens divina, quæ ab æterno omnia ordinavit: Strictius vero eſt mens, & ratio Dei bona præcipiens & mala prohibens, ob id peccatum definitur dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam. Lex divina eſt illa, quæ vim habet, quatenus à Deo proficitur, & eſt duplex, veſcitus, qualis erat Moſaica, & nova, nempe Lex Evangelica, qualis eſt Lex Baptiſmi, Confeſſionis, &c. Inſuper Lex Divina poteſt ſub dividi in divinam naturalem, & divinam poſitivam. Divina naturalis eſt illa, qua præcipitur idem quod præcipitur à Lege naturali, ut ſunt ea, quæ in præceptis Decalogi continentur: Divina poſitiva eſt illa, qua præcipitur aliquid, quod Lege naturali non eſt ſancitum, ut eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, quod præceptum dicitur divinum poſitivum, quia jure naturæ non præcipitur confeſſio ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſed iure divino. Lex humana eſt illa, quæ fertur auctoritate humana, dependenter tamen à Deo, nam homo condit leges ea poteſtatem, quam Deus ipſi communicavit, ut ſubditi melius contineantur in officio, & peccatis timore pœnæ retrahantur: lex humana alia eſt Eccleſiaſtica, alia ſecularis: Secularis eſt illa, quæ poteſtate ſecularium fertur, ut a Rege vel Imperatore. Eccleſiaſtica eſt illa, quæ fertur Eccleſiaſtica poteſtate, ut à Papa, Concilio, &c. Lex naturalis eſt ipſamet convenientia, ſeu diſconvenientia rei cum recta ratione, unde diſconvenientia, quam habet mendacium, vel adulterium cum ipſa ratione, eſt ipſa lex naturalis qua prohibetur mendacium, vel adulterium, & convenientia, quam habet conſervatio famæ proximi cum recta ratione eſt lex naturalis dictans ſervandam eſſe famam. Alii legem naturalem hoc modo definiunt ſcilicet lex naturalis eſt dictamen, ſeu lumen naturale noſtræ rationis quo cognoſcimus, quæ facienda, & quæ vitanda ſunt. Lex naturalis duplex eſt; Prima dicitur per ſe nota, indemonſtrabilis, ut ſunt illa prima principia legis naturæ bonum amplectendum, malum fugiendum, &c. Secunda eſt illa, quæ non eſt ita clara, & per ſe nota: nam dari poteſt aliqua lex naturalis ita ignota, & obſcura, ut aliquis ab ipſius trangreſſione ob invincibilem ignorantiam excuſetur: verum ſecluſa ignorantia, tantæ virtutis, & efficaciæ eſt lex naturalis, ut obliget in conſcientia omnes habentes uſum rationis, ubicumque exiſtant, lex eutem naturalis, non eſt mutabilis ſecundum ſe, ſed ſemper obligat, manentibus iiſdem circumſtantiis, & non mutata materia. Deus poteſt diſpenſare circa jus naturæ in iis, quæ à Deo ita dependent, & ita mutari poſſunt, ut poſita mutatione licite videantur, Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in omnibus, quæ ſunt de jure naturæ, vel divino, non. n. poteſt diſpenſare in iis, quæ ſpectant ad ſubſtantiam Sacramentorum, aut in dogmatibus fidei, aut in ſacrificio, aut etiam in aliis, quæ a Deo inſtituta ſunt: poteſt autem diſpenſari in iis, in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ, etiam ſi jure divino, aut naturali ſancita ſunt; nam concedit diſpenſationem in voto, & juramento, quæ ſunt adimplenda ex obligatione juris naturæ, & divini. Lex inſuper dividitur in naturalem gentium, & civilem. Lex naturalis, jam declaratum eſt quid ſit: lex gentium eſt illa, quam omnes homines naturali ratione ducti conſtituunt, qualis eſt illa. Poſſeſſiones ſunt dividendæ quamvis enim ab initio omnia bona eſſent communia: proceſſu temporis omnes homines naturali ratione ducti judicarunt poſſeſſiones dividendas, ad pacem inducendam, & ad diſcordias evitandas: Jus autem gentium facile deducitur ex aliquo principio juris naturæ: ſimpliciter tamen eſt jus poſitivum, quia poſitivum eſt ab hominibus; ſeu receptum ab hominibus, quia natura non illud dictat abſolute: ſed poſita aliqua circumſtantia, præſertim finis, quem homines non proponunt. Lex civilis eſt illa, quæ ſimpliciter auctoritate hominum decernitur. Quando autem lex civilis eſt contra legem Canonicarum parendum eſt legi Canonicæ; quia Eccleſia ſicut poteſt abrogare leges civiles ita ferre

poteſt legem contra leges civiles, & ideo lex Eccleſiaſtica ſervanda eſt. Lex iterum dividitur in affirmativam, & negativam: lex affirmativa eſt illa, quæ præcipit aliquid faciendum, negativa, quæ prohibet.

Quis poſſit Legem condere. *Cap. 551.*

1 LEx fieri poteſt, & debet ab eo, qui publicam poteſtatem, juriſdictionem, & vim cogendi habet. Poteſtas duplex eſt: altera dominativa, ſeu œconomica, altera politica, ſeu juriſdictionis: Poteſtas iuriſdictionis per ſe primo reſpicit communitatem perfectam, nam ad politicam gubernationem, quæ in tali communitate, vel Republica neceſſaria eſt, dirigatur. Poteſtas vero dominativa, ut plurimum eſt circa privatas perſonas, ſeu circa communitatem imperfectam, ſeu inter partes communitatis imperfectæ; qualis eſt illa Domini in Servum, Superioris in ſubditum, viri in uxorem, & Patris in filium; quare Pater poteſt præcepta filiis imponere per poteſtatem dominativam, ſeu œconomicam, non vero per poteſtatem juriſdictionis.

2 Leges Eccleſiaſticæ ferri poſſunt à Summo Pontifice in toto orbe; quia publicam poteſtatem, & iuriſdictionem, vimque cogendi habet. Poteſt etiam leges civiles ferre pro territorio ſibi ſubdito, non enim repugnant poteſtatem Eccleſiaſticam, & politicam in eadem perſona reperiri: immo poteſt leges civiles, & politicas, ſaltem indirectè per ordinem ad finem ſpiritualem ferre etiam in alieno territorio, quoties id neceſſarium eſſe duxerit per ordinem ad ſalutem ſpiritualem. Summus vero Pontifex poteſtatem ferendi leges in Eccleſia accepit à Chriſto ex Trid. ſeſſ. 14. c. 7. & hæc eſt differentia inter Summum Pontificem, & Epiſcopos: qui non accipiunt poteſtatem immediate à Chriſto, ſed à Summo Pontifice.

3 Imperator legitime electus poteſt in regna, & provincias ſibi ſubditas leges civiles ferre, non vero in orbem univerſum, quia Imperator legitime electus in ſuis terris publicam habet poteſtatem, & eſt ſupremus Princeps, quoad iuriſdictionem temporalem directam, & ſi non eſſet legitime electus non poſſet leges ferre, quia Imperator, aut Rex, qui Regnum, vel Imperium per ſolam vim injuſtam poſſidet, non dicitur habere veram poteſtatem legiſlativam. Reges poſſunt pro ſuo Regno leges ferre, nam habent poteſtatem publicam, ſupremãque juriſdictionem in ſuo Regno; idem dicendum de aliis principibus ſupremis, qui ſuperiorem in iuriſdictione temporali non agnoſcunt, ſive Principes, ſive Duces, ſive Comites, ſive Marchiones, ſive Barones, ſive alio nomine nuncupentur. Sic Regina, quæ Regni domina eſt, poteſt leges ferre, quia habet poteſtatem Regiam. Idem dicendum de Communitatibus & Rebus publicis pro ſuis territoriis: quia habent ſupremam auctoritatem, & juriſdictionem; Sic Legati Summi Pontificis, ſeu Nuncii Apoſt. poſſunt in ſua Provincia leges, ſeu ſtatuta facere quæ mortuo ipſo Legato perſeverent, donec à Summo Pontifice, vel ab habente ęqualem poteſtatem revocentur. Concilia etiam generalia ſi fiant auctoritate Summi Pontificis poſſunt leges, & ſtatuta generali facere, iuxta facultatem Conciliis communicatam à Summo Pontifice, ſic enim habent publicam poteſtatem, & iuriſdictionem. Sic Generales Religionum, quæ à Summo Pontifice approbatæ ſunt poſſunt leges ferre ſaltem in Concilio provinciali concurrente maiori ſuffragiorum parte. Ita Epiſcopi poſſunt leges Eccleſiaſticas ferre pro ſua diœceſi, quia habent auctoritatem publicam, iuriſdictionem, & vim cogendi. Idem dicendum de Patriarchis, & Archiepiſcopis in ſuis diœceſibus. Sic Cardinales poſſunt in loco, ſeu Eccleſia ſui tituli ferre leges obligantes ſuum territorium; quia ea gaudent iuriſdictione, qua Epiſcopi in ſua diœceſi. Abbates exempti, aliique ſimiles Prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalẽ vel quaſi Epiſcopalem, qualem habent Prælati, qui iure ordinario poteſtatem habent excommunicandi, ſuſpendendi, &c. poſſunt leges condere in ſuis quaſi diœceſibus: modo leges non ſint contra ius commune: ſic Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, poteſt mortuo Epiſcopo leges, & ſtatuta facere duratura donec revocentur ab Epiſcopo Succeſſore, & poteſt ſtatuta ab anteceſſoribus Epiſcopis facta revocare, & contraria ſtatuere, ſi ita expedire iudicaverit: poteſt etiam Capitulum vivente Epiſcopo leges ferre etiam ſine conſenſu Epiſcopi de iis, quæ ad bonum regimen, & ordinem Capituli pertinent: ita ii omnes quibus po-

teſtas

teſtas condendi leges competit per juriſdictionem delegatam, poſſunt leges condere, quia poteſtas condendi leges delegabilis eſt Sic Senatus Mediolanenſis poteſt leges, & ſtatuta facere pro territorio Mediolanenſi; quia gaudet publica juriſdictione à Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege conceſſa.

Quænam conditiones requirantur ad legem condendam. Cap. 552.

1 SEx conditiones ad minimum requiruntur ad condendam legem humanam: Prima ut feratur à legitimo Superiore. Secunda ut feratur ob commune bonum: Tertia ut ſit juſta. Quarta ut promulgetur. Quinta conditio ad legem humana in requiſita eſt lapſus temporis, ſeu termini à legiſlatore præſcripti; quapropter ſi legiſlator ſpatium duorum menſium appoſuit ad obligandum, ſubditi non obligantur nondum elapſis duobus menſibus: Sexta conditio eſt ut uſus recepta ſit, ſeu accepta.

2 Promulgatio eſt neceſſaria in lege ferenda: quia de ratione legis eſt promulgatio, quæ fieri poteſt per denunciationem, vel per affiſſionem, leges item poſſunt obligare per ſolam voluntatem ſuperioris exterius ſufficienter expreſſam, & manifeſtatam abſque promulgatione, nec debet ſingulis intimari, ſed ſufficit ut publicè promulgetur: Interpretatio legis facta auctoritative non habet vim legis niſi promulgetur: ſic Epiſtolæ Pontificiæ habent vim legis cum promulgantur, ſic leges Cancellariæ ſi non promulgantur non ſunt proprie leges. Promulgatio legum Imperialium facienda eſt in ſingulis provinciis. Promulgatio legum Pontificiarium facienda eſt in Curia Romana. Lex promulgata ſufficienter in loco competente, & conſueto ſtatim obligat omnes ſubditos, leges reſciſſoriæ poſt publicationem obligant etiam ignorantes, lex vero revocatoria privilegiorum non obligat antequam perveniat revocatio ad illius aures, cui conceſſa fuerant privilegia: leges vero divinæ, & humanæ differunt inter ſe, nam de ratione legis humanæ eſt ut debite promulgetur: de ratione vero legis Divinæ ſufficit, ut Divina voluntas obligans innoteſcat.

3 Lex ſtatim poſt promulgationem obligat, quando nullius termini determinatio ad obligandum fuit appoſita, & propterea leges ab Imperatore conditæ non obligant niſi poſt duos menſes, & lex debet eſſe uſu recepta ſeu acceptata; nam leges ſub hac tacita conditione feruntur, ut vim habeant, ſi fuerint acceptatæ, & uſu receptæ, quæ non ſunt uſu receptæ, quando populus, vel major pars populi proſequitur facere, quod facere conſueverat ante legis promulgationem: & tunc dicitur lex uſu recepta quando major pars communitatis eam recepit, faciendo quod lex præcipit, aut illam approbando verbo, vel ſcripto: lex autem licet Populus non eam accepiet, eſt valida, & obligat, quia legiſlator habet vim obligandi populum independenter ab ipſius conſenſu: alioquin majoris poteſtatis eſſet populus, quam Princeps quando poſſet poteſtatem legiſlatoris impedire. Lex autem obligat quoad eam partem, quę acceptatur, non quoad aliam, & ſic obligat in ea provincia, in qua recepta eſt, & non in alia: quando autem lex eſt acceptata à majori parte, minor peccat legem non obſervando; Quando autem lex non fuit antea acceptata ab aliqua communitate, poteſt ſubſequenti tempore acceptari: quia lex per non acceptationem non fuit extincta.

De materia Legum. Cap. 553.

1 ACtiones humanæ ſunt materia legum: quia lex verſatur circa humanas actiones præcipiendo bonas, & prohibendo malas: lege humana non poſſunt pręcipi omnes actus omnium virtutum, quia difficillimum eſſet, & propterea lex humana debet eſſe de re moraliter poſſibili, & non de rebus difficillimis, niſi commune bonum aliud poſtulet, contrarium cenſeo dicendum de actibus vitioſis, quia poſſunt omnia vitia contra legem prohiberi, quia omnes actus vitioſi jam ſunt prohibiti: & lex eſt accomodata naturæ humanæ, etiam ſi omnia vitia prohibeantur, nam recta ratio poſtulat ut vitentur omnia peccata; Actus etiam interni poſſunt aliqua ratione præcipi, vel prohiberi, & ideo poſſunt eſſe materia legum humanarum, qui actus interni poſſunt dupliciter conſiderari, uno modo ſecundum ſe præciſè, altero ut ſpectant ad complementum actus externi: actus igitur primo modo conſiderati non poſſunt ab Eccleſia de facto præcipi, vel prohiberi: quia Eccleſia nunquam præcipit actum me-

Digitized by Google

re internum; quia occulta reſervantur à Deo: actus vero interni ſecundo modo conſiderati poſſunt ab Eccleſia præcipi, & prohiberi, quia ſicut ab Eccleſia poſſunt præcipi, & prohiberi actus externi ita poſſunt præcipi actus interni, qui connexionem habent cum externis, ideo Eccleſia præcipiendo; recitationem divini officii, ſimul etiam præcipit attentionem: quæ eſt actus internus neceſſarius ad orationem.

De Subiecto legum de, iis videlicet qui legis obligatione afficiuntur.
Cap. 554.

1 SUbiectum legis eſt homo ſubditus capax rationis juxta tenorem legis, quia præcepta imponitur illis, qui præcepta intelligere, illisque obedientiam præſtare poſſunt; qui autem uſu rationis carent, non intelligunt præcepta, nec illis obedire poſſunt: Infidelis autem, aut Cathechumenus non aſtringitur legibus Eccleſiaſticis. quia infidelis, aut Cathecumenus non eſt ſubditus Eccleſiæ. Amentes, dormientes, invincibiliter ignorantes, & abſentes tempore promulgationis tenentur legibus: quia per accidens licet nequeant leges intelligere, illiſque parere, tamen per ſe loquendo poſſunt leges intelligere, illiſque parere, & ſunt ſubditi legislatori, ut ſuppono, & ſint capaces uſus rationis; licet tunc temporis ratione non utantur.

2 Princeps ſupremus tenetur, lege declaratoria, vel confirmatoria juris divini, vel naturalis non ex vi legis humanæ, ſed vi divinæ, & naturalis, nam ſupremus Princeps juri divino, & naturali ſubditus eſt. Qui non tenetur præciſo ſcandalo ſuorum prædeceſſorum leges obſervare, nam hujuſmodi leges non ſunt latæ à Superiore: cum Princeps eadem gaudeat facultate, qua gaudebant prædeceſſores. Princeps, qui tulit legem non obligatur ex vi coactiva ad ſervandam propriam legem; quia lex obligat ſubditos, nullus autem eſt ſibi ſubditus, nec idem poteſt eſſe egens, & patiens; obligatur autem ex vi directiva: modo ipſius leges ſint ipſi accommodæ, & materiam habeant univerſalem, & modo juſta de cauſa ſecum non diſpenſaverit: non autem peccat ſi ſuas leges non obſervet. Legislator, qui ſuam legem non obſervat facit contra virtutem, contra quam reliqui peccant; quare Summus Pontifex tempore Quadrageſſimæ ſi non jejunet peccat contra temperantiam; ſi divinum officium, vel Sacrum in die feſto pretermittat peccat, contra Religionem & ſic de ceteris. Summus Pontifex dum in aliena diœceſi exiſtit, non tenetur legibus illius, in cujus Territorio, vel Regno, vel Epiſcopatu reperitur, quia non habet in terris Superiorem.

3 Clerici aliique Eccleſiaſtici non tenentur legibus civilibus ex vi coactiva: ex vi vero directiva, ſeu indirectè, tenentur legibus civilibus vergentibus in commune bonum, & non repugnantibus libertati Eccleſiæ, ſeu repugnantibus ſacris Canonibus: quia Princeps Laicus non habet juriſdictionem in Clericos, ſeu in Eccleſiaſticos; ſed vi directiva, & non repugnantibus libertati Eccleſiæ tenentur maxime, quia decet Clericos præbere aliis exemplum: non poſſunt autem à poteſtate Laica puniri ob tranſgreſſionem legum civilium. Cardinales ligantur legibus generalibus juris communis latis à Summo Pontifice, & conſtitutionibus Concilii generalis, niſi ſpeciali privilegio eximantur, quia ſunt ſubditi Summo Pontifici. Peregrini, ſeu alienigenæ qui ad aliquem locum pervenerunt abſque intentione ibi conſtituendi domicilium, vel ibi manendi majore anni parta, non ligantur legibus locorum, in quibus pro tempore reperiuntur: modo eædem leges non adſint in loco ſui domicilii: quia non ſunt ſubditi, & per brevem moram non acquiritur juriſdictio, & ſubiectio: ſed ſi quis alicubi habitat intentione ibi manendi majore anni parte ligatur legibus in eo loco receptis, & propterea advena non obligatur legibus locorum ad quæ ſe transfert intentione ibi manendi minori anni parte: obligatur vero ſi ad ea loca ſe transfert intentione ibi conſtituendi domicilium, aut habitandi majori anni parte. Tenetur tamen advena leges locorum ſervare; etiam ſi in illis locis majore anni parte non debeat commorari. Primo excipitur ſcandalum: ad quod vitandum certum eſt advenam ad leges locorum teneri: Secundo excipitur contractus qui celebrandus eſt juxta ſolemnitates, & conditiones receptas in eo loco, in quo celebratur contractus: Tertio excipitur caſus, quando eadem leges, & conſuetudines obligant, non

ſolum

ſolum ubi advena reperitur, verum etiam in proprio ipſius advena territorio, tunc enim tenetur advena legibus loci. Quarto excipitur, quando in obſervantia, ſeu violatio legum vergit in damnum, vel injuriam illius loci, in quo advena reperitur, tunc enim advena leges illius loci ſervare tenetur, quia par non eſt, ut extraneus ibi commoretur cum damno exiſtentium in eo loco. Vagi autem, qui nullibi certam habent habitationis ſedem, ſed huc, & illud divertunt obligantur legibus, & ſtatutis, & decretis Epiſcoporum: quia alioquin eſſent exempti ab omnibus.

De Effectu legis humanæ.

Utrum lex Humana obliget, aut obligare poſſit in conſcientia. Cap. 555.

1 Lex humana tam civilis, quam Eccleſiaſtica obligare poteſt in conſcientia, ita ut ipſius tranſgreſſio ad gravem culpam imputetur in materia gravi; quia experientia conſtat Principes ſeculares jubere, quæ jure divino, aut naturali præcepta ſunt: ſic lex Eccleſiaſtica obligat in conſcientia: quia lex naturalis, & recta ratio dictat obediendum eſſe legi humanæ præſertim Eccleſiaſticæ, eumque, qui legi humanæ obedientiam non præſtat, turpiter agere, & pæna dignum eſſe: tamen non omnes leges humanæ obligant in conſcientia præſertim ſub mortali, nam legislator præſertim civilis frequenter non intendi obligare ſub culpa præſertim mortali, nec populus illius leges cum tanto gravamine ſemper acceptat: ergo omnes leges obligant in conſcientia, præſertim ſub mortali.

Utrum Lex pænalis obliget in conſcientia. Cap. 556.

1 Lex alia eſt præceptiva, & alia pęnalis: Præceptiva eſt illa, quę ſancit aliquid faciendum, vel omittendum nulla conſtituta pęna? Pęnalis eſt illa, qua ſancitur aliquid faciendum, vel omittendum conſtituta tranſgreſſoribus pœna determinata, aut determinanda arbitrio judicis juxta criminis qualitatem: conſtituitur autem pæna, ut ſubditi, qui ab obſervantia legum amore non trahuntur, pertrahantur metu pænæ. Non ſolum lex præceptiva, ut dictum eſt in Superiori capite: verum etiam pænalis obligat ſub mortali aut veniali juxta materiæ gravitatem, aut levitatem, niſi aliunde conſtet legislatorem nolle ad culpam obligare: quia lex pænalis continet præceptum, quod differt à conſilio, quia conſilium non obligat ſub culpa: obligat vero lex, ſeu præceptum non ſolum ad culpam, verum etiam ad pænam, & propterea leges, quæ inſtitutæ ſunt animo non obligandi neque ad culpam, neque ad pænam non veniunt nomine legum, ſed potius regulæ, ſeu ordinationis: idem dicendum de legibus, quæ non ſunt propriè pænales, & præceptivæ, ſed potius conventionales, & conditionales, aut modales, quibus legislator aliquid permittit ea conditione, modo, ut qui tale opus facere voluerit, vel in tali opere compertus fuerit, tantum pecuniæ ſolvat, vel inſtrumenta, aut merces amittat.

2 Pænalia dicitur lata ipſo jure, alia ferenda: pæna lata ipſo jure dicitur illa quæ poſito delicto ſtatim irrogatur: pæna ferenda vocatur illa, quam judex comminatur delinquenti: Nulla autem lex humana obligare poteſt ad pęnam ante Judicis ſententiam, quoties pœna requiritur actionem hominis ad ſui executionem, unde leges continentes privationem rei propriæ quæ non poteſt infligi ſi actione ipſius delinquentis, vel alterius, non ſtatim abſolute obligant: ita ut reus teneatur ſe rebus propriis abdicare ante ſententiam declaratoriam delicti. Legislator igitur poteſt obligare ad ſolvendam pænam ante ſententiam, regulariter tamen non poteſt obligare ante ſententiam ad ſolvendam pænam, quæ hominis actionem requirit ad ſui executionem: quare dicendum eſt: pænas privationis eſſe in duplici differentia. Alia ſunt, quæ non poſſunt executioni demandari abſque hominis actione, & ad has pænas ipſo facto impoſitas incurrendas requiritur ſententia Criminis declaratoria, niſi aliter conſtet de mente legislatoris, volentis pænam ante ullam judicis ſententiam adimpleri, Aliæ pæna ſunt quæ ad ſui executionem nullam hominis actionem requirunt, ſed in abſtinentia ab aliqua receptione, vel actione conſiſtunt, ut ſi dicatur, qui tale delictum fecerit ſit excom-

municatus ipſo facto, vel illico, delinquens ſtatim patrato delicto afficitur excommunicatione cum nulla actio requiratur ad hãc pœnam incurrendam, & propterea concludendum eſt pœnas privatas ipſo facto impoſitas, quæ ad ſui executionem hominis actionem requirunt, non incurri ante ſententiam criminis declaratoriam niſi aliter conſtet de mente legiſlatoris: pęnas vero privatas ipſo facto latasque ad ſui executionem non poſtulant hominis actionem, incurri ſtati patrato delicto non expectata ſententia: licet delinquens non teneatur ſe officio, vel beneficio abdicare, ſi hoc præſtare ſine periculo gravis infamiæ non poteſt.

3 Beneficiarius poteſt beneficium retinere, donec declaretur delictum, propter quod privatus eſt ipſo facto beneficio, niſi forte in lege habeatur, pœnam in foro conſcientiæ ſtatim ſubeundam eſſe, ſeu ſtatim deberi ante ullam criminis declarationem & acta prædicti beneficiarii criminoſi facta ante criminis declarationem valent; Reus etiam non tenetur ante ſententiam ſubire pœnam, quæ non eſt ipſo jure lata, ſed eſt comminatoria, ſeu ferenda, nullus enim magis obligatur, quam in lege ſit expreſſum unde poteſt ſua bona reus, quibus ob delictum commiſſum non eſt ipſo jure privatus, ſed privandus, poteſt inquam antequam condemnetur bona ſua diſtrahere: vendere, &c. quamvis ſciat fore ut illis privetur; nec eſt expectanda Judicis ſententia, quando manifeſte apparet legiſlatorem velle delinquentem pœnam ſubire ante Judicis ſententiam: ſic qui obtento Parochiali beneficio ſua culpa non recipit ordinem Sacerdotalem intra annum in conſcientia tenetur beneficium deſerere. quia c. licet canon de electionibus In 6. decernitur hujuſmodi beneficiarium eſſe privatum beneficio abſque alia monitione: ſic electus in Epiſcopum ipſo facto privatur Epiſcopatu ante ſententiam: ſi intra ſex menſes conſecratus non fuerit, ex *Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 1.* Qui vero ad pœnam non condemnatur ob denegatam in judicio veritatem, non tenetur ad ſolutionem pœnæ, quam ſolviſſet detecta veritate: quia pœna, quæ non poteſt mandari executioni abſque hominis actione, non debetur ante ſententiam judicis. Pœna vero conventionalis ſolvenda eſt ante judicis ſententiam; quia iſta obligatio naſcitur ex pacto, & promiſſione humana mutua, quæ obligat ex ſe; ſine ordine ad ſententiam judicis niſi aliter conſtet de mente apponentium pœnam. Sic lex conditionalis; ſeu pęna ſub conditione poſita ante ſententiam judicis, ut fœmina, cui relictum eſt Legatum ſi caſte vivat, non poteſt Legatum recipere, ſi vitam turpiter traducat, ſed tenetur ſtatim reſtituere; licet in teſtamento non dicatur ipſo facto.

4 Reus non tenetur ſibi ipſi eam pœnam infligere, quam licite non poteſt infligere quia nemo tenetur ad id, quod licite præſtare non poteſt, unde ad mortem ſibi ipſi inferendam, vel ad aliquod membrum amputandum, vel ad ſimilia nemo tenetur quia recta ratio non dictat, ut quis ſibi hujuſmodi pœnas inferat; Tenetur autem ad ſolvendam pecuniam ad quam fuit condemnatus, modo petatur; non autem tenetur per ſe ipſum bona fiſco deferre, ſeu ſententiam confiſcationis per ſe ipſum exequi; quia qui condemnatur ad ſolvendam pecuniam, ſatisfacit, illam ſolvendo, ſi petatur, unde qui condemnatur ad bonorum confiſcationem, ſatisfacere videtur ſi permittat, & non impediat bona à fiſco auferri: tenetur autem ſecuta ſententia in exilium proficiſci, aſcendere ſcala ad patibulum, &c. quia non videtur contra rationem; ſic etiam tenetur hæres ſolvere pęnam realem, quam ſolvere debebat defunctus ob delictum prohibitum ſub pęna ipſo jure lata; quia hęres ſuccedit in onera defuncti realia.

Utrum lex in juſta obliget in conſcientia. Cap. 557.

1 Lex pluribus modis dicitur injuſta; Primo quando repugnat legi, & præcepto divino, & tunc lex humana non obligat; quia Deo magis, quam hominibus obedire oportet; Secundo quando adverſatur bono communi, quia lex ſum debet ob commune bonum; Tertio dicitur injuſta, quando excedit facultatem legiſlatoris; unde lex humana, qua præcipiuntur actus mere interni, eſt injuſta: quia legiſlator circa actus mere internos non habet poteſtatem: Quarto dicitur injuſta quando ſubditis imponitur onus improportionatum cauſæ, ut ſi pauper ſine rationabili cauſa, æquali, aut majori onere ſolvendi gravetur, quam dives. Quinto dicitur injuſta materialiter, quando fundatur in

In falſa præſumptione contra rei veritatem notam illi, contra quem fertur lex: idem dicendum eſt de ſententia. Sexto dicitur injuſta, quando fertur ex malo fine à legislatore intento; lex quinque primis modis injuſta non obligat in conſcientia, nec peccat, qui legem primis quinque modis injuſtam non obſervat, præciſo ſcandalo, & perturbatione Rei publicæ: quia illa lex obligat, quæ eſt recta rationis ordinatio ad commune bonum inſtituta; ſed lex primis quinque modis non eſt recta rationis ordinatio, & ideo non obligat, & propterea lex non obligat, quæ adverſatur juri Divino, aut bono communi, aut quæ excedit facultatem legislatoris, in quantum illam excedit, aut qua onus improportionatum imponitur, aut quæ in falſa præſumptione fundatur. Præſumptio autem duplex eſt, una periculi ſeu potentiæ, quæ ut plurimum ad actum revocatur: altera facti, quando lex fundatur ſolum in præſumptione periculi, ſeu potentiæ: obligatio legis non ideo ceſſat, quod factum in particulari ceſſet, ut patet in exemplo pro feſſionis ante legitimam ætatem, quæ irritatur à jure, non quia in caſu aliquo particulari deſit ſufficiens judicium: ſed propter periculum defectus judicii: quod periculum regulariter adeſſe ſolet ante legitimam ætatem à jure præſcriptam. Quando vero lex fundatur in præſumptione facti, ſeu quando dicitur definitiva facti, obligatio legis ceſſat, ſi veritas facti ſit in contrarium, quia legislator non intendit obligare niſi veritas ſit conformis præſumptioni, & præſumptio cedit veritati.

2 Quando dubitatur de legis juſtitia, vel obligatione, legi parendum eſt: an autem teneamur obedire legibus, & ſententiis Tyranni: qui reipſa non eſt Rex; dicendum eſt, duobus modis appellatur Tyrannus: Primo appellatur is, qui vi alienum regnum injuſtè occupat: Secundo appellatur Tyrannus, qui juſtè poſſidet Regnum, ſed injuſtè gravat ſubditos, & hic dicitur Tyrannus ſolo regimine, & adminiſtratione: ſicut alius dicitur Tyrannus uſurpatione Regni. Legibus igitur, & ſententiis latis ab eo qui Tyrannus eſt ſolo regimine tenemur obedire: quia eſt verus Superior. Legibus autē, & ſententiis latis ab eo qui Tyrannus eſt ſuper uſurpatione Regni obediendum eſt, quamdiu pacifice poſſidet Regnum, & Reſpublica non reſiſtit virium defectu.

Unde poſſimus cognoſcere legem humanam ſub mortali obligare. Cap. 558.

1 Quando lex obligat ſub mortali colligitur. Primò ex gravitate materiæ: cenſetur enim legislatorem obligare in conſcientia pro ratione materiæ gravis, vel levis. Secundò deſumitur ex verbis præceptivis, quibus lex humana fertur, modo aliud non conſtet de mente legislatoris, aut ſi materiæ levitas excuſet, nam obligatio legis pendet à mente legislatoris ſpectata materiæ gravitate: quando autem lex humana non fertur verbis præceptivis, non obligat in conſcientia; quia obligatio exprimitur verbis præceptivis: & propterea lex humana obligat ſub mortale in materia gravi: Primò quando ſub iſtis verbis fertur, jubemus obligamus, &c. quod valet tam in lege civili, quam Eccleſiaſtica. Secundò obligat ſub mortali quando in lege adhibetur, verbum iniungimus: quia hoc verbum ſignificat præceptum, idem dicendum de hoc verbo mandamus. Tertiò lex obligat ſub mortali, quoties ſub his verbis editur, præcipio ex vi voti, vel juramenti, &c quia legislator hac loquendi forma cenſetur velle, quantum poteſt obligare. Quartò lex, quæ fertur adhibito verbo, oportet, inducit obligationem ſub mortali poſita materiæ gravitate, nam verbum, oportet, indicat neceſſitatem, & regulariter loquendo exiſtimo gravem obligationem importare poſita gravi materia, niſi aliud conſtet de mente legislatoris. Quintò lex verbo imperativo condita obligat ſub mortali in materia gravi; ſi dicatur, caveant audiant, &c. nam verba imperativi modi paſſim adhibentur ad ſignificandum Imperium, & præceptum, ut patet ex Tridentino ſeſſ 11. cap. 5. & 6. Sextò lex obligat ſub mortali, ſi ſub juſta loquendi formula feratur, Sancimus, intendimus, &c. quia hæc verba continent præceptum, & non tantummodo conſilium, præceptum verò in materia gravi obligat ſub mortali. Septimò lex lata ſub his verbis, Moneo, hortor, rogo, non obligat ſub mortali, quia non important obligationem, & præceptum: aliquando potius uſurpantur ad permovendos ho-

homines, ut præſtent quod ex præcedenti obligatione præſtare tenentur, quam ad novam obligationem imponendam. Tertio colligitur quando lex obligat ſub mortali ex gravitate materiæ, quæ præcipitur, cum enim Superior abſolute ferat legem, præſumitur eam ferre juxta plenitudinem ſuæ poteſtatis: de plenitudine autem ſuæ Poteſtatis conſtat legiſlatorem poſſe ſub mortali obligare in materia gravi. Præceptum vero poſitivum ſub mortali in materia levi non obligat, ſed ſub veniali: Regula autem cognoſcendi materiam gravem eſſe, vel levem non poteſt certa præſcribi, ſed prudentis arbitrio relinquendum eſt: qui ſpectabit, Primo finem, quo legiſlator adductus eſt ad legem condendam, unde ſi res præcepta valde conducat ad finem à legiſlatore intentum, ſeu valde repugnet fini à legiſlatore intento, cenſetur materia gravis ſecus ſi non multum conducat ad finem legiſlatoris, aut illi graviter non repugnet. Secundo ſpectabit circumſtantias, quibus ductus eſt legiſlator ad ferendas leges, qualis eſt ratio vitandi ſcandali, aut damni communis, aut periculi violandi vota, nam materia, quæ in ſe levis eſt, & incapax obligationis ſub mortali, fieri poteſt capax tantæ obligationis reſpectu circumſtantiarum. Quarto colligitur quando lex obligat ſub mortali ex una lege alteram explicante, aut ex communi hominum æſtimatione arbitrantium legem obligare ſub mortali: non enim præſumendum eſt errorem in eo committi, quod communi hominum ſenſu admittitur: idem dicendum eſt de eo, quod per conſuetudinem approbatur obligare ſub mortali; quia conſuetudo habet vim legis, & ad culpam obligationem inducit quoties tanquam obligans ad culpam recipitur. Quinto colligitur ex acceptatione legis; nam lex obligat quatenus recipitur, & moribus utentium comprobatur: ſi ergo non recipiatur tanquam ad gravem culpam obligans non eſt aſſerendum, legem obligare ſub mortali: etiam ſi legiſlator intentionem haberet obligandi ſub mortali. Sexto innititur gravi pœnæ corporali, aut temporali: quia pœna proportionari debet delicto; unde ſi pœna eſt gravis ex gravi pęna corporali, aut temporali licet cognoſcere materiam gravem, ideſt delictum, ſeu culpam gravem & propterea lex lata ſub pœna capitis, &c. obligat ſub mortali, nam gravis pœna videtur. Septimo colligitur ex gravi aliqua cenſura, vel pęna Eccleſiaſtica impoſita contra legis tranſgreſſores, gravis enim cenſura non fertur niſi ob mortale peccatum. Quando vero dubitatur, an lex obliget ſub mortali, vel ſolum ſub veniali, ſuſtineri poteſt obligare ſolum ſub veniali, ſi attentis regulis traditis dubitetur an lex obliget ſub mortali.

Utrum actus factus contra legem prohibentem, vel irritantem aut præſcribentem certam ſolemnitatem irritus ſit & invalidus. Cap. 559.

1 Acta, quæ fiunt contra legem irritantem ipſo facto, invalida ſunt, non ſolum in foro externo; verum etiam in foro conſcientiæ: patet ex regula 64. de regulis juris in 6. hoc autem maxime procedit in iis quæ fiunt contra legem irritantem, & propterea penes legiſlatorem reſidet poteſtas irritandi actus factos contra legem: Hæc autem regula afferri poteſt, quomodo poſſit cognoſci an lex irritet aliquem actum ipſo facto, ut videlicet inſpiciamus formam verborum, aut ipſorum ſenſus, præſertim an verba contineant irritationem, vel tantum modo negent actionem in judicio, nam ſi continent irritationem certum eſt actum eſſe invalidum etiam in foro conſcientiæ, modo lex non fundetur in falſa præſumptione: quamobrem ſi quis prohibetur aliquid facere his verbis, (Non poteſt, non valet,) cenſeo actum eſſe invalidum irritatio; autem ipſo facto incurritur ante declarationem, quoties irritatio non fundatur in falſa præſumptione, ſeu quoties non ſervatur forma ſubſtantialis ad valorem actus requiſita. Ad incurrendum vero irritationem actus illius præſertim, qui defectu formæ ſubſtantialis irritatur, non requiritur ſcientia legis irritantis; quia lex per ſe irritat talem actum, & non reſpicit cognitionem, aut ſcientiam operantis: ergo non requiritur ſcientia legis irritantis: actus autem lege humana irritus non parit obligationem: quia Eccleſia, & Principes poſſunt actus in utroque fore irritare, & ex actu, cui lex reſiſtit, nulla naſcitur naturalis obligatio. Acta vero, quæ fiunt contra legem prohibentem non ſunt inva-

lida

Digitized by Google

lida per ſe, & ex natura ſua, ex eo ſolùm capite, & quod prohibentur à lege: quia lex prohibens actus non reddit ipſum irritum ex natura rei, cum aliud ſit irritare, & aliud prohibere, & aliqua prohibentur, quæ valida ſunt, juxta tritum ſermone proverbium (Multa illicitè fiunt quæ tamen facta tenent.) Ad cognoſcendum autem an aliquis actus jure naturæ irritus ſit, recurrendum eſt ad poteſtatem moralem alicujus, & ad materiæ capacitatem; nam quoties deeſt poteſtas moralis, aut quoties adeſt incapacitas materiæ actus irritus eſt jure naturæ; Actus verò factus contra jus commune, non ita videtur irritus, ut ſimpliciter, & ſecundum ſe ſit irritus in foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis: ſed eſt irritus, quia per Judicis ſententiam ita declarari poteſt irritus, ac ſi fuiſſet irritus à principio, ab eo videlicet tempore, quo talis actus præſtitus fuit: itaque non nego adeſſe multas leges abſolutè, & ſimpliciter prohibentes aliquos actus, & contractus etiam in foro conſcientiæ ante ſententiam judicis, ſed nego actus factos contra legem, tales actus prohibentem, eſſe ſimpliciter irritos ante ſententiam Judicis; quamquam irritari poſſunt, ac ſi à principio fuiſſent irriti, & hoc procedit tantum in iis locis in quibus lex Imperatoris recepta eſt, & quatenus recepta eſt. Nam actus facti contra legem tantummodo prohibentem per ſe, & ex natura ſua non ſunt irriti, nec videntur irritandi per ſententiam, ac ſi ab initio fuiſſent irriti, niſi aliter jure aliquo præſcribatur, ſicut re ipſa præſcribitur; quare actus prohibiti lege Canonica; aut etiam prohibiti alia lege non ſunt invalidi niſi addatur particula irritans.

2 Actus celebrati ſine forma ſubſtantiali, ſeu ſive ſolemnitate requiſita à jure, invalidi ſunt non ſolùm in foro externo, verum etiam in foro conſcientiæ; nam ſicut Sacramentum adminiſtratum ſine forma irritum eſt non ſolum in foro externo, verum etiam in foro conſcientiæ: ita actus qui defectu formæ, ſeu ſolemnitatis lege humana irritatur, irritus eſt in utroque foro: cognoſcitur autem quando aliqua forma, ſeu ſolemnitas eſt ſubſtantialis, & non ſolum accidentalis, Primò quando preſcribitur aliqua forma, ſeu ſolemnitas appoſita clauſula irritante factum ſine tali forma celebratum. Secundo quando preſcribitur aliqua ſolemnitas, cum committitur, ſeu communicatur alicui poteſtas ad faciendum aliquid ſervata tali forma, ſeu ſolemnitate. Tertio quando aliquid præcipitur aliter faciendum, quam jure communi diſpoſitum ſit, niſi aliter conſtet de mente diſponentis ex aliis regulis, & conjecturis. Quarto quandò aufertur, aut limitatur poteſtas ad aliquid faciendum cum tali forma, unde illa dicitur forma ſubſtantialis, qua limitatur, aut aufertur poteſtas niſi talis forma, ſeu ſolemnitas ſervetur: forma igitur cenſetur accidentalis, & non ſubſtantialis, ſi non præſcribitur aliqua forma, poteſtas ad faciendum actum non communicatur, ſed jam ſupponitur: conſequenter actus ſine tali forma celebratus non eſt irritus, niſi apponatur aliqua particularitans: quia actus, qui deinde fiunt, cenſentur provenire à poteſtate hominis, quam agens ante conſtitutionem, & præſcriptionem talis formæ habebat: ſi ergo ante conſtitutionem talis forma actus fuiſſent validi, cenſebuntur etiam validi poſt conſtitutionem formæ, cum proveniant ab ea poteſtate, quæ non tollitur per formam poſterius præſcriptam, niſi apponatur clauſula irritans, aut niſi aliter conſtet de mente præſcribentis formam, ob levem autem formæ omiſſionem non efficitur actus irritus, quia parum pro nihilo reputatur, actus vero ex juſta, aut etiam ex urgentiſſima cauſa factus ſine ſolemnitate à jure præſcripta non eſt validus: quia ignorantia etiam omnino invincibilis legis irritantis, non efficit actũ validũ, ergo, neq; juſta cauſa actum alias invalidum efficit validum

Quomodo explicanda ſit lex humana. Cap. 560.

1 DUplex eſt verborum proprietas. Prima dicitur naturalis, non quia ſit à natura, quia omnia verba ſignificant ad placitum, & ex inſtituto: ſed quia talis eſt ipſorum ſignificatio ex prima ipſorum inſtitutione, aut ex communi loquendi uſu totius populi. Secunda dicitur civilis, quia ob ſimilitudinem, aut juriſdictionem extenditur à jure ad aliud ſignificandum, quam ex prima ſua inſtitutione ſignificet, ut eſt profeſſio, quæ appellari ſolet mors civilis, non juxta proprietatem verborum naturalem: ſed potius

juxta

juxta civilem, & quaſi metaphoricam. Licitum eſt igitur leges interpretari non ſolum exponendo, verùm etiam ampliando, aut coarctando, quia frequenter utilis eſt, & neceſſaria legum interpretatio, ut legislatoris voluntas intelligatur, & ſervetur. Declarationes Sacræ Congregationis maximi ponderis, & auctoritatis ſunt, ab iiſque nulla ratione recedendum eſt ſine firmiſſimis fundamentis, & urgentiſſimis rationibus: ſed niſi aliter per Sedem Apoſtolicam declaretur, cenſeo vim legis non habere: antequam ſufficienter proponantur & publicenter: loquimur autem de iis declarationibus, quæ aliam expoſitionem probabilem non admittunt. Quæ declarationes ſunt amplectendæ non ſolum reſpectu illius, pro quo in ſingulari caſu feruntur, verum etiam reſpectu aliorum, quia ſunt maximæ auctoritatis, & vicem gerunt interpretationis generalis in omnibus conſimilibus caſibus, & Judices ferre debent ſententias juxta declarationes Cardinalium ex quibus colligitur obligatio non ſolum quoad futura, verum etiam quoad præterita, niſi adſit oppoſita declaratio, & probabilis Doctorum opinio in contrarium, quam pars adverſa ſuſtinere velit,

2 Lex humana odioſa explicanda, & extendenda eſt quatenus important verba accepta juxta proprietatem naturalem, nam homines ordinariè loquuntur juxta proprietatem verborum naturalem: ita verba legis generaliter accipi debent juxta proprietatem naturalem, non verò ſtrictius, aut latius Lex in materia favorabili explicanda, & extendenda eſt quantum verba patiuntur, non ſolum juxta proprietatem naturalem, verùm etiam juxta civilem, cum hæc ſint propria inſtrumenta juris civilis. Poteſt autem dari aliqua lex, quæ ſit pœnalis, ſeu odioſa ex uno capite, & ex alio ſit ita favorabilis, & tanti momenti, ut potius explicanda ſit tamquam favorabilis, quam tamquam odioſa, vel econtra: ideo qua parte eſt favorabilis explicanda eſt tamquam favorabilis: qua verò parte eſt odioſa, & pænalis explicanda eſt tamquam odioſa: modo odium, & favor diſtingui poſſint, aut modo favor non ſit tanti momenti, ut cogat legem ſimpliciter explicare tamquam favorabilem: quando verò favor, & odium diſtingui nequeunt, ſi ex primario fine eſt favorabilis; quando ſcilicet primario prodeſt aliquibus, quamvis aliis ſecundario noceat, explicanda eſt tamquam favorabilis: ſi verò ex primario fine eſt odioſa, quando ſcilicet primario pænam continet, etiam ſi alii ſecundario proſit, explicanda eſt tamquam odioſa, nam aliam expoſitionem rationabiliter non admittit.

3 Leges tam favorabiles, quam odioſæ non ſunt explicandæ ultra proprietatem verborum naturalem, & civilem: quia homines loqui conſueverunt juxta proprietatem verborum: ergo etiam legislatores cenſentur locuti juxta verborum proprietatem, ut communi hominum intelligentiæ ſeſe accommodarent, ergo ultra proprietatem verborum non erit facienda legum extenſio: niſi neceſſitas cogat extentionem faciendam: quæ neceſſitas cenſetur adeſſe, quando ex ommiſſione extenſionis ſequeretur aliqua injuſtitia, vel abſurditas, vel quando lex fieret inutilis, & illuſoria. In interpretatione facienda in materia legis pænalis, amplectenda eſt benignior pars ſervata verborum proprietate: in interpretationem facienda, quando verba legis plures habent ſenſus proprios, ſed non conſtat, quem ſenſum legislator intenderit, talis interpretatio facienda eſt, ut verba accipiantur juxta ſenſum qui magis convenire poteſt rei de qua agitur, ſi verò uterque ſenſus æque conveniat rei, nec conſtet de intentione legislatoris, adeundus eſt legislator, vel ejus ſucceſsor, ſi commodè adiri poteſt, nam illius eſt legem interpretari, cujus eſt concedere, ſi verò commodè adiri nequeant cenſo in pænis, quando lex eſt æque dubia, ſeu quando verba duplicem habent ſignificationem æque propriam, benignior, & ſtrictior pars explicanda eſt: in favorabilibus verò latior. In interpretatione facienda, quando verba legis duplicem habent ſenſum, unum juxta propriam verborum ſignificationem, alterũ juxta communem loquendi modum, explicari debet juxta communem loquendi modum juxta quem accipiebantur verba quando lex condita fuit. Mentem autem, ſeu ſenſum a legislatore intentum poſſumus conjicere: Primò ex incommodis: quæ ex verbis alio ſenſu acceptis ſequerentur: Secundò ſi ex verbis uno ſenſu acceptis ſequitur contrarietas ad alias leges, quæ non ſequitur ex verbis alio ſenſu acceptis: Tertiò ex ratione legis,

piæ

præſertim ex ea, quæ in ipſa lege continetur, nam voluntas legiſlatoris debet eſſe conformis, & accommodata ſuæ rationi: Quarto ex iis, quæ continentur in proemio, in quo exprimi ſolet cauſa finalis principaliter inducens legiſlatorem ad condendam legem: quando facienda eſt explicatio dum per particularem conſtitutionem diſponitur aliquid, quod etiam habetur in jure communi, debet explicari juxta formam juris communis: niſi aliter conſtet de mente legiſlatoris. Non ſolum in lege pęnali, ſed etiam in lege favorabili non eſt facienda extenſio ad ſimiles caſus, niſi ad ipſos extendātur verba legis juxta proprietatem verborum naturalem vel civilem niſi aliter cogat neceſſitas, unde ob paritatem rationis non eſt facienda extenſio ab uno caſu ad alium, non ſolum in lege pęnali, ſed neque in lege favorabili, niſi verba legis hanc extenſionem patiantur.

4 Iſtę particulę, &, vel, aut: quia aliquando accipiuntur conjunctivè, & aliquando diſiunctivè: ideo judicio prudentis, & ſapientis viri relinquitur, quando conjunctivè: vel diſiunctivè accipi debent: ſed particula, vel, accipitur præſertim pro cupulativa. Seu, ſive, & ve iſtę particulę aliquando accipiuntur copulative, aliquando diſiunctivè: particula autem ſeu, & ſive ut plurimum copulative accipitur; Tunc autem ampliative, & copulativè accipiuntur iſtæ particulæ quando ſequuntur, ſeu apponuntur poſt aliquid univerſe, ſeu indefinite, aut pluraliter dictum: diſiunctive vero accipiuntur quando non ſequuntur.

Quibus actibus ſatisfaciamus præcepto. Cap. 561.

1 PRęceptum adimpleri poteſt per actum ex aliqua circumſtantia malum ut qui jejunat ob vanam gloriam: pręceptum aliquando adimpleri poteſt, non adimpleto modo, & eſt quando modus non eſt de intrinſeca ratione actus præcepti, ut qui indigne, & ſine devotione communicat tempore Paſchatis, ſatisfacit præcepto annuæ communionis: quia ſubſtantiam pręcepti adimplet, non adimpleto modo: devotio enim, quæ eſt modus communionis non eſt de intrinſeca ratione actus communionis: ſed communio ſubſiſtere poteſt ſine devotione: aliquando vero non poteſt adimpleri non adimpleto modo, ut quando quis recitat officium ſine attentione, & devotione, non dicitur ſatisfacere præcepto divini officii: quia Eccleſia pręcipit orationem recitatione divini officii, attentio autem, & devotio eſt modus de intrinſeca ratione orationis, cum oratio ſubſiſtere non valeat ſine devotione, & attentione peccat autem proratione mali finis vel circumſtantiæ, qui pręceptum adimplet per actum ex aliqua circumſtantia malum.

2 Poſſumus unico actu pluribus præceptis ſatisfacere: quoties Superior concedit ut eodem actu pluribus præceptis ſatisfiat: quia obligatio legis pendet à mente legis latoris: unde qui vovit jejunium in vigilia omnium Sanctorum eodem jejunio ſatisfacit præcepto Eccleſię, & obligationi voti. Poſſumus etiam per diverſos actus eodem tempore ſatisfacere pluribus pręceptis, quoties unus actus non impedit alium, ut qui tempore Miſſæ recitat horas Canonicas ſatisfacit præcepto Miſſæ, & pręcepto divini officii: nam eodem tempore pręſtat diverſos actus pręceptos, quorum unus non impedit alium.

Qua intentione ſatisfaciendum ſit præceptis, ſeu legibus. Cap. 562.

1 UT pręceptum adimpleatur, requiritur intentio faciendi opus quod præcipitur, & propterea non ſatisfacit præcepto Miſſę audiendæ, qui per vim abſolutam ſeu omnino invitus cogitur intereſſe ſacro, non habens intentionem audiendi ſacrum; non autem eſt neceſſe ut opus pręſtetur intentione ſatisfaciendi præcepto, ſeu adimplendi præceptum, ſed ſufficit ut opus præſtetur intentione illud pręſtandi quod præcipitur; nam licet præcipiant opus fieri leges, non tamen præcipiunt fieri cum intentione implendi præceptum; Eccleſia enim præcipit auditionem Miſſæ in die feſto, non autem pręcipit intentionem ſatisfaciendi pręcepto per auditionem Miſſæ, & propterea qui Miſſam audit intentione audiendi Miſſam, ſed abſque intentione adimplendi præceptum ſatisfacit præcepto Miſſæ.

Qui

Quibus modis, ſeu quibus de cauſis lex, & ipſius obligatio ceſſet.

Utrum lex ceſſet per contrariam legem, vel per ipſius diſpenſationem. Cap. 563.

1 LEx antea recepta vim obligandi amittit per legem poſteriorem contrariam, ſeu per revocationem, ſeu per correctionem, ſeu per reſtrictionem præcedentis legis, juxta correctionis, ſeu reſtrictionis qualitatem: quia poſterior voluntas Principis præfertur priori, licet in poſteriori lege nulla prioris legis mentio fiat.

Utrum lex ceſſet per ceſſationem cauſæ, vel per EpiKejam. Cap. 564.

1 CEſſante cauſa motiva, ſeu finali legis in totum, & reſpectu totius communitatis, ceſſat obligatio legis: etiam ſi non adſit aliud decretum, vel declaratio Principis, quia res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur, ſi verò lex per plures cauſas motivas, ſeu finales condita ſit, & una cauſa ceſſet, manentibus cæteris, non ceſſat legis obligatio, & licet ceſſet lex ceſſante cauſa finali, ob quam condita eſt lex, non propterea ceſſat ceſſante cauſa efficiente. nam lex non ceſſat, ob mortem legislatoris, vel ſucceſſoris, quia lex perpetua eſt; quæ quando ceſſare debet debet ceſſare non ſolum reſpectu particularis perſonę, verum etiam reſpectu totius communitatis: hoc tamen intelligendum eſt, modo lex, ſeu motivum legis ceſſet in caſu particulari ſolum negative, non verò ſi ceſſet contrarie tunc lex, ſeu legis motivum contrariè ceſſat quando turpe eſt legem ſervare, ſeu quando materia legis facta eſt iniqua, ſeu contraria alteri præcepto magis obliganti, & tunc certum eſt legem non obligare, cùm ſuperioris præceptum non obliget ad iniquitatem: quamquam in dubio, an cauſa legis ceſſaverit, præſumendum eſt non ceſſaſſe, & ideo ſubditus tenetur legem obſervare, & graviter peccat eam violando im materia gravi Legis obligatio ceſſat in iis caſibus, qui per EpiKejam, ideſt per æquitatem, ſeu prudentiam non cenſentur comprænhenſi in lege: etiam ſi verba legis illos caſus compræhendere videantur; quia lex non excedit voluntatem legiſlatoris; poſſumus autem cognoſcere, quando aliquis caſus in lege non comprænhendatur: licet verba lenisad ipſum extendi videantur: Primo ob ſupervenientem aliquam circumſtantiam caſus tunc ſit illicitus, nam lex non obligat ad rem turpem: Secundo quando caſus ſit pernicioſus bono communi: Tertio quando ſuperveniat caſus nimis difficilis, & ſuperans poteſtatem legiſlatoris, quia ad impoſſibile nemo tenetur: Quarto quando caſus aliquis occurrit, qui ex circumſtantiis non judicatur à legiſlatore intentus, & quem legiſlator excepiſſet, ſi eum prævidiſſet: Quando autem certo ſcitur, vel quando probabiliter creditur, caſum aliquem non comprænhendi ſub lege, excuſatur à legis obſervatione homo, cum enim rationibus probabilibus ſibi perſuadet caſum non comprænhendi ſub lege, dicitur habere opinionem probabilem; qui autem ſequitur opinionem probabilem non peccat, ſi verò ſolum dubitat, an caſus comprænhendatur ſub lege, conveniendus eſt, & conſulendus Superior.

Utrum lex ceſſet per contrariam conſuetudinem. Cap. 565.

1 LEges vim obligandi amittunt per contrariam conſuetudinem legitime introductam, quia conſuetudo vim habet legis: nam eſt jus quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, triplex autem eſt conſuetudo. Prima dicitur contra legem quæ conſiſtit in actibus frequentatis contra legem. Secunda dicitur præter legem; quæ conſiſtit in frequentatione actuum, qui nulla lege vetantur. Tertia dicitur ſecundum legem, & eſt illa quæ declarat, ſeu interpretatur legem, vel conſiſtit in frequentatione actuum per legem præceptorum, & per hanc conſuetudinem lex dicitur confirmari. Et tres ſunt proprietates conſuetudinis. Prima eſt interpretari legem; unde ſi dubium ſit, utrum lex per ſe ſumpta contineat obligationem ſub mortali, & per conſuetudine recepta ſit tamquam obligans ſub mortali, cenſetur obligare ſub mortali: quia conſuetudo eſt legitima interpres. Secunda proprietas eſt legem inducere. Tertia proprietas eſt legem inductam mutare, & obligare. Plures conditiones ad conſuetudinem introducendam requiruntur. Prima eſt, ut id quod per conſuetudinem intro-

troducitur poſſit eſſe materia legis. Secunda, ut conſuetudo inducatur per actus voluntarios. Tertia ut conſuetudo abrogans legem inducatur ab iis qui legem ſervare tenētur. Quarta conditio eſt, ut ad legem abrogandam adſit intentio eximendi ſe per conſuetudinem ab illa lege. Ad inducendam vero conſuetudinem, quæ vim legis habeat, & obligationem pariat: requiritur, ut id, quod inducitur per conſuetudinem, introducatur, ſeu obſervetur tamquam præceptum, ſeu per modum obligationis, & præcepti: alioquin conſuetudo non obligat ad peccatum. Si vero dubitatur an conſuetudo fuerit inducta ex animo devotionis, vel animo ſe obligandi: præſumendum eſt, inductam eſſe potius animo devotionis: quia nemo præſumitur velle ſibi onus imponere, ſeque obligare: modo non adſint ſufficientes conjecturæ ad indicandam conſuetudinem inductam fuiſſe animo obligandi; quales ſunt. Primo ſi Superior puniat, vel reprehendat aliter facientes. Secundo ſi populus graviter ſcandalizatur ob inobſervantiam talis conſuetudinis. Tertia ſi materia talis conſuetudinis, & obligatio valde conducat bono communi; nam tenetur bono communi conſulere. Quinta conditio eſt, ut conſuetudo ſit univerſalis: ideſt ut major pars communitatis perfecte illam inducat, & propterea. Primo Conſuetudo non indiget promulgatione, ſi à majore parte communitatis introducatur. Secundo illa cenſetur legitima conſuetudo, quæ circa materiam habilem introducta fuit à duobus communitatis partibus. Tertio ad inducendam conſuetudinem jure communi non requiruntur actu judiciales: ſed ſufficienter introduci poteſt per actus extrajudiciales, qua major pars communitatis poteſt plures actus extrajudicialiter facere per modum obligationis, & præcepti. Quarto conſuetudo non ſufficienter inducitur per actus occultos: ſed per externos, & manifeſtos. Quinto conſuetudo non inducitur per non uſum, & ideo lex non abrogatur per non uſum ipſius legis, modo non uſus non contineat implicitum actum contra legem: quia conſuetudo inducitur à majori parte communitatis per frequentiam actuum: ergo conſuetudo non inducitur per non uſum, cum non uſus frequentiam actus non contineat. Sexta conditio eſt, ut conſuetudo per eos inducatur, qui legem concedere poſſunt, vel habent capacitatem activam condendi leges, vel ſaltem paſſivam eas recipiendi interveniente aliquo Superioris conſenſu. Septima conditio eſt ut conſuetudo ſit longæva, quæ erit ſi ſervata fuerit ſpatio decem annorum: quia ſpatium decem annorum in jure longæuum tempus cenſetur, & ſufficiens ad inducendam obligationem, vel ad abrogandas leges civiles, ſaltem per modum præſcriptionis: ad abrogandas verò leges Canonicas per conſuetudinem cum tacito ſolum, vel præſumpto Principis conſenſu ſpatium quadraginta annorum requiritur. Interruptio autem conſuetudinis per aliquem actum contrarium non impedit vim conſuetudinis, quando conſuetudo iam eſt perfecta, & completa legitimo tempore: quia ſicut unico actu non fuit introducta, ita nec unico actu abrogatur; ſi vero conſuetudo nondum eſt perfecta, & completa cenſeo interrumpi per unum actum contrarium communitatis, & ideo iterum incipiendum eſſe, ut conſuetudo introducatur. Octava conditio eſt, ut adſit conſenſus Principis, ſaltem juridicus, ſeu tacitus ad legem abrogandam. Triplex autem eſt conſenſus. Primus dicitur perſonalis, & expreſſus quo Princeps expreſſe conſentit, aut dat licentiam. Secundus eſt tacitus, ut quando ſcit conſuetudinem; & diſſimulat, ſeu non contradicit. Tertius dicitur legalis, ſeu juridicus, & hic datur per legem, ſeu jus, quatenus princeps ſtatuens aut ſciens, conſuetudinem tales conditiones habentem à jure approbari, dicitur conſentire juridice: dico igitur quod ad conſuetudinem non requiritur conſenſus perſonalis, & expreſſus: ſed ſufficit conſenſus juridicus, & tacitus.

2 Conſuetudo poteſt legem abrogare, ſeu legis obligationem tollere etiam ſi in lege quæ per conſuetudinem abrogatur, damnetur, vel reprobetur conſuetudo futura contra ipſam legem, ut dicatur. Volo hanc meam legem ſervari, non obſtante quacunque conſuetudine contraria, modo adſit conſenſus tacitus, vel expreſſus legiſlatoris, vel ipſius ſucceſſoris, quia conſuetudo vim habet legis, ſed una lex poteſt aliam abrogare: etiam ſi in prima lege reprobetur lex poſterior: ergo etiam conſuetudo poteſt legem abrogare, etiam ſi in lege damnetur poſterior, ſeu futura conſuetudo. Lex

vero,

verò, qua reprobatur conſuetudo non propter intrinſecam malitiam, ſed propter aliquod periculum, ſeu ad vitanda incommoda, vel propter utilitatem Reipublicæ vel Eccleſiæ, abrogari poteſt per contrariam conſuetudinem ſubſequentem, ſi ceſſet periculum damni, &c. nam talis conſuetudo non cenſetur amplius irrationabilis, nec reprobata, cum ceſſaverit cauſa propter quam conſuetudo fuerat à lege reprobata, tamquam corruptela: lex verò poteſt vi ſua, & abſque alia clauſula præcedentem conſuetudinem abrogare, modo lex habeat omnimodam contrarietatem, & repugnantiam cum conſuetudine, & legiſlator conſcius ſit conſuetudinis; per legem igitur contrariam univerſalem abrogatur conſuetudo antecedens univerſalis: per legem autem univerſalem non abrogantur conſuetudines ſpeciales locorum, aut ſtatuta ſpecialia non continentia ſolum jus commune, aut privilegia, niſi eorum fiat mentio in lege, aut niſi ſaltem in genere revocetur expreſſe qualiſcumque contraria conſuetudo, aut ſtatutum, aut privilegium: per legem autem particularem abrogatur conſuetudo particularis, etiam ſi facta non ſit illius mentio. Ad abrogandam vero conſuetudinem hujuſmodi, vel ſimilia verba adhibenda ſunt, quando in lege facienda eſt mentio conſuetudinis. (ſcilicet, non obſtante contra conſuetudine:) ad revocandam vero conſuetudinem immemorabilem debet dici (non obſtante conſuetudine etiam immemorabili,) vel æquivalens verbum apponatur. Nova etiam conſuetudo poteſt antiquam abrogare in eo loco, in quo conſuetudo contraria introducitur: quia ſicut lex poſterior abrogat priorem, ita poſterior conſuetudo priorem conſuetudinem. Introducentes vero contra legem, ſeu contra antiquam conſuetudinem legitimè receptam; peccant toto tempore, quo actus contra legem vel conſuetudinem exercent donec elapſum ſit tempus requiſitum ad conſuetudinem introducendam, quia lex, & ipſius obligatio viget donec elapſum ſit tempus requiſitum ad conſuetudinem inducendam. Conſuetudo, & præſcriptio differunt; quia conſuetudo eſt quid juris, inducit enim jus, & legem; præſcriptio vero dicitur quid facti, quo alicui adiicitur dominium rei alienæ. Conſuetudo autem poteſt dici rationabilis, & irrationabilis ſecundum diverſas rationes, & reſpectus; & ideo rationabilis eſt ſi non ſit nutritiva peccati, ſi non ſit ſcandaloſa, ſi non repugnet bono communi, & libertati Eccleſiæ: in contrarium vero erit irrationabilis.

De Diſpenſationibus.

Quinam diſpenſare poſſit in lege humana. *Cap.* 566.

1 AD valorem diſpenſationis requiritur internus ſuperioris legitime diſpenſantis conſenſus; nomen diſpenſationis ſignificat actum juriſdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio ſuſpenditur ad aliquod tempus: diſpenſatio alia eſt tacita, alia expreſſa. Expreſſa ſit verbis, tacita ſit ſigno, vel facto indicante voluntatem diſpenſantis. Legitimus igitur Superior poteſt cum Inferiore ſubdito diſpenſare, illumque ab obligatione legis eximere perſeverante adhuc obligatione reſpectu aliorum: legitimus ſuperior ad diſpenſandum cenſetur legiſlator, vel ipſius ſuperior, vel ſucceſſor in juriſdictione, unde quilibet conditor legis poteſt in ſua lege diſpenſare; legiſlator poteſt ſecum in ſuis legibus diſpenſare: quia hujuſmodi diſpenſatio eſt actus juriſdictionis voluntariæ, qui in ſe ipſum poteſt exerceri. Duplex eſt actus Juriſdictionis. unus dicitur actus juriſdictionis involuntariæ, qui requirit coactionem, vel ſententiam, quia dicitur jus inter partes, alter dicitur actus juriſdictionis voluntariæ, & gratioſæ, primus actus non poteſt exerceri niſi in perſonas diſtinctas, unde Summus Pontifex non poteſt ſe ipſum Sacramentaliter abſolvere: quia Sacramentalis abſolutio eſt vera ſententia, Secundus vero actus non requirit perſonam diſtinctam: unde ſuperior poteſt illum in ſe ipſum exercere, & ideo poteſt ſecum diſpenſare in lege à ſe condita. Actus vero, quo quis ſecum in propria lege diſpenſat, non dicitur proprie, & ſtricte diſpenſatio: quia proprie dicitur ea, qua proxime, & immediate ſubditus legi eximitur ab onere legis; legiſlator autem non eſt directè, & immediate, & quoad vim coactivam ſubditus legi, ſed ſolum quoad vim directivam.

2 Inferior non poteſt diſpenſare in lege Su-

Superioris, quoties ſuperior diſpenſationem ſibi reſervavit, aut inferiori prohibuit diſpenſandi facultatem, quia inferior non habet poteſtatem ſupra ſuperiorem. Statutum inferioris confirmatum à ſuperiore non poteſt ab inferiori abrogari, vel in eo diſpenſari independenter à ſuperiore: ſi confirmatio fuit ſubſtantialis, & eſſentialis, ſecus ſi confirmatio fuit tantum accidentalis. Eſſentialis confirmatio contingit, quando quis condit legem, ad quam ferendam non habet poteſtatem ſine confirmatione ſuperioris: vel quando ſuperior intendit robur addere legi, illamque propriam facere: tunc enim lex cenſetur lata à ſuperiore, unde non poteſt ab inferiori abrogari, independenter à conſenſu Superioris, & propterea Epiſcopi ſuffraganei, vel Archiepiſcopus non poteſt legem in Concilio Provinciali latam contra Regulares exemptos, & confirmatam à Summo Pontifice abrogare. Confirmatio accidentalis eſt; quando conditor legis habet quidem poteſtatem ad illam ferendam, ſed ad majorem legis auctoritatem, ut nemo audeat reprobare, petit confirmationem à Superiore, ut quando declarat legem inferioris laudabilem eſſe, illamque à ſubditis obſervandam eſſe, hanc legem puto abſque confirmantis conſenſu auferri poſſe ab eo, qui eam tulit, quia hujuſmodi lex non cenſetur lata à Superiore, ſed ab inferiore, & non dicitur lex Superioris, ſed inferioris. Confirmatio enim accidentalis non conſtituit legem, ſed illam ſupponit: & confirmatio ſeu approbatio ſolum ſuperadditur ad majorem illius legis auctoritatem. Unde ſtatutum pertinens ſolum ad favorem auctorum illius, ſeu confirmatum in favorem, & gratiā ſtatuentium poteſt revocari, non expectato conſenſu ſuperioris confirmantis, quia poſſunt cedere gratiæ, ſeu privilegio, pertinens vero ad publicum bonum aliorum pro quibus conditum eſt, non poteſt revocari, non interveniente auctoritate confirmantis, ita intelligendum eſſe, ut ſtatutum, etiam ſi factum ſit in favorem publicum, ſicut regulariter fieri conſuevit. poſſit auctoritate conditoris revocari: ſi confirmatio Superioris fuit ſolum accidentalis: & aliud non intelligitur de mente confirmantis. Inferior autem non poteſt diſpenſare in lege Superioris, quoties ſuperior, qui legem condidit expreſſe non ademit, vel non prohibuit diſpenſandi facultatem, niſi in caſibus conceſſis inferiori. Non nego tamen quin aliquando cenſeatur Epiſcopo conceſſa facultas diſpenſandi in legibus Pontificiis, Primo quando in lege Pontificia hoc exprimitur. Secundo, quando vir prudens interpretatur hanc eſſe Pon. Intentionem, quę colligi poteſt, Primo quando res levis eſt, ut ſi lex non obliget ſub mortali ob materiæ levitatem. Secundo quando pręcipiuntur ea, quę ſępē eveniunt; & quę frequenter indigēt diſpenſatione. Tertio quando gravis aliqua neceſſitas, vel utilitas ſubito advenit: ita ut Sedes Apoſtolica comode adiri nequeat, quando dubitatur an res egeat diſpenſatione; ſi probabiliter opinaturrem non indigere diſpenſatione, tunc non eſt neceſſe diſpenſationem petere à Sumo Pontifice, vel ab Epiſcopo: quia licitum eſt ſequi probabilem opinionem depoſito practicè dubio: ſi autem non probabiliter opinatur, ſed practicè dubitatur opus eſt diſpenſatione, & tunc cenſeo petendam eſſe diſpenſationem à Sede Apoſtolica.

Quid requiratur, quidque ſervandum ſit, dum aliqua diſpenſatio de mandato Summi Pontificis expeditur.

Cap. 507.

1 Confeſſarius in concedenda diſpenſatione virtute reſcripti, ſeu mandati Apoſtolici, ſequentes conditiones reſpicere debet. Primo ut ad confeſſiones approbatus ſit ab ordinario. Secundo ut ad Doctoratus lauream in Theologia, vel in jure Canonico promotus fuerit, quia reſcriptum dirigitur doctori. Tertio, ut non diſpenſet ſine cauſa, propter quam Summus Pontifex diſpenſandi facultatem demandavit. Quarto ut rei veritatem, niſi notoria ſit, vel aliunde conſtet, ab ipſo pœnitente diligenter inquirat, ab alio autem non tenetur eam inquirere. Quinto, ut Confeſſarius, cui reſcriptum Apoſtolicum exhibetur ad diſpenſandum in matrimonio, non diſpenſet; niſi impedimentum ſit occultum. Sexto ut præcedat confeſſio, quot es in brevi Apoſtolico præſcribitur confeſſio: licet confeſſio Sacramentalis non ſemper, præſcribitur tamquam conditio neceſſaria Septimo ut Confeſſarius imponat pia opera, quę prudenter imponenda judicaverit, quando autem in privilegio fit mentio Confeſſio-
nis

nis Menſtruæ imponendæ Confeſſarius debet Confeſſionem ſingulis menſibus faciendam imponere, niſi minus frequentem judicaverit expedire. Octavo un Confeſſarius, cui datur facultas diſpenſandi circa matrimonium, ut videlicet iterum celebretur matrimonium, quod cum impedimento affinitatis occulto invalide fuerat celebratum, curet antequam diſpenſationem exequatur, conjuges ſeparari, ſi commode, & ſine ſcandalo ſeparari poſſunt; ſi vero nequeant: ſaltem experiatur, an tanquam frater, & ſoror ſimul habitare poſſint. Confeſsarius tamen non tenetur hanc experientiam præmittere: ſi ei conſtet non poſse coniuges ſine ſcandalo ſeparari. Nono, Confeſsarius, ut certiores fieri curet contrahentes de nullitate conſenſus. Decimo, ut litteras dilaceret, quoties in privilegio præſcribitur litteras dilacerari: Undecimo, ut pro diſpenſatione expedienda nihil omnino exigatur.

2 Clauſula (Legitimationis prolis) apponi ſolita, dum conceditur diſpenſatio ob præcedentem occultam affinitatem, vel inceſtum occultum; vel ob matrimonium invalide celebratum ob impedimentum dirimens occultum, operatur, quod filius non eſt cenſendus irregularis, ſed eſt habilis ad ordines, & ab beneficia Eccleſiaſtica. Alia clauſula apponi ſolita, ſcilicet (in forma Eccleſiæ conſueta abſolvas, &c) dicendum eſt non eſse neceſsariam certam verborum formam: quia nullo jure certa verborum forma præſcribitur, unde non important determinatam verborum formam, ſeu modum conſuetum ſufficienter indicandi diſpenſationem.

Utrum ad diſpenſationem cauſa requiratur. Cap. 568.

1 Diſpenſatio in lege humana ſi concedatur ſine juſta cauſa à legislatore, vel ab alio habente auctoritatem, quam habet legislator, vel ipſius ſucceſsor in dignitate valida eſt, ſed non licita, & propterea peccat ſaltem venialiter, & etiam mortaliter ſi adſit ſcandalum, aut grave aliorum detrimentum, non enim poteſt ſua poteſtate, ut cum aliorum ſcandalo, & detrimento ſine juſta, & legitima cauſa. Valida tamen eſt diſpenſatio ab Epiſcopo facta ſine cauſa in propria lege, & ita Princeps poteſt in lege ſui prædeceſsoris, vel ſubditi validè diſpenſare ſine cauſa, legislator autem poteſt ſecum ſine cauſa valide diſpenſare, ſed non licite: quia ſicut poteſt cum aliis, ita poteſt ſecum. Non autem valida eſt diſpenſatio, quam quis obtinuit expreſſa falſa cauſa, quam falſis teſtibus probavit, quoties cauſa talis eſt; ut ea expreſsa Superior diſpenſationem non conceſſiſset: Valida tamen eſt ſi cauſa vera probetur falſis teſtibus: quia cauſa vera eſt.

2 Diſpenſatio in lege Superioris conceſsa ab inferiore ſine juſta cauſa, non ſolum non eſt licita, ſed nec valida, quia non eſt veriſimile Superiorem concedere inferiori facultatem diſpenſandi ſine juſta cauſa, cum ſuperior non poſſit ipſi hanc facultatem licite concedere, & propterea qui in lege ſuperioris, aut in iis, quæ ſunt de jure naturæ, vel divino diſpenſat ſine cauſa, graviter peccat, nam uſurpat ſibi juriſdictionem, quam non habet, & eodem peccato peccat, qui inducit aliquem ad diſpenſandum ſine cauſa.

3 Multæ ſunt juſtæ cauſæ diſpenſandi & eximendi aliquem ab obligatione legum Prima eſt utilitas communis, vel etiam privata. Secunda eſt neceſſitas communis vel privata. Tertia eſt pietas: addo conced' poſſe diſpenſationem ob aliquos ſupervenientes caſus, vel rationes, quæ ſufficientes, & legitimæ arbitrio prudentis viri pro qualitate loci, temporis, & perſonæ fuerint adjudicatæ, & ideo valide diſpenſatur, quoties obſervantia legis vergeret in malum, aut majus bonum impediret, quia adeſt neceſſitas, & utilitas: ſic periculum incontinentiæ cenſetur ſufficiens cauſa diſpenſadi in voto caſtitatis: & facilius diſpenſationes Principibus concedi poſſunt, quam aliis.

4 Superior, poſita juſta cauſa, tenetur aliquando, & aliquando non tenetur diſpenſare. Prælatus enim poſita in duobus æquali cauſa, poteſt aliquando ſine peccato contra juſtitiam cum uno diſpenſare, denegata alteri diſpenſatione: tenetur autem diſpenſare, quando extant urgentes cauſæ, nempe quando neceſſaria eſt diſpenſatio ad vitandum publicum, vel privatum damnum, vel quando valde utilis eſt bono communi, vel etiam privato. Qui non eſt ſupremus Princeps, non poteſt, in lege diſpenſare impoſita mulcta pecuniaria fabricæ Eccleſiæ, vel piis operi-

bus

bus ex præcepto tradenda, niſi forte imponatur in pœnam delicti, quia ex *Trid. ſeſſ. 25. c. 18.* præcipitur, diſpenſationem gratis fieri.

Utrum diſpenſatio ob narrationem falſi, aut taciturnitatem veri invalida, ſeu obreptitia, & ſubreptitia reddatur. Cap. 569.

1 Reſcriptum gratiæ aliud eſt, & aliud eſt reſcriptum juſtitiæ. Reſcriptum gratiæ dicitur illud, quod ad obtinenda beneficia, diſpenſationes, & alias gratias impetratur. Juſtitiæ verò dicitur illud, quod obtinetur ad lites forenſes: & hæc eſt differentia inter hæc reſcripta, quod reſcriptum gratiæ obtentum per ſubreptionem, ſeu per ſuppreſſionem veri irritum eſt ipſo jure. Juſtitiæ verò reſcriptum obtentum per ſubreptionem validum eſt per ſe loquendo, donec pars, contra quam obtentum eſt indicet ſubreptitium eſſe, & curet elidi; fieri autem poteſt, ut idem reſcriptum ſimul ſit gratiæ, & Juſtitiæ: unde ſi principaliter ſit reſcriptum gratiæ, explicandum erit ut reſcriptum gratiæ: ſi principaliter ſit reſcriptum juſtitiæ, explicandum erit, ut reſcriptum Juſtitiæ. Quoties aliquid tacetur, vel falsò narratur, quo cognito ſuperior non diſpenſaſſet, invalida eſt diſpenſatio, quia ſuperior cenſetur ſolùm diſpenſare ſub conditione (ſi res ita eſt:) ſecus dicendum, quando aliquid tacetur, vel falſo narratur, quo cognito Superior difficilius tantum diſpenſaſſet, nam adeſt ſufficiens intentio diſpenſandi: quæ regula non eſt ſimpliciter, & abſolute vera in omnibus caſibus: ſed intelligenda eſt cum hac limitatione; ut videlicet dum tacetur aliquid habens connexionem cum materia diſpenſationis: non enim ſemper eſt invalida diſpenſatio, quoties aliquid tacetur, quo cognito diſpenſans, non diſpenſaſſet, ſed eſt invalida, quoties aliquid tacetur, vel fingitur quod habet prudentem connexionem cum materia diſpenſationis, quo cognito diſpenſans, non diſpenſaſſet, aut non eodem modo diſpenſaſſet, ſed cum quibuſdam moderationibus. Quando vero aliquid tacetur, vel fingitur, quod non habet prudentem connexionem cum diſpenſatione, ſeu potius eſt res, vel circumſtantia impertinens ad cauſam, diſpenſatio valida eſt, quia quamvis diſpenſans ita ſit habitualiter diſpoſitus, ut re cognita non conceſſiſset diſpenſationem: nihilominus re ipſa diſpenſat, & vult diſpenſare, nec habitualis diſpoſitio facit actum conditionalem, ſicut efficit in primo caſu, quando tacetur, vel fingitur aliquid, quod habet prudentem connexionem cum materia diſpenſationis; cum enim in ſecundo caſu ſubſiſtat cauſa finalis diſpenſationis, diſpenſans habet voluntatem diſpenſandi ob talem cauſam, & hæc voluntas non tollitur per illam habitualem voluntatem non diſpenſandi, cognita circumſtantia impertinente ad cauſam diſpenſationis, unde valida eſt diſpenſatio voti obtenta ab eo, qui ſe finxit virum doctum, vel ſtudioſum, &c. nam hujuſmodi fictio nihil refert ad cauſam diſpenſationis: ſic diſpenſatio obtenta ab aliquo tacito nomine perſonæ, ne cognoſcatur à diſpenſatore, qui ſi illam cognoviſſet non conceſſiſſet diſpenſationem propter odium, vel ob aliam ſimilem cauſam; non enim tacetur aliquid habens connexionem cum materia diſpenſationis.

2 Si ſubreptio tacendo verum, vel exprimendo falſum contingat in una reſcripti parte, vitiat, & irritum reddit reſcriptum, quoad eam partem, in qua eſt ſubreptio, non verò quoad reliquas, modo partes, in quibus non contingit ſubreptio, ſeparabiles ſint quoad valorem à parte, in qua fuit ſubreptio; nam ſi ſeparabiles non ſint, ſed tanquam acceſſoriæ, reſcriptum corruit quoad omnes partes, nam acceſſorium eo ruit deſtructo principali, & propterea, qui in eodem reſcripto diſpenſationem in voto caſtitatis, & peregrinationis ad limina Apoſtolorum obtinuit, narrata falſa cauſa in uno voto, poteſt uti diſpenſatione, quoad aliud votum in quo non contingit ſubreptio.

3 Clauſula (motu proprio) poſita in reſcriptis operatur: Primo, quod privilegium motu proprio conceſſum, cenſetur magis voluntarium, & liberale, quam conceſſum ad inſtantiam petentis. Secundo non cenſetur ſubreptitium, dum veritas ſiletur in petitione privilegii, aut falſitas exprimitur qua cognita, ſuperior adhuc conceſſiſſet privilegium: tunc enim Clauſula motus proprii tollit ſubreptionem; non tamen quomodocunque tollit ſubreptionem, tollit etiam invaliditatem, nam privilegium motu proprio conceſſum tacita veritate aliquando

Hh do

do non eſt validum; & propterea non eſt idem tollere ſubreptitium, & efficere gratiam validam. Tertio privilegium, motu proprio conceſſum nunquam retorquetur contra eum cui conceditur: conceſſum vero per propriam petitionem retorqueri ſolet.

Utrum diſpenſatio reddatur invalida ob taciturnitatem alicujus qualitatis, quam jura ſpecialiter exprimi volunt.
Cap. 570.

1 DIſpenſatio redditur invalida tacita qualitate, quam jura ſpecialiter exprimi volunt, quamvis ea qualitate expreſſa Superior conceſſiſſet diſpenſationem quoties enim in jure præcipitur, ut aliquid in petitione exprimatur, expreſſio eſt de forma, quare qui obtinuit ſecundum beneficium, non facta mentione primi, invalida eſt ſecundi beneficii collatio, quam quis obtinuit obtento primo, illiuſque non facta mentione in ſecundo, quia jura hoc ſpecialiter exprimi volunt.

Utrum diſpenſatio per metum, aut dolum obtenta valida ſit. Cap. 571.

1 DIſpenſatio obtenta per metum, licet incuſſum ad ipſam obtinendam, valida eſt, quia geſta per metum valida ſunt, exceptis caſibus in jure expreſſis. Sed diſpenſatio extorta per dolum, & mendacia non eſt valida, ſi dolus, & mendacia verſentur circa cauſam finalem, quia diſpenſatio, vim habet à voluntate diſpenſantis: diſpenſans autem, non habet voluntatem diſpenſandi, quoties dolus, & mendacia verſantur circa cauſam finalem: præſumitur enim habere intentionem diſpenſandi ſolum ſubſiſtente cauſa motiva, & finali: ſecus dicendum videtur, ſi dolus & mendacia verſentur ſolum circa cauſam impulſivam. Dolus autem eſt fallacia, ſeu machinatio ad recipiendum aliquem adhibita, conſiſtens in dicto, vel facto, vel ommiſſione ejus, quod quis dicere, vel facere tenebatur in diſpenſationibus dolus cenſetur cauſa finalis, ſeu motiva diſpenſationis, quando diſpenſans non ceſſiſſet diſpenſationem, vel ejus partem ſi dolum cognoviſſet; & propterea diſpenſatio, quæ per hujuſmodi dolum fuit obtenta dicitur ſubreptitia, ſeu obreptitia: & tunc dolus dicitur cauſa impulſiva, quando diſpenſans adhuc cognita ea cauſa, quæ narratur, diſpenſaſſet, licet non ita facile.

Utrum valida ſit diſpenſatio, quam quis obtinet, non exprimendo ſe illam antea petiiſſe, ſed non obtinuiſſe.
Cap. 572.

1 VAlida eſt diſpenſatio, quam quis obtinet: etiamſi non exprimat ſe illam petiiſſe, & non obtiniuſſe, ſive in ſecunda petitione alleget majores cauſas, & circumſtantias: ſi jure petat cum iiſdem circumſtantiis, quibus cum antea petierat: quia nullo jure probatur invalidam eſſe talem diſpenſationem.

Utrum valida ſit diſpenſatio obtenta ſine mentione alterius diſpenſationis de eadem re prius obtentæ.
Cap. 573.

1 QUando de una, & eadem re duplex diſpenſatio petitur, & prima fuit limitata: in ſecunda quæ magis ampla petitur per ſe loquendo facienda eſt mentio prioris limitatæ, alioquin ſecunda invalida videtur, niſi ſecunda ex nova, & ſufficienti cauſa petatur, aut niſi prima conceſſa fuerit cum limitatione, quæ juxta ſtylum apponi ſoleat, & hoc procedit, quamvis ſecunda diſpenſatio fiat ab inferiore; ſi autem diſpenſationes cadant ſuper res diverſas, non eſt neceſſe in poſteriori facere mentionem prioris; unde qui obtinuit diſpenſationem in juramento, non tenetur illius diſpenſationis mentionem facere in diſpenſatione recitationis Officii; ſic etiam ſuperveniente nova, & ſufficenti cauſa obtinendæ diſpenſationis ſine limitatione, non videtur neceſſe, moderationem primæ diſpenſationis exprimere: quia ſuperior conſiderata nova cauſa, non præſumitur ampliationem diſpenſationis denegaturus etiam ſi prioris diſpenſationis conceſſæ cum limitatione recordaretur; etiam ſi limitatio fuiſſet appoſita ex ſtylo Curiæ, ut ſolet apponi, cujus eſt conſcius Pontifex unde ſignum eſt, Summum Pontificem velle ſecundam abſolutè concedere abſque limitatione, quamvis non recordetur ſe tali perſonæ aliam conceſſiſſe cum limitatio-

tione; & ideo valida eſt diſpenſatio, quam quis obtinet dum impetrata diſpenſatione voti caſtitatis cum limitationibus ex ſtylo Curiæ apponi ſolitis, nempe ad unicum matrimonium, & facta commutatione in confeſſiones menſtruas, & in alia pietatis opera, aliam diſpenſationem abſolutam impetrat, tacita priore diſpenſatione. Illegitimus autem, qui ob defectum illegitimitatis diſpenſationem obtinuit ad unum beneficium, & poſtea diſpenſari cupit ad plura benificia, debet primæ diſpenſationis, vel ſaltem illegitimatis mentionem facere, alioquin ſecunda eſt ſubreptitia, & nulla.

2 Qui nondum uſus eſt prima diſpenſatione, & petit ſecundam, non propterea habet duas diſpenſationes, ut poſſit quam maluerit elegere: quia qui petit ſecundam diſpenſationem, cenſetur quantum in ſe eſt renunciaſſe primæ in manibus Pontificis, nec amplius velle prima gaudere. Nec eſt neceſſe mentionem facere in ſecunda diſpenſatione prioris invalidæ; quia ſecunda diſpenſatio non dicitur peti ad ampliationem primæ, cum prima ſit omnino invalida; & propterea ſicut ſi prima ſit valida, non deſinit eſſe valida ob invaliditatem ſecundæ; ita ſecunda non deſinit eſſe valida ob invaliditatem primæ.

Utrum habens plura impedimenta ſeu uincula, ualide obtineat diſpenſationem unius, non explicatis alus quibus obſtrictus tenetur. Cap. 574.

1 Valida eſt diſpenſatio alicujus impedimenti, quam quis pluribus impedimentis obſtrictus obtinet, non expreſſis aliis impedimentis, niſi forte impedimenta matrimonii excipiamus, quia nullo jure probatur unum impedimentum auferri non poſſe aliis non ablatis, nam obſtrictus pluribus excommunicationibus, valide poteſt abſolutionem ab una obtinere, tacitis, & non ablatis aliis, ſecus dicendum de impedimentis matrimonii, nam diſpenſatio obtenta unjus impedimenti in materia matrimonii ab eo, qui pluribus detinetur impediment Invalida eſt, ſi taceantur is alia impedimenta.

Quibus modis diſpenſatio vim ſuam amittat.

Utrum diſpenſatio vim ſuam amittat ceſſante cauſa, ob quam conceſſa fuerat. Cap. 575.

1 Ad validitatem diſpenſationis non eſt neceſſe, ut cauſa ſit vera, quando litteræ mittuntur Romam: quia talis neceſſitas nullo jure probatur: quia verba diſpenſationis (ſi preces veritate nitantur,) ſufficienter verificantur, ſi cauſa narrata ſubſiſtat, dum Pontifex committit, vel concedit diſpenſationem. Delegatus ad diſpenſandum non poteſt valide diſpenſare, ſi poſt mandatum, ſeu indultum ſibi à Summo Pontifice conceſſum ceſſavit cauſa juſta diſpenſandi; unde ſi Papa commiſit Epiſcopo facultatem diſpenſandi cum irregulari, ut ad ordines propter parentum paupertatem promoveri valeat, ſed interim antequam Epiſcopus diſpenſet, cauſa diſpenſationis ceſſat eo quod Parentes irregularis ad pinguiorem fortunam venerunt, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamdiu juſta diſpenſandi cauſa ceſſat, & propterea cauſa ad diſpenſandum requiritur, non ſolum quando ſuperior dat inferiori mandatum ad diſpenſandum, verum etiam quando inferior vult diſpenſandi facultate uti. Quando vero diſpenſatio ſemel obtenta eſt, & jam executioni mandata, tunc non ceſſat, nec revocari poteſt ceſſante cauſa, ob quam fuerat conceſſa, ideo non ceſſat diſpenſatio in irregularitate reſpectu illius qui ratione paupertatis parentum diſpenſationem ad ordines obtinuit: ſi ordinibus jam ſuſceptis ceſſet paupertas, quæ fuit cauſa finalis diſpenſationis, quia effectus licite, valide, legitime, & abſolute factus, & conſummatus fuit virtute diſpenſationis præteritæ, ergo debet permanere.

Utrum diſpenſatio jam conceſſa vim ſuam amittat per mortem concedentis, aut per revocationem uel per renunciationem diſpenſationis. Cap. 576.

1 Diſpenſatio vim ſuam non amittit per mortem concedentis: quia diſpenſatio eſt gratia, gratia autem jam conceſſa, facta non amittitur per mortem conce-

Digitized by Google

cedentis. Amittit autem diſpenſatio vim ſuam ſi revocetur antequam adimpleatur effectus, ad quem fuerat conceſſa: nam diſpenſatio vim habet à voluntate concedentis, donec executioni demandetur; ſi autem concedens revocaverit ante executionem, diſpenſatio vim ſuam amittit. Ita renunciatio diſpenſationis efficit, ut diſpenſatio, quæ nondum executioni demandata fuerat vim ſuam amittat, ſi renunciatio acceptetur à diſpenſante: quia per renunciationem diſpenſationis acceptatam à concedente. ſubditus iterum ſubiicitur legi, à qua fuerat per diſpenſationem exemptus ab obligatione legis, & ſicut ad conceſſionem diſpenſationis, & privilegii requiritur voluntas concedentis, & diſpenſati, ita ad ejus diſſolutionem requiritur voluntas utriuſque.

Utrum diſpenſatio vim ſuam amittat per primum actum. Cap. 577.

1 Diſpenſatio abſolute, & ſine limitatione conceſſa non finitur primò actu; quia diſpenſatio non jejunandi abſolute conceſſa non ceſſat, non ſervato uno die jejunio, & diſpenſatio abſoluta in voto caſtitatis non ceſſat, violata ſemel caſtitate, ſecus ſi non fuerit abſolute conceſſa; nam diſpenſatio contrahendi matrimonium cum conſanguinea, mortua ea, ceſſat, quia non eſt abſolute conceſſa ad contrahendum matrimonium cum qualibet conſanguinea.

Cujus expenſis obtinenda ſit diſpenſatio. Cap. 578.

1 Diſpenſatio impetranda eſt illius expenſis, qui onus illius impetrandæ ſuis ſumptibus in ſe recepit, ſi vero in ſe non recepit, diſpenſatio communibus expenſis impetranda eſt, quia uterque ſentit commodum diſpenſationis. Qui obtenta de communi conſenſu diſpenſatione injuſte renuit matrimonium contrahere, tenetur ad integras diſpenſationis expenſas: qui vero juſte renuit abſque alterius culpa, tenetur ſolum ad partem expenſarum; ſi vero renuat ob alterius culpam, ad nullas tenetur; ſed alter, qui cauſam reſiliendi dedit, ad integras expenſas tenetur.

De Privilegiis.

Quid, & quotuplex ſit Privilegium. Cap. 579.

1 Privilegium eſt lex, qua conceditur aliquid ſpeciale, quia quandiu durat obſervandum eſt ad modum legis, & eſt multiplex. Primo aliud eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum. Scriptum dicitur illud, quod ſcriptura exprimitur, non ſcriptum, quod conceditur abſque ſcriptura. Secundo aliud eſt privilegium reale, aliud perſonale: Perſonale quod conceditur immediate perſonæ ratione ſui; quod exinguitur extincta perſona. Reale eſt, quod conceditur directe alicui rei, ut loco, dignitati, vel muneri, vel prædio, vel mercibus diſtinctis à perſona: res vero, cui conceſſum eſt privilegium, ſi tranſeat ad alium dominium, ad eundem etiam tranſit privilegium. Tertio aliud dicitur gratioſum, aliud remuneratorium: gratioſum conceditur gratis nulla habita ratione meritorum illius cui conceditur, remuneratorium conceditur ratione meritorum ipſius, vel aliorum. Quarto aliud eſt conventionale quod conceditur cum pacto ſive conventione, aliud purum, quod abſolute conceditur. Quinto aliud eſt ob bonum commune, aliud immediate, & proxime ob bonum privatum, quamvis enim omne privilegium ultimo referatur ab bonum commune: eo quod expediat bono communi: nihilominus privilegium aliquando proxime, & immediate reſpicit bonum privatæ perſonæ, ut quando alicui privatæ perſonæ conceditur. Sexto aliud eſt privilegium favorabile, aliud odioſum: Purà favorabile eſt quod privilegiato confert favorem, & commodum. Odioſum, quod uni confert favorem, & alteri præjudicium, ut eſt privilegium, quo quis eximitur à ſolutione decimarum; nam reſpectu ſolventis confert favorem: reſpectu vero illius, cui ſolvuntur eſt odioſum. Septimo aliud eſt perpetuum, aliud temporale. Perpetuum conceditur abſque limitatione temporis: temporale cum limitatione. Octavo aliud eſt in foro conſcientiæ, aliud in foro externo; quando datur pro foro interno, non videtur operari in foro externo, quando vero datur pro foro externo, non ſolum operatur pro exter-

externo, verum etiam in foro conſcientiæ

A quo, & cui concedenda ſint privilegia. Cap. 580.

1 PRivilegium ab eo conceditur, à quo lex fieri poteſt, cum enim Privilegium ſit quædam lex, igitur ab eo concedi debet, qui poteſt legem ferre. Privilegia contra jus illis tanrummodo coucedi poſſunt qui aliquo modo ſunt ſubditi; quia illis conceduntur privilegia, qui poſſunt lege ſolvi, & eximi: per privilegium homo eximitur à lege: ſed illi ſolum à lege eximi poſſunt, qui ſunt aliquo modo ſubditi: ergo privilegia illis tantummodo concedi poſſunr, qui aliquo modo ſunt ſubditi; ſi vero loquamur de privilegio, quod eſt præter jus, ſeu quo quis non directe eximltur ab obligatione legis, quodque proprie non eſt actus jurisdictionis, ſed quaſi donationis, & dominii illius rei, vel juris, quod per privilegium datur: exiſtimo hujuſmodi privilegium concedi poſſe perſonis, quæ non ſunt ſubditæ.

Vtrum Privilegium, vel diſpenſaiio obtineri poſſit abſque ſcientia, vel mandato Privilegiarii: & utrum vim ſuam babeat, antequam acceptetur. C. 581.

1 PRivilegium, vel diſpenſatio valide poteſt obtineri abſque mandato, vel ſcientia illius, in cujus favorem obtinetur: quia nullo jure ſufficienter probatur, irritum eſſe privilegium, vel diſpenſationem obtentam ſine mandato, vel cognitione illius cui conceditur, immo valide poteſt obtineri diſpenſatio pro invito, & nolente, quia ſicut lex ferri poteſt in invitum: ita etiam exemptio à lege, ſeu diſpenſatio, quæ non eſt concedenda invito: quia cum ſit quoddam privilegium, quod non confertur invito, ſeu nolenti illud acceptare. Privilegium non habet vim, donec acceptetur ab eo, cui conceditur, aut ab ipſius nuncio, vel procuratore, qui vicem ipſius gerat; valida igitur erunt geſta, quæ privilegiatus facit poſtquam per nuncium, vel Procuratorem acceptavit privilegium, vel diſpenſationem: etiam ſi privilegiarius, privilegii conceſſionem nondum cognoverit: nam privilegium acceptatum validum eſt, quod etiam prodeſt Privilegiario antequam innoteſcat illi in cujus damnum conceditur; quia ab ipſo acceptari non debet, dummodo acceptatum ſit ab eo, in cujus utilitatem, & favorem conceditur.

De materia, & effectu privilegii.

Quænam ſit materia, & effectus privilegii reſpectu illius, cui privilegium conceditur. Cap. 582.

1 MAteria privilegii multas habere debet conditiones. Prima eſt ut materia ſit honeſta, & rationabilis. Secudna debet eſſe favorabilis. Tertia debet conſiſtere in aliqua facultate ad agendum aliquid vel non agendum, ad recipiendum, vel non recipiendum. Effectus privilegii reſpectu privilegiarii conſiſtit in facùltate aliquid faciendi, vel ommittendi: Privilegiarius autem renetur uti ſuo privilegio in duobus caſibus. Primus eſt circa privilegium commune; quando ex omiſſione uſus Privilegii ſequitur aliorum præjudicium. Secundus, quando actus, qui alias erat illicitus, efficitur licitus per privilegium, ſi ille idem actus legi ſubiiciatur, privilegiarius tenetur uti privilegio.

Quid requiratur ad validitatem actuum, quos privilegiarius virtute privilegii facit. Cap 583.

1 UT validi ſint actus facti virtute privilegii requiritur, ut ſervetur forma ſubſtantialis contenta in privilegio: quia actus ſine forma ſubſtantiali celebratus non eſt validus. Privilegium autem duobus modis coucedi poteſt. Primo abſolute nullo alio opere injuncto ad fructum privilegii conſequendum: Secundo injuncto aliquo opere: hoc autem opus duobus modis intelligi ſolet videlicet ſub conditione, vel ſub modo ſi ſub conditione injungatur: neceſſario præſtandum eſt opus injuctum, ut privilegium obtineatur: quia conditio videtur importare formam ſubſtantialem: ſine forma autem ſubſtantiali res eſſe non poteſt, ſi vero injungatur opus ſub modo: privilegium valet, etiam ſi opus, ſeu modus injunctus non adimpleatur.

Utrum Privilegiarius poſſit uti privilegio in quolibet loco concedentis. Cap. 584.

1 PRivilegio abſolute, & abſque determinatione loci conceſſo privilegiarius uti poteſt quolibet in loco concedentis, niſi de mente concedentis aliter conſtet: quia privilegium ſine determinatione conceſſum cenſetur generale juxta facultatem concedentis: qui habet facultatem generalem concedendi privilegium pro quolibet ſuo territorio.

Utrum Privilegiarius poſſit extra territorium concedentis uti privilegio abſque determinatione loci conceſſo. Cap. 585.

1 PRivilegiarius poteſt ubique etiam extra territorium concedentis uti diſpenſatione ſeu privilegio perſonali ſibi conceſſo abſque determinatione loci, modo in alieno territorio non extet ſpecialis aliqua prohibitio: quia privilegia conceſſa ob aliquam conditionem perſonæ, ſeu ob aliquam cauſam in ipſa perſona exiſtentem, dicuntur privilegia perſonalia, privilegium autem perſonale afficit perſonam, illi inhæret, eâq; ſequitur quocumq; pergat, unde privilegiarius tali privilegio ubiq; uti poteſt.

Quomodo explicandum ſit privilegium quando ipſius verba ſunt obſcura, ſeu dubia.

Quomodo explicandum ſit privilegium tam favorabile, quam odioſum. Cap. 586.

1 PRivilegium pure favorabile late explicandum eſt, quantum rationabiliter judicatum fuerit, ſervata verborum proprietate: quia beneficium principis late explicandum eſt, cum autem privilegium pure favorabile ſit vere, & proprie privilegium late igitur explicandum eſt, quantum ſcilicet ratio, & prudentia dictat, ſervata verborum proprietate. Privilegium vero odioſum ſtricte explicandum eſt ſervata verborum proprietate, quia Princeps in odioſis. cenſetur ſolum voluiſſe derogare quatenus expreſſè per verba declaravit, & propterea privilegium, quod eſt contra jus, aut quod alteri damnum infert ſtrictè explicandum eſt, quia princeps non cenſetur velle alterum privare jure ſuo, aut alteri damnum inferre, niſi quatenus verbis expreſſit.

Utrum privilegium cenſeatur conceſſum ſolummodo perſonis, aut rebus: quæ in pivilegio ſunt expreſſæ an etiam cenſeatur aliis conceſſum. Cap. 587.

1 PRivilegium cenſetur ſolummodo conceſſum iis perſonis, vel rebus, quæ ſunt in privilegio expreſſæ, vel quæ in eo compræhenduntur propter ſignificationem vocis, aut propter materiæ, aut actionis connexionem, vel propter juris diſpoſitionem, & propterea quando dicitur (propter ſignificationem vocis,) colligitur privilegium conceſſum religioſis alicujus ordinis extendi etiam ad Moniales illius ordinis, & quando dicitur (propter materiæ connexionem,) ſequitur privilegium conceſſum bonis mariti, extendi ad bona uxoris, & quando dicitur (propter actionis connexionem) colligitur privilegium conceſſum Sacerdoti, ut celebrare poſſit tempore interdicti, extendi ad alterum, qui inſerviat Sacerdoti, quia inſervire, & celebrare habent maximam inter ſe connexionem, quando dicitur (propter juris diſpoſitionem,) colligitur uxorem aliqua ratione gaudere privilegio nobilitatis obtento à viro, & filium obtento à patre; nam jure diſponente nobilitas communicatur uxori, & filio.

Quibus modis privilegium amittatur.

Utrum privilegium amittatur per mortem concenentis, aut illius cui conceditur. Cap. 588.

1 PRivilegium perſonale amittit vim ſuam per mortem illius, cui conceſſum fuerat; quia privilegium perſonale conceditur perſonæ, & cenſetur perſonæ inhærere, igitur per mortem illius cui conceſſum eſt privilegium expirat: non verò privilegium reale expirat ob mortem illius, cui conceſſum fuerat, nam ſequitur rem ipſam, & ſucceſſive tranſmittitur ad illos, qui rem ipſam acquirunt. Privilegium autem rite obtentum, ſeu gratia jam facta non ceſſat morte concedentis,

tis,

Digitized by Google

tis, modo privilegium conceſſum ſit ſimpliciter ſine aliqua conditione, ſeu particula reſtringente uſque ad mortem concedentis; quia privilegium eſt favor, vel gratia; gratia autem conceſſa non ceſſat morte concedentis, modo non ſit cum limitatione reſtringente privilegium uſque ad mortem concedentis; quia tunc finitur morte concedentis, vel ſi dicatur *concedo hanc facultatem uſque ad beneplacitum noſtrum*, (*vel*) *donec voluero*, (*vel*) *dum fuerit noſtra voluntas*, (*vel e ad arbitrium noſtræ voluntatis*, (*vel*) *dum nobis placuerit*: ſicut enim beneplacitum, voluntas, conſenſus concedentis deſinit morte concedentes, ita etiam ceſſat privilegium quod à beneplacito, voluntate, & conſenſu ipſius pendebat. Si vero dicat (donec revocavero) privilegium non ceſsat morte concedentis, niſi concedens revocaverit privilegium ante mortem.

Utrum Privilegium amittatur lapſu temporis, aut ceſſatione cauſæ propter quam conceſſum fuerat. Cap. 589.

1 Privilegium amittitur, & finitur lapſu temporis præſcripti, ſeu ceſsatione conditionis, ſub qua conceſsum fuerat, quia concedens non vult privilegium durare ultra terminum præfixum, vel conditionem appoſitæ, & propterea privilegium datum ad unum actum, ceſsat tali actu finito, & ſic privilegium amittitur, & finitur ceſsante tota ipſius cauſa, modo privilegium nondum mandatum ſit executioni.

Utrum privilegium amittatur per revocationem. Cap. 590.

1 Privilegium gratuitum, quo alicui ſubdito datur facultas faciendi contra jus, vel potius præterius, poteſt, ex juſta cauſa revocari à concedente, vel à ſucceſſore vel ab ejus Superiore, & ideo amitti poteſt per revocationem illius, ſcilicet privilegii gratuiti: nam privilegium datum per contractum oneroſum, vel in remunerationem, vel prævia pecunia non poteſt revocari; quia pacta, & conventiones ab omnibus ſervari debent, nec privilegium alicui non ſubdito conceſsum, & ab eo acceptatum revocaveri poteſt, niſi tanta rerum mutatio ſuperveniat ut privilegium cenſeatur graviter pernicioſum Regi, vel Regno; nam hujuſmodi privilegium acceptatum, ut plurimum tranſit in contractum in materia, in qua concedens poteſt obligare ſe ex juſtitia, unde non poteſt revocari in præjudicium privilegiarii ipſo non conſentiente.

2 Privilegium duobus modis revocari poteſt. Primo expreſſe per verba ſufficienter indicantia revocationem privilegiorum in ſpecie, vel in genere, ut ſi dicatur (non obſtante tali privilegio, vel non obſtantibus quibuſcumque privilegiis. Secundo revocatur tacite ut ſi concedens faciat aliquem actum, qui non poſſit ſubſiſtere abſque derogatione privilegii, ut ſi Princeps jubeat exigi tributum ab eo, quem exemerat à tributis; quia non ſolum verbis, ſed etiam factis voluntas legiſlatoris manifeſtatur, & tacitum æquiparatur expreſſo.

3 Ut revocatio privilegii facta per legem habeat ſuum effectum, requiritur publicatio revocationis; ſicut enim lex non obligat ante publicationem; ita revocatio privilegii facta per legem non habet ſuum effectum, antequam publicetur, revocatio autem privilegii facta privatim, non per legem, operatur ſuum effectum, poſtquam revocatio pervenit ad notitiam illius, cui conceſſum erat privilegium.

Utrum Privilegium amittatur per renunciationem. Cap. 591.

1 Privilegium amittitur per voluntariam privilegii renuntiationem facta à privilegiario, & acceptatam à concedente, & propterea ſi intendat privilegium abſolute, & in totum renunciare, privilegium amittitur in totum: ſi vero intendat renunciare quoad partem, vel ad aliquod tempus privilegium amittur ſolum quoad illam partem, vel illud tempus, non autem amittitur per involuntariam renunciationem, ut ſi fiat per dolum, vel metum, nec amittitur per ſolam voluntatem renunciantis, nam ſi ſuperior non acceptet renunciationem privilegium adhuc viget.

Utrum Privilegium amittatur per non uſum. Cap. 592.

1 Privilegium affirmativum concecitem faculta aliquid faciendi

Digitized by Google

in gravamen aliorum amittitur per non uſum privilegii, quatenus illi in quorum gravamen cedit privilegium, præſcribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum: Privilegium vero, quod non vergit in aliorum gravamen, ut eſt privilegium quo conceditur facultas aliquid faciendi abſque aliorum detrimento nullo tempore in foro conſcientiæ, vel externo amittitur per non uſum: etiam ſi longiſſimum tempus intercedat, modo privilegium conceſſum ſit abſque temporis determinatione: quia nullo jure probatur per non uſum amitti, in jure autem ſunt expreſſi aliqui caſus, in quibus privilegium amittitur per non uſum, ſpatio ab ipſo jure præſcripto, ut eſt privilegium nundinarum, quod per non uſum ſpatio decennii amittitur, unde in caſibus in jure expreſſis non ſolum in foro externo amittitur tempore in jure præſcripto verum etiam probabilius eſt amitti in foro conſcientiæ.

Utrum privilegium amittatur per contrarium uſum ideſt per actum contrarium privilegio. Cap. 593.

1 PRivilegium amittitur per uſum materialiter, & formaliter contrarium privilegio, quia privilegiarius præſumitur renunciare privilegio: uſus autem materialiter ſolum contrarius privilegio non tollit privilegium: unde ſi privilegiarius facit aliquid contra privilegium, neſciens, vel non advertens eſſe contra privilegium, non amittit privilegium: quia talis uſus non videtur ſufficienter voluntarius ad hunc effectum, & videtur ſolum materialiter contrarius privilegio: nam hęc amiſſio revocatur ad virtualem renunciationem: nullus autem cenſetur velle renunciare, quod ignorat, cum ignorantia tollat voluntarium, ſi vero privilegiarius faciat aliquem actum contrarium formaliter privilegio, ſi videlicet illum faciat tamquam ex obligatione, ſeu animo ſubiiciendi ſe obligationi, amittit privilegium: quia talis actus non ſolum materialiter, verum etiam formaliter opponitur privilegio, & propterea, ut privilegium amittatur per contrarium uſum requiritur, ut actus ſit contrarius privilegio materialiter, formaliter; & actus fiat ab eo, qui poteſt privilegio explicitè renunciare: privilegium autem quando cedit in utilitatem privatam is poteſt renunciare privilegio, in cujus favorem conceſſum eſt: ſi autem privilegium cōceſſum ſit intuitu boni communis, non poteſt perſona prima illi renunciare: etiam ſi redundet in bonum illius perſonæ privatæ, modo bonum privatum non ſit ſeparabile à communi: ſic etiam ut totum privilegium per contrarium uſum amittatur requiritur, ut actus qui ſit contra privilegium, ſit contrarius toti privilegio.

2 Privilegium, quod habet tractum ſucceſſivum non amittitur per quem libet actū contrarium privilegio factum ab ipſo privilegiario, vel de ipſius conſenſu, & voluntate; amittitur vero ſecundum quid ſi fiat à privilegiario, qui poteſt renunciare privilegio, vel de ipſius conſenſu, & voluntate: ſic privilegium amittitur per contrarium actum, ſeu uſum in foro externo, & in foro conſcientiæ, non ſolum quando intercedit legitima præſcriptio: verum etiam quando adeſt ſolum tacita renunciatio, quæ fieri cenſetur per actum directe, & formaliter contrarium privilegio, quia privilegiarius dum actū exercet contra privilegium, videtur habere voluntatem, & affectum renunciandi privilegio ſaltem pro illo actu, & aliter in cujus favorem talem actum exercet eamdem renunciationem acceptat ſaltem virtualiter, quoad illius effectum, quatenus gratus eſt illi actus, qui in illius favorem exercetur, unde ſi actus non ſit directè, & formaliter contrarius privilegio, quia videlicet privilegiarius illum facit coacte, vel cum animo non renunciandi, vel ignorans talem actum adverſari privilegio, non amittit in conſcientia privilegium: quia non intendit agere contra privilegium.

Utrum privilegium ammittatur per abuſum. Cap. 594.

1 PRivilegiarius non amittit ipſo facto privilegium per abuſum privilegii, quia amiſſio privilegii per abuſum eſt pœna, pæna autem non incurritur ipſo jure: & propterea attendenda ſunt verba, quibus inducitur privatio privilegii, nam ſi dicatur (incurrat ipſo facto privationem) (vel) noverit ſe privatum incurrit ipſo facto privationem privilegii, licet privilegiarius non tenetur abdicare a ſe privilegiante ſētētiam ſaltem declaratoriam criminis. Si vero dicatur (privatur aut auferatur vel meretur amit-

amittere vel careat privilegio) non incurrit privationem privilegii ipſo facto per abuſum, ſed eſpectare poteſt ſententiam legitimi ſuperioris. Privilegiarius meretur propter abuſum privilegii privari privilegio, nam in c. ubi ita diſt. 74. dicitur privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Abuſio autem privilegii, ob quam meretur amittere privilegium fit, Primo non utendo privilegio tali tempore, aut loco vel in ea quantitate, quæ in privilegio preſcribitur. Secundo utendo privilegio conceſſo ultra limites privilegii. Tertio faciendo aliquid iniqnum ſpe, vel occaſione; ſeu licentia arrepta à privilegio. Quarto faciendo contra finem Privilegii. Quovis modo privilegiarius abutitur privilegio, meretur amittere privilegium.

DISPVTATIO SECUNDA DE PECCATIS.

De Peccato Originali

Vtrum detur peccatum originale. Cap. 595.

1 PEccatum originale ſic appellatur, quia ab ipſo reliqua peccata originem aliqua ratione trahunt: nam primo parente non peccante, poſteri juſtitiam habuiſſent originalem, ſeq; à peccatorum maculis liberos, & immunes ſervaſſent, tum quia provenit à prima origine: ideſt à primo patente Adamo: tum quia in ipſa origine, & generatione contrahitur: alio nomine dicitur peccatum naturæ, quia illud per naturalem generationem contrahimus. Et darur peccatum originale, quod in ipſa hnmanæ carnis conceptione contrahimus, & cum quo in hanc lucem naſcentes edimur, quod certum eſt de fide definitionibus Concili Cartiginenſis V. Maguntini c. 1. Arauſicani cap. 2. Toletani IV. c. 1. Trideutini ſeſſ. 5. & aliorum. Peccatum autem Originale cum ſolo veniali poteſt manere, quia non implicat illum, qui primo pervenit ad uſum rationis, in leve mendacium prolabi, quod eſt veniale, ergo non implicat inveniri peccatum originale cum ſolo veniali.

Quid ſit peccatum originale, & utrum veram habeat peccati rationem. Cap. 596.

1 ADam creatus fuit in graria juſtificante ex *Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & 7.* ubi dicitur Adamum per inobedientiam amiſiſſe ſibi, & nobis ſanctitatem, & juſtitiam, quam à Deo acceperat: Addendum non ſolum in gratia, & ſanctitate creatum fuiſſe, ſed etiam in juſtitia originali, quæ conſiſtebat in ipſa gratia ſanctificante, ſimul cum dono ſupernaturali cujus ui, & virtute, intellectus, & voluntas ſubiiciebantur Deo, potentiæ obediebant rationi, & corpus animæ ſubiiciebatur. Adam etiam non ſolum pro ſe juſtitiam originalem accepit, ſed etiam pro poſteris, nam Adamo tamquam capiti juſtitia originalis communicata fuit, ut etiam in poſteros per generationem transfunderet.

2 Peccatum originale eſt privatio juſtitiæ, & ſanctitatis debitæ in eſſe ſingulis ex pacto facta à Deo cum Adamo, nam peccatum originale eſt mors animę, quę conſiſtat in privatione gratię, ſeu ſanctitatis: vita enim animæ eſt gratia, & ſanctitas: ergo peccatum originale conſiſtit in privatione gratiæ, & ſanctitatis: Peccatum originale veram peccati rationem habet, quia in ſcripturis appellatur immunditia, iniquitas, & peccatum, & eſt ſufficienter voluntarium: ergo eſt peccatum, voluntarium enim duplex eſt, Primo volnntate prodria, ut eſt peccatum actuale, quod ab adultis committitur eſt voluntarium: ſecundo voluntate aliena; ut eſt peccatum Originale, quod dicitur voluntas poſterorm continebatur in voluntate Adami, cum quo Deus iniit pactum, ut ſi vetitum fructum comediſſet, juſtitiam in poſteros non tranſmiſiſſet Huic pacto cenſentur conſenſiſſe poſteri, conſentiente Adamo, cum ageretur de re facili, & valde utili Adamo, & Poſteris, peccatum igitur originale dicitur voluntarium in nobis non volunta proprla, ſed voluntate aliena, ideſt Adami.

Digitized by Google

Quinam, & à quo peccatum originale contrahant. *Cap.* 597.

1 OMnes homines tam fideles, quam infideles peccatum originale contrahunt, niſi aliquis peculiari privilegio ab hoc onere eximatur, hoc patet ex illo ad Epheſ.2.(Eramus natura filii iræ;)tamen peculiari privilegio, ex divina diſpenſatione concedi poteſt eximi aliquem ab onere contrahendi peccatum originale,ut fuit beatiſſima Virgo, quæ licet habuit obligationem, ſeu neceſſitatem contrahendi peccatum originale, quatenus etiam ipſa peccavit in Adamo, tamen de facto præſervata fuit, ne cum peccato originali conciperetur, & naſceretur, & Deus potuit præſervare B. Virginem ab originali peccato, quamvis enim Deus cum Adamo pactum inierit privandi poſteros gratia originali peccante Adamo: tamen tali pacto non fuit excluſa voluntas abſoluta Dei, quin potuerit aliquem peculiari quodam privilegio ab onere contrahendi peccatum originale eximere Cum ergo Deus potuerit præſervare B Virginem ab originali peccato, Immo Deum decuerit illam præſervare, cum ipſa in matrem Dei eligenda eſſet, & Angelis præferenda; dicendum eſt B. Virginem de facto præſervatam fuiſſe ab originali peccato, & ideo in inſtanti ſuæ Conceptionis ſanctam fuiſſe, ut in Pſalmo 45. dicitur. Santificavit tabernaculum ſuum altiſſimus,

2 Unuſquiſque ſuum contrahit peccatum originale ex peccato Adami per ſeminalem generationem,(Tridentinum enim teſtatur ſeſſ 5.) Adamum ſibi, & nobis juſtitiam perdidiſſe, & eam perdidit per peccatum, unde unuſquiſque contrahit peccatum originale à Peccato Adæ qui nobis juſtitiam perdidit, & ab Adamo peccatum originale traducitur non à proximis parentibus: quatenus ab ipſo deſcendimus per lineam virilem; pactum enim initum fuit cum Adamo, non vero cum proximioribus noſtris parentibus, unde ſi Adam ab actuali vetiti fructus depaſtatione abſtinuiſſet non tranſmitteretur in nos originale peccatum; etiam ſi poſtea proximiores parentes fructum vetiti ligni deguſtaſſent.

* *Alexander VII. Conſtitutione edita anno* 1661. *die* 8. *Decembris, quæ incipit.* Sollicitudo omnium Eccleſiarum &c. *poſt quam innovavit Conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum Pontificum§ 5. facit extenſionem per verba infraſcripta:* Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari ut favores per illos dictæ ſententię,& feſto,ſeu cultui ſecundum illam exhibito bruſtrantur, vel qui hanc eandem ſententiam,feſtum,ſeu cultum in diſputationem revocare: aut contra ea quoquomodo directe, vel indirecte, aut quovis prætextu etiam definibilitatis ejus examinandæ, ſive ſacram Scripturam, vel Sanctos Patres,ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu,ſeu occaſione;ſcripto, ſeu voce loqui, concionari,tractare,diſputare contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea aſſerendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo auſi fuerint &c. *Supponit variis pœnis, & cenſuris, ut videre eſt in dicta Conſtitutione.*

Quam pænam patiantur, qui cum ſolo Originali decedunt. *Cap.* 598.

1 PÆna alia eſt ſenſus, alia damni; pæna ſenſus eſt illa, qua damnati cruciantur in inferno propter peccata actualia, pęna vero damni conſiſtit in privatione viſionis Dei, unde Pueri cum ſolo originali decedentes puniuntur pæna damni: quia cum non ſint baptizati, & originale peccatum per baptiſmum deleatur, non poſſunt ingredi regnum Dei, & frui beatifica viſione, juxta illud *Joannis. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire regnum Dei,* igitur puniuntur pæna damni, non autem pæna ſenſus, ſi deceſſerunt ante uſum rationis, nec peccatum actuale commiſerunt, pro quo damnati in inferno pæna ſenſus puniuntur. Parvuli adducendi ſunt in judicium, ut reaſſumptis corporibus in tenebris deſtinentur ob peccatum originale. Homines autem in hoc mundo patiuntur pænas ob peccatum originale ut ægritudines, & alias miſerias, quas paſſi non fuiſſent ſi Adam non deliquiſſet, & pactum cum Deo initum non violaſſet.

De

De Peccato actuali, & habituali.

Quid ſit peccatum actuale. Cap. 560.

1 PEccatum actuale poteſt materialiter, vel à poſteriori multipliciter definiri. Primo Peccatum eſt dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: quia eſt cordis, oris, & operis,& omnia peccata ſive contra legem naturalem ſive contra ipſam legem divinam: ſive contra legem humanam, ſunt ſaltem indirecte contra legem æternam Dei. Ratio autem formalis, cur omnia peccata ſint mala non eſt, quia ſint contra legem Dei æternam: ſed quia prohibita ſunt lege divina, vel naturali, vel humana; unde ſupradicta definitio explicata eſt à poſteriori, ſeu materialiter, cùm lex Dei non ſit ratio formalis, & cauſa principalis, cur peccatum ſit peccatum, & malum, licet omnia peccata ſint contra legem Dei æternam: quatenus Deus præcipit juſtis legibus obedientiam præſtari. Secunda definitio eſt. Peccatum præſertim mortale eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam: quia eſt contra legem Dei, & peccator eligit delectationem, & utilitatem temporale; quam per actum peccaminoſum intendit; quæ definitio eſt etiam à poſteriori, ſeu ab effectu, qui per peccatum inducitur. Tertia definitio eſt. Peccatum eſt actus contra rectam naturam hominis ut homo eſt; quia eſt contra rectam rationem, & ideo peccatum eſt contra naturam hominis, quia opponitur rectę rationi hominis,& propterea cum recta ratio dictet quid faciendum, quidve fugiendum ſit, ſequitur, ut quoties aliquid fit contra dictamen rationis dicatur fieri contra naturam hominis,ut homo eſt, ſeu quatenus ratione utitur.

2 Peccatum actuale poteſt à priori, & formaliter hoc pacto definiri. Peccatum eſt privatio debitæ rectitudinis; quia ſicut actus formaliter eſt bonus, quando eſt conformis rationi: ita formaliter eſt malus quando eſt contra rectam rationem, unde ratio formalis peccati conſiſtit in privatione debitæ rectitudinis. In peccato autem duo conſiderari poſſunt, materiale ſcilicet, & formale, materiale peccati eſt actus loquendo de peccato commiſſionis: formale verò eſt privatio rectitudinis debitæ illi actui, ut in peccato detractionis materiale eſt ipſe actus detractionis, formale eſt privatio bonitatis, quæ tali actus meſse deberet: in peccato verò ommiſſionis materiale & actus formalis conſiſtit in privatione actus debiti, unde ratio formalis peccati ommiſſionis ſacri conſiſtit in privatione actus, quo quis Miſſam audire tenebatur.

Quid ſit peccatum habituale. Cap. 600.

1 PEccatum habituale eſt quædam macula, quam poſt ſe relinquit peccatum actuale, ut ex Pſ. 14 ubi Propheta interrogat Deum, quis habitaturus ſit in tabernaculo ejus, & reſpondetur; eum, qui ingrediatur ſina macula, & operatur juſtitiam: ideſt qui non habet peccata, quæ maculam animæ afferunt. Macula autem peccati habitualis in duobus conſiſtit. Primo in malitia actus præteriti mortaliter perſeverante per modum habitus, ſeu ut aliqui dicuntur in extrinſeca denominatione ab actu præterito, nondum retracto per pænitentiam, nam homo per actum præteritum denominatur peccator donec peccatum retractum, & deletum fuerit per pænitentiam. Secundo in privatione gratiæ habitualis: ſicut enim gratia habitualis eſt quædam pulcritudo, quidam nitor, & ſanctitas animæ, ita peccatum habituale vindicat ſibi nomen maculæ, quatenus privat animam nitore, & pulchritudine gratiæ, unde peccatum mortale habituale conſiſtit in privatione gratiæ.

Quid requiratur de peccatum actuale Cap. 601.

1 ALii ſunt motus primo primi, & alii ſecundo primi. Motus primo primus dicitur ille, qui omnem rationis uſum, & malitiæ conſiderationem prævertit, unde non eſt voluntarius, cum voluntas non feratur in incognitum. Motus ſecundo primus dicitur ille, qui motui primo ſuccedit, & hic cum ſit conjunctus cum aliqua cognitione, & advertentia malitiæ imputatur ad culpam: quia poſita aliqua malitiæ advertentia poteſt præcaveri, & repelli, unde ſi quis in die jejunii comedit appræhendens cibum ſibi utilem, vel delectabilem ſenſui, ſed non advertens ad prohibitionem, & præceptum jejunii excuſatur

tur

De peccato actuali, & habituali.

Vtrum detur peccatum mortale, & veniale. Cap. 604.

1 DAtur peccatum mortale, & veniale, quæ vere, & proprie ſunt peccata, & certum eſt de fide; nam (ad Romanos. 1.) dicitur (qui talia agunt digni ſunt morte, & ad Galatas. 5. qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur:) cum autem privatio Regni Dei, & mors ſpiritualis proveniat ex peccato mortali, neceſſario inferendum eſt dari peccatum mortale, & in iis. (Proverbiorum 14.) dicitur (ſepties in die cadit juſtus, & Jacobi. 3: in multis offendimus omnes): qui loci cum explicari nequeant de peccatis mortalibus, falſum enim eſt hominem juſtum ſæpius in die mortaliter peccare, explicanda ſunt de peccatis venialibus: ergo datur peccatum veniale.

Vnde peccatum veniale ſuam accipiat denominationem. Cap. 605.

1 PEccatum veniale ſibi tale nomen efflagitat, quia eſt le ve, & exiguum tepatum, ſeu delictum quod ob ſui levitatem veniam meretur, & dignum efficit pœna ſolum temporali, non æterna, ut mortale: aliqui dicunt appellari hoc nomine, eo quod ſit contra conſilium, mortale vero contra præceptum: quod falſo aſſeritur, quia etiam veniale eſt contra præceptum: alii exiſtimant dici veniale, quia ſit præter legem, mortale vero contra legem, quod non eſt abſolutè verum; quia peccatum veniale etiam eſt contra legem, quia eſt actus moraliter malus, quia repugnat rectæ rationi: igitur eſt contra legem Dei ſaltem æternam, dici autem poteſt præter legem hoc modo: quatenus non eſt proprie contra finem legis, ſed quatenus non privat hominem charitate, quæ dicitur finis legis, & plenitudo legis.

Quotuplex ſit peccatum veniale Cap. 606.

2 TRiplex eſt genus peccati venialis. Primo dicitur veniale ex ſuo genere quia; ex ſua natura, & ex obiecto, circa quod verſatur, eſt peccatum leve, quale peccatum eſt verbum otioſum, aut mendacium jocoſum, quod ex ſe, ex ſua natura, ex fine, ex objecto, & ex materia ſemper eſt veniale. Secundo dicitur veniale ex imperfectione actus, ſeu ex imperfectione deliberationis, & advertentiæ: quæ ut dictum eſt, a mortali peccato excuſat, unde committit ſolum peccatum veniale propter imperfectionem advertentiæ. Tertio dicitur veniale ex parvitate materiæ: non enim veriſimile, eſt illum graviter peccare qui Deum in materia levi offendit, peccator enim poſita parvitate materiæ non graviter offendit Deum, peccatum vero eſt veniale ob parvitatem materiæ, quando res, quæ præcipitur, vel prohibetur, eſt parva non ſolum ſecundum ſe, verum, etiam per ordinem ad finem, vel circumſtantias, propter quas talis res præcipitur, vel prohibetur: quando vero ſecundum ſe quidem parva eſt, ſed efficitur gravis ratione finis, vel circumſtantiæ, peccatum non eſt veniale ratione parvitatis materiæ, ſed potius eſt mortale, qui a materia gravis effecta eſt, ſecus ſi levis remaneat.

Vtrum peccatum veniale differat à mortali. Cap. 607.

1 PEccatum veniale in multis à mortali differt. Primo ratione effectus: quia mortale privat gratia, & charitate, mortemque animæ ſpiritualem affert, veniale vero non privat charitate, & gratia, nec mortem affert ſpiritualem: quamvis ad illam diſponat juxta illud Eccleſias. 19 (Qui ſpernit modica paulatim decidet.) Secundo differt ſpecie, ſi comparatio fiat inter veniale ex genere, & mortale ex genere, quia habent obiectum ſpecie diverſum, & privat perfectione ſpecie diverſa.

Vtrum peccatum mortale poſſit aliquando fieri veniale, & e contra. Cap. 608.

1 PEccatum ex ſuo genere mortale poteſt ex accidenti fieri veniale variis modis. Primo ex imperfectione actus, ſeu deliberationis, & advertentiæ uti dictum eſt ſuperius. Secundo ratione par-

Digitized by Google

parvitatis materiæ. Tertio ratione ignorantiæ: nam ignorantia ſicut excuſare poteſt ab omni peccato, ita etiam à gravitate culpæ mortalis.

2 Ex multis capitibus peccatum veniale poteſt fieri mortale. Primo ratione mortalis finis adiuncti, ut ſi quis leve mendacium proferat; ut fornicetur: idem dicendum, ſi finis ultimus in peccato veniali conſtituatur, ut ſi quis eſt ita actualiter affectus ad peccatum veniale, ut velit potius peccatum mortale committere; quam dimittere veniale: ſed ad incurrendam peccatum mortale propter affectum ad veniale non ſufficit affectus habitualis: ſed requiritur affectus actualis. Secundo ratione plenæ advertentiæ, nam peccatum quod erat veniale defectu advertentiæ, fit mortale ob plenam advertentiam poſita materia notabili, & ideo, qui non plenè advertens delectatur de re venerea peccat tantummodo venialiter; adveniente vero plena advertentia ſi perſeveret in delectatione, peccat mortaliter; adeſt enim materia gravis cum advertentia, & conſenſu, & ad mortale peccatum ſufficiens. Tertio ratione ſpeciale contemptus, aut ſpecialis inobedientiæ, quæ conſiſtit in actu quo formaliter deſpicitur Superior, vel res præcepta, ſeu conſiſtit in actu quo quis violat præceptum, aut quia non vult ſubiici præcepto, vel Superiori præcipienti. Quarto ratione proximi, & mortalis periculi incidendi in mortale peccatum: cum enim venialia diſponant ad mortale, fieri poteſt, ut aliquis ob frequentiam peccati venialis ſubeat aliquando proximum, & mortale periculum peccati mortalis, & ideo mortaliter peccet. Quinto ratione conſcientiæ erroneæ. Sexto ratione ſcandali. Septimo per additionem materiæ, quatenus peccatum, quod ratione parvitatis materiæ eſſet ſolum veniale fit mortale addita majori quantitate; unde qui decrevit furari decem aſſes, ſed poſtea furatur quadraginta, mortaliter peccat, licet non poteſt proprie dici peccatum veniale fieri mortale, ſed tranſire in mortale, ſed potius peccato veniali ſuccedere peccatum mortale, quatenus eligitur furtum in notabili quantitate: quod fuiſſet tantummodo veniale in modica quantitate: circa additionem materiæ dicendum eſt, quotieſcumque materia, & objectum ultimi peccati venialis continuari poteſt cum materia præcedentium, ultimum peccatum, in quo materia notabilis completur, eſt mortale, quod alioquin eſſet veniale: quando vero materia ultimi non poteſt mortaliter continuari cum materia præcedentium peccatorum venialium ultimum peccatum non eſt mortale, quia ſingulæ materiæ ſunt parvæ, & diviſæ remanent abſque mortali conjunctione, & ideo ultimum peccatum retinet qualitatem peccati venialis, unde qui ſingulis diebus feſtis facit opera ſervilia per unum horæ quadrantem non peccat mortaliter: quia hujuſmodi opera ſervilia in diverſis feſtis diebus facta non videntur moraliter continuari, & ideo non conſtituunt materiam notabilem ſufficientem ad mortalem culpam: ſed ſi multa opera ſervilia diverſis vicibus fiant eodem feſto: ta ut ſimul ſumpta perveniant ad quantitatem temporis notabilem, cum fiant eodem die, & videntur moraliter continuari, ideo integrant materiam notabilem, & ſufficientem ad peccatum mortale.

De diſtributione ſpecifica, & numerica peccatorum.

Utrum omnia peccata ſint connexa, aut paria. Cap. 609.

1 Non omnia peccata ſunt inter ſe connexa quia experientia conſtat violatione unius præcepti, non violari cætera, igitur non ſunt connexa, poſſunt tamen aliquo modo dici connexa, quatenus unum eſt via, & dipoſitio ad aliud, nec ſunt omnia peccata æqualia, & paria; quia aliqua peccata fiunt cum majori voluntate, & advertentia, vel cum majori affectu, quam alia, & ideo peccata, quæ fiunt cum majori voluntate, & advertentia, vel cum majori affectu graviora ſunt: iſtæ enim ſunt circumſtantiæ aggravantes peccatum, unde aliqua peccata graviora ſunt aliis, & ſic non omnia ſunt paria.

2 Peccatum poteſt creſcere, & deterius fieri ob circumſtantias. Primo ex majori affectu, vel conatu, nam gravius peccat, qui majori, & intenſiori conatu alium odio proſequitur, quam qui minori, & leviori. Secundo ex ſcientia, & cognitione peccati: peccatum enim quo major eſt ipſius cognitio, cenſetur magis eſſe volitum-

tum. Tertio ex conditione perſonæ peccantis, vel in quam peccatur, ideo gravius peccat, qui Clericum, vel Superiorem percutit, quam qui laicum. Quarto ex majori damno quod infertur, unde ſuccipiens centum, gravius peccat, quàm qui ſolum decem. Quinto ex pejori fine, ut qui gladium emit ad occidendum hominem gravius peccat, quam qui emit ad pompam. Sexto augetur ratione ſcandali, & ruinæ alterius. Septimo ex circumſtantiis; quæ hoc verſu continentur. (Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,) quæ circumſtantiæ explicatæ fuerunt ſuperius in tractatu de pænitentia, tam minuentes, quam aggravantes.

Unde numerica peccatorum diſtinctio deſumatur. Cap. 610.

1 NOn ſunt tot numero peccata, quot ſunt objecta, circa quæ unus, & idem actus eodem tempore verſatur, quia quando eſt ſolum unum objectũ, circa quod verſatur unus actus, eſt ſolum unum peccatum, & ſic eſt unum ſolum peccatum: quando unus, & idem actus verſatur ſimul circa plura objecta ejuſdem rationis, ut qui unam familiam occidere intendit, non tot numero peccata committit, quot ſunt homines illius familiæ, nam tota familia in jure una perſona reputatur, quando autem circa duo, vel plura diſtincta objecta duo, vel plures actus ſucceſſivè verſantur, non unum ſolum peccatum committitur, ſed plura: unde ſi quis percutiat Petrum, ſtatim que nulla interpoſita mora percutiat paulum, non unum tantum peccatum committit, ſed duo quia non ſolum phyſicè, verum etiam moraliter reputantur duo actus complete diſtincti.

2 Tot ſunt numero peccata, quot ſunt actus voluntatis moraliter interrupti, unde plura peccata committuntur ab eo, qui actum odii elicuit contra aliquem, deinde tranſacto aliquo temporis ſpatio actum odii vel homicidii repetit, nam actus cenſentur moraliter interrupti: qui actus interrupti explicandi ſunt in confeſſione.

Quod peccata committantur ab eo, qui alium ſuo conſilio, vel malo exemplo, vel alia ratione ad peccatum inducit Cap. 611.

1 SCandalum aliud eſt activum, aliud paſſivum. Scandalum activum, eſt dictum, vel factum inordinatum dans proximo ſufficientem occaſionem ruinæ alio nomine dicitur ſcandalum datum ſeu per ſe, quatenus aliquis peccatum committit propter occaſionem ſibi ab alio datam; alio etiam nomine dicitur ſcandalum puſillorum & infirmorum. Scandalum paſſivum eſt peccatum, quod committitur ex ſola malitia peccantis arrepta occaſione peccandi ab aliquo noſtro facto, quod non habet vim præbendi talem occaſionem: alio nomine dicitur ſcandalum Phariſæorum, ſeu per accidens, quia Phariſæi ex rectis Chriſti actionibus occaſionem peccandi temerè arripiebant. Scandalum activum duplex eſt alterum ſpeciale, alterum generale. Scandalum ſpeciale eſt peccatum ad quod quis alium inducit intendens ipſius ſpiritualе damnum, vel ruinam proximi, & adeſt ſpecialis finis. Scandalum generale eſt peccatum, ad quod aliquis alterum inducit, ſeu præbet occaſionem, ſed non intendit ruinam ſpiritualem: qui autem alium inducit ad peccatum aliquando cum eodem conſumat peccatum, aliquando non conſumat. Qui alium inducit ad peccatum, intendens ipſius nocumentum ſpirituale, peccat duplici ſaltem peccato. Primo peccato ſcandali; quia dat alteri occaſionem ruinæ hac intentione, ut peccet. Secundo peccat eo peccato, quod ab altero committitur: nam qui eſt cauſa peccati, reus eſt illius peccati, cujus eſt cauſa. Qui autem alium ad peccatum inducit, ſeu cooperatur peccato alterius, non intendens ruinam, nec cum eo conſumans peccatum, eſt reus illius peccati, quod alter committit; quia eſt cauſa illius peccati. Qui alium inducit ad peccatum, ſimulque cum ipſo conſumat peccatum reus videtur duorum peccatorum, ut qui alterum inducit ad peccatum furti, ſimulque cum ipſo committit furtum, dupliciter peccat. Primo peccato proprio furti. Secundo peccato alieno, cujus eſt cauſa.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Famulus, qui ſub-*

ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id facit metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

Unde ſpecifica peccatorum diſtinctio deſumatur. Cap.612.

1 PEccata diſtinguuntur ſpecie per ordinem ad diverſas ſpecie perfectiones, quibus privant, quia peccatum formaliter conſideratum conſiſtit in privatione debitæ perfectionis, & rectitudinis; privatio autem ſpecificatur à forma, cujus eſt privatio, & ſic peccatum ſpecificatur a perfectione, & rectitudine, qua privat: ſi ergo rectitudo, & perfectio, qua peccatum privat ſit diverſæ ſpeciei, ſequitur etiam peccara diſtingui ſpecie per ordinem ad hujuſmodi perfectionem, & rectitudinem, qua privant; non autem diſtinguuntur ſpecie, vel numero per ordinem ad diverſa præcepta, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodem motivo, quia deſiderium rei alienæ, & furtum rei alienæ non ſunt peccata ſpecie diſtincta, licet prohibeantur diſtinctis præceptis, nam furtum prohibetur ſeptimo, deſiderium verò rei alienæ directè vetatur decimo Decalogi præcepto, ideo peccata non diſtinguuntur ſpecie, vel numero per ordinem ad diverſa præcepta, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodem motivo.

Utrum peccatum ommiſſionis ſpecie differat a peccato commiſſionis. Cap. 613.

1 PEccatum ommiſſionis differt ſpecie à peccato commiſſionis non ſolum ſi hæc duo peccata materialiter conſiderantur; verum etiam ſi conſiderentur formaliter: ſecundum inordinationem, & propriam malitiam differunt ſpecie ſi materialiter conſiderentur; nam peccatum ommiſſionis conſiſtit in privatione non ſolum debitæ rectitudinis, verum etiam ſubſtantiæ actui: peccatum commiſſionis non conſiſtit in privatione actus: ſed in privatione rectitudinis debitæ actui. Unde qui non comedit, dum neceſſaria eſt comeſtio ad vitam ſuſtentandam dicitur committere peccatum ommiſſionis conſiſtens in privatione actus comeſtionis, & rectitudinis debitæ tali actui, & differens ſpecie ab actu, quo quis nimium comedit cum periculo ſanitatis, in quo actu conſiſtit peccatum commiſſionis conſiſtens in actu carente debita rectitudine, quam actus habere debebat ad vitam conſervandam temperanter vivendo: quod etiam differant ſpecie ſi formaliter conſiderentur, & ſecundum inordinationem, & malitiam, nam peccata ommiſſionis, & commiſſionis privant perfectionibus diverſis, habentque ſpecialem oppoſitionem cum recta ratione; quis enim non videt peccatum odii contra Deum, quod eſt peccatum commiſſionis, eſſe diſtinctæ rationis, diverſamque oppoſitionem habere cum recta ratione, quam habeat peccatum ommiſſionis, quo quis non diligat Deum tempore præcepti.

2 Peccatum commiſſionis cæteris paribus, gravius eſt peccato ommiſſionis; quia peccatum commiſſionis immediatè privat bonitate, debita actui, ut patet in homicidio, quod immediate privat bonitate, quæ deberet eſſe in actu circa proximum: peccatum vero ommiſſionis mediatè tantum privat bonitate cum hujuſmodi peccatum immediate conſiſtat in privatione actus: mediate in privatione bonitatis, quæ deberet ineſſe actui, ut in ommiſſione ſacri in die feſto, quæ conſiſtit immediate in privatione actus audiendi ſacrum, mediate in privatione bonitatis, quam talis actus habere deberet, ſic communiter D D affirmant.

3 Ommiſſio incurritur eo tempore, quo implendum eſt præceptum, unde ommiſſio ſacri incurritur ſolum ea hora, qua miſſæ ſacrum audiendum eſt; quia ommiſſio eſt privatio actus debiti ex præcepto tali tempore, quo implendum eſt præceptum: Peccatum ommiſſionis conjunctum eſt cum aliquo actu incompoſſibili, cui eſt cauſa ommiſſionis ſaltem extrinleca, per accidens, nam ommittens Sacrum, aut illud poſitive non vult audire aut qui ſe ludo exercet, &c. quæ actiones ſunt incompoſſibiles cum adimplertione præcepti, ſunt cauſa ſaltem indirecta ommiſſionis præcepti, unde peccatum ommiſſionis conjunctum eſt cum aliquo actu incompoſſibili, qui eſt cauſa ommiſſionis. Actiones autem, quæ ſunt cauſa ommiſſionis ſunt malæ, & pe caminoſæ,

noſcæ, quia ſunt cauſa peccati, unde ludus, quo quis tempore audiendi ſacrum detinetur, eſt malus, & peccaminoſus.

Vtrum peccata cordis, oris, & operis ſpecie differant. Cap. 614.

1 PEccata, quæ completur in corde, ac voluntate, differunt ſpecie à peccatis, quæ perſeciuntur, & conſummantur in ore, & opere; quia hujuſmodo peccata ſunt privationes perfectionum diverſarum cum alia ſit perfectio, qua privat odium, aliqua privat convitum, & alia, quia privat homicidium. Peccata cordis, & oris, ſi conſiderentur ut ſunt origo, & principium, ſeu diſpoſitio ad peccatum operis non differunt ſpecie, quia conſiderantur ut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie, ut voluntas furandi eſt ejuſdem ſpeciei cum furto.

Vtrum peccet, & qualiter peccet, qui facit aliquid contra conſcientiam. Cap. 615.

1 COnſcientia proprie ſignificat dictamen rationis quo ratio dictat aliquid faciendum, vel fugiendum eſſe. Conſcientia multiplex eſt recta, erronea, dubia, probabilis, & ſcrupuloſa. Conſcienjia recta eſt illa, quæ dictat, & judicat quod verum eſt. Erronea eſt, quæ aliquid aliter dictat, quam ſit; Conſcientia dubia eſt illa, quę non aſſentit, neque diſſentit, ſed anceps manet, & in æquilibrio. Probabilis eſt illa, quæ aſſentit, & adhæret uni parti, ſed cum timore, & formidine partis oppoſitæ; quia timet oppoſitam partem eſſe veram. Scrupuloſa eſt illa, quæ uni parti adhæret cum formidine partis contrariæ ex levi motivo, & minus ſufficienti fundamento, & hæc naſcitur ex quadam animi puſilanimitate, timens ubi non eſt timendum.

2 Conſcientia licet erronea obligat ad faciendum id, quod ipſa conſcientia faſciendum dictat per modum præcepti, & non tantum per modum conſilii; quia qui non facit, quod dictat conſcientia, cenſetur facere contra rationem dictantem illuc eſſe faciendum alia autem eſt conſcientia erronea vincibilis & alia invincibilis; illa dicitur vincibilis quæ ita imprudenter judicat ut poſſit falſum & imprudens judicium deponere, ſi debitam adhibeat deligentiam. Invincibilis vero eſt illa quæ ita errat, ut poſitis talibus circumſtantiis videatur prudenter judicare, nec teneatur ſuum judicium deponere dico igitur ſi dubitarem de aliqua lege, & interrogarem hominem peritum, & doctum, num talis lex extaret, & ipſe reſponderet, non extare licet re vera extaret, ego dicor habere conſcientiam injuncibiliter errantem, unde non pecco aliquid faciendo contra legem: ſi vero interrogarem hominem imperitum, dicor habere conſcientiam vinſcibiliter erroneam, quam teneor, & poſſum deponere adhibita debita diligentia: unde ſi faciam aliquid contra predictam legem non excuſor à peccato.

3 Si conſcientia errat invindibiliter, magis obligat, quam præceptum Superioris; quia ſi conſcientia invicibiliter errante adimpleatur id, quod ipſa conſcientia dictat, non committitur peccatum; quia conſcientia errat inculpabiliter, & ignorantia invincibilii tollit omne voluntarium, & nullum eſt peccatum niſi voluntarium: ſi vero non adimpleatur, quod ipſa concientia dictat committitur peccatum quando autem conſcientia errat vincibiliter, & culpabiliter, magis obligat præceptum Superioris; quia qui conſcientia vincibiliter errante facit, quod dicta conſcientia contra præceptum ſuperioris, peccat contra præceptum Superioris, nam à præcepto Superioris non excuſatur per conſcientiam vincibiliter erroneam: ideo magis obligat præceptum Superioris, Qui facit aliquid contra conſcientiam erroneam, falſo credens eſſe peccatum committit peccatum illius ſpeciei, quam conſcientia apprehendit; quia cenſetur habere affectam ad peccatum talis ſpeciei, nam voluntas fertur in malum prout appræhenditur, ut ſi qui exſpuit in terram credens committit peccatum irreverentiæ, & ſacrilegii, committit peccatum ſacrilegii: ſi re ipſa exſpuat in terram, antequam rationabiliter deponat conſcientiam erroneam: ſi vero conſcientia invincibiliter erret, dictans actum eſſe bonum cenſeo actum eſſe bonum, & ad eam virtutem invocari, ad quam talis actu pertinere creditur; unde ſi quis invincibiliter credit, ſe teneri ad mentiendum pro ſaluti proximi, actus mentiendi eſt bonus, & ſpectat ad virtutem miſericordiæ. Quando autem conſcientia fuit temere, & ... fun

damento concepta, deponi poteſt abſque ulla ratione, judicando ipſam conceptam fuiſſe ſine ratione, & fundamento: ſi verò cum fundamento concepta fuit, requiritur aliqua ratio probabilis ſeu fundamentum rationabile ad illam deponendam: alioquin temere deponeretur, & perinde eſſet, ac facere contra conſcientiam, ſeu ac ſi conſcientia non fuiſset depoſita, nam exponeret ſe periculo peccandi, neſciens conſcientiã eſſe erroneam, & aliter dictare, quam revera ſit.

Utrum faciens aliquid cum conſcientia dubia peccet. Cap.616.

1 DUbium duplex eſt; alterum dicitur ſpeculativum, alterum practicum, ſeu in particulari Speculativum contingit, quando dubitatur in genere quid, ut quando dubitatur an liceat, vel non liceat in die feſto iter peragere. Practicum vero eſt, quando dubitatur hic, & nunc, tempore videlicet operis præſtandi, opus licitum, vel illicitum ſit, ut ſi dubitem, hic & nunc mihi num liceat peragere: qui autem dubium habet ſpeculativum, debet in praxi formare judicium ſimile ſpeculativo, niſi ratione ſufficienti moveatur ad variandum dubium, & ad aliter in praxi judicandum ut qui licet noverit licitum non eſſe rem alienam ſurripere, tamen ſuperveniente extrema neceſſitate poteſt hic, & nunc judicare licitum eſſe rem alienam capere, quia neceſſitas extrema eſt ratio ſufficiens ad variandum in propoſito caſu judicium, cum neceſſitas extrema efficiat omnia communia.

2 Qui cum conſcientia practicè dubia aliquid operatur peccat peccato, ſcilicet ejuſdem rationis, & ſpeciei, cujus eſt peccatum de quo dubitat; ſecus ſi aliquid operetur non practice dubitans eſſe peccatum, unde qui dubitat abſolute licere in die feſto iter facere, & dum iter facit adhuc dubitat ſibi licere, non excuſatur à peccato; quia non ſolum ſpeculative, verum etiam practice dubitat; & ſic qui facit aliquid, dubitans ſe mortaliter peccare mortaliter peccat: ille autem non peccat, qui facit aliquid, non practice dubitans eſſe malum etiam ſi ſpeculative dubitet malum eſſe: quia prudenter operatur, cum ex cauſa juſta deponat dubium, nec habeat affectum ad peccatum, nec exponat ſe periculo peccandi, niſi materialiter: duo autem requiruntur, ut conſcientia practice deponatur, & vincatur dubium ſpeculativum. Primo requiritur debita diligentia in rei veritate inquirenda, quam ratio poſtulat, pro rei, temporis, & loci qualitate, & conditione, nam recta ratio dictat adhibendam eſſe debitam diligentiam ne homo temere, & imprudenter operetur, ſeque periculo errandi exponat. Secundo requiritur juſta aliqua cauſa deponendi practice dubium ſpeculativum; quia judicium practicum eſt conforme judicio ſpeculativo, niſi juſta aliqua ratio, ſeu cauſa moveat ad variandum judicium, & ad faciendum contra dubium ſpeculativum, unde qui dubitat an excommunicationem contraxerit, non tenetur, ſe tanquam excommunicatum gerere, & non tenetur abſolutionem impetrare, ſi præſtita debita diligentia non poteſt rei veritatem invenire, nam habet juſtam, & ſufficientem cauſam deponendi dubium, cum debitam præmiſerit diligentiam; concludendum eſt igitur in moralibus non eſſe licitum aliquid agere cum conſcientia practice dubia: licitum vero eſſe depoſita practice conſcientia agere contra dubium ſpeculativum præmiſſa diligentia, & poſita juſta cauſa.

Utrum faciens aliquid cum ſcrupulo peccati peccet. Cap. 617.

1 SCrupulus eſt quædam ſuſpicio orta ex levibus indiciis; unde ille judicandus eſt ſcrupuloſus, qui in aliquibus rebus frequenter dubitat ex levibus motivis. Naſcuntur autem ſcrupuli. Primo ex melancholia, per quam homo efficitur timidus, & timet, ubi timendum non eſt. Secundo ex ignorantia, per quam homo nequit diſcernere verum à falſo. Tertio ex diaboli ſuggeſtione, cujus proprium eſt anguſtias in animam inducere. Quarto ex nimia maceratione, & afflictione corporis, ut ex jejunio, &c Quinto ex frequenti conſuetudine cum ſcrupuloſis. Sexto ex ſuperbia. Multis remediis curantur ſcrupuloſi. Primum ſi cauſa auferatur, ex qua ſcrupulus oritur. Secundum ut ad Deum recurratur. Tertium ut dubia ſcrupuloſi explicentur in meliorem partem. Quartum ut confeſſarius conſulat penitenti, ne confiteatur peccata, quæ dubitat eſſe mortalia, nec permittat

mittat ipſum aperire, quæ dubitat in aliis confeſſionibus fuiſſe manifeſtata, ſi Confeſſarius ſciat pænitentem mediocrem diligentiam adhibuiſſe ad integre confitendum. Quintum ut Confeſſarius pænitenti, qui ſcrupulis vexatur, præcipiat, ne credat aliquid eſſe mortale, ſeu mortaliter peccaſſe, niſi hoc ipſi omnino conſtet. Sextum, ut ſcrupuloſus ſtet dictis Confeſſarii, vel ſuperioris, vel alterius probi viri, illique obediat. Septimum ut ſcrupuloſius ſæpe faciat contra ſcrupulos, ut illis occaſionem eripiat. Octavum ut ſcrupuloſus parvi pendat argumenta, quæ naſcuntur ex ſcrupulis. Non autem eſt peccatum facere aliquid depoſito ſcrupulo, aut etiam ipſo permanente; quia Doctores communiter docent faciendam eſſe contra ſcrupulos.

Utrum peccet, qui ſequitur opinionem probabilem relicta tutiore, & probabiliore.

Cap. 618.

1 OPinio probabilis dicitur, quæ nititur non levi fundamento; ideſt quæ adhæret rationibus firmis, vel auctoritate inſignium Doctorum; ut autem opinio probabilis dicatur, attendendum eſt. Primo qua ratione nitatur. Secundo an contineat errorem. Tertio an ſit abolita, & antiquata. Quarto ut habeat auctores in ſui favorem. Poſſumus igitur abſque peccato ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore, & tutiore, quia ſi teneremur probabiliorem, & tutiorem eligere maximis angeremur ſtimulis in inquirenda, & indaganda opinione probabiliori, aut tutiori.

* *Die 24. Septembris 1665. Alexandr. VII. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni debet opinio cenſeri probabilis, dummodo non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.*

Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis, tenui, modo a probabilitatis finibus non teneatur conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. Alex. VIII. die 7. Decembris 1690.

* *Die 24. Septembris 1665. Alexander VII. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

De Cauſis peccatorum efficientibus.

Quænam ſint cauſæ peccatorum.
Cap. 619.

1 PLures ſunt cauſæ peccatorum. Prima eſt infirmitas ſenſus, qua voluntas ex apprehenſione ſenſus impellitur ad malum. Secunda eſt malitia peccatoris, quia peccata committuntur ex certa ſcientia, ex plena libertate, & cognitione mali nulla alia cauſa impellente. Tertia ſunt dæmonum ſuggeſtiones. Quarta ſunt objecta ſenſibilia, quæ ad peccatum diſponunt dum rapiunt ſenſum, & ſenſus ad ſe trahit voluntatem. Quinta eſt vincibilis ignorantia, à qua peccatum tamquam à cauſa per accidens oritur. Sexta eſt vis, aut metus, quo movetur homo ad peccatum, alias non peccaturus. Septima ſunt peccata ipſa, quatenus peccator amiſſa ſemel gratia, vel timore, aut verecundia retrahente a peccato facile in aliud prolabitur.

Utrum Deus dici poſſit cauſa peccati.
Cap. 620.

1 DEus non eſt cauſa peccati, nec illi peccatum imputari poteſt; quia peccatum adverſatur naturæ Divinæ, unde non eſt, nec dici poteſt cauſa peccati, nec illi peccatum adſcribi, & imputari; quia tamquam cauſa univerſalis concurrit ad actiones cauſarum ſecundarum juxta ipſarum exigentiam, & naturam, homo vero concurrit ad peccatum concurſu quodam particulari, & determinato, vi cujus ſequitur difformitas in actu humano.

De ſubjecto peccati.

In quonam tamquam in ſubjecto ſit peccatum.
Cap. 621.

1 MAlitia peccati duplex eſt, actualis, & objectiva, ſeu materialis. Malitia objectiva ſive materialis conſiſtit

in ipſo actu, qui fit præſcribendo etiam ab actu voluntatis; malitia vero actualis, ſeu formalis eſt illa, quæ convenit actui voluntatis. Malitia actualis; ſeu formalis peccati eſt in voluntate tamquam in ſubiecto, per denominationem verò extrinſecam eſt in aliis potentiis, quæ actus peccaminoſos eliciunt: nam malitia actualis, primario, & intrinſice eſt in voluntate: ſicuti eſt bonitas, quæ primario, & intrinſice eſt in voluntate, & ſicut contraria apta ſunt inhærere eidem ſubiecto: igitur ſicut bonitas actualis primario, & intrinſice eſt voluntate, ſic erit malitia actualis: in aliis vero potentiis reperitur per denominationem extrinſecam ab actu voluntatis. Malitia obiectiva convenit actibus illarum potentiarum, à quibus eliciuntur, & in quibus conſummantur: peccatum vero ſi conſideretur quoad actum realem, quoad privationem rectitudinis, non poteſt ineſſe voluntati, ſed potius eſſe in illis potentiis, a quibus elicitur.

De Effectibus peccati.

Quinam ſit effectus peccati. Cap. 622.

1 PRimus effectus peccati eſt macula quam infert peccatum actuale, &, in qua conſiſtit culpa habitualis. Secundus eſt reatus pœnæ: qui duplex eſt, unus dicitur reatus pænæ æternæ, reſpondens peccato mortali, nondum remiſſo; alter eſt reatus pœnæ temporalis, reſpondens peccato veniali, aut mortali jam deleto, pro quo nondum ſatisfactum eſt: reatus inſuper duplex eſt, damni ſcilicet, & ſenſus, ſicuti ſupra dictum eſt. Tertius effectus eſt diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas acquiſito per peccatum habitu vitioſo facilius moveatur im malum, inquo pravus, & vitioſus habitus inclinat.

Vtrum unum peccatum poſſit eſſe pœna alterius peccati. Cap. 623.

1 PEccatum dupliciter conſideratur. Primo per ſe, & formaliter, quatenus dicit culpam. Secundo ratione aliorum, quę ex peccato conſequuntur, ut eſt infamia, afflictio, &c. Peccatum per ſe, & formaliter conſideratum, quatenus dicit culpam, non poteſt eſſe pæna alterius peccati, ita ut Deus velit hominem ob culpam præcedentem probabi in aliud peccatum; quia pæna habet rationem ultionis, & ſupplicii reſpectu Superioris, qui talem pænam infligit, ſed nullus juſtus judex injuriam ſibi affectam, vel tranſgreſſionem præcepti ulciſcitur alia injuria contra ſe, aut alia tranſgreſſione ergo neque Deus ulciſcitur peccatum alio peccato in pænam prioris delicti: ſi vero conſideretur ſecundum alia ipſi accidentalia, ut ratione infamiæ vel triſtitiæ, &c. unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius.

Vtrum aliquis puniri poſſit pro peccato alterius. Cap. 624

1 POEna duplex eſt: alia eſt pæna proprie dicta, quæ quaſi in vindictam aſſumitur: alia ſatisfactoria, & medicinalis. Nullus homo, ſi ſecundum ſe ſpectetur quatenus differt ab alio poteſt pro peccato alterius puniri pæna proprie dicta, niſi etiam ipſe deliquerit, ut Ezechielis 18. Anima, quæ peccaverit morietur: & propterea non poteſt fieri ſtatutum, quo unus pro alio puniatur, nec filii poſſunt pro delictis parentum puniri: ſi vero conſideretur homo, ut aliqua ratione alteri conjunctus, poteſt pro alio puniri: pœnam enim medicinalem & ſatisfactoriam poteſt aliquis pro alio ſatisfacere, & propterea poteſt aliquando homo puniri à Deo pænis temporalibus, in medicinam, & ſalutem aliorum.

De cauſis excuſantibus à peccato.

Vtrum diſpenſatio, & impotentia excuſet à peccato. Cap. 625.

1 DIſpenſatio valide obtenta eſt cauſa ſufficiens ad excuſandam tranſgreſſionem legis, cujus obtentu fuit diſpenſatio; quia non facit contra legem, cum per validam diſpenſationem exemptus ſit ab obligatione legis, Impotentia adimplendi præceptum excuſat à peccato; quia nullus ad impoſſibile tenetur: impotentia autem duplex eſt; una dicitur moralis, alia Phyſica. Impotentia phyſica contingit, quando quis nullo pacto poteſt præceptum obſervare: moralis contingit quando quis non poteſt præceptum adimplere ſine gravi incommodo: utraque impotentia eſt ſufficiens cauſa excuſandi à peccato: qui autem

non

Digitized by Google

non poteſt commodè totum præceptum adimplere, tenetur adimplere partem, quam novit ſe poſse adimplere, modo pars ſit notabilis, & cenſeatur intenta à ſuperiore.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptas propoſitiones. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Vtrum vis abſoluta, aut metus excuſet à peccato. Cap. 626.

1 Vis duplex eſt, altera dicitur abſoluta, per quam homo omnino invitus impellitur ad aliquid prohibitum faciendum, nihil ad hoc conferente ipſius voluntate: altera dicitur ſecundum quid, quæ non tollit omnino voluntarium, ut eſt metus, qui dicitur vis ſecundum quid. Vis abſoluta excuſat à peccato; quia nullum eſt peccatum niſi voluntarium, peccatum autē non poteſt eſse voluntarium cum vi abſoluta, cum is, qui per vim abſolutam aliquid facit non conſentiat. Metus, ſeu probabile periculum gravis damni excuſat à tranſgreſſione legis humanæ, & conſequenter à peccato: quia non eſt credibile legem humanam obligare cum tanto onere, aut ſtrictius obligare, quam obliget lex naturalis, aut divina; multæ autem leges naturales, & divinæ, quæ non prohibent rem aliquam intrinſicè malam, non obligant ſub mortali in periculo gravis damni, ut in voto, quod licet debitum ſit jure divino naturali, tamen non obligat cum periculo gravis incommodi.

Vtrum ignorantia invincibilis excuſet a peccato. Cap. 627.

1 Dari poteſt invincibilis ignorantia legem humanarum, ſeu juris non ſolum particularis, verum etiam communis; quia fieri poteſt, ut quis nihil unquam de lege aliqua cogitaverit, vel ſi cogitavit, debitam adhibuerit diligentiam ad veritatem cognoſcendam, & tamen nondum venerit in ipſius cognitionem: ſed hæc eſt ignorantia invincibilis, & probabilis: ergo dari poteſt ignorantia invincibilis, vel probabilis legum humanarum, ſeu juris, non ſolum particularis, verum etiam communis ignorantia invincibilis, aut probabilis, tam juris, quam facti excuſat à peccato, conſequenter etiam à pæna impoſita ob culpam; quia nullum eſt peccatum niſi voluntarium, peccatum autem non poteſt eſse voluntarium cum ignorantia invincibili juris, vel facti, nam voluntarium ſupponit cognitionem. Ignorantia invincibilis pænæ non excuſat a peccato; quia ignorantia invincibilis pænæ non tollit voluntarium, & advertentiam ſufficientem ad legem, & prohibitionem, & ad factum prohibitum, & conſequenter ad peccatum, ſed cum ignorantia invincibili pęnæ reperiri poteſt advertentia juris, aut facti prohibiti, & conſequenter peccati: ergo ignorantia pęnæ non excuſat à peccato. Ignorantia comitans excuſat actionem externam à peccato, unde ſi quis projiciat ſagittam in proprium inimicum, invincibiliter putans eſse feram, ſed ita ſit affectus, & in mente actualiter diſpoſitus, ut ſi noſset eſse inimicum, ſagittam ad huc emitteret, & forte libentius eiacularetur, non eſt reus actualis ſagittæ, non habeat malitiam homicidii, ut pote factus ex ignorantia comitante, excuſante actum externum à peccato; quia actus non eſt malus, niſi voluntarius: actus verò externus homicidii factus cum ignorantia comitante, non eſt voluntarius, cum non fuerit prævisus, & præcognitus: voluntarium enim eſt à principio cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio, & actio externa explosionis ſagittæ non fuit cauſata ab affectu, & voluntate occidendi inimicum; ſed à voluntate occidendi feram, ergo licet pravus affectus actualis erga inimicum ſit peccaminoſus, & malus: tamen actio externa homicidii, non eſt mala malitia homicidii, cum originem non traxerit à voluntate, & intentione occidendi hominem: ſed ab intentione, & voluntate occidendi feram, quæ intentio cum non ſit mala, non poteſt actioni externæ factæ cum invincibili ignorantia comitante communicare malitiam homicidii: & hæc de Peccatis.

* *Cave hanc propoſitionem damnatam: Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali. Ita Alexander VIII. 7. Decembris 1690.*

adoratione latriæ, qua adoratur Sanctiſſima Trinitas, & ſingulę perſonę Sanctiſſimæ Trinitatis quia eſt verus Deus, nec per carnis aſſumptionem deſinit eſſe Deus, cum natura humana unita ſit verbo, unde anima Chriſti, & ipſius corpus dum in ſepulcro exiſtebat adorandum erat adoratione latriæ, quia corpus, & anima Chriſti adhuc unita erat verbo; quod enim Deus aſſumpſit numquam dimiſit; dum autem colimus Chriſtum non colimus naturam humanam per ſe, ſed perſonam divinam in humana natura ſubſiſtentem, & per ſe primo adoramus perſonam, divinam, concomitanter humanam naturam perſonæ divinæ unitam. Adoratione latriæ adorandum dicit Sacramentum Euchariſtiæ quia vere, & realiter continet Chriſti corpus.

Utrum licitus ſit uſus, & adoratio Sacrorum imaginum. Cap. 630.

1 Uſus Sacrarum imaginum licitus, eſt, & honeſtus ex *Tridentino ſeſſ.* 25. Imagines dupliciter adhiberi poſſunt. Primo ad repræſentandum Deum ut in ſe eſt ſecundum propriam ſimilitudinem. Secundo per quamdam metaphoram, velut alias apparuit Imagnes Dei, & Angelorum permittendæ ſunt hoc ſecundo modo, non primo: quia Deus, & Angeli, cum non ſint figuræ corporeæ non poſſunt figura corporea proprie manifeſtari: poſſunt tamen manifeſtari per metaphoram. Adoratio autem, quæ ſit imaginibus, ut ſit cum caput aperimus, genua flectimus, &c. non eſt abſoluta adoratio, ſed reſpectiva: quia imago cum ſit res inanimata, & in ſe non habeat excellentiam propter quam coli debeat propter excellentiam illius cujus eſt imago; ſic imago, & exemplar adorari poſſunt una, & eadem adoratione, qua prototypum: quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur, nam volens Chriſtum adorare oſculando ipſius crucem unde apprehendit Chriſtum ac ſi exiſteret in cruce, unde apprehendit Crucem, & Chriſtum per modum unius, & uno adorationis motu per ſe primo tendit in Chriſtum, in imaginem vero, & in Crucem comitanter, & propter Chriſtum.

* *Hæc nunc extat damnata propoſitio. Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare. Ita Alexander VIII. die 7. Decembris 1690.*

Utrum Reliquiæ adorandæ ſint, & qua adorationes. Cap. 631.

1 Reliquiæ adorandæ ſunt, & devote cuſtodiendæ ex Conciliis. Eadem adoratio tribui poteſt reliquiis, quæ tribuitur perſonæ, cujus ſunt reliquæ, quia reliquæ poſſunt apprehendi, ut conjunctæ illi perſonæ, & ideo, uno, & eodem actu adorari poſſunt. Reliquiæ, quæ publice exponuntur adorandæ, poſtquam Summus Pontifex, aut Epiſcopus debitam adhibuit diligentiam ad inquirendum, num vere ſint reliquiæ, illaſque approbavit, poſſunt abſolute, & abſque conditione adorari: verum ſi detur caſus, ut reliquiis certis ita miſceantur incertæ, ut diſcerni nequeant, poſſunt certæ adorari, modo adoratio dirigatur ad reliquias certas, & approbatas.

De Fide.

Quid ſit ſides. Cap. 632.

2 Fides eſt virtus Sacramentalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo revelantas, propter ipſius auctoritatem: vel fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium; nec eſt quid naturale, ut eſt fides humana, qua fidem præſtamus dictis hominum; ſed eſt quid ſpirituale, & ideo donum Dei jure optimo in Conciliis appellatur: virtus autem fidei collocata eſt in intellectu, nam ab intellectu eliciuntur actus fidei: res autem à Deo revelatæ ſunt objectum materiale fidei; actus vero fidei non nititur auctoritate humana, ſed divina, & ideo ratio ob quam credimus eſt auctoritas divina, & propterea magna eſt noſtræ fidei certitudo, quia fide infalibili teſtimonio Dei nititur. In Beatis non eſt actus, vel habitus fidei: non eſt actus quia quæ cognoſcuntur à Beatis, clare cognoſcuntur quæ autem fide cognoſcuntur obſcure cognoſcuntur: non eſt habitus, quia habitus co ſervatur ob actum; actus vero cum non ſit, nec habitus eſſe poteſt.

* *Die 2. Martii 1679 Innocentius XI. damnavit infraſcriptas Propoſitiones. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum quem habet ſupernaturalem.

Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet ne non ſit locutus Deus.

Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimulve motivo ad juſtificationem ſufficit.

Vide propoſitiones abdamnatas Alex. VIII punct. 7.

De Neceſſitate fidei. Cap. 633

1 Fides habitualis neceſſaria eſt ad ſalutem; quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fides accepta pro actu credendi eſt omnibus uſum rationis habentibus neceſſaria neceſſitate medii ad primam ſalutem, quæ eſt gratia ſanctificans, per quam homo acquirit jus ad gloriam, ſeu ad viſionem beatificam, & ad ſecundam ſalutem, quæ eſt ipſa gloria, ſeu viſio beatifica, non ſolum implicite, verum etiam explicite quo ad aliquos articulos ex *Trid. ſeſſ. 6. c. 8.* ubi dicitur ſine fide nulli unquam contigiſſe juſtificationem, & ideo fides neceſſaria eſt neceſſitate medii ad juſtificationem.

2 Poſt Chriſti adventum, & poſt ſufficientem Evangelii promulgationem neceſſarium eſt ad primam, & ad ultimam ſalutem, ad gratiam ſcilicet, & ad gloriam credere eſplicite. Primo, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe. Secundo Miſterium Trinitatis, quod eſt fundamentum noſtræ ſalutis. Tertio Miſterium Chriſti; qui eſt fundamentum noſtræ ſalutis, cum per ipſum ſalvati, & liberati ſimus, non autem omnes articuli, qui ad Chriſtum pertinent, neceſſario credendi ſunt neceſſitate medii: ſed ii, qui ſunt fundamentum noſtræ ſalutis: ut Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem mortuum eſſe, ac reſurrexiſſe pro totius humani generis ſalute.

3 Fides actualis neceſſaria eſt non ſolum neceſſitate medii, verum etiam neceſſitate præcepti, quia Marci ultimo dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Tenetur autem homo ex præcepto fidei elicere actus fidei. Primo quando quis baptizatus eſt in infantia, & poſtea adepto uſu rationis cognoſcit neceſſitatem fidei: hic enim tenetur directe ex vi præcepti ad eliciendos actus fidei, & ſi eos non eliciat graviter peccat, niſi per inadvertentiam, ſeu invincibilem ignorantiam excuſetur. Secundo tenetur actum fidei elicere, quando tenetur ad Deum ſe convertere, & gratiam antea amiſſam recuperare. Tertio quando fidem exterius tenetur confiteri, quam non poteſt confiteri abſque actu interno fidei, tunc obligatur ad actum fidei eliciendum propter actum externum confeſſionis, quæ præſtare non poteſt abſque actu interno fidei. Quarto quando periculum eſt incidendi in aliquod peccatum, niſi actus fidei eliciatur. Quinto in articulo mortis, quando homo tenetur tunc ſe ad Deum convertere per actum contritionis: qui in articulo mortis neceſſarius eſt: actus autem contritionis habet adiunctum actum fidei, & ſpei implicitum.

4 Singuli homines poſtquam ad rationis uſum pervenerunt tenentur ex præcepto explicite credere ea, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum: quia hęc ſunt pręcipua noſtræ fidei rudimenta: tenentur etiam ſcire præcepta Eccleſiæ: nec tenentur ſub mortali ſcire memoriter, aut eo ordine, vel iiſdem verbis, quibus proponuntur, ſed ſufficit ut illa ſciant quoad ſubſtantiam, & ſignificationem.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI damnavit infraſcriptam propoſitionem. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocent. XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI damnavit infraſcriptam propoſitionem. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

* *Alexander VIII. die 7. Decembris 1690. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Abſolutionis capax eſt homo quamvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiam ſi negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

An

An homo teneatur aliquando fidem exterius confiteri. Cap. 634.

1 HOmo tenetur aliquando ex præcepto affirmativo fidem exterius confiteri ad Rom. 10. Ore confeſſio fit ad ſalutem: igitur tenetur homo aliquando fidem exterius confiteri, & Primo quando eam non confitendo magnus honor Deo debitus ſubtraheretur, aut Deus magna injuria afficeretur. Secundo, quando alioqui impediretur magna utilitas proximi, aut illi grave ſcandalum præberetur circa fidem. Non autem tenetur, Primo qui privata auctoritate interrogatur an ſit Chriſtianus, ex præcepto affirmativo fidei reſpondere, ſe Chriſtianum eſſe, ſed poteſt reticere, cum inique, & ſine cauſa interrogatur à privato. Secundo non peccat contra præceptum confeſſionis fidei, negando ſe eſſe Chriſtianum, interrogatus apud Turcas, non enim diceretur negare fidem directè, vel indirecte, cum non interrogetur de fide, unde in tali eventu non peccarer mortaliter mentiendo, ſed ſolum venialiter, quia non diceretur mentiri in re gravi. Tertio qui de ſua fide interrogatur privata auctoritate, tenetur fidem exterius confiteri, quoties fides alioquin putaretur falſa, vel quoties non confitendo fidem, proximus magnum pateretur ſcandalum. Quarto interrogatus de ſua fide ab eo, qui publica poteſtate fungitur, aut à Judice, tenetur ex præcepto affirmativo fidem confiteri, etiam ſi ex fidei confeſſione mors impendeat ipſi confitenti: quia magnus honos Deo debitus ſubtraheretur non confitendo fidem. Quinto non peccat contra præceptum affirmativum confeſſionis fidei, qui ob periculum mortis, vel ob aliam gravem, & juſtam cauſam non geſtat ſignum, quod geſtare jubetur à Tyranno ad diſtinguendos Catholicos ab aliis, ut Catholicos occidat: quia præceptum Tyranni, utpote iniquum, & injuſtum non obligat. Sexto Paſtores tempore perſecutionis fugientes à ſuis Eccleſiis cum periculo, ut exiſtimatio fidei minuatur, aut fides deſeratur à ſubditis, peccant contra præceptum affirmativum confeſſionis fidei; tenentur enim ex officio conſulere ſubditis in neceſſariis ad fidem: Septimo Clericus, qui metu mortis dimittit habitum Clericalem, vel non recitat Divinum officium in locis hæreticorum, aut dicit ſe non interfuiſſe ſacro, aut non feciſſe ſacrum, non peccat contra præceptum affirmativum confeſſionis fidei, etiam ſi interrogetur ad cognoſcendum quænam ſit ipſios fides; quia ommiſſione habitus non ſubtrahitur magnus honor Deo. Octavo non eſt obligatio confitendi fidem, quando ex ipſius publica confeſſione non oritur utilitas, ſed ſolum perturbatio infidelium. Nono eſt obligatio confitendi fidem, quoties infidelis ob alterius confeſſionem induceretur ad fidem, nec extat aliud medium, quo ad eam inducatur. Decimo, qui videt imaginem conculcari, vel fidem, aut Chriſtum per injuriam contemni, tenetur ad confeſſionem fidei, ſi credat hæc peccata per fidei confeſſionem impedienda.

2 Semper tenemur ex præcepto negativo abſtinere à dictis, vel factis, quibus fides negatur, quia præceptum negativum obligat ſemper, & ad ſemper, & ideo, Primo peccat contra præceptum negativum, qui dicit, ſe eſſe Chriſtianum, dum Chriſtiani nomen accipitur ad ſignificandum Chriſti Religionem. Secundo, qui dicit ſe Turcam, vel Hæreticum. Tertio, qui utitur ſignis, vel factis proteſtativis falſæ ſectæ. Quarto qui ſacrificat idolis, aut imagines falſorum deorum ad collum appenſas geſtat, &c. Quinto qui concionibus, vel cæremoniis hæreticorum intereſt animo confutandi, aut notandi ipſorum cæremonias, non facit contra præceptum fidei negativum. Sexto qui metu mortis, vel amiſſionis bonorum, vel carceris inter Hæreticos veſcitur carnibus feria ſexta vel die Sabbati non peccat contra præceptum negativum. Septimo qui non ſerio fingit ſe infidelem in comediis, aliiſque conſimilibus actionibus non peccat. Octavo non peccat negans ſe eſſe Sacerdotem, aut Clericum.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem Si a poteſtate publica quis interogetur fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo: tacere peccaminoſum per ſe non damno.*

De

De Obligatione beneficiarii circa fidei profeſſionem.

Quinam beneficiarii ad fidei profeſſionem obligentur. Cap. 635.

1 Beneficiarii habentes curam animarum, aut Canonicatum, vel dignitatem in Eccleſia Cathedrali tenentur inter duos menſes a die captæ poſſeſſionis ante Epiſcopum: vel ipſius Vicarium generalem, ſeu officialem publicam fidei profeſſionem facere, & jurare ſe ab obedientia Eccleſiæ Romanæ non diſceſſuros ex Trid. ſeſſ. 24. c.12. de refor. & qui intra duos menſes profeſſionem non emiſit, tenetur adhuc illam quam primum emittere per ſe ipſum, vel ſaltem per procuratorem.

Cum quo facienda ſit fidei profeſſio. Cap. 636.

1 Fidei profeſſio, quam Parochi, aliique beneficiarii facere tenentur ex decreto Trid. ſeſſ. 24. c. 12. facienda eſt coram Epiſcopo, vel Vicario: ſede autem vacante facienda eſt coram Vicario Capituli: coram quo ſemel facta, non tenentur coram alio fidei profeſſionem facere.

Qua pœna puniantur, qui fidei profeſſionem non faciunt. Cap. 637.

1 Beneficiarii ſi fidei profeſſionem non emittant privantur fructibus acquiſitis poſt bimeſtre, vel ab eo tempore quo fidei profeſſionem culpabiliter ommiſerunt ex Trid loc. cit. non autem privantur diſtributionibus, dum beneficium reddit fructus, & diſtributiones, & propterea qui non fecit fidei profeſſionem tenetur ſaltem poſt ſententiam judicis, reſtituere fructus pauperibus, aut fabricæ Eccleſiæ.

Utrum liceat de rebus fidei diſputare. Cap. 638

1 Licitum eſt viris doctis ob cauſam diſputare de rebus fidei, exceptis laicis, aut iis, quibus diſputatio interdicitur, non enim viris indoctis licet: nec diſputatio abſque iuſta cauſa ſuſcipi debet, & Laicis prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis ferendæ publicè, vel occultè diſputare.

Utrum prohibita communicatio cum infidelibus. Cap. 639.

1 Non licet communicare cum infidelibus, quoties ex eorum communicatione periculum imminet perverſionis: quia quilibet tenetur abſtinere ab iis, quæ ſibi ruinæ cauſam afferre poſſunt: hac de cauſa fidelibus interdicta eſt aſſidua converſatio, & familiaritas cum Judæis: & Primo interdicta eſt cohabitatio. Secundo ne Chriſtiani comendant azima Judæorum, ſecluſa tamen neceſſitate. Tertio advocatio Judæorum ad medendum, ſecluſa neceſſitate. Quartò receptio medicinarum à Judæis paratarum. Quinto ingreſſus in idem balneum. Sexto convivium cum Judæis ſaltem quando Judæi cibos decernunt, & aliquos reſpuunt. Septimo ne chriſtianæ mulieres nutriant filios Judæorum in domibus ipſorum Judæorum. Octavo ne Chriſtiani accedant ad nuptias, vel ſolemnitates Judæorum, nec choreas cum ipſis ducant, nec ipſorum Synagogas inviſant iis temporibus, quibus ſuperſtitioſa ab ipſis celebrantur. Nono ne Judæi admittantur ad publica officia inter Chriſtianos, & infideles non poſſunt admitti ad Sacrificium miſſæ, non autem prohibitum eſt inire contractum venditionis, aut emptionis cum Judeis aut eis locare res noſtras, ut currus, boves, &c. hæc enim nullo jure prohibentur.

Quot ſint ſpecies infidelitatis, & utrum ſpecie differant. Cap. 640.

1 Species infidelitatis ſunt tres, Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis. Pagani dicuntur, qui quomodocumque peccant contra fidem, quam nunquam promiſerunt, quam tamen tenentur amplecti ex præcepto fidei. Judæi dicuntur, qui promiſſione ſimplici promiſerunt fidem antequam Chriſtus adveniret, vel advenerit ſecundum falſam ipſorum exiſtimationem, exiſtimantium Chriſtum nondum veniſſe. Hæretici dicuntur, qui profeſſione ſolemni promiſerunt fidem in Baptiſmo, vel in Catecheſmo antequam baptizarentur. Species infidelitatis recenſitæ differunt ſpecie, quia privant perfectione ſpecie diverſa, nam Paga-

Paganiſmus privat perfectione fidei debita ex præcepto fidel, judaiſmus privat perfectione debita non ſolum ex præcepto fidei, ſed etiam ex ſimplici promiſſione. Hæreſis vero privat perfectione fidei debita ex ſolemni profeſſione. Qui per Apoſtaſiam recedit à fide Catholica, & accedit ad ſectam Paganorum, vel Judæorum, committit duplex peccatum, neceſſario explicandum in confeſſione; committit enim peccatum hæreſis, recedendo à fide, quam ſolemniter profeſſus eſt, & committit peccatum Paganiſmi, vel Judaiſmi, amplectendo ſectam Paganorum, vel Judæorum: hæc autem peccata ſunt ſpecie diverſa.

Vtrum infideles cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam. Cap. 641.

1 INfideles baptizati, nempe Hæretici cogi poſſunt pœna mortis, vel excommunicationis ad fidem ſuſcipiendam, & retinendam, quia ſunt ſubditi Eccleſiæ. Infidelis non baptizatus non poteſt ulla lege cogi per metum ad fidem ſuſcipiendam: quia fides noſtra exponeretur contemptui, & periculo ſacrilegii: poteſt tamen blanditiis, & muneribus licite trahi, & allici ad fidem; Infideles autem non baptizati ſubditi prohiberi poſſunt à ſuis principibus ab idolatria & ad ſervandam legem naturalem, quæ prohibet idolatriam, & ſic infideles ſubditi cogi poſſunt ad audiendum Evangelium, quia hoc vergit in ſalutem ipſorum, & ſic uſu receptum eſt in urbe Roma cum Judæis; non enim dicuntur cogi ad fidem, ſed ad externam illam Evangelii auditionem, ſecus dicendum de infidelibus non ſubditis:

Vtrum libertas Religionis permitti, aut concedi poſſit. Cap. 642.

1 LIbertas Religionis nullo pacto introduci poteſt: quia adverſatur unitati fidei, quam Chriſtus præcipit ad Eph. 4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma*; & non ſolum non poteſt licite introduci, ſed nec licitè poteſt permitti: arbitror tamen libertatem Religionis permitti poſse, quoties commune Religionis bonum illam permitti poſtulat: quia permiſſio mali ſi juſta, & ſufficiens adſit illius permiſſionis cauſa, non eſt mala; quod meo judicio unica videtur permittendæ libertatis cauſa, & concedi non poteſt intuitu ſolum conſervandæ Reipublicę, quia bonum commune Religionis præferendum eſt bono temporali communitatis, & Reipublicæ, nec indulgeri poteſt metu amiſſionis Provinciarum, Regnorum & vitæ, nam temporalis incommodi periculum non videtur ratio ſufficiens permittendæ libertatis, ſed pro Catholica fide tuenda non ſolum facultates, verum etiam vita libentiſſime prodigenda eſt.

Vtrum promiſſio ſeu contractus cum Hæreticis celebratus, ſervandus ſit. Cap. 643.

1 FOEdus, promiſſio, ſeu contractus valide celebratus cum Hæreticis per ſe loquendo ſervandus eſt, quia ſi obligat ex parte hæretici, obligat etiam ex parte Catholici, & ideo fides ſervanda eſt hæreticis in ſalvo conductu, cum ſit promiſſio de re licita, & illam conceſſit *Conc. Trid. ſeſſ. 13: ad finem §. ſalvus conductus*, & propterea Carolus V. qui cum interrogaretur cur fidem Luthero datam ſervaret, reſpondiſſe fertur, fidem rei promiſſæ, etiam ſi in toto orbe deſtrueretur, tamen apud Imperatorem conſiſtere debere.

De Spe

An detur ſpes, & quid ſit. Cap. 644.

1 CErtum eſt dari ſpem, qua ſperamus bona ſupernaturalia, præſertim beatitudinem, quia ad Rom. 8 dicitur *quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*. Spes eſt virtus Theologica, & ſupernaturalis, quia ſperamus beatitudinem divino auxilio obtinendam, & eſt virtus Theologica, quia verſatur circa Deum, tanquam circa obiectum, & per eam ſperamus beatitudinem, ideſt viſionem, & fruitionem Dei: quam non poſſumus noſtris viribus aſsequi, ſed cum divino adiutorio, & ideo tam deſperatio, quàm præſumptio eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

Vtrum extet præceptum ſpei, & quandonam obliget. Cap. 645.

1 CErtum eſt de fide extare præceptum ſpei affirmativum, quo obligamur aliquando actum ſpei elicere ex Pſ. 4 (Sperate in Domino) Certum etiam eſt extare

re præceptum ſpei negativum, quo prohibetur di peratio; quia non eſt lxatus, qui nonſperat; nullus enim minus ſperat, quam qui diſperat. Præceptum negativum ſpei obligat ſemper,&ad ſemper, ideſt ad non deſperandum: præceptum vero ſpei affirmativum per ſe obligat, quando quis graviter vexatur tentationibus contra ſpem, & exiſtit in periculo diſperationis niſi muniat ſe actibus ſpei.

De Charitate.

Quid ſit Charitas Cap. 646.

1 CHaritas eſt virtus ſupernaturalis, omnium virtutum excellentiſſima, quia Deus ſuper omnia diligitur; quia verſatur circa obiectum bonum ſupernaturale: ideſt circa Deum: & ob id dicitur virtus Theologica, & eſt excellentiſſima omnium virtutum, ut ex Matth. 22. ubi eſt ſermo de præcepto Charitatis: dicitur (Hoc eſt primum,& maximum mandatum,) & per actum Charitatis Deum ſuper omnia æſtimamus, & amamus.

Quandonam præceptum charitatis ergu Deum obliget. Cap. 647.

1 PRæceptum negativum Charitatis, ſeu dilectionis Dei ſemper obligat: præceptum vero affirmativum obligat dum inſurgunt tentationes incitantes ad odium Dei, & eſt periculum illis conſentiendi, & dum eliciendus eſt actus contrictionis ex directa obligatione ipſius; contritio enim eſt actus charitatis, & præceptum contritionis ex vinculo charitatis obligat in articulo mortis, nam qui morti proximus eſt in magno exiſtit vitæ ſpiritualis, & ſalutis periculo, & neceſſitate: præceptum autem charitatis obligat in magna ſalutis neceſſitate.

* *Alexander VIII. die 7. Decembris 1690. damnavit infraſcriptas propoſitiones. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel Mundi ſi Dei, & charitas Patris eſt, ſi Mundi concupiſentia carnis, hæc eſt mala eſt. Quiſque etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. Vide etiam propoſitiones ſupra:*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptas propoſitiones. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum

Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.

Utrum teneamur ex Charitate proximum diligere. Cap. 648.

1 CErtum eſt de fide proximum diligendum eſſe, (Deuter. 5. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum,) & non ſolum homines juſti diligendi ſunt, ſed etiam impii, & non ſolum amici, verum etiam inimici, quia ſunt noſter proximus, & in hoc imitamur Patrem noſtrum qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos; damnati autem non ſunt diligendi, quia non ſunt noſter proximus. Circa inimicos conſulendum eſt, ut ſalutet inimicum, ipſumque alloquatur, quoties nullum imminet periculum ſalutanti, & alloquenti: nam denegans hujuſmodi ſigna ut plurimum eſt prave affectus erga inimicum: illumque odio proſequitur vel ſaltem aliquam prębere ſolet ſcandali occaſionem, qui inimicum ſaltem non reſalutat mortaliter, peccat quoties inde ſequitur ſcandalum,aut quoties notabili contemptus exiſtimatur, ſpectata circumſtantia temporis, loci, perſonarum, & conſuetudine patriæ, ſic exiſtimo eum graviter delinquere qui ſalutatis duobus non ſalutat tertium titulo inimicitiæ cum illis exiſtentem: quia in tali eventu negare videtur ſignum univerſale charitatis, & adeſſe videtur notabilis contemptus, aut ſcandalum.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptas propoſitiones. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Utrum

Digitized by Google

Vtrum teneamur ex eharitate neceſſitati proximi ſubvenire cum periculo propriæ vitæ aut facultatum. Cap. 649.

1 CHaritas obligat ad ſubveniendum extremæ neceſſitati ſpirituali proximi cum vitæ aut facultatum periculo; Sicut enim Chriſtus vitam pro nobis poſuit: ita, nos debemus illam ponere pro ſalute proximi, ſaltem dum extrema laborat neceſſitate: unde ſi infans morti proximus indigeat Baptiſmo: iliique Batiſmum conferre non poſſumus abſque mortis noſtræ periculo, tenemur cum mortis periculo conferre: Extra autem extremam neceſſitatem ſpiritualem proximi, non tenemur ex charitate proximo ſubvenire cum periculo vitæ, aut cum notabili damno famæ, aut facultatum quia magnum nobis jus à natura tributum eſt, ad ſervandam vitam propriam, & facultates; quod intelligendum eſt, Primo de neceſſitate non extrema particularium perſonarum; nam ſi loquamur de neceſſitate communitatis dicendum eſt illi ſubveniendum eſſe cum vitę periculo, non ſolum quando laborat extrema, verum etiam quando in gravi neceſſitate non extrema exiſtit, quia bonum ſpirituale communitatis præponderat bono privato, unde illi ſubveniendum eſt cum periculo vitę, modo neceſſitas ſit gravis ita ut illa communitatas non poſſit ſibi aliunde providere abſque magna difficultate. Secundo non omnes æqualiter obligantur ad procurandam proximi ſalutem, ut patet in illis, quibus ex officio incumbit onus procurandæ ſalutis proximi: Sic enim obligantur adpro curandam proximi ſalutem cum vitæ periculo, non ſolum in extremo proximi neceſſitate, verum etiam in gravi, quia ſtrictius obligantur, quam alii: ſed alii obligantur cum vitæ periculo ad ſubveniendum proximo exiſtenti in extrema neceſſitate, ergo illi obligantur etiam ad ſubveniendum in gravi: ratione autem officii non ſolum tenentur ſubvenire neceſſitati ſubditorum ſe offerenti, verum etiam tenentur inquirere, an laborent neceſſitate ſpirituali, illiſque neceſſitate laborantibus ſubvenire: reliqui ve, non tenentur ad neceſſitatem inquirendam, cum non habeant tantum onus, unde Paſtores non poſſunt à ſuis ſubditis recedere tempore peſtis, ſed tenetur Sacramenta illis miniſtrare cum periculo vitæ, niſi alios miniſtros ſufficientes, & idoneos ſubſtituerint: quia bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.

* *Die 2, Martii 1679. Innocentius XI damnavit infraſcriptas propoſitiones. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Vtrum unum proximum magis, quam alium diligere teneamus. Cap 650.

1 UNus proximus magis diligendus eſt, quam alius in caſu neceſſitatis; non ſolum quoad actum internum, verum etiam quoad externum, quia natus dictat magis diligendos eſſe conjunctos, quam extraneo, & ex conjunctis magis diligendos eſſe nobis propinquiores: ergo magis diligendus eſt unus proximus, quam alius, & Propterea: Primo diligendus eſt Pater, Secundo Mater, Tertio Uxor, quæ reputatur una caro cum Marito, Quarto filii, nam ipſi ſunt cæteris conjunctiores, & de ſubſtantia patris proceſſerunt, Quinto diligendi ſunt cæteris conſanguinei, Sexto cæteri non conſanguinei, & cæteris paribus præferendus eſt vir juſtus peccatori.

Vtrum teneamur ex charitate proximum noſtrum in egeſtate conſtitutum ſublevare per eleemoſynam. Cap. 651.

1 NOmine Eleemoſynæ intelligitur actus, quo aliquid alteri ex compaſſione damus ad ipſius ſublevandam neceſſitatem propter amorem, ſeu bonitatem Dei, & hic dicitur actus miſericordiæ corporalis imperatus à charitate ſi ob amorem Dei fiat. Opera miſericordiæ ſunt quatuordecim ſeptem corporalia, ſeptem ſpiritualia. Corporalia compræhenduntur hoc carmine.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo. condo,

Ideſt Viſitare infirmum, Potare ſcientem, Paſcere exurientem, Redimere capituum, Veſtire nudum, Colligere hoſpitem Sepelire mortuos. Septem opera miſericordiæ ſpiritualia compræhenduntur hoc verſu.

Conſule, doce, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora,

Ideſt conſulere dubitantem, docere ignorantem, corrigere peccantem, conſolari tri-

triſtem, remittere offendenti, portare oneroſos, & orare pro omnibus.

2 Non ſolum ex præcepto Divino, verum etiam naturali tenemur per eleemoſynam ſuccurrere proximo: ex præcepto divino (Matt. 25) ubi multi ob ommiſſam eleemoſynam damnantur. (Eſurivi, & non dediſti, &c) ex præcepto naturali patet ex privilegio legis naturæ. (Quod tibi vis fieri alteri feceris, (&c.) Tenemur eleemoſynam facere, & ſubvenire proximo dum extrema neceſſitate laborat, quia naturalis ratio hoc ſatis dictat, & præceptum diligendi proximum aperte indicat. Neceſſitas triplex eſt, Prima dicitur communis, eſt & illa, quæ paſſim occurrit, ut eſt illa pauperum oſtiatim ſtipem quærentium. Secunda dicitur gravis, & eſt illa, quam incurrunt, qui non habent neceſſaria ad ſuum, & ſuorum, ſtatum, & conditionem. Tertia dicitur extrema, vel quaſi extrema, & eſt illa quam quis patitur cum probabili mortis periculo: ex quibus autem facienda ſit eleemoſyna, vel ex ſuperfluis vitæ, & naturæ proprius ſed non ſtatui, vel ex ſuperfluis non ſolum vitæ, ſed etiam ſtatui; ideo dico nos teneri de ſuperfluis vitæ, & ſtatui facere eleemoſynam proximo etiam extra neceſſitatem ipſius extremam, vel quaſi extremam, ſeu in communi, aut gravi pauperum neceſſitate. Eleemoſyna facienda eſt indigentibus, ſive juſti ſint, ſive injuſti, ſive infideles, ſive fideles, ſive amici, ſive inimici. Eleemoſyna regulariter loquendo facienda eſt ex proprii bonis: quia actus tradendæ eleemoſynæ eſt actus Dominii: nullus autem poteſt actum dominii in rebus alienis exercere domino non conſentiente tacite, vel expreſſe. Eleemoſyna hoc ordine facienda eſt, dum omnibus fieri non poteſt, ut exiſtentes in extrema neceſſitate præferantur aliis: & ex iis qui exiſtunt in extrema neceſſitate præferentur conjunctiores, & ſic deinceps ſervato charitatis ordine. Qui autem denegavit eleemoſynam pauperi indigenti, cui tenebatur ſubvenire, non tenetur tranſacta neceſſitate aliquid illi reſtituere, nec obligatur ad extinguendum debitum, quod pauper contraxit cum aliis dum exiſteret in neceſſitate; quia charitas obligat ad ſublevandam indigentis neceſſitatem: neceſſitas autem tranſacta eſt.

* *Die Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

Utrum teneamur ex præcepto charitatis ſubvenire per correctionem.
Cap. 652.

1 TEnemur ex præcepto naturali, & divino corrigere proximum indigentem correctione; naturali enim præcepto tenemur: quia ſicut tenemur per eleemoſynam proximo ſubvenire in neceſſitate corporali: ergo multo magis in ſpirituali tenemur per correctionem, cum neceſſitas ſpiritualis præponderet corporali, Divino præcepto tenemur ex Matth. 18. (Si peccaverit in te frater tuus) ideſt coram te vel te ſciente (vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum,) unde non ſolum Chriſtiani, verum etiam infideles, & peccatores tenentur proximum corrigere, & peccant mortaliter ommittendo correctionem, niſi ob inculpabilem ignorantiam, vel inadvertentiam excuſentur; quia præcepta juris naturæ ſervare tenentur. Non ſemper tenemur proximum corrigere; quia præceptum correctionis eſt affirmativum; quo præcipitur aliqua actio facienda, & non obligat ſemper, ſed pro aliquo tempore, & ideo non obligat ſemper; ſed obligat, Primo cum adeſt cognitio certa peccati; nam multi ægre ferunt ſibi delictum non patratum obiici. Secundo cum non adeſt alius magis idoneus ad corrigendum: nam alio magis idoneo corrigente, ego non teneor corrigere; quia proximi neceſſitas ſublevatur abſque mea correctione. Tertio ut ad ſit ſpes emendationis, quoties .n. correctio non ſperatur profutura, non tenemur corrigere, vel ſi probabiliter dubitatur correctionem non ſolum profuturam, verum etiam ob futuram, ſeu allaturam damnum ſpirituale, non tenemur correctionem facere. Modo Primo corripiendus qui exiſtat in extrema ſalutis ſpiritualis neceſſitate ideo ſi peccator aliquis in ſtatu peccati mortali migraturus ſit ex hac vita, & dubium ſit an correctione adhibita, emendandus ſit, vel in novum peccatum lapſurus; correctio adhibenda eſt. Secundo modo ſi peccatum delinquentis vergat in damnum commune, vel in detrimentum innocentis: tunc

enim admonendus eſt innocens, vel Reſpublica, ut ſibi conſulat, & proſpiciat: licet ex tali admonitione ruina delinquētis timeatur. Quoties autem emendatio à graviori peccato ſperatur, ommiti poteſt correctio lenioris, & correctio differri poteſt in aliud tempus ſi tunc temporis fructus non ſperatur: correctionem facere tenemur peccanti ex ignorantia, modo adſit ſpes fructus, & emendationis. Non autem tenemur cum periculo vitæ, vel magni damni proprii, vel alieni corrigere proximum peccantem ex ignorantia invincibili; quia ſalus proximi non eſt in periculo: nec peccantem ex malitia: quia non eſt ſpes fructus, ſecus ſi adſit ſpes fructus, & alioquin proximus moriturus ſit in peccato mortali, niſi admoneatur, peccantem vero ex ignorantia culpabili, tenemur ex vinculo charitatis corrigere; quia proximus videtur eſſe in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate ſpirituali modo adſit ſpes valde probabilis fructus, & emendationis: extra vero neceſſitatem extremam non tenemur cum periculo vitæ, aut gravis damni proximum corrigere: quod autem dictum eſt de damno temporali, non eſt idem dicendum de damno ſpirituali; nam non ſolum non tenemur, verum etiam non poſſumus ſaluti ſpirituali proximi conſulere cum damno proprio ſpirituali culpabili: etiam ſi de bono totius communitatis agatur, unde non licet, ne minimum quidem peccatum veniale committere, ut grave proximi peccatum evitetur.

2 Correctio facienda eſt eo ordine, quem Chriſtus Dominus in Evangelio præſcripſit ſcilicet. Primo ut delinquens ſecreto moneatur (Corripe inter te, & ipſum ſolum) Matthæi 18 Secundo ut coram teſtibus corrigatur: ſi privata, & ſecreta monitio non profuit, (Si te non audierit, adhibe tecum ad huc unum, vel duos) Tertio ut Plæto denuncietur, quoties correctio obſervatis primis duobus modis non profuit, (quod ſi non audierit eos dic Eccleſiæ). inquit Chriſtus poſtremo ſi (neque Eccleſiam audierit ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.)

De Charitate, & agitur de odio, aliiſque vitiis Charitati contrariis.

De Odio in Deum, & proximum. Cap. 653.

1 ODium Dei eſt peccatum graviſſimum charitati contrarium; quia actu charitatis Deum amamus, actu verò odii Deum odimus, & odium in Deum non poteſt ob parvitatem materiæ eſſe veniale; quia quodlibet odium Dei maxime repugnat ſummæ bonitati Dei, qui ſumme bonus eſt, nec in ipſum ulla ratione cadere poteſt. Odium proximi eſt peccatum mortale charitati oppoſitum; quia ſicut virtute charitatis Deum, & proximum diligimus, ita actibus charitati oppoſitis: homo Deum, & proximum deteſtatur, & eſt peccatum mortale ex ſuo genere, nam directe adverſatur charitati, eamque tollere poteſt; peccatum autem, quod charitatem per ſe deſtruit, eſt mortale ex ſuo genere. Odium autem proximi eſt gravius peccatum aliis ſi conſideretur in ordine ad charitatem, cujus perfectione privat: ſi vero ſpectetur in ratione nocumenti, dicendum eſt, alia peccata eſſe graviora ut homicidium, & furtum.

2 Non eſt idem ira, odium, & indignatio, nam odium contingit, dum quis alteri malum cupit ex diſplicentia perſonæ, etiam ſi nullam ab eo injuriam paſſus ſit: peccatum vero iræ contingere videtur, dum quis vult alteri malum, eo quod alter injuriam ſibi, aut læſionem aliquam intulerit; quam cupit vindicare, & eſt peccatum mortale, ex ſuo genere. Indignatio vero committitur dum quis dolet, quod videat bona indignis conferri & hæc videtur ſolum peccatum veniale, præciſa alia circumſtantia. In confeſſione pænitens tenetur exprimere, an odium fuerit in Deum, vel in proximum: non autem odii cauſam.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptas propoſitiones. Si eum debita moderatione facias potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris ſed ut bonum

capi-

cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

De Invidia. Cap. 654.

1 INvidia eſt inordinata triſtitia, qua quis dolet de bono alicujus, non quatenus eſt bonum illius, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam, ideo is dicitur peccare peccato invidiæ, qui dolet de gradu ab altero adepto, aut de illius doctrina, vel de alio bono; ſi vero triſtitia ordinata ſit, non imputatur ad culpam; eſt autem ordinata quoties elicitur ex bono fine; ex quo patet eum non peccare peccato invidiæ, qui occaſione boni alicujus, quo alterum affectum videt, triſtitiam capit, non quatenus alter eſt affectus eo bono: ſed quia videt, ſe eo deſtitutum: hæc enim non eſt triſtitia inordinata pertinens ad invidiam. Invidia autem eſt peccatum mortale ex ſuo genere contrarium charitati, quia charitas gaudet de bono proximi: invidia vero triſtatur. Invidia inter vitia capitalia conumerari debet: quia ex ipſa tamquam ex capite multa alia peccata originem ducunt, ut odium proximi, ſuſurratio, detractio, gaudium in adverſis proximi, & triſtitia in proſperis ejuſdem.

De Acedia. Cap. 654.

1 ACedia eſt triſtitia, ſeu tedium rerum ſpiritualium à nobis participari ſolitum cum labore, & difficultate, ut ſi quem tędeat pęnitenriam agere, ex quadam pęnitentiæ nauſea, aut ſi nollet concionem haberi, aut ieiunium eſſe ob difficultatem pænitentiæ, vel Ieiunii; vel poteſt deſcribi. Acediam eſſe triſtitiam voluntatis ſeu appetitum de bono aliquatiter divino, & noſtro exiſtimato, ut malo proprio: propter adiunctam difficultatem illud obtinendi, aiſſerens injuriam & negligentiam actionum piarum, ſalutaritm. Acedia eſt eeccatum mortale ex ſuo genere charitati oppoſitum, & vitium capitale nuncupatur; quia poſita gravitate materiæ uum ſufficienti deliberationes ſemper eſt mortale etiam non muſata ſpecie. Ob prævitatem materiæ, aut ob indeliberationem, certum eſt fieri non poſſo peccatum veniale exiſtimo tamen nno omnem accediam adverſar directe charitati, nam ſi aliquis triſtetur de ieiunio ex affectu gulæ, videtur directe peccare contra temperantiam, & eſt vitium capitale, nam ex hoc peccato oritur odium ſpiritualium, rancor, puſillanimitas, diſperatio corpor, & evagatio mentis.

De Diſcordia, & contentione. Cap. 656.

1 DIſcordia eſt inordinata diſſenſio voluntatis à voluntate altarius, cui conſentire deberet, ut ſi proximus velit aliquod bonum, tu vero ſine rationabili cauſa cupias ipſum ejus boni conſecutinnem non obtinere. Diſcordia eſt peccatum mortale ex ſuo genere, quoties quis diſcordat à volnutate illius, cum quo tenetur ex vinculo charitatis concordare, & hujuſmodi peccatum opponitur charitati, diſcordea autem opponitur aliis virtutibus juxta obligationem, quia tenemur ab alterius voluntate non diſſentire, & ideo diſcordia ut opponitur charitati ſic definitur, diſcordia eſt diſſenſio voluntatum circa bonum, qued ex charitate velle debemus. Contentio non eſt idem, quod diſcordia, ſed differt veluti effectus à à cauſa; nam contentio originem trahit à diſcordia, ſeu diſſenſione voluntatis eſt autem contentio alterratio verbotum cum aliquo contra veritatem ad ipſam veritatem oppugnandam; non autem peccat peccato contentionis; qui verbis cum alio contendit intentione defendendæ veritatis, contra falſam alterius aſſentionem. Contentio autem eſt peccatum mortale ex ſuo genere, nam eſt vitium charitati oppoſitum.

De Schimate. Cap. 657.

1 SChiſma eſt voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab odedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, unde dicitur ſchiſmaticus, qui ab obedientia, & ſubiectione Pontifici canonice electi ſe ſubtrahit, & adheret alteri non canonice electo. Schiſma eſt peccatum mortale graviſſimum ex ſuo genere, quia adverſatur charitati, cujus proxlum eſt unire, & concialiare, nec poteſt ex parvitate materiæ fieri veniale. Schiſmaticus multis pænis afficitur. Primueſt pæna privatio

Digitized by Google

vationis Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſcilicet juriſditionis. Secunda eſt pœna excommunicationis; quam ſchiſmaticus ipſo facto incurrit. Tertia pœna eſt inhabilitas ad beneficia in futhrum conſequenda.

De Superſtitione. Cap. 658.

1 SUperſtitio eſt falſa religio: ideſt cultus vitioſus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito, & ideo duplex eſt ſupeſtitio. Prima dicitur ſuperſtitio ratione rei cultæ, quatenus creatura colitur cultu Dei, & hæc ſub ſe continet tres ſpecies, idolatriam, divina ionem, & ſuperſtitioſam obſervationem, ad quam reduci poteſt magia: Secunda dicitur ſuperſtitio modi colendi Deum: quatenus Deus colitur modo indebito: quæ adhuc duplex eſt. Prima dicitur cultus falſus, ut accidit quando quis vult Deum colere cæremoniis Judæorum, quibus ſignificatur Chriſtus venturus, aut quod quis divino officio admiſceat turpia, tamquam divini officii partem, & hic cultus eſt mortale peccatum ex ſuo genere, quia gravem infert irreverentiam in Deum. ſecunda dicitur cultus ſuperfluus, & hæc contingit, quando præter Eccleſię uſum ponitur religio in iis rebus, aut circumſtantiis, in quibus non eſt ponenda, ut in numero, colore, ſitu, &c. ut qui tot candelas adhibendas eſſe putat, & non plures aut debere potius eſſe albi, quam flavi coloris, aut debere potius in hac parte poni, quam in alia, committit peccatum ſuperflui cultus; idem dicendum, quando variantur cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ.

Quid ſit Idolatria, & quale peccatum. Cap. 659.

1 IDolatria eſt peccatum, quo honos, ſeu cultus Dei tribuitur creaturæ, & eſt graviſſimum peccatum ex ſuo genere: quia quantum in ſe eſt tollit honorem Deo, illumque transfert ad creaturam, ac ſi illa eſſet Deus, & ab hoc peccato non excuſat metus mortis: quia tribuere cultum Dei rei creatæ, & vanæ eſt per ſe & intrinſice malum: immo neque ignorantia ab hoc peccato excuſat; quia recta ratio evidenter dictat non eſſe collendam creaturam loco Dei: mortaliter autem peccat, qui ficto animo colit idolum, ut mortis periculum evadat; quia licet non committat idolatriam internam, committit tamen externam; quę intrinſice mala eſt, & opere externo impendit honorem divinum rei creatæ, non tamen incurrit excommunicationem; quia non fertur contra idolatras ſolum externos, licet in foro exteriori præſumatur excommunicatus.

De Divinatione. Cap. 660.

1 DIvinatio eſt prædictio, ſeu prænunciatio rerum occultarum, quæ humano modo cognoſci non poſſunt, facta ope Dæmonis. Dæmones quamvis certo non cognoſcant futura contingentia, quæ non habent cauſam determinatam, ſed à noſtro pendent arbitrio, longe tamen plura de rebus futuris, aliiſque occultis cognoſcere poſſunt, quam homines. Primo enim cognoſcunt noſtras actiones, & inclinationes. Secundo cauſas naturales, & virtutes earum ut Solis, Lunæ, Cœlorum, Elementorum, &c. Tertio longam habent rerum experientiam. Quarto ſcripturas melius intelligunt, quam homines. Quinto ſciunt quid ipſi, & alii Dęmones malorum fabricatores ſint facturi, ſi Deus permiſerit: Hac poſita in ipſis cognitione ſit, ut divinatores arte Dæmonis aliqua poſſint prænunciare, & divinare: divinatores à dęmone docentur ea, quæ divinant, & prænunciant, aut quia Dæmon aſſumpta viſibili forma illos alloquitur, aut quia format in aere vocem, aut quia tradit ſcripturam in qua continetur res prænuncianda, aut quia in ſomnis, aut etiam in vigilia diſponit ipſorum phantaſma ad divinandum juxta phantaſmatum diſpoſitionem. Divinatio duobus modis fieri poteſt. Primo per expreſſam Dæmonis invocationem, petendo ut aliquid doceat. Secundo per tacitam ſolum Dæmonis invocationem, & hæc contingit, quando quis mediis vanis, quibus ſe immiſcet Dæmon procurat cognitionem rerum latentium, quæ vim humanam ſuperant. Divinatio ex communi D. D ſententia eſt peccatum mortale ex ſuo genere, ſive fiat cum expreſſa, ſive cum tacita Dæmonis invocationes, quia per divinationem initur conſortium, & ſocietas cum Dæmone perpetuo Dei hoſte; nam homo per divinationem ſubiicit ſe diſciplinæ Diaboli. ut ab ipſo occulte doceantur, ipſum

KK quæ

quæ tacite honorat, fidem ipſius documentis præbendo, eique futurorum prænotionem, quæ Deo convenit tribuendo, ob id exiſtimo non dari parvitatem materiæ à mortali excuſante, ſi divinatio ſerio fiat.

De vana obſervatione. Cap. 661.

1 VAna obſervatio eſt ſuperſtitio, qua media inutilia adhibentur, ad præſtandum, vel ommittendum aliquid, ad quod illa media, nec à Deo, nec à natura virtutem ullam habent, ut contingit quando quis mediis inutilibus contendit acquirere bona temporalia, ut ſanitatum, ſcientiam &c. Tres ſunt ſpecies obſervationis: ars notoria, obſervatio ſanitatem, obſervantia eventuum, & ad has ſpecias cæteræ poſſunt revocari, ſive fiant cum expreſſa, ſive cum tacita Dæmonis invocatione. Ars notoria eſt ſuperſtitio, qua quis credit ſe conſecuturum ſcientiam abſque labore per quædam jejunia, orationes, inſpectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, & alia ſimilia vana, & inefficacia; & hæc ſuperſtitio eſt peccatum mortale ex ſuo genere, quia continet tacitam cum Dæmone ſocietatem, cui tribuitur, id quod eſt proprium Dei: Proprium enim Dei eſt infundere ſcientiam. Obſervatio etiam ſanitatum eſt ſuperſtitio, qua adhibentur aliqua inania, & inutilia ad ſanandos morbos hominum, vel animalium: ut quando ad curandos morbos adhibentur verba, ſigna, cæremoniæ, &c. cum enim hæc non ſint veræ cauſæ horum effectuum, & ad hos producendos non habeant virtutem, ſignum eſt continere pactum cum Dæmone, & ſapere ſuperſtitionis peccatum. Sic etiam obſervantia eventuum eſt genus ſuperſtitionis, quo ex conſideratione alicujus eventus coniicitur quid futurum ſit, ut ſi domo egredienti occurrat vulpes, aut canis, aut cadaver, &c. indeque occaſionem ſumat credendi negotium, aut diem ſibi futurum infauſtum, & infortunatum, quæ obſervantia eſt peccatum mortale ex ſuo genere, licet ſæpius à mortali excuſetur ratione ignorantiæ, aut ratione bonæ fidei: quia nihil in his continetur, quod ab hominibus appræhendatur.

De Maleficio. Cap. 662.

1 MAleficium eſt ars nocendi aliis ope, & poteſtate Dæmonis, maleficiorum autem quinque ſunt genera Primum eſt eorum, quæ fiunt ad inveſtiganda, quæ latent, & quæ procul abſunt, ut ſecreta hominum longe diſtantium. Secundum eſt eorum, quæ fiunt ad morbos inferendos. Tertium eſt eorum quæ fiunt ad ſanitatem procurandam, vel ad excitandum amorem carnalem. Quartum eſt eorum quæ fiunt ad alios effectus, communi omnium judicio impoſſibiles. Quintum eſt eorum, qnæ fiunt, ad magicas, & ſuperſtitioſas operationes. Magia autem naturalis, qua viribus rerum naturalium occultis mira quædam fiunt quæ vera ſunt, & viribus naturæ producuntur, non eſt ſuperſtitioſa nec malefica: magia vero diabolica, qua magus mira quædam præſtat ope Dæmonis eſt ſuperſtitioſa, & illicita, quia fit ope dæmonis. Non eſt licitum malefico, etiam alias paratos adhibere ad maleficium faciendum pro re gravi, & bono publico, aut cauſa curioſitatis: quia maleficium eſt intrinſice malum, nec licite præſtari poteſt. Nec eſt licitum petere, ut maleficus, aut alius uno maleficio diſſolvat aliud, concedo tamen rogari poſſe maleficum ut diſſolvat maleficium modo licito, faciendo ea, quæ præſtari poſſunt ſine ope Dæmonis: ſic etiam quando maleficium tolli poteſt modo licito, & illicito, maleficus rogari poteſt, ut illud tollat, nam juſta de cauſa petitur res, quę licite fieri poteſt, modo maleficus ſciat modum licitum diſſolvendi maleficium; nam ſi modus licitus ignoretur malefico, non poteſt ab eo peti diſſolutio maleficii.

2 Multa remedia contra maleficia poſſunt adhiberi. Primum eſt magna fides in divina protectione. Secundum eſt ſuſceptio Baptiſmi. Tertium confeſſio peccatorum. Quartum ſumptio Euchariſtiæ. Quintum Exorciſmi Eccleſiæ. Sextum aqua benedicta. Septimum reliquiæ Sanctorum. Octavum Signum Crucis. Nonum invocatio nominis Jeſu, B. V. Mariæ, Angeli cuſtodis, & aliorum Sanctorum. Decimum oratio conjuncta cum ieiunio. Ultimum diſſolutio eorum, quæ pertinent ad pactum cum Dæmone.

3 Confeſſarius quatuor inquirere debet à male-

Digitized by Google

à malefico. Primo an pactum inierit cum Dæmone, & promiſerit ſe derelicturum Chriſtum, & ab Jeſus fide diſceſſurum; nam Confeſſarius curare debet ut maleficus diſſolvat pactum cum Dęmone initum, vel exhibuerit honorem Satanæ, aliave ſacrilegia commiſerit contra Euchariſtiæ Sacramentum, Secundo an in pacto cum Dæmone inito intercesſerit hæreſis, ut an crediderit noſtram fid m non eſſe veram, aut Sacramenta prodeſſe, &c. Tertio quomodo confecerit maleficium, an ſcilicet confecerit ex rebus ſacris, & crediderit illis talem virtutem ineſſe ad tales effectus, tunc enim non ſolum ſacrilegi, verum etiam hæreſis reus eſſet. Quarto an damnum intulerit, nam tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum.

4 Maleficus multis modis cognoſci poteſt. Primo ex confeſſione ipſius propria. Secundo ex aliorum atteſtatione, qui delicti participes fuerunt. Tertio ſi apud aliquem comperiatur ſcriptura, qua ſe Dęmoni volens dedicavit, aut ſi impreſſum gerat ſignum aut ſtigma, quo malefici ſolent inſigniri. Quarto ſi apud aliquem inveniantur hoſtiæ cereæ acubus infixæ. Quinto ex minis quibus quis alicui malum minatus eſt, & is poſtea faſcinatione infectus inveniatur Sexto ex aſſertione, qua quis teſtatur ſe vidiſſe aliquem ungentem, aut venena præbentem animalibus aut aliis, qui poſtea interierunt.

De Sacrilegio.

Quid ſit Sacrilegium, & quale peccatum. *Cap. 663.*

1 SAcrilegium eſt violatio ei ſacræ, res autem ſacra dicitur illa, quæ cultui divino dicata eſt, ut Templum, Sacerdos, Calix, & trium generum ſunt res ſacræ, quarum violatione committitur ſacrilegium ſcilicet perſona, locus, & aliæ res Deo dicatæ: nomine perſonarum ſacrarum veniunt Clerici, & Religio; nomine rerum veniunt Sacramenta, vaſa ſacra, veſtes ſacræ, & alia quæ ſignificant res ſacras. nomine loci veniunt templa auctoritate Epiſcopi conſecrata, Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca per Epiſcopum conſecrata Sacrilegium eſt peccatum mortale ex ſuo genere, quia per ſacrilegium fieri ſolet gravis injuria Deo, aut rebus ſacris, unde male conficientem Sacramenta, aut male abſolventem, vel adminiſtrantē Sacramenta in peccato mortali, vel cum aliqua cenſura mortaliter peccare certum eſt, nec ſatisfacit pænitens dicendo, ſe toties ſacrilegium commiſiſſe: ſed tenetur, materiam circa quam commiſit ſacrilegium aperire; quia non omnia ſacrilegia ſunt ejuſdem ſpeciei.

De Immunitate ſacrorum locorum juxta Gregorii XIV. Conſtitutionem.

Quid nomine immunitatis intelligatur, & cur Eccleſiaſtica nuncupetur. *Cap. 664.*

1 NOmine immunitatis Eccleſiaſticæ in genere intelligitur privilegium, ſeu exempto, per quam Eccleſia ſubtrahitur ab oneribus, vel uſibus, vel operibus, ejus ſanctitati, & libertati repugnantibus. Immunitas vero Eccleſiaſtica quo ad locum, de qua hic loquimur, eſt exempto, ſeu privilegium Eccleſiæ conceſſum, ut ibi exiſtens tuti ſint à laica poteſtate; dicitur autem immunitas Eccleſiaſtica quo ad locum, non quia non pertineat etiam ad perſonas: ſed quia immediate, & primario conceditur loco, ſecundario perſonis in eo loco exiſtentibus, & propterea non idem eſt libertas Eccleſiaſtica, & immunitas, nam libertas Eccleſiaſtica eſt exemptio, ſeu privilegium exemptionis conceſſum perſonis Eccleſiaſticis: immunitas vero eſt privilegium Eccleſiarum; tamen libertatis nomen ſæpius accipitur pro immunitate, & nomen immunitatis pro libertate. Immunitas autem vocatur Eccleſiaſtica, quia ab Eccleſia conceſſa fuit, & quia eſt privilegium locorum ſacrorum, præſertim Eccleſiarum. Nomine autem Eccleſiæ cui conceſſa fuit immunitas hoc in loco intelligitur materialis domus publica, ſeu templum auctoritate Epiſcopi fundatum, ut in eo fideles convenire poſſint ad orationes Deo fundendas, ad ſacrificia offerenda, & ad recipienda Sacramenta.

Quo jure introducta ſit immunitas Eccleſiaſtica. *Cap. 665.*

1 IMmunitas Eccleſiaſtica jure humano conceſſa fuit Eccleſiis Chriſtia-

 norum

norum, aliiſque locis religioſis ex conſtit. Greg. XIV. quæ incipit cum alias nonnulli. Immunitas Eccleſiaſtica ſtricte loquendo introducta non eſt jure naturali, vel divino: non jure naturæ, quia non eſt intrinſice malum extrahere delinquentem ab Eccleſiis, nec fit irreverentia loco ſacro extrahendo, ſi jus naturæ præciſe ſpectemus, cum actio extrahendi per ſe iuſta ſit neque fiat in contemptum loci ſacri, & quia nullo in caſu liceret extrahere delinquentes etiam Summo Pontifice permittente, nam diſpenſare nequit injure naturali, vel divino, quoties in ipſo humana actio non includitur, ſicut includitur in juramento, voto, & matrimonio rato, ob id in ipſis diſpenſare poteſt, nec jure divino introductam eſſe ſtrictè loquendo conſtat, quia ſi ſpectemus jus novum, nullus ſcripturæ locus afferri poteſt ad oſtendendam hanc immunitatem, ſi jus antiquum ſpectemus, dicendum eſt ideo non colligi immunitatem noſtrarum Eccleſiarum; quia dato quod privilegium immunitatis jure antiquo conceſſum eſſet Templo; tamen illud privilegium non extenditur ad noſtras Eccleſias, cum privilegium uni conceſſum non transferatur ad alia, & noſtræ Eccleſiæ longe differant à templis antiquæ legis: privilegium enim illud antiquum pertinebat ad cæremonialia antiquæ legis, ſicut pertinebat ipſum altare, & tabernaculum cui conceſſum ferat, cæremonialia vero in Chriſti morte ceſſarunt: dixi autem ſtrictè loquendo, ut innuerem. Primo iſtam immunitatem eſſe ſaltem valde conformem juri divino, & naturali: ſic enim recta ratio dictare videtur, & ad hoc facere poſſunt quæ in jure antiquo adducuntur, & miracula, quibus Deus teſtatus eſt, gratum ſibi eſſe locorum ſacrorum cultum, & venerationem. Secundo ut indicarem ſuſtineri poſſe immunitatem eſſe de jure naturali, & divino in genere loquendo. Sicut jejunium in genere eſt de jure divino, in particulari de jure Eccleſiaſtico; ſic immunitas ſacrorum locorum dici poteſt de jure divino naturali. quia tamen jus naturale divinum non eſt contrarium alteri juri, quo delinquens ob commune bonum puniri præcipitur, ideo relicta videtur poteſtas Summo Pontefici declarandi, & facultatem concedendi, ut delinquentes aliquibus in caſibus extrahantur: tunc enim jus naturale divinum non obligat, & Pontifex declarat non obligare.

Quos effectus pariat Immunitas Eccleſiaſtica. Cap. 666.

1 Multos effectus parit immunitas. Primus eſt, ut exiſtens in Eccleſia capi nequeat in Eccleſia à laica poteſtate, ex ipſa Gregorii bulla. Secundus eſt, ut non apponatur impedimentum propter quod exiſtenti in loco ſacro non deferantur alimenta, veſtitus, aut alia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, quia ſi exiſtens in Eccleſia poſset hoc modo impediri, poſset etiam extrahi. Tertius effectus eſt, ut exiſtenti in loco ſacro nulla vis, aut damnum inferatur ex Con. Tol XII. c. 19. Quartus effectus eſt: ut dum in Eccleſia exiſtit damnari nequeat ad mortem, vel ad pænam, ſaltem ad corporalem. Quintus effectus eſt ut delinquens per vim extractus ab Eccleſia, reſtituatur Eccleſiæ, quia judex tenetur injuriam Eccleſiæ illatam reſarcire.

Quibus locis competat immunitas: ita ut delinquens ab illis extrahi non poſſit. Cap. 667.

1 Immunitas Eccleſiaſtica competit, Primo Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi fundatæ, & conſecratæ præſertim ſi in ea divina officia celebrentur; etiam Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi fundatæ, & divinis officiis dicatæ, etiamſi nondum benedicta ſit, aut nondum in ea celebrata fuerint divina officia, aut ibi non adſit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Eccleſiæ etiam gaudent hoc privilegio, etiam ſi pollutæ ſint, aut interdictæ, quia pollutio, aut interdictum non tollit immunitatem Eccleſiæ. Eccleſia etiam gaudet hoc privilegio etiam ſi diruta ſit, non enim deſinit eſſe locus ſacer, modo non ſit diruta auctoritate Epiſcopi ſine ſpe reædificandi: & non ſolum gaudet hoc privilegio ſolum interius corpus Eccleſiæ: verum etiam tota Eccleſiæ fabrica, ut tectum, partes parietum exteriores, Campanile, Sacriſtia Eccleſiæ conjuncta, & ſimilia: immunitatis privilegium jure communi extendi ad fines dico ſeu confinia Eccleſiæ uſque ad quadraginta paſſus ſi Eccleſia fuerit major, ſi verò fuerit minor uſque ad triginta, præciſa tamen

men legitima conſuetudine in contrarium, & exceptis Eccleſiis in civitate conſtructis, in quibus ob locorum anguſtiam id ſervari non poteſt. Hinc factum eſſe arbitror, ut Domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Eccleſiaſticorum, exiſtens prope Eccleſias intra præcitata confinia gaudeant Eccleſiaſtica immunitate, quamvis eas inhabitent laici: nam privilegium immunitatis directe conceſſum eſt locis, & non perſonis. Paſſus autem ad quos protenditur immunitas Eccleſiaſtica, deſumendi ſunt a muro Eccleſiæ, non autem à candelabro poſito in Eccleſia; alioquin Eccleſia non diceretur gaudere immunitate in tanta diſtantia: Nomine autem paſſus intelligitur menſura quinque pedum, pes autem complectitur menſuram quindecim digitorum: Monaſteria etiam domus religioſorum, tam regularium quam ſecularium, aliaque loca ſacra, aut religioſa gaudent privilegio immunitatis ex Bulla Gregorii XIV. quod privilegium extenditur ad totum clauſtrum, ſeu habitationem religioſorum, etiam ad viridarium: quia totus ille locus eſt ſacer, & religioſus, & reputatur una & eadem res cum monaſterio. Propterea extenditur ad hoſpitale fundatum auctoritate epiſcopi, quia in jure cenſetur locus ſacer, idem dicendum de Seminario, cum ſit locus pius, & religioſus; & de oratoriis diſciplinatorum, ſeu confratrum affixis alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, cum ſint loca pia, & religioſa. Palatium ſeus Domus Epiſcopi gaudet immunitate Eccleſiaſtica, modo conſtructum ſint intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ, quia immunitas conceditur Palatio Epiſcopi ratione loci ſacri: non eſt autem locus ſacer, ſi ab Eccleſia diſtet ultra quadraginta paſſus, niſi forte in Palatio Epiſcopi conſtructum ſit oratorium, in quo divina celebrentur; tunc enim cenſetur locus Sacer, ſaltem intra Oratorii ambitum & idê, immunitate gaudet. Domus autem Cardinalium, in quibus extat Oratorium, in quo divina celebrantur gaudent hoc privilegio, ſaltem intra oratorii ambitum, licet hoc tempore nõ ſervetur hoc privilegium in Urbe Roma ut conſulatur bono publico, & delinquentes puniantur, qui vix puniri poſſent, ſi hoc privilegium in urbe ſervaretur, unde in hac re Summi Pontificis voluntati ſtandum eſſe arbitror. Palatio Oratorum ſupremorum Principum non gaudent immunitate; quia hæc immunitas nullibi conceſſa reperitur; extra urbem tamen gaudere videntur immunitate civili ob reverentiam ſupremi principis, cujus perſonam repreſentant, ex violatione tamen iſtius immunitati civilis cenſura non incurritur. Oratorium auctoritate Papæ vel Epiſcopi conſtructum, & perpetuo dicatum cultui divino gaudet immunitate Eccleſiaſtica, quia cenſetur locus ſacer, & religioſus, nec in uſus profanos transferri poteſt.

2 Committitur Sacrilegium contra loci ſacri reverentiam, & immunitatem à violantibus vel à ſatellitibus fori ſecularis capientibus delinquentem in Eccleſiam, vel Oratorio, vel Hoſpitali, vel in Monaſterio religioſorum, vel in Palatio Epiſcopi, vel in Domo Parochi, aut Canonicorum, aliorumve Eccleſiaſticorum, non diſtante triginta paſſius ab Eccleſia. Quando autem Sacerdos deſert auguſtiſs Euchariſtiæ Sacramentum gaudet privilegio immunitatis ita ut reus ipſum amplexans à laica poteſtate capi nequeat licite ob reverentiam jure divino debitam corpori Chriſti, cui nulla res pręferri debet, in rigore tamen loquendo non violatur immunitas Eccleſiaſtica ſi capiatur nec Eccleſiæ in rigore juris reſtituendus videtur: quia Sacerdos non eſt locus Sacer, & religioſus; immunitas autem conceſſa ſit Eccleſiæ, & locis ſacris, & religioſis.

Quænam perſonæ gaudeant immunitate Eccleſiæ. Cap 668.

1 OMnes fideles cujuſcumque conditionis, & ordinis, exceptis caſibus in jure expreſſis, immunitatis privilegio gaudent, quia jura abſolute, & ſine diſtinctione loquuntur; & noviſſime Bulla Gregorii XIV. quare quilibet delinquens, qui delictum in Bulla Gregorii non expreſſum, & exceptum patravit, immunitate gaudet, etiã ſi delinquens interdicti cenſura obſtrictus ſit vel excommunicationis: ſic Clericus in iis caſibus, in quibus, alias capi poſſet extra Eccleſiam à laica poteſtate, gaudet immunitate dum in loco ſacro exiſtit: poteſt tamen Clericus ab Eccleſiaſtico Prelato extrahi ab Eccleſia, etiam in iis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à ſeculari judice; quia immunitas Eccleſiæ non præjudicat poteſtati Eccleſiæ.

Quænam perſonæ privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ priventur.

Utrum latrones, graſſatores viarum, & depopulatores agrorum, immunitate priventur. Cap. 669.

1 PUblici latrones non gaudent privilegio immunitatis ex conſtitutione Gregorii XIV. latro appellatur ille, qui violenter aggreditur, & depredatur: publicus vero latro dicitur is: qui in viis publicis depredatur, & ob frequentata latrocinia pro latrone communiter habetur, ſeu qui palam, & publice furatur, ſeu qui publice tranſeuntes in viis invadit, & ſpoliat, vel in mari palam prædas agit. Graſſatores viarum Eccleſiaſtica immunitate privantur, quia ſic habetur expreſſis verbis in Bulla Gregorii, & differunt à latronibus quia licet ambo ſint latrones, tamen latro eſt, qui vias extra urbem obſidet: graſſator vero in urbe: unde qui vias in urbe obſidet, & ſæpius hoc crimen commiſit, graſſator publicus nuncupatur. Depopulatores agrorum privilegio immunitatis non gaudent ex conſtitutione Gregorii: nomine depopulatoris agrorum dicitur ille, qui diripit alienos agros id eſt qui ſegetes, ſeu fructus ſurripit, & agros, ſeu vineas vaſtat, idem dic de incendente agros, nam vocari poteſt depopulator agri.

Utrum occidentes, vel mutilantes in Eccleſia immunitate gaudeant. Cap. 670.

1 COmmittentes homicidia, vel mutilationes in Eccleſiis, aut earum cæmeteriis carent immunitate, quia par non eſt, ut immunitate Eccleſiæ fruatur, qui in Eccleſia delinquit, & ſic qui delictum in una Eccleſia commiſit, & ad alia confugit non eſt tutus; ſic non gaudet immunitate, qui exiſtens extra Eccleſiam aliquem occidit, aut mutilat aliquo inſtrumento aliquem exiſtentem intra Eccleſiam: ſecus dicendum ſi quis exiſtens in Eccleſia mutilet vel occidat aliquem exiſtentem extra Eccleſiam: quia ille delictum committit in Eccleſia, hic vero extra Eccleſiam. Mandans vero homicidium, aut mutilationem in Eccleſia immunitate non privatur, qui non occidit, aut mutilat, ſed mandat.

Utrum proditorie aliquem occidens Eccleſiaſtica immunitate careat. Cap. 671.

1 PRoditorie occidentes proximum ſuum privilegio immunitatis carent, quovis modo occiderint, quia hujuſmodi homicidæ in Greg. conſtitutione excipiuntur, quod intelligendum videtur de illis, qui per ſe ipſos homicidium proditorie committunt, quia in textu dicitur qui proditorie occiderint. Proditorie autem dicitur aliquem occidere, qui aliquem occidit id non prævidentem: ſeu qui aliquem occidit, cum quo amicitiam ſimulabat, ſeu qui doloſe aliquem ſeducit, ut occidat, unde immunitate privatur, qui alterum, cui ſe tamquam ſocium, & amicum in via adiunxerat, nulla iræ cauſa interveniente occidit: hic enim eſt proditor.

Utrum Reus Aſſaſſinii Eccleſiaſtica immunitate privetur. Cap. 672.

1 REi aſſaſſinii Eccleſiaſtica immunitate privantur, quia in conſtitutione Gregorii XIV. excipiuntur: nomen aſſaſſini tripliciter accipitur. Primo pro quodam infidelium Saracenorum genere, qui hoc proprio, & communi vocabulo vocantur, & quorum opera nonnulli Chriſtiani utebantur ad alios Chriſtianos proditorie occidendos: & de his aſſaſſinis non eſt nobis ſermo in præſenti materia. Secundo nomen aſſaſſini accipitur pro illis, qui homines in viis publicis obſident, & depredantur, & hi immunitate privantur. Tertio pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti, prævio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes: hæc enim eſt vulgaris intelligentia, & interpretatio hujus vocis aſſaſſini: vulgi autem interpretatio maxime attendenda eſt, & ideo non dicitur aſſaſſinus, qui ſine pretio, aut ſine præciſa pretii promiſſione aliquem interfecit, ut alteri rem gratam faciat: hic enim non dicitur aliquem incautum occidere accepto, vel promiſſo pretio; ut autem aſſaſſinus immunitate privetur, debet conſtare plene, aut per teſtes, aut per confeſſionem partis, pecuniam hac de cauſa datam fuiſſe, nam aliis de cauſis pecunia dari potuit, ſic etiam cooperatores aſ-

aſſaſſinii immunitate privantur ex conſtitutione Gregorii XIV. Adhuc etiam dicitur reus aſſaſſinii licet effectus non ſit ſecutus, ſed ſolum actus effectus proximus, ut inſultus, aut vulneratio; accedente pretio, vel promiſſione pretii aſſaſſinium committitur ſolum ex mandato ad occidendum, non ad vulnerandum, ſic etiam non gaudent immunitate fautores, auxiliatores, & receptatores aſſaſſinorum.

Utrum reus Hæreſis Eccleſiaſtica immunitate careat. Cap 673.

1 REi criminis hęreſis privantur Eccleſiaſtica immunitate; cenſeo autem reos hæreſis non ſolum eos, qui cum pertinacia ſentiunt contra fidem, verum etiam eos, qui auxilium, aut favorem hæreticis præbent, quia crimen hæreſis expreſſe excipitur in conſtitutione Greg. XIV. idem dicendum de ſchiſmaticis, apoſtatis; credentibus hæreticorum quoties ipſorum crimen cum hæreſi conjunctum eſt, & nondum reſipuerunt. Infideles nondum baptizati privilegio immunitatis gaudent, quia immunitas directe conceſſa fuit loco, perſonis ſolum indirecte: ergo locus ſua immunitate gaudet quamquis infidelis ibi exiſtat: ſic etiam infidelis gaudet immunitate qui petiit baptiſmum antequam confugeret ad Eccleſiam.

Utrum reus criminis læſæ majeſtatis immunitate gaudeat Eccleſiaſtica. Cap. 674.

1 REi criminis læſæ majeſtatis in perſonam principis immunitate non gaudent, patet ex verbis conſtitutionis Gregorii XIV. ſed modo tres difficultates ſuboriuntur: Prima, qui nomine Principis in hoc loco intelligatur. Secunda quibus actionibus crimen læſæ majeſtatis incurratur ſeu quando nam crimen læſæ majeſtatis in perſonam Principis committi cenſeatur. Tertia à quo nam actiones in perſonam principis fieri debeant, ut crimen læſæ majeſtatis incurratur. Primo igitur nomine Principis intelligitur, qui Superiorem in ſua juriſdictione non cognoſcit; ſic offendens Summum Pontificem privatur immunitate, quia nullum in temporalibus, vel ſpiritualibus ſuperiorem agnoſcit, & ſic de aliis qui in ſua juriſdictione ſuperiorem non agnoſcunt. Idem dicendum de Cardinalibus, quia Cardinales æquiparantur Regibus: & Principes Eccleſiæ Romanæ vocantur. Secundo quando exercetur actio in damnum, & offenſam perſonæ Principis, ut occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hoſtiliter inſequendo perſonam principis, revelando hoſtibus ſecretum Principis; ut ab ipſis capiantur: idem dic de conſulentibus, auxiliantibus, favorem præſtantibus: iſti enim omnes criminis læſæ majeſtatis in perſonam Principis rei ſunt: ſic etiam immunitas ammittitur, licet effectus non ſequatur, ſed crimen aliquod læſæ majeſtatis in perſonam principis aliquis patravit; ut ſi quis concilium, aut mandatum percutiendi, vel occidendi principem dedit, ſed percuſſio, vel occiſio ſecuta non fuit. Tertio actio, ut crimen læſæ majeſtatis committi cenſeatur præſtanda eſt ab eo, qui eſt ſubditus illius principis; contra quem committi dicitur crimen læſæ majeſtatis: ſubditus autem in hoc loco intelligitur, qui principi ſubiicitur, ratione domicilii vel originis. Crimen autem læſæ majeſtatis contra Papam committi poteſt ab omnibus tam laicis, quam Clericis, quacumque dignitate præditis, ubicumque exiſtant: etiam ſi Summo Pontifici in temporalibus ſubditi non ſint, quia territorium ſummi Pontificis eſt totus orbis: Idem dic de offendente Cardinalem.

Utrum fugiens ad Eccleſiam tradendus ſit curiæ ſæcularis in caſibus bullæ. Cap. 675.

1 PRælati locorum gaudentium immunitate tenentur delinquentes ad locum immunem confugientes conſignare curiæ ſæcularium requirenti, ſi cognoverint aliquod delictum ab eis commiſſum fuiſſe, propter quod immunitatis privilegio gaudere non debent ex conſtitutione Gregor XIV. Epiſcopus autem, vel ejus Vicarius non poteſt judici laico dare facultatem extrahendi aliquem ab Eccleſia in caſibus in jure non expreſſis, quia Greg. XIV. facultatem extrahendi concedi mandat ſolum in caſibus in ſua bulla expreſſis aliaſque omnes facultet abrogatur: ergo Reus ad Eccleſiam confugiens gaudere debet immunitate; nec Epiſcopus illius extrahendi facultatem dare poteſt.

2 Antequam delinquens, qui ad locum ſacrum confugerat curiæ ſeculari tradatur, iſtæ circumſtantiæ ſervandæ ſunt. Prima eſt, ut obtineatur ab Epiſcopo vel ab ejus officiali facultas expreſſa capiendi, & extrahendi delinquentem: quia ſic expreſſe cavetur in dicta Gregorii conſtitutione; immo idem ſervandum eſt de jure civili. Secunda circumſtantia eſt, ut interſit perſona Eccleſiaſtica facultatem habens ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario dum aliquis à loco ſacro retrahitur. Tertia circumſtantia eſt, ut delinquens non ſtatim ac captus eſt tradatur laicæ poteſtati: ſed in carcerem nomine Epiſcopi coniiciatur, & detineatur donec ab Epiſcopo, vel ab ejus deputato cognitum fuerit, an reus ſit delicti, cui privatio immunitatis impoſita eſt, ut patet ex bullæ verbis, nec Epiſcopus ſtare poteſt proceſſui facto a laica poteſtate, in quo conſtet delinquentem reum eſſe criminis privantis immunitate, ſed debet novas probationes recipere: quia proceſſus laicæ poteſtatis aliquam redolet ſuſpicionem.

Quam culpam, & pænam incurrant violantes immunitatem. Cap. 676.

1 Violator immunitatis Eccleſiaſticæ per extractionem delinquentis à loco ſacro multa gravia peccata committit. Primo peccat peccato Sacrilegii, quia gravem iniuriam facit loco ſacro, in cujus reverentiam conceſſum eſt immunitatis privilegium. Secundo graviter peccat peccato injuſtitiæ, quia delinquens dum in loco ſacro exiſtit poteſt judici per vim extrahenti reſiſtere, ne extrahatur, & laicus non ſolum peccat peccato ſacrilegii, verum etiam iniuſtitiæ, capiendo laicum in loco exempto, cum in ipſum iuriſdictionem non habeat ob privilegium immunitatis: Violator immunitatis Eccleſiaſticæ varias pænas incurrit, nam de jure civili incidit in crimen læſæ majeſtatis: de jure vero Canonico injungitur pęna nonaginta ſolidorum præter pænitentiam publicam judicio Epiſcopi iniungendam ex *Trid. 25. c. 20. de refor.* & pręter ſupradictas pęnas ex jure Canonico recenſitas impoſita eſt etiam pęna excommunicationis: comminatorie tamen ut in multis textibus: ſed de facto in conſtitutione Gregor.

Quænam ſit materia & ſubiectum iſtius culpæ, & pænæ impoſitæ contra violantes immunitatem. Cap. 677.

1 Materia iſtius excommunicationis, & pænarum contra violatores immunitatis Eccleſiaſticæ editarum ſunt actiones in bulla Greg. expreſſæ. Prima actio eſt capere exiſtentem in Eccleſia in caſibus non exceptis, vel non ſervata forma in hac bulla præſcripta, & ideo miniſtri curiæ ſæcularis afficiuntur excommunicatione capiendo in loco ſacro, abſque licentia Epiſcopi, vel abſq; interventu perſonę Eccleſiaſticæ ad hoc ab Epiſcopo deputatæ, quia non ſervat formam in hac bulla præſcriptam, & hoc verum cenſeo, etiam ſi hoc fiat ad bonum finem: quia Greg. prohibet quavis cauſa Secunda actio eſt extrahere: is autem dicitur extrahere, qui per vim trahit aliquem. Tertia actio eſt incarcerare: ideſt in cuſtodiam publicam detinere. Quarta actio eſt extrahere cum magno ſcandalo, dum ſine ſcandalo extrahi poteſt confugiens ad Eccleſiam, quem conſtat patraſſe delictum, immunitatis privationem inducens; & Epiſcopus facultatem illius capiendi renuit concedere: tum enim capere licet cum minori, quo fieri poteſt, ſcandalo, ex quo probabiliter inferri poteſt excommunicationem tunc temporis incurri a miniſtris curię ſecularis, capiendo magno cum ſcandalo exiſtentem in Eccleſia quem alioquin ſine gravi ſcandalo capere potuiſſent, ut ſi vulnera, vel necem infligant, cum alioquin vivum, & illęſum capere potuiſſent. Quinta captum, & extractum de licentia Epiſcopi, vel ſine ejus licentia, dum eam renuit concedere in caſibus in bulla Greg. expreſſis reponere in carceribus curiæ ſecularis: nam in bulla præſcribitur reponi in carceribus curiæ Eccleſiaſticæ: quare ſi miniſtri curiæ ſecularis reponant in propriis carceribus in excommunicationem incidunt, quia attentant aliquid contra formam in hac bulla præſcriptam; nec licet miniſtris curię ſecularis hujuſmodi delinquentem repoſitum in carceribus curię Eccleſiaſticę inde extrahere, donec Epiſcopus, aut alius ab eo deputatus cognoverit, an commiſerit crimen privans immunitate: quamobrem ſi ſecus fiat, excommunicatio incurritur à miniſtris curię ſecularis.

laris. Sexta actio eſt præfatas actiones capiendi, & extrahendi, &c. facere contra perſonas Eccleſiaſticas: etiam ſi reæ ſint criminum expreſſorum in conſtitutione Gregorii: nam hujuſmodi perſonæ gaudent privilegio libertatis Eccleſiaſticæ, quod eſt perſonale, & competit perſonis ratione ſtatus Eccleſiaſtici. Septima actio eſt, attentare contra, vel præter formam in hac bulla præſcriptam: excommunicatio etiam incurritur licet non ſecuta fuerit extractio ſeu carceratio: quia ſufficit actio, qua quis opere extremo tentavit capere, & extrahere nam in textu dicitur (attentare præſumpſerit:) ſic afficitur excommunicatione mandans: quia attentat: & Judex licet, nec mandavit, nec extraxit, quia attentat dum non reſtituit.

2 Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui prætatas actiones faciunt cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant: etiam ſi hoc faciant prætextu privilegii: quia ſummus Pontifex revocat omnia privilegia, & formam in hac bulla præſcriptam ſervari intendit ab omnibus cujuſcumque ſtatus, & conditionis, & ideo privata perſona afficitur hac cenſura: ſi extrahat aliquem ab Eccleſia quia bulla generaliter loquitur, & ſic afficiuntur hac cenſura Epiſcopi, aliique Prælati extrahentes, aut extrahi mandantes contra formam præſcriptam, ſi hoc faciant tanquam laici: ut ſi Epiſcopus Dominium temporale habeat vel ſit officialis principis non autem ſi faciant quatenus utatur auctoritate Eccleſiaſtica.

De Cauſis excuſantibus ab hac cenſura, contra violatores immunitatis impoſita.
Cap. 678.

1 IGnorantia excuſat ab excommunicatione in foro conſcientiæ, quia Greg. verbo præſumptio utitur præſumptio autem ſupponit dolum, & ſcientiam unde excluditur ignorantia, niſi forte ignorantia cum ingenti temeritate conjuncta ſit: in foro autem externo non ſine difficultate iſta excuſatio admittitur; per conſuetudinem non poteſt tolli privilegium immunitatis nam nulla conſuetudo induci poteſt contra jus naturale, vel divinum. Iſta conſtitutio obligat ubi non eſt uſu recepta, quia Pontifex independenter ab acceptatione obligare intendit. Conſuetudo extrahendi aliquem ad Eccleſia, præter caſus in bulla Greg. expreſsos, non prodeſt: quia introduci non potuit, & quia hujuſmodi conſuetudo nondum ſufficienter præſcripta fuit, non ab eo tempore quo editum fuit Conc. Trid. uſq; ad Tempus, quo facta fuit conſtitutio Greg. nec dum elapſum erat tempus ſufficiens ad legitimam conſuetudinem introducendam, ſaltem in ſententia eorum, qui ad præſcribendum contra jus Eccleſiæ requirunt tempus immemorabile, aut ſpatium quadraginta annorum, cum titulo.

Quis poſſit ab hac cenſura abſolvere.
Cap. 679.

1 NUllus Confeſſarius poteſt abſolutionem virtute alicujus privilegii conferre: niſi facultatem ad hunc effectum obtinuit poſt decretum Clem. VIII. in quo cautum eſt quod nullus virtute privilegiorum poſſit abſolvere ab excommunicatione contracta ob violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis felicis recordationis Gregorii XIV. Probabile tamen videtur Epiſcopum poſſe ab hac cenſura abſolutionem conferre facta reſtitutione, ab eo, qui in excommunicationem inciderat, modo eam exibere poſſit; quia nullibi reperitur hic caſus Summo Pontifici reſervatus, & in decreto Clem. VIII. non eſt imminuta poteſtas Epiſcoporum, unde Epiſcopus, vel alius Confeſſarius ad hoc ab Epiſcopo deputatus poteſt abſolvere, & maxime dum crimen eſt occultum juxta decretum Trid. ſeſſ. 24. c. 6. non nego tamen, quod probabilis ſit, & in praxi tutior, & ſequenda opinio aliorum ſimpliciter aſſerentium hanc cenſuram ob violationem immunitatis contractam reſervatam eſſe Summo Pontifici: ſic enim in prætorio Sacræ Pœnitentiariæ decitum fuiſse, & Paulum V. cui hac in re factum fuit verbum annuiſse, teſtantur.

De Blaſphemia.

Quid, & quotuplex ſit Blaſphemia.
Cap. 680.

1 BLaſphemia eſt convitium, ſeu verbum contumelioſum, quod jacitur in Deum, aut in Sanctos. Blaſphemia alia eſt

eſt cordis, & alia oris, nam ore & corde, ſeu mente committitur, & ut aliqui volunt blaſphemia committitur etiam factis, aut ſignis, ut accidit quando quis conculcat imagines ſanctorum, licet ego cenſeo blaſphemiam non conſiſtere proprie in factis; quia Blaſphemia opponitur laudi Dei, quæ ſolis verbis, mente, vel ore, vel ſcripto exhibetur. Blaſphemia item alia eſt ſimplex, & aliis hæreticalis: hæreticalis eſt illa, quæ articulis fidei directe opponitur, ſeu qua aliquid aſſeritur fidei contrarium, qualis eſt hæc. Abnego Deum, aut Fidem, aut Crucem Chriſti, aut Chriſma, quod fronte percepi, aut puritatem Beatæ Virginis, aut Deus eſt injuſtus, ignarus, vel quid ſimile fidei contrarium, in quibus caſibus non ſolum committitur blaſphemia, verum etiam hæreſis modo adſit aſſenſus intellectus cum pertinacia, nam hæreſis conſiſtit in errore intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem. Blaſphemia ſimplex dicitur illa, quæ non opponitur directe articulis fidei, ſeu quæ non continet directe falſitatem contra veritatem fidei: quales blaſphemiæ ſunt illæ, quæ per modos optandi, imperandi, aut impetrandi proferuntur, ut ſi quis dicat maledictus ſit Deus, diſplicet Deo, &c. talis etiam eſt blaſphemia, quia id, quod in Deo reperitur, attribuitur ipſi Deo per modum contumeliæ, & iriſionis; ut ſi quis nominet Chriſti membra pudenda: hæc enim blaſphemia non eſt hæreticalis, ſed ſimplex, quia per ſe conſiderata non continet falſitatem contra fidem: hæc diſtinctio blaſphemiæ in ſimplicem, & hæreticalem diligenter obſervanda eſt, ut quiſque ſciat, quando teneatur Blaſphemum deferre Inquiſitoribus, aut Epiſcopis præcipientibus per edicta blaſphemos denunciari, aut reſervantes ſibi abſolutionem blaſphemiæ, nam edicta loquuntur de blaſphemiis hæreticalibus. Cognitio blaſphemiæ hæreticalis pertinet ad Inquiſitores fidei, non hæreticalis eſt mixti fori, & datur locus præventioni. Omnes autem fideles debent corrigere blaſphemos, dum ſpem habent emendationis.

Quibus modis committatur blaſphemia. Cap. 618.

1 DUobus præcipue modis blaſphemiæ peccatum committitur. I. tribuendo aliquid Deo per contumeliam, quod non habet, ejuſq; divinæ bonitati repugnat, ut appellando Deum injuſtum, crudelem, &c. aut aliquid aufertur, quod illi convenit, ſenſus non eſt Deus, vel ſancti amittant vitam, ſi res non ita eſt, & tamen conſtat in Deum non cadere ullum mali genus, aut vitæ privationem. II blaſphemia committitur exprobando ea quæ Deus habet, ſeu tribuendo Deo, quæ habet, ſed irreverenter, ut jurando per corpus, aut Sanguinem Dei ex indignatione, vel ira contra Deum: quia tribuitur aliquid Deo per contumeliam: ſecluſa autem ira, vel indignatione contra Deum non cõmittitur blaſphemia, jurando per corpus aut ſanguinem Dei, ſed potius eſt juramentum: ſed committit blaſphemiam, qui juramẽtum emittit per pudendas partes Chriſti, & Sanctorum, vocando eas propriis nominibus, tanquam aliquid contemptibile. Tertio committitur blaſphemia maledicendo creaturis, ut creaturæ Dei ſunt, aut blaſphemando res ſacras: quia tribuitur aliquid Deo per contumeliam, quod non habet, aut aliquid auffertur quod habet. Quarto committitur Blaſphemia dum ea, quæ ſunt Dei propria communicantur creaturis, quaſi non ſit ipſe ſolus Deus, quia videtur Deo auferri quod habet. Quinto non committitur blaſphemia dicendo, (Al coſpetto di Dio,) modo proferens non habeat animum proferendi convitium in Deum, quia hæc verba nullam continent injuriam in Deum. Sexto non committitur per ſe loquendo blaſphemia, dicendo. (Poſar Dio, aut poſſenza di Dio) nam hæc verba important ſolum quendam admirationis ſignum contra rem, quæ inſperato accidit: eſſet tamen blaſphemia ſi hæc verba dicerentur animo detrahendi potentiæ Dei Sept. Blaſphemia committitur ab eo qui Deum turpibus verbis laudat, intendens Deum laudare, quia hęc verba contemptum potius, & irreverentiam continent quam laudem: Octavo ille eſt blaſphemus qui dicit (al diſpetto di Di, vel rinego Di.) tacita ultima vocali, nam blaſphemians tribuit Deo quod ei non convenit, vel auffert quod Deus habet. Nono non præſumitur blaſphemia dicendo al diſpetto diquel bacco, che mi tiene, o ſuſtiene al mondo, niſi ex circumſtantiis conſtet proferentem hęc proferre contemptum, & injuriam Dei, quia hujuſmodi verba non magis videntur in Deum cadere, quam in homines. Decimo

mo non committitur blaſphemia dicendo hoc ita verum eſt, ſicut Deum eſſe verum eſt, & ſimilia, quia nihil tribuitur Deo per contumeliam, nec aliquid aufertur.

Cui virtuti blaſphemia opponatur, & quale peccatum ſit. Cap. 682.

1 Blaſphemia opponitur virtuti religionis, quia eſt contraria honori, & laudi Dei, ad religionem autem ſpectat tueri honorem, & laudem Dei, Blaſphemia eſt peccatum mortale ex ſuo genere, quia ex ſua natura gravem infert Deo injuriam, poteſt tamen fieri peccatum veniale ex indeliberatione, & inadvertentia, ratione autem parvitatis materiæ non videtur fieri poſſe peccatum veniale, quia non datur parvitas materiæ in blaſphemia: blaſphemans ex habitu peccat mortaliter, quoties advertit ad pravum habitum, ſeu conſuetudinem, illamq; non conatur evellere, & extirpare, quia voluntarie perſiſtit in mortali periculo, & occaſione proxima blaſphemandi; vel dum blaſphemat cum ſufficienti advertentia, tunc enim blaſphemia eſt in ſe voluntaria, dum verò blaſphemat abſque advertentia ſufficienti ad peccatum mortale, non committit novum peccatum ſed ſolum peccavit in cauſa, quatenus non abſtulit pravam conſuetudinem ad quam advertit, & Blaſphemia prolata abſque advertentia non eſt in ſe voluntaria, & ideo non eſt in ſe novum peccatum. Blaſphemans proximum, non peccat peccato Blaſphemiæ proprie acceptæ, niſi maledicat proximo in ordine ad Deum: peccat tamen mortaliter ſi maledicat proximo ſine ordine ad Deum, cum deſiderio tamen notabilis damni, quia facit contra charitatem, qua debemus proximum diligere: illique bonum, & non malum concupiſcere. Maledicens creaturis irrationalibus non peccat mortaliter, ſi maledicat ſecundum ſe, & propter ipſas, quia non ſunt noſter proximus. Secus ſi non ſecundum ſe, ſed per ordinem ad creaturam rationalem, ſeu ut ſunt bona hominis, quia tunc committitur mortale peccatum.

Utrum Blaſphemia contra Deum differat ſpecie a blaſphemia in Sanctos: & utrum qualitas blaſphemiæ aperienda ſit in confeſſione. Cap. 683.

1 Blaſphemia in Deum ſi conſideretur ut Blaſphemia non differt ſpecie a blaſphemia in Sanctos, ſed eſt ejuſdem ſpeciei gravior, aut levior pro gravitate, aut levitate materiæ: qualitas Blaſphemiæ explicanda eſt in confeſſione, & ſic explicandum eſt an blaſphemia fuerit in Deum, vel in Sanctos, vel in Beatam V. M. in blaſphemia autem contra Sanctos non eſt neceſſe exprimere Sanctum, in quem prolata fuit, quia ſunt ejuſdem ſpeciei.

De Tentatione.

Quid quotuplex & quale peccatum ſit tentatio Dei. Cap. 684.

1 Tentatio Dei eſt actus contra religionem, quo quis abſque juſta cauſa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum de divina protectione, ſcilicet de potentia, de ſapientia, de juſtitia, miſericordia, aliiſque attributis Dei, ut ſi imperitus velit abſque juſta cauſa concionari nulla prævia meditatione, ſeu præparatione, ſperans ſibi à Deo ſuggerendos conceptus: & eſt peccatum contra religionem; unde in definitione dicitur eſſe actum contra religionem. Tentatio Dei alia eſt expreſſa, alia interpretativa; expreſſa contingit dum aliquid fit ea intentione, ut experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione: ut ſi quis petat miraculum, vel ſe præcipitem coniiciat in puteum, ut experiatur an Deus ſe lædi permittat. Interpretativa contingit, quando aliquid fit abſq; intentione expreſſa capiendi experimentum de divina protectione, illud tamen quod fit per ſe, & ſuapte natura ad aliud referri poſſe videtur, quam ad ſumendum experimentum de aliqua Dei perfectione, ut ſi quis velit ſe à cibo continere ad Chriſti imitationem toto Quadrageſimali tempore. aut ſi omiſſa ſchala è turri per aera deſcendat, aut alteri periculo ſe exponat, a quo non niſi extraordinario modo à Deo liberari queat, ſperans ſe à Deo incolumen ſervandum, aut à periculo liberandum; hic enim dicitur inter-

ter-

Digitized by Google

terpretative tentare Deum, cum abſque juſto fine à ſolo Deo liberationem, & effectum expectet, relictis modis à divina providentia conſtitutis. Tentatio Dei ſi fiat abſque juſta cauſa regulariter loquendo eſt peccatum mortale, nam eſt quidam contemptus Dei, & ideo eſt peccatum mortale ex ſuo genere

2 Peccatum mortale tentationis Dei committitur. Primo quando experimentum conjunctum eſt cum aperto gravis damni periculo; ut quando quis gravi laborans infirmitate reſpuit abſq; juſta cauſa medicinas expectans à Deo ſanitatem Secundo quando periculum eſt ſcandali: videlicet quando quis publice abſque neceſſitate petit miraculum ad confirmandam fidem, modo petens non habeat donum miraculorum; aut hoc non faciat ex peculiari Dei inſpiratione, ut alias viri Sancti faciebant Tertio quando fit intentione videndi opus aliquod ſupernaturale, & quando petitur miraculum ex curioſitate, ut res mira cernatur, nam petens agit cum Deo tamquam curioſorum fautore, unde illi magnam infert injuriam: poteſt autem tentatio Dei aliquando eſſe peccatum veniale ratione inconſiderationis, aut ignorantiæ invincibilis, aut indeliberationis, aut parvitatis materiæ, & licitum eſt juſta cauſa interveniente experimentum capere de aliqua Dei perfectione, ut ſi quis prætermiſſis mediis naturalibus ſola oratione contendat à Deo bona temporalia obtinere, ita exigente gloria Dei in caſu aliquo particulari. Tentatio Dei manifeſtanda eſt in confeſſione: quia eſt peccatum mortale ex ſuo genere, & ut peccatum aperiendum eſt in confeſſione, & manifeſtanda eſt intentio, quia præſtitum eſt opus ad tentendum Deum; hæc autem intentio non manifeſtatur, niſi exprimatur an tentatio eſſet tacita, vel expreſſa, & propterea exprimendum eſt in confeſſione, an tentatio Dei fuerit tacita, vel expreſſa.

Circa ſecundum Decalogi præceptum.

Non aſſumus nomen Domini Dei tui in vanum.

De juramento.

Quid ſit Juramentum. Cap. 685.

1 JUramentum, quod à iure dicitur, eo quod loco juris, & legis habendum ſit, definiri poteſt hoc modo. Juramentum eſt invocatio divini nominis in teſtimonium; vel hoc modo, eſt actus, quo divinum nomen fidei faciendæ cauſa adhibemus: & ad juramentum ſufficit tacita Dei invocatio, per tacitam enim Dei invocationem adducitur in teſtem: & dicitur tacita, nam invocatio Dei alia eſt tacita, alia expreſſa: expreſſa contingit quando quis expreſſe adducit Deum ut ſi dicat, *Juro per Deum, Invoco Deum, per Sanctiſſimam Trinitatem, aut per Chriſtum*: tacita contingit faciendo aliquid indicans invocationem Dei in teſtem, licet ipſe Deus explicite non adducatur, ut accidit: Primo quando quis rogatus, ut juret, manu tangit Crucem, vel librum Evangeliorum, vel aliud ſignum facit, quo ſe jurare oſtendit. Secundo tacita Dei invocatio contingit, quando juramentum fit per creaturas, in quibus ſpecialiter relucet bonitas Dei, quando juramentum fit per Sanctos, per animam rationalem &c. dum enim hoc modo juramus, non volumus creaturas nobis eſſe teſtes, ſed Deum, qui in ipſis ſingulari modo reſidet accipitur enim continens pro contento, creatore, ſignum pro ſignato. Cenſetur autem juramentum, quoties creatura in teſtem adducitur. Primo dum adducitur creatura in teſtem ſimul expreſſo nomine Dei in obliquo, ut ſi dicatur per aerem Dei, per ignem Dei &c. quia tunc adducitur in teſtem creatura; ut refertur ad Deum. Secundo, quando in teſtem adducitur creatura tantæ dignitatis, ut in ea ſpecialiter reluceat bonitas Dei, excitetque in nobis ejus memoriam, quando juratur per animam rationalem, vel per Sanctos, vel etiam per Cœlum vel Terram: tunc enim illa creatura cenſetur in teſtem adduci per ordinem ad Deum, quando vero in creatura, quæ in teſtem adducitur, non relucet peculiari ratione bonitas Dei, non cenſetur juramentum, quia non cenſetur creatura adduci per ordinem ad Deum, ut quando dicitur per has veſtes, per hos cap. illos, &c. Creatura autem tribus modis in teſtem adduci poteſt. Primo poteſt adduci tanquam teſtis infallibilis veritatis: & hoc modo adducere creaturam eſt blaſphemia; committitur enim Blaſphemia tribuendo Creaturæ attributum Dei, quale eſt infallibilis veritas, &c. Secundo adduci poteſt creatura quatenus in ea relucet Deus, vel

qua-

quatenus ordinatur ad Deum, & quatenus Deus in ea honoratur, & hoc modo adducere creaturam eſt verum juramentum, quia Deus cenſetur in teſtem adduci: propterea jurans per reliquias, per templa Sanctorum, per habitum Sancti Petri, &c. dicitur verum juramentum emittere. Tertio modo poteſt adduci creatura ſecundum dignitatem, quam in ſe habet non per ordinem ad Deum, ut quando quis dicit per meam conſcientiam, per aerem, &c. adducens creaturam hoc tertio modo non dicitur proprie jurare, quia non intendit Deum in teſtem invocare, ſed ſolum per creaturas tamquam per res humanas, ſuum dictum confirmare. Jurans autem non tenetur vi juramenti, ſi abſque intentione vere jurandi adhibet verba non importantia verum juramentum, ut ſit dicat fide boni Sacerdotis, aut per hanc crucem, & conſulto nullam facit crucem, tunc enim adducit in teſtem Crucem, quam facit, cum autem nullam faciat, nullam crucem in teſtem adducit, unde non jurat, & ſic non tenetur juramento qui ſolum dicit Juro, vel Juro me facturum hoc, nam Deum in teſtem non adducit.

Quotuplex ſit juramentum. Cap. 686.

1 JUramentum multiplex eſt. Primo enim aliud verbis enunciatur, aliud nutu, aut ſigno, aut manu ſublata, aut tactu Evangeliorum, vel reliquiarum, aut ſubſcriptione ſcripturæ in qua continetur juramentum. Secundo aliud ſit per ſimplicem conteſtationem, qua Deus in teſtem adducitur, ut dicendo (teſtor Deum, juro per Deum, &c.) aliud ſit per execrationem, ſeu imprecationem, ut ſi quis dicat (per Dem, non movear hinc, &c.) ſenſus enim eſt, ſi non ita eſt, ut aſſero Deus det mihi mortem, &c. unde jurans falſum in juramento execratorio non ſolum eſt periurus: ſed etiam peccat contra propriam charitatem, ſi ex animo illud ſibi malum imprecatur, & tenetur hanc circumſtantiam confiteri. Tertio aliud ſit per Deum, aliud per creaturas, ut dictum eſt Quarto aliud eſt ſolemne, & aliud ſimplex. Solemne ſit cum certa juris formula ut coram Notario, & Judice tactis Evangeliis, &c Simplex vero non habet illam juris formulam. Quinto aliud eſt aſſertorium, aliud promiſſorium; aſſertorium adhibetur ad aliqua præterita, vel præſentia affirmanda, vel neganda, ut juro per Deum Petrum occiſum fuiſſe à Joanne Promiſſorium vero eſt illud, quo utimur ad aliquid futurum affirmandum, ut per Deum veniam ad talem locum, &c. Sexto aliud eſt abſolutum, aliud conditionale: conditio autem aliquando ponitur à jure; aliquando ab ipſo jurante. Quocumque autem modo fiat juramentum, eſt ejuſdem ſpeciei.

Utrum Juramentum ſit licitum, & quid requiratur ut juramentum ſit licitum.
Cap. 687.

1 JUramentum licitum eſt ex Pſalm. 62. laudabuntur omnes qui jurant in eo, & licet ſit licitum, & bonum non eſt ex eo genere bonorum, quæ ſunt per ſe bona, & frequentanda, ſicut eſt jejunium, oratio, &c. ſed eſt ex eo genere bonorum, quæ bona ſunt poſita neceſſitate, ſicut eſt uſus medicinæ: quæ ſolum prodeſt neceſſitate urgente, & propterea non debet fieri ex quacumque occaſione niſi adſit neceſſitas: ut autem juramentum licite fiat, multæ conditiones requiruntur, quæ his verſibus continentur.

Sit jusjurandum licitum diſcerne notato.
Quis, quod, per quod, a l quid, cur, quomodo, qu ndo.

Particula quis denotat perſonam, quæ iurare debet, non enim omnibus permiſſum eſt judicialiter jurare. Particula cui denotat perſonam in cujus manibus emitti debet juramentum ſolemne, ſeu in judicio: juramentum .n. in judicio fieri debet coram judice competente. Particula quod indicat cauſam materialem, ſuper quam fertur juramentum: cauſa autem materialis debet eſſe res licita, & honeſta. Particula per quod oſtendit per quid juramentum fieri debeat, nempe per ſolum Deum, vel per creaturas, quatenus ad Deum referuntur. Particula ad quid indicat finem juramenti, qui licitus eſſe debet, nam ſi finis malus ſit, juramentum non obligat. Particula cur arguit cauſam concomitantem, & aliqua ratione moventem ad jurandum: quæ cauſa licita eſſe debet; nullus enim moveri debet ad jurandum ex cauſa illicita. Particula quomodo demonſtrat modum,

Digitized by Google

dum, quo fieri debet juramentum: non enim fieri debet per vim, aut timorem, aut ſubito iracundiæ motu. Particula quando, explicat tempus, in quo emitti poteſt juramentum ſolemne: juramentum enim ſolemne non poteſt emitti quibuſcunque diebus, videlicet diebus Dominicis, aut ſolemnibus diebus, niſi magna neceſſitas, aut cauſa pia, aut pax aliter ſuadeat.

2 Tria requiruntur, ut licitum ſit juramentum, ſcilicet, Veritas, Juſtitia, & Judicium. (Jeremiæ. 4. Jurabis, vivit Dominus in juſtitia, in judicio, in veritate,) quia in juramento Deus, qui eſt ſumma veritas, & juſtitia, adducitur in teſtimonium: unde non temere, ſed cum judicio, juſtitia, & veritate adduci debet, quare ſi non eſt verum, vel jurans arbitratur non eſse verum, aut dubitat eſse verum, quod certo jurat, peccat mortaliter peccato periurii, nam deſideratur veritas, unde iuramentum aſſertorium in omni materia etiam levi eſt peccatum mortale: quoties jurans credit non eſse verum, quod aſserit, etiam ſi iuret ex bono, & neceſsario fine, vel cauſa loci. Judicium vero requiſitum in iuramento conſiſtit, ut fiat cum neceſſitate. & reverentia: propterea ſi fiat ſine neceſſitate, vel in re levi, quam non ſit neceſse iuramento confirmare, committitur peccatum defectu iudicii, licet hoc peccatum eſset ſolum veniale, quia non ſit gravis irreverentia Deo, ſed eſt quædam vanitas, & levitas. Juſtitia iuramenti conſiſtit, ut non fiat de re illicita: quia ſit irreverent a Deo, ipſum reducendo in teſtem rei illicitæ, hæc autem irreverentia eſt peccatum grave, aut leve, pro gravitate, aut levitate materiæ, ſupra quam fertur iuramentum: unde iurans ſe fornicaturum graviter peccat, quia gravem Deo facit irreverentiam, ipſum adducendo in teſtem illius quod eſt valde contrarium divinæ legi.

* *Die 2. Martii 1679 Innocentius XI damnavit infraſcriptam propoſitionem. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

De qua re fieri debeat juramentum, ſeu quænam ſit materia juramenti.
Cap. 688.

1 MAteria iuramenti debet eſse res licita, & non peccaminoſa, vel turpis, & illicita, nam juramentum non obligat ſi illud quod promittitur eſt peccatum, vel ſaltem non poteſt ſine peccato adimpleri: juramentum enim, non eſt vinculum iniquitatis, nec obligare poteſt ad malum. Materia etiam juramenti non eſt res indifferens, aut impoſſibilis, aut impeditiva majoris bonis, ſeu contraria divinis conſiliis: imo juramentum non obligat de re indifferente, vel quam melius eſt non fieri, quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otioſum vel contrarium ſuis conſiliis, ſeu ad aliquid impedimentum majoris boni, licet autem juramentum de re indifferente, vel quæ melius eſt non fieri, non obliget, tamen fiat in favorem alterius, quandiu obligationem non remittit, quia adimpletio juramenti in hoc caſu non eſt actus indifferens, ſed actus virtutis, ſcilicet veracitatis, & fidelitatis, & eſt conſervativus propriæ æſtimationis, quæ ſervatur ſtando promiſſis.

Vtrum juramentum factum contra legem civilem obliget, & ſervandum ſit.
Cap. 689.

1 JUramentum factum de re prohibita per legem civilem, quæ primo, & immediate dirigitur ad bonum publicum, non obligat, quia vergit in præjudicium boni communis. Juramentum factum contra legem, quæ primario, & immediate reſpicit favorem, & comodum perſonæ privatæ, obligat, modo non vergat in præjudicium tertii: quia hæc lex immediate fertur in favorem perſonæ privatæ; quælibet autem perſona privata poteſt cedere juri ſuo abſque præjudicio tertii; & ideo ſi cedat juri ſuo cum juramento, validum, & obligatorium erit juramentum.

An promiſſio, juramentum, & alia facta contra prius juramentum valida ſint. Cap. 690.

1 PRomiſſio, aut juramentum factum contra prius juramentum, aut contra votum, aut contra priorem promiſſionem validam non obligat, quia ſecundum juramentum, vel ſecunda promiſſio eſt de re, quæ ſine peccato ſervari non poteſt. Geſta autem contra obligationem juramenti valida ſunt, niſi aliunde ſint irrita: ideo revocatio teſtamenti facta contra jura-

juramentum de non revocando teſtamentum valida eſt, quia juramentum non reddit juramentum inhabilem ad faciendum actum contrarium ex ſe validum, & ideo geſta contra juramentum ſunt valida, niſi hujuſmodi actus, & geſta irritentur à jure: unde ſi mulier juret, ſe non alienaturam fundum dotatem: & poſtea illum alienet abſque judicis auctoritate, alienatio non eſt valida, non quia ſit contra juramentum: ſed quia irritatur à jure.

Utrum ex juramento facto animo ficto oriatur obligatio. Cap. 691.

1 EX juramento facto abſque animo jurandi non oritur obligatio ex vi juramenti coram Deo quia non eſt verum juramentum ſed fictum, apparens, & extrinſecum, in foro autem externo cogeretur ad ſervandum juramentum, ob præſumptionem veri juramenti, & ratione ſcandali, quod oriretur ex tranſgreſſione juramenti, obligatur ſtare juramento facto animo ficto. Sic ex juramento facto animo jurandi, ſed cum animo non ſe obligandi, non oritur obligatio ex vi juramenti: quia Deus non acceptat juramentum niſi ſecundum hominis intentionem. Ex juramento facto cum animo non adimplendi naſcitur obligatio, ex vi juramenti, quia in tali juramento libere, & intentione adducitur Deus in teſtem: ergo ne ſit adductus in teſtem falſi, jurans tenetur illud adimplere: intentio enim adimplendi non eſt de ſubſtantia juramenti, unde etiam ſi jurans habeat intentionem non adimplendi, remanet obſtrictus vinculo juramenti. Quando autem quis jurat animo non jurandi, vel non ſe obligandi, vel non adimplendi committit peccatum mortale, quoties juramentum rationabiliter exigitur, ſic peccat mortaliter jurans animo non adimplendi, quia habet affectum ad peccatum, quod eſt nolle præſtare id, quod præſtandum eſt ex vi juramenti.

An Juramentum, dolo, vel errore præſtitum obliget. Cap. 692.

1 JUramentum non obligat quoties error, & dolus ſunt circa ſubſtantiam rei promiſſa: quoties autem error, & dolus ſunt circa ſubſtantiam deeſt conſenſus, quia jurans non intendit jurare rem illam, ſed aliam; nihilque magis eſt conſenſui contrarium, quam error; etiam ſi error, & dolus ſit ſolum comitans: ideſt etiam ſi jurans cognito errore juraſſet, nam adhuc deeſt conſenſus poſitivus, & actuale voluntarium, ſi autem reſpectu unius partis, dum res eſt dividua, adfuit error, non vero reſpectu alterius, juramentum non obligat reſpectu illius partis circa quam adfuit error, obligat vero reſpectu alterius: quia reſpectu alterius adfuit conſenſus: Juramentum non obligat, quoties dolus, aut error verſetur circa cauſam finalem: ſeu quoties jurans ſecundum prudentem æſtimationem non cenſetur voluiſſe jurare ſi dolum cognoviſſet, quia juramentum non obligat ultra mentem jurantis, jurans autem non cenſetur habuiſſe mentem jurandi, aut ſe obligandi, errore verſante circa cauſam finalem, quia in eo caſu jurans cenſetur jurare ſub conditione, ſi res ita eſt, ſi autem error verſatur circa cauſam extrinſecam, ſeu impulſivam juramentum obligat.

An juramentum metu extortum obliget. Cap. 693.

1 JUramentum metu gravi extortum, etiam ſi injuſte ſit extortum obligat modo ſit de re licita, quia jure naturæ tenemur jurare, & verum ſit quod juramus, ne Deus adducatur in teſtem falſi: effi ceremus Deus adductum eſſe in teſtem falſi non ſervando iuramentum metu gravi extortum. Juramentum metu extortum obligat ſub mortali; nam violans gravem iniuriam Deo facit.

Quinam poſſit juramentum emittere Cap. 694.

1 NOn omnibus permiſſum eſt iurare judicialiter, nam maſculis ante 14. annum, & puellis ante 12. interdicitur iuramentum ſolemne in iudicio in cauſis civilibus: quia non habent ſufficientem rationis uſum, ita etiam repelluntur à iuramento in iudicio periuri, qui in iudicio convincti ſunt, & tamquam periuri condemnati; quia præſumuntur periuraturi, ex quo ſemel periurarunt. Interdicitur etiam Sacerdotibus, & Prælatis iurare in iudicio ſine gravi cauſa, & neceſſitate. Juramen-

Digitized by Google

mentum pręſtari poteſt per nuncium vel Procuratorem, qui non obligatur juramento: ſed ille cujus nomine præſtatur juramentum. Ad juramentum nomine alterius emittendum requiritur. Primo ſpeciale mandatum in cauſa particulari. Secundo qui generalem mandatum dedit ad contrahendum, & jurandum ſuo nomine, non tenetur ex vi juramenti, ſed ex vi contractus ſtare contractibus per procuratorem, mandantis nomine celebratis cum juramento: quia hoc mandatum non eſt legitimum ad jurandum nomine alterius, licet ſufficiat ad contrahendum Tertio juramentum, quod vaſſallus domino feudi facit per procuratores, promittens ſe futurum ei fidelem, validum eſt, modo procurator in hac ſpeciali cauſa peculiare mandatum habeat.

Utrum juramentum ab eo poſſit exigi, qui creditur perjuraturus. Cap. 695.

1 JUramentum licite poteſt exigi ab eo, qui creditur perjuraturus, modo juſta ſubſit cauſa exigendi juramentum, quia non petitur, nec intenditur periurium ſed juramentū, quod alter licite poteſt emittere abſque mendacio: & periurium reſpectu petentis non eſt intentum, ac volitum, ſed cenſetur permiſſum; non autem poteſt exigi juramentum non exiſtente juſta cauſa, ab eo, qui creditur periuraturus; nam quilibet tenetur ex charitate Dei offenſam impedire: quoties abſque ſuo damno, & commode poteſt impedire, & ſic petens juramentum ab eo, abſque juſta cauſa, quem credit periuraturum peccat mortaliter; ſic graviter peccat qui inducit alium ad jurandum id, quod jurans credit eſſe verum, ſed inducens ſcit eſſe falſum. Committitur autem per ſe loquendo majus peccatum ab eo, qui curat adduci falſum Deum, in teſtem veri, ſeu verum jurari per falſos Deos, quam qui curat adduci verum Deum in teſtem falſi; quia jurans per falſos Deos tribuit cultum Dei falſo Deo: quod eſt peccatum Idolatriæ, & Blaſphemiæ oppoſitum primo præcepto, & gravius periurio: jurans vero falſum per verum Deum committit periurium oppoſitum ſecundo præcepto.

Utrum poſſimus jurare alio ſenſu, quam alter intelligat. Cap. 696.

1 SI verò ex ſua ſignificatione duplicem ſenſum habeant, non committitur mendacium illa proferendo juxta ſenſum, quem proferens intendit, etiam ſi audientes contrarium intelligant, quia mentiri eſt ire contra mentem, tunc autem non itur contra mentem, cum verba accipiuntur juxta ſuam propriam ſignificationem: licet autem non ſit mendacium uti verbis alio ſenſu, quam intelligant audientes: non tamen licet abſque juſta cauſa illis uti alio ſenſu, quam communiter percipiant audientes: communis enim hominum converſatio poſtulat, ut verbis eo modo utantur, quo audientes communiter percipiunt, alioquin certitudo, omnium ſermonum, & commercium inter homines tolleretur, multis dolis aperiretur aditus, non autem peccat peccato periuri qui abſque juſta cauſa utitur equivocatione, vel reſtrictione cum juramento, quia non jurat cum mendacio, nec aliud fingit, quam in mente habeat. Qui vero alio ſenſu jurat, quam alter intelligat, non peccat, modo juſtam habeat cauſam ita jurandi, ſeu utendi ambigua oratione, aut tacita reſtrictione, quia jurans non eſt periurus, cum ipſius juramentum fit de re vera juxta eum ſenſum, quem jurans intendit, & propterea qui juramento promiſit latroni centum, addendo tacite in mente ſua ſi debeo, non peccat jurando: quia juſtam habet cauſam ita jurandi, & utendi ambigua oratione, & reſtrictione occulta, nec tenetur ſolvere centum latroni, qua juramentum obligat juxta mentem jurantis, jurans autem intendit ſolvere, ſi debet, cum ergo re vera non debeat, non eſt cur obligetur ad ſolvendum.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptas propoſitiones. Si quis vel ſolus vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quod vis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt perjurus.*

Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet

libet a liam virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Utrum jurans ex conſuetudine peccet mortaliter. Cap. 697.

1 QUi habet conſuetudinem jurandi, ſed non mentiendi, non eſt in ſtatu peccatis mortalis, nec peccat mortaliter, etiam ſi non conetur talem conſuetudinem evellere, quia non cenſetur eſſe in proxima occaſione peccandi mortaliter, quia non contendit evellere, cum illa occaſio non pertrahat ad perjura, ſed ſolum ad juramenta ſine neceſſitate: occaſio autem quæ per rahit ad juramenta ſine neceſſitate eſt tantum venialis: cum non ſit magis mala, quam ſint ipſa juramenta facta ſine neceſſitate: quę conſtat eſſe tantummodo venialia. Qui vero conſuetudinem habet jurandi, & mentiendi: & conjungendi mendacia cum juramento peccat mortaliter, ſi talem conſuetudinem evellere non conetur, quia cenſetur eſſe in proxima occaſione peccandi mortaliter, cum illa conſuetudo inducat ad conjungenda juramenta cum mendacio, & æque exponat periculo jurandi verum, ac falſum. Qui etiam habet conſuetudinem jurandi, & mentiendi, ſed non conjungendi mendacium cum juramento, videtur eſſe in ſtatu peccati mortalis, & peccare mortaliter dum omittit illam extirpare, quia cenſetur eſſe in mortali periculo periurandi, moraliter. n. loquendo aliquando incaute conjunget mendacium cum juramento, & ſic periurabit, & hoc perjurium imputatur in cauſa ratione conſuetudinis, quam non conatur extirpare, unde qui advertit ſe habere conſuetudinem periurandi, ſed non adhibet remedia ad illam tollendam mortaliter peccat, habens autem conſuetudinem jurandi, & mentiendi poteſt abſolvi, ſi firmum habeat propoſitum abſtinendi in futurum ab hujuſmodi juramentis.

An violans juramentum peccet mortaliter. Cap. 698.

1 VIolans juramentum promiſſorium deliberate factum in re magni momenti peccat mortaliter, quia qui violat juramentum promiſſorium, ſeu qui juramentum non adimplet, dum non habet juſtum impedimentum non adimplendi quantum in ſe eſt facit Deum teſtem falſi, & jurans tenetur ſub mortali quantum in ſe eſt ne faciat Deum teſtem falſi: & ad verum juramentum requiritur plena advertentia, & deliberatio: & licet dictum ſit in re magni momenti violans peccare mortaliter: in re etiam parva ſerio promiſſa tranſgrediens juramentum peccat mortaliter. quia quod principaliter requirit in juramento eſt veritas: quę eſt ejuſdem rationis in re parva, & magna; ſicut ergo violans juramentum in re magna peccat mortaliter defectu veritatis ita videtur mortaliter peccare, violans juramentum in re parva.

Utrum obligatio juramenti tranſmittatur ad hæredes, & ſucceſſores jurantis. Cap. 699.

1 OBligatio juramenti præciſe non tranſmittitur ad ſucceſſores jurantis, quia juramentum eſt vinculum perſonæ, quod jurans voluntarie aſſumit; obligatio autem perſonæ non tranſit ad hæredes, laicus ratione juramenti conveniri poteſt coram judice Eccleſiaſtico; quia juramentum eſt res quædam ſpiritualis pertinens ad religionem: & ob id dicitur vinculum ſpirituale, & poteſt etiam coram judice laico conveniri, non enim extrahitur laicus à foro laico ratione juramenti: ſed ſubiicitur etiam foro Eccleſiaſtico nec ob juramentum mutatur forum, ſed additur forum foro, modo juramentum non ſit factum ſoli Deo, nam de hujuſmodi juramento ſolus Judex Eccleſiaſticus cognoſcit.

Quomodo explicandum ſit juramentum. Cap. 700.

1 JUramentum cadens ſupra propoſitum vel promiſſione habentem tacitam conditionem ex intentione jurantis, vel ex diſpoſitione juris, vel ex conſuetudine

jam recepta eo modo explicandum eſt, quo explicatur, & obligat ipſa promiſsio, quia juramentum ſo titur conditiones actus ſuper quem cadit, ut qui promiſit aliquid Titio cum juramento non tenetur ſtare promiſſioni, ſi Titius fiat ingratus, nolitque ſuam promiſsionem ſervare, nam promiſsio cenſetur facta cum tacita promiſsio e, ſi ſtet promiſsis, ſeu ſi ſe ingratum non præbuerit,

2 Juramentum in dubio ita explicandum eſt, ut quantum fieri poteſt minus obliget ſervata verborum proprietate; juramentum igitur non ludendi explicandum, & intelligendum de ludo illicito, non vero de licito, qui rec eationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter conijciatur de jurantis intentione, quia hæc videtur eſſe benigna intentio jurantis & quia juramentum reſtringendum, eſt ut quantu n fieri poteſt minus obliget nam ubi agitur de obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt.

Quibus modis tollatur, aut impediatur obligatio juramenti.
Cap. 701.

1. Obligatio juramenti dupliciter impediri poteſt, ne inducatur, Primo per legem deſtruendo omninò contractum humanum, ſupra quem cadit, hoc pacto Tr. ſeſſ 25. c 5. irritare videtur renunciationem bonorum, etiam cum juramento factam ante duos menſes præcedentes profeſſionem, unde obligatio iuramenti ceſſat poſtquam reſciſſus eſt à Judice Eccleſiaſtico, vel Civili contractus juratus; quia juramentum eſt acceſſorium contractui, ſeu pro iſſioni ſicut ergo promiſſio hanc habet tacitam conditionem, niſi promiſſio remittatur à promiſſario, vel reſcindatur à Judice, ita etiam eandem conditionem habet juramentum. Secundò prohibendo executionem ita ut ſine peccato nequeat adimpleri, cùm enim juramentum non obliget ad peccatum, nec ſit vinculum iniquitatis, dicendum eſt ipſius obligationem impediri, dum ipſius executio prohibetur, unde lege civili impediri poteſt obligatio juramenti, ne inducatur: quamvis enim ſuprèmus Princeps non poſſit immediatè, & directè irritare vinculum juramenti, ut pote ſpi ituale, & ipſius facultatem ſuperans: poteſt tamen indirectè, & remote; quatenus poteſt deſtruere contractum antequam celebretur, vel quatenus poteſt executionem contractus ſub culpa prohibere.

2 Obligatio juramenti jam inducta quatuor modis auferri poteſt, Primo mutatione materiæ, ut ſi materia juramenti fiat illicita, aut impoſsibilis: juramentum enim generale ſervandi ſtatuta intelligitur de licitis, & poſſibilibus. Secundo remiſsione, ſeu relaxatione ejus in cujus favorem factum eſt juramentum: is enim cedere poteſt juri ſuo, etiam abſque juſta cauſa, remittendo rem ſibi debitam, etiam ſi juramentum factum ſit in modum voti, ut ſi voveas Deo; & jures te daturum certo pauperi eleemoſynam, liber eris ab obligatione voti, & juramenti ſi pauper condonet obligationem. Tertio tollitur obligatio juramenti irritatione facta per Superiores, quibus ſubiecta eſt materia juramenti, non autem tollitur; quando Superior conſenſit in juramenta ſubditorum, nec juramenta reviviſcunt poſt mortem irritantium: quia obligatio ſemel extincta non reviviſcit. Quarto obligatio juramenti tollitur per commutationem, aut etiam per diſpenſationem; juramentum factum in favorem hominis, qui illud acceptavit, non poteſt commutari, aut diſpenſari nolente eo in cujus favorem factum eſt, quia ſuperior non poteſt tollere jus alterius ſine urgentiſsima cauſa; ſi autem injuria præceſsit, aut aliqua turpitudo verſatur ex parte recipientis juramentum, cenſeo tale juramentum relaxari poſſe non ſolum à Papa, ſed etiam ab Epiſcopo. Juramentum autem factum in honorem Dei, ut ſi quis juravit recitare officium, pot. ſt hoc juramentum ab eo relaxari, qui facultatem habet o dinariam commutandi, & relaxandi, modo adſit juſta cau a: Hujuſmodi autem juramenta facta in honorem Dei poteſt ipſemet jurans commutare in evidenter melius: aut in rem evidenter æque bonum, quia poteſt commutare vota, ergo etiam juramenta.

De Adjuratione. Cap. 702.

1 Adjuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, cujus reverentia intendimus alterum promovere ad aliquid præſtandum, & eſt duplex, deprecativa, quæ fit deprecando, & imperativa, quæ fit præcipiendo, & timorem incutiendo per conteſtationem re

rerum ſacrarum. Adiuratione imperativa utimur erga ſubditos, non autem in non ſubditos: Dæmones non adiurantur adiuratione deprecativa, quæ fieri non poteſt ſine ſubiectione, ſubmiſſione, & ſocietate; quæ cum ipſo prorſus eſt illicita: ſed adiurantur adiuratione imperativa; quia Eccleſia ſpecialem habet in Dæmones poteſtatem: Lucæ 20. Domine etiam Demonia ſubiiciuntur nobis. Adiuratione vero deprecativa utimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines ad aliquid deprecandum, ut patet ex communi Eccleſiæ uſu, quæ verbis adiuratoriis finem orationibus imponit, Per Dominum noſtrum, &c.

2 Sola rationalis creatura congruenter adiurari poteſt; quia ipſa ſola poteſt reverentia rerum ſacrarum, & amore, vel timore Dei compelli ad aliquid agendum, creaturæ vero inanimatæ per ſe non adiurantur, ſed quatenus reſpiciunt creaturam rationalem: ob id aqua. vel ſal exorcizatur, ut in ejus uſus Deus aſſiſtat, Diaboli vires contundat, eumque expellat: itaut in illius uſu nocere nequeat, facultas adiurandi Dæmones, eoſque expellendi competit ſolis habentibus ordinem exorciſtarum, quoties adiuratio fit juxta publicam formam ab Eccleſia præſcriptam, & juxta ritum exorciſmorum. Adiuratio differt à juramento; quia in juramento adducitur Deus in teſtem, in adiuratione vero adducitur Deus, ſeu res ſacra, ut ejus amore. vel timore reſpetita obtineatur. In adiuratione poteſt aliquando peccatum committi, nam in adiuratione defectu judicii committitur culpa venialis, quoties ſine debita reverentia, & neceſſitate adiuratur Deus aut Sancti; defectu juſtitiæ committitur peccatum, quando Deus adiuratur ad rem aliquam illicitam faciendam, & hoc peccatum eſt grave, aut leve juxta gravitatem, aut levitatem rei ob quam obtinendã adiuratur Deus, vel Sancti: defectu veritatis poteſt committi culpa idolatriæ, quando falſus Deus adiuratur: poteſt etiam defectu veritatis committi culpa venialis, dum adiuratio fit ſine voluntate obtinendi, quod petitur per Dei nomen, tunc n. fit aliqua Deo irreverentia.

De Voto.

Quid ſit votum. Cap. 703.

1 Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo bono melior, & debet eſſe promiſſio, quia non ſufficit propoſitum ad votum, quia propoſitum nullam inducit obligationem ad mortale, aut veniale, & propoſitum eſt variabile: promiſſio autem debet eſſe deliberata: quia nemo cenſetur ſe velle obligare, niſi plenam habeat deliberationem ejus quod facit; unde ſi ſemiplenam tantum habeat deliberationem votum non tenet, nec obligat ſub mortali, aut ſub veniali, quando autem dubitatur an votum factum ſit ex ſufficienti deliberatione, judicandum eſt ex ſufficienti deliberatione factum fuiſſe, unde obligat, quia communiter votum fieri ſolet cum deliberatione, quæ deliberatio ſufficit ad votum ſi ſit virtualis, præſertim in voto in ſe volito, & promiſſio debet eſſe voluntaria, nam votum involuntarie factum non habet vim voti, unde promiſſio per errorem, vel dolum circa ſubſtantiam, vel cauſam finalem extorta non habet vim voti, quia non adeſt ſufficiens voluntarium circa votum. Vota autem poſſunt fieri ſoli Deo, cum enim votum ſit actus Religionis, quæ reſpicit Deum, illi ſoli fieri poteſt mediate, vel immediate, tacite, vel expreſſe, unde vota quæ fiunt Sanctis, dicuntur fieri ipſis, quia fiunt Deo in Sanctis: hoc eſt vovemus Deo, nos facturos illud, quod Sanctis promittimus, votum etiam fieri debet de bono aliquo meliori, quia materia voti non obligat, niſi ejus materia bona ſit, & honeſta, & dum dicitur votum debere eſſe de meliori bono, particula, de meliori, non ita intelligitur, ut id quod vovetur debeat eſſe optimum, ſed ita intelligitur, ut ſit melius quam ejus oppoſitum: nam materia illius debet eſſe aliquid Deo gratum, id autem eſt Deo gratum, quod eſt melius, quam ejus oppoſitum, & propterea nos poſſumus vovere opera, ad quæ tenemur ex alio præcepto: quia ſunt bona meliora, quam eorum oppoſita. Votum vero operum ex alio præcepto debitorum novam obligationem inducit, & violans hujuſmodi votum novam culpam committit contra Religio-

Digitized by Google

nem, & hęc circumſtantia neceſſario explicanda eſt in confeſſione.

1 *Quotuplex ſit votum. Cap. 604.*

VOtum multiplex eſt. Primo aliud eſt reale, aliud perſonale, aliud mixtum. Perſonale, quo Deo promittitur aliqua actio ipſius perſonæ, vel aliqua ommiſſio, ut votum Jejunii, &c. Reale, quo res aliqua promittitur Deo ut eleemoſyna &c. Miſtum, cum includit perſonale, & reale. Secundo aliud eſt temporale quod durat uſque ad certum tempus, aliud perpetuum quod durat uſque ad vitam voventis. Tertio aliud eſt commune, quod emittitur à communitate, ſive ab omnibus, aliud particulare, quod quiſque emittit. Quarto aliud eſt expreſſum, quod verbis exprimitur, aliud tacitum, quod non fit verbis, ſed quatenus aliquid fit, cui eſt adnexum votum, ut in voto caſtitatis quod emittitur per ſuſceptionem ſacrorum ordinum Quinto aliud eſt ſimplex, quod conſiſtit in nuda promiſſione, aliud ſolemne, quod conſiſtit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis accepta ab eo, qui vicem Dei tenet, ut votum Religionis in profeſſione. Sexto aliud eſt reſervatum, aliud non reſervatum, quatenus Superiori denegat, vel concedit facultatem diſpenſandi. Septimo aliud eſt conditionale, quod fit ſub aliqua conditione, aliud abſolutum quod ſub nulla conditione concipitur, conditionale vero ſubdividitur in pænale, & non pænale. Pænale fit appoſita aliqua pena. Votum igitur factum ſub conditione contra naturam, & ſubſtantiam voti, aut rei, quæ voto promittitur, vel ſub conditione impoſſibili, vel ſub conditione turpi, eſt invalidum. Votum autem factum ſub conditione honeſta coutingente obligat adimpleta conditione.

Quando nam irritum reddatur votum defectu libertatis, & intentionis ipſius voventis.

An votum factum per metum ſit validum. Cap. 705.

1 VOtum factum ex metu gravi illato à cauſa intrinſeca validum eſt, & obligat, ut qui vovet ad vitandum naufragium dum in mari exiſtit, valide vovet, quia vovet ex metu incuſſo à cauſa intrinſeca. Votum factum ex metu gravi incuſſo ab extrinſeco non ad extorquendum votum ſed ad alium finem validum eſt, ut qui damnatos juſte, vel injuſte ad triremes votum emittit, ut ab hac pœna liberetur, eſt validum, nam metus non eſt incuſſus ad extorquendum votum. Votum factum ex metu gravi injuſte incuſſo à cauſa extrinſeca, ſeu libera ad extorquendum votum, invalidum eſt ſaltem jure Eccleſiaſtico, modo vovens cognoverit illum metum ſibi incuti ad extorquendum votum; Votum autem factum ex metu levi, & non cadente in conſtantem virum, eſt validum; metus autem juſte incuſſus non irritat votum.

Utrum votum factum per errorem, aut dolum ſit validum. Cap. 706.

1 VOtum factum per errorem, aut dolum verſantem circa ſubſtantiam, & rem promiſſam non obligat: nihil enim eſt magis contrarium conſenſui, quam error: de ratione autem voti eſt, ut ſit promiſſio voluntaria, ſi autem error contingat ſolum circa extrinſeca, non reddit irritum votum, ut ſi vovens peregrinationem nequeat votum adimplere ſine periculo valetudinis, aut vitæ: votum enim has tacitas conditiones includit, ſi potuero, vel ſi licuerit; votum ſimplex factum per errorem, & dolum circa cauſam finalem, & motivā non eſt validum, quia hujuſmodi votum cenſetur factum ſub tacita conditione, ſi cauſa finalis, & motiva ſubſiſtat, cauſa autem finali non ſubſiſtante votum non ſubſiſtit: votum autem ſolemne factum in profeſſione, vel in ſuſceptione ſacrorum ordinum, non irritatur per dolum, & errorem circa cauſam finalem ut qui falſo credens ſe inſtitutum hæredem, vel legatarium, vovit eleemoſynam, vel quid aliud, non tenetur votum adimplere cognito errore, nam votum cenſetur factum per errorem verſantem circa cauſam finalem, vovens enim votum emiſit ob hæreditatem, vel legatum, quod ſibi relictum eſſe falſo extimabat. Ceſſante cauſa finali voti, vel juramenti etiam ipſius obligatio ceſſat: unde qui vovit non tranſire per aliquam domum eo quod ibi habitet mulier fornicaria, cum qua peccare conſuevit, poteſt

teſt per illam domum tranſire poſtquam mulier receſſit ab ea domo, ceſſat enim cauſa finalis voti. Votum factum per dolum, vel errorem circa cauſam tantum impulſivam validum eſt: quia adeſt ſufficiens voluntarium, unde Titius tenetur adimplere votum, quo vovit dare eleemoſynam Cajo, ex motivo paupertatis: ſed libentius vovit, quia extimabat Cajum eſſe virum probum, & doctum: ſed poſtea comperit virum eſſe improbum, vel indoctum, nam cauſa finalis, & motiva voti ſubſiſtit: quamvis non ſubſiſtat impulſiva, quæ eſt probitas, & doctrina.

De Materia voti.

Vtrum opus malum poſſit eſſe materia voti. Cap. 707.

1 Opus malum non poteſt eſſe materia voti, unde ſi votum fiat de re mala invalidum eſt, vel de re illicita: ſic votum invalidum eſt quoties promittitur aliquid ad conſequendum finem malum, ut ſi quis voveat Eleemoſynam, ut obtineat vindictam: & committit duplex peccatum qui vovet opus malum, vel bonum ad malum finem; unum propter affectum quem vovens habet ad prarum opus, vel ad prarum finem: alterum contra Religionem voti, cum faciat irreverentiam Religioni, volendo ſe ad peccarum obligare: hoc autem eſt peccatum mortale ſi materia, vel finis eſt mortalis, nam vovens facit gravem irreverentiam Deo contra Religione, volendo ſe per votum obligare ad peccatum grave.

Vtrum votum de re indifferente ſit validum, ſeu utrum res indifferens poſſit eſſe materia voti. Cap. 708.

1 Res dicitur indifferens, quæ non habet rationem boni, aut mali. Votum de re indifferente non eſt validum, unde invalidum eſt votum, quo quis vovit non abſcindere ungues die Sabbati in honorem B. Virginis, nam licet honos intentus ſit bonus, tamen abſtinere à reciſione unguium nihil confert ad honorem Dei, concedo tamen rem indifferentem poſſe eſſe materiam voti, & votum de ea factum obligare, concurrentibus his quatuor conditionibus. Prima eſt, ut adſit bonus finis, ut vo um factum non tranſeundi per aliquã viam ad vitandam peccati occaſionem: tunc enim licet non tranſire per talem viam ſi res ſit ex ſe indifferens, tamen ratione boni finis cohoneſtatur, & validum eſt votum. Secunda conditio eſt, ut res indifferens, quæ eſt materia voti conducat, & inſerviat ad talem bonum finem: ut votum non comedendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptiſtæ invalidum eſt: quia materia hujus voti non inſervit honori S. Joannis, Tertia conditio eſt, ut in voto rei indifferentis ille finis honeſtus intendatur ab ipſo vovente: quia ſi finis non intendatur à vovente res manet indifferens: ſi vero finis honeſtus intendatur ad eo cohoneſtatur. Quarta conditio eſt, ut honeſtas finis, ob quem res indifferens fuit voto promiſſa, nondum ceſſaverit, alioquin ad huc eſſet indifferens; ex quo fit ut votum non ingrediendi talem Domum ob periculum fornicandi cum Berta, quæ habitat ibi, obligat quamdiu Berta ibi habitat, & dum eſt periculum cum ea fornicandi, ſed ſi periculum fornicandi ſublatum ſit, aut Berta domicilium mutaverit, tunc vovens poterit eam domum ingredi: quia ceſſavit finis honeſtas, propter quem votum factum fuerat: quando autem dubitat an materia promiſſa ſit indifferens, vel bona, tenetur votum adimplere: quia in dubio jus præſumit pro valore actus; idem dicendum quando dubitatur an materia promiſſa ſit poſſibilis, vel impoſſibilis, vel licita.

Vtrum materia, quæ vovetur debeat eſſe in noſtra poteſtate. Cap. 709.

1 Materia quæ vovetur debet eſſe in poteſtate voventis, quia nullus rationabiliter alteri promittit, quod non eſt in ſua poteſtate; unde votum de non moriendo non eſt validum nam non eſt in poteſtate voventis nolle mori, nobis enim moriendum eſt velimus, nolimus. Cenſeo validum eſſe votum numquam peccandi venialiter, aut mortaliter, ſeu nunquam peccandi quia lex naturalis divina obligat ad omnia peccata vitanda: Invalida ſunt vero illius, qui duo vota ſimul emiſit incompoſsibilia, volens ſe ad utrumque pro eodem tempore obligare, nam eſt votum rei Impoſsibilis, ideo invalidum eſt votum.

L 1? Vtrum

Utrum validum ſit votum cujus materia partim eſt bona, & partim indifferens, partim poſſibilis, & partim impoſſibilis, partim honeſta, & partim turpis. Cap. 710.

1 QUando materia voti partim eſt bona, & partim indifferens, partim poſſibilis, & partim impoſſibilis, partim honeſta, & partim turpis, validum eſt votum quo ad partem poſſibilem, & honeſtam, quæ ſeparari poteſt à parte indifferente, impoſſibili, & turpi, quia hoc votum cenſetur factum per modum plurium votorum, conſequenter quamvis votum rei indifferentis, vel turpis, vel impoſſibilis ſit invalidum, tamen validum eſt votum rei bonę honeſtæ, & poſſibilis, modo vovens non promiſerit rem bonam, & malam per modum unius, vel unam dependenter ab alia: tunc enim ad neutram partem tenetur, ſi alteram adimplere nequeat; quia vovens, non intendit ſe ad unam partem obligare niſi etiam ſe obligaret ad aliam: cum autem non potuerit ſe obligare ad alteram quæ non eſt apta materia voti, ſit ut neque obligetur ad illam, quæ eſt apta materia voti: unde qui vovit adire Romam, cauſa devotionis genibus flexis: tenetur adire Romam, quamvis adire Romam genibus flexis nequeat: nam materia hujus voti, quo ad hanc partem eſt poſſibilis, nec vovens præſumitur unam partem voviſſe dependenter ab altera.

Utrum validum ſit votum diſiunctivum, cujus una pars eſt apta materia voti, altera vero non. Cap. 711.

1 INvalidum eſt votum diſiunctivum, cujus una pars eſt materia voti, altera vero non, modo re vera votum factum ſit ſub forma diſiunctiva de re, cujus una pars erat apta materia, altera vero inepta eo tempore, quo votum fuit emiſſum, ut ſi quis vovit inſervire Hoſpitali, vel ſurari; quia in voto diſiunctivo obligatio cadit ſupra utramque partem, ita tamen, ut voventi liberum ſit eligere quam partem voverit, cum obligatio voti in noſtro caſu non poſſit cadere ſupra materiam ineptam, ſequitur volentem nullo pacto remanere obligatum ex vi voti diſiunctivi: ſic votum tradendi eleemoſynam, aut fornicandi, invalidum eſt, quia eſt votum diſiunctivum, cujus una pars eſt apta voti materia, altera inepta.

An votum, promiſſio, & geſta contra prius votum ſint valida. Cap. 712.

1 PRomiſſio de re aliqua contra prius votum validum eſt invalida, quia promiſſio de re illicita non obligat: promiſſio autem de re aliqua contra prius votum validum, eſt promiſſio de re illicita: unde qui vovit caſtitatem, & poſtea promittit alteri matrimonium, invalide promittit: quia eſt promiſſio de re illicita, & promittens non poteſt licite matrimonium celebrare, ob votum caſtitatis. Geſta rei ex ſe licitæ contra prius votum valida ſunt, quia votum non reddit voventem inhabilem ad agendum, ergo ipſius acta ſunt valida: ideo validum eſt matrimonium factum ab eo, qui ſimplex votum caſtitatis habet: graviter tamen peccat contrahendo, quia facit contra votum caſtitatis, nam eſt actus rei ex ſe licitæ.

De Obligatione voti.

Utrum votum obliget ſtatim ad ſui adimpletionem ſeu quo tempore adimplendum ſit votum. Cap. 713.

1 QUando vovens non præſcripſit tempus adimplendi votum, tenetur adimplere quam primum commode moraliter poteſt, niſi juſtam differendi cauſam habeat. Deut. 23. Cum votum voveris Domino, non tardabis, ſolvere: non autem voventis tenetur ſub mortali adimplere votum ſtatim metaphyſice, ſed ſtatim moraliter, ut videlicet notabiliter non differat adimpletionem voti: & ideo ſi nacta opportunitate adimpletionem voti differat notabiliter, peccat mortaliter: ſicut etiam peccat mortaliter, ſi votum factum ſine determinatione temporis non adimplet, prævidens fore, ut niſi tunc adimpleat differenda ſit poſtea notabiliter illius adimpletio, aut ſuperventurum ſit perpetuum impedimentum: cum enim votum tunc obliget, & poſſit adimpleri adimplendum eſt. Quarto autem vovens tempus adimplendi votum ſibi præſcripſit debet

debet adimplere tempore præſcripto, nam votum adimplendum eſt juxta voventis intentionem, à qua obligatio voti pendet, ideo habens votum jejunandi tali die peccat mortaliter, ſi die præfixo non jejunet, poteſt autem lapſo eo tempore votum perſolvere: quando tamen votum non ſit factum in honorem, & devotionem illius temporis, ut ſi ex devotione B. V. promiſit jejunare Die Sabbati, non tenetur lapſo eo die jejunare: ſed ſi factum ſit votum abſolute, & ſimpliciter, tempus autem fuit adiectum non ex devotione, aut intuitu ipſius temporis, ſed ut votum intra illum terminum ſtatim adimpleatur, & non ultra differatur, vovens tenetur adhuc votum adimplere lapſo eo tempore.

Utrum obligatio voti tranſeat ad hæredes, ſeu an hæres teneatur adimplere vota defuncti. Cap. 714.

1 HÆres non tenetur perſolvere vota perſonalia, quæ defunctus non adimplevit; quia materia voti debet eſſe in poteſtate voventis: actio autem hæredis non eſt in poteſtate voventis. Hæres tamen poſtquam hæreditatem adiit, tenetur ſalva legitima portione ſolvere vota realia; quæ defunctus non perſolvit, quamvis enim obligatio voti ſit perſonalis; nihilominus, quia votum reale cadit ſupra rem aliquam defuncti, quæ traſmittitur ad hæredes, ſequitur etiam ad hæredes traſmitti obligationem voti realis: quapropter hæres cogi poteſt ſub pœna excommunicationis, aut privationis hęreditates ad hæc vota perſolvenda, non autem tenetur ultra vires hæreditatis ad vota perſolvenda realia hæres, licet non confecerit inventarium, vel etiam ſi per Judicis ſententiam condemnetur. Hæres tenetur votum mixtum quo ad partem realem perſolvere, quoties votum mixtum eſt æqualiter reale, & perſonale.

Utrum votum ita obliget voventem, ut vovens nequeat per alium adimplere votum perſonale, reale, aut mixtum. Cap. 715.

1 VOtum perſonale ſimpliciter factum non poteſt per alium adimpleri; quia materia voti perſonalis eſt actio propria ipſius voventis, non actio alterius, & ſic votum perſonale non poteſt per alium adimpleri, & ideo vovens non tenetur per alium votum perſonale adimplere, dum factus eſt impotens ad votum adimplendum, ſive ſit factus impotens propria culpa, ſive ſine propria culpa. Vovens, qui non poteſt adimplere votum reale per ſe ipſum tenetur adimplere per alium, quia materia hujus voti non eſt actio ipſius voventis, ſed res, cum autem res poſſit per aliū exiberi, ſequitur voventem debere votum reale adimplere per alium: ſi per ſe ipſum adimplere nequeat. Votum mixtum non poteſt per alium adimpleri, ſi ſpectetur ſecundum eam partem, quæ perſonalis eſt: ſi vero conſideretur ſecundum partem realem debet adimpleri per alium quoties vovens non poteſt per ſe ipſum adimplere: modo votum ſit æqualiter reale, & perſonale, & non ſit reale tantummodo acceſſorie, ut qui vovit peregrinationem Lauretanam, quam poſtea non poteſt ſuſcipere, non tenetur in eleemoſynam conferre ſumptus, quos feciſſet in ea peregrinatione, nam ſumptus ſe habent tantummodo acceſſorie ad votum perſonale peregrinationis.

Utrum ſit peccatum violare, & non adimplere votum. Cap. 716.

1 VIolatio voti ex ſuo genere eſt peccatum mortale: ſic decernitur ab Innocentio Conſt. licet de voto, niſi inadvertentia, vel parvitas materiæ excuſet. Qui dubitat an votum emiſerit, non peccat non adimplendo votum, quia in dubio juris melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Quando autem materia voti non ſolum eſt debita ex obligatione voti: verum etiam ex alio præcepto: violans votum committit ſaltem duo peccata, unum contra religionem voti, aliud contra præceptum quia adeſt privatio duplicis perfectionis: ergo ſunt duo peccata. Vovens ſufficienter adimplet votum dum abſque intentione adimplendi votum, vel nihil cogitans de voto, obſervat rem promiſſam, ille, quem pænitet voviſſe, non peccat mortaliter, modo non habeat intentionem ommittendi rem promiſſam, vel non adimplendi votum: peccaret tamen mortaliter ſi haberet intentionem non adimplendi votum in re gravi.

Ad quid obligat votum caſtitatis, & non nubendi. Cap. 717.

1 QVi habet votum caſtitatis, aut virginitatis tenetur abſtinere non ſolum ab illicitis actibus venereis internis; verum etiam contractu matrimonii & actibus matrimonialibus, quia per contractum matrimonii contrahitur obligatio ad copulam: Virginitas vero, & caſtitas important obligationem abſtinendi ab omni copula: unde peccat mortaliter fornicando aut alteri venereæ delectationi conſentiendo. Circa vero delectationem veneream committi poteſt peccatum tantummodo veniale defectu plenæ advertentiæ, aut conſenſus; ratione vero parvitatis materiæ communior, & tutior Doctorum ſententia ſuſtinet, non dari peccatum veniale in materia luxuriæ. Qui votum habet non nubendi, peccat nubendo, facit enim contra votum, contracto tamen matrimonio poteſt petere, & reddere debitum, quia votum non nubendi, non æquivalet voto caſtitatis: ſed ſolum importat negationem ſtatus matrimonialis: quæ negatio cum facta ſit impoſſibilis per matrimonium jam contractum, ſequitur obſtrictum eo voto poſſe licite petere, & reddere debitum etiam ſi habeat cauſam divortii: nec peccat fornicando: aliud enim eſt votum non nubendi, & aliud votum non fornicandi: peccabit tamen, ſi ſemel diſſoluto matrimonio de novo contrahat, nam matrimonio diſſoluto tenetur abſtinere ab alio contrahendo, cum abſolute voverit non nubere, & poſſit hoc votum adhuc obſervare.

Ad quid obliget votum Religionis. Cap. 718.

1 BOnum opus eſt & meritorium vovere, aut alios inducere ad Religionem: quia ſtatus Religionis eſt ſtatus perfectionis. Qui vovit ingredi certam aliquam Religionem: licet non teneatur ingredi dum in ea non ſervatur regula quo ad ſubſtantialia, tenetur tamen ingredi dum in ea Religione viget regularis obſervantia; quia tenetur ſtare voto, & promiſſioni factæ Deo: quamquam poterit aliam præſtantiorem, & arctiorem ingredi ſi voluerit: quia votum non eſt impeditivum majoris boni: ſecluſa vero diſpenſatione non poterit aliam minus arctam adire, aut in ea perſeverare ante profeſſionem: hoc enim pacto non adimplere votum, & promiſſionem Deo factam: facta tamen profeſſione poteſt in ea permanet: quia Religioni per profeſſionem acquiſitum eſt jus in profeſſum. Qui vovit alicujus determinatæ Religionis inſtitutum, ſeu profeſſionem, & ad illam non fuit admiſſus, liber eſt ab obligatione voti: quia vovens non ſe obligavit ad Religionem à qua repellitur, modo non ſtet per ipſum voventem ne recipiatur: nam ſi per ipſum ſtat ne recipiatur, non eſt liber à voto, quia nulli propria culpa patrocinatur, & votum Religionis obligat voventem ad faciendum quantum in ſe eſt, ut votum adimpleat: Qui vero vovit ſimpliciter Religionem, liber eſt ab obligatione voti ſi poſt ingreſſum exeat à Religione ante factam profeſſionem, modo nihil de profeſſione deliberavit dum vovit: quia hujuſmodi votum cenſetur factum juxta diſpoſitionem juris concedentis annum novitiatus, in quo ingrediens Religionem poſſit experiri an ſtatus Religioſus, & illius vitæ genus ſibi placeat: ſi ergo hujuſmodi vitæ genus, ſeu ſtatus non placeat voventi, poteſt vovens abſque voti violatione exire, ſi autem vovit de profeſſione, & intendit profiteri, non eſt liber à voto, ſi poſt ingreſſum exeat, quia tenetur adimplere juxta id quod intendit: ſed intendit profiteri, ergo tenetur profiteri.

Quomodo explicandum ſit votum. Cap. 719.

1 VOtum explicandum eſt juxta intentionem voventis, & ideo adimplendum eſt ſecundum eas circumſtantias, quas vovens vovit, & ad quas ſe intendit obligare; ſi vero nullas determinavit circumſtantias, nec ad aliquas ſe obligavit, nec conſtat de ejus intentione, ſervandę ſunt tres regulę. Prima eſt, ut attendātur verba, quibus emiſſum eſt votum, & juxta communem illorum intelligentiam votum explicetur. Secunda regula, eſt ut votum ſtricte explicetur quantum fieri poteſt, ſervata verborum proprietate communi intelligentia, quia periculum peccati vitatur ſtricte explicando votum, quantum

tum fieri poteſt. Tertia regula eſt, ut quando dubitatur de intentione voventis, ſervetur materia voti, ac ſi eſſet materia alicujus legis divinæ, vel humanæ: votum enim eſt quædam lex privata, cujus auctor, & conditor eſt ipſe vovens.

De Cauſis, & modis, quibus obligatio voti tollitur.

Utrum obligatio voti tollatur ceſſatione cauſæ aut notabili mutatione ſuperveniente. Cap. 720.

1 OBligatio voti ceſſat ſublata cauſa finali, propter quam factum fuit votum; ſic etiam obligatio voti ceſſat quoties ſupervenit notabilis mutatio, & difficultas; quæ ſi præciſa fuiſſet, votum judicio prudentis factum non fuiſſet, quia votum non obligat ultra voventis intentionem: vovens autem non præſumitur habuiſſe voluntatem obligandi ſe ſuperveniente tali mutatione, & votum cenſetur factum ſub hac tacita conditione, niſi ſuperveniat notabilis mutatio. Votum autem: Primo non obligat: quoties ſervari non poteſt ſine gravi damno, vel ſine vitæ periculo, nam ſupervenit notabilis mutatio: Secundo non quælibet mutatio ſufficit ad tollendam voti obligationem: ſed attendenda eſt quando ſupervenit tanta mutatio, præſertim ex parte materiæ; ut ea exiſtente, aut prævisa, votum judicio prudentis factum non fuiſſet. Tertio obligatio voti tollitur, vel ſuſpenditur quoties tempore adimpletionis voti, materia voti facta eſt illicita, aut impeditiva majoris boni, aut indifferens quia ſupervenit notabilis mutatio ex parte materiæ: idem dicendum eſt quando materia facta eſt impoſſibilis in perpetuum, aut illicita, aut indifferens, aut impeditiva majoris boni.

Utrum obligatio voti tollatur caſſatione. Cap. 721.

1 SUmmus Pontifex non poteſt irritate omnia vota laicorum, aut Clericorum ſed ea ſolum, quæ ipſius adminiſtrationi obeſſe poſſunt; quia non omnia vota habent hanc tacitam conditionem ſi Summus Pontifex conſenſerit, & licet Summus Pontifex pleniſſimam habeat poteſtatem ſuper fideles, circa res ſpirituales, non tamen habet poteſtatem dominativam in iis, quæ priorta fiunt auctoritate, nec homines ſunt illi ita ſubjecti, ut ab ejus voluntate omnino pendeant, idem dicendum de Epiſcopis. Vota ſervorum ſive facta ſint ante ſervitutem, ſive tempore ſervitutis poſſunt à Domino etiam invitis ſervis irritari, ſeu potius ſuſpendi, ſi ipſi Domino præjudicant: quia Dominus ſuper hos habet poteſtatem dominativam. Vota uxoris quæ impediunt domus, & familiæ gubernationem, aut quæ ſunt præjudicialia Marito poſſunt ab ipſo Indirecte irritari. ſeu ſuſpendi ſive facta ſint ante matrimonium ſive poſt matrimonii contractum. Omnia filiorum impuberum votatam realia, quam perſonalia, vel mixta poſſunt ſaltem intra tempus impubertatis irritari à patre, vel à tutore, vel etiam à Matre, dum matre mortuo patre eſt loco tutoris. Omnia vota Religioſorum excepto voto arctioris religionis, irritari poſſunt à Prælato, & Superiore: quia Religioſus non eſt amplius ſui juris, ſed eſt traditus Religioni, & eſt conſtitutus in poteſtate Superioris.

Utrum obligatio voti tollatur per commutationem, & quinam poſſunt vota commutare. Cap. 722.

1 QUilibet poteſt ſua vota commutare in evidenter melius, quia qui commutat votum in melius nullam Deo facit injuriam, & illud dicitur melius, quod omnibus conſideratis eſt Deo gratius, & licet oratio ex ſuo genere ſit præſtantior jejunio, tamen quia aliquando fieri poteſt, ut jejunium ſit gratius Deo poſſet aliquando votum orationis in jejunium commutari. Non ſolum Summus Pontifex, aut Epiſcopus, aut alii gaudentes ordinaria poteſtate diſpenſandi poſſunt vota commutare: quia poteſtas diſpenſandi, & commutandi eſt adnexa eidem muneri paſtorali, & utroque neceſſaria eſt ad paſtorale munus, & ideo qui habeat facultatem diſpenſandi in voto habet etiam facultatem commutandi, & ſicut quiſque poteſt propria auctoritate commutare votum in æquale abſque alio privilegio, dicendum eſt habentem privilegium commutandi poſſe commutare in minus: ſed juſta cauſa requiritur: unde diſpenſatio, vel commutatio voti obtenta

ſine

ſine juſta cauſa invalida eſt: votum etiam ſecundum id quod præcedens fuit commutatum poteſt iterum, & iterum commutari: facta autem commutatione liberum eſt voventi obſervare quodlibet ipſi placuerit, vel votum prius, vel commutatum.

Utrum obligatio voti tollatur per diſpenſationem. Cap. 723.

1 EPiſcopi jure ordinario poſſunt diſpenſare in votis ſuorum ſubditorum, modo non ſint Summo Pontifici reſervata, modo adſit juxta diſpenſandi cauſa, & modo vota non ſint facta in favorem tertii, ab eoque acceptata: Epiſcopi enim habent omnem juriſdictionem neceſſariam ad rectam Eccleſiæ ſuæ, & ſubditorum gubernationem: in votis autem Summo Pontifici reſervatis non poteſt Epiſcopus diſpenſare; ſicut neque poteſt in aliis votis ſine juſta cauſa: Vota autem reſervata Papæ ſunt quinque, ſcilicet Votum caſtitatis perpetuæ, votum Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, votum ad Sanctum Jacobum Compoſtellaneum, & votum in terram Sanctam.

2 Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis. Primo quando imminet grave periculum expectando diſpenſationem Papæ, vel Legati, ut eſt periculum magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ, nam in tali eventu non cenſetur Papam diſpenſationem ſibi reſervare. Secundo Epiſcopi poſſunt in voto caſtitatis diſpenſare, quando votum caſtitatis per metum, quamvis levem, emiſſum eſt: quia reſervatio votum eſt odioſa, utpote contra ordinariam Epiſcopi facultatem, quam habet diſpenſandi in voto, & ideo ſtricte explicanda eſt, unde non videtur extendenda ad vota per metum emiſſa. Tertio quãdo dubitatur utrum votum caſtitatis ſit validum: vel utrum ſit reſervatum, nam caſus reſervati non ſunt dubii, ſed certi, & in dubiis benignior pars accipienda eſt. Quarto quando Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto principali, cui tamquam acceſſorium adnexum eſt votum caſtiatis, poteſt etiam in voto caſtitatis acceſſorio diſpenſare, ut ſi quis voveat non ludere ſub pœna ſervandæ caſtitatis, & poſtea petat diſpenſationem ab Epiſcopo. Epiſcopus diſpenſans in voto non ludendi diſpenſat etiam in voto caſtitatis; ſecus dicendum quando votum principale eſt reſervatum; acceſſorium vero, ſeu aliud votum illi conjunctum non eſt reſervatum; unde ſi quis voveat caſtitatem, & ſi eam violet, voveat tradere certam eleemoſynam, aut jejunare. Epiſcopus poteſt in voto jejunii aut eleemoſynæ diſpenſare, quia non eſt circa materiam reſervatam, non vero poterit diſpenſare in voto principali quod eſt votum caſtitatis. Quinto Epiſcopus poteſt diſpenſare, quando votum eſt conditionale ſub conditione de futuro, modo conditio nondum ſit adimpleta: quia vota, quæ Papæ reſervantur ſunt vota perfecta: votum autem nondum impleta conditione, nondum eſt perfectum, cum ante conditionis eventum non obliget. Sexto quando Summus Pontifex commutavit votum ſibi reſervatum in aliud non reſervatum, Epiſcopus poteſt in ſecundo voto non reſervato diſpenſare, quia obligatio circa materiam reſervatam, eſt ablata. Septimo in voto caſtitatis non perpetuo ut in voto caſtitatis ad duos, vel tres annos facto: votum autem quod reſervatur, eſt perpetuum. Octavo quando votum diſjunctive emittitur, & una pars voti eſt reſervata, altera vero non, modo vovens non elegerit partem reſervatam, non videtur appellandum reſervatum.

2 Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto Religionis: Primo quando poteſt diſpenſare in voto caſtitatis. Secundo in voto Religionis non approbatæ cum non ſit vere Religio, & ideo votum illius non eſt proprie votum Religionis. Tertio commutando votum Religionis arctæ in votum laxioris Religionis, hæc non dicitur proprie diſpenſatio, in voto Religionis, ſed in quadam circumſtantia ipſius, cum illa dicatur diſpenſatio, qua tollitur obligatio voti; hic autem non tollitur obligatio voti. Quarto in voto Religionis facto ad duos, vel tres annos tantum, hoc enim non videtur perfectum votum Religionis quod obligationem perpetuam inducat. Quinto in voto non nubendi, vel non fornicandi hoc enim non eſt votum Religionis, vel caſtitatis perfectæ, ſed tantummodo partialis. Sexto Epiſcopus diſpenſare poteſt in differenda executione voti Religionis: quia hæc non videtur diſpenſatio in ſubſtantia voti, ſed in ejus qualitate, & circumſtantia temporis.

4 Sum-

Digitized by Google

4 Summus Pontifex poteſt in voto ſolemni caſtitatis, vel Religionis diſpenſare ex juſta cauſa, nam juſta cauſa requiritur, ut licita, & valida ſit voti diſpenſatio; quia in tantum diſpenſare poteſt in jure divino, & naturali, in quantum ſibi data eſt facultas à Deo; non eſt autem credibile à Deo datam eſſe poteſtatem diſpenſandi ſine juſta cuaſa.

5 Epiſcopus poteſt commutare, vel diſpenſare in voto facto in favorem tertii, & in voto quo quis vovit ſe daturum eleemoſynam tali monaſterio, &c. Primo abſque conſenſu illius, in cujus favorem, & utilitatem vergit votum, modo ab eo non fuerit acceptatum, quia tertius nondum acquiſivit jus, unde illi non fit injuria. Secundo dico, non poſſe abſque urgentiſſima cauſa diſpenſare in voto facto in utilitatem alterius, poſtquam ab eo fuit acceptatum, niſi adſit conſenſus illius, in cujus favorem factum eſt, quia tertius per acceptationem acquiſivit jus: quo non poteſt privari abſque urgentiſſima cauſa, niſi adſit conſenſus illius.

6 Parochi, aut alii Sacerdotes non poſſunt in votis diſpenſare, niſi ſpeciale privilegium habeant; quia Parochi non habent juriſdictionem fori externi: poteſtas autem diſpenſandi pertinet ad habentē juriſditionem fori externi: niſi aliqui ſpeciale privilegium habeant diſpenſandi in votis. Hoc privilegio gaudent Confeſſarii Mendicantium juxta facultatem ſibi præſcriptam à ſuo Superiore, exceptis votis Summo Pontifici reſervatis. Hoc privilegio gaudet Capitulum Sede vacante, ſic Prælati habentes Diœceſim, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Sic etiam Prælati Regularium diſpenſare poſſunt in votis ſuorum Religioſorum: habent enim poteſtatem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos; nomine autem Prælatorum veniunt Generales, aut Provinciales, aut etiam alii juxta conſtitutiones Religioſorum, qui omnes poſſunt diſpenſare, & abſolvere à caſibus reſervatis, etiam Novitios licet non ſint nondum perfecte ſubditi. Abbatiſſæ non poſſunt cum monialibus, novitiis, & profeſſis diſpenſare quia non habent juriſditionem ſpiritualem. Prælatus, aut alius habens facultatem generalem diſpenſandi in votis, poteſt etiam ſecum in voto diſpenſare: aut dare alteri facultatem, qui ſecum diſpenſet: quia hic eſt actus juridictionis gratioſæ, quem jure naturæ non repugnat exerceri in ſe ipſum. Habens autem facultatem diſpenſandi, vel commutandi vota non poteſt diſpenſare, vel commutare juramenta, quia Stylo Romanæ Curiæ introductum eſt, ut facultas circa juramenta ſpecialiter exprimatur, dum poteſtas conceditur circa diſpenſationem, vel commutationem juramentorum: ergo facultas circa votum non extenditur ad juramenta, niſi ipſorum mentio fiat. Habens autem facultatem diſpenſandi, vel commutandi vota, non tenetur diſpenſare, vel commutare, &c. quia diſpenſatio eſt gratia: gratia autem liberaliter fit ex voluntate concedentis, fieri tamen poteſt ut aliquando teneatur diſpenſare, &c. Superior ſciens obſtrictum voto facere contra votum, & tacens non cenſetur diſpenſare. quoties cum taciturnitate non ſint conjuncta talia ſigna, quibus ſufficienter indicetur conceſſio, nam taciturnitas non habetur pro expreſſione conſenſus, & ideo non ſufficit ad concedendam, & acceptandam diſpenſationem, niſi cum aliis ſignis conjungatur. Superior cenſetur cum eo diſpenſare, quem ad aliquem actum admittit, ſciens ipſum habere impedimentum ad talem actum, ut admittens irregularem ad ordines, quem ſcit irregularem eſſe, præſumitur diſpenſare in irregularitate; quia admiſſio ad actum eſt ſignum ſufficiens ad indicandam conceſſionem. Qui dubitat an verum tacuerit, aut falſum expreſſerit in obtinenda diſpenſatione, poteſt uti diſpenſatione, quia non præſumitur deliquiſſe. Impetrans dipenſationem poteſt ea uti etiam ſi dubitet an ſuperior ſit legitimus ſuperior, & an illius facultas ad hunc caſum extendatur, quia poſſeſſio ſtat pro ſuperioritate, quia privari non poteſt, niſi certo conſtet ipſum non eſſe legitimum Superiorem, & poteſtas diſpenſandi ad hunc caſum poſt adhibitam diligentiam præſumitur extendi.

Circa

Circa tertium Decalogi præceptum.

Memento ut diem Sabbati ſanctifices.

De Sabbati obſervatione. Cap. 724.

1 CElebritas diei feſti jure optimo præſcribitur in tertio Decalogi præcepto: cum enim duobus prioribus præceptis tollantur impedimenta veræ Religionis nempe idolatria, infidelitas, &c. conſentaneum fuit addi tertium aliquod præceptum, quo pertrahantur homines ad veram religionem, ad quam pertinet externo ſigno cultum vero Deo exhibere. Præceptum celebrationis feſtorum eſt partim naturale, partim ceremoniale, & partim humanum. Quatenus hoc præceptum eſt naturale obligat omnes, nam lumine naturæ cognoſcimus aliquos dies cultui divino deputandos eſſe, quibus ſinguli rebus divinis operam navent: ab aliquibus appellatur morale, quatenus determinat aliquod tempus impendendum cultui divino, hoc enim pertinet ad mores. Quatenus vero hoc præceptum eſt cæremoniale, non obligat in ipſamet die Sabbati: quia cæremonialia veteris legis deleta ſunt per mortem Chriſti. Quatenus denique hoc præceptum eſt humanum, habet certos dies ab Eccleſia determinatos, ut Diem Dominicum loco Sabbati.

2 Sabbatum ſignificat requiem, ſeu ceſſationem, eo quod die ſeptimo requievit, ut inquit Catechiſmus Pii V Eccleſia Diem Dominicam conſtituit loco Sabbati: Primo quia Dominica Dies eſt ſignum illius Diei, qua Chriſtus reſurrexit. Secundum ne viderentur conſentire cum Judæis, & eorum cæremonias obſervare. Tertiò propter multas & varias prærogativas, quibus hæc dies gaudet, quas liberum eſt cuique videre apud varios auctores, explicantes hoc præceptum, Obſervatio autem Dominicæ diei non eſt de jure divino ſed Canonico, ut ajunt communiter Doctores, & ideo poteſt conſuetudine, vel humana poteſtate abrogari, & in aliam diem commutari. Idem dicendum eſt de feſtis Sanctorum, quæ jure optimo ab Eccleſia inſtituta ſunt, tum ut ipſorum exemplo ad bene agendum inducamur, tum ut iis interceſſoribus conſequamur à Deo, quod optamus, impendendo ipſis honorem, & cultum, tum ut aliquod lætitiæ ſignum de ipſorum gloria exhibeamus.

Ad quem pertineat diem feſtum inſtituere. Cap. 725.

1 SUmmus Pontifex, & Concilium Generale jus habent inſtituendi dies feſtos, & receptos abrogandi in tota Eccleſia, quia Pontifex, & Concilium Generale ſunt ſupra totam Eccleſiam, nec requirunt conſilium aliarum. Epiſcopi jure communi poſſunt in ſuâ tantum Diœceſi feſtos dies inſtituere cum Clericorum, & populi conſenſu: conſuetudine tamen receptum eſt, ut feſti dies inſtituantur ab Epiſcopo adhibito ſolum aliorum Clericorum conſilio: Non autem poteſt Epiſcopus inſtituere diem feſtum in honorem alicujus Beati nondum relati in numerum Sanctorum, etiam ſi conſtet ipſum pro Chriſti fide mortuum eſſe, abſque expreſſa Summi Pontificis auctoritate, Princeps Secularis, vel Civitas vel Reſpublica non poteſt dies feſtos tamquam ſacros inſtituere; quia cultus diei feſti eſt actus Religionis quem non poteſt præcipere poteſtas ſecularis Poteſt tamen Princeps Secularis prætextu civilis honoris, vel alio titulo præcipere ſubditis, ut tali die à ſervilibus operibus, à forenſibus negotiis, & ab aliis civilibus negotiis abſtineant, & poteſt tranſgreſſoribus pœnam irrogare; non tamen poteſt abſolute præcipere ex virtute religionis, ut dies feſti inſtituantur, & Sacrum audiatur, nam pertinet ad Summum Pontificem hoc, & ad Epiſcopos: ad quos etiam pertinet, punire violatores diei feſti, & ſic per ſolam laicorum conſuetudinem non poſſunt Dies feſti introduci, nam eorum poteſtas non extenditur ad actus Religioſos. Dies feſti apud aliquos incipiunt à veſperis diei præcedentis, apud alios à media nocte, apud alios ab initio ipſius Die. Ego vero cenſeo ſervandam eſſe loci conſuetudinem qua attenta apud nos dies feſtus incipit à media nocte, uſque ad mediam proxime ſequentem ut etiam contingit in jejunio. Poteſt etiam inſtitui dies feſtus colendus ſolum uſque ad meridiem; quia nulla ſufficiens implicantiæ ratio afferri poteſt, cur hoc non liceat.

Quæ

Quænam opera permiſſa, vel prohibita ſint in die feſto. Cap. 726.

1 OBſervantia diei feſti duobus præceptis continetur, uno affirmativo, altero negativo: Negativum prohibet opus ſervile: affirmativum vero præcipit auditionem Miſſæ: præceptum vero affirmativum obſervantiæ diei feſti non obligat fideles ad actum dilectionis Dei, vel ad contritionem de peccatis eliciendam in die feſto: quia Eccleſia actum mere internum præcipere non poteſt, nec habet adnexam obligationem abſtinendi à peccatis in die feſto, ita ut duplex peccatum admittant, nam fornicatio in die feſto commiſſa continet quidem peccatum contra caſtitatem, ſed non contra Religionem diei feſti.

2 Opera animæ: ideſt quæ ab anima procedunt permittuntur, & licite fiunt in die feſto; exceptis quibuſdam caſibus in jure expreſſis, de quibus infra; quia opera animæ non ſunt ſervilia, & opera, quæ non permittuntur in die feſto ſunt opera ſervilia, unde licitum eſt Doctori diebus feſtis docere, quia eſt opus animæ.

3 Caſus qui excipiuntur in jure, & prohibentur, ſunt quatuor, ſcilicet Mercatus, placitum, judicium criminale, & Sacramentum publicum, nam prohibentur die feſto: Nomine mercatus non intelligo nundinas; nec emptiones rerum ſpectantium ad victum illius diei: ſed intelligo omnes contractus emptionum, & venditionum, locationum, permutationum, ſive privatim fiat, ſive publice, vel publica ſolemnitate fiant: ſinguli enim iſti contractus proprio mercatus nomine veniunt. Nomine Placiti intelligitur quælibet lis, & cauſa fori, quæ agitur in judicio, ſeu judicium civile, ſeu quæcumque pertinent intrinſice ad acta judicii, ſeu quæ ſpectant ad formationem proceſſus, vel ad prolationem ſententiæ: hæc enim prohibentur fieri in die feſto, præciſa tamen neceſſitate. Nomine Judicii criminalis intelligitur ſententia mortis, aut alia quævis corporalis pœna, quam jura in die feſto vetant: præciſa tamen neceſſitate, qualis contingit, quando expedit captum ob ſceleris notorii gravitatem ſtatim abſque proceſſu damnati, aut alia ſimilia. Nomine Sacramenti publici intelligitur juramentum judiciale; prohibetur enim ferri juramentum in judicio die feſto ſecluſa cauſa pacis, aut magnæ neceſſitatis, aut cauſæ piæ. Circa hos quatuor caſus in jure expreſſos nonnullæ difficultates ſunt diſſolvendæ: Primo circa mercatum. Mercatus ſeu contractus factus in die feſto tenet, quia nullo jure irritatur. Circa placitum, quælibet ſententia requirens ſtrepitum judicialem, aut cum ſtrepitu judiciali conjuncta vetita eſt in die feſto; Secus non requirentes ſtrepitum non videntur prohibitæ, & ſic actus extrajudiciales non ſunt vetiti, ſicut arbitror licitam eſſe appellationem in die feſto, quia cuilibet competit jus tuendi ſe ipſum quolibet die. Citatio autem facta in die feſto non tenet, quia pertinet ad ſtrepitum judicialem. Teſtes in die feſto recipi, & examinari non poſſunt: quia non examinantur niſi prævio juramento: juramentum autem juridicum exigi non poteſt in die feſto, ergo non poſſunt examinari, niſi adſit legitima conſuetudo in contrarium vel niſi adſit cauſa pacis, aut alia neceſſitas.

4 Opera corporalia, quæ proprie ſervilia ſunt prohibentur in die feſto: cujuſmodi ſunt fodere terram, putare vites, &c. ex Levitic 23. (Omne opus ſervile non facietis in illo) opera autem corporalia communia Dominis, & ſervis, nobilibus, & ignobilibus licite fieri poſſunt quolibet die, & ſic licet uti muſicis inſtrumentis, venari, ludere, ſcribere, gladiari, choreas ducere, aucupari, etiam ſi fiat ob lucrum, &c. Quia hæc opera non ſunt ſervilia ex ſe: non autem licitum eſt pingere die feſto.

De Cauſis excuſantibus laborantes ſerviliter in die feſto. Cap. 727.

1 QUamvis certum ſit non ſanctificantes dies feſtos, & ſerviliter diebus feſtis laborantes reos eſſe mortalis peccati, ex ſuo genere tamen nonnullæ cauſæ aſſignari poſſunt, quibus à mortali excuſantur ſerviliter laborantes in die feſto, ommiſſa ignorantia, & in deliberatione, quæ in omni fere materia juſtam excuſationis cauſam exhibent. Prima cauſa eſt parvitas operis, ſeu levitas materiæ, ut laborare per unum, vel duos, vel tres quadrantes unius horæ excuſat ob parvitatem materiæ.

Digitized by Google

riæ. Secunda cauſa excuſans laborantes in die feſto eſt cultus Dei, quoties opera ſervilia in honorem, & cultum Dei fiunt. Tertia cauſa excuſans eſt pietas; cujus opera ſunt in duplici genere: alia enim ſunt opera pietatis per ſe, ut ſepelire mortuum, ſervire infirmis, &c. hæc ſemper licita ſint, alia vero ſunt opera pietatis per accidens, & quatenus ad pietatem ordinantur, ut ſternere vias publicas pro viatoribus, Domus Religioſas ædificare, &c. hæc licita non ſunt. Quarta cauſa excuſans eſt neceſſitas, vel alia cauſa, quæ judiclo prudentis juſta videatur, & ſic excuſantur præparantes pertinentia ad victum communem. ut qui coquunt, qui carnes vendunt, aut alia ad illius diei victum neceſſaria. Quinta cauſa excuſans eſt obedientia, vel coactio; propterea ſubditi, ſervi, uxores, filii, qui metu damni compelluntur ab heris, Dominis, maritis, & patribus ad opus ſervile, excuſantur, modo non compellantur in contemptum feſti, vel fidei; bonum enim Religionis præponderat bono privato vitæ, & aliorum bonorum externorum. Sexta cauſa excuſans eſt abſentia à loco in quo celebratur dies feſtus, ut ſi Mediolani celebretur dies feſtus, tuncque ad aliud oppidum te conferas, ubi dies feſtus non celebratur excuſaris à Peccato ſerviliter laborando in illo oppido. Septima cauſa eſt diſpenſatio; nam per diſpenſationem tollitur obligatio legis, petenda eſt autem licentia ab Epiſcopo, vel à Parocho, dum quis in die feſto ſerviliter laborare intendit: Epiſcopus enim poteſt in obſervatione feſtorum cum perſonis particularibus, aut etiam cum populis diſpenſare: etiam ſi dies feſti non ab ipſo Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice indicti ſint, vel con....uni conſuetudine ſerventur: nam hæc poteſtas in Epiſcopo neceſſaria eſt ad rectam animarum gubernationem: ſaltem pro caſibus repentinis, & frequentioribus. Octava cauſa eſt conſuetudo, hæc enim derogare poteſt ſervatis conditionibus allatis de conſuetudine: ob id aliquibus in locis excuſantur barbitonſores, aut etiam muliones piccatores, agaſones: venatores, aut etiam pictores, quo ad aliquos actus frequentiores.

Circa quartum Decalogi præceptum.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.

Explicatis primæ tabulæ præceptis, quæ Dei cultum, honorem, & amorem reſpiciunt: pertractanda modo ſunt ſecundæ tabulæ mandata, quæ ad proximi dilectionem pertinent ſumpto exordio ab eo, quod primum locum obtinet (Exodo 20. Honora patrem, &c)

De Reverentia patribus à liberis preſtanda.

Quid nomine honoris, & quid nomine patris, & matris intelligatur in hoc præcepto. *Cap.* 728.

1 NOmine (Honoris) in hoc præcepto non ſolum intelligitur actus interior, vel exterior honorantis, quo honorans teſtatur, & inducat reverentiam. & præeminentiam ejus, qui honoratur: ſed etiam intelligitur actus conſiſtens in eleemoſynis, & oblationibus quibus patri in neceſſitate conſtituto præbetur auxilium juxta illud (Proverb c. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia,) addo non ſolum intelligi actum reverentiæ, & actum amoris, quo alteri ſubvenitur; verum etiam intelligi actum ſubmiſſionis, quo alteri debita obedientia præſtatur non ſolum quoad affectum; verum etiam quoad effectum; ideo non dicitur, illum revereri, & amare patrem, qui patri in neceſſitate conſtituto non præbet ſuſtentationem, & ea quæ illi neceſſaria ſunt: aut qui patri præcipienti debitam non exhibet obedientiam.

2 Nomine (Patri, & Matris,) quatuor perſonarum genera in hoc præcepto intelliguntur. Primo intelliguntur ipſi parentes, à quibus per generationem immediate vel mediate vitam accepimus, ut ſunt Pater, & Mater, Avus, Abavus, & Proavus. Secundo intelliguntur Superiores, qui ſalutis noſtræ ſpecialis curam habent, ut ſunt Epiſcopi, Curati, &c. Tertio intelliguntur Imperatores, Reges, Princeps, qui bonorum temporalium curam gerunt. Quarto intelliguntur tutores, viatores, & magiſtri, quorum prudentia, & doctrina erudimur; quibus omnibus honorem exhibendum eſſe conſtat ex ipſo naturæ dictamine: ſicut enim

enim ratio dictat honorem exhibendum eſſe parentibus, à quibus per generationem tot bona, & ipſum eſſe accepimus: ita etiam dictat exibendum eſſe aliis ſuperioribus, a quibus, alimur aut bene eſſe, id eſt bonos mores hauſimus; hoc autem præceptum de honorandis parentibus non ſolum inducit obligationem filiis in parentes, ſed etiam parentibus in filios, nam ratio naturalis dictat parentes debere filiis ſubvenire: nam licet in hoc præcepto non fiat expreſſa mentio amoris, & honoris parentum in filiòs, tamen ſubintelligitur, nam non erat opus hoc debitum exprimere, cum natura ipſa ſufficienter inclinet parentes in honorem, & amorem filiorum, facta vero fuit mentio expreſſa honoris filiorum in parentes; quia filii non ita propendent in honorem parentum: ſicut parentes in amorem, & honorem filiorum rapiuntur: quomodo intelligenda ſunt illa verba, ut ſit longævus ſuper terram: intelliguntur non ſolum de longitudine, & diuturnitate futuræ vitæ, verum etiam de longitudine hujus mortalis vitæ.

Utrum filii teneantur reverentiam parentibus exibere, & qualem.
Cap. 729.

1 Omnes filii tenentur ſuis parentibus reverentiam exibere, nam jus naturæ dictat reverentiam parentibus exhibendam eſſe, & non ſolum debet eſſe reverentia exterior, quæ verbis, & aliis ſignis fit: ſed etiam interior quæ fit per recognitionem Superioris, & per timorem quemdam filialem: unde conjicientes contumelias in parentes filii mortaliter peccant, vel percutiunt, vel contemnunt parentes.

Utrum filii parentes amare teneantur.
Cap. 730.

1 Filii tenentur amare parentes, quia ſicut diligendus eſt proximus, eo magis diligendi ſunt parentes, qui ſunt magis proximi, & à quibus multa bona accipiuntur, non tamen ſunt Deo præferendi magiſve diligendi Amor autem filiorum erga parentes conſiſtit, Primo ut non habeant in odio parentes. Secundo in exhibitione amoris, nam præceptum amoris Importat aliquem actum faciendum, hic autem actus fit, quoties ſigna amoris exhibentur, quare graviter peccant, qui parentes odio proſequuntur, vel aliquod malum animæ, vel corporis parentibus, exoptant.

Utrum filii parentibus ſubvenire teneantur. Cap. 731.

1 Filii tenentur ſubvenire parentibus, tam in neceſſitate ſpirituali, quam corporali, modo ſubvenire, & ſuſtentare valeant; quia tenentur diligere parentes nec poſſunt diligere, niſi eis tempore neceſſitatis ſubveniant, quare qui non curant patrem in mortis articulo conſtitutum Sacramenta ſuſcipere graviter peccant, cum teneantur parentibus in ſpiritualibus ſubvenire, vel in magna neceſſitate conſtitutum non ſuccurrunt graviter peccant, cum teneantur in corporalibus ſubvenire.

An Pater filiorum Curam habere teneatur. Cap. 732.

1 Pater tenetur curam filiorum habere, quia jus naturæ non ſolum in hominibus ratione præditis, verum etiam in brutis, rationis uſu carentibus propendet in amorem, & curam filiorum, quare Pater, qui non ſtudet, quantum in ſe eſt, ut filius præcepta Dei ſervet, & Eccleſiæ, ut ab omni peccato ſaltem mortali, abſtineat, ut virtuti acquirendæ operam navet; ut neceſſaria ad ſalutem cognoſcat, & addiſcat, graviter peccat; facit enim contra naturalem obligationem.

Utrum parentes, qui alimenta filiis non præſtant, graviter peccent.
Cap. 733.

1 Nomine alimentorum conſtat intelligi, victum, veſtitum, lectum, habitationem, & alia ad vitam neceſſaria juxta perſonæ conditionem, & qualitatem, veniunt etiam medicinæ, quibus indigemus infirmi; unde pater qui filio licet ſpurio ſine gravi cauſa negligit alimenta præbere graviter peccat, quia facit contra jus naturę in re gravi, cum alimenta jure naturæ filiis debeantur, & non ſolum pater tenetur alimenta filio indigenti prębere, ſed etiam ipſius uxori, nam (l. ſi quis liberis agnoſcendis) habetur, Patrem non ſolum teneri alimenta filiis

filiis præbere, verum etiam uxori. Mater non peccat mortaliter præbendo filio alimenta excepto lacte, niſi pater impotens ſit ad alendum filium, alioquin indigentem : quia obligatio alendi filium ex juris diſpoſitione incumbit patri, tenetur tamen hæc filio, etiam ſpurio præbere uſque ad triennium, modo lacte non careat, nec non lactandi cauſam habeat, & ideo mater tranſacto triennio non tenetur alimenta filio præſtare, unde ſi mater intra triennium aliquas in nutriendo filio expenſas facit, quæ ad Patrem ſpectant, poterit eas in utroque foro à patre repetere (l. nec filium. C. de patria poteſtate) Imo ſi mater uſque ad triennium filio de lacte commode providere nequeat, onus providendi incumbit patri : matre vero poſita impotentia patris, tenetur filium alere (l. ſi quis à liberis ff. de liberis agnoſcendis:) quia in hoc caſu ceſſat juris humani diſpoſitio ; quia hoc onus in patrem tranſlatum erat, in defectu vero matris tenentur avi, & alii aſcendentes (l. penultima ff. de liberis agnoſcendis;) tenetur etiam mater bonam nutricem quærere, nec peccat mortaliter non lactando per ſe ipſam, licet ſine incommodo lactare poſſit. parens mortaliter peccant exponendo filios hoſpitali : niſi juſtam habeant exponendi cauſam : quia videntur filios deſerere, & derelinquere contra naturalem, & paternam pietatem.

2 Obligatio qua parentes tenentur alere filios, tranſit ad hæredes illius, qui filios alere tenebatur, quare filius etiam ſpurius alendus eſt à monaſterio, cui pater, facta in eo profeſſione, ſua bona reliquit, nam monaſterium cenſetur hæres patris : quas obligatio tranſmittitur ad fiſcum, cui addicta ſunt bona ob crimen à parente commiſſum, excepto crimine hæreſis, & læſæ maieſtatis : dum filius aliunde ſuſtentari non poſſit.

3 Pater, qui filio non præſtitit alimenta, non tenetur ad reſtitutionem, ut ſi filius aliquibus annis ſe ſuſtentavit alimentis aliunde, quam à patre acceptis, quia filio debentur alimenta in ſubſidium, ut vivat: cum ergo aliunde vixerit, pater non tenetur amplius alimenta in præteritum debita reddere.

Utrum Pater teneatur filiæ nubili dotem conſtituere. Cap. 734.

1 PAter tenetur ſub mortali dotem conſtituere filiæ volenti nuptui tradi : quia dos ſuccedit in locum alimentorum, & pater tenetur ad alimenta, ergo tenetur ad dotem, etiam ſi filia, dives ſit, vel ingredi velit Monaſterium, vel invito patre nubat, vel indigno. Mater autem non tenetur dotem filiæ conſtituere, quia hoc eſt munus patri à jure impoſitum.

Utrum filius aliquando privari poſſit hæreditate, alimentis, aut dote. Cap. 735.

1 MUltis de cauſis filius, aut filia privari poteſt hæreditate, & alimentis Prima cauſa eſt percuſſio parentum iniuſta cum lethali culpa, ſive parens attingatur lapide, ſive fuſte, ſive alia ratione. Secunda eſt gravis, & honeſta injuria: libero autem judicis arbitrio relinquitur judicandum, quæ nam cenſeatur gravis, & inhoneſta injuria. Tertia eſt ſi delator contra parentes extiterit, & ob ſuam delationem in cauſa fuerit, ut parentes gravia damna ſuſtinuerint, quamobrem hanc pœnam incurrit, qui patrem in judicio accuſat, excepto crimine hæreſis, & læſæ majeſtatis. Quarta eſt procuratio ſeu attentatio mortis patris, unde filius, qui parat, & emit venenum ad necandum patrem, punitur pœna exhæredationis : licet nullus ſequatur effectus. Quinta eſt ſi cum incantatoribus, ſeu cum maleficis hominibus, ut maleficis verſatur. Sexta ſi copulam habeat cum noverca, ſeu patria uxore, modo non excuſetur ignorantia facti neſciens illam, quam cognoſcit eſſe talem. Septima ſi filius non ſuccurrit patri furioſo, aut ſi requiſitus noluit pro aliquo parente in carcere detento fidejubere, cum alioquin eſſet idoneus ad fide jubendum. Octava ſi filius ſit hæreticus exiſtente patre catholico. Nona ſi filius impedierit ne pater conficiat teſtamentum. Decima ſi filius dilapidaverit bona parentum cum gravi ipſorum diſpendio. Undecima ſi abſque voluntate patris verſetur cum arenariis aut mimis, & in hac profeſſione permaneat, modo parentes non eſſent eiuſdem profeſſionis. Duodecima ſi filia minor viginti quinque annis luxurioſã degere vitam elegerit:

rit:

Digitized by Google

rit: advertendum tamen eſt, prædictos caſus locum habere ſolum, dum filius aliunde habet, quo ſe ſuſtentare queat: conſtat enim à patre filium non poſſe privari alimentis ad vitam neceſſariis, cum pater jure naturæ filium in neceſſitate poſitum alere teneatur, & leges civiles jus naturæ non tollant. Pater autem non poteſt aliis de cauſis præter enumeratas filium exhæredare.

Utrum filius teneatur obedire patri. Cap. 736.

1 FIlius tenetur obedire patri in iis in quibus eſt illi ſubiectus ad Epheſ. 6. filii obedite parentibus veſtris in Domino, & exemplo Chriſti, qui ſubditus erat Ioſeph, & Mariæ, Lucæ 2. & quia ſicut tenemur obedire præceptis principum: ita etiam tenemur obedire mandatis parentum, quæ vim habent legis, non autem peccat non obediendo patri in ijs quæ pertinent ad vitæ ſtatum in materia religionis, aut Matrimonii: quia non eſt ſubditus patri in iis, quæ pertinent ad perfectiorem vitæ ſtatum, nec tenetur obedire patri in rebus pravis: peccat autem mortaliter non obediendo patri in iis, in quibus patri ſubditus eſt poſita gravitate materiæ: nam faciens contra præceptum in re gravi mortaliter peccat: ex levitate vero materiæ excuſatur à mortali.

Utrum maritus uxori, & uxor marita amorem, honorem, obedientiam præſtare teneatur. Cap. 737.

1 MAritus tenetur uxori non ſolum actibus internis, verum etiam externis honorem, & amorem, imo etiam obedientiam in iis, in quibus eſt uxori ſubiectus, exhibere, & propterea Maritus graviter peccat proferendo verba infamatoria contra uxorem: ſiem eſt impedimento uxori circa præcepta Dei, vel graviter verberaverit uxorem, vel uxori alimenta denegaverit: & alia. Maritus autem quando uxor, parentes, & filii, ſunt in neceſſitate conſtituti, & non poteſt omnibus ſubvenire: potius ſubvenire debet parentibus, & filiis, quam uxori, nam erga parentes eſt major obligatio, cum ab ipſis accepetimus eſſe, & cum ipſis major ſit conjunctio quoad eſſe abſolute: ſi erga filios major eſt conjunctio, quam erga uxorem, cum filii ſint veluti pars patris ex ipſius viſceribus deciſa. Vxor vero non eſt aliquid ſubſtantiæ viri.

2 Uxor tenetur amorem, honorem, & obedientiam viro exhibere in iis, in quibus viro ſubiecta eſt, quia vir eſt ſuperior, & caput mulieris, unde graviter peccat uxor dum notabiliter inobediens eſt circa ea, quæ ad bonos mores, & ad familiæ gubernationem pertinent, in his enim viro ſubiecta eſt: & ſic in aliis, in quibus marito ſubiecta eſt.

De Cura, & amore Dominorum, & Superiorum in ſervos, & ſubditos, & e contra. Cap. 738.

1 DOmini, & Superiores famulorum, aliorumque ſibi ſubditorum curam habere tenentur, quia ſunt ipſorum caput, & parentum vices gerunt: quare Domini, & Superiores, qui circa curam, & ſalutem ſibi ſubditorum negligentes notabiliter ſunt, graviter delinquunt, unde Domini graviter peccant, dum quantum in ipſis eſt, curam non habent, ut ſervi à peccatis abſtineant, confiteantur, communicent tempore præcepto, Doctrinæ Chriſtianæ præcepta addiſcant, jejunent, dum iſtam non habent excuſationis cauſam, aliaque naturalis, divini, & humani juris præcepta obſervant, ſic etiam peccant dum famulos gravibus afficiunt iniuriis, vel ipſis alimenta denegant: Superiores vero ſæculares, aut Religioſi poſſunt ſibi ſubditos verberare, etiam in ſacris conſtitutos modo non excedatur modus, quia Superiores poſſunt uti mediis ordinariis ad ſalutem ſuorum ſubditorum; hujuſmodi autem medium ſunt verbera moderate inflicta

2 Subditi ſuis ſuperioribus amorem, reverentiam, & obedientiam præſtare debent quia amor, reverentia, & obedientia exhibenda eſt parentibus illiſque, qui parentum vices gerunt Superiores autem vices parentum gerunt: & propterea Chriſtiani tenentur ſub mortali obedire ſummo Pontifici in re gravi, & juſta. Diæceſani Epiſcopo, Parochiani Parochis, ſervi Dominis, ſubditi Superioribus, & Populi ſuis Principibus in iis, in quibus ſunt, nam obedientia ſuperioribus præſtanda eſt, & ſubditi tenen-

M m tur-

tur ſuperioribus ſuis Indigentibus neceſſaria ad victum ſuppeditare, honorem, & obedientiam præſtare non ſolum probis, ſed etiam improbis, non enim ſoli virtuti, ſed etiam dignitati, & excellentiæ debetur honos; famuli graviter peccant dum non obediunt Domino in rebus magni momenti aut grave damnum inferunt, aut non impediunt, ne Dominus damnum patiatur.

Circa quintum Decalogi præceptum.

Non Occides.

Quodnam homicidium ſit licitum, vel illicitum.

Utrum liceat occidere aliquod vivens, ut animalia &c. Cap. 739.

1 LIcitum eſt occidere animalia in uſum hominum; & propterea licita eſt venatio ferarum ſecularibus; venatio vero non clamoroſa videtur concedi poſſe clericis honeſtæ recreationis gratia.

Utrum liceat occidere maleſactores. Cap. 749.

1 LIcitum eſt publica auctoritate occiderere maleſactores, quia ita poſtulat bonum commune, ut homines a criminibus retrahantur, & ſic licite poſſunt à privato homine interfici proſcripti, contra quos lata eſt ſententia capitis, quia hoc fit publica auctoritate juſtitiæ, cujus quilibet eſt miniſter, ut delinquentes retrahantur a delictis: ſecus dicendum, quando non eſt lata ſententia capitis: aut quando ea lata proſcriptus eſt extra territorium ejus, qui condemnavit, tunc enim non poteſt occidi cum ſit extra ditionem condemnantis, & alioquin fiat iniuria principi, qui concedit ſecuritatem in eo loco; contrarium dicendum, ſi princeps illius loci concedat facultatem ut occidatur, tunc enim non videtur grave peccatum occidere bannitum ex licentia expreſſa, vel tacita, vel præſumpta Principis, aut Reipublicæ in cujus territorio bannitus moratur; ſic etiam proſcripti poſſunt ſe ipſos invicem etiam proditorie, & per inſidias occidere propter propoſitum ſibi præmium à Principe, vel ob promiſſam ſibi libertatem, quia hoc fit publica auctoritate, & aliquando expedit communi bono.

Utrum homini privato licitum ſit occidere tyrannum. Cap. 741.

1 TIrannus dupliciter dicitur: Primo ſolo regimine, & adminiſtratione, quando injuſte onerat ſubditos, vel eos ſpoliat, vexat, &c. Secundo Uſurpatione, & invaſione Regni, quando ſcilicet armis, & vi alienum imperium iniuſte invadit, vel occupat. Non licet homini privato interficere legitimum Principem, qui eſt Tyrannus ſolo regimine, & adminiſtratione: quia hoc definitum eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. Sed licitum eſt homini privato occidere Tyrannum, qui abſque ullo titulo uſurpat, & invadit imperium, modo iſtæ conditiones interveniant. Prima ut non pateat recurſus ad ſuperiorem: quia ſi patet, non licet occidere. Secunda ut conſtet eſſe Tyrannum titulo imperii, Tertia ut conſtet de voluntate ſaltem præſumpta reipublicæ cupientis ejus mortem. Quarta ut non timeantur majora mala ab ejus ſucceſſoribus: quia tunc non dicitur Rex, ſeu Princeps, ſed hoſtis reipublicæ.

Utrum liceat Clericis occidere maleſactores. Cap. 742.

1 NOn eſt licitum Clerico aliquem occidere, non ſolum privata auctoritate, ſed neque publica: quia prohibitum eſt Clericis jure humano immiſcere in cauſa ſanguinis, ſeu mortis, ſeu mutilationis: patet ex Sententiam ne Clerici, vel Monachi Nomine Clericorum intelliguntur in Sacris, & in minoribus ordinibus conſtituti. Initiati autem ſacris ordinibus peccant mortaliter ferendo ſententiam circa cauſas Sanguinis abſque licentia ſummi Pontificis, non autem in minoribus conſtituti, ſed tantum venialiter. Clerici, vel Prælati Eccleſiaſtici habentes juriſdictionem temporalem poſſunt abſque alio privilegio conſtituere judices ſeculares in cauſa Sanguinis.

Utrum

Utrum aliquis poſſit ſe ipſum occidere, & quot peccata committit, qui ſe ipſum occidit.
Cap. 743.

1 NOn poteſt aliquis ſe ipſum directe occidere, quia liber homo non eſt dominus vitæ, & membrorum & ideo in Concilio Bracharenſi decernitur, ut pro illis,qui ſe ipſos occidunt, nulla fiat oblatio, vel oratio, & ut eorum cadavera non deferantur ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Poteſt autem aliquis tripliciter cooperari ad propriam mortem. Primo indirecte, per accidens, & mediate, exponendo vitam periculo ob rationabilem cauſam, aut ommittendo actiones ad vitam neceſſarias: Secundo immediate, & directe, ſed ex præcepto Dei, ſub cujus dominio vita noſtra continetur. Tertio poteſt aliquis publica auctoritate ad ſuam mortem cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum pœnæ, ut eſt ſumptio veneni: hæc enim cooperatio non videtur contraria juri naturæ, ſi fiat coacte. Qui ſe ipſum occidit dupliciter peccat. Primo contra propriam charitatem, qua tenetur ſe ipſum diligere, & conſervare. Secundo peccat contra juſtitiam: facit enim iniuriam Deo, qui habet altiſſimum dominium ſupra vitam hominum.

Utrum in aliquo caſu liceat ſe mutilare ob ſanitatem corporis vel animæ. Cap. 744.

1 LIcitum eſt ſibi amputare membrum, vel membri partem, quando illius amputatio neceſsaria eſt ad ſalutem totius corporis, quia homo tenetur vitæ ſuæ periclitanti opitulari remediis ordinariis, non valde difficilibus: quando igitur membrum aliquod eſt toti corpori perniciosum, jus naturæ dictat abſcindendum eſse, ut vitæ opitulemur: Non autem licet ſibi membrum, vel membri partem mutilare ad ſanitatem ſpiritualem, ut ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum, quia membri amputatio, non eſt medium neceſſarium ad ſalutem animæ, & ex alia parte quilibet tenetur vitam conſervare, quę conſtat ex integritate membrorum.

Utrum liceat occidere innocentem.
Cap. 745.

1 NOn eſt licitum occidere directe innocentem, quia nullus habet dominium vitæ alterius, nec poteſt eam tollere, niſi ad neceſſariam defenſionem: ut infra dicetur, vel ob juſtam criminum punitionem cum publica auctoritate; indirecte autem aliquando aliquo modo ad mortem innocentis cooperari licitum eſt; Primo licet reipublicæ ad ſe liberandam tradere innocentem Tyranno, qui cum petit ad necandum, & non vult deſiſtere ab obſidione, niſi ei tradatur aliquis innocens: in quo eventu tenetur innocens mortem obire pro patria, & ultro offerre ſe Tyranno. Secundo licet ſubvertere in bello juſto mœnia, vel turrim, in qua multi innocentes opprimentur, quando hoc eſt neceſſarium ad victoriam, quia non intenditur mors innocentium, ſed procuratur victoria permiſſa morte innocentium. Pueri Saracenorum, aut Turcarum, aut alii innocentes qui capiuntur bello juſto non poſſunt occidi, quia ſunt innocentes, nec eſt licitum occidere obſides innocentes, licet qui eos miſerunt, non ſtent promiſſis, quia intrinſice malum eſt occidere directe innocentes.

2 Nunquam licitum eſt ante, vel poſt animationem fœtus dare matri gravidæ pharmacum mortiferum fœtui, ſeu ex ſua vi ordinatum ad abortum, vel mortem fœtus, quando autem mater periculoſe laborat, & non ſupereſt aliud remedium, præter pharmacum ex ſua natura curativum illius morbi, poteſt hujuſmodi pharmacum adhiberi cum intentione expellendi morbum, licet mors fœtus nondum animati ſecutura ſit, quia mater utitur juro ſuo, cum habeat jus ſervandi vitam per remedia ordinaria: ſed quando fœtus eſt animatus, vel dubitatur, an ſit animatus, non licet in morbo periculoſo matris adhibere pharmacum ex ſua natura ſanitativum illius morbi, etiam ſi adhibeatur cum intentione expellendi morbum, quia proles cenſetur eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali: ſalus autem ſpiritualis præferenda eſt propriæ corporali, nec fœmina poteſt adhibere remedium impediens conceptionem fœtus ad evitandam infamiam, aut mortem quia hoc eſt contra naturam generationis.

Digitized by Google

Contra procurantes abortum conſtituta eſt. Primo pœna mortis. Secundò conſtituta eſt excommunicatio contra fœminas, alioſve procurantes abortum fœtus animati.

Utrum poſſimus, vel teneamur occidere alium ad noſtram defenſionem. Cap. 746.

1. Tunc ſervatur moderamen inculpatæ tutelæ, quando efficitur id tantum, quod expedit ad vitam conſervandam, ac defendendam, ſeu quando adhibetur ea moderatio, & cautio, ſine quia injuria repelli non poteſt; ut autem licita ſit occiſio alterius ad ſui defenſionem requiritur. Primo, ut vis ab altero inferatur, & invaſor injuſtè invadat, quia ſi vis nobis non inferatur, non eſt cur nos vim alteri inferamus. Secundò, ut occiſio fiat in ipſo actu aggreſſionis. Tertiò ut occiſio non fiat poſt factum, quia eſſet ultio. Quartò ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quintò ut invaſus probabiliter credat, ſe graviter lædendum, vel occidendum, ſi vim non repellat, ſeu invaſorem non occidat: & ſic licitè poſſumus occidere injuſtum aggreſſorem ob defenſionem vitæ, & membrorum noſtrorum, intervenientibus ſupradictis, quia vim vi repellere permittitur ab omnibus legibus, & propterea ſi invaſus occidat injuſtum invaſorem non peccat, nam utitur jure ſuo à natura conceſſo, etiam ſi invaſus dederit occaſionem invaſionis, per furtum vel adulterium, vel contumeliam; licet enim per hæc dederit cauſam invaſionis; non propterea amiſit jus vitæ propriæ defendendæ: nec incurritur irregularitas occidendo, unde licitum eſt filiis contra parentes, Monachis contra Abbates, Servis contra Dominos, vaſſallis contra Principes vim vi repellere, modò vis injuſtè inferatur.

2. Non tenetur regulariter loquendo occidere invaſorem ob defenſionem vitæ noſtræ, ſæpe enim laudibilius eſt permittere ſe occidi, quam occidere: ut patet exemplo Chriſti, & Sanctorum, qui cùm ſe poſſent defendere, mortem potius oppetitur: tenemur tamen occidere invaſorem. Primo quando invaſus eſt valde utilis Reipublicæ, bonum enim commune præferendum eſt privato. Secundò, quando ex invaſi morte ſequeretur maximum damnum familiæ, ut uxori, & filiis. Tertiò quando invaſus putat ſe eſſe in peccato mortali, & timet damnationem, ſi tunc temporis occidatur, quilibet enim tenetur magis diligere ſalutem animæ ſuæ quàm proximi: licet intendere mortem adverſarij tamquam finem, & medius ad defendendam vitam propriam; melium autem neceſſarium ad defenſionem vitæ noſtræ eſt ferire, percutere, & occidere inimicum, ut defendamus vitam noſtram, quam aliter tueri non poſſumus, nec repugnat quinto Decalogi præcepto: nec habet malitiam homicidii, cum fiat ad defenſionem propriæ vitæ, ad quam tuendam habemus magnum jus,

Utrum licitum ſit prævenire eum, qui paratus eſt injuſtè aggredi. Cap. 747.

1. Non eſt licitum prævenire aggreſſorem propriæ vitæ antequam inceperit moraliter aggreſſionis actum: quia non licet alium occidere, niſi ad vim repellendam, ſed ante actum aggreſſionis non infertur ulla vis, quæ ſit repellenda, ideo non licet prævenire, ſi autem jam moraliter incepit actum, nec eſt alia ſpes evadendi, licite poteſt occidi, quia vim inferre cenſetur.

Utrum licet occidere invaſorem facultatum, honoris, & pudicitiæ. Cap. 748.

1. Omnibus tam laicis, quam Clericis licitum eſt occidere invaſorem ſuarum facultatum, quoties aliter ſalvari, vel occupari non poſſunt, modo ſint magni valoris; quia ordo charitatis non obligat ad negligenda propria bona propter proximum non exiſtentem in neceſſitate: quia autem injuſte invadit, non dicitur exiſtere in neceſſitate, cùm voluntariè ſubeat periculum: & fures arriperent occaſionem ſurripiendi res alienas: ſi non liceret eas defendere, & earum invaſores occidere, & ſic non eſt peccatum contra juſtitiam occidere furem, dum fugit, ut ſi equum mihi ſurripit, & fugit, poſſum illum inſequi, telo confodere, & ferire, quando fur præmonitus de morte recuſat rem acceptam di-

dimittere. Sic etiam licitum eſt viro honorato occidere invaſorem inferentem ignominiam, quando aliter ignominia evitari non poteſt, iuxta illud Proverb 22. (Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ,) unde licitum eſt occidere invaſorem, qui fuſte, vel alapa percutit, ut inferat ignominiam. Sic etiam licitum eſt cuilibet pro defenſione ſuæ pudicitiæ occidere invaſorem, quando pudicitia fugiendo, aut vociferando, aut alio modo defendi non poteſt, quam occidendo: quia præſtantius bonum eſt.

Utrum in iis caſibus, in quibus poſſumus defendere vitam, & facultates noſtras poſſimus, aut teneamur defendere proximum, & ejus bona externa. Cap. 749.

1 IN iis caſibus, in quibus poſſumus defendere vitam noſtram, & bona noſtra, poſſumus defendere vitam, & bona proximi, etiam cum morte invaſoris, quando mors invaſoris neceſſaria eſt ad defenſionem proximi: quia poſſumus cooperari bono, & ſuſcipere partem innocentis: & non ſolum poſſumus, ſed etiam tenemur ſub mortali proximum defendere, quando poſſumus illius vitam, vel bona defendere, abſque noſtro notabili incommodo: quia tenemur ex charitate diligere proximum, & ſuſcipere cauſam innocentis indigentis noſtro auxilio: & propterea qui non impedit damnum proximi, graviter peccat: quoties illud impedire poteſt abſque notabili ſuo detrimento.

De Bello.

Utrum licitum ſit bellum Chriſtianis. Cap. 750.

1 NOmen belli deſumptum eſt à bellius, quia nihil habet bellum propter varia, & diverſa incommoda, quæ bellum comitantur: definiri autem poteſt hoc modo, Bellum eſt armorum conflictus, ſeu profeſſio nocendi vi, & armis contrariæ parti, & eſt duplex unum offenſivum quod etiam vindicativum appellatur, alterum defenſivum quo quis tuetur ſe contra aggreſſorem. Licitum eſt bellum apud Chriſtianos, quia jure naturæ competit hominibus, propulſando iniurias, defendendo, & prohibendo ne injuriæ inferantur, & aliquo modo ulciſcendo, amovendo injurias illatas, ut cives hoc modo tuti, & ſalvi vivere poſſint, hoc autem aliquando alia ratione effici non poteſt, quam per bellum, nam non eſt aliquis utrique parti ſuperior, ad quem fiat recurſus pro compenſatione, & vindicta injuriæ conſequenda.

Quænam conditiones requirantur, ut bellum ſit licitum. Cap. 751.

1 UT bellum ſit licitum tres conditiones requirunt. Prima eſt auctoritas indicentis, neceſſe enim eſt, ut indicens bellum habeat auctoritatem indicendi ut patet ex c. quid culpatur 23. q. 1. hoc autem intelligendum eſt de bello offenſivo; nam de bello defenſivo dicendum eſt, licitum eſſe cuicumque interveniente neceſſitate, & recta intentione vim vi repellere, propria auctoritate: unde prælianti cum legitima auctoritate præberi poteſt auxilium ab iis, quorum nihil intereſt bellum gerere, quique nullam acceperunt injuriam: quia licitum eſt alium in bono opere adjuvare, quale eſt bellum juſtum. Secunda conditio eſt recta intentio, & tunc eſt recta intentio quando bellum ſuſcipitur ob bonum commune, ob pacem, &c. verum iſta conditio non adeo neceſſaria eſt, ut ea deficiente bellum dicatur iniuſtum, inducens obligationem reſtituendi; quam obligationē inducit defectus primæ, & tertiæ conditionis. Tertia conditio eſt juſta cauſa, & juſta cauſa cenſetur adeſſe, quoties bellum ſuſcipitur ad juſte impediendam, aut vindicandam, aut compenſandam injuriam. Materialiter, & re ipſa bellum non poteſt eſſe iuſtum ex utraque parte, nam realiter ius competit uni ſoli, formaliter vero, & per accidens poteſt eſſe iuſtum ex utraque parte, ut propter invincibilem ignorantiam alterius partis, aut propter opinionem probabilem, quam quiſque ſequi poteſt etiam in bello indicendo: aut quando utraque pars judicio prudentum virorum credit, ſe habere iuſtam cauſam indicendum bellum. Quando licitum eſt infidelibus bellum inferre, aut eos privare bonis, & vita: dicendum eſt triplex eſſe genus Infidelium. Quidam ſunt ſubiecti Principi

Chriſtiano de facto, & de jure, ut ſunt Iudæi in Italia, & alii, qui habitant in terris Chriſtianorum: quidam ſunt ſubiecti Chriſtianis de jure, & non de facto, ut ſunt Turcæ, & alii inique occupantes terras, in quas Chriſtiani habent jus, licet de facto a Turcis poſſideantur. Quidam denique non ſunt ſubiecti de jure, neque de facto, ut ſunt Indi, & Pagani, qui nunquam ſubiecti fuerunt imperio Romano: nec poſſident terras Chriſtianorum. Interveniente igitur juſta cauſa licitum eſt bellum inferre infidelibus, qui ſunt ſubditi Principibus Chriſtianis de jure, & de facto, & ideo poſſunt à principibus Chriſtianis privari bonis, aut vita propter commiſſa delicta, vel propter commune bonum: ſic etiam licitum eſt bellum illis Infidelibus inferre, qui de jure ſunt ſubiecti, ſed non de facto, & poſſunt privari bonis, & terris quas poſſident à principibus, ad quos jure hereditatis ſpectant, non autem eſt licitum bellum inferre infidelibus, qui nec de jure, nec de facto ſubiecti ſunt: nec eſt licitum eos privare ſuis bonis, nam Principes Chriſtiani nullum ſuper illos habent ius: poteſt tamen contra hos bellum iuferri, quando impediunt prædicationem Euangelii, nam faciunt iniuriam Eccleſiæ, quæ accepit poteſtatem à Chriſto prædicandi Evangelium in toto orbe: hæc autem iniuria poteſt per bellum propulſari: ſic etiam contra hos bellum inferri poteſt, quando committunt peccata, quæ afferunt damnum proximo, quæ poſſunt à Principe impediri, & ideo poteſt Princeps bellum infidelibus inferre, quando impediunt aliorum converſionem, aut inferunt injuriam, aut vivunt more belluarum comedendo innocentes.

Quænam licite fiant in bello. Cap. 752.

1 ILla omnia licitè fiunt in bello, quæ accomodata ſunt, aut ad rem ablatam recuperandam, vel compoſitionem faciendam, aut ad vindictam ſumendam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam, & ſtabiliendam: quia in actione juſta licitum eſt adhibere ea omnia media, quæ neceſſaria ſunt, & apta ad finem conſequendum: finis autem belli, vel eſt recuperatio rei ablatæ, & illius compenſatio, vel vindicta juſta, vel pax.

A quibus, & quo tempore bellum gerendum ſit. Cap. 753.

1 CErtum eſt bellum juſtum geri poſſe à laicis, nam ipſis nulla extat prohibitio, Clericis in minoribus conſtitutis licitum eſt pugnare in bello propria manu, Clericis vero maioribus ordinibus inſignitis prohibitum eſt jure Eccleſiaſtico: poſſunt tamen alios hortari, ad bellum, aut intereſſe bello ad ferenda ſpiritualia ſubſidia, aut cohortari in genere ad pugnandum ſine intentione particulari occiſionis alicuius: poſſunt etiam clerici pugnare in bello ad defenſionem ſui, vel ſuorum, quando mors propria, vel amici vel ſociorum non poteſt aliter evitari: multo magis poſſunt pugnare pro defendendo Rege, Principe, patre, exercitu, & civitate quando aliter defendi non poteſt: extra autem neceſſitatis articulum in Clericis in majoribus ad bellandum requiritur auctoritas Summi Pontificis. Quolibet autem tempore bellum iniri poteſt excepto tempore induciarum, & die feſto, quia nulla extat prohibitio circa tempus, excepto tempore induciarum, quia fides data ſervanda eſt: in die feſto abſtinendum eſt à bello, niſi neceſſitas urgeat, quia vacandum eſt rebus ſpiritualibus.

De reſtitutione propter homicidium.

Ad quid reſtituendum teneatur homicida, aut vulnerator. Cap. 754.

1 PRovocantes ſe ad pugnam, vel ad duellum, ad nullam tenentur reſtitutionem ſi ſe occidant, qui provocantes ſe cenſentur cedere juri ſuo, & ſic provocatus ad pugnam non tenetur ad reſtitutionem occidendo provocantem. Homicida tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſed non ad integram, quando ſe defendendo occidit invaſorem excedendo notabiliter juſtam moderationem, ita ut peccet in illo exceſſu; quia facit iniuriam alteri, & eſt cauſa iniuſta damni; non tenetur ad integram reſtitutionem, quia qui prior alium invadit, videtur ex parte cedere juri ſuo, conſequenter invaſus non obligatur ad reſtitutionem omnium damnorum, quia difficillimum eſt, ut invaſus iuſtum temperet dolorem, quia

tant

tantiſper excedat moderamen, & ideo æquitas non videtur poſtulare, ut invaſus obligetur ad reſtitutionem omnium damnorum: ſed potius ad arbitrium boni viri; invaſus non tenetur ad reſtitutionem occidendo invaſorem, cui dedit occaſionem invaſionis ſi occidit cum moderamine.

2 Homicida, aut vulnerator, qui alium aggreſſus eſt iniuſte, non ſolum tenetur reſtituere damnum emergens, & integras expenſas factas in curatione Morbi: ſed etiam lucrum ceſſans cauſa vulneris, illud ſcilicet, quod vulnerator conſecutus fuiſset, ſi vulneratus non fuiſſet. Uno verbo homicida, aut vulnerator tenetur ad omnia damna, quæ paſſus eſt occiſus aut vulneratus propter mortem, aut vulnus; quia iniuſta ſua actione fuit cauſa efficax damni, & ceſſationis iuſti lucri, ideo tenetur ad reſtitutionem: non eſt autem reſtituendum totum illud lucrum, quod occiſus, aut vulneratus conſecutus fuiſset, ſed quantum valebat ſpes lucri, nam lucrum erat in ſpe: lucrum autem minus valet in ſpe, quam in re: qui abſtulit lucrum in ſpe, tenetur reſtituere quantum valebat ſpes lucri iuxta arbitrium boni viri: ſunt enim detrahendæ expenſæ, quas occiſus feciſset in acquirendo lucro, ut ſunt expenſæ cibi, potus, &c. nam expenſæ non ſunt reponendæ in lucro, nam lucrum dicitur quod ſuper eſt deductis expenſis: ſolum ergo reſtituendum eſt, quanti valebat ſpes lucri, ad arbitrium boni viri deductis expenſis, nec eſt detrahenda laboris æſtimatio: quia ſi detrahenda eſset, ſæpiſsime nihil ſupereſset reſtituendum: quia lucrum ſæpe non eſt maius, quam ſit æſtimatio laboris, & merces tota labori reſpondet, unde abſurdum eſſet dicere, nihil reſtituendum eſſe, unde ſignum eſt non eſſe detrahendam laboris æſtimationem, nec eſt æſtimanda ſpes lucri futuri ob ætatem, quam vivere potuerit occiſus; ſed ſolum juxta probi viri, & prudentis judicium. Pro vita, vel membro, vel cicatrice hominis liberi nihil eſt formaliter, & ex juſticia reſtituendum in conſcientia, ut conſtat ex l. ult. ff. de iis qui effuderunt, in qua habetur liberum corpus nullam recipere æſtimationem quia reſtitutio, quæ debetur ex iuſtitia commutativa fieri debet ad æqualitatem, juxta rei æſtimationem: liberum autem corpus, & membra hominis nullam recipiunt æſtimationem, nam ſunt ſupra omne pretium pecuniarium, & humanum, reſtitutio autem facienda eſt de iis, quæ ſunt pretio æſtimabilia, ut eſt vita ſervi, & animalis: cenſeo tamen ex quadam æquitate, & charitate aliquid reſtituendum eſſe arbitrio prudentis viri. Nihil ordinarie reſtituendum eſt pro expenſis funeris, quia nullum ex hoc capite illatum eſt damnum: nam ſi occiſus periiſſet morte naturali adhuc factæ fuiſſent expenſæ. Nihil eſt reſtituendum ex juſtitia pro anima occiſi ad reparandum vitæ damnum: ſed ex conſilio, & æquitate naturali exiſtimo eſſe reſtituendum, & à ſacerdote poſſe jungi pro ſatisfactione Sacramentali. Hæres percuſſoris, vel homicidæ tenetur in illius factum reſtituere omnia damna ab eo illata, modo ſuperſint bona, ex quibus poſſit reſtitutionem facere.

Utrum occidens alium caſu peccet, & teneatur ad reſtitutionem. Cap. 755.

1 Homicidium aut eſt voluntarium & eſt quod intenditur ab homicida ut quando quis occidit aliquem animo occidendi; vel eſt caſuale, & eſt quando non eſt formaliter intentum: vel non eſt volitum in ſe, vel in cauſa, ex qua frequenter oritur homicidium, Occidens alium caſu, ſeu committens homicidium caſuale, non eſt proprie homicida, nec tenetur ad reſtitutionem: quia ille proprie dicitur homicida, qui committit homicidium voluntarium, quod autem fit caſu non eſt voluntarium, & ideo non inducit obligationem reſtituendi, nam obligatio reſtituendi conſurgit ex actione injuſta voluntaria, & propterea non tenetur ad reſtitutionem, qui inflixit alteri vulnus leve, & non lethale: ſed vulneratus ex negligentia medicorum periit, aut periit, quia noluit remedia opportuna adhibere, quia occiſio reſpectu vulnerantis eſt caſualis.

Quibus facienda ſit reſtitutio poſt mortem occiſi. Cap. 756.

1 Reſtitutio propter homicidium facienda eſt hæredibus neceſſariis occiſi: qui non poſſunt privari in totum hæreditate: non vero aliis, qui privari poſſunt, quia hæredes neceſſarii, tam ſtricto vin-

culo conjuncti erant cum occiſo, ut quaſi una perſona reputarentur ut ſunt filii, uxor, parentes &c. quia proprie cenſentur læſi in re ſua: non autem facienda eſt reſtitutio fratri occiſi: quia non erat ita conjunctus cum occiſo. Homicida non tenetur aliquid reſtituere creditoribus occiſi; quia nullam actionem injuſtam exercuit contra creditores. nec eſt aliqui reſtituendum illis, qui probabiliter ſperabant beneficium ab occiſo, aut qui ex liberalitate alebantur ob occiſo. In caſu autem, exempli gratia, tu occidiſti occulte Titium, ſed homicidium imputatur Cajo, eo quod Titii inimicus ab omnibus haberur: interim Cajus capitur à Satellitibus, & patitur multa damna, imo per falſos teſtes convictus plectitur capite: quæritur modo utrum tu, qui commiſiſti homicidium, non ſolum teneraris ad reſtitutionem damnorum, quæ patiuntur hæredes neceſſarii; ſed etiam ad reſarcienda omnia damna, quæ patitur Cajus, cum ipſe non occiderit Titium: reſpondeo homicidam vel ejus hæredes non teneri reſtituere damnum iis, quibus imputatur homicidium: nam illa actio homicidii non eſt cauſa, ſeu occaſio illorum damnorum: neque eſt actio injuſta reſpectu eorum, quibus homicidium imputatur: obligatio autem reſtituendi conſurgit ex actione injuſta; ex quo patet damnum Caii per accidens ſequi ex actione homicidii, per ſe vero, & directe pervenire ex falſa actione accuſatoris, & teſtium.

Circa ſextum, & nonum Decalogi præceptum.

Non Mœchaberis, & non concupiſces uxorem proximi tui.

In explicatione horum præceptorũ diutius non immorabor cum ea quæ ad hanc rem faciunt abunde fuerint explicata in tractatu de Matrimonio ut ſupra videri poteſt: hic ſolum ſupereſt explicandum, quid in his duobus præceptis prohibeatur.

De Concupiſcentia.

Quid ſexto, & nono Decalogi præcepto caveatur. Cap. 757.

1 Hoc ſexto, & nono Decalogi præcepto non ſolum prohibetur adulterium: verum etiam quælibet alia carnalis copula extra legitimum matrimonii uſum: imo etiam omnes alii actus, qui ad impudicam libidinem allicere, & promovere poſſunt, ut tactus, amplexus, oſcula, locutiones, ornatus laſcivi, litteræ amatoriæ, &c. Addo non ſolum prohiberi actus exteriores, verum etiam voluntatem, & affectum interiorem inordinatum rei Venereæ, nam prohibito uſu alienæ uxoris, lumine naturæ cognoſcitur, prohiberi etiam ipſius cupiditatem, quæ viam ad illum parat, nonum præceptum magna cum utilitate ponitur primo contra Judæos, qui falſo arbitrabantur tantummodo actum externum vetitum eſſe: ſecundo ut clarius, & diſtinctius appareat, concupiſcentiam, deſiderium, & affectum rei venereæ vetitum eſſe.

2 Peccata, quæ hoc præcepto prohibentur repugnant virtuti caſtitatis, quia virtus caſtitatis præcipit abſtinentiam à quolibet actu venereo, & luxurioſo; triplex eſt caſtitas. Virginalis, vidualis, & conjugalis. Conjugalis eſt illa, qua quis contracto matrimonio continet ſe ab omni re Venerea illicita. Vidualis non ſolum eſt illa, qua quis contracto & jam diſſoluto matrimonio abſtinet ſe ab omni re venerea, & hæc ſtricte vidualis caſtitas nuncupatur; verum etiam eſt illa, qua quis violata ſemel virginitate refugit à rebus Venereis. Virginalis reperitur in eo, qui nunquam carnalem copulam habuit, aut veneream aliquam delectationem interius, aut exterius voluntarie admiſit, quamobrem fœmina, quæ carnalem copulam habuit, aut in veneream aliquam delectationem conſenſit non habet caſtitatem virtuoſam, quamvis forte naturalem non amiſerit, cum una ab alia ſeparari poſſit, fœmina enim caſtitatem naturalem poſſidet quamdiu ab aliquo viro non fuit carnaliter cognita; ſeu quamdiu virginale clauſtrum illæſum retinet; fieri autem poteſt ut virginale Clauſtrum illæſum ſervet: etiam ſi alicui impudico actui, aut internæ delectationi conſenſum præſtiterit; quo in caſu virginitatem naturalem retinet, non vero virtuoſam: ex oppoſito fieri poteſt, ut virtuoſam retineat, amiſſa naturali: ut patet in fœmina, quæ per vim abſolutam, vel abſque ullo conſenſu corrumpitur, unde qui carnaliter cognoſcit

ſciſ fœminam numquam ab alio cognitam committit ſtuprum: etiam ſi fæmina illa conſenſum alias præſtiterit turpibus deſideriis, aut voluntariam pollutionem admiſerit: ſtuprum enim committitur dum naturalis carnis integritas frangitur, & virginale clauſtrum violatur, quamquam puella, quæ contactu aliquo externo, vel alia ratione pollutionem, aut aliam veneream delectionem admiſit, non eſt virgo coram Deo, nec laureolam virginibus promiſſam habitura eſt. Status virginitatis præſtantior, & magis meritorius eſt ſtatu Matrimonii quia majorem præbet facultatem orandi, Deo ſerviendi, nec non abſtinendi à voluptatibus carnis, quæ mentem à Deo, & ab aliis rebus ſpiritualibus avocant.

3 Peccata, quæ hoc præcepto prohibentur ſunt mortalia ex ſuo genere, quia ex ſuo genere gravem continent inordinationem, & rectæ rationi notabiliter adverſatur, nec ignorantia excuſat à mortali contra hoc præceptum, nec metus, ſeu minæ, vel timor infamiæ excuſat à peccato mortali in hac materia. Puella, quæ per vim opprimitur tenetur clamoribus ſe tueri, dum ſperat clamores profuturos: nam tenetur adhibere media neceſſaria ad impediendos turpes, & obſcænos actus, modo ut dicunt aliqui non adſit periculum notabilis damni, ut infamiæ, mortis, aut nimiæ verecundiæ; nam fœmina non tenetur alterius peccatum impedire cum tanto ſuo incommodo.

Circa ſeptimum, & decimum Decalogi præceptum.

Non furtum facies, & non concupiſces rem alienam.

De furto, & rapina. Cap. 758.

1 Furtum ex communi Theologorum ſententia definiri poteſt hoc pacto: furtum eſt occulta ablatio rei alienæ domino rationabiliter invito, dicitur occulta, ut diſtinguatur furtum à rapina, quæ committitur quando dominus non ignorat rem ſuam auferri, quando vero fur aliquid aufert, ignorante domino, committit furtum nam occulte rem alienam aufert ignorante domino. Non dicitur furtum committere; nec tenetur ad reſtitutionem, qui videnter, & non contradicente Domino rem ejus aufert, modo Dominus non taceat ex metu, aut verecundia, hoc enim caſu Dominus eſt invitus, ſi vero Dominus taceat abſque metu, aut verecundia, Dominus non cenſetur invitus: & ideo non cenſetur furtum committere, nec teneri ad reſtitutionem.

2 Rapina proprie ſumpta eſt ablatio rei alienæ per violentiam, per violentiam dicitur, ut diſtinguatur à furto, nam ratione violentiæ dominus eſt magis invitus quam ſit in furto, cujus involuntarii rapina inducit injuriam ſpecie diſtinctam à furto, cum non ſit eadem injuria, quando aliquid per vim alicui aufertur, ac quando dum ſurripitur. Violentia duplex eſt, una abſoluta, quæ fit ab aliquo omnino invito, & diſſentiente, altera ſecundum quid, ſeu conditionata, quæ accidit, quando quis per vim, & metum conſentit. Ad rapinam ſufficit hæc ſecunda violentia.

3 Furtum, & rapina ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, quia opponuntur juſtitiæ: omne autem peccatum contra juſtitiam eſt mortale ex ſuo genere: furtum autem poteſt fieri veniale. Primo ex indeliberatione, Secundo ex parvitate materiæ, Tertio quando Dominus non eſt invitus quo ad ſubſtantiam rei acceptæ, ſed ſolum quo ad modum, ut accidit quando Dominus ægre fert rem, quæ aufertur, non peti, ipſo caſu non inſurgit obligatio reſtituendi nec ſub mortali, nec ſub veniali, cum nil retineatur invito domino: Et illa quantitas eſt ſufficiens ad peccatum mortale furti, quæ omnibus conſideratis infert Domino grave damnum, vel notabili privat utilitate; quatuor autem ſunt genera perſonarum, in ordine ad quas metienda eſt gravitas, & levitas furti. Primo aliæ ſunt perſonæ illuſtres, quæ ſplendide alunt familiam. Secundo aliæ ſunt quæ vivunt ex ſuis redditibus, nec aliquo indigent artificio ad vitam ſuſtentationem. Tertio aliæ ſunt, quæ ſe ſuo ſuſtentant artificio, & opera. Quarto aliæ ſunt, quæ mendicando ſibi conſulunt, & proſpiciunt. Reſpectu perſonarum primi generis nummus aureus ut minimum eſt materia notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale. Reſpectu perſonarum ſecundi generis quatuor regales circiter ſunt materia notabilis ſufficiens ad peccatum mortale. Reſpectu perſonarum tertii generis duo regales circiter

ter, ſunt materia ſufficiens ad peccatum mortale furti. Reſpectu perſonarum quarti generis unus regalis, vel dimidius eſt materia ſufficiens ad peccatum mortale furti. Parvitas autem materiæ non eſt eadem in omnibus: ſed variatur pro varietate conditionis: & eadem res uno tempore non ſufficit ad mortale: alio vero tempore: aut alio loco ſufficere, quia una, & eadem res magis uno modo æſtimatum quam, & ideo non eſt ſemper determinata ad peccatum mortale ſed majorem, vel minorem requirit pro diverſitate circumſtantiarum augentium, vel minuentium ejus æſtimationem.

Utrum ſurripiens rem modicam animo, vel ſine animo ſurripiendi majorem peccet mortaliter.
Cap. 759.

1 QUi furatur minima animo furandi ſucceſſive majora peccat mortaliter: ſic qui minima furatur ſæpius abſque animo ſurripiendi majora peccat mortaliter, quando pervenit ad tantam ſummam, vel quantitatem, quæ continuatæ cum præcedente eſt notabilis: quod intelligendum eſt, non ſolum quando aliqua paulatim ab uno, & eodem auferuntur: ſed etiam quando auferuntur à diverſis, quia alioqnin injuſti venditores, qui doloſis ponderibus, vel injuſtis menſuris vendunt, ſubtrahentes aliquid modicum à ſingulis emptoribus, poſſunt ditari abſque peccato mortali, neque tenerentur ſub mortali ad reſtitutionem, quod eſt falſum, & pernicioſum in republica: & licet hujuſmodi furta nulli particulari notabiliter noceant; nocent tamen notabiliter toti communitati. Quando non adeſt intentio ſurripiendi paulatim notabilem quantitatem alicui perſonæ, aut eidem communitati, neque brevi tempore, furta non cenſentur moraliter continuari, ita ut integrent unam materiam notabilem ſufficientem ad peccatum mortale, & inducant obligationem reſtituendi ſub peccato mortali: quia nulli perſonæ particulari, aut communitati infertur notabile damnum, peccat autem mortaliter, qui poſtquam pervenit ad quantitatem notabilem, rurſus committit alia levia furta, quia illa quantitas continuatur moraliter, & ſicut quantitas præcedens erat ſufficiens materia peccat mortalis, ita etiam ſubſequens eſt ſufficiens materia peccati mortalis, quatenus continuatur cum præcedente ratio implicite, vel explicite voluntatis retinentis quantitatem præcedentem. Sic etiam committitur peccatum mortale, quando plures de communi conſenſu, aut ſcienter auferunt ab eodem rem levem reſpectu ſingulorum, quæ tamen notabilis eſt ſi collective ſumatur reſpectu omnium: & oritur obligatio reſtituendi. Unde dicendum. Primo quando leve damnum à ſingulis infertur, quod ob temporis intervallum non poteſt moraliter continuari, nullus tenetur ſub mortali reſtituere, quamvis ſinguli non ignorent illatum eſſe ab aliis leve damnum, quia homines minus ægre ferunt res minimas ſibi longo intervallo auferri, quam ſimul, & brevi intervallo. Secundo quando plures levem quantitatem abſtulerunt, neſcientes aliam quantitatem ablatam eſſe à ſociis, ſed quantitas reſpectu omnium collective eſt notabilis, tenentur omnes ſub mortali ſuam partem reſtituere poſtquam cognoverunt quantitatem ablatam ab omnibus eſſe notabilem, ſi collective ſumatur. Tertio quando plures intulerunt damnum notabile, quod reſpectu ſingulorum eſt leve: ſi unus reſtituat, ſuam partem, ita ut ea reſtituta materia quæ retinetur aliis ſimul ſumpta, non remaneat notabilis, cœteri remanent exempti ab onere ſub mortali: non enim ſunt cauſa notabilis damni poſt factam à ſocio reſtitutionem: fur jure civili poteſt occidi, vel ſuſpendi publica auctoritate ob multiplicata furta, vel ob aliquod ingens furtum: quia ſic poſtulat commune bonum; jure vero Canonico, fur qui occiditur inter furandum privatur Eccleſiaſtici ſuffragiis.

Utrum liceat in neceſſitate ſurripere.
Cap. 760.

1 NEceſſitas alia eſt gravis, quam patiuntur ii, qui non habent neceſſaria ad ſuum ſtatum: alia extrema, quam patiuntur ii, qui non habent omnino neceſſaria ad ſuſtentationem, & victum, qualis neceſſitas eſt illa, qua quis exiſtit cum periculo vitæ, aut gravis morbi, licitum eſt abſque peccato mortali ſurripere in extrema neceſſitate ad ſublevandam neceſſitatem:

quia

Digitized by Google

quia neceſſitas extrema facit omnia communia, ut eſt commune axioma, & ideo ſurripiens in extrema neceſſitate non poteſt à Domino impediri, quia utitur jure ſuo, ſurripiendo rem quæ fit communis pro, ter neceſſitatem extremam: unde ſi a beo impediatur, poteſt ſe tueri, & occidere impedientem ſervato moderamine incu'paræ tutelæ. Non autem licet in gravi neceſſitate aliquid ſurripere: quia in hujuſmodi neceſſitate res eſt aliena, cum ſola neceſſitas extrema faciat rem communem, & Dominus eſt invitus, non eſt autem licitum rem alienam invito domino ſurripere. & propterea laborans gravi neceſſitate peccat mortaliter aliquid ſurripiendo in notabili quantitate, & tenetur ad reſtitutionem, quia rem alienam non accipit invito domino.

* *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. infraſcriptas damnavit propoſit.*

36 Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

De reſtitutione ob defraudata veſtigalia.

Utrum fraudans publica Vectigalia peccet, & teneatur ad reſtitutionem. Cap. 761.

1 FRaudantes vectigalia juſta pro mercibus impoſita peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, quia peccant traſgrediendo legem juſtam; fraudantes vero vectigalia impoſita pro uſualibus probabiliter excuſari poſſunt à peccato mortali, & ab obligatione reſtituendi, quia uſu, & conſuetudine videtur ita receptum: & quia per exactionem horum vectigalium ſubditi plus graventur, quam gravari debeant. Quando juſte impoſitum eſt vectigal ſubditus tenetur ſponte aperire quæ advehit, ſi conſuetudine receptum ſit, ut cæteri ſponte aperiant, quando autem dubitatur de juſtitia vectigalis, quod de novo imponitur, quando vetus augetur, de cujus juſtitia non conſtat, vectigal debet ſolvi: quia in dubio negativo præſumendum eſt vectigal juſte impoſitum eſſe quia in dubio præſumendum eſt in favorem Principis poſſidentis. Obligatio vero ſolvendi vectigal, ſeu tributum ceſſat quando ceſſat cauſa, propter quam impoſitum fuit: quia alias vectigal, injuſte exigeretur. Officiales poſſunt facere executionem in illis mercibus pro quibus non eſt ſolutum vectigal, quamvis merces ad alios pervenerint.

Utrum Clerici ſint immunes à vectigalibus, tributis, & aliis oneribus impoſitis a Principibus ſæcularibus. Cap. 762.

1 NOn ſolum Clerici majoribus ordinibus inſigniti, verum etiam initiati minoribus, aut prima tonſura, ſaltem ſi incedant cum habitu, & tonſura, & inſerviant divinis, aut habeant beneficium Eccleſiaſticū juxta *Tridentini decretum ſeſſ. 23. c. 6.* niſi per Apoſtolicum privilegium aliter receptum ſit, immunes ſunt ab obligatione vectigalium, tributorum, & aliorum onerum. Excipitur, Primo quando Clericus habitum aſſumit, non animo perſiſtendi in ſtatu Clericali ſed in fraudem vectigalium. Secundo quando Clericus eſt conjugatus. nam Clericus conjugatus gaudet ſolum privilegio Canonis, & fori, ſi duxit virginem, & gerit habitum, & tonſuram: ſecus eſt dicendum de Clericis Græcis conjugatis, iſti enim ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudent immunitate gabellarum. Tertio quando clericus exercet negotiationem, nam de rebus quas negotiationis gratia advehit, tenetur ſolvere vectigalia: ſi vero vendat vinum, oleum, & alia, & quæ percipit ex propriis bonis, non tenetur ſolvere gabellam, non enim dicitur negotiari, vendendo res collectas ex propriis bonis tam Eccleſiaſticis, quam patrimonialibus. Quarto quando clericus acquirit bona, ſeu poſſeſſiones affectas aliquo certo, & ordinario onere, ut onere ſolvendi cenſum Principi vel reparandi vias publicas vicinas, tunc enim clerici tenentur ad vectigalia ſolvenda, non vero tenentur ad novum, quod de novo imponitur, vel ad extraordinarium. Exemptio autem Eccleſiaſticorum non poteſt per conſuetudinem auferri, ſive dicamus exemptionem Eccleſiaſticorum eſſe de jure divino, cum nulla conſuetudo poſſit jus divinum abrogare; ſive dicamus eſſe de jure humano; quia ad abrogandam legem requiritur longa conſuetudo: hæc autem conſuetudo non reperitur, cum ſingulis annis renovetur bulla in Cœna Domini quia eſt privilegium factum in perpetuum ad remuneranda beneficia ſpiritualia

lia, quæ percipiuntur ab Eccleſiaſticis: huiuſmodi autem privilegium non poteſt revocari.

2 Imponentes, vel exigentes gabellas, vectigalia, vel alia tributa à Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, vel ex eorum bonis, incurrunt cenſuram excommunicationis non ſolum latam, & reſervatam in bulla Cænæ, ſed etiam latam, ſed non reſervatam in c. quamquam de cenſuris in 6. ad quam incurrendam ſufficit; Primo ſi quis auxilium, vel favorem, vel conſilium præſtet ad huiuſmodi tributa imponenda, vel ad exigenda impoſita. Secundo ſufficit non ſolum, ut ea directe imponat perſonis Eccleſiaſticis, vel eorum bonis: ſed etiam ſi indirecte, ita ut damnum in clericos redundet: ut ſi quis imponat gabellas Colonis Clericorum, nam onus huiuſmodi gabellarum afficit indirecte clericos, quatenus Clerici compellentur minori pretio ſuas poſseſſiones locare, quam locaſsent, non impoſitis directe, vel indirecte gabellis, in bulla autem dicitur directe, vel indirecte. Tertio ſufficit, ut quis exigat gabellas, vel alia onera à Clericis etiam ſponte dantibus; non quia ſit prohibitum aliquid accipere à Clericis aliquid donantibus propria ſponte, & voluntate omnino libera, & abſoluta: ſed quia vetitum eſt aliquid accipere tamquam ſibi debitum vel ex impoſitione onerum, etiam ſi accipiatur abſque alia vi, vel vocatione, vel petitione prȩvia: in qua prohibitione bullæ Cȩnȩ compræhenduntur bona patrimonialia Clericorum.

De reſtitutione ob furtum filii familias, uxoris, religioſi, & famulorum.

Utrum filius familias peccet mortaliter peccato furti, accipiendo occulte bona patris, & teneatur ad reſtitutionem.

Cap. 763.

1 FIlius, qui notabilem ſummam accepit ex bonis, quorum poſseſſionem, vel uſumfructum habet pater, peccat mortaliter peccato furti, & tenetur ad reſtitutionem, quia facit contra iuſtitiam, quæ obligat ad reſtitutionem; ita etiam filius, qui accipit bona, quorum pater habet dominium, vel uſumfructum tenetur reſtitutionem facere ex re ablata ſi extat, ſi vero non extat tenetur ex aliis bonis ſi habet, ſi non habet tenetur in partitione hæreditatis cum fratribus computare, quod ſurripuit, in ſuam partem. Eadem quantitas non ſufficit ad peccatum mortale furti reſpectu filii, quæ ſufficit ad peccatum reſpectu extraneorum, conſideratis opibus patris, conditione perſonarum, amore, & Indulgentia Patris in filios.

Utrum uxor committat peccatum mortale furti, & teneatur ad reſtitutionem capiendo, vel donando, ſeu expendendo aliquid ex bonis mariti, vel propriis.

Cap. 764.

1 UXor accipiens notabilem quantitatem ex bonis mariti, vel ex bonis, quorum maritus habet adminiſtrationem, & uſum fructum, peccat mortaliter peccato furti, & tenetur ad reſtitutionem, ſi hoc faciat abſque expreſso, vel præſumpto mariti conſenſu. Non autem peccat peccato furti, capiendo, donando, vel expendendo neſciente marito aliquid ex bonis, quorum habet dominium, & uſum fructum, & adminiſtrationem: quia accipit rem, cuius ipſa eſt domina, peccat vero mortaliter peccato furti accipiendo aliquid ex bonis communibus inſcio, & invito marito: quia uſurpat ſibi adminiſtrationem rei, quæ ad ipſam non pertinet, quia facit alteri iniuriam, & poteſt dici committere furtum: poteſt autem, Primo capere paraphrenalia: illaq; pro ſuo libitu diſtrahere, Secundo poteſt elargiri ea, quæ mulieres ſui ſtatus, & conditionis elargiri conſueverunt. Tertio poteſt ludere, & pecuniam accipere ad ludendum intra limites ſui ſtatus. Quarto poteſt accipere quod rogatus maritus facile concederet. Quinto poteſt accipere aliquid ad emendum ea, quæ Marito, & filiis, ac rebus domeſticis neceſsaria ſunt. Sexto ut ſubveniat laboranti extrema neceſſitate: & ad alia neceſsaria facienda.

Utrum Religioſus committat furtum accipiendo aliquid ex bonis Monaſterii.

Cap. 765.

1 REligioſus peccat mortaliter peccato furti, ſi poſt votum paupertatis factum in approbata Religione uſurpat ſibi in notabili quantitate res non neceſſarias

rias quia uſurpat ſibi dominium, vel uſum rei non ſuæ: quando autem propoſuit ſuam egeſtatem Superiori, poteſt capere neceſſaria ſi Superiori injuſte denegat ſubvenire, peccat tamen contra votum paupertatis, quando accipit neceſſaria abſque licentia Superioris, quæ Superior concederet, ſi peterentur: peccat Religioſus mortaliter contra votum paupertatis accipiendo illam quantitatem quæ ſufficit ad peccatum mortale furti contra ſeptimum Decalogi præceptum.

Utrum ſervus teneatur ad reſtitutionem fugiendo, aut aliquid auferendo à Domino. Cap. 766.

1 SErvus, qui ex contractu ſervire debet uſque ad certum tempus, peccat mortaliter contra juſtitiam fugiendo abſque cauſa rationabili, quia violat pacta, & conventiones Domini, interveniente autem rationabili cauſa poteſt fugere: Primo: quando non vult tradere ſervo ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſufficientem victum. Secundo quando Dominus eſt nimis auſterus in percutiendo. Tertio, quando non docet quæ docere debet. Quarto quando Dominus non obſervat pacta. Servus peccat peccato furti auferendo aliquid in notabili quantitate à ſuo domino: quia accipit rem alienam invito domino: poteſt tamen excuſari à mortali, quando minimam quantitatem victualium ſucceſſive furatur, quæ fit notabilis progreſſu temporis; modo illam convertat in proprium uſum: quia alias peccaret mortaliter.

* *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. infraſcript. damnavit propoſit.*

37 Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt

De Natura reſtitutionis.

Quid ſit reſtitutio, & quomodo differat a ſatisfactione, & ſolutione. Cap. 767.

1 REſtitutio, quæ ſignificat repoſitionem, ſeu conſtitutionem in priſtino ſtatu, eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo res accepta reſtituitur, vel damnum illatum compenſatur ei, cui debetur Juſtitia alia commutativa, alia diſtributiva, Diſtributiva conſiſtit in conferendis præmiis, dignitatibus, officiis, &c. juxta qualitatem, & merita perſonarum. Commutativa conſiſtit in reſtitutione rei ipſius, quæ debetur ad æqualitatem, non reſpiciendo merita perſonæ, ſed æqualitatem rei, quæ debetur: unde ſi furto accepiſti decem, decem etiam reſtituas oportet: Ex violatione ſolius juſtitiæ diſtributivæ non oritur obligatio reſtituendi, niſi quatenus ſimul violatur aliquod jus pertinens ad juſtitiam commutativam: quia reſtitutio dicitur actus juſtitiæ commutativæ, & propterea Princeps, qui confert officium digno relicto diginore, non tenetur ad reſtitutionem; quia non violat juſtitiam commutativam, ſed diſtributivam.

2 Reſtitutio in hoc differt à ſatisfactione, quod omnis reſtitutio eſt ſatisfactio non e contra; præterea reſtitutio fieri ſolet pro damno illato, vel re alterius; ſatisfactio vero exhibetur, etiam ſi nullum damnum illatum ſit, ut accidit quando quis præſtat ſatisfactionem alteri, quem contumeliis affecit, quamvis inde nullum damnum ſecutum ſit, à ſolutione vero reſtitutio per hoc differt: quod non omnis reſtitutio, & ſolutio; nec omnis ſolutio eſt reſtitutio: nam qui adimplet promiſſionem Deo factam per votum, dicitur ſolvere non reſtituere, qui vero reddit rem apud ſe depoſitam, dicitur reſtituere, non ſolvere: præterea reſtitutio fieri ſolet eadem re, vel æquali: ſolutio vero fieri ſolet de re diverſa quamvis ſæpe ſolutio pro reſtitutione, & reſtitutio pro ſolutione accipiatur.

De neceſſitate reſtitutionis faciendæ. Cap. 768.

1 REſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii: quia ſequeretur, retinentem rem alienam ex ignorantia invincibili, aut ex egeſtate, vel impotentia reſtituendi non poſſe ſalvare: ſed hoc eſt falſum, eſt autem neceſſaria neceſſitate præcepti, quia non remmittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: præceptum autem reſtitutionis eſt affirmativum: quia præceptum negativum ſemper obligat; ut eſt præceptum non blaſphemandi Deum: ſed preceptum reſtitutionis non ſemper obligat, & pro omni tempore, ſed ablata opportu-

portunitate reſtituendi; unde eſt præceptum affirmativum, & obligat ſub mortali: quia eſt actus juſtitiæ: juſtitia autem obligat ſub mortali, niſi parvitas materiæ excuſet.

Unde oriatur obligatio reſtituendi. Cap. 769.

1 OBligatio reſtituendi ex triplici ſaltem capite, ſeu radice naſcitur: Primo naſcitur ex reaccepta. Secundo ex injuſta acceptatione, ſeu damnificatione. Tertio ex contractu. Obligatio reſtituendi ex re accepta naſcitur, ut quando quis bona fide rem alienam conſumpſit, & in ea factus eſt ditior. Ex contractu naſcitur obligatio, ut contractus celebratus ratione pignoris, commodati, &c. ex injuſta acceptatione, aut damnificatione oritur obligatio reſtituendi, quando quis rem alterius abſtulit, vel alteri damnum intulit.

Ex quo delicto conſurgat obligatio reſtituendi ſeu quandonam obligatio reſtituendi naſci cenſeatur ex ſecunda radice. Cap. 770.

1 EX ſolo delicto contra juſtitiam, non vero contra alias virtutes oritur obligatio reſtituendi, quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ, unde qui novit in neceſſitate ſuccurrere indigenti, ad cujus neceſſitatem ſublevandam non tenebatur ex juſtitia, ſed ex charitate, non tenetur ad reſtitutionem quia non violavit juſtitiam, ſed charitatem. Non ſolum autem ex peccato mortali contra juſtitiam, ſed etiam ex peccato veniali conſurgit obligatio reſtituendi; quia qui paulatim magnam abſtulit quantitatem tenetur ad reſtitutionem, ideo ex peccato veniali contra juſtitiam conſurgit obligatio reſtituendi. Nulla autem obligatio reſtituendi extat, quando nulla culpa commiſſa eſt in damno inferendo: etiam ſi grave damnum illatum ſit, nam ubi non eſt culpa, ibi non eſt pœna, quæ ſupponit culpam, unde qui puteum aperuit, & apertum ex oblivione, & abſque culpa reliquit, non tenetur ad ullam reſtitutionem ei, qui in puteum lapſus eſt; nam aperiens puteum, aut apertum relinquens non peccavit contra juſtitiam.

* *Innocent. XI. die 2. Martii 1679. infraſcr. damnavit propoſit.*

38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

Qui teneatur ad reſtitutionem.

Utrum qui rem alienam bona fide accepit, vel alienavit, vel conſumpſit teneatur ad reſtitutionem. Cap. 771.

1 QUi rem alienam bona fide poſſedit credens eſſe ſuam tenetur ex juſtitia reſtituere ſtatim ac cognoſcit alienam eſſe: quia quando cognoſcit eſſe rem alienam; retinet rem alienam invito domino, & ideo tenetur ad reſtitutionem, & rem tradere Domino abſque pretio: qui vero alienavit, vel conſumpſit rem alienam bona fide credens eſſe ſuam non tenetur ad reſtitutionem niſi in aliqua re factus ſit locupletior: ſic habetur (in L. item veniunt 22. §. præter hæc ff de petit. hæred.) & ſic qui rem alienam emit bona fide, & poſtea eam vendidit, æquali, aut minori pretio non tenetur ad ullam reſtitutionem: ſecus dicendum ſi vendit majori pretio: tenetur enim reſtituere incrementum pretii, quo factus eſt locupletior. Non tenetur ad reſtitutionem, ille cui res aliena periit caſu, aut etiam propria culpa, modo perierit tunc temporis, quo ipſe rem bona fide poſſideat credens ſuam eſſe.

Utrum dubitans rem alienam eſſe, teneatur illam, & fructus ex ea perceptos reſtituere.

1 QUi rem alienam bona fide accepit, & poſtea dubitare incepit alienam eſſe: poteſt eam ſibi retinere, aut conſumare, aut vendere: ſi poſtea ſufficienti inquiſitione non comperit alienam eſſe; quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: modo paratus ſit reſtituere id in quo factus fuerit ditior comparente domino; nam poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior. Qui autem rem mala fide accepit, dubitans alienam eſſe, tenetur adhibere debitam diligentiam ad aſſequendam rei veritatem, ne domino rei injuriam, & damnum inferat, ſi vero facta diligenti inquiſitione, non poteſt rei veritatem invenire,

nire, tenetur reſtituere rem inter eos, quorum eſſe dubitat ad ratam dubii; quia non eſt major ratio, cur res uni potius, tota tradatur, quam alteri: ideo par eſt ut diſtribuatur ad ratam dubii; unde hæres, qui rem aliquam incipit mala fide poſſidere: quam defunctus bona fide poſſedit, tenetur ad ratam dubii reſtituere inter eos, quorum eſſe dubitat. Addo hujuſmodi heredem comperto rei Domino, teneri rem integram ipſi reſtituere non ſolum, ſed etiam fructus à ſe perceptos tamquam poſſeſſore malæ fidei: Quando omnino ignoratur, cujus ſit res illa de qua dubitatur an ſit aliena, reſtitutio facienda eſt pauperibus, quia hæc cenſetur rationabilis dominorum voluntas poſt adhibitam ſufficientem diligentiam. Qui rem aliquam abſtulit poſſeſſori bonæ fidei, dubitans ſuam eſſe tenetur ad integram reſtitutionem tamquam poſſeſſor malæ fidei: quia injuſte, ſpoliat alterum ea re, quam juſte poſſidet, Qui rem aliquam incepit occupare, cum nondum ab alio poſſideretur dubitans ſuam eſſe, vel alienam, non poteſt totam rem, ſed ſolum illius partem pro quantitate dubii ſibi retinere: unde ſi æque dubitat ſuam eſſe, vel alienam poteſt dimidiam ſibi retinere. Si magis propendeat in hanc partem, ut ſit aliena debet maiorem partem reſtituere, ſi vero magis inclinet in hanc partem, ut ſit ſua, poteſt ſibi majorem partem retinere.

Vtrum in dubio ſit melior conditio poſſidentis non ſolum in materia juſtitiæ, verum etiam aliarum virtutum. Cap. 773.

1 NOn ſolum in materia juſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum poſita ſufficienti diligentia ad veritatem aſſequendam valet illa regula, (Melior eſt conditio poſſidentis,) quia poſſeſſio eſt titulus communis omnibus virtutibus: unde judicandum eſt in favorem ſubditi, quando dubitatur, utrum tale jus extet qua poſseſſio ſtat pro ſubdito, qui ſuam poſſidet libertatem: ſic ille non tenetur ad ſervandum votum: qui æqualiter dubitat, utrum votum emiſerit, melior eſt enim conditio poſſidentis libertatem.

Vtrum qui aliqua ratione cooperatus eſt ad damnum teneatur ad reſtitutionem. Cap. 774.

1 NOvem ſunt genera perſonarum cooperantium ad damnum alterius quæ duobus his verſibus exprimuntur.

Juſſio, Conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.

Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sex prioribus verbis ſignificatur actio, qua quis poſitive, ad damnum alterius concurrit. Tribus vero poſterioribus oſtenditur cooperatio indirecta, & negativa, quæ fit tacendo, non obſtando, non manifeſtando. Particulam (Juſſio) intelligitur qui præcipit, vel mandat damnum fieri. Per (Conſilium) conſulens, per (Conſenſum,) conſentiens, per (Palpo) approbans, & laudans, per (Recurſum,) qui dat refugium, vel ſecuritatem per (Participantem,) quicumque ſocius, & adiutor criminis, per (Mutum,) tacens qui tenetur ex juſtitia loqui, & non tacere, per (non obſtantem,) qui non obſtat cum teneatur ex juſtitia obſtare, & impedire, per (Non manifeſtantem,) qui non aperit, & non manifeſtat, cum teneatur ex juſtitia manifeſtare. Quicumque aliquo ex prædictis modis poſitive concurrit ad actionem, & damnificationem tenetur ad reſtitutionem; etiam ſi non fuerit particeps rei acceptæ, quia poſitive concurrit ad actionem injuſtam: ſicut etiam qui negative cooperatur non loquendo, obſtando, vel non manifeſtando, quando tenetur ex juſtitia loqui vel obſtare, vel manifeſtare: quia non ſolum actione poſitiva: ſed etiam negativa poteſt alteri damnum efficaciter inferri.

An qui dubitat, an ſua actione vel ommiſſione efficaciter cooperatus ſit ad damnum alterius teneatur ad reſtitutionem. Cap. 775.

1 DUbitans an ſua actione, vel ommiſſione efficaciter cooperatus ſit ad damnum alterius non tenetur ad reſtitutionem, quia in dubio maxime in materia juſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, unde qui alteri dedit conſilium occidendi inimicum, ſed poſtea dubitat, utrum ille, cui conſilium dedit occidendi ini-

inimicum, verè commiſerit homicidium, non tenetur ad reſtitutionem, quia poſſeſſio ſtat pro ipſius libertate.

Vtrum damnum inferens conſentienti teneatur ad reſtitutionem. Cap. 776.

1 INferens damnum conſentienti abſolutè, & ſimpliciter, ideſt abſque ullo involuntario admixto non tenetur ad reſtitutionem; patet ex regula juris in 6. (Volenti, & ſcienti nulla fit injuria,) obligatio autem reſtituendi conſurgit ex injuria alteri illata, ſeu ex violatione juris alterius; unde nullus niſi nolens patitur injuſtum, formaliter, ſeu injuriam: quare homicida non tenetur ad reſtitutionem occidendo aliquem abſolutè conſentientem.

Utrum jubens vel mandans damnum aliquod fieri teneatur ad reſtitutionem. Cap. 777.

1 QVi tacitè, vel expreſsè juſſit, vel mandavit aliquod damnum fieri tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, quia eſt cauſa efficax damni: qui verò juſſit, vel mandavit damnum aliquod fieri: ſed poſtea tacitè, vel expreſsè mandatum revocavit, non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti per mandatum, modò mandati revocatio innotuerit ipſi mandatario: quia mandator per revocationem mandati non influit in damnum, eo quod revocet, & retrahat influxum, quem antea præbuerat; ſecus dicendum quando revocatio mandati non innotuit mandatario; nam ſuo mandato cenſetur adhuc cauſa efficax damni, & hæc differentia inter mandantem, & conſulentem, quod conſulens etiam ſi conetur conſilium revocare tenetur ad reſtitutionem, ſi alter, cui conſilium dedit ejus conſilio motus damnum inferat: qui vero mandatum revocat non tenetur ad reſtitutionem, ſi mandati revocatio innotuit mandatario. Mandator nõ tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ mandatarius intulit excedendo fines mandati: cũ in ipſius poteſt te eſſet ſervare terminos mandati.

2. Mandatum eſt contractus, quo quis officium honeſtum gratuito expreſsè, vel tacitè ſuſcipit exequendum in gratiam alterius: quod debet eſſe de re bona & honeſta; mandatum enim de re mala, & contra leges non obligat, nam nullus obligari poteſt ad rem turpem, & ideo mandatum ad omnia non extenditur ad illicita, & quando mandatum non fit gratis non dicitur propriè mandatum, ſed locatio operarum: tacitè fit mandatum quando quis ſciens patitur, ut alter ſuum negotium gerat: expreſſum vero contingit quando committit verbis, vel ſignis expreſſis. Mandatarius poteſt recuſare mandatum: geſta per mandatarium valida erant, quando mandatarius ſervat formam mandati.

Vtrum conſulens damnum teneatur ad reſtitutionem. Cap. 778.

1 COnſulens tenetur ad reſtitutionem damni, ſuo conſilio illati: quia fuit cauſa efficax damni, quamvis ante factum conatus fuerit concilium revocare, niſi forte conſilium fuerit falſum; ſic qui conſuluit aliquod damnum, quod nihilominus alter conſuluiſſet tenetur ad reſtitutionem, quia efficaciter influxit in damnum. Non autem tenetur ad reſtitutionem, qui ſuo conſilio, vel alia ratione fuit cauſa minoris damni quàm alioquin fuiſſet illatum, ut qui parato occidere ſuaſit tantum percutere, quando ſcilicet alia ratione non poterat delinquentem retrahere ad eo malo patrando: & non ſolùm ille, qui conſuluit, ſed etiam ille, qui fert opem delinquenti ad minus malum inferendum non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, modo non ferat opem in actione intrinſicè mala, ut in amputatione membri.

Vtrum conſentiens in damnum alterius teneatur ad reſtitutionem. Cap. 779.

1 QVi ſuo conſenſu non eſt cauſa efficax damni non tenetur ad reſtitutionem: quia non influit efficaciter in damnum, qui vero ſuo conſenſu efficaciter concurrit ad damnum tenetur ad reſtitutionem: unde qui per ſuffragia, vel ſub ſcriptionem conſentiunt, & influunt in mortem inferendam, vel in damnum proximi tenentur ad reſtitutionem.

Verum palpans, vel receptans damnificatorem teneatur ad reſtientionem. Cap. 780.

1 PAlpans qui laudat malefactorem, eumque ad inferendum alteri damnu

mnū inducit tenetur ad reſtitutionem; quia cenſetur cauſa efficax damni; qui vero ſolum laudat, & laudando lætitiam inducit malefactori, ſed ipſum non movet ad damnum inferendum non tenetur ad reſtitutionem, cum non influat efficaciter in damnum approbando delictum.

2 Receptans, qui ſcilicet recipit, vel fovet, vel conſervat malefactorem vel aſſervat prædam, vel dat refugium, & ſecuritatem malefactori ad patrandum delictum, vel ad non reſtituendum tenetur ad reſtitutionem; quia efficaciter influit in damnum. Quando fur ſe recipit in domum alterius cauſa vitandæ mortis, vel alia de cauſa, & res furtivas cuſtodiendas tradidit Domino Domus, Dominus Domus tenetur illius non manifeſtato fure reſtituere vero domino, & res ſuo domino reſtituenda eſt ſecluſo proprie damno, & periculo; ſi vero dominus domus aliquod periculum ſibi probabiliter timet ex huiuſmodi reſtitutione, poteſt ſub ſigillo Confeſſionis res ablatas tradere alicui Sacerdoti reſtituendas vero domino.

Utrum participans in damno alterius teneatur ad reſtitutionem. Cap. 781.

1 PArticipans in opere intrinſice malo contra juſtitiam peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, nam culpabiliter, & efficaciter influit in damnum; qui vero juſto metu coactus, ſeu ex rationabili cauſa participat in opere non intrinſece malo excuſatur à peccato, & ab obligatione reſtituendi, quia interveniente metu, ſeu rationabili cauſa ſicut excuſatur à peccato ita etiam ab obligatione reſtituendi. Quicumque Phyſice, vel moraliter eſt cauſa totius damni tenetur inſolidum ſeu in totum ad reſtitutionem qui vero non eſt cauſa totius damni, ſed partis tantum, non tenetur in ſolidum, ſed ſolum pro ſua parte, quia quilibet tenetur ad reſtitutionem damni eo modo, quo fuit illius cauſa efficax: ſi ergo fuit cauſa efficax totius damni, tenetur ad reſtitutionem totius: ſi vero fuit cauſa efficax partis, ad ſolius reſtitutionem obligatur.

Utrum mutus non obſtans, vel non manifeſtans damnificationem teneatur ad reſtitutionem. Cap. 782.

1 MUtus, non obſtans, vel non manifeſtans, qui ſine juſta cauſa non clamat, non impedit, vel non manifeſtat, cum teneatur ex juſtitia ratione officii, vel contractus clamare, impedire, vel manifeſtare obligatur in ſolidum ad reſtitutionem damni ſecuti: quia qui omittit clamare impedire, &c. cum teneatur clamare, impedire, &c. ita cenſetur cauſa damni: ſicut cenſetur, qui poſitive influit in damnum, nam uterque facit contra juſtitiam cum damno proximi, provenientem ex juſtitia actione vel ommiſſione; ſed qui poſitive influit in damnum tenetur ad reſtitutionem, ergo qui non clamat, non impedit, &c. cum teneatur ex juſtitia ratione officii, vel contractus clamare, impedire, &c. tenetur ad reſtitutionem ſi autem ex juſtitia non poteſt clamare, vel impedire, &c. non tenetur ad reſtitutionem, & qui habet juſtam cauſam non clamandi, nec impediendi non tenetur ad reſtitutionē non clamando, & non impediendo: propterea qui non impedit eo quod non poſſit impedire aut eo quod non poſſit impedire abſque magno Republicę damno, aut ſine periculo propriæ vitæ non tenetur ad reſtitutionem.

An impediens alterum a conſecutione alicujus boni, quod aſſecutus fuiſſet teneatur ad reſtitutionem. Cap. 783.

1 QUi ſine vi, & fraude impedit alium, ne conſequatur aliquod bonum, quod ei non debetur ex juſtitia, non tenetur ad reſtitutionem; etiam ſi impediat animo nocendi; quia obligatio reſtituendi ex delicto naſcitur ex violatione juſtitiæ: in hoc autem caſu non violatur juſtitia, cum is, qui impeditur, non habeat jus ad id à quo impeditur, neque obſtat pravus animus, nam pravus animus, vel mala intentio non obligat ad reſtitutionem, niſi adſit actio externa injuſta; ſecus dicendum, quando impedit alium, ne conſequatur id, ad quod habet jus, aut quando quis impedit per vim, vel fraudem, nam impediens per vim, vel fraudem, facit alteri injuriam, & ideo tenetur ad reſtitutionem damni, quod alter invitus patitur; quamvis enim

Nn qui

qui impediatur à conſecutione alicujus rei non habeat jus in re, vel ad rem: nihilominus habet ſaltem jus, ne per vim vel fraudem impediatur: addo impedientem per vim, vel fraudem eſſe cauſam cur ille volebat bonum conferre, involuntarie denegat, alioquin non denegaturus: in hac autem reſtitutione facienda eſt ratio circumſtantiarum, ut vide licet attendatur bonum, à quo alter fuit impeditus, non fuiſſe bona in re, ſed in ſpe, dependens à mutabili voluntate collatoris: bonum autem in ſpe minus valet quam in re: unde qui impedit alterum à conſecutione alicujus boni, quod ei debetur ex juſtitia, tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi impediat ſine vi, & fraude, nam violat jus, quod alter habet, ut ſibi bonum conſeratur.

De eo quod reſtituendum eſt.

Quid, & quantum reſtituendum ſit. Cap. 784.

1 Reſtituenda eſt res aliena, aut alteri debita, ſi extat res enim ſuo domino reſtituenda cum ab eo non ſit tranſlatum dominium (L. manifeſti. C. ſolutionibus: ſi vero res ipſa non extet, reſtituendus, eſt illius valor, & pretium, Authent. Hoc niſi de ſolutionibus, quia reſtitutio facienda eſt, ut ſervetur æqualitas, & jus alienum: addo debitorem teneri reſtituere damna, quę creditor injuſte paſſus eſt ipſius culpa, unde tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos Dominus percepiſſet: immo tenetur etiam ad reſtitutionem expenſarum, quas Dominus fecit in re ſua quærenda, ſi conſtet ab eo factas fuiſſe aliquas expenſas: ſervanda enim eſt æqualitas, & jus alienum. Et tantum reſtituendum eſt quantum ſufficit ad faciendum æqualitatem debiti, vel damni illati, ita ut ſi quantitas debiti, vel damni ſit certa tantumdem reſtituatur ſi vero ſit incerta tantum reſtituatur, quantum vir prudens judicaverit conſideratis circumſtantiis, loci, temporis, & perſonæ, habita que ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis.

Utrum accepta ob cauſam honeſtam ſint reſtituenda. Cap. 785.

1 Accepta pro faciendo opere licito debito ei alio præcepto, quam juſtitiæ, non ſunt obnoxia reſtitutioni: quia ex violatione ſolius juſtitiæ oritur obligatio reſtituendi; quando autem aliquid accipitur pro faciendo opere licito debito ex alio præcepto, quam iuſtitiæ, non violatur juſtitia, nec ulli ſit injuria; unde ſi Titius Cajo nolenti in Paſcate confiteri tradat pecuniam, ut in Paſchate confiteatur; Cajus non facit Titio injuriam accipiendo pecuniam, quia non tenetur prædictum opus præſtare ex juſtitia: acceptum autem pro faciendo opere debito ex juſtitia reſtituendum eſt, & ideo Judex accipiens aliquid pro ferenda juſta ſententia tenetur ad reſtitutionem, quando habet ſtipendium ſibi conſtitutum à Republica, vel à Superiore, & tenetur abſque alio pretio judicare. Non autem eſt obligatio reſtituendi acceptum pro abſtinendo ab opere illicito, à quo abſtinendum erat ex alia virtute, quam, juſtitiæ, unde accipiens pecuniam, ne blaſphemet, &c. non tenetur acceptum reſtituere: quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione juſtitiæ: in hoc autem caſu non violatur juſtitia, nec ulli ſit injuria.

Utrum accepta ob turpem cauſam reſtituenda ſint. Cap. 786.

1 Pro opere illicito patrando, ſeu pro turpi cauſa nihil dari, vel accipi poteſt ante factum, quia quilibet tenetur abſtinere à malo opere patrando, & à medio ad illud inducente: patrato autem opere illicito, de quo patrando initus erat contractus, vel promiſſio, tenetur promittens ſolvere pretium, & accipiens non tenetur ad reſtitutionem; quia ſicut alter adimplere promiſerat in contractu oneroſo, ita par eſt, ut etiam alter ſervet ſuam promiſſionem. Acquiſita ob turpem cauſam reſtituenda ſunt non ſolum ante factum, ſed etiam ſecuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominii, vel inhabilem ad rem accipiendam; quia res acquiſita remanet aliena, unde acquiſita per ſimoniam teneri non poſſunt: etiam ſi voluntarie tradita fuerint nam ſimoniacus injuſte acquirit.

Utrum bona incerta reſtituenda ſint. Cap. 787.

1 Bona incerta reſtituendo ſunt: quia res aliena retineri non poteſt, & nul-

nullus ex re aliena locupletari poteſt invito domino. Bona inventa, quorum Dominus ignoratur, reſtituenda ſunt pauperibus, ſeu capſæ incertorum, juxta conſuetudine, & decreta locorum, modo prius adhibita fuerit ſufficiens diligentia in inquirendo domino, & Dominus non fuerit inventus, licet alii affirment, inventorem rei incertæ poſſe poſt adhibitam ſufficientem diligentiam rem inventam ſibi retinere, cum onere reſtituendi quando Dominus comparuerit: uam hujuſmodi bona perinde ſe habent poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, ac ſi nullum haberent dominum, & jure naturæ reputantur communia, & primi occupantis, ſicut reputantur theſauri, aves ſilveſtres, &c. unde videntur eſſe fortunati inventoris: quæ doctrina licet aliquibus probabilis videatur, tamen à prima ſententia non eſt recedendum, quia communi conſuetudine, quæ vim habet legis, receptum eſt, ut hujuſmodi bona in pauperes erogentur. Bona incerta acquiſita ex contractu reſtituenda ſunt pauperibus. Bona incerta acquiſita ex delicto, ut ex iniuſta venditione, furto, aut alia defraudatione, reſtituenda ſunt pauperibus ex jure poſitivo, quia par non eſt, ut aliquis ex injuriis, & iniquitate locupletetur, jure autem naturæ bona incerta non debentur pauperibus; quia hujuſmodi bona alicubi à Principibus aſſignantur certis quibuſdam perſonis.

Utrum bona vacantia & derelicta reſtituenda ſint, & ad quem pertineant.

Cap. 788.

1 Bona laicorum morientium ab inteſtato, & non habentium hæredes intra decimum gradum, jure communi civili devolvuntur ad fiſcum (L. vacantia, C. de bonis vacantibus;) Bona vero peregrini mortui ab inteſtato non pertinent ad hoſpitem, apud quem mortuus eſt, ſed per Epiſcopum loci tradenda ſunt hæredibus ſi fieri poteſt, vel diſtribuenda in pias cauſas, Authentica, omnes peregrini C. communia de ſucceſſoribus; licet bona mobilia, & quæ peregrinus in hoſpitale detulit, ex juribus, & ſtatutis nonnullorum hoſpitalium pertinent ad hoſpitale in quo peregrinus moritur: alibi bona extraneorum inſumuntur ad redimendos captivos. Bona derelicta fiunt occupantis. Inſtituit. de rerum diviſione §. alia ſane.

Utrum reſtituendi ſint theſauri, & aliæ res pretioſæ. Cap. 789.

1 Theſaurus inventus in proprio fundo, totus eſt inventoris (Inſtit. de rerum diviſione:) quando autem inventus eſt in alio fundo; videndum eſt, an ſit inventus fortuito, an de induſtria, ſi fortuito inventus eſt, dimidium illius cedit domino fundi, alterum vero dimidium cedit inventori. (Inſtit. de rerum diviſione & L. unic. C. de theſauris l. 10.) Si vero data opera inventus eſt, totus pertinet ad dominum fundi ex juribus citatis. Theſaurus autem in fundo alterius conſentientis inventus totus eſt inventoris, niſi inventor aliter convenerit cum Domino fundi: quia Dominus fundi eo ipſo, quo conſenſit abſque aliquo pacto, & conventione, cenſetur ſuam partem donaſſe, modo inventor ignoraverit ibi Theſaurum latere; ſi vero ſciebat ibi latere, & finxit ſe neſcire, adhuc debet totum theſaurum domino fundi reſtituere; quia theſaurus cenſetur inventus de induſtria, & Dominus fundi cenſetur conſenſiſſe, per dolum dantem cauſam conſenſui. Theſaurus inventus in loco ſacro, & Religioſo dividendus eſt inter inventorem, & illum, cujus fuerit ille locus Sacer. Theſaurus arte magica, vel alia ratione legibus prohibita inventus: etiam ſi inventus ſit in proprio fundo pertinet ad fiſcum, ſaltem poſt ſententiam Judicis.

2 Lapilli, gemmæ, corallium, & alia hujuſmodi, quæ reperiuntur in littore maris, vel in promontoriis ſunt primi occupantis: quia in nullius dominio exiſtunt, quæ autem in nullius dominio exiſtunt, ſunt primi occupantis; niſi aliter jure poſitivo diſponatur (Inſtit. de rer diviſ. §. lapillorum.) Venæ metalicæ, auri, argenti, ferri, plumbi, &c. jure naturæ, & gentium ſpectant ad dominum fundi: quia huiuſmodi venæ numerari poſſunt inter fructus agri, cum ibi generentur: fructus autem agri jure naturæ, & gentium pertinent ad Dominum agri: ſicut ad eundem ſpectant venæ lapidum, aquarum, arenæ, & ſimilium.

Utrum reſtituenda ſint animalia capta piſcatione, venatione, & aucupio.
Cap. 790.

1 ANimalia fera, quæ in nullius cuſtodia coercentur, & naturalem habent libertatem fiunt primi occupantis: quia ſub nullius dominio cenſentur: idem dicendum de animalibus manſuetis, quæ facta ſunt fera, & quæ conſuetudinem amiſerunt redeundi ad priorem dominum, cenſentur etiam recuperaſſe priſtinam libertatem Animalia fera ex ſua natura, ſed manſuefacta non fiunt capientium, quoties habet conſuetudinem redeundi in poteſtatem proris domini: feræ, quæ cuſtodiuntur in loco parvo, ut in vinariis, & in ſtagnis parvis ſpectant ad dominum cuſtodiæ: feræ vero, quæ continentur in vaſtis locis, ut in magna ſylva, aut vaſta palude ſunt primi occupantis, etiam ſi ſoli domino loci competat jus venandi, aut piſcandi.

Utrum damnum illatum per ſervos, vel animalia reſtituendum ſit a Domino.
Cap. 791.

1 DOminus non tenetur ante ſententiam judicis ad reſtitutionem damni abſque ſua culpa Theologica illati per ſuos ſervos, vel animalia, dico Theologica, ideſt abſque peccato veniali, vel mortali. Dominus autem tenetur etiam ante Judicis ſententiam, ad reſarciendum damnum quod ſua culpa Theologica, ideſt cum peccato mortali, vel veniali intulerunt ipſius ſervi, vel animalia ex jure Canonico, c. ſi hos; non autem tenetur ad reſtitutionem damni per ſuos ſervos, vel animalia illati, ex culpa tantummodo juridica ideſt ex ommiſſione diligentiæ debitæ, ſecluſo contractu, unde Gubernator urbis, vel familiæ tenetur ad reſtitutionem damni illati ab iis, qui ſunt ſuæ curæ commiſſi interveniente ipſius culpa: Sed pater non tenetur ad reſtitutionem damni à filio illati abſque ſua culpa.

Utrum nova reſtitutio rei facienda ſit à debitore, quando res non pervenit ad creditorem. Cap. 792.

1 SI res quæ debetur ex delicto, caſu, vel malitia nuntii à debitore electi, vel alia quavis ratione pereat, antequam perveniat ad creditorem, perit ipſi debitori, ſive eadem numero, ſive diverſa reſtituenda eſſet: quia par non eſt, ut creditor damnum patiatur ob alterius delictum: quando vero res non debetur ex culpa, ſeu ex delicto nec eſt determinata in judicio, qualis eſt res mutuo accepta, ſi pereat, vel deterior fiat antequam perveniat ad creditorem, perit, vel deterior fit debitori: quando autem res eſt certa in Individuo, & eadem numero debetur, & pereat, perit creditori: ſi pereat abſque culpa debitoris, & hæc eſt differentia inter mutuum, & commodatum, pignus, & depoſitum; nam in mutuo transfertur dominium à creditore in debitorem, & mutuatarius non tenetur eandem rem numero reſtituere, ſed aliam ejuſdem ſpeciei, in commodato vero, depoſito, locato, & pignore non transfertur dominium in debitorem, ſed remanet apud creditorem: unde eadem res numero reſtituenda eſt.

An poſſeſſor rei alienæ teneatur ad reſtitutionem rei ablatæ quæ apud ipſum periit, ſeu adhuc peritura erat apud Dominum. Cap. 793.

1 POſſeſſor bonæ fidei, qui rem bona fide accepit, & non fuit in mora reſtituendi, non tenetur ad reſtitutionem rei, quę apud ipſum periit, niſi forte in aliqua re factus ſit locupletior: ſi vero fuit in mora reſtituendi, tenetur eodem modo, quo qui injuſte accepit: quia exiſtens in mora tenetur etiam de caſu fortuito (L. 18. ff commodati), & ſic ſi factus eſt locupletior in re aliqua tenetur ad illam reſtituendam, eo quod res illa ſuccedat in locum rei quę periit, vel conſumpta eſt, & res conſumpta cenſeatur extare in ſuo equivalenti. Iniquus vero rei alienę poſſeſſor, qui rem injuſte accepit, vel detinuit, tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ, vel detentę, quę apud dominum contingenter peritura erat, quia injuſta ſua detentione cen-

cenſetur cauſa efficax damni : qui vero rem certam , & determinatam in individuo ablatam , vel iniuſte detentam , opportune obtulit Domino , ſed dominus illam tunc non accepit , ſed cuſtodiendam tradit eidem furi , fur non tenetur ad novam reſtitutionem rei , quæ ad ipſum caſu , & inculpabiliter periit poſtquam illam domino obtulit.

Utrum iniquus poſſeſſor rei alienæ teneatur ad reſtitutionem rei juxta ſummum valorem, & æſtimationem, quam res habuit a tempore acceptionis vel detentionis, ſeu a tempore quo fuit in mora reſtituendi.
Cap. 794.

1 INiquus poſſeſſor rei alienæ non tenetur ad reſtitutionem juxta ſummum valorem, & æſtimationem, quam res habuit tempore acceptionis , vel detentionis, ſi dominus non eſt paſſus damnum juxta ſummum valorem juſtitia obligat ſolum ad æqualitatem : ſervatur autem æqualitas reſtituendo damnum alteri illatum : etiam ſi non fiat reſtitutio juxta ſummum valorem. Iniquus tamen poſſeſſor tenetur ad reſtitutionem juxta ſummum valorem , & incrementum, quod res habuit, vel habuiſset tempore acceptionis, vel detentionis , modo dominus paſſus ſit damnum, juxta ſummum valorem , & incrementum : etiam ſi poſseſſor iniquus inde non perceperit commodum.

Utrum fructus ex re aliena percepti reſtituendi ſint.

Utrum fructus percepti a poſſeſſore bonæ fidei reſtituendi ſint. Cap. 795.

1 POſseſsor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus induſtriæ perceptos ex re aliena quia non ſunt fructus rei alienæ ſed induſtriæ , hec ratio idem oſtendit de fructibus induſtriæ præceptis à poſſeſsore malę fidei , unde poſseſsor bonæ , vel malę fidei non tenetur reſtituere fructus , quos percepit , ex locatione torquis ſurrepti , quia ſunt fructus meræ induſtriæ , cum torques non ſit res fructifera . Sed poſseſsor bonæ fidei tenetur reſtituere fructus tam naturales, quam mixto, tam pendentes quam perceptos ſi extant : ſi vero non extant, tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior, deductis expenſis, & valore induſtriæ; reſtituere tenetur fructus rei pendentes: quia huiuſmodi fructus cenſentur una res cum ipſa re naturali; reſtituere tenetur fructus perceptos: quia res domino fructificat; detrahendæ ſunt expenſæ: quia fructus dicuntur, qui ſuperſunt detractis expenſis, & tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior ex fructibus non extantibus, ſed conſumptis. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus naturales, vel mixtos: quando illos bona fide poſſedit per triennium : quia res mobiles uſu capiuntur triennali poſſeſſione. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus, quos ſua negligentia non percepit: quia non poteſt aſſignari, ex qua radice teneatur hujuſmodi fructus reſtituere: non enim tenetur ratione rei acceptæ, cum res aliena apud illum non extat non ratione contractus, dum nullum inierit contractum cum domino rei . nec ratione iniquæ acceptionis , cum nihil iniuſte acceperit, neque peccaverit contra juſtitiam non colligendo fructus.

Utrum fructus ex re aliena percepti a poſſeſſore malæ fidei reſtituendi ſint.
Cap. 796.

1 POſſeſſor malæ fidei tenetur ad reſtitutionem fructuum , quos ipſe non percepit: quos tamen dominus rei percepiſſet ; quia poſſeſſor malæ fidei per ſuam iniquam detentionem cenſetur cauſa efficax damni , & amiſſionis fructuum, cum ſua culpa fuerit cauſa , ne dominus perceperit fructus: detrahendę tamen ſunt expenſę , quas dominus feciſſet in iis fructibus percipiendis Poſseſsor malę fidei tenetur reſtituere fructus , quos percepit ex re aliena , quam ipſe maliorē effecit, quamvis dominus illā nō effeciſset meliorem: quia res domino fructificat , non poſſeſſori malæ fidei: & illa melioratio, cum ſit affixa rei, pertinere debet ad dominum rei , ideo illi fructificare debet.

Cui facienda ſit reſtitutio.

Cui nam poſſeſſor malæ fidei aliuſque injuſtus damnificator teneatur reſtitutionem facere. Cap. 797.

1 POſſeſſor malæ fidei , aliuſve injuſtus damnificator regulariter

loquendo tenetur illi reſtitutionem facere, cui rem abſtulit, modo ille, cui rem abſtulit, habeat aliquod jus circa rem ablatam aut illi cui damnum intulit, ſi reſtitutio facienda eſt ob damnum injuſte illatum; illi qui ſuccedit in jure alterius, cui facienda erat reſtitutio; quia reſtitutio facienda eſt, ut ſervetur æqualitas, & tollatur inæqualitas.

Cui facienda eſt reſtitutio à poſſeſſore bonæ ſidei: qui rem alienam bona fide poſſedit, neſciens alienam eſſe ſed poſtea cognoſcit eſſe alienam. Cap. 798.

1 POſſeſſor bonæ fidei, qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroſo, non tenetur poſtquam cognovit rem eſſe alienam, reſtituere domino illam, ſed poteſt reſciſſo contractu reſtituere illi, à quo bona fide accepit, ut poſſit pretium ſuum recuperare; quia nullus tenetur ex charitate, aut ex juſtitia magis proſpicere bono alieno, quam proprio: qui vero mala fide rem alienam accepit, ſciens, vel dubitans, alienam eſſe, tenetur eam reſtituere domino etiam ſi pretium ſolutum ammittat: non vero poteſt ei reſtituere, à quo accepit niſi certo ſciat eam eſſe vero domino reddendam; nam adeſt duplex titulus reſtitutionis videlicet res accepta, & injuſta acceptio: ſi vero poſſeſſor bonæ fidei rem alienam bona fide accepit, non titulo oneroſo, ſed gratuito, tenetur comperto domino reſtituere ipſi domino, non vero furi, à quo accepit; quia juſtitia obligat ad reſtituendam rem alienam vero domino, quoties reſtitui poteſt ſine damno ipſius innocentis, ut in hoc caſu res aliena reſtitui poteſt vero domino ſine damno ipſius innocentis poſſeſſoris, qui rem gratis accepit.

Utrum debitor ſatisfaciat, ſi creditori creditoris ſui reſtituat, quod debet ſuo creditori. Cap. 799

1 QVi reſtituit creditori ſui creditoris, quod debet ſuo creditori, videtur ſatisfacere, & non teneri ad novam reſtitutionem in foro conſcientiæ, modo debitum ſui creditoris ſit liquidum, nec ipſius creditor damnum inde patiatur.

Ubi, & cujus expenſis facienda ſit reſtitutio.

In quo loco, & cujus expenſis facienda ſit reſtitutio. Cap. 800.

1 QUando reſtitutionis obligatio naſcitur ſolum ex re bona fide accepta, reſtitutio facienda eſt in loco, ubi res habetur tunc temporis, quo cognoſcitur eſſe aliena, nec eſt injungendum onus poſſeſſori bonæ fidei, ut illam mittat domino ſuis expenſis: quia par non eſt, ut poſſeſſor bonæ fidei damnum patiatur ex reſtitutione rei alienæ bona fide acceptæ juxta (L. poſſeſſor. ff. de petitione hæreditatis.) Quando autem reſtitutionis obligatio naſcitur ex injuſta acceptione, facienda eſt reſtitutio expenſis debitoris in loco, ubi dominus rem ſuam poſſeſſurus erat, ſi res illi ablata non fuiſſet: quia æquum non eſt, ut dominus reportet detrimentum, aut incurrat incommodum expenſarum propter alterius delictum. Quando reſtitutionis obligatio conſurgit ex contractu, vel quaſi contractu celebrato in aliquo loco certo; reſtitutio facienda eſt in eodem loco, in quo res accepta fuit, niſi aliud in contractu fuerit expreſſum, ſervata tamen æqualitate, & juſtitia contractus: quia ille cenſetur locus deſignatus ad reſtitutionem in quo res fuit accepta, niſi aliud deductum fuit in pactum; reſtitutio autem facienda eſt expenſis debitoris, quando res accepta fuit in utilitatem creditoris.

Quo tempore facienda ſit reſtitutio.

Quo tempore facienda ſit reſtitutio ratione rei acceptæ, &c. Cap. 801.

1 QUicumque obſtrictus eſt onere reſtituendi ratione rei acceptæ vel injuſtæ acceptationis, aut devotionis, tenetur reſtituere ſtatim, ac commode poteſt niſi dilationem obtineat à creditore, aut niſi creditor ſit irrationabiliter invitus: quia præceptum reſtituendi, quamvis ſecundum formam verborum, & in ſe formaliter ſit affirmativum, cum per ipſum præcipiatur actio facienda nihilominus involvit, & includit aliquo modo præceptum negativum non retinendi aliena, & originem trahit

Digitized by Google

trahit à præcepto negativo. Non furaberis: ſed præceptum negativum adimplendum eſt cum commode adimpleri poteſt: propterea dicitur obligare ſemper, & ideo præceptum reſtituendi adimplendum eſt ſtatim, ac commode adimpleri poteſt, & ſic quicumque obſtrictus eſt onere reſtitutionis, tenetur reſtituere ſtatim, ac commode poteſt, niſi dilationem obtineat à creditore, qui autem non inſtituit ſtatim, ac commode poteſt: ſed longo tempore differt reſtitutionem, tot peccata committit, quot ſunt actus intentionis & voluntatis moraliter interrupti: unde peccata in re aliena reſtituenda multiplicantur: quoties moraliter interrumpitur intentio, & voluntas non reſtituendi per ſomnum, contritionem, &c. quia peccata multiplicantur, quoties peccatum actuale non durat ſaltem virtualiter: ſed quoties intentio non reſtituendi interrumpitur moraliter per ſomnum, contritionem, &c. peccatum actuale non durat virtualiter: ideo peccata multiplicantur, quoties moraliter interrumpitur intentio non reſtituendi; & ideo tot peccata committuntur ab eo, qui data opportunitate reſtituendi non reſtituit, quot ſunt actus intentionis non reſtituendi moraliter interrupti.

De modo quo facienda eſt reſtitutio.

Quomodo facienda ſit reſtitutio. Cap. 802.

1 DEbitor non ſolum poteſt per ſe ipſum, ſed etiam per alium reſtituere; nec eſt neceſſe reſtitutionem publice facere, præſertim quando debitor ex publica reſtitutione periculum infamiæ ſubiret: aliquando autem debitor tenetur ad reſtitutionem publice faciendam, ut ratione ſcandali vitandi, &c. unde uſurarius publicus tenetur ex charitate reſtitutionem publice facere, ut ſcandalum præcaveatur. Reſtitutio non poteſt fieri per partes, ſed tota ſimul facienda eſt, quantum fieri poteſt, quando reſtitutio debetur ex delicto, vel etiam ex re accepta: quando vero reſtitutio debetur ex contractu, facienda eſt juxta conventionem, & pactum, contrahentium: fides enim data ſervanda eſt.

De Ordine quo facienda eſt reſtitutio.

Quo ordine facienda ſit reſtitutio ab iis, qui damnum intulerunt. Cap. 803.

1 QUi rem alienam habet extantem in ſe formaliter, vel æquivalenter ſeu in effectu quo factus eſt ditior ex re aliena: tenetur principaliter, & primo loco reſtituere, quia res aliena quæ extat in ſe, vel in effectu nullo juſto titulo retineri poteſt: ſemperque pro ſuo domino clamat. Inter cooperantes ad damnum ille principaliter tenetur ad reſtitutionem, qui præcepit damnum, modo influxerit in damnum, & habuerit auctoritatem ſupra illum, cui delictum præcepit: qualis eſt Judex reſpectu ſubditi, dominus reſpectu famuli, &c. quia præcipiens ſe habet ut cauſa principalis: exequens vero ſe habet ut inſtrumentum. Poſt cauſam præcipientem principaliter tenetur exequens: qui per ſe ipſum phyſice cooperatus eſt ad delictum patrandum: quia cauſa exequens magis immediate attingit damnum, quam cauſa moralis, quæ per conſilium, vel mandatum influxit, & ideo par eſt ut cauſa exequens principaliter obligatur. Poſt exequentem principaliter tenetur conſulens, & mandans: poſt conſulentem, & mandantem tenetur principaliter receptor: poſt receptorem principaliter tenetur non impediens, non manifeſtans, qui tenebatur ex officio impedire, vel manifeſtare, vel clamare; facta autem reſtitutione ab eo, qui apud ſe rem alienam habuit: cæteri ad nihil obligantur, vel ab uno aliorum, cæteri ſic ad nihil tenentur.

De ordine quo facienda eſt reſtitutio, quando bona debitoris non ſufficient ad ſatisfaciendum omnibus creditoribus. Cap. 804.

1 QUando res obnoxia reſtitutioni eadem numero extat, illa primo loco reſtituenda eſt; etiam ſi non conſtet quinam ſit illius rei dominus; ut ſi ego habeam equum alienum, & neſciam cujus ſit, teneor primo loco illum reſtituere: etiam ſi aliis debitis detinear. Habens multa debita, quorum aliqua ſunt certa, & aliqua incerta, debet prius per-

ſolvere certa, quam incerta, ſi non eſt omnibus ſolvendo : quia perſonæ indeterminatæ non ita ægre ferunt ſibi reſtitutionem non fieri, ſicut ferunt perſonæ determinatæ, quæ damnum immediate patiuntur ex denegata ſibi reſtitutione. Habens multa debita, quorum aliqua contracta ſunt ex delicto, & aliqua ex contractu licito, non tenetur prius perſolvere contracta ex delicto, quam ex contractu. Habens debita ex contractu oneroſo, & aliqua ex contractu gratioſo tenetur prius perſolvere debita ex contractu oneroſo. In perſolvendis debitis prius facienda eſt ſolutio creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel prius, quam creditoribus perſonalibus hypothecam, vel pignus non habentibus ex L. eos. C. qui potiores in pignore.

De cauſis propter quas differri vel committi poſſit reſtitutio. Cap. 805.

1 DAmnum ipſius creditoris, vel tertiæ perſonæ eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem, unde quando reſtitutio creditur futura graviter pernicioſa ipſi creditori, vel quando creditur allatura nocumentum alteri, differri poteſt in tempus congruum, & magis opportunum, quia reſtitutio dirigitur, & ornatur in utilitatem creditoris, non in ipſius perniciem, & damnum; ideo reſtitutio differri poteſt, quando creditur futura pernicioſa creditori. Cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem eſt incommodum, damnum, quod debitor longe majus patitur, ſtatim reſtituendo, quam patiatur creditor ex dilatione reſtitutionis, quia creditor cenſetur irrationabiliter invitus, ſi nolit dilationem concedere ob damnum debitoris longe majus proprio damno, & ideo non tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum jactura Superioris ordinis; nam triplex eſt bonorum ordo, ſcilicet infirmus, medius, & ſupremus. In ordine infirmo conſtituuntur pecuniæ, & res pecunia æſtimabiles, ut frumentum, vinum, &c. in medio ponitur honor, & fama, in ſupremo collocatur vita, libertas, ſanitas, virginitas, membra, &c. & ſic debitor non tenetur reſtituere bona inferioris ordinis, cum notabili jactura bonorum ſuperioris ordinis, quia in hujuſmodi eventu dominus peccat contra charitatem, & æquitatem, ſi vidit ſtatim reſtitutionem ſibi fieri cum tanto debitoris detrimento. Impotentia debitoris ad ſolvendum eſt cauſa ſufficiens differendæ reſtitutionis, quia impoſſibilium non eſt obligatio, ad quam cauſam revocari poteſt neceſſitas extrema debitoris; quia in extrema neceſſitate adeſt impotentia reſtituendi. Ceſſio bonorum eſt cauſa ſufficiens differendi reſtitutionem: quia qui ceſſit bonis, cenſetur eſſe impotens ad ſatisfaciendum debitis exiſtentibus poſt ceſſionem; impotentia autem excuſat à reſtitutione; hac de cauſa ſancitum eſt, ut debitor non poſſit in carcerem conjici, & detrudi, donec non acquiſierit bona ſuperflua ad ſuſtentationem ſui, & ſuorum; ceſſio vero bonorum non ita eximit à reſtitutionis obligatione, quia debitor tenetur ad reſtitutionem poſtquam pervenerit ad pinguiorem fortunam (L. cum filii familias. C. qui bonis credere poſſunt)

Quibus de cauſis ommitti poſſit reſtitutio. Cap. 806.

1 COndonatio, vel remiſſio facta debitori à creditore eſt cauſa ſufficiens excuſans à reſtitutione, modo facta ſit omnino libere, nec ſit à jure impedita, nam ſi fiat involuntarie ſimpliciter, vel mixte, ut per ignorantiam, aut per metum gravem, aut levem, quamvis reverentialem, aut per dolum, & fraudem debitoris invalida eſt, & ſic remiſſio à jure impedita non eſt valida : propterea furioſus, & pupillus ſicut non poteſt donare; ita nec remittere, jure impediente, qui etiam ſe compoſuit cum creditoribus contentis minori ſumma, liberatur ab onore ſolvendi : quia hujuſmodi compoſitio cenſetur quædam remiſſio. Compenſatio facta à creditore eſt cauſa ſufficienter excuſans debitorem à reſtitutione : quia debitor, facta per creditorem compenſatione, nihil retinet invito creditore. Compenſatio autem eſt licita concurrentibus his conditionibus : quarum Prima eſt ut debitum ſit liquidum, & certum : quia liquidi ad non liquidum non datur compenſatio. Secunda ut compenſatio fiat in re ſibi debita ex juſtitia. Tertia conditio ut in compenſatione non plus acci-

Digitized by Google

accipiatur, quam debetur: nam qui plus accipit committit furtum. Quarta conditio eſt, ut creditor non poſſit per judicem, aut per petitionem facta debitori rem commodè recuperare: propter ea quando non poteſt abſque notabili moleſtia, vel expenſis, vel inimicitiis, vel jactura honoris rem ſibi debitam recuperare, vel quando ei deſunt probationes, poteſt uti occulta compenſatione: quia non poteſt alia ratione rem ſibi debitam commode obtinere. Quinta conditio, ut non fiat compenſatio in re alterius, ſed in re ipſius debitoris, ut in re ipſius creditoris exiſtente apud debitorem volentem eam reſtituere. Sexta ut abſit periculum ſcandali, vel punitionis corporalis, nam judices ſolent hujuſmodi compenſationes punire tamquam furta, his igitur concurrentibus conditionibus, licitè fieri poteſt compenſatio, quia nulli fit injuria. Compoſitio obtenta à ſummo Pontifice eſt cauſa ſufficienter excuſans a reſtitutione; quando ignoratur cui facienda ſit reſtitutio; ſive obligatio reſtituendi orta ſit ex juſta damnificatione, ſive ex re accepta, ſive ex contractu, quia Summus Pontifex videtur in hujuſmodi caſu juſtam habere cauſam diſponendi de rebus alienis: quando vero conſtat cui reſtitutio facienda ſit, non valet compoſitio obtenta à Sede Apoſtolica ſine gravi cauſa: quia Summus Pontifex non eſt dominus bonorum ſuorum ſubditorum, unde non poteſt illa pro ſuo libito diſponere, & compoſitionem facere abſque gravi, & juſta cauſa.

Utrum debitor excuſetur a reſtitutione ob ingreſſum in Religionem. Cap. 807.

1 Debitor non poteſt ingredi Religionem, quando prævidet fore, ut ingrediendo nequeat ſatisfacere creditoribus, quibus ſatisfaceret manendo in ſeculo, ſive ſit debitor ex contractu, ſive ex delicto: quia obligatio juſtitiæ præferenda eſt conſilio. Religio enim eſt de conſilio, & reſtitutio debita eſt ex obligatione juſtitiæ. Debitor, qui Religionem ingreſſus eſt ante præſtitam ſatisfactionem, quam præſtare poterat manendo in ſeculo tenetur jurare, ut ſuo labore, vel arte acquirat bona quibus ſatisfaciat, quia debitor tenetur jure naturæ ſatisfacere, & hæc obligatio non extinguitur per ingreſſum, vel profeſſionem in Religionem. Profeſſio debitoris ingredienti Religionem facta ante reſtitutionem valida eſt: quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt, profeſſionem debitoris invalidam eſſe.

Utrum præſcriptio excuſet a reſtitutionem. Cap. 808.

1 Præſcriptio eſt acquiſitio, ſeu adeptio dominii utilis, vel directi rei alienæ per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei ſpatio temporis a lege definiti: Dominium utile dicitur illud quod quis habet in rem aliquam per ordinem ſolum ad fructus; & ob id utile nuncupatur. Dominium directum dicitur illud, quod quis habet in rem ipſam, licet non habeat dominum utile quo ad fructus. Ad præſcriptionem quinque conditiones requiruntur. Prima eſt continuata poſſeſſio, nam ſine poſſeſſione non datur præſcriptio: ad quam ſufficit poſſeſſio civilis: qua quis rem aliquam ſuo nomine poſſidet, etiam in rei abſentia. Secunda conditio eſt capacitas activa reſpectu poſſidentis, & capacitas paſſiva reſpectu rei, quæ poſſidetur, ut videlicet poſſidens poſſit poſſidere, & res poſſideri. Tertia conditio eſt bona fides, ut patet ex regula 2. juris in 6. ubi dicitur quod poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit. Bona autem fides eſt credulitas, qua quis prudenter indicat rem ſuam eſſe, vel ſaltem ignorat eſſe alienam. Quarta conditio eſt titulus probabiliter præſumptus: titulus autem eſt radix, & cauſa ex qua oritur dominium, & jus propterea emptione, donatione, vel teſtamento &c. acquiritur jus, & dominium, eo quod emptio, donatio, teſtamentum. &c. appellantur tituli, ex quibus oritur dominium. Quinta conditio eſt tempus a lege definitum. Ad præſcriptionem bonorum mobilium, quæ propriè nuncupatur uſucapio, requiritur ſpatium trium annorum cum titulo, & bona fide inter præſentes: inter abſentes vero requiritur ſpatium quatuor annorum cum titulo, & bona fide, ad præſcriptionem vero rerum immobilium quæ non dicitur propriè uſucapio, ſed præſcriptio requiritur contra privatos ſpatium decem annorum inter præſentes cum titulo, inter abſentes vero requiritur ſpatiũ viginti

anon

annorum, & hæc præſcriptio vocatur longi temporis, & dixi contra privatos: quia contra rem immobilem Eccleſiæ, modo non ſit Eccleſia Romana], requiritur ſpatium quadraginta annorum, tam cum titulo, quam ſine titulo, tam inter præſentes, quam inter, abſentes ſive is qui præſcribit ſit privatus, ſive ſit una Eccleſia contra aliam. Præſentes dicuntur ii qui in eadem civitate, vel in eadem regni parte habitant. Abſentes vero, qui in diverſis civitatibus, vel regni partibus, ſeu territoriis commorantur, legitima præſcriptio excuſat à reſtitutione non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, nam poſſidens rem alienam bona fide facit illam ſuam per continuationem temporis à lege conſtituti, ex Conſilio Toletano IX.

De reſtitutione propter detractionem facienda.

Quid, & quotuplex ſit, quot modis fiat, & quale peccatum ſit detractio. Cap. 809.

1 Detractio eſt occulta, & injuſta denegatio, ſeu læſio famæ propriæ, vel alienæ, occulta dicitur ad diſtinctionem contumeliæ, quæ non fit occulte, ſed in præſentia illius, cujus honor violatur, dicitur injuſta denegatio: quia ſi quis ob juſtam aliquam cauſam proximi famam lædat, non dicitur detrahere: ſicut accidit quando quis crimen alterius defert ad ſuperiorem, ut deliquens ab eo corrigatur, cum ipſe non potuerit illam corrigere, hic enim non dicitur detractor, nec injuſte ledit famam illius apud ſuperiorem, cum habeat juſtam cauſam exponendi periculo famam proximi pro ſalute ſpirituali, & emendatione deliquentis, dicitur denigratio, ſeu læſio: quia ſi quis de peccato alterius etiam occulto loquatur abſque famę proximi læſione, non dicitur proprie detrahere, ut accidit, quando quis de peccato alterius etiam occulto ſermonem habet cum eo, cui ſcit notum eſſe illud peccatum: non enim apud ipſum lædit famam proximi, quamvis aliunde peccare poſſit, ut ob pravum finem, vel affectum.

2 Detractio duplex eſt, formalis, & materialis: formalis eſt illa, quæ fit animo auferendi famam proximi: materialis eſt illa, quæ fit abſque intentione auferendi famam proximi: utraque tamen detractionis ſpecies eſt peccatum mortale ſuppoſita gravitate materiæ cum advertentia, & deliberatione. Detractio octo modis fieri poteſt, quatuor modis fit directe, & quatuor indirecte. Directe, fit Primo imponendo alteri crimen falſum, Secundo revelando crimen occultum, quamvis verum. Tertio augendo, & amplificando verum crimen. Quarto explicando factum honeſtum alterius in ſiniſtram partem. Iſti quatuor detractionis modi hoc verſu continentur

Imponens, Augens, Manifeſtans, In Mala vertens.

Indirecte vero quatuor aliis modis fit detractio. Primo negando recte facta, & bona alterius. Secundo diminuendo recte facta, vel laudes alterius. Tertio reticendo bona alterius eo loco, & tempore, quo cæteri reticentiam accipiunt pro tacita vituperatione, & opprobrio. Quarto ita frigide laudendo, ut hoc cedat in vituperium, & opprobrium laudati. Iſti quatuor detractionis modi exprimuntur hoc carmine.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudat quę remiſſe.

3 Detractio eſt peccatum mortale ex ſuo genere, licet ratione indeliberationis, vel parvitatis materiæ poteſt eſſe peccatum veniale, ut accidit quando quis levem defectum aut veniale peccatum de aliquo manifeſtat: aut quando narrat grave delictum, ſed ex inadvertentia, nullum enim eſt peccatum mortale abſque plena deliberatione, & advertentia, aut gravitate materiæ, ſecluſa conſcientia erronea.

Quæ ſit materia peccati mortalis in detractionis. Cap. 810.

1 Manifeſtatio peccati mortalis eſt materia ſufficiens ad peccatum mortale detractionis quoties graviter lædit famam proximi: quia injuſte damnum notabile alteri eſt peccatum mortale: quando autem hujuſmodi narratio non lædit graviter famam proximi, non eſt ſufficiens ad peccatum mortale detractionis, nam parvitas damni excuſat à peccato mortali, unde qui dicit, militem commiſiſſe duellum vel habere concubinam non peccat mortaliter, quia non infertur notabile damnum in fama.

2 Ma-

2 Manifeſtatio peccatorum venialium non eſt ſufficiens ad peccatum mortale detractionis quia hujuſmodi manifeſtatio non ſolet multum lædere famam proximi, cum nullus vivat ſine peccato veniali nec eſt peccatum mortale ordinarie loquendo referre de aliquo generalia vitia, quæ poſſunt eſſe mortalia, & venialia, ut referre de aliquo quod ſit avarus, ſuperbus, ambitioſus, &c. quia non cenſetur inferri notabilis infamia: eo quod audientes debeant hæc in meliorem partem interpretari, nec concipiunt illum graviter delinquere, ſed propenſum eſſe ad hujuſmodi vitia, aut concipiant ſolum defectus veniales

3 Manifeſtatio defectuum naturalium animi, vel corporis regulariter loquendo non eſt materia ſufficiens ad peccatum mortale detractionis, ſive defectus contracti ſint cum culpa, ſive ſine culpa, ut ſi quis dicat aliquem eſſe ignarum, parvi judicii, impertinentem, impudentem, Juſcum, claudum, &c nam horum defectuum manifeſtatio non ſolet graviter lædere famam proximi tamen narratio horum defectum aliquãdo poteſt eſſe peccatum mortale contra juſtitiam, ut accidit, quando hujuſmodi manifeſtatio impedit à conſecutione magni boni, vel aliud notabile damnum affert, ut quando fit in ſpecie cum periculo magnæ contriſtationis alterius quia qui eſt cauſa injuſta magni damni vel contriſtationis peccat mortaliter, vt omnibus perſpicuum eſt, ita dictante lumine naturæ.

Vtrum revelare crimen uni, vel duobus, qui ſecreto retinebunt, vel ob honeſtam cauſam ſit peccatum mortale. Cap. 811.

1 NOn eſt peccatum mortale revelare crimen alterius uni, vel duobus ob honeſtum finem ob emendationem deliquentis, vel propter bonum publicum, &c quia ille cujus delictum revelatur, non cenſetur rationabiliter invitus, cum adſit juſta cauſa propter quam pati debeat jacturam famæ, nec eſt peccatum mortale revelare crimen uni, vel duobus viris prudentibus, taciturnis, vel amicis fidelibus qui ſecreto retinebunt; licet hoc à communiori ſententia aſſeratur eſſe peccatum mortale: quia hujuſmodi revelatio vidatur graviter lædere famam, etiam ſi fiat apud unum, vel duos viros taciturnos: quia fieri poteſt ut ille cujus delictum manifeſtatur malit ſuum crimen manifeſtari multis externis, quam uni viro gravi, præſertim ſuperiori, à quo delinquens dependet, vel cum quo aſſidue verſatur. Qui autem refert alteri injuriam ſibi factam animo detrahendi ad vindictam, eſt detractio formalis, & eſt peccatum mortale ex ſuo genere, ſi vero referat non animo detrahendi: ſed ut conſolationem capiat ab amico, vel conſilium recipiat, vel ut dolorem, mitiget excuſatur à mortali: videtur enim uti jure ſuo ad conſolationem capiendam; modo non referat pluribus quam opus ſit ad capiendum conſilium &c.

Vtrum ſit peccatum mortale detractionis. manifeſtare complicem in confeſſione. Cap. 812.

1 PÆnitens non peccat peccato detractionis, manifeſtando complicem in confeſſione ſaltem quando non poteſt aliter peccati ſpeciem explicare, nec habet copiam, ſeu commoditatem adeundi alium confeſſarium, cui non ſit notus complex; per accidens vero fieri poteſt, ut pœnitens non poſſit, & non teneatur manifeſtare complicem, ut accidit, quando pœnitens ex complicis manifeſtatione ſibi, vel complici, vel tertiæ perſonæ probabiliter timet grave damnum in vita, vel fama extra confeſſionem: tunc enim pœnitens debet confeſſionem ommittere, modo non ſit illi neceſſaria: ſi vero eſt illi neceſſaria, nec poteſt eam facere confeſſario complicem ignoranti; debet illam circumſtantiam reticere, explicatis aliis peccatis, nam lex confeſſionis non obligat cum tanto detrimento ad explicandas omnes peccatorum circumſtantias.

Vtrum referre audita abſque aſſeverateone ſit peccatum mortale detractionis. Cap. 813.

1 REferens audita abſque aſſeveratione non peccat mortaliter peccato detractionis, neque tenetur ad reſtitutionem: non enim videtur injuſte famam alterius graviter lædere: modo concurrant juſtæ conditiones. Prima ut referens non ſit tantæ auctoritatis, ut illi facile credatur. Secunda ne augeat, vel confirmet magis audita-

pita. Tertia ne dicat ſe audiviſse à tali perſona, quæ fidem faciat. Quarta ne referat coram iis qui poſtea rem eamdem ſint aliis manifeſtaturi, vel exageraturi. Quinta ne narret crimina, valde gravia, & hæreſim &c. nam ſi vero ſimile ſit ex hujuſmodi narratione aliquam ſuſpicionem orituram criminis narrati apud audientes, qui hujuſmodi crimen narrat, peccat mortaliter: nam eſt peccatum mortale contra juſtitiam narrare valde gravia crimina audita cum periculo, ut eorum ſuſpicio inferatur cordibus audientium; concurrentibus igitur prædictis conditionibus non eſt peccatum mortale contra juſtitiam referre audita; nec eſt obligatio reſtituendi, ſecus dicendum eſt, quando prædictæ conditiones non interveniunt: tunc enim referens cenſetur cauſa efficax malæ opinionis. qui igitur refert crimina audita ab hominibus non fide dignis, indicando perſonas, à quibus audivit, non peccat mortaliter contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem: quamvis audientes credant ea crimina vera eſse:

Utrum ſit peccatum detractionis crimen alicujus in uno loco publicum, manifeſtare in alio, ubi neſcitur, aut commiſſum tempore præterito, alio tempore referre. Cap. 814.

1 PUblicum tripliciter dicitur. Primo jure, & eſt illud de quo conſtat in judicio. Secundo facto, & eſt illud, quod in multorum præſentia commiſſum eſt, Tertio dicitur famoſum: quod fama innotuit Non eſt peccatum mortale ſaltem contra juſtitiam crimen alterius alicubi publicum, manifeſtare alibi, ubi neſcitur: quia delinquens per criminis publicitatem amiſit jus ad famam: & propterea Hiſtorici non peccant mortaliter ſcriptis conſignando; & publicando peccata principum, & aliorum infamatoria in aliquo loco publica: etiam ſi fama hujuſmodi criminum non conſtet in iis locis, ad quæ libri hiſtoricorum perventuri ſunt. Nec eſt peccatum contra juſtitiam referre alicui delicta alterius, propter quæ alias fuit infamatus: quamvis nunc famam acquiſierit honeſtis actionibus, modo referens non oſtendat etiam nunc ipſum eſse infamem, & improbum: quia non violatur jus alterius: & ideo non eſt peccatum mortale referre delictum alterius præteritum publicum: referendo ſimul emendationem, & pœnitentiam illius. Tenetur autem ad reſtitutionem qui bona fide narravit crimen alterius, credens illud eſſe verum, & publicum, cum re vera non eſset publicum: & tenetur ad reſtitutionem famæ, ſtatim ac cognoſcit ſe erraſse: quia re vera famam abſtulit, & tenetur ad reſtitutionem ratione famę ablatæ.

Utrum ſit peccatum mortale detractionis infamatum in uno genere peccati infamare in alio. Cap. 815.

1 NOn eſt peccatum mortale contra juſtitiam infamatum in uno genere peccati, infamare in alio habente connexionem neceſsariam, vel moralem cum priori peccato, de quo fuit diffamatus: quia hoc modo non læditur graviter fama proximi, quare non eſt peccatum mortale de adulterio, cujus adulterium publicum eſt, referre, quod ſcripſerit amatorias. Secus dicendum, ſi de fure, quem cōſtat furripuiſse nūmū aureū dicatur ſurripuiſse alios mille nummos aureos: quia graviter offenditur illius fama.

Utrum liceat manifeſtare delictum alterius occultum ad vitandum proximi damnum. Cap. 816.

1 LIcitum eſt aperire crimen alterius ad conſulendum bono illis, cujus crimen detegitur, vel alterius, vel ad impediendum damnum ſpirituale, vel temporale alicujus momenti, modo revelatio criminis neceſsaria ſit ad impediendum illud damnum ad conſulendum bono, &c. quia non quælibet manifeſtatio criminis ſecreti eſt detractio: ſed quæ ſit inordinate, & contra charitatem, hæc autem eſt ordinata; quando autem alia ratione minus damnoſa impediri poteſt damnum proximi: debemus ea ratione uti ad illum impediendum: & ideo qui poteſt ſola correctione damnum impedire, abſque revelatione criminis, debet correctione uti ad illud impediendum: in tantum enim licitum eſt revelare crimen alterius, in quantum neceſsarium eſt ad impediendum damnum. Hac de cauſa Doctores communiter exiſtimant revelantem crimen alterius ad impediendum proximi damnum, quod poterat impediri alia via quam

quam revelando crimen, peccare mortaliter contra juſtitiam: & ideo obligari ad reſtitutionem: quamvis etiam probabiliter defendi poſſit, peccare ſolum contra charitatem.

Vtrum conficiens libellos famoſos peccet, & teneatur ad reſtitutionem. Cap. 817.

1 Libellus famoſus dicitur ſignum, vel ſcriptura, quæ alicujus infamiam contineat nondum antea publicam, ut publica fiat, & in notitiam aliorum veniat ſtatim, aut paulatim, ſive poſtea publica fiat, ſive non, eo quod ab aliquo comburatur, vel laceretur, vel alia ratione impediatur. Conficiens, vel concurrens ad libellos famoſos graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem quia graviter lædit proximum; & violat juſtitiam commutativam cum damno alterius, ex qua violatione oritur obligatio reſtituendi. Conficiens autem libellum famoſum jure communi excommunicandus eſt. Unde Alexand. IV. in conſtitutione, quæ incipit. Ex alto, tulit excommunicationem Papæ reſervatam in eos, qui libellos famoſos faciunt contra ſtatum ordinis prædicatorum, vel minorem: ad excommunicationem autem incurrendam non requiritur, ut aliquis libellum famoſum compoſuerit, & ſimul divulgaverit ſed ſufficit, ut tantummodo divulgaverit, vel compoſuerit, nam excommunicatio fertur per verba diſiunctiva, & ſufficit actus prohibitus ſub excommunicatione, ut qui conficit libellum infamatorium: licet non divulget.

Vtrum peccet mortaliter, qui ſe ipſum infamat: & utrum liceat aliquando ſe ipſum infamare. Cap. 818

1 QVi ſe ipſum infamat non committit peccatum mortale, ex ſuo genere; quia eſt dominus ſuæ famæ, licet ratione alterius circumſtantiæ, fieri poteſt, ut infamans ſe ipſum graviter peccet, ut quando infamia ipſius redundat in infamiam filiorum familiæ, & aliorum, aut quando eſt cauſa ſcandali, vel ruinæ, &c. licitum eſt ex cauſa rationabili manifeſtare ſua peccata, & famam ſuam prodigere: quia hoc factum eſt à ſanctis viris; peccat igitur mortaliter, qui ſine rationabili cauſa dicit ſe eſſe hæreticum, vel commiſiſſe crimen læſæ majeſtatis, nam iſta crimina redundant in opprobrium filiorum: ſic etiam peccat mortaliter, qui ſe ipſum infamat cum periculo vitæ propriæ.

Vtrum peccet mortaliter, qui detrahentem audit, & tolerat. Cap. 819.

1 QUi audit detractorem, & aliquo modo movet ad detrahendum peccat mortaliter, contra juſtitiam: quia eſt cauſa injuſta detractionis, imo peccat quam gravius peccet ipſe detractor: peccat enim peccato ſcandali contra charitatem inducendo detrahentem ad detractionem, & præterea peccat contra juſtitiam, cum ſit cauſa injuſta damni illi, cui detrahitur: & ideo tenetur ad reſtitutionem in defectu detrahentis. Qui vero non incitat alium ad detrahendum, ſed ſolum delectatur de gravi detractione mortaliter peccat contra charitatem, non contra juſtitiam, quia non eſt cauſa damni, nec illi incumbit ex officio impedire detractionem, & dum delectatur de gravi malo proximi, quod eſt delectatio de gravi detractione, eſt peccatum contra charitatem Audiens extrahentem de re gravi, & eum non corrigens per ſe loquendo peccat mortaliter contra charitatem; facit enim contra præceptum correctionis in re gravi; imo etiam peccat contra juſtitiam, quando ex officio, vel ex juſtitia tenetur impedire; poteſt autem excuſari à peccato, dum non poteſt commode corrigere, charitas enim non obligat cum gravi incommodo; cum non ſperatur fructus ex admonitione, vel non grave damnum provenit ex detractione, vel timet aliquod grave damnum corrigendo, vel licet detractio ſit de re gravi nihilominus publice conſtat de re illa, & de perſona, quæ rem illam committit.

Vtrum infamator teneatur ad reſtitutionem famæ, quando infamatus famam recuperavit bonis actibus, aut teſtimonio bonorum virorum. Cap. 820.

1 INfamator non tenetur ad reſtitutionem præciſe ratione infamiæ, quando infamatus ſuis bonis actibus famam recuperavit, ratione autem aliorum dam-

damnorum ſi quæ inde conſecuta ſint: certum eſt infamatorem teneri ad reſtitutionem ut ſi infamatus ratione infamiæ impeditus fuit ne beneficium conſequeretur detractor cenſetur ſua detractione cauſa efficax damni, pro qua tenetur ad reſtitutionem.

Utrum infamator teneatur ad reſtitutionem quando infamia tradita eſt oblivioni. Cap. 821.

1 NOn eſt obligatio reſtituendæ famæ, quando illi, quibus crimen narratum eſt obliti ſunt, ſive narratio vera fuerit, ſive falſa, quia infamatus nullum patitur damnum, cum damnum illatum cenſeatur per oblivionem evanuiſſe.

Utrum qui crimen alterius revelavit duobus, vel tribus, teneatur famam reſtituere non ſolum apud illos duos vel tres: ſed etiam apud alios, quibus illi manifeſtarunt. Cap. 822.

1 QUi revelavit crimen coram iis, quos ſciebat, vel dubitabat idem revelaturos aliis, tenetur apud omnes famam reſtituere: quia ſua detractione cenſetur cauſa efficax infamiæ apud omnes. Qui revelavit crimen alicui de cujus taciturnitate, & conſtantia non dubitabat, non tenetur famam reſtituere apud eos, quibus ille à Cajus revelavit, quia damnum ſecutum apud alios cenſetur caſuale reſpectu primi revelantis.

Quomodo detractor teneatur famam reſtituere. Cap. 823.

1 QUi alterum infamavit verum crimen aperiendo non tenetur, neque poteſt dicere ſe mentitum eſſe, aut falſum dixiſſe, quia committeret mendacium, ſed debet hunc modum ſervare, ut ſæpius honoret, & laudet infamatum apud eos, apud quos detraxit, nulla enim magis congrua, & opportuna ratione videtur poſſe alteri famam reſtituere: qui vero alterum infamavit imponendo falſum crimen, tenetur retractare, quod dixit, dicendo ſe falſum dixiſse, imo etiam tenetur juramentum addere ſi juramentum neceſſarium eſt ad famam reſtituendam. Qui autem publice famam abſtulit, tenetur eam publice reſtituere: qui vero, privatim ſatisfacit privatim reſtituendo.

Utrum detractor teneatur ad reſtitutionem non ſolum famæ, & damnorum, quæ conſecuta ſunt ex infamia: verum etiam bonorum quæ conſecutus fuiſſet infamatus. Cap. 824.

1 QVi verum, aut falſum crimen aperiendo infamavit alterum, tenetur ad reſtitutionem totius damni, quod alter inde paſsus eſt, quia cenſetur cauſa principalis damni, quod ſecutum non fuiſſet, ſi crimen ab ipſo non fuiſset manifeſtatum. Detractor qui per ſuam infamiam injuſte fuiſset cauſa, ne alter conſequeretur aliquod bonum, ut officium, vel beneficium, tenetur ad reſtitutionem boni impediti non tamen tenetur ad reſtitutionem, quanti valet bonum impeditum; ſed quanti valebat ſpes obtinendi officium, vel beneficium: quia bonum in ſpe minus valet, quam in re: ſi vero detractor fuit cauſa, ut alter privatus fuerit officio, vel alio bono iam obtento, tenetur ad reſtitutionem quanti revera valet officium vel aliud bonum.

De cauſis excuſantibus à reſtitutione famæ. Cap. 825.

1 NOvem cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ recenſentur à doctoribus. Prima eſt compenſatio quæ fieri poteſt in reſtitutione famæ ſervata æqualitate; compenſatio enim fieri non poteſt cum majori damno alterius. Secunda eſt condonatio obligationis reſtituendi famam, modo condonatio non ſit contra juſtitiam, nec urgeat in alterius damnum. Tertia eſt quando infamia jam abiit in oblivionem, & ex audientium mente excidit. Quarta contingit, quando fama recuperata eſt bonis, & virtuoſis actibus vel proborum virorum teſtimonio. Quinta eſt quando quis revelavit crimen occultum, quod poſtea alia ratione juſta factum eſt publicum, nam infamatus per publicitatem criminis amiſit jus ad famam. Sexta quando reſtitutio famæ facta eſt impoſſibilis, nam ad impoſſibile nemo tenetur. Septima, quando detractio fuit inefficax, ut quando audientes nõ crediderũt, vel quando audientes jam antea noverant

rant ſimilia, & ob id apud ipſos non eſt auĉta infamia. Octava, quando infamator non poteſt famam ſine periculo vitæ reſtituere. Nona quando reſtitutio alienæ famæ fieri non poteſt abſque jactura notabili propriæ famæ, nam juſtitia non obligat ab reſtitutionem cum damno notabiliter majori, quam ſit damnum illatum, quare vir illuſtris non tenetur ad reſtitutionem famæ homini plebejo, quando eam præſtare non poteſt ſine jactura ſuæ famæ.

De reſtitutione facienda propter contumeliam, & deriſionem.

Quid ſit contumelia, & deriſio, & quale peccatum. Cap. 826

1 Contumelia eſt injuria, qua obiicitur alteri crimen, vel alius defectus in ipſius præſentia, & eſt peccatum mortale ex ſuo genere: quia ex ſua natura graviter lædit honorem proximi, quamvis ratione parvitatis materiæ fieri poſſit peccatum veniale, & aliquando nullum peccatum ut quando quis per jocum, vel correctionem proiicit convicium, aut quando invincibiliter ignorat læſionem aliquam ſecuturam: propterea excuſantur, Primo Superiores: acrius reprehendentes ſubditos, quia non violant honorem ſubditurum. Secundo excuſantur patres appellantes filios aſinos, &c. Tertio excuſari poſſunt à mortali contumeliæ, & convicia, quibus mulierculæ, pueri, & homines infimæ ſortis ſeſe ſolent aſpergere ex animi irati promptitudine, dicendo quid quid in buccam venit. Omnes contumeliæ ſunt ejuſdem ſpeciei: quia conveniunt in eadem ratione formali auferendi honorem licet differant ſecundum magis, & minus, quæ non variant ſpeciem, unde non eſt neceſſe regulariter loquendo deferre in confeſſione ipſas Injurias, dicendo appellavi adulterum, &c. ſed ſufficit dicere quoties gravem intuli contumeliam meo proximo, &c. Contumelia autem eſt gravius peccatum detractione, licet contumelia ſit contra honorem, & detractio ſit contra famam: quæ præſtantior eſt honore, nihilominus contumelia eſt gravior ratione majoris involuntarii eo quod contumelia fiat in præſentia, & læſus ſcienter, & invitus patiatur injuriam, quæ ſibi in præſentia infertur: Detractio vero levior ratione minoris Involuntarii cum fiat in abſentia, & læſus inſcienter, nec Ita involuntarie patiatur injuriam, ſicut patitur in contumelia.

2 Deriſio eſt actus, quo honor alterius verbis, vel factis, violatur cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubeſcentiam, & differt à contumelia: quia deriſio fit joco, & habet pro fine confuſionem, & erubeſcentiam proximi; contumelia vero ſerio: deriſio eſt gravior contumelia ratione contemptus, qui major reperitur in deriſione, quam in contumelia: & eſt mortale peccatum ex ſuo genere, & eſt mortale peccatum in his caſibus. Primo quando adeſt intentio graviter confundendi proximum. Secundo quando manifeſtatur grave vitium, ut quando quis obiicit alicui uxoris adulterium Tertio quando deriſus graviter triſtatur, in aliis vero caſibus fieri poteſt, ut deriſio non ſit mortale peccatum, ſed ſolum veniale, & aliquando excuſatur ab omni peccato: ut quando fit cauſa corrigendi proximum, vel etiam cauſa recreationis honeſtæ, modo non intendatur confuſio, & erubeſcentia proximi.

Vtrum honos ablatus per contumeliam vel per deriſionem reſtituendus ſit, & quomodo. Cap. 827.

1 Qui per contumeliam, vel deriſionem alterius honorem injuſte abſtulit dictis, vel factis tenetur ad reſtitutionem, vel etiam ad ſatisfactionem, quia alterius honorem injuſte abſtulit. Multis modis reſtitui poteſt honos ablatus per contumeliam, vel deriſionem. Primo reſtitui poteſt dando locum honorificum, ſed non ſemper eſt ſufficiens, cum fieri poſſit, ut tanta fuerit honoris læſio ut iudicio prudentis non ſufficienter ſarciatur per hunc modum. Secundo ſufficienter reſtituitur honor petitione veniæ, quæ æſtimatur magna ſatisfactio, & ante judicis ſententiam major ſatisfactio non exhibitur: quamvis per judicem poſſit major infligi, & ideo veniæ petitio non eſt neceſſaria: quando reſtitutio honoris aliter fieri poteſt: remiſſio autem reſtitutionis honoris regulariter non cenſetur facta per familiarem conſuetudinem, ſeu converſationem cum eo, qui contumeliam intulit, quia familiaris converſatio non ſufficienter judicat remiſſionem debiti pecuniarii: ergo neque ſufficienter judicat remiſ-

miſſionem honoris, qui maioris eſt momenti, & æſtimationis.

De reſtitutione facienda ob ſuſurrationem.

Quid ſit ſuſuratio, & quomodo differat a detractione, & contumelia. Cap. 828.

1 SUſurratio eſt peccatum linguæ quo quis manifeſtat alterius defectum ad ſeminandas diſcordias inter amicos, & differt à detractione, & contumelia: quia finis detractionis eſt iniuſta denigratio famæ, finis contumeliæ eſt læſio honoris, & finis ſuſurrationis eſt diſſeminatio diſcordiarum, & diremptio amicitiæ, in qua ſæpe includitur detractio, & contumelia: quia ad diſſeminandas diſcordias aliquando refertur crimen alterius falſum, vel etiam verum & occultum, in abſentia, vel in præſentia, & ſuſurratio eſt gravior detractione, & contumelia: quia ſuſurratio ſæpe includit etiam detractionem, & contumeliam, & ſuſurratio dirimit, & diſſolvit amicitiam: quæ præſtantior eſt bono famæ, & bono honoris juxta illud Eccleſ. 6. amico fideli nulla eſt comparatio.

Vtrum ſuſurratio ſit peccatum mortale, & obliget ad reſtitutionem. Cap. 829.

1 SUſurratio eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra iuſtitiam, quia grave damnum iniuſte affert, quod eſt contra iuſtitiam, & habet aliquando plures malitias neceſſario explicandas in confeſſione; unde qui malum refert ad ſeminandas diſcordias inter duos coniuges: & inde facilius occaſionem arripiat adulterandi cum altero non ſolum peccat peccato ſuſurrationis: ſed etiam peccato adulterii propter intentionem, quam habet adulterandi. Suſurratio poteſt aliquando excuſari à mortali ratione indeliberationis, & inadvertentiæ; ſi forte adſit. Suſurratio aliquando licita eſt, ut quando quis manifeſtat alterius defectum ad diſſolvendam perniciosam, & periculoſam amicitiam nullo intercedente mendacio; poteſt etiam aliquis amicitiam aliquorum dirimere, ut etiam ſibi conciliet, modo hoc non faciat modis illicitis: Ex ſuſurratione conſurgit obligatio reſtituendi quia eſt mortale peccatum contra juſtitiam, ex quo conſurgit obligatio reſtituendi damnum illatum.

De Judicio temerario, & ſuſpicione.

Quando nam contingat judicium temerarium ſufficiens ad peccatum mortale. Cap. 830.

1 HÆc eſt differentia inter judicium temerarium, & ſuſpicionem, quod ſuſpicio eſt opinio mali orta ex levibus indiciis, & cum formidine oppoſiti: ut ſi quis ex levibus indiciis opinetur aliquem commiſiſſe furtum, ſed vacillet ob quandam formidinem oppoſiti, dicitur habere ſuſpicionem. Indicium vero temerarium eſt quando quis ex levibus indiciis aſſentitur firmiter, malitiæ proximi, ut quando quis ex levibus indiciis credit, aliquem commiſiſſe furtum, ſi vero non credat, nec firmiter aſſentiatur non committit judicium temerarium, ſed potius ſuſpicionem, Non igitur committitur judicium temerarium male judicando de aliquo ex indiciis, & conjecturis probabilibus, & ſufficientibus: quia judicium temerarium eſt illud, quo quis ex levibus indiciis movetur ad firmiter aſſentiendum malitiæ alterius: non autem qui firmiter iudicat malum de aliquo ex judiciis, & conjecturis ſufficientibus.

2 Sunt aliquæ ſufficientes conjecturæ, quæ movere poſſunt hominem prudentē ad ferendum tale judicium, quæ ex multiplici capite deſumi poſſunt. Primo ex circumſtantia temporis, ut ſi quis videat aliquem noctu ſcalas aſcendere ad ingrediendum domum alterius per feneſtram, & iudicet ipſum ingredi ad aliquod delictum patrandum non videtur temere judicare, dummodo non adſint aliæ circumſtantiæ in contrarium. Secundo ex circumſtantia loci, ut ſi vides aliquem ingredi domum, quam ſolum meretrices inhabitant, & iudices illum velle peccare, non videris temere iudicare. Tertio ex circumſtantia perſonæ, ut ſi quis iudicet aliquod peccatum de aliquo; quem conſtat in eius generis peccata labi conſueviſſe, quia de illo non tot iudicia requiruntur ad ferendum de eo iudicium: quot requiruntur ad iudicandum de alio: qui non ſolet huiuſmodi peccata perpetrare. Quarto ex circumſtantia perſonæ referentis alterius deli-

delictum, & ex circumſtantia perſonæ de qua delictum refertur, quare ſi referens mihi delictum alterius ſit vir fide dignus, & ille de quo crimen refertur non ſit tantæ auctoritatis, vel honeſti nominis; quia ſit probabile ipſum commiſſurum ſimilia: ego non dicor non temere judicare, judicando rem ita ſe habere, ſicut mihi relatum fuit ab illo viro. Quinto ex circumſtantia famæ, ut ſi aliqua fama volat aliquem commiſiſſe delictum, & ipſe credam rem ita ſe habere non videor mortaliter peccare peccato judicii temerarii tamen non ſingulæ conjecturæ ſunt ſufficientes ad firmiter judicandum: ſed aliquando plures, & aliquando pauciores ſufficiunt juxta prudentis arbitrium.

3 Committitur judicium temerarium, & mortale peccatum judicando firmiter, & deliberate de aliquo gravi malo proximi abſque ſufficienti fundamento, & judicii, ſeu conjecturis, modo judicium ſit de re gravi, & fiat ſine aliquo rationabili cauſa: de re vero levis momenti, vel quam proximus parvi æſtimet non eſt peccatum mortale, ſed veniale: ſic qui non firmiter judicat, ſed ſolum ſuſcipiatur, regulariter loquendo peccat ſolum veniliter.

Utrum judicium temerarium ſit peccatum contra juſtitiam, & obliget ad reſtitutionem. Cap. 831.

1 JUdicium temerarium eſt peccatum contra juſtitiam, quia temere judicans violat jus: quod alter habet ad ſuam famam, & ad bonam ſui opinionem, & æſtimationem, & ideo peccat contra juſtitiam; nam detractio per quam læditur bona proximi opinio, & fama apud alios eſt peccatum contra juſtitiam, ergo etiam judicium temerarium, per quod temere judicans apud ſe lædit famam alterius concipiendo malam opinionem, eſt peccatum contra juſtitiam, ob id multi DD. exiſtimant judicium temerarium non diſtingui ſpecie à detractione: & ideo omnia judicia temeraria ſunt ejuſdem ſpeciei, licet materialiter differant. Ex judicio temerario præciſe non oritur obligatio reſtituendi; quia obligatio reſtituendi non conſurgit ex actu mere interno ut ex voluntate furandi, &c. ſed actione externa injuſta damnificativa, ut ex actuali furto, &c. ita non conſurgit obligatio reſtituendi, ex judicio temerario præciſe, ſed addita alia circumſtantia fieri poteſt, ut adſit obligatio reſtituendi; ut quando judicium temerarium alteri manifeſtatur, non manifeſtatis levibus Indiciis: tunc enim committitur peccatum mortale detractionis obligans ad reſtitutionem ſub mortali, depoſita gravitate materię, temere autem judicans tenetur deponere judicium temerarium, & ſatisfacit deponendo judicium, & non male judicando in futurum; nam ceſſante judicio temerario, nullum damnum remanet, vel damnum paſſum jam tranſit.

Utrum teneamur dubia in meliorem partem explicare. Cap. 832.

1 REgulariter loquendo tenemur dubia explicare negative ideſt in meliorem partem, non poſitive, ſeu affirmative ideſt judicare quod melius eſt, niſi forte quis velit actum poſitivum judicii elicere, quare ſi ego videam aliquem bene comedentem, & bibentem non teneo judicare ipſum comedere, & bibere ex neceſſitate, ſed poſſum ſuſpendere judicium, non judicando commedere ex neceſſitate, neque ex gula hoc enim eſt explicare dubia in meliorem partem negative, quia proximus non habet jus ut de ipſo bene poſitive opinemur, ſed ne mala opinemur, ne pęnam certam inferamus pro culpa incerta, quod eſt contra juſtitiam, non male autem opinamur explicando dubia negative ideſt In meliorem partem: ideſt ſuſpendo judicium, non bene, quæ male judicando, ſi autem detur caſus, ut quis velit de altero actum poſitivum judicii facere, ideſt judicando quod melius eſt: tenetur poſitive bene judicare, ut ſi quis videat aliquem bene comedentem, quamvis poſſit ſuſpendere, judicium, non judicando bene aut male, tamen ſi velit poſitive judicare, tenetur bene poſitive judicare, quia proximus habet jus ad bonam ſui opinionem, niſi adſint indicia ſufficientia ad malam opinionem concipiendam: ſed quando res eſt dubia adſunt indicia ſufficiente ad concipiendam malam opinionem, & ideo quando res eſt dubia, tenemur non concipere malam opinionem, ſed bonã ex ſuppoſitione. quod velimus judicare abſque indiciis ſufficientibus.

2 Quando agitur de damno vitando, aut de remedio ad præcavendum malum adhibendo, licitum eſt aliqua ratione dubia in

peiorem partem explicare, non definitive, & poſitive, ſed per quamdam ſuppoſitionem, hoc eſt non exiſtimando poſitive proximum eſſe pravum, & improbum, ſed ſibi cavendo propter incertitudinem pravitatis, & improbitatis illius, quia non repugnat rectæ rationi adhibere media ad præcavanda mala. unde ſi ego recipiam domi meę advenam, licet non poſſim poſitive, & definitive judicare illum eſſe furem, quod eſt explicare dubia in peiorem partẽ poſitive, & definitive, poſſumus tamen ita rebus meis cavere, ac ſi eſſet fur, quod eſt explicare dubia in pejorem partem per quamdam ſuppoſitionem.

Circa octavum Decalogi præceptum.

Non falſum teſtimonium dices.

De Mendacio.

Quid, & quotuplex ſint mendacium. Cap. 833.

1 MEndacium à S. Auguſtino (lib. 1. contra mendacium c. 42) ſic definitur: Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi, ſeu dicendi falſum, unde de eſſentia mendacii eſt ut id, quod dicitur ſit falſum, vel putetur falſum, & ordinerie committi ſolet verbis: quia verba principalem locum tenent inter ſigna, quibus aliquis decipi poteſt, quamquam non eſt neceſſe ut omne mendacium verbis committatur cum etiam nutibus, ſignis, aut taciturnitate aliquando committi poſſit; & non ſemper conjungitur cum intentione fallendi, ſed quia ut plurimum cum tali intentione, vel ſaltem cum animo dicendi falſum conjungi conſuevit, unde formale mendacii in hoc conſiſtit, ut qui dicit mendacium putet eſſe falſum, quod aſſerit, & ideo aſſerens aliquid falſum, quod putat eſſe verum, non committit mendacium formaliter, ſed ſolum materialiter: mendacium enim formaliter quatuor modis contingit. Primo quando quis aliquid affirmat eſſe quod vere non eſt, & ipſe cognoſcit eſſe, Secundo quando quis negat aliquid eſſe, quod vere eſt, & ipſe cognoſcit eſſe. Tertio quando ſcienter dubium pro certo affirmat. Quarto quando affirmat certum pro dubio. Mendacium ſi conſideretur ex parte finis, ob quem committi ſolet triplex eſt. Jocoſum, Officioſum, & Pernicioſum. Jocoſum committitur cauſa delectationis abſque alterius damno. Officioſum committitur dum intenditur bonum utile alterius, vel fuga alicujus damni. Periculoſum, quod eſt omnium peſſimum committitur intentione nocumenti alterius. Si autem conſideretur mendacium ex alia ratione, quam ex parte finis dicimus Mendacium aliud eſſe materiale, aliud formale, & aliud eſſe mendacium vocis, ſeu verborum, aliud facti, ſeu ſignorum aut mutum.

Utrum omne mendacium ſit peccatum, & quale peccatum ſit. Cap. 834.

1 OMne mendacium eſt peccatum, quia demonſtrare voce id cujus contrarium in mente geritur, eſt contra dictamen naturale, & contra naturam vocum, quæ à natura inſtitutæ ſunt ad ſignificandos inter nos animi ſenſus, & conceptus, & ideo mendacium eſt intrinſice malum: imo adeo malum, ut licitum fieri non poſſit, quamvis bono fine committatur, ut ob finem conſervandæ vitæ propriæ, vel alterius, unde Pontifex non poteſt diſpenſare in mendacio, ita ut per ipſius diſpenſationem licite fieri poſſit nam mendacium eſt intrinſice malum, & Pontifex naturas rerum mutare non poteſt. Non omne mendacium eſt peccatum mortale: quia mendacium jocoſum, & officioſum non eſt peccatum mortale, etiam ſi proferatur à viro graviſſimo ſecluſo gravi ſcandalo, quia hujuſmodi mendacium nulli gravem injuriam affert, & cenſetur materia levis modo non addatur juramentum: tunc enim eſſet peccatum mortale periurii: Mendacium igitur jocoſum, vel officioſum eſt peccatum veniale, nec unquam fit mortale quamvis multiplicetur præciſo tamen ſcandalo, & juramento. Mendacium vero pernicioſum eſt peccatum mortale ex ſuo genere: quia opponitur dilectioni Dei, & proximi, illique damnum infert; poteſt tamen fieri, ut aliquando ſint tantummodo venialia ratione parvitatis materiæ, vel indeliberationis, quare Petrus negans ſe Chriſti diſcipulum eſſe graviter peccavit, quia mendacium facit in re fidei, vel ſcripturæ; ſic peccat mortaliter, qui noſtram fidem falſis miraculis confirmare nititur, fœmina autem non eſt rea mendacii, dum

bonis

bonis artibus, & mediis alias licitis defectum virginitatis, tegit, & tamquam virgo matrimonium contrahit; cum enim non intendat alterum decipere, ſed ius ſuum tueri, & ad illud tuendum uti poſſit verbis amphibologicis, aut mediis alias licitis non dicitur mentiri.

De judicio publico.

De poteſtate, & juriſdictione judicis.
Cap. 835.

1 POteſtas, & juriſdictio requiritur, & adeo neceſſaria eſt Judici, ut ſententia lata ſine poteſtate, & iuriſdictione invalida ſit: quia nihil fieri poteſt ſine poteſtate. Poteſtas, & juriſdictio quadruplex eſt, ordinaria, delegata, arbitraria, & acceſſoria. Ordinaria eſt illa, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate, qualem habet Summus Pontifex ſuper omnes fideles in rebus ad animæ ſalutem pertinentibus, & Epiſcopus, & Vicarius Generalis reſpectu ſibi ſubditorum. Poteſtas delegata, eſt illa, quæ competit alicui non ex officio, vel dignitate, ſed ex conceſſione, vel commiſſione illius, qui poteſtatem habet ordinariam. Arbitraria eſt illa, quæ communi partium litigantium conſenſu obtinetur, & hæc dupliciter contingit; Primo dum eligitur arbiter, ſeu potius arbitrator, ex conventione partium, ut ſcilicet amicabiliter componat, & in hoc caſu arbiter poteſt pro ſuo arbitrio judicare juxta æquitatem juris naturalis; etiam ſi non ſervet ordinem juris poſitivi, & ipſius decreto partes obedire tenentur. Secundo dum eligitur in judicem, & in hoc caſu judex ſententiam ferre debet juxta ordinem juris, & partes tenentur ſub mortali ſententiæ ipſius obedire; & ad illius obedientiam à principe compelli poſſunt. Acceſſoria eſt illa, quæ alicui aliunde accedit, ut ratione delicti, & ideo quando quis in alieno territorio delinquit, ſuperior acquirit in ipſum iuriſdictionem, & delinquens ratione delicti fit ſubditus illius Judicis, in cuius territorio deliquit, ab eoque puniri poteſt (L. ult. ff. de accuſationibus;) unde aliquis iudicans abſque aliqua ex dictis poteſtatibus invalide judicat.

De Clericorum exemptione à laica poteſtate.

Utrum Clerici exempti ſint à laica poteſtate: ita ut à Judice laico examinari, judicari, aut puniri nequeant.
Cap. 836.

1 CLerici exempti ſunt à laica poteſtate, non ſolum in ſpiritualibus verum in temporalibus: nam quoad ſpiritualia Chriſtus ſolos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, non vero Reges alioſve ſeculares præfecit Eccleſiæ, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione; *Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. ex Innocentio III. cap. Eccleſia S. Mariæ, &c.* in temporalibus vero a laica poteſtate ſunt empti; conſtat in dictis de contractibus, ubi docui Clericos non ſubiici legibus, & poteſtati laicorum quoad vim coactivam, ſed ſolum quoad directivam. Clerici exempti ſunt à laica poteſtate, non ſolum jure humano, civili, & Canonico, verum etiam divino. Jure civili patet ex Authent. ut Clerici proprio judices conveniant *ex L. placet C. de Sacros Eccleſ. & L. 2. C. de Epiſc. & Cler.* Jure Canonico in civilibus, & temporalibus conſtat *ex Concilio Conſtantienſi citato, Calcedonenſi cap. 9. Cartaginenſi III can. 9. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. &c.* Jure Divino ſunt exempti quia Pſal. 114. dicitur (Nolite tangere Chriſtos meos) quæ verba licet intelligantur de Patriarchis, qui erant uncti, & à Deo miſſi ad populum intelligenda tamen etiam ſunt de Clericis, & Sacerdotibus, qui uncti ſunt, divino cultui mancipati, & interpretes ad populum tranſmiſſi: & quia c. Imperator diſt. 96. habetur, Domino inſtituente ad Eccleſiam pertinere Clericorum, & Eccleſiarum gubernationem, & curam, Deumque voluiſſe Clericos, & Sacerdotes ordinari, & dirigi, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus, &c. propterea Clericus non poteſt judicialiter, & auctoritative interrogari, examinari, judicari, vel puniri à laica poteſtate ut à Prætore, Principe &c. etiam ſi graviſſima delicta commiſerit, & ſic proceſſu, ſententia, & alia facta à laica poteſtate contra Clericum ſunt invalida.

Digitized by Google

Qui nam veniat nomine Clericorum gaudentium libertate Eccleſiaſtica.
Cap. 837.

1 NOmine Clericorum gaudentium lidertate Eccleſiaſtica veniunt, Primo Cardinales, & Epiſcopi: Secundo veniunt Sacerdotes, aliique ſacris ordinibus initiati. Tertio qui ſunt in minoribus conſtituti modo ſerventur ea, quæ in *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6. præſcribuntur, & hoc nomen, & hoc privilegium extenditur etiam ad Clericos conjugatos (c. unico, de Clerico conjugato in 6.) modo iſti Clerici non ſint bigami: & habitum, & tonſuram deferant, & alicujus Eccleſiæ miniſterio ab Epiſcopo deputati ſint, & abſtineant ab armis deferendis: nomen Clericorum extenditur ad famulos, domeſticos, ac familiares Cardinalium, & Epiſcoporum, & ad omnes religioſos cujuſeumque ordinis, & ad moniales.

An Clerici judicari poſſint a laica poteſtate interveniente conſuetudine, vel privilegio Summi Pontificis vel conſenſu ipſorum Clericorum.
Cap. 838.

1 NOn poteſt indduci conſuetudo, qua Clerici à laica poteſtate judicari, vel puniri poſſint, quia Clerici jure divino exempti ſunt laica poteſtate, ſed non poteſt introduci conſuetudo contra jus divinum addo (ex c. noverit de ſenten. Excom.) eos ipſo facto excommunicari qui conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticarum perſonarum ſervari faciunt, vel ſervare præſumunt.

2 Laica poteſtas poteſt judicare, & punire Clericos de conſenſu, & poteſtate Summi Pontificis: quia hæc poteſtas delegabilis eſt; non autem poſſent de conſenſu Epiſcopi Clerici à laica poteſtate judicari nec in civilibus, nec laica poteſtas poteſt judicare, vel punire Clericos, etiam ſi Clerici conſentiant: ſeque poteſtati laicæ iudicandos ſudant, quia ſic decernitur in c. dingenti de foro competente, & quia privigelium exemptionis à laica poteſtate non eſt conceſſum ſingularibus perſonis, ſed ſtatui Clericorum; nullus autem cedere poteſt privilegio communitati conceſſo (c. ſi deligenti de foro compet.) nec ſi conſentiant de conſenſu Epiſcopi: quia Epiſcopus non poteſt jure communi derogare. Non nego tamen quin Clerici poſſint ſecularem judicem tamquam arbitrum eligere in cauſa civili, & temporali, in qua illi parere tenentur: hoc enim nulla lege prohibitum eſt, in cauſa vero ſpirituali laicus non ſolum non poteſt eſſe judex, verum neque arbiter (c. contingit extra de judiciis)

Utrum in jure extent aliqui caſus, in quibus Clerici foro ſeculari, & laico ſubiciantur. *Cap.* 839.

1 MUlti dantur caſus, in quibus Clerici criminoſi privilegio fori privantur, & laica poteſtate judicantur, Primus eſt, eum Clericus fuerit degradatus, ſeu depoſitus realiter: tunc enim traditur brachio ſeculari judicandus, & puniendus (c. degradatio pænis in 6.) & per degradationem omnia clericorum privilegia ammittit. Secundus eſt cum Clericus eſt bigamus; Clericus enim bigamus bigamia vera, vel interpretativa omnia privilegia Clericorum amittit (c. unico de bigamis in 6.) ubi Titius Clericus Clericalem habitum ſuſcepit in fraudem, ut ſeculare judicium effugeret Quartus caſus eſt in cauſa feudi, nam vaſſallus quamvis Clericus in iis; quæ pertinent ad feudum, ſubicitur Domino feudi quamvis ſeculari *c. verum de foro competente, &c. quia leges* & jura feudorum approbata ſunt à Summo Pontifice: conſequenter dominus ſecularis in hac parte judicat non auctoritate propria, ſed commiſſa, & delegata, tenetur igitur Clericus ſtare juramento fidelitatis præſtito domino directo feudi, in cauſa ſolum feudi. Quintus caſus eſt in cauſa reconventionis: nam ſi Clericus in civilibus conveniat laicum coram Judice laico poterit laicus conventus reconvenire Clericum in materia civili coram eodem judice dum arbitratur, ſe aliquam actionem contra Clericum in cauſa civili habere *c.* 1 *&* 2 *de mutuis petitionibus, &c. accuſatores, verſ. cujus in agendo.* Sextus caſus eſt, cum Clericus enormitatibus, ſe immiſcet; ſed hunc caſum ſic abſolute intellectum reicit dum eſſe exiſtimo. Septimus caſus eſt dum Clericus effectus eſt incorrigibilis: qui caſus non eſt admittendus.

Quam

Quam culpam, aut pœnam incurrat, qui cauſam agit coram judice laico incompetente & quam culpam, aut pœnam incurrat judex judicando perſonas Eccleſiaſticas.
Cap. 840

1 CLericus, qui coram laico judice cauſam agit incurrit Primo culpam Sacrilegii, quia facit contra Immunitatem Eccleſiæ; ſeu potius contra libertatem Eccleſiaſticis perſonis conceſſam, nam immunitas ſi proprie, & ſtricte loqui velimus importat exemptionem loci Sacri: libertas vero exemptionem perſonarum Eccleſiaſticarum Secundo incurrit pœnam Excommunicationis (c. noverit,) Hæc tamen intelligenda ſunt modo Clericus conveniat alterum Clericum coram Iudice laico; tunc enim violatæ libertatis reus eſt. Secus ſi conveniat laicum: nam laicus. qui convenitur ſuſtinet perſonam rei, & eſt ſubditus laicæ poteſtati, & reo ſervandum eſt ſuum proprium forum.

2 Iudex qui perſonas Eccleſiaſticas judicat, vel punit, non ſolum ſacrilegii culpam committit, cum faciat injuriam perſonis heccleſiaſticis; verum etiam excommunicationem Bullæ Cœnæ Summo Pontifici reſervatam incurrit.

De Veritate Iudicis. Cap. 841

1 IN judice non ſolum requiritur poteſtas, & juriſdictio, verum etiam veritas: tunc autem veritati adhæret, dum ſecundum allegata, & probata judicat; tamen Judex qui privata ſcientia novit aliquem innocentem, qui probatur nocens in judicio non tenetur publicam ſcientiam ſequi, illumque ſecundum allegata, & probata ad mortem condemnare, quia repugnat juri naturæ, & divino innocentem directe occidere Exod. 22. (Inſontem, & juſtum non occides.)

De ſcientia Iudicis, ejuſque puritate, & celeritate in judicando. Cap. 842.

1 IN judice neceſſaria eſt ſcientia, qua recte ſciat ſuo munere fungi: quia quilibet ſcire tenetur, quæ pertinent ad proprium officium; ſine quorum cognitione ſuum munus, & officium exercere non poteſt, & nullus retinere poteſt officium, cujus munia obire, non valet. In judice requiritur puritas, quæ non ſolum conſiſtit in abſtinentia à verbis contumelioſis contra litigantes, verum etiam in recta intentione, unde judex judicans ex prava intentione peccat juxta qualitatem pravæ intentionis. Judex tenetur cauſas judicare, & celeriter expedire (L. properandum C. de judiciis) quare judex mortaliter peccat contra proprium officium, cauſarum expeditionem notabiliter differendo: immo tenetur parti læſæ damna, & expenſas, quorum cauſa eſt, reſtituere.

De forma juris, quam Iudex ſervare debet in ferenda ſententia. Cap. 843.

1 FOrma juris, quatenus conſiſtit in modo ferendi ſententiam, in hoc poſita eſt, ut ſententia feratur juxta diſpoſitionem legis, & juris in caſibus particularibus; quia ſententia eſt declaratio legis, & juris in caſibus particularibus, & judicandum eſt juxta verba legis non ſolum ab inferiore judice: verum etiam à Superiore, quoties ſervatis verbis legis nulla ſequitur iniquitas, & injuſtitia.

2 Sententia tripliciter poteſt dici injuſta: Primo quando procedit ex odio, & mala intentione, vel favore contrariæ partis, & eſt valida, & obligat in utroq; foro: quia in hac ſententia nihil deeſt eſſentiale: nam non aufertur jus alterius: nec ulli præter quam ſoli judici damnum infertur Secundo quando eſt contra veritatem facti, & fundatur in falſa præſumptione, ut quia lata eſt juxta dictum teſtium, qui falſum depoſuerunt, vel alia ratione: hæc non obligat in conſcientia, etiam ſi ſervatus ſit ordo juris, & lata ſit ſecundum allegata, & probata, nam quando ſententia eſt injuſta contra veritatem facti, & fundatur in falſa præſumptione, verus Dominus non habet juſtam cauſam propter quam reus privetur rebus ſuis, & cogatur ad illas alteri tradendas, ſed obligat in foro externo: quia in foro externo non tam attenditur veritas facti, quam probatio juridica, & ordo juris. Tertio quando fertur non ſervato juris ordine: ut ſi Judex non judicet ſecundum allegata, & probata, vel aliter judicet, quam in jure diſpoſitum ſit, Sẽtẽtia eſt injuſta, & invalida nec obligat: quia ſententia Judicis in tantum

valet in quantum eſt conformis Iuri, quia debet eſse declarativa juſti, & iuris, & unicuique tribuere ius ſuum.

De forma juris quæ in modo procedendi ſervare debet. Cap. 844.

1 TRiplex eſt modus procedendi. Primus dicitur per denuntiationem. Secundus per accuſationem. Tertius per inquiſitionem. Circa primum duo ſunt denuntiationum genera, unum dicitur denunciationis extraiudicialis, ut ſi delictum aperiatur Superiori tamquam patri, ne delictum committatur, vel iteretur, alterum dicitur denuntiationis iudicialis, quæ fit coram Superiore tamquam coram iudice, ut publica pæna delinquenti iniungatur: vel ſatisfactio parti debita exhibeatur: circa tertium Inquiſitio triplex eſt, generalis, Specialis, & mixta. Generalis eſt quando de perſona in communi quæritur crimen in communi, ut quando quæritur utrum aliqui ſint, qui crimen aliquod commiſerint. Specialis, quando de perſona particulari quæritur crimen aliquod particulare. Mixta eſt illa, quæ conſtat ex generali, & ſpeciali, & poteſt eſse duplex: aut enim de perſona in communi quæritur crimen particulare, aut de perſona particulari quæritur crimen generale, antequam vero ad inquiſitionem ſpecialem, aut mixtam procedatur debet præcedere infamia, vel clamoroſa inſinuatio, vel indicia, vel ſemiplena probatio. Infamia eſt frequens vox bonorum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter ſuſpectum reddit, & ideo ad infamiam judicialem requiritur, ut ſit frequens opinio, & vox bonorum quæ debet eſse maior pars populi. Clamoroſa inſinuatio eſt vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extra iudicium. Judicia ſunt ſigna, & circunſtantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter iudicamus de actibus aliorum, quæ ſunt triplici indifferentia, alia ſunt levia, & hæc non ſufficiunt ad capiendum reum, alia ſunt gravia, & hæc ſufficiunt ad citandum, & examinandum reum, alia ſunt indubitata, & hæc ſufficiunt non ſolum ad examinandum, verum etiam ad torquendum reum, vel ad deferendum illi iuramentum. Semiplena probatio eſt dictum unius teſtis oculati, vel aliias fide digniſſimi legitime deponentis cum iuramento & hic teſtis dicitur omni exceptione maior.

2 Modus procedendi per inquiſitionem generalem, non requirit præviam infamiam vel accuſatorem, vel denunciatorem quia fit ex officio, non vero ad inſtantiam partis, ſed modus procedendi per ſpecialem inquiſitionem, qua intenditur pęna delinquentis, requirit præviam infamiam, vel clamoroſam inſinuationem; quæ eſt virtualis accuſator: qui requiritur, ut Iudex poſſit procedere ad inquiſitionem ſpecialem, nam abſque formali, vel ſaltem virtuali accuſatore Judex non poteſt procedere ad inquiſitionem ſpecialem, nec ſufficiunt ſola indicia manifeſta: quia indicia ſunt minoris probationis: quam duo, aut tres teſtes omni exceptione maiores; duo autem, vel tres teſtes non ſufficiunt ad ſpecialem inquiſitionem c. inquiſitionis de accuſationibus.

3 Modus procedendi per inquiſitionem mixtam, qua inquiritur ſpecialiter de perſona, & generatim de crimine, requirit præviam infamiam, vel ſemiplenam probationem, & accuſationem, aut ſaltem manifeſta indicia, iuxta receptam loci conſuetudinem. Modus vero procedendi per inquiſitionem mixtam, qua de tali crimine noto quæritur auctor eius in communi, non requirit infamia delinquentis, nec ſemiplenam probationem, & accuſationem quia hæc eſt praxis fori tam ſecularis, quam Eccleſiaſtici.

De modo procedendi per accuſationem, & denunciationem. Cap. 845.

1 IUdex via accuſationis iuridice procedit quoties delata accuſatione interrogat teſtes: & poſtea habita ſaltem ſemiplena probatione procedit ad interrogandum reum quia non tot requiruntur ad interrogandum reum, quot ad condemnandum; nam ad condemnandum ſufficit plena probatio: unde ad interrogandum reum ſufficit ſemiplena. Judex via denunciationis iuridice procedit, quoties crimine de aliquo ad ipſum delato ex officio procedit ad capiendas informationes, & examinandos teſtes nominatos ad denunciatore, vel alios quos ipſe iudex inquirendo ex officio comperit informatos, quibus poſitis legitime accedit a examinandum delinquentem, hic eſt communis uſus, & praxis

Virum

Utrum judex pœnam a lege taxatam remittere poſſit. Cap. 846.

1 NUllus judex inferior ordinariè loquendo relaxare poteſt pœnam à jure taxatam, etiam ſi accuſator, vel pars læſa conſentiat, quia judex inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris; etiam ſi pars conſentiat, niſi accuſator, aut pars læſa conſentiat, quatenùs juri ſuo cedere poteſt: pœna autem duplex eſt, una omnino certa altera arbitraria. Prima nullo modo relaxari poteſt, præſertim cum pars læſa, vel accuſator, vel qui emit pœnas non remittit. Secunda minui poteſt, & augeri intra terminos æquitatis pro varietate temporum, locorum, & perſonarum judicis l. quid ergo ff. de iis qui notantur infamia, inſuper alia eſt pœna, quæ iniungitur ob bonum publicum, alia quæ iniungitur in ſatisfactionem partis læſæ. Prima non poteſt remitti alioquin fieret iniuria Reipublicæ. Secunda poteſt remitti conſentiente parte læſa.

Utrum judici aliquid tradi ab eoque accipi poſſit. Cap 847.

1 AD tria capita revocari poſſunt, quæ judex à litigantibus accipit: alia dicuntur ſtipendia pro officio, alia dicuntur expenſæ pro labore, alia dicuntur munera, quæ vel ſunt ſportulæ, vel xenia; xenia ſunt exculenta, vel poculenta, quæ intra duos, vel tres dies conſumi poſſunt; ſportulæ dicuntur quæcumque munera, quæ vel cibo, vel in pecunia ultra ſtipendium a litigantibus dari conſueverunt. Judices tam Seculares, quam Eccleſiaſtici aliquid loco ſtipendii a litigantibus pro exercendo juſtitiæ officio accipere poſſunt, quia obligatio judicandi eſt res pretio æſtimabilis, nec eſt aliquid ſpirituale, ſed eſt locatio operæ ſuæ, & operarius dignus eſt mercede ſua. modo judicibus ſtipendium a Republica, vel ab alio aſſignatum non ſit: quia tunc non poſſunt quicquam à litigantibus accipere, ſicut neq; poſſunt aliquid amplius ultra ſtipendium taxatum accipere, alioquin acciperet indebitum. Judex Eccleſiaſticus habens beneficium, cui eſt adnexa juriſdictio non poteſt à litigantibus munera vel ſportulas accipere, quia hoc illi vetitum eſt jure Canonico cum ne omni de vita, & honeſtate clericorum, idem dicendum eſt de judice Eccleſiaſtico (c. Statutum de reſcript. in 6.) Judices vero Sæculares poſſunt in lite centum aureos excedente duos aureos à ſingulis partibus in principio litis accipere, & duos in fine. (Authent. de judicibus §. ne autem collatione 6.) in lite autem prædictam ſummam non attingente nihil poſſunt accipere: quicquid vero ſit de jure communi arbitror judices ſeculares tam ordinarios, quam delegatos poſſe juxta loci conſuetudinem munus accipere hoc enim juri naturæ, vel divino non adverſatur, & ideo alicubi legitima conſuetudine receptum eſt: ut dentur, & accipiantur munera ultro oblata, unde non damnentur judices aliquid moderate acceptantes juxta conſuetudinem legitime introductam imo etiam Eccleſiaſtici judices excuſari poſſent, ubi legitima conſuetudine receptum eſt, ut à Judicibus Eccleſiaſticis munera recipiantur: xenia vero, quæ conſiſtunt in exculentis, & poculentis dicendum eſt accipi poſſe à quocumq; judice, cum nullo jure illius acceptio prohibita ſit. Quilibet judex ſecularis petere poteſt expenſas, quas facit, dum proficiſcitur extra domicilium, & domum, nam compenſatio expenſarum juſta eſt.

De pœna excommunicationis contra dantes aliquid, vel recipientes, promittentes, vel promiſſionem acceptantes pro gratia, vel juſtitia obtinenda in Curia Romana: item contra præbentes conſilium, auxilium, vel favorem, contradicentes, & non revelantes eos qui ex pacto tacito, vel expreſſo dant, vel accipiunt aliquid pro gratia, vel juſtitia obtinenda in Curia Romana. Cap. 848.

1 IN extravaganti Bonifacii VIII. in rubrica de ſententia Excommunicationis, quæ incipit Excommunicamus, &c. lata eſt excommunicatio contra omnes facientes promiſſionem, vel pactum temporalium pro aliqua gratia, vel juſtitia obtinenda in Curia Romana, & contra dantes vel recipientes aliquid parvum vel magnum ex pacto, aut promiſſione occulta, vel manifeſta facta etiam ſub generalibus verbis, & Papæ reſervatur abſolutio, & quamvis hæc conſtitutio teſte Navarro revocata fuerit à Clemente V. nihilominus confirmata fuit, & aucta à Gr. XIII. Nomine gratiæ hoc in

Digitized by Google

loco intelligitur non ſolum id quod à Sede Apoſtolica obtineatur per litteras, ſive diplomata, ſive reſcripta, ſive brevia pontificia: verum etiam, quando ſi ſignatura, aut ſolo verbo, vivæ vocis oraculo concedi ſolet, & ideo obtinendo, quando aliquod horum delictorum committit abſolutiones, diſpenſationes, &c. etiam ſolo verbo his pœnis procul dubio ligatur, & ſic pœnis hujus conſtitutionis afficitur, qui dat aliquid judici, ut aliquid arbitrarium faciat, ad quod ex juſtitia non tenetur, ut ſcilicet det, vel non det majorem d lationem, &c. Nomine Sedis Apoſtolicę intelligitur Summus Pontifex, & curia ieſius Summi Pontificis.

2 Materia iſtius conſtitutionis; ſeu id quod in hac conſtitutione prohibetur ſunt actiones ſequentes Prima eſt pactio, quæ fieri ſolet cum tertio, ut ſibi gratiam, vel juſtitiam procuret ibi *qui aliquod pactum facerent*. Secunda promiſſio dandi aliquid ibi *ſeu quid parvum vel magnum promitterent*. Tertia eſt acceptatio promiſſionis ibi *promiſſionem reciperent*. Quarta eſt datio ex pacto, & promiſſione ibi, *aut ex pacto vel promiſſione occulta, vel manifeſta, ſive ſub verbis generalibus, & plene non expreſſis, ſive ſpecialibus, & aperte expreſſis facta, quicquam darent*. Quinta eſt receptio ex vi pacti vel promiſſionis ibi *aut reciperent*. Sexta eſt promiſſio facta tertio tamquam mediatori in utilitatem illius, qui gratiam impetrabat ibi *eamdem ſententiam ad promittentes*. Septimo acceptatio talis promiſſionis ibi, *& acceptans*. Octava datio ſine promiſſione ibi *dantiſque*. Nona receptio ſine promiſſione ibi, *& recipientes* Decima eſt omiſſio denunciationis ibi, *illos etiam, qui ſibi intra triduum non denunciarent, quem in culpa eſſe ſcirent vel alicui per quem ad ſe fideliter referretur*. Undecima eſt uſus gratiæ, vel juſtitiæ ſic obtentæ modo id fiat ſcienter ibi, *& ſcientes illis utentes ſive illa ſententia inodavit* iſtæ actiones vetitæ etiam erant in extravaganti Bonifacii VIII ſed per Extravagant. Gregorii confirmatæ ſunt.

3 Subiectum conſtitutionis, ſeu perſonæ, quas afficit hæc conſtitutio ſunt non ſolum laici utriuſque ſexus, verum etiam quicum; Clerici, & Religioſi, qui aliquam ex præfatis actionib faciat, ut patet ex illis verbis *excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos Religioſoe, & laicos utriuſque ſexus, ſive familiares curiæ, ſive undecumque alios*. Multæ pænæ imponuntur tranſgreſſoribus iſtius extravagantis. Primo imponitur Excommunicatio ut patet ex illis verbis *excommunicavit anathematizavit*; Secundo imponitur irritatio gratiæ, vel juſtitiæ contra præſcriptium hujus conſtitutionis obtentæ. Tertio ut is, qui gratia. vel juſtitia hoc modo obtenta ſcienter utitur ligetur excommunicatione, aliisque pænis, quibus cæteri hujus legis tranſgreſſores punjuntur. Qnarto, ut qui aliquid accepit contra hanc conſtitutionem abſolvi nequeat, antequam reſtituat pauperibus quod accepit vel dedit. Quinto ut nullus abſolvi queat extra mortis articulum abſque ſpeciali mandato. Sexto imponitur privatio ipſo facto omnis beneficii Eccleſiaſtici, & omnis officii tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis, tam perpetui, quam temporalis. Septimo ut ſit perpetuo infamis. Octavo inhabilitas ad illa omnia beneficia, & officia, & ad alia quælibet in poſterum obtinenda: ad incurrendas iſtius Extravagantis pænas requiritur effectus ultimus, ſed quælibet iſtarum actionum ſufficit; ſeu requiritur ſcientia ejuſdem conſtitutionis.

De Accuſatore, Denunciatore, Reo, Teſte Advocato, & Procuratore.

De accuſatore, & denunciatore.
Cap. 849.

1 ACcuſatio, eſt celatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta: Ad accuſationem jure communi quinque requiruntur. Primo ut fiat in ſcriptis, aut etiam verbis, modo Notarius eam ſtatim in ſcriptis referat. Secundo requiritur nomen accuſatoris, & accuſati Tertio ſpecies delicti. Quarto locus, & tempus ſcilicet annus, & menſis, quo delictum fuit patratum non tamen neceſſe eſt omnino exprimere diem, modo non petatur apponi diem; quia reus ſe vult defendere. Quinto requiritur inſcriptio accuſantis inter denunciationem, & accuſationem hæc eſt differentia quod accuſatio ſemper datur in ſcriptis cum ſolemnitatibus recenſitis: in denunciatione vero non ſunt neceſſarię prędictę ſolemnitates nam denunciatio fieri poteſt ſolis verbis. Ante accuſationem non eſt neceſſaria ſecreta monitio, ſi naturam accuſationis ſpe-

ſpectemus: quia finis accuſationis non eſt emendatio delinquentis, ſed punitio, ut exemplo unius alii deterreantur: licite poſſumus alium accuſare de injuria nobis facta licet non teneamur, quia accuſatio eſt actus virtutis iuſtitiæ, qui ſi debito modo fiat licitus eſt: licite poſſumus inimo etiam tenemur multis in caſibus accuſare, vel queralem deponere ob aliorum utilitatem. Primus caſus eſt: quando crimina immediate vergunt in damnum communitatis dum ſunt in fieri vel in procinctu ut fiant, etiam ſi delinquenti promiſſum ſit ſecretum cum iuramento, modo non ſit ſecretum confeſſionis. Secundus caſus quando crimen eſt in fieri contra tertiam perſo am privatam, tunc enim quilibet tenetur delinquentem accuſare, ſi probare poteſt, vel ſaltem denunciare, ut impediat damnum: & ideo, qui non accuſat, vel non denunciat delinquentem contra bonum publicum, vel privatum peccat mortaliter contra charitatem, ſed non tenetur ad reſtitutionem. Ab accuſatione repelluntur primo excommunicati in pænam ſuorum delictorum, proditores, public concubinarii, Uſurarii, & quicumque iure infames.

De Reo. Cap. 850.

1 REus, qui non juridice, aut non ſervato juris ordine interrogatur, non tenetur veritatem aperire, vel jurare, ſi vero interrogatur juridice, ſervato juris ordine, tenetur veritatem aperire: quia judex juridice procedens poteſtatem habet obligandi reum ad aperiendam veritatem, alioquin vana eſſet iudicum poteſtas, iuris autem ordo ſervatur quando præceſſit infamia, vel ſemiplena probatione, vel accuſatione, vel manifeſtis indiciis, tunc reus a iudice interrogatur, & tenetur reſpondere: & ideo quando crimen eſt occultum, non tenetur veritatem aperire, quia non iuridice interrogatur. Reus, vel ipſius advocatus non peccat contra juſtitiam aperiendo crimina quamvis occulra teſtium. dum crimina, quæ aperiuntur valent ad infirmandum dictum teſtium, quia reus poteſt uti mediis ad ſui defenſionem ordinatis Reus non ſolum ante ſententiam verum etiam poſt iudicis ſententiam fugere poteſt e carcere, quia non conicitur in carcerem, ut ibi ſponte maneat; ergo jus fugiendi retinet: Reus non tenetur in conſcientia ſervare, ſeu obedire ſententiæ, quæ nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus. Reus negans veritatem in iudicio, non tenetur ad ſolvendam pœnam, quam ſolviſſet ſi veritatem aperuiſſet, quia negans in iudicio non peccat contra iuſtitiam commutativam, ſed contra iuſtitiam legalem: obligatio autem reſtituendi conſurgit ex violatione iuſtitiæ commutativę.

De Teſte. Cap. 851.

1 EX triplici capite deſumi poteſt notitia, ſeu cognitio, ſine qua iudex aliquem condemnare non poteſt: Primo deſumitur ex confeſſione ipſius rei confitentis crimen. Secundo ex deprehenſione rei inflaganti, ut ſi iudex cum tribus, vel quatuor aliis deprædhendit inflagranti crimine furti. Tertio ex confeſſione teſtium, quibus reus convincitur. Quatuor requiruntur, ut duo teſtes aliquid plene probare dicantur Primo, ut iudicio iurent, quod aſſerunt. Secundo ut ſint conteſtes; ideſt ambo teſtentur idem factum cum iiſdem circunſtantiis. Tertio ut ſint teſtes idonei, ita ut nihil iure opponi poſſit. Quarto ut dicant de ſenſu externo percepiſſe, ut vidiſſe, audiviſſe, &c. Teſtes minus idonei qui repelluntur à iure. I. in cauſis criminalibus repelluntur mulieres iure Canonico propter ſexus fragilitatem. II. in criminalibus repellitur minor viginti annis, in cauſis vero civilibus admittitur pubes, ideſt maſculus 14. annorum III. inimicus eius contra quem teſtimonium fertur. Quarto conſanguinei aſcendentes, vel etiam collaterales uſq; ad quartum gradum: quamvis aliquando admitti poſſint ad defendendum reum. V. repellitur domeſticus ipſius actoris in cauſa ipſius actoris. VI. regulariter repelluntur infames iure, vel facti præſertim in criminalibus. VII periurus, hic enim facile præſumitur iterum periuraturus. VIII. ſocius criminis ordinarie repellitur. Ultimo repellitur homo vilis, & inops, quoties ſuſpicio eſt, ut pecunia corruptus falſum deponat. Quando iudex legitime procedit, & interrogat, tenetur teſtis interrogatus reſpondere, & veritatem aperire niſi iuſtam habeat reticendi cauſam, quare in inquiſitione generali aut etiam in ſpeciali tenetur interrogatus manifeſtare delin-

quen-

queutem, modo jam diffamatus ſit, ſeu jam præceſſerit infamia publica delicti, & delinquentis, quando vero judex non procedit via inquiſitionis ſimpliciter, ſed via accuſationis, vel denunciationis, aut querelæ ab alio porrectæ interrogatus tenetur teſtari, ſeu veritatem aperire, ſaltem cum delictum plene probari poteſt: quia alioquin nemo audet accuſare, ſi teſtis cogi non poſſet ad teſtandum, non autem tenetur ad teſtandum, quando timet grave damnum contra ſe vel ſuos. Nullus tenetur offerre ad teſtandum in favorem alterius, quoties ſuo dicto cauſa eſſet mortis alicujus. Nemo tenetur ex juſtitia offerre ſe ad teſtandum: ſed ſolum ex charitate dum ipſius dictum neceſſarium eſt ad vitandum proximi damnum. Teſtis qui adhibita morali diligentia, quæ ad debita recordandam, debita que teſtandum requiritur pernicioſam falſitatem dixit inadvertenter ex oblivione, vel ex alia cauſa excuſante ab omni peccato non tenetur ad ullam reſtitutionem damnorum, quæ alter paſſus eſt ob ipſius teſtimonium: ille, ob cujus falſum delictum inferenda eſt alteri mors, vel mutilatio tenetur ad retractandum ſuum dictum cum periculo ſimilis pœnæ incurrendæ quando credat ſe profuturum. Teſtis, qui pecuniam pro vero teſtimonio ferendo accipit ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ non tenetur: quia teſtis tenetur ex ſola charitate teſtari, & ideo nolens teſtari abſque pecunia peccat ſolum contra charitatem, quæ non obligat ad reſtitutionem.

De Advocato, & procuratore. *Cap.* 852.

1 Quilibet advocati officium exercere poteſt, modo illud exercere valeat, & a jure non repellatur, quia actus patrocinandi liber eſt, ideo à quolibet ſuſcipi, & exerceri poteſt. Advocatus tenetur gratis patrocinari pauperi extrema, vel etiam gravi neceſſitate laboranti: ipſiuſque opera indigenti dum nullus alius patrocinium præſtitutus eſt; quia quilibet tenetur ſublevare laborantem extrema neceſſitate, vel gravi. Advocatus peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem clienti, dum cliens cauſam perdidit ob advocati negligentiam, vel imperitiam: quia non facit, quod ex officio facere tenetur, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem ſic etiam tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ ex defenſione injuſtę cauſæ proveniunt cenſetur enim cauſa efficax damni: unde parti contrariæ tenetur ad reſtitutionem ex peccato commiſſionis; quia fuit illi cauſa poſitiva damni, clienti vero tenetur ex peccato ommiſſionis, quatenus ipſum non admonuit de injuſtitia cauſæ, Advocatus poteſt tueri cauſam actoris, aut rei, dum utraque pars eſt probabilis quatenus altera pars, quam ipſe non defendit probabilior ſit; quia quilibet poteſt adhærere opinioni probabili. Procurator autem, vel Advocatus poteſt ſolum recipere ſtipendium taxatum à lege, vel conſuetudine, niſi majus liberaliter donetur, quia quilibet tenetur legem juſte taxantem pretium ſervare, alioquin peccat contra juſtitiam. & tenetur ad reſtitutionem. (L. ſi quis ff. de poſtulationibus) quando vero pretium non eſt jure, vel uſu taxatum; Advocatus tantum recipere poteſt, quantum judicio prudentis viri juſtum videtur, habita ratione laboris, dignitatis ſcientiæ Advocati, & difficultatis cauſæ: Non poteſt autem Advocatus paciſci de certa quantitate litis conditione ſi vincat, ut de medietate, &c quia hujuſmodi pactum vetitum eſt, ne occaſio, aditus Advocatis aperiatur vincendi lites per fraudes, ut parte promiſſa fruantur (L. ſi quis C. de poſtulat): non nego tamen quin liceat abſolute paciſci de tanto pretio ſolvendo, ſive cauſa obtineatur, ſive non: tunc enim ceſſat periculum fraudis, & hujuſmodi promiſſio permiſſa eſt (L. 1 ff. Mandati) Advocatus autem poteſt integrum ſtipendium ſibi promiſſum recipere, dum cauſam deſerit ob clientis defectum, ut quia cliens aliquid confeſſus eſt: ex quo Advocatus cauſam injuſtam eſſe cognovit, vel compoſitionem cum adverſa parte fecerit.

De Notario. *Cap.* 853.

1 Procurator, ſeu Notarius tenetur ad ſcientiam ſaltem mediocrem eorum, quæ ad proprium ipſius officium pertinent, ut ſunt Clauſulæ, quæ in contractibus apponi conſueverunt; aliæque ſolemnitates, quæ ſervari, & adhiberi ſolent; unde ſi ob Notarii negligentiam, vel ignorantiam

tiam

Digitized by Google

tiam prętermiſſa eſt aliqua ſolemnitas, cujus ommiſſione pars aliquod damnum patiatur, Notarius tenetur ad illius reſtitutionem ob id in *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 10 ſancitum eſt; ut Epiſcopus valeat eorum ſufficientiam ſcrutari, & minus idoneos à negotiis Eccleſiaſticis repellere. Notarius debet fideliter in ſcriptum referre, quæ à partibus aſſeruntur, modo deſit mendacium. Notarius graviter peccat, dum ſine cauſa renuit conficere inſtrumenta aut dum inſtrumenta jam confecta occultat, vel non extendit: eſt enim perſona publica, & ad obſequium omnium ex officio deputata, unde tenetur ad reſtitutionem damni, quod pars ex denegato ſibi inſtrumento, ſeu tranſumpto originalis inſtrumenti patitur, cum faciat contra proprium officium cum damno aliorum. Notarius conficiens teſtamentum alicujus judicio, ſed non utentis ratione peccat, & tenetur ad reſtitutionē legitimis hæredibus, qui ab inteſtato ſucceſſiſſent; cenſetur enim cauſa efficax damni, cum efficiat teſtamentum invalidum: cujus hæredes damnum injuſte patiuntur. Notarius non poteſt pretium injuſtum, aut aliquid ultra taxtam in notabili quantitate exigere, dum pretium à lege taxatum eſt: quia peccat mortaliter contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem exceſſus, cum illum ſine cauſa injuſte acceperit: niſi forte exceſſus dono ſibi traditus ſit. Clericus minoribus initiatus poteſt officium Notarii, etiam imperialis ſuſcipere: quia hoc illi nullo jure vetatur: ſed Clericus majoribus initiatus, aut habens beneficium non poteſt Cæſarei Notariatus officium ſuſcipere, vel exercere in foro publico ſeculari, aut Eccleſiaſtico: nam omnis Clericus arcetur à negotiis ſecularibus.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

De Primo Eccleſiæ precepto ideſt jejunio.

Quot modis accipiatur, & quid ſit jejunium. Cap. 854.

1 JEjunium eſt quoddam hominis inteſtinum, quod quia ſubtile eſt, & vacuum, ideo ſuum nomen communicavit iejunio: quia iejunium reddit hominem macrum, ſubtilem ac cibo vacuum. Iejunium autem quatuor modis accipi poteſt Primo pro abſtinentia à vitiis, & fuga peccatorum. Secundo pro abſtinentia à qualibet re ſumpta per modum cibi, & potus, & hoc dicitur iejunium naturale, quod frangitur quoties aliquis cibus, vel potus traſmittitur ad ſtomachum. Tertio pro iejunio Eccleſiaſtico quo præcipitur unica commeſtio in die ideſt à media nocte, ad mediam uſque noctem futuram. Quarto pro parſimonia, & temperantia, quæ in hoc poſita eſt, ut non plus cibi, & potus ſumatur, quam ratio naturalis dictat: ideo peccatum contra hoc quartum iejunii genus, ſeu contra temperantiam committitur, Primo quando finis ultimus in cibis, & ingluvie conſtituitur. Secundo quando quis carnibus humanis extra neceſſitatem veſcitur. Tertio quando quis cibo, & potui ita indulgent, ut inde ſibi grave nocumentum prævideat eventurum. Quarto quando quis per intemperantiam dat cauſam ebrietati; ebrietas enim eſt intrinſice mala, & eſt peccatum mortale ex ſuo genere, quia notabiliter adverſatur rectæ rationi: quia rationis uſu violenter aufertur, & non ſolum privat uſus rationis; ſed etiam poteſtate propinqua utendi uſu rationis; ita ut vigilans ratione uti non poſſit, & dans cauſam ebrietati poteſt excommunicari, & ebrius excluditur à regno cœlorum. 1.*Cor.* 6. *neque ebrii regnum Dei poſſidebuntur*.

2 Iejunium Eccleſiaſticum eſt voluntaria abſtinentia à cibo juxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem, unde qui unica refectione contentus eſt dicitur iejunare quia voluntarie abſtinet à cibo juxta præſcriptum Eccleſiæ, & communem uſum, & ſic iejunium Eccleſiaſticum non conſiſtit in abſtinentia à potu, ſed in abſtinentia à cibo; qui principaliter inſtitutus eſt contra famem; unde qui tempore iejunii ſumit vinum, vel alium liquorem per modum potus non violat præceptum iejunii ſive ante, ſive poſt prandium: quamvis peccet contra temperantiam bibendo intemperanter. Regula autem ſervanda eſt in iejunio ab Eccleſia inducto: quæ eſt, & conſiſtit in tribus. Primo in abſtinentia à quibuſdam cibis. Secundo in unica refectione, ſeu abſtinentia à pluribus refectionibus. Tertio in hora determinata, nam obſervatione iſtarum

con-

conditionum corpus caſtigatur, & concupiſcentia comprimitur, & coercetur.

A quibus cibis abſtinendum ſit tempore jejunii. Cap. 955.

1 CErtum eſt apud Catholicos tempore jejunii abſtinendum eſſe à carnibus ut conſtat ex Conciliis, & uſu Eccleſiæ: circa vero abſtinentiam à lacticiniis, ovis, butyro, & caſeo, attendenda eſt locorum conſuetudo: quia nullus textus extat, qui ſub mortali obliget à lacticiniis abſtinere, comedens igitur carnes, aut alium cibum vetitum in die jejunii graviter peccat, quia facit contra præceptum Eccleſiæ in re gravi: qui autem obtineret privilegium comedendi carnes in die jejunii non tenetur jejunare: quia qui ſubſtantiam jejunii ſervare non poteſt, non tenetur ad ieiunium, & cui prohibentur carnes, non prohibentur lacticinia, niſi aliter exprimatur, quia ſunt res diſtinctæ, quarum una prohiberi poteſt alia non prohibita, & una concedi poteſt, alia non conceſſa, ut experientia docet in ſexta feria, & ſabbato, in quibus conceditur uſus lacticiniorum, & uſus carnium prohibetur, quando autem neceſſitas certa, & evidens urget, ut cibi vetiti comedantur non eſt petenda licentia niſi ratione ſcandali, vel alterius circumſtantiæ, quia obligatio legis tollitur ob ſupervenientem neceſſitatem. Qui vovit aliquo die ieiunare, aut cui inductum eſt ieiunium à Confeſſario, vel à Papa iu Jubileo extra quadrageſimam poteſt uti lacticiniis: dico extra Quadrageſimam: quia in Quadrageſima abſtinendum eſt à lacticiniis ob peculiare præceptum Eccleſiæ c. denique diſ. 4.

Quotuplex refectio ſumi poſſit in die jejunii. Cap. 856.

1 UNica refectio præcipitur in die ieiunii, & ideo abſtinendum eſt à multis refectionibus: ientaculum vero quod veſpere fit non dicitur refectio, ſed refectiuncula, quæ conſuetudine, & moribus utentium comprobata eſt, nec eſt introducta conſuetudo ſumendi magnam cibi quantitatem, ſed exiguam, dum jentaculum veſperi ſumitur: unde circa quantitatem mihi dicendum videtur, ſtandum eſſe conſuetudini receptæ in ſingulis regionibus, nam refectiuncula fuit per conſuetudinem introducta, ergo ſum i poteſt juxta limites receptæ conſuetudinis; in vigilia autem nativitatis licitum eſt majorem quantitatem cibi ſumere; in hac autem refectiuncula non ita ſtricte prohibetur cibi qualitas, ſicuti interdicitur quantitas; licet communiori uſu receptum ſit, ut in ſecunda refectione ii ſumantur cibi, quibus in die jejunii veſcimur ante, vel poſt prandium, ut ſunt vua, nuces, poma, vel alia ex ſaccaro confecta; licite tamen etiam ſumi poteſt juſculum, modo non ſit ex coctis cibis, qui tempore jejunii interdicuntur: poteſt etiam comedi piſciculus, aut exigua pars piſcis majoris, & ideo in ſecunda refectiuncula ſumenda magis ſervanda eſt quantitas, quam cibi qualitas, modo iis cibis non utamur, qui tempore jejunii in prima refectione prohibentur.

2 Peccat mortaliter qui mane ſumit refectiunculam, dilato prandio ad veſperas ſi hoc faciat abſque cauſa: qui comedit bis ex inadvertentia jejunii non violat præceptum iejunii niſi materialiter, & ad violationem formalem præcepti requiritur notitia ipſius præcepti, & ideo ſecunda, vel tertia comeſtio facta ex inadvertentia præceptnon imputatur ad peccatum Ille graviter peccat, qui prætextu hoſpitalitatis eum invitat ad cænandum ſecum, quem certo non ſcit teneri ad jejunium, & inde arripiat occaſionem non jeiunandi; ſecus ſi id fiat ſolum cauſa urbanitatis, abſque periculo fractionis ieiunii non peccat famulus, vel ancilla parans cibos, aut miniſtrans Domino ieiunium violaturo, ſi ratione miniſterii, vel officii hoc faciat: idem dicendum de Caupone. qui tamen in locis Catholicorum non poteſt cibos vetitos apponere, quando tamen nequeat recuſare ſine ſuo gravi incommodo: vel apponat, quando petitur, dummodo non adſit contemptus Religionis: qui ob negotium interrupit prandium, poteſt abſoluto negotio refectionem reaſſumere, quando non interrupit animo non continuandi. Coquus, aut alii, qui cibum prægustant, ut ſit bene conditus excuſantur à peccato. Penitens in peccatis violatione ieiunii perpetratis debet fateri an præceptum ieiunii violaverit anticipatione horæ, aut multiplici refectione, aut uſu carnium.

Qua

Digitized by Google

* *Die 18. Martii 1666. Alexander VII. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Non eſt evidens quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

Qua hora ſumenda ſit refectio in die jejunii. Cap. 857.

1 Refectio in die jeiunii ſumenda eſt circa meridiem: patet ex conſuetudine fidelium, tamen iuſta de cauſa, ut cauſa itineris ſuſcipiendi licitum eſt prandium anticipare, quia circumſtantia temporis non eſt de intrinſica ratione ieiunii; unde qui prandium notabiliter anticipat non peccat mortaliter, ſed ſolum venialiter, ſi hoc faciat abſque iuſta cauſa: quia circumſtantiam ieiunii, quæ non videtur ſufficiens ad mortale, & ideo qui notabiliter anticipat prandium ex iuſta cauſa non ſolum non peccat mortaliter, verum neque venialiter: qui privilegium obtinuit prandendi ante conſuetam ieiunii horam, tenetur reliqua diei parte à cibis abſtinere quia non cenſetur lege ieiunii ſolutum, idem dicendum de eo qui horam comedendi antevertit.

Quo jure, & quibus diebus jejunandum ſit. Cap. 858

1 Iure Eccleſiaſtico jeiunandum eſt; quia ieiunia indicta ſunt ab Eccleſia, non iure divino: quia ſi à Chriſto fuiſſet inſtitutum ieiunium, non fuiſset inducta circa illud tanta variatio in modo, in hora, in cibis, in ætate in jeiunando &c. Ex præcepto ieiunandum eſt diebus ab Eccleſia præſcriptis: ex devotione vero vel ex voto ſuſcipi poteſt ieiunium eo die: quo factum eſt votum, vel ſuſcepta eſt devotio ab Eccleſia, & communi fidelium uſu receptum eſt, ut vigiliæ ieiunium, ſi in diem Dominicum incidat, perſolvatur præcedenti die ſabbati.

Qui teneatur ex præcepto jejunare.

Cap. 859.

1 Quilibet Chriſtianus compos rationis, completo vigeſimoprimo annon tenetur ſervare jeiunia ab Eccleſia præſcripta: patet ex communi uſu, & praxi: carens vero uſu rationis non eſt capax præcepti, nec ſtatim adepto rationis uſu obligatur ad ieiunium: ſed completo vigeſimo primo anno; quia adoleſcentes ob creſcentem ætatem, & caloris abundantiam crebriore cibo indigent, & tenetur ad alia ieiunia, quam ab Eccleſia præſcripta; nam tenetur ad jejunia debita ex voto, vel ex pœnitentia, vel ex obligatione, nec poteſt quis per alium jejunare, ut jejunii præcepto ſatisfaciat; quia obligatio jejunii eſt perſonalis, quæ per alium non poteſt adimpleri, & qui aliquo die non poteſt jejunare, non poteſt aliquid aliud loco jejunii perſolvere, nec in alium diem transferre loquendo de jejunis ab Eccleſia præſcriptis, & alii Religioſi tenentur ad jejunia oppidi introducta per conſuetudinem particularem, non autem tenentur ad jejunia ab Epiſcopo præſcripta, quia ſunt exempti à juriſdictione Epiſcoporum, Advenæ & viatores non tenentur ad jejunia locorum per quos tranſeunt.

* *Die 24. Septembris 1665. Alexander VII. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, & in obedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubiicere præcepto.*

De Cauſis excuſantibus a jejunio. Cap. 860.

1 Impotentia excuſat à jejunio; unde excuſantur infirmi, & convaleſcentes: excuſantur fœminæ gravidæ, aut lactantes; Senes ſaltem ſeptuagenarii: licet eximantur ſexagenarii; Pauperes, qui alimento carent ſufficienti ad unam refectionem in die jeiunii. Adoleſcentes, qui vigeſimum primum annum nondum compleverunt: labor cum quo non ſufficit laboranti unica refectio in die ieiunii, excuſat à ieiunio; unde Agricolæ, fabri ferrarii, vel lignarii, vel cæmentarii, Argentarii, vel alii operarii qui opera laborioſa exercent, excuſantur à ieiunio. Excuſantur textores argentarii, piſtores; & ſutores, aliique operarii, qui nequeunt officio ſuo fungi cum ieiunio, & hoc valet ſi opus ſit corporis, ſive ingenii: ſic excuſantur ſuſcipientes longum iter pedeſtre, ut quindecim, aut viginti miliarium; idem dicendum de iis qui iter equeſtre aggrediuntur, vel curru, aut lectica, cum iter eſt longum. Non autem excuſantur Barbitonſores, Sartores, Picto-

res

res, Scolares, & alii, quorum labor eſt exiguus. Opera pietatis, & miſericordiæ, quæ cum jejunio non poſſunt exerceri, excuſant à jejunio, ut qui concionantur, vel adminiſtrant Sacramenta, vel infirmos viſitant vel ornant templa, &c. ſi hęc opera exercere nequeant cum jejunio, ſic excuſatur uxor, quæ ob timorem pravæ valetudinis aut deformitatis, vel metu viri non permittitur jejunare; Dubitans autem an habeat juſtam cauſam non jejunandi, tenetur jejunare: facultas vero non jejunandi, dum cauſa dubia eſt petenda eſt ab Epiſcopo. Epiſcopus autem non poteſt jejunium jure communi impoſitum auferre, immo nec Concilium provinciale: quia non poteſt diſpenſare in jure communi: Qui vero jejunium non ſervat, putans ſe juſtam non jejunandi cauſam habere non peccat quia bona fides ipſum excuſat.

* *Die 18 Martii 1666. Alexander VII. damnavit infra ſcriptam propoſitionem. Omnes officiales, qui pro Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

De Secundo Eccleſiæ præcepto quod eſt de obligatione Miſſæ in die feſto audiendæ. Cap. 861.

1 QUę ad hujus pręcepti explicationem pertinent ſufficienter pertractata ſunt in tract. de Sacramentis, quare ad ibi dicta te remitto.

De Tertio Eccleſiæ præcepto, quo peccatorum Confeſſio ſemel in anno præcipitur Cap. 862.

1 SOlutio earum difficultatum, quę ad hoc tertium Eccleſię pręceptum ſpectant ſatis conſtat ex dictis de Sacramentis ideo. ſuper vacanea illarum repetitione hic ſuperſedeo.

De Quarto præcepto, quo de obligatione Eucharistiæ in Paſcate ſumendæ peragitur. Cap. 863.

1 CUm materia hujus quarti pręcepti explicata ſit in tractatu de Sacramentis ſuperfluum arbitror hæc eadem repetere, cum per te, quæ ibi tradita ſunt commode conſulere valeas.

De præcepto ſolvendi decimas.

Quid ſit decima, & quo jure ſolvenda ſit. Cap. 864.

1 NOmine decimæ intelligitur quota bonorum debita Eccleſiæ miniſtris in ipſorum ſubſidium, & ſuſtentationem. Decima dupliciter conſiderari poteſt: Primo quatenus dicit fructus ipſos, qui ſolvuntur in ſubſidium miniſtrorum Eccleſiæ. Secundo quatenus dicit jus exigendi fructus. Si decima primo modo conſideretur eſt res temporalis, conſtat enim fructus rem temporalem eſſe; ſi vero ſecundo modo conſideretur eſt res ſpiritualis, quia miniſtris Eccleſiæ competit jus exigendi fructus ob miniſterium rerum, ut ob Sacramentorum adminiſtrationem. Decima ſi conſideretur ut dicit quotam non debetur jure divino, vel naturali, ſed Eccleſiaſtico, ſi vero conſideretur, ut dicit partem aliquam non definitam neceſſariam ad miniſtrorum ſuſtentationem debetur jure naturæ, & divino, & propterea decimæ dupliciter conſiderari poſſunt. Primo ut dicunt aliquam partem definitam neceſſariam ad miniſtrorum ſuſtentationem, & hæc pars ipſis debetur jure divino, & jure naturæ: jus enim naturæ dictat ſuſtentationem deberi miniſtris Eccleſiæ, ſicut debentur tributa Principibus, & ſtipendia aliis miniſtris publicis. Secundo conſiderari poſſunt quatenus dicunt partem determinatam: ideſt decimam partem fructuum, & hæc pars debetur jure Eccleſiaſtico: quia Eccleſia hanc partem taxavit, & nullo jure aut ſcripturæ loco conſtat Deum præcepiſſe decimam potius partem, quam aliam miniſtris Eccleſiæ perſolvi, & licet in veteri teſtamento præcepta eſſet decima: tamen cum præceptum illud non fuerit morale, ceſſavit poſt Chriſti paſſionem: Quota autem, ideſt pars determinata poteſt per conſuetudinem præſcribi; hoc autem fieri non poſſet, ſi decima ſolvenda eſſet jure divino: nam jus divinum, aut naturale per conſuetudinem abrogari nequit.

Quotuplex ſit decima. Cap. 865.

1 DEcima triplex eſt, perſonalis, prædialis, & mixta. Perſonalis eſt decima

cima pars fructuum provenientium ex induſtria, & opera perſonæ ut ex mercatura, venatione, & piſcatione, bello, & ex ludo, dum ex eo alicuius lucri dominium acquiritur ex ſcientia famulatu, & ex omni alio hominis artificio. Prædialis ſeu realis eſt decima pars, ſeu quota fructuum, qui ex prædiis percipiuntur, ut eſt vinum, oleum, frumentū & alii fructus ex terra, & arboribus provenientes, quæ decima prædialis ex omnibus agris, & decima quæ debetur ex vinea non eſt ſolvenda in uvis, ſed in vino, Decima mixta eſt illa, quæ partim ex hominis induſtria, partim ex prædiis provenit, ut ſunt fætus animalium; lana, lac, & caſeus, mel, & cera, quæ ex apibus colliguntur, & lucrum, quod ex furno percipitur à piſtore.

Quinam ad abſolvendas decimas perſonales, prædiales, & mixtas teneatur, & ex quibus rebus. Cap. 866.

1 DEcimæ perſonales ſolvendæ ſunt ab iis omnibus, qui Sacramenta ſuſcipere debent, quia decimæ inſtitutæ ſunt in ſuſtentationem eorum, qui Sacramenta adminiſtrant: unde infideles, licet cathecumini, non tenentur ad ſolvendas decimas: quia cum non ſint baptizati non ſunt ſubiecti Eccleſiæ præceptis. Secus dicendum de Hæreticis, qui ſunt ſubiecti Eccleſiæ, & decimæ ſolvendæ ſunt illi Eccleſiæ in qua ſuſcipi debent Sacramenta niſi aliter conſuetudine receptum ſit, & decima ſolvenda eſt omnium bonorum, quæ per induſtriam acquiruntur quia ſolvendæ ſunt decimæ perſonales, & decimæ perſonales ſunt quæcumque per induſtriam acquiruntur. Sacramenta non ſolventibus decimas denegari poſſunt, modo id fiat publica auctoritate, & delictum ſit publicum & certum: Prælati autem Eccleſiæ non tenentur cogere ad ſolvendas decimas, dum ſcandalum timetur, vel coactio nihil prodeſſet. Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt ab illis omnib. qui prædia titulo non ſpirituali poſſident c. à nobis de decimis, & ſolvendæ ſunt illi Eccleſiæ, cui ſubiecta ſunt prædia niſi conſuetudine introductum ſit, aut alteri ſolvantur, vel in qua ſita ſunt prædia, quia illa prædia cenſentur applicata tali Eccleſiæ, etiam ſi baptiſmalis non ſit: ſed ſit Eccleſia parochialis, ubi plura ſacramenta, & permanenter conferuntur: & propterea omnes laici etiam infideles, pagani, habitantes in terris Eccleſiæ ſubiectis, ſeu quæ Eccleſiis debentur, tenentur ad ſolvendas decimas: quia prædia tranſeunt cum onere: ob id ipſi Clerici, Parochi, & Epiſcopi tenentur ſolvere decimas ex bonis, ex quibus decimæ antea ſolvebantur: Addo etiam quid ipſe Papa tenetur, niſi ſe ipſum eximat. Pia loca, & Monaſteria, &c. tenentur ad ſolvedas, decimas, niſi ob neceſſitatem excuſentur, vel niſi aliquo privilegio, vel conſuetudine, vel alio titulo fuerint exempta. Clericus tenetur ad decimam de eo quod percipit ex patrimonio, ad cujus titulum promotus fuit. Decimæ vero ſolvendæ ſunt ex fructib. prædiorum, agrorum, pratorum, hortorum, ac vinearum, etiam ſi plures in anno ferant fructus, & ex penſionib. domorum, quia iſti ſunt fructus: ex lignis nemorum quę venduntur. Decimæ mixtæ ſolvendæ ſunt juxta receptam locorum conſuetudinem c. ad Apoſtolicam de decimis in fine: pręciſa vero conſuetudine ſi decimæ magis accedunt ad perſonales ſolvendæ ſunt ſicut perſonales: ſi magis accedunt ad prædiales, ſolvendæ ſunt ſicut prædiales: ideo decimæ animalium ſolvendæ ſunt eo in loco ubi animalia paſcuntur, & commorantur pro rata temporis nam talis decima accedit ad prædiales. Qui autem decimas non ſolunt duo peccata committunt: primum eſt contra iuſtitiam, quia faciunt contra ius, quod alter habet ad exigendas decimas, & ideo tenentur ad reſtitutionem: Secundo videntur peccare peccato ſacrilegi: quia non ſolvunt rem Eccleſiæ debitam ob ſacrum miniſterium, & ſacris uſibus deputatum.

Quandonam, & ubi ſolvendæ decimæ.

Cap. 867.

1 DEcima perſonalis ſolvenda eſt poſt lucrum acquiſitum, quia talis decima ſolvitur ex lucro, ſervata tamen conſuetudine, quæ alicubi invalvit, ut in fine anni ſolvatur. Decima vero prædialis ſolvenda eſt ſtatim ac fructus collecti ſunt: ſive ager pluries in anno fructus ferat, ſive ſemel tantum. Decima ſolvenda eſt in eo loco, in quo ex recepta conſuetudine ſolvi conſuevit: potuit enim in hac re legitima conſuetudo introduci, cum non adverſetur diſpoſitioni iuris, fideles vero non tenentur

nentur

nentur propriis expenſis deſerre decimam in horrea Clericorum, quia jus hoc non præcipit, ſed ſervanda eſt conſuetudo.

Quibus modis tolli poſſit obligatio ſolvendi decimas. Cap. 868.

1 OBligatio ſolvendi decimas, quatenus decimæ dicunt quotam fructuum, ideſt determinatam partem poteſt privilegio Papæ condonari, & auferri, quatenus vero dicit eam partem, quæ neceſſaria eſt ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ non poteſt auctoritate Papæ auferri, niſi aliunde proviſum ſit de neceſſariis, ad illorum ſuſtentationem: nam hujuſmodi decima debetur jure divino, & naturæ in quo Papa diſpenſare non poteſt; privilegium vero non ſolvendi decimas à Sede Apoſtolica conceſſum ſine cauſa validum eſt: ſed illicite conceſſum. Obligatio vero ſolvendi decimas in futurum auferri poteſt per compoſitionem, interveniente Summi Pontificis auctoritate, abſque vero conſenſu Papæ per ſolam Epiſcopi auctoritatem auferri non poteſt: Sed Prælatus Eccleſiæ, aut beneficiarius poteſt decimas ſibi debitas condonare, quia iuri cedere poteſt. Per conſuetudinem etiam, & præſcriptionem auferri poteſt obligatio ſolvendi decimas, quatenus decima dicit quotam fructuum.

Coram quo judice petenda ſit decima, & cauſa decimæ agenda. Cap. 869.

1 DEcima petenda eſt coram judice Eccleſiaſtico, & non civili: quia cauſa decimarum eſt Eccleſiaſtica: cauſa autem ſpiritualis, & Eccleſiaſtica coram judice Eccleſiaſtico agenda eſt c parochianos de decimis; & ideo Judex civilis non poteſt ſimul cum Judice Eccleſiaſtico cauſam decimarum cognoſcere, etiam titulo compromiſſi c contingit de arbitris.

An lata ſit aliqua pæna contra non ſolventes decimas aut earum ſolutionem impedientes. Cap. 870.

1 COntra non ſolventes decimas, aut impedientes earum ſolutionem lata eſt excommunicationis pæna comminatoria ex Trid. ſeſſ. 25. de reformatione. c. 12. Addit Trid. loco citato ſubtrahentes decimas, aut earum ſolutionem impedientes, non ſolum excommunicandos eſſe verum etiam non eſſe abſolvendos, niſi facta piena reſtitutione: extant enim peculiares pene contra religioſos, nam in Clementin. 1. de decimis extat ſuſpenſio ab adminiſtratione officii, vel beneficii contra Religioſos, qui inique uſurpant decimas ad ſe non pertinentes, vel in hoc defraudant Eccleſiam aliquo ex modis ibi recenſitis, ſi intra duos menſes requiſiti ſatisfactionem non præſtiterint; immo extat excommunicatio contra Religioſos, qui non habentes officia, vel beneficia, ſibi applicare præſumunt novalia, aut alias decimas Eccleſiis debitas, vel alios retrahunt à ſolvendis decimis: hæc tamen excomunicatio jure communi non eſt reſervata: lata eſt etiam excommunicatio contra Religioſos Confeſſarios, qui pænitentibus conſcientiæ ſcrupulum circa decimarum ſolutionem facere negligunt: Clement. c. cupientes de pænis.

De Primitiis, & oblationibus. Cap. 871.

1 NOmine primitiarum intelliguntur primi fructus, qui ex agris, aut arboribus percipiuntur, Deoque immediate offerunt in recognitionem beneficiorum, quæ à Deo accipiantur, nullo autem jure fideles ad primitiarum ſolutionem obligantur. Nomine oblationis intelligitur quidquid Deo in recognitionem dominii, & excellentiæ ipſius offertur, ſive ſint primi fructus, ſive ſint aliqua res mobilis, ſive immobilis; Primitiæ, & oblationes differunt inter ſe, & à decimis; Nam primitiæ, & oblationes offeruntur immediate, in cultum, & honorem Dei, decimæ vero offeruntur ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ tamquam ipſius debitæ. Ab omnibus Chriſti fidelibus ab Eccleſia non præciſis poteſt offerri, modo non obſtet lex juſtitiæ, pietatis, vel Charitatis, aut ratio vitandi ſcandali, aut peculiaris prohibitio, & ideo non ſunt accipiendæ oblationes infidelium: fœminæ admitti poſſunt ad oblationes ſuper altare, niſi conſuetudo loci in contrarium deſit: non tamen admitti debent inter cancellos ipſius altaris: ubi Clerici exiſtunt. Oblatione jure communi pertinent

ad

Digitized by Google

ad rectorem, ſive parochum illius Eccleſiæ, vel ſacelli, vel imaginis, in qua fiunt obligationes.

MARTINI BONACINÆ.

Tractat de Reſtitutione, & de contractibus.

1 IN hoc contractu de reſtitutione oppoſitæ ſunt à Bonacina reſtitutiones propter homicidium, in quibus deſcribuntur multa pertinentia ab homicidium: ſed quia magis proprius locus judicatus ſit locandi eas ſub quinto Decalogi præcepto, (Non occides:) propterea omnibus datus, eſt locus ſub titulo Circa quintum Decalogi præceptum cum numero tomi, & paginę in quibus deſcribuntur à Bonacina: quas non invenies hic, nam ſuo loco locandæ erant.

Circa Septimum, & decimum Decalogi præceptum (Non furtum facies, & non concupiſces rem proximi tui) pauca quædam, quę ad hanc materiam ſpectant Bonacina ſuo loco locavit, ut videre eſt. 1 p 355. ubi aſſerit de iis pertractari in tractatu de contractibus, & reſtitutione latiſſime: ideo de reſtitutione ob furtum, & de aliis pertinentibus ad furtum, de reſtitutione in genere, de reſtitutione ratione detractionis famæ, & de aliis ſpectantibus ad detractionem, & de reſtitutione ratione contumeliæ, de quibus omnibus in hoc tractatu de reſtitutione, & de contractibus agitur, omnia à me locata ſunt ſub titulo, circa ſeptimum, & decimum Decalogi præceptum, ut propria ejus tituli, ut vidiſti, cum ibi appoſitus ſit numerus tomi, & paginæ ſingillatim, ubi Bonacina locavit, & ideo de paucis, quæ ad reſtitutionem pertinent, & remanent agam, ſed de contractibus ordo, & numerus à Bonacina datus ſervabitur à me,

De reſtitutione in particulari.

De reſtitutione facienda ob damna ſpiritualia.

De obligatione reſtitutionis ob damna ſpiritualia. Cap. 872.

1 QUi alium induxit ad peccatum, vel abduxit à bono opere abſque vi, vel fraude non tenetur ex juſtitia, ſed charitate curare, ut à peccato reſipiſcat; Qui per vim, vel fraudem alium induxit ad peccatum, vel retraxit à bono opere, tenetur ex juſtitia non ſolum fraudem aperire, & vim auferre, quandiu vis, vel fraus perſeverat: ſed etiam tenetur precibus, & alia ratione conveniente, & contra curare, ut à peccato reſipiſcat; ſed ſi ſolo conſilio, vel pretio, vel precibus, vel exemplo ſine vi vel fraude induxit alterum ad peccatum, non tenetur ex juſtitia, niſi forte ſit Prælatus, aut alius, qui ad hoc teneatur ex officio.

De Obligatione ſecreti, & de reſtitutione ob ſecreti violationem.

De obligatione ſecreti, & ejus reſtitutione. Cap. 873.

1 REvelans ſecretum, cujus revelatio redundat in alterius grave detrimentum, vel iniuria mortaliter peccat præſertim ſi commiſſum fuit ei ſecretū ſub ſigillo, quia fides jure naturæ ſervanda eſt, revelans vero ſecretū, cum levi alterius iniuria, vel damni non videtur mortaliter peccare; etiam ſi promiſerit ſe celaturum ſecretum ſibi commiſſum ſub ſigillo; parvitas enim materię excuſat à mortali, modo non ſit ſecretum confeſſionis: violans ſecretum abſque juſta cauſa cum alterius detrimento tenetur ad reſtitutionem, quia eſt cauſa iniuſta damni: ideo qui aperit & legit litteras ſigillo munitas, aut quę ſervabantur in ſecreto loco mortaliter peccat, ſi hoc faciat prævidens inde aliquod notabile damnum oriturū, aut ſi ille, qui litteras clauſas mittit, vel aſſervat, valde cupiat quæ continentur in litteris occulta, retineri; nam in his caſib. fieri poteſt, ut quamvis non adſit notabile detrimentū, tamē tāta fiat iniuria, quæ pertingat ad peccatum mortale: qui novit ſecretum alterius, non peccat, quando

vi tormentorum, & mortis compellitur ad illud revelandum, habet enim juſtam cauſam revelandi, nec tenetur celare ſecretum cum tanto ſuo incommodo, modo ex ea revelatione non oriatur grave damnum publicum, quilibet enim tenetur mortem ſubire ad vitandum grave damnum publicum.

De reſtitutione, quæ conſurgit ratione ludi.

Quid ſit ludus, & utrum ludus ſit licitus. Cap. 874.

1 Ludus eſt contractus, quo ludentes res ſuas periculo exponunt propter ſpem acquirendi rem alterius. Quilibet colluſor poteſt reſilire à contractu ludi, quoties res integra eſt: ſed quando non eſt integra: ideſt quando alea, vel ſors jam incepta eſt non licet à ludo alioquin licito reſilire, antequam ſors conſummetur, niſi alter conſentiat. Ludus generaliter ſumptus non eſt illicitus, ex natura ſua, quia poteſt eſſe actus virtutis, ſi fiat ob honeſtam recreationem cum debitis circumſtantiis: fieri tamen poteſt illicitus ex multis circumſtantiis; I. ex affectu ad malum, ut ſi ludens velit ommittere ſacrum in die feſto. II. quando admiſcentur facta, aut dicta prava, ut blaſphemiæ, convicia, &c. III. quando intercedunt fraudes contra leges ludi. IV. quando alter dolo, aut vi aut metu pertrahitur ad ludum. V. quando intervenit irreverentia contra Deum: non eſt tamen peccatum ludere ad ſalutationem angelicam, vel ad aliam orationem, cum non adſit irreverentia contra Deum ſi reverenter dicatur, nec ulla ſimonia, vel aliud peccatum appareat. VI. ratione periculi alicujus notabilis nocumenti. VII quando ludus exercetur cum eo qui non poteſt pecuniam ludo exponere, vel donare, vel alienare, ut quando quis ludit cum religioſo, in his ſeptem caſibis ludus eſt illicitus mortaliter ſuppoſita rei gravitate non eſt vero illicitus mortaliter ratione ſequentium circumſtantiarum: I. ratione intentionis lucrandi; nam intentio lucrandi cum juſto titulo, ſeu contractu non eſt ex ſe mala, niſi aliunde depravetur. II. ex circumſtantia perſonæ, nam Clerici, & Monachi aliquando licite ludunt, etiam chartis luſoriis ob honeſtam cauſam modo non violent aliquam legem obligantem ad mortale, quia non nulli canones extant in quo Clerici, beneficiarii, vel in ſacris conſtituti prohibentur ſub gravi pœna depoſitionis & privationis ab officio, & beneficio ludere ludo alearum; quamvis multi D D. excuſant à mortali Clericum raro ludentem recreationis cauſa; quia Canones loquuntur de aleatoribus, non autem aliqui D. D. excuſant ludentem ſæpe, modo ludat abſque ſcandalo, nam Canones non videntur recepti cum tanto rigore. III. ex circumſtantia loci ſacri, hoc enim nullo jure cavetur, niſi forte fiat cum ſcandalo, vel irreverentia Dei, vel Eccleſiæ. IV. ex circumſtantia temporis præciſe: nam ludere in die feſto non eſt mortale niſi alia circumſtantia ſuperaddatur. Ludus igitur per ſe loquendo non eſt illicitus, ſed honeſtus, niſi reddatur illicitus ex aliqua circumſtantia. Ludi hiſtriorum ſunt liciti ſi honeſte fiant. Clerici ludos harvales non poſſunt facere: dedecet enim perſonam Eccleſiaſticam fictam perſonam hoc modo repræſentare, nec ipſos excuſarem à mortali, niſi forte hoc raro facerent brevi tempore, & abſque ſcandalo.

2 Sicut licitus eſt ludus, ita etiam licita eſt ſponſio, nam ſponſio eſt contractus, quo uterque exponit ſe periculo perdendi, & acquirendi: requiruntur tamen, ut abſit dolus vel diſſimulatio: nam qui certo ſcit rem, pro qua ſpondet certo eveniſſe, vel eventuram eſſe peccat, & tenetur ad reſtitutionem rei per ſponſionem acquiſitæ: niſi ſuam ſcientiam alteri manifeſtaverit, nam æqualis debet eſſe ſpondentium conditio: ille peccat qui ſponſionem facit circa mortem, vitam, vel creationem Summi Pontificis, aut circa promotionem Cardinalium: quamvis enim hujuſmodi ſponſiones ex natura rei licitæ ſint, cum ſint de re dubia, & ſervetur æqualitas inter ſpondentes: tamen illicitæ ſunt ob prohibitionem Gregorii XIV. in bulla, ubi tranſgreſſoribus excommunicationem Injunxit.

De Conditionibus ad ludum requiſitis. Cap. 875.

1 Quatuor præcipuæ conditiones requiruntur ad ludum; prima eſt ut ludens non utatur fraudibus. Secunda ne alter alterum compellat ad ludum per vim, vel opprobria ſeu convicia, vel dolum. Tertia

Digitized by Google

tia ut ludens poſſiat di ponere de re, quam ludo exponit. Quarta eſt ut ſit æqualis conditio, unde poteſt excuſari qui adhibet eas fraudes, quæ juxta conſuetudinem adhiberi ſolent, ut ſi quis videat ſocium errantem in numerandis ſignis; non autem excuſatur à reſtitutione: qui ſe fingit minus peritum in ludo, ut alios pertrahat ad ludum: quia cenſetur cauſa damni per fraudem; qui ob majorem ludendi dexteritatem colludenti ignotam lucratur tenetur ad integram reſtitutionem quia fuit cauſa damni: tenetur etiam ad reſtitutionem; qui chartas ſuffuratur cauſa cognoſcendi eas: qui attrahit alterum ad ludum, & attractus perdit: attrahens tenetur ad reſtitutionem: quia cenſetur fuiſſe cauſa damni per iniuriam.

2 Uxor poteſt aliquid in ludis inſumere juxta conditionem ſui ſtatus: filius familias poteſt ludo exponere bona caſtrenſia, vel quaſi bona vero profectitia vel adventitia non poteſt ſine conſenſu patris: filius quicquid acquirit ludendo, acquirit ſibi non patri; nam quando filius perdit, tenetur ipſe ſolvere, non pater, ideo quando filius lucratur ſibi lucratur, non patri juxta regulam juris cujus eſt damnum, ejuſdem etiam eſt commodum, & lucrum, unde filius familias poteſt acquiſita ludo, iterum ludo exponere: nec tenetur illa In diviſione hæreditatis cum fratribus adducere, ludens cum uſurario, vel fure poteſt ſibi retinere rem ludo acquiſitam; ſi ejus rei dominium ſpectabat ad uſurarium, vel furem: ut accidit, quando fur ludendo, vel negotiando pecunia furtiva comparavit ſibi alias pecunias, vel res: Iſtarum enim rerum, vel pecuniarum factus eſt dominus, & ideo ludens cum fure poteſt eas acquirere, ſibique retinere, cum eas acceperit à vero domino. Si vero dominium illius rei non ſpectabat ad furem, vel uſurarium, ludens cum fure, vel uſurario, non poteſt ſibi rem ludo acquiſitam retinere, poſtquam cognovit alienam eſſe; tenetur enim ratione rei acceptæ rem domino teſtituere: ludens non poteſt plus lucrari, quam perdere, unde qui nihil poteſt perdere, non poteſt quidquam lucrari, & ſic qui poteſt tantum perdere, tantundem etiam ſolum poteſt lucrari: quia æqualis debet eſſe utriuſque ludentis conditio.

Utrum acquiſita ludo lege humana vetito ſint reſtituenda, & perdita ſint ſolvenda in foro conſcientiæ. Cap. 873.

1 QUi ludo lege humana vetito perdidit, non tenetur in conſcientia ſolvere, quod perdidit credita pecunia ſtando in jure communi Cæſareo, niſi forte juraverit ſe ſoluturum quod perderet, nam ſtando In jure naturæ, perdens aliquid ludo vetito tenetur illud ſolvere: quia quilibet tenetur jure naturæ promiſſa adimplere, & contractus ludi jure naturæ eſt ipſius, & validus, vimque habet transferendi dominium ſecuta traditione: qui autem iuravit ſe ſoluturum quod perderet ludo vetito, tenetur ad illud ſolvendum, modo poſſit perditum ſolvere abſque peccato: quia juramentum cadit ſupra rem licitam, & iuramentum de re licita ſervandum eſt niſi obtineatur relaxatio juramenti.

2 Qui aliquid ludo vetito acquiſivit, non tenetur ad illius reſtitutionem ante judicis ſententiam, modo non impedierit Judicem per vim, vel fraudem, ne condemnaretur ad reſtitutionem acquiſitorum, & modo contractus non ſit injuſtus: ſi vero impediat abſque vi, & fraude, non tenetur ad reſtitutionem, nam utitur ſuo jure, curando, ne condemnetur; certum autem eſt acquiſita per ludum injuſtum, ut per dolum, & fraudem reſtitui debere ante Judicis ſententiam: ſicut reſtituenda ſunt acquiſita per uſuram, aut per venditionem injuſtam factam cum exceſſu pretii, &c. nullo enim juſto titulo retineri poſſunt. Luſor, qui ludendo ludo vetito intendit non ſolvere, vel intendit ſolutum repetere, non poteſt retinere lucrum eo ludo acquiſitum; ſecus ſi luſit intentione ſolvendi, & non repetendi, vel ſi luſit ſincero animo, non cogitans de non ſolvendo, vel repetendo quamvis deinde peracto ludo poſſit mutare animum, & negare ſolutionem.

De Contractibus.

De contractibus in genere.

Quid, & quotuplex ſit contractus. Cap. 877.

1 COntractus late acceptus eſt conventio duorum, vel plurium ad

 erur-

alterutro ſaltem obligationem pariens : ſtricte vero acceptus defineri poteſt formaliter hoc modo: contractus eſt actus externus inter duos, vel plures ex conſenſu ipſorum ultro citroque obligationem pariens; debet enim exterius exprimi, homo enim non intuetur cor, & differt à donatione, pacto &c. quæ non pariunt ultro, citroque obligationem, alii definiunt contractum, hoc modo: contractus eſt ultro citroque obligatio (l. habeo ff. de verbor. ſignificat.) quæ definitio non eſt formalis, ſed caſualis deſumpta ab effectu, quem contractus parit, nam contractus non eſt formaliter obligatio, ſed illam inducit, & parit.

2 Quilibet contractus parit obligationem ſaltem in foro conſcientiæ, modo contractus non ſit irritus; quia jus naturæ dictat ſervandam eſſe promiſſionem alteri factam, & acceptam quæ conſurgit ex contractu; aliqui autem contractus in foro externo non pariunt obligationem, quales ſunt nuda pacta, quæ non ſunt juramento confirmata, ideo contractus obligationem inducit ſaltem in foro conſcientiæ, modo non ſit irritus jure naturæ, vel poſitivo, nam jure poſitivo poteſt irritari; non tenetur autem ſtare promiſſioni ille, qui aliquid cum juramento promiſit: ſed poteſt illam revocare antequam acceptetur, nam promiſſio non obligat niſi acceptetur.

3 Contractus non firmatur juramento, quando eſt irritus propter bonum commune: ſed firmatur juramento, quando eſt irritus principaliter propter utilitatem privatam, modo aliqua turpitudo non inveniatur in eo, in cujus favorem præſtatur juramentum, & modo juramentum poſſit ſervari ſine peccato, nec eſt opus ut juramentum fiat in ipſo contractu: ſed ſatis eſt ut fiat ante, vel poſt contractum. Infideles obligantur ad ſervandum legitimum juramentum lactum legitime, non per falſos Deos in contractu, quia hoc vires habet à jure naturali, & divino, cui infideles ſubiiciuntur: eorum tamen contractus irritus non firmatur juramento: quia juramentum habet vim confirmandi contractum ex jure Canonico, & civili, cui non ſubiiciuntur infideles: nec contractus firmatur juramento, quoties juramentum eſt contrarium alteri juramento prius facto.

4 Juramentum tribuit contractui plures effectus. Primus ut duas pariat obligationes, unam erga Deum, qua jurans curare debet, ne Deus adductus ſit in teſtem falſi, alteram erga hominem, qui acquiſivit jus erga jurantem ob validitatem contractus. Secundus effectus eſt, ut dum juramentum firmat contractum, detur actio parti ad agendum contra jurantem. Tertius effectus eſt ut obligatio jurata tranſeat ad hæredes dum contractus firmatur juramento. Quartus effectus eſt ut relaxatio juramenti obtineri non poſſit, poteſt tamen juramenti relaxatio obtineri. Primo, quando juramentum eſt extortum per vim, ſeu metum: Secundo juramenti relaxatio obtineri poteſt non ſolum dum juramentum extorquetur per metum incuſſum à recipiente, verum etiam dum metus incurritur à tertia perſona abſque culpa recipientis; nam jurans adhuc dicitur injuriam pati. Tertio poteſt peti relaxatio juramenti extorti per dolum incidentem in contractum. Quarto poteſt peti, dum quis injuſte læſus fuit in contractu in quo juramentum emiſit; Juramenti autem relaxatio poteſt obtineri ab Epiſcopo, vel ab alio juriſditionem quaſi Epiſcopalem habente, ſic à Capitulo Sede vacante, & à Vicario Epiſcopi.

5 Contractus multiplex eſt: Primo alius eſt oneroſus, alius lucrativus, & gratuitus. Oneroſus, & non gratuitus eſt ille: per quem onus imponitur, qualis eſt: venditio, in qua onus imponitur venditori ad rem tradendam, & emptori ad ſolvendum pretium: gratuitus vero, & lucrativus eſt ille quo aliquid promittitur, vel traditur abſque pretio, qualis contractus eſt commodatum, quo gratis conceditur uſus rei Secundo alius fit in gratiam recipientis tantum, ut mutuum, alius in gratiam tradentis tantum, ut ordinarie contingit in depoſito; alius fit in gratiam, & bonum utriuſque ut emptio, permutatio &c. Tertio alius eſt ſimplex, & abſolutus, alius conditionalis. Quarto alius eſt licitus, & alius illicitus. Quinto alius perpetuus, & alius temporalis, Sexto alius nominatus, & alius innominatus. Septimo alius dicitur contractus bonæ fidei, & alius ſtricti juris. Octavo alii ſunt contractus, qui perficiuntur re ipſa, ut commodatum, pignus, &c. qui perficiuntur re ipſa tradita, nec ſunt perfecti ante rei traditionem: alii perficiuntur ſcri-

ptura

Digitized by Google

ptura ex juris diſpoſitione, vel ex conventione partium, alii perficiuntur verbis, & requirunt certam verborum formam, qualis eſt ſtipulatio. Nono alius dicitur pactum nudum, & alius veſtitum. Nudum eſt illud, quod conſiſtit in ſola conventione, veſtitum quod majorem habet firmitatem.

De conſenſu requiſito ad validitatem contractus.

Utrum contractus errore celebratus ſit validus Cap 878.

1 ERror circa ſubſtantiam, quando ſcilicet contrahens credit contractu de una re inire, ſed poſtea comperit aliam eſſe ut credens emere aurum, inveniat eſſe auri chalcum: hic error circa ſubſtantiam irritat contractum, nam de ſubſtantia contractus eſt conſenſus: quando autem error contingit circa ſubſtantiam non adeſt conſenſus: quia nihil eſt magis contrarium conſenſui, qu am error. Error circa qualitatem, & accidentia quando ſcilicet quis putat contractum inire de re aliqua affecta aliquibus accidentibus; ſed poſtea invenit illam iis accidentibus deſtitutam, ut ſi quis emat equum, credens illum eſſe ſtrenuum, poſtea invenit illum ignavum, hic error non irritat contractum, modo non adſit dolus dans cauſam contractui, quia cum hujuſmodi errore adeſt conſenſus ſufficiens ad contractum.

Utrum contractus per dolum celebratus ſit validus. Cap. 879.

1 OMnis contractus, ſive lucrativus, ſive oneroſus, excepto Matrimonio celebratus per dolum dantem contractui jure poſitivo invalidus eſt in foro conſcientiæ: ſi dolus proveniat ab altero contrahente, non autem eſt invalidus jure naturæ, modo non adſit error circa ſubſtantiam, in foro autem externo aliqui contractus, ſcilicet ſtricti juris non ſunt invalidi, ſed irritandi: contractus vero bonæ fidei celebrati per dolum dantem ipſis cauſam in utroque foro irriti ſunt. Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum validus eſt in utroque foro: quia adeſt conſenſus ſufficiens ad contrahendum; decipiens autem tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ob id paſſus eſt deceptus, & contractus reſcindendus eſt volente decepto: decipiens vero non poteſt reſcindere contractum per dolum incidentem, niſi deceptus conſentiat, nam favore decepti introductum eſt, ut contractus reſcindatur. Qui vero adhibet dolum in contractibus peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, quia peccat contra juſtitiam.

Utrum contractus per metum celebratus ſit validus. Cap. 880.

1 COntractus celebratus per metum gravem, aut levem, validus eſt jure naturæ, quia adeſt ſufficiens conſenſus, & ſufficiens voluntarium ad contrahendum metus enim tollit voluntarium ſimpliciter (ex Ariſt. 3. Ethicorum c. 1. ſed fuit voluntarium mixtum, cum quo involuntario, ſicut ſtat conſenſus ſufficiens ad peccandum, ita etiam ſtat conſenſus ſufficiens ad contrahendum, ſic validus eſt jure poſitivo exceptis quibuſdam caſibus. Primus eſt contractus Matrimonii, & ſponſalium. Secundus eſt contractus dotis promiſſæ vel ſolutæ. Tertio loco recenſetur ab aliquibus juriſdictio, quia nulla ſufficienti ratione, aut juris diſpoſitione probari poteſt, juriſdictionem per metum extortam invalidam eſſe. Quarto loco enumerantur ab aliquibus renuntiatio beneficii per metum. Quinto loco affertur teſtimonium quod eſt invalidum, quando teſtes ſunt adhibiti per metum in teſtamentis. Sexto additur donatio, vel quæ vim habet donationis, ut eſt remiſſio debiti, legatum, & teſtamentum, quæ non ſunt valida ſaltem in foro conſcientiæ ſi fiant per metum

2 Contractus celebratus per metum gravem, aut levem injuſte incuſſum ab homine ad extorquendum contractum irritandus eſt ad arbitrium ejus, qui paſſus eſt metum, quia æquitas non poſtulat, ut qui alteri injuriam intulit, commodum reportet, ſed matrimonium metu levi celebratum non poteſt irritari, cum habeat peculiarem indiſſolubilitatem, ſic nec votum ſolemne emiſſum cum metu levi, nam cum per votum ſolemne religionis ſit acquiſitum perfecte, & abſolute jus religioni non videtur ſufficiens quilibet metus ad illud irritandum. Contractus

celebratus per metum injuſte incuſſum ad extorquendum conſenſum non eſt reſcindendum, quia validus eſt, nec ulla injuria interceſſit, propter quam reſcindi debeat.

3 Acquiſita in contractu celebrata per metum gravem, aut levem juſte incuſſum non ſunt reſtituenda, ſecus dicendum de extortis per metum injuſtum. Validum eſt Matrimonium contractum per metum gravem juſte, & jure licito incuſſum ad extorquendum conſenſum. Extorta per preces importunas, aut per metum reverentialem quo quis invitus, & quaſi coactus tradidit reſtituenda ſunt, modo extorta fuerint ab eo, qui voluntate repugnante tradidit ad repellandam moleſtiam, & ad vitanda jurgia, vel ad repellandum importunitatem precum, vel alia incommoda: ille qui patri morienti promiſit ſolvere ejus legata, vel debita non tenetur ad illa ſolvenda, ſi promiſſionem præſtitit ob metum reverentialem.

Utrum contractus celebratus ſine ſolemnitate requiſita a jure ſit validus. Cap. 881.

1 Contractus celebratus ſine ſolemnitate ſubſtantiali requiſita à jure invalidus eſt, non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, excepto teſtamento cauſa pietatis facto, quia jus poſitivum poteſt modum, ac formam in contractibus præſcribere, ita ut non ſervata illa forma, nulla inducatur obligatio, In teſtamento enim cauſa pietatis facto non requiritur ſolemnitas juris civilis, ſed ſufficit ſolemnitas iuris gentium.

Utrum contractus, & diſpoſitio celebrata ſub cauſa, vel modo vel demonſtratione, vel ſub conditione obliget. Cap. 882.

1 Contractus, & diſpoſitio aliquando fit ſub cauſa, quæ duplex eſt finalis, & impulſiva. Diſpoſitio igitur facta ob cauſam finalem, ſubſiſtente cauſa finali valida eſt: ea vero non ſubſiſtente invalida eſt, niſi aliter conſtet, & rationabiliter præſumatur de voluntate diſponentis, quia diſpoſitio vim habet ex intentione diſponentis, qui non diſponit non ſubſiſtente cauſa finali, & Contractus, & diſpoſitio modalis, ſeu facta ſub modo, valida eſt licet modus non adimpleatur, quia modus, non ſuſpendit diſpoſitionem: modo non ſit modus contrarius ſubſtantiæ contractus, & diſpoſitionis, cui apponitur: nam modus contrarius ſubſtantiæ contractus, & diſpoſitionis, deſtruit contractum, & diſpotionem, modo conditio adhibeatur in ipſomet contractu, non vero poſt contractum, cum enim contrahens ex contractu præciſe obligetur ad aliquid, & ex contractu ſub modo, vel ſub conditione contraria ſubſtantię obligetur ad oppoſitum ſequitur contrahentem non obligari, & modum deſtruere contractum, modo ille modus non apponatur poſt celebratam diſpoſitionem ſed in ipſamet celebratione contractus, ſeu diſpoſitionis; unde qui mutuo daret pecuniam cum pacto ut ſibi tradatur aliquid ſupra ſortem, non dicitur verum contractum mutui inire, ſed uſurarium, quia opponit modum, vel conditionem contra ſubſtantiam mutui, cujus natura poſtulat gratis dari.

2 Error in demonaſtratione; quando licet diſpoſitio ſit ſub demonſtratione ut eſt quando indicatur aliqua qualitas rei de qua diſponitur, vel ejus in quem ſit diſpoſitio; hic error per ſe non vitiat diſpoſitionem, ſeu contractum, modo demonſtratio non apponatur per modum conditionis, vel cauſæ, & error demonſtrationis non refundatur in errorem ſubſtantiæ, vel perſonæ, ſed modo conſtet de re, & de perſona quia ad eſt ſufficiens conſenſus in diſponente; ideſt debita materia, & capacitas in eo, In cujus favorem ſit diſpoſitio; & hujuſmodi error qualitatis non vitiat diſpoſitionem, ſeu contractum, unde valida eſt diſpoſitio ſi dicatur (dono tibi meum equum, quem emi in regno Neapolitano,) etiam ſi equus vere non ſit emptus in regno Neapolitano, ſi vero apponatur per modum conditionis, vel cauſæ; ita indicandum erit ſicut de cauſa; & ſic ſi error refundatur in errorem ſubſtantiæ judicandum erit, ſicut dictum eſt de errore ſubſtantiæ.

3 Contractus, & diſpoſitio facta ſub conditione honeſta, & poſſibili in futuro eventu incerto adiecta in ipſomet contractu non eſt valida ante conditionis eventum, poſito vero conditionis eventu valida eſt, ac ſi in initio fuiſſet pure, & abſolute celebrata; neque novus conſenſus requiritur, con-

conditio autem turpis, & impoſſibilis irritat contractum; diſpoſitio autem facta ſub conditione, quæ certo, & neceſſario futura eſt, non ſuſpenditur uſque ad conditionis eventum: quia hujuſmodi conditio cenſetur quodammodo præſens, & habetur pro adimpleta, & ſi conditio apponatur poſt contractum non ſuſpendit contractum, quia ſupponitur contractus jam validus, ſi vero fiat ſub conditione de præterito, vel de præſenti valida eſt diſpoſitio ipſo facto.

Quinam poſſit contractum inire.
Cap. 883.

1 QUilibet uſu rationis prædictus poteſt contrahere, modo habeat adminiſtrationem bonorum, de quibus contracturus eſt nec à jure impediatur, quare amentes, & infantes, quia non habet uſum rationis non poſſunt contrahere nec Prodigus; cui à jure adminiſtrato ſuorum bonorum prohibita eſt.

Ex qua culpa contrahentes teneantur ad reſtitutionem in contractibus.
Cap. 884.

1 QUando contractus eſt in utilitatem ſolius accipientis, accipiens tenetur ad reſtitutionem damni ſe uti non ſolum ex dolo, vel lata, & levi, ſed etiam ex leviſſima culpa excepto precario: quare ſi quis ab alio commodatum ſibi librum accepit, qui furto ſublatus eſt, tenetur ad reſtitutionem non ſolum ſi ſublatus eſt ex dolo, vel lata, vel levi culpa, ſed etiam ſi ex leviſſima ipſius accipientis culpa: patet ex (L. contractus, ff. de regulis juris;) accipiens autem aliquid in precarium non tenetur de leviſſima, vel levi: ſed de dolo, & lata culpa ex (L. 1. & 2. ff. de poſiti:) hoc autem ſancitum eſt in præcario, & non vero in commodato. quia tradens præcarium poteſt pro ſuo libito precarium liberare, & revocare, tradens vero commodatum non poteſt pro ſuo libito commodatum repetere, & revocare Quando vero contractus eſt in utilitatem ſolius dantis, accipiens tenetur ſolum de dolo, & lata culpa, Quando vero contractus eſt in utilitatem utriuſque contrahentis, accipiens tenetur ſolum de dolo, lata, & levi, non vero de leviſſima culpa (L. contractus ff. de regulis juris;) Quando res aliena petit caſu fortuito accipiens non tenetur ad reſtitutionem: ſive rem accipiat in ſui, ſive in alterius contrahentis, ſive in utriuſque utilitatem, excepto tamen pacto, culpa, & mora; quia res non perit ſua culpa, quando autem pactum iniit de caſu fortuito, poteſt etiam ſe obligare ad caſum fortuitum, culpa etiam, & mora obligant ad reſtitutionem: etiam ſi res pereat caſu fortuito.

Quibus competat reſtitutio in integrum. Cap. 885.

1 MInoribus, iis videlicet, qui nondum expleverunt vigeſimum quintum ætatis annum, iſti enim minores appellantur juxta ius commune, conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, quando ſe aliquo contractu læſos deprehendunt, ut ſi vendiderunt rem minori pretio, quam alioquin vendere oportet (ex L. 3 & 5. de integrum reſtitutione;) ut autem minor poſſit uti privilegio reſtitutionis in integrum ſe requiruntur: Primo ut contractus ſit validus. Secundo, ut læſus ſit ex vi contractus. Tertio ut læſio non ſit nimis modica. Quarto, ut minor probet læſionem, & ſe minorem fuiſſe quando fuit læſus. Quinto ut minor non adhibuerit juramentum in ipſo contractu; vel ante, poſt contractum, quo iuraverit ſe non uſurum remedio reſtitutionis. Sexto requiritur, ut non impetraverit veniam ætatis a principe, vel ut non ratificaverit contractum completis viginti quinque annis, Minores autem poſſunt hoc privilegio reſtitutionis in integrum gaudere ſpatio quatuor annorum poſt elapſum vigeſimum quintum annum: hoc enim privilegium durat per quatuor annos, modo minor non ratificaverit contractum expleto vigeſimo quinto anno: minores etiam poſſunt hoc privilegio uti non ſolum in contractibus per ſe ipſos celebratis, verum etiam in contractibus celebratis per tutorem curatorem: etiam ſi contractus initus fuerit cum decreto iudicis, modo non fuerit ob tenra ætatis venia: quia conſenſus futurus requiritur ſolum, ut contractus ſit validus; poteſt etiam minor reſtitui in integrum, ſi rem habet communem

cum majori, & hæc reſtitutio prodeſt etiam majori, cum quo minor habet rem communem: modo res ſit individua: hoc etiam privilegium tranſit ad hæredes minoris: unde hæredes poſſunt uti hoc privilegio: poſſunt etiam minores repetere non modo rem ipſam, ſed etiam fructus.

2 Privilegium reſtitutionis in integrum extenditur per quadriennium ad Eccleſiam, & Republicam. (l. Republica C. ex quibus cauſis.) Nomine Eccleſiæ veniunt hoſpitalia, Monaſteria, & alia loca pia, quæ privilegiis Eccleſiæ gaudent: perſonæ vero Eccleſiaſticæ, quæ læſæ ſunt in bonis, & reditibus ad ſe pertinentibus non veniunt nomine Eccleſiæ; nomine reipublicæ venit non ſolum reſpublica ſuprema; verum etiam Civitas, Caſtrum, oppidum, ſeu communitas cujus libet oppidi, & univerſitas ſtudiorum. Quo privilegio reſtitutionis in integrum non ſolum gaudent minores, reſpublica, & loca pia; verum etiam homines rudes, & mulieres, quæ ignorant talia: preterea filii familias quo ad contractus oneroſos, vel lucroſos de licentia patris celebratos, ad ſororum dotes, vel ad alias cauſas; gaudent etiam milites pro eo tempore, quo militiæ operam navant: denique gaudent Principes quo ad bona fiſci: quæ reputantur bona reipublicæ.

De Emptione, & venditione.

Quid ſit Emptio, & venditio. Cap. 886.

1 EMptio eſt contractus, qui mutuo conſenſu perficitur, & ultro citroque emptorem, & venditorem obligat; ita ut emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce, & venditor obligetur ad tradendas merces pro pretio (L. 1 ff. de contrahenda emptione:) & emptio diſtinguitur à permutatione, in qua non traditur pretium, ſed una res cum alia commutatur abſque pretio. Venditio eſt contractus, qui mutuo conſenſu perficitur, & ultro citroque emptorem, & venditorem obligat: ita ut venditor obligetur ad tradendam mercem pro pretio, & emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce Emptio, & venditio perficiuntur ſolo conſenſu exterius expreſſo, nam poſito mutuo conſenſu verbis expreſſo, contractus emptionis, & venditionis cenſetur perfectus quo ad ſubſtantiam, unde traditio non eſt de eſſentia venditionis: quare ſi gabella ſolvenda ſit propter contractum emptionis, & venditionis, ſtatim poſt conſenſum incipit deberi. Contractus emptionis, & venditionis validus eſt, quando conſtitutio pretii refertur in tertiam perſonam determinatam, quamvis non ſit perfectus; donec pretium diffiniatur: ſecus dicendum, quando pretium non conſtituitur, nec ejus conſtitutio refertur in tertiam perſonam determinatam.

Quæ nam res vendi poſſint. Cap. 7.

1 OMnia, quæ pecunia æſtimantur, vendi poſſunt, niſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio, ſeu circumſtantia, quæ venditionem reddat invalidam, aut illicitam, & peccaminoſam: quare ſpirituali a vendi non poſſunt, quia pecunia non æſtimantur. Hæreditas vendi poteſt mortuo eo cui ſuccedendum eſt, nam hæreditas eſt pretio æſtimabilis.

Utrum aliquid emi, aut vendi poſſit cum pacto redimendi, aut retrovendendi. Cap. 888.

1 VEnditio cum pacto retrovendendi in favorem ſolius venditoris licita eſt interveniente juſto pretio, aliiſque conditionibus inferius recenſendis. Venditio cum pacto redimendi in favorem ſolius emptoris licita eſt, interveniente juſto pretio, aliiſque conditionibus enumerandis: Venditio cum pacto retrovendendi in favorem utriuſque contrahentis licita eſt; nam qui vendidit poteſt domum repetere ſoluto pretio, & qui emit poteſt pretium repetere, reſtituta domo, modo adſit juſtum pretium, & conditiones ſequentes. Prima ut adſit intentio emendi, & vendendi, nam pactum retrovendendi eſſet uſurarium, ſi deficeret intentio emendi, aut vendendi. Secunda conditio eſt juſtum pretium; quia non ſervato juſto pretio non ſervatur æqualitas, & juſtitia. Tertia conditio eſt, ut fructus rei emptæ pertineat ad emptorem; nam res domino fructificat, ſicut etiam ſi pereat. Quarta eſt ut contractui emptionis, & venditionis, non adſit aliqua læſio. Poteſt celebrari contractus venditionis, cum pacto retrovendendi ſeu redimendi eodem pretio; quia iſte con-

contractus communi uſu videtur receptus, & quotidiana praxi comprobatus. Hæredes venditoris, qui celebraverat contractum cum pacto retrovendendi in ſuum favorem, poſſunt mortuo venditore rem venditam redimere, etiam ab ipſius hæredibus: quia hæc eſt natura pacti, & contractus, ut ejus obligatio utrinque tranſeat ad hæredes, niſi aliter conventum ſit inter ipſos contrahentes. Damnandi ſunt de uſuræ crimine aurifices qui vaſa aurea, vel argentea vendunt rigoroſo pretio, habita ratione laboris, operæ, & induſtriæ cum pacto, ut iterum ſibi vendantur eo pretio, quo res valet habita ratione ſolius auri, vel argenti, ſecus dicendum ſi hujuſmodi onus non imponant.

Quantis res vendi vel emi poſſit.
Cap 889.

1 Res tanti vendi poteſt, quanti emi poteſt juxta taxam Principis, vel communem prudentum hominum æſtimationem: quia valor, & pretium commenſurantur ita dictante juſtitia commutativa, quæ requirit æqualitatem pretii cum re, & ideo vendentes aliquid ſupra pretium rigoroſum, aut ementes infra infimum tenentur ad reſtitutionem illius, quod acceperunt, non ſervata juſta pretii latitudine: licet aliquando rem pluris vendere, quam alioquin venderetur, & minoris emere, quam alioquin emeretur aliquibus circumſtantiis concurrentibus: Cauſa igitur propter quam licet aliquid pluris venderetur, quam alioquin venderetur, Prima eſt multitudo emptorum, & copia pecuniæ, ſicut enim copia mercium eſt cauſa ſufficiens, cur diminuatur pretium, ita multitudo emptorum, & pecuniæ cauſa eſt, ut pretium augeatur. Secunda cauſa eſt affectus ad rem quæ venditur, ut ſi venditor ægre ſe privet ea re, & ejus oblectatione, ac commodo: quia privatio illius affectus, & oblectationis eſt pretio æſtimabilis. Tertia cauſa eſt lucrum ceſſans vendituri, qui in gratiam emptoris vendit rem, quam conſtituerat firmare uſque ad tempus, quo plus valuiſſet. Quarta cauſa propter quam augeri poteſt pretium eſt damnum emergens, quod patitur creditor, vendendo credita pecunia. Quinta cauſa augendi pretium eſt periculum amittendi totum, vel partem pretii, vel periculum recuperandi pretium cum expenſis, & moleſtiis, quia periculum cui venditor ſe exponit, eſt pretio æſtimabile. Sexta cauſa augendi, & diminuendi pretium eſt modus vendendi; nam aliquando una res carius venditur uno modo, quam alio: Primo ſi merx minutim vendatur, carius venditur, quam ſi venderetur in magna quantitate. Secundo ſi merx ultro offeratur, vilius venditur, quam ſi non offerretur. Tertio ſi quid ſub haſta vendatur, aliquando carius venditur, & aliquando vilius, hæc ſunt cauſæ, propter quas aliquando aliquid vendi poteſt carius, quam alioquin venderetur. Adſunt, etiam cauſæ propter quas licet aliquando rem minoris emere, quam alioquin emeretur. Primo ob multitudinem Mercium, & raritatem emptorum. Secundo ob inopiam pecuniæ. Tertio ob modum vendendi, modo res non habeat pretium à lege conſtitutum.

Utrum Monopolia, quibus aliquid plus, vel minoris venditur licita ſit.
Cap. 890.

1 Quando mercatores inter ſe conveniunt de vendenda re ſupra pretium rigoroſum peccant mortaliter contra juſtitiam, quia excedunt juſtum pretium quod eſt peccatum contra juſtitiam, quia ſi conveniant de re vendenda pretio rigoroſo non videtur contra juſtitiam, ſecluſa vi, & fraude, nam cum non ſint cauſa cur res iniuſto pretio vendatur, non videtur mortaliter peccare contra juſtitiam: peccant tamen contra charitatem cum emptores ipſorum culpa emant rigoroſo, alias empturi medio, vel infimo pretio, & ob id ſentiunt incommodum: ob id Emptores poſſunt coſpirationem inire; ut non emant merces niſi pretio minori ad depellendum monopolium venditorum, nam utuntur jure ſuo, ut ſe ipſos ſervent indemnes. Quando unus, vel pauci conveniunt emere omnes merces alicujus generis, ut eas ipſi aſſervent in tempus caritatis, & inopiæ, animo carius vendendi, & lucrandi graviter peccant: probabile tamen eſt non teneri ad reſtitutionem: qui vi, vel fraude impediunt, ne merces aliunde advehantur, ut ipſi carius res ſuas vendant peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, quia ſunt cauſa injuſti damni

Digitized by Google

damni non ſolum mercatoribus , qui injuſte impediuntur , ne merces advehant, ſed etiam Reipublicæ, quatenus ſunt cauſa injuſta augmenti pretii : qui vero abſque vi, & fraude , ſolis precibus, vel perſuaſionibus curant mercatores abire , non videntur peccare contra juſtitiam , aut teneri ad reſtitionem quia non faciunt illis injuriam Quia juſta de cauſa impetrat à Principe privilegium , quo ſolus poſſit certum quoddam genus mercium advehere, & vendere, non videtur graviter peccare modo juſtum pretium taxetur à Principe in rebus neceſſariis , vel a viris prudentibus conſideratis conſiderandis : quia fieri poteſt ut hoc expediat Reipublicæ , nec ulli ſit injuria.

Utrum in venditione vitia rei aperienda ſint, uſque non manifeſtatus ſit invalidus. Cap 891.

1 QUoties tacetur vitium notabile , quo cognito emptor non emiſſet , contractus eſt nullus , adeſtque obligatio reſtituendi damna , & in foro externo datur actio , quæ dicitur redimitoria ad rehabendum pretium,& reſtituendam rem acceptam,quia dolus dans cauſam contractui irritat contractum: ſed quando tacetur vitium quo cognito emptor non emiſſet, adeſt dolus dans cauſam contractui , & ideo contractus eſt nullus, immo venditor , qui notabile vitium conticuit , tenetur ad omnia damna ſecuta emptori ex taciturnitate vitii ; ſi vero emptor eo cognito emiſſet contractus cenſetur validus : quia non cenſetur celebratus per dolum dantem cauſam contractui ; ſed incidentem in contractum. Contractus non eſt invalidus, nec injuſtus, quando vitium , quod tacetur non eſt notabile abſolute ; neque reddit rem notabiliter minus utilem ad uſum, ad quem res ipſa emitur : etiam ſi venditur præſumat fore , ut emptor non emeret , aut non tanto pretio ſi vitium cognoſceret , quia emptor non cenſetur rationabiliter invitus , cum non ſileatur vitium ei noxium : verum tamen eſt: Primo, quando vitium, quod tacetur non eſt notabile in ſe , neque per ordinem ad uſum , ad quem res emitur : tantum de pretio detrahendum eſſe , quanto minus valet res cum eo vitio: res enim cum vitio minus valet , quàm ſine vitio. Secundum monendum eſſe de tali vitio emptorem poſt contractum, ſi emptor aliis venditurus eſt : alioquin fieri poteſt , ut emptor eamdem rem pluris vendat, quam valeat, credens omni vitio carere . Tertio verum eſt hanc doctrinam valere, modo emptor non exprimat actualiter, & explicite , ſe tantummodo velle conditionabiliter emere , ſi talis conditio, & circumſtantia ſubſiſtat, & non aliter, tunc enim contractus celebratur ſub conditione , contractus autem celebratus ſub conditione non ſubſiſtit, non ſubſiſtente conditione. Venditor non tenetur manifeſtare emptori vitium patens; non enim magis ſpectat ad venditorem hujuſmodi vitium manifeſtare, quam ad emptorem illud inſpicere , unde ſi emptor ex ſua negligentia non advertit, debet ſibi imputare , ſecus dicendum eſt ſi venditor animadvertat vitium non cognoſci ab emptore ex inadvertentia invincibili, tunc enim contractus eſt invalidus , ac ſi defectus eſſet occulrus & ac ſi venditor celaſſet vitium occultum.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ .

Ad quem pertineant fructus rei venditæ antequam contractus diſſolvatur. Cap. 892.

1 FRuctus pendentes tempore venditionis, ſive maturi ſint, ſive nondum ad maturitatem pervenerint, pertinent ad emptorem quoad valorem , quem habent tempore venditionis, niſi aliter conventum ſit inter contrahentes; quia fructus pendentes tempore venditionis cenſentur pars rei emptæ, & cenſetur uno eodemque pretio cum re ipſa empta Quando res vendita tradita eſt emptori, ſed pretium nondum fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto, fructus rei venditæ quoad valorem,quem acquirunt poſt venditionem pertinent ad venditorem: quia res domino fructificat, venditor autem eſt dominus rei traditæ emptori nondum ſoluto pretio , nec habita fide de illo . Quando venditor tradit rem emptori ſoluto pretio, vel habita fide de pretio, & conceſſa dilatione ad ſolvendum, fructus omnes pertinent ad emptorem, nec empto tenetur ad intereſſe pro pretio non ſoluto : niſi forte ab initio aliter conventum ſit inter

Digitized by Google

inter contrahentes: quia venditor vendendo hoc modo cedit juri ſuo. Contractus autem, quo quis tradit pecuniam alteri, ſibi aliam rem tradenti, ut domum hoc pacto ut ipſe utatur re, alter vero pecunia; relicta utrique contrahenti facultate repetendi, rem ſuam, vel pecuniam, & hic contractus vulgo dicitur godere, hic contractus, per ſe loquendo eſt illicitus, nam per ſe loquendo illicitum eſt accipere lucrum ex mutuo: fieri tamen poteſt, ut prædictus contractus ex duplici titulo juſtificetur: Primo ratione lucri ceſſantis ſi lucrum ceſſet illi qui pecuniam tradit. Secundo ratione pacti retrovendendi in favorem utriuſque contrahentis.

Ad quem pertineant fructus medio tempore re percepti, quando venditionis contractus diſſolvitur. *Cap.* 893.

1 QUando contractus venditionis cum pacto adiectionis in diem, ut ſi vendat domum ea lege, ut ſi quis intra annum meliorem obtulerit conditionem domus ſit inempta; quæ venditio dicitur cum pacto adiectionis in diem, vel legis commiſſoriæ verbis directis celebratur; quod accidit quando verba, quibus contractus celebratur, oſtendunt contractum fore nullum ipſo jure: quando dico hujuſmodi contractus cum dicto pacto, & verbis celebratus diſsolvitur fructus medii temporis pertinent ad venditorem; quia ſic decernitur in (L. item quod dictum eſt ff. de in diem adiectione) ſi autem contractus celebratus ſit verbis obliquis: quando ſcilicet verba oſtendunt contractum irritandum ut ſi dicatur ſi intra tantum temporis non ſolveris, vel ſi alter meliorem obtulerit conditionem, res ad me redeat, ſeu contractus ex tunc ſit diſſolutus: contractus igitur ſit ſit verbis obliquis celebratus fructus medii temporis pertinent ad emptorem, quia venditio non eſt diſſoluta. Quando venditio diſſolvitur per pactum retrovendendi eodem pretio, fructus medii temporis qui videlicet producti ſunt à tempore venditionis, uſque ad tempus redemptionis pertinent ad emptorem ſecundum valorem, quem habent uſque ad diem retrovenditionis, quia ſic decernitur l. 2.C. de pactis inter emptorem, & venditionem: quando autem venditio, quæ diſsolvitur variatio preto cenſetur nova venditio, & novus contractus: & ideo quando celebratur nova venditio, fructus pendentes ſpectant ſecundum totum valorem ad ſecundum emptorem, qui redimit. Quando venditio diſsolvitur eo quod pœniteat prioris contractus, & alter de novo mutuo conſenſu celebratur, fructus medii temporis pertinent ad emptorem: quia eſt dominus. Quando venditio celebrata fuit ſub conditione de futuro, & conditio non adimpletur, fructus medii temporis pertinent ad venditionem, ſive res tradita ſit emptori, ſive non: quia non adimpleta conditione venditio nulla eſt.

Cui res pereat, vel deterior fiat emptori ve, an venditori, ſi pereat, vel deterior fiat ante, vel poſt traditionem. *Cap.* 894.

1 SI res vendita pereat poſt traditionem perit emptori: quia emptor factus eſt dominus, & res perit domino, modo pretium ſit ſolutum, vel habitum proſoluto, quia ſic decernitur l. quod ſi ff. de periculo, & commodo rei venditæ: ſi res vendita ſit certa, & determinata, & poſt venditionis contractu pereat, vel deterior fiat ante traditionem regulariter perit, & deterior fit emptori modo venditio ſit perfecta, & abſoluta, nec adſit culpa, vel mora venditoris in re tradenda Domino l. 1. C. de periculo, & commodo rei venditæ quando tamen venditor non ſuſcepit in ſe rei periculum: ſi vero venditio facta ſit ſub conditione pendente in futurum periculum interitus rei ante conditionis eventum pertinet ad venditorem l. illud ff. de periculo, & commodo rei venditæ; ſi vero non pereat, ſed ſolum deterior fiat pendente conditione damnum pertinet ad emptorem: ſicut etiam pertinet ad ipſum commodum, ſi res melior fiat l. neceſsario ff. eodem titulo: interveniente autem culpa venditoris in re cuſtodienda, aut mora in re tradenda, venditor tenetur damnum præſtare l. cum res §. finali ff. de legatis.

Utrum

Utrum venditor teneatur de Evictione.
Cap. 895.

1 VEnditor qui rem alienam, quam ſciebat alienam eſſe, vendidit emptori ignoranti alienam eſſe tenetur de evictione: ideſt tenetur emptori pretium reſtituere, & quantum intereſt rem ipſius factam non fuiſſe: quia emptor injuſte læſus fuit à venditore; ſi vero venditor, qui rem alienam bona fide vendidit, credens eſſe ſuam, quamvis cognito errore, teneatur contractum reſcindere, reſciſſoque contractu debeat reſtituere pretium emptori, antequam res evincatur à domino, nihilominus non tenetur ad reſtitutionem damnorum, vel intereſſe, cum non appareat ex qua radice teneatur ad reſtitutionem. Non ſolum In venditione, verum etiam in aliis contractibus oneroſis, contrahentes tenentur de evictione l. libera C. de ſententiis, & inter locutione omnium judicum, debet autem ille, a quo res fuit evicta, cum pluribus fuerit ſucceſſive vendita agere contra immediatum venditorem non vero poteſt contra antecedentes venditores, quia nihil cum eis egit, nullumque cum eis contractum iniit.

De Mutuo, & Uſura.

Quid & quotuplex ſit. mutuum.
Cap. 896

1 MUtuum proprie acceptum prout diſtinguitur à commodato, & ab aliis contractibus, eſt contractus, quo rei dominium transfertur in accipientem, ſpe recipiendi ſimilem in ſpecie, & bonitate l. 2. ff. ſi certum petatur: non dicitur eadem rem debere reſtitui: quia non eſſet mutuum, ſed commodatum, vel ſi eſſet res alterius ſpeciei, quia eſſet permutatio: quare mutuum celebratur de iis rebus: quarum una dari, & ſubſtitui poteſt loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia. Mutuum omiſſis aliis diviſionibus dividi poteſt in expreſsum, ſeu formale, & in tacitum, ſeu implicitum, ac virtuale Expreſsum contingit, quando quis actualiter dat alteri pecuniam mutuo. Tacitum, & virtuale, quod virtute includitur in aliis contractibus: & ob id mutuum palliatum nuncupatur; ut accidit, quando quis vendit alteri domum majori pretio conceſsa dilatione ad ſolvendum: cenſetur enim virtualiter mutuare pretium emptori uſque ad terminum illi conceſsum, & præfixum ad ſolvendum.

2 Eximuntur ab obligatione mutui, ita ut ad mutui reſtitutionem non teneantur: Primo quando aliquid mutuo traditum eſt Eccleſiæ, vel loco pio, vel oppido, Eccleſia, vel locus pius, vel oppidum non tenetur ad reſtitutionem, niſi mutuans probet pecuniam mutuatam converſam ſuiſse in utilitatem Eccleſiæ, vel loci pii, vel oppidi (l. civitas ff. ſi certum petatur.) Eodem privilegio gaudet minor, qui non tenetur ſolvere, niſi mutuans probet &c. Secundo quando pecunia fuit mutuo data filio familias, qui non habet bona caſtrenſia, vel quaſi, nec credebatur eſse ſui iuris; filius familias non tenetur ante, vel poſt mortem parentum abſolutionem mutui ſaltem in foro externo, ut patet ex diſpoſitione juris poſitivi (l. 1. per totum C. ad Macedonian.) jus autem hoc decrevit ad evitanda, & præcavenda incommoda quæ occaſione mutui a filiis, vel filiabus familias accepti ſub oriebantur: filii enim ad perſolvendam pecuniam mutuo acceptam occaſionem arripiebant inferendi mortem parentibus: quando autem filio familias data eſt mutuo, non pecunia, ſed alia res, ut vinum, oleum, &c. tenetur ad reſtitutionem: quia lex loquitur de mutuo pecuniæ: ſi autem filius familias habebat bona caſtrenſia, vel quaſi tenetur ad reſtitutionem, cum ſit ſolvendo ex propriis bonis: & ſic ſui juris eſse publice exiſtimabatur, tenetur ad reſtitutionem, nam jura loquuntur de eo, qui non credebatur publice ſui juris: addo filium familias teneri ad reſtitutionem mutui accepti. Primo quando mutuo accepit pecuniam ad inſumenda ea, quæ à Patre inſumi debebant, ut ſi filius accepit pecuniam ad emendos libros. Secundo quando accepit mutuum juſsu, vel conſenſu patris. Tertio quando pecunia converſa eſt in utilitatem patris. Quarto quando filius juravit ſe ſoluturum.

Quid

Quid, & quotuple ſit uſura, & an uſura ſit licita. Cap 897.

1 USura eſt lucrum immediate proveniens ex mutuo ; nam ſi lucrum non proveniat immediate ex contractu mutui, ſeu ex vi pacti mutuationis, ſed potius amicitia, vel gratitudine non eſt uſura. Nomine autem lucri intellig tur acquiſitio rei ſupra ſortem pecunia extimabilis, alias indebitæ. Uſura alia eſt realis, & externa, alia mentalis; & interna. Realis contingit quando intervenit pactum ſaltem implicitum reddendi aliquid ſupra ſortem. Mentalis eſt quando mutuans intendit lucrum ex mutuo recipere, quamvis nullum pactum exterius apponat. Uſura item alia eſt expreſſa, & formalis, alia virtualis, & implicita, unde uſura tribus modis accipi poteſt: Primo pro lucro ſupra ſortem pecunia æſtimabili. Secundo pro contractu, quo duo vel plures tacite, vel expreſſe paciſcuntur de re aliqua ſupra ſortem ob mutuum reddenda. Tertio pro voluntate aliquid accipiendi ſupra ſortem. Uſura autem adeo illicita eſt ut, qui eam licitam eſſe pertinaciter tu aſſeruerit, cenſeatur hæreticus ta definitum eſt in Concilio Viennenſi ſub Clem. V. unde uſura prohibita eſt : Primo jure divino. Secundo jure Eccleſiaſtico ut conſtat ex Concilio Viennenſi, & ex toto titulo Decretalium de uſuris, ac etiam jure naturali, nam qui accipit aliquid ſupra ſortem in mutuo, dicitur plus accipere, quam res valeat; plus autem accipere, quam res valeat repugnat juri naturæ, & propterea Epiſcopus, nec etiam Summus Pontifex poteſt diſpenſare in uſura cum ſit contra jus naturæ, & divinum.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.*

An quælibet obligatio impoſita mutuatario ſit uſura. Cap. 898

1 OMnis pactio, & conventio, per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quaſi ex juſtitia, ad quam mutuatarius alias non tenebatur, labem uſuræ continet : quia pactio, qua imponitur mutuatario onus pretio æſtimabile tamquam ex juſtitia debitum, uſuraria : unde, Primo uſura ab eo committitur, qui tradit alteri mutuum cum pacto, ut præſtet munus, & officium à lingua, quod eſt alloqui Regem &c. vel ab obſequio, quod eſt exhibere officia particularia, vel ſigna amicitiæ, commitari dominum, &c, vel à manu quod eſt colere agrum, domum conducere, vel locare, &c. nam hæc officia ſunt pretio æſtimabilia: quæ inducunt uſuram. Secundo mutuans committit uſuram mutuando alteri cum pacto, ut mutuatarius ſibi, vel alteri conferat aliquod officium, vel privilegium. Tertio qui mutuo dat oleum, vel pecuniam alteri cum pacto ut mutuatarius ſibi reſtituat mutuum in re diverſæ rationis. Quinto, qui alteri mutuum dat ea conditione ut mutuatarius remutuare teneatur ſtatim, vel in futurum: non nego tamen quin ſit licitum viciſſim mutuum dare aut viciſſim ſe obligare ad mutuandum tunc, enim contrahentes ſunt pares in obligatione, ſed nego mutuanti licitum eſſe imponere mutuatario obligationem mutuandi in poſterum ſeu ſtatim. Quito committitur uſura ab eo, qui mutuat alteri cum pacto, ut veniat ad ſuum molendinum, , &c. Sexto non committitur uſura ab eo, qui mutuat cum pacto, ut mutuarius ineat contractum pignoris ſecuritate mutui nam hæc aſſicuratio debita eſt. Uſura Committitur qui mutuat Medico, ut carare teneatur, Advocato, ut defendat, fæminæ, ut ſui copiam faciat, alteri, ut reſtituat quod ſibi debetur ex juſtitia, non committitur mutuando ad injuſtitiam &, vexationem redimendam: nec mutuando intendens remiſſionem odii, nec vendendo ſuas merces credito, ut plures attrahat emptores ad emendum; committitur ab eo qui mutuat alteri tritiuum cum pacto, ut illud ſibi non reſtituat niſi quando plus valebit.

2 Quando poſt mutuum datum, æſtimatio pecuniæ crevit, mutum reſtituendum eſt juxta valorem, quem habet pecunia tempore ſolutionis ; quando tamen valor non fuit excluſus ; quia tunc in eadem materia, & forma, cum æquali numero, ſolvendus eſt æqualis numerus, non plus, nec minus, ſic qui mutuo dedit duas vinus menſuras, ſed interim menſuræ auctoritate Principis diminutę ſunt reſtituendum eſt vinum ſecundum priores menſuras.

Vinum

Utrum Mutuator poſſit aliquid accipere à mutatario ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis. Cap. 899.

1 MUtuator poteſt in principio contractus paciſci de aliquo lucro, ſeu pecunia ſibi ſolvenda ratione damni emergentis, vel ratione periculi damni, quia ęquitas non poſtulat, ut mutuator patiatur damnum alteri ſubveniendo; ſi vero mutuatur in principio contractus nullum iniit pactum cum mutuatario de pręſiando damno emergente, mutuatarius non tenetur illud præſtare, modo non fueri in mora ſolvendi, aut non fuerit cauſa injuſta damni; quia ex nullo titulo tenetur: ut autem damnum emergens ex mutuo exigere poſſit requiritur; Primo, ut tempore contractus in pactum deducatur damnum, quod re ipſa evenit, vel eminet: Secundo, ut non deducatur aliquid ſupra damnum, quia non acciperetur ratione damni emergentis. Tertio ut damnum re vera ſequatur præciſe cauſa mutui, & mutuator non potueri tillud commode evitare: ſic mutuatarius tenetur damnum emergens mutuanti ſolveri ob dilationem ſolutionis, licet de hoc in contractu nullum pactum expreſſe initum fuerit modo mutuator non conſentiat in mora: non autem committit uſuram, qui mutuat alteri centum cum pacto exigendi decem ultra ſortem ſciens ſe ex eo mutuo paſſurum damnum decem: nihil enim accipit ſupra ſortem; tenetur ad reſtitutionem lucri ceſſantis mutuanti: qui injuſte cogit mutuantem ad ſibi mutuandum, etiam ſi nullum præceſſerit pactum de hoc lucro reſtituendo: quia per injuriam extorquendo mutuum, cenſetur cauſa juſta damni.

2 Mutuator poteſt ab inito paciſci, ut mutuatarius ſolvat ſibi lucrum ceſſans cauſa mutui: poteſt autem in mutuo paciſci de lucro ceſſante: Primo quando mutuatio eſt cauſa cur ceſſet lucrum. Secundo ut lucrum non ſtatim exigatur. Tertio ut non tantum exigatur ratione lucri ceſſantis, quantum valet ſpes lucri detractis expenſis, quas feciſſet mutuator negotiando, vel alio modo impendendo ſuam pecuniam; lucrum in ſpe, minus valet, quam inre.

Utrum licitum ſit in mutuo aliquid ſupra ſortem accipere ratione periculi cui exponitur capitale, vel ratione moleſtiarum, & expenſarum in recuperando capitali. Cap. 900.

1 LIcitum eſt in mutuo aliquid ultra ſortem accipere ratione periculi ammittendi capitale, vel illud recuperandi cum expenſis, & laboribus: quia hujuſmodi pericula ſunt pretio æſtimabilia: nec mutuator tenetur illa gratis ſubire; etiam ſi re vera nullum damnum poſtea patiatur: ut autem mutuator poſſit aliquid exigere ratione periculi capitalis, vel expenſarum, vel laborum in recuperando capitali requiritur: Primo, ut mutuator non plus exigat ratione iſtius periculi: quam ipſe daret alteri pro aſſecuratione capitalis, vel quam communiter ęſtimetur hujuſmodi periculum: pretium enim in omni contractu debet eſſe juſtum. Secundo ut certe ſit periculum amiſſionis capitalis, & expenſarum, etiam ſi poſtea re ipſa contingat non amitti capitale, nec expenſas fieri: pretium enim non accipitur pro expenſis, & actuali amiſſione capitalis: ſed pro periculo. Tertio ut mutuator non compellat mutuatarium ad ſuſcipiendum ſe ipſum pro aſſecuratore, & fidei juſſore, ſed mutuatario libertatem relinquat eligendi quem velit; unde ſi compellat mutuatarium ad eligendum ſe ipſum pro aſſicuratore committit uſuram: patet ex C. naviganti. Non committitur uſura ab eo, qui mutuat alteri centum, cum pacto, ut ſi mutuatarius moriatur intra duos annos nihil teneatur reſtituere: ſi vero ſupervixerit ſupra duos annos reſtituat centum, & quinquaginta, vel ducenta: quia nihil accipi videtur ſupra ſortem: Hic enim eſt contractus ſortis, ſeu ſponſionis in quo uterque ſe periculo exponit lucrandi, & perdendi: contractum ſortis licitum eſt, ut conſtat inter omnes D. D. ſervata periculi, & pretii æqualitate.

Utrum

Vtrum liceat aliquid exigere pro carentia pecuniæ, & obligatione expectandi ſolutionem mutui uſque ad certum tempus ſeu non repetendi mutuum intra tantum temporis.
Cap. 901.

1 NOn licet, in mutuo aliquid ultra ſortem exigere ratione carentię pecuniæ, vel obligationis expectandi uſque ad certum tempus, quia ſic defendi poſſet omnis contractus uſurarius, apponendo pactum non repetendi niſi poſt tantum temporis; obligatio autem non repetendi ante aliquod tempus, & carentia pecuniæ eſt aliquid intrinſecum mutuo, ideo ſicut nihil poteſt ex mutuo accipi, ita neque poteſt aliquid ratione carentiæ pecuniæ.

* *Die 18. Martii 1666. Alexander VII. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.*

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majorem faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

Vtrum Mutuator poſſit pactum inire cum mutuatario, ut ſi ſtatuto tempore non ſolverit, ſolvat aliquid in pœnam ſuæ moræ. Cap. 902.

1 MUtuator poteſt pactum inire cum mutuatario, ut niſi ſolverit tempore præfixo, ſolvat aliquam pænam; ideſt aliquid ſupra ſortem in pænam moræ; quia mutuatarius exiſtens in mora peccat contra juſtitiam, & propter peccatum dignus eſt aliqua pęna, & ideo poteſt apponi pęna ex conventione partium, modo pęna juſta ſit; non enim imponitur obligatio indebita, pęna autem appoſita, ut ſit juſta tres ſaltem conditiones requiruntur. Prima eſt, ut pæna non apponatur in fraudem uſurę, ideſt ut non apponatur contra voluntatem mutuatarii ad palliandam uſuram; Secunda conditio eſt, ut mutuatarius vere ſit in culpabili mora ſolvendi. Tertia conditio, ut pæna ſit moderata nam pæna reſpondere debet culpæ, hæc autem pæna conventionalis ſolvenda, eſt ante judicis ſententiam; qua hæc videtur intentio contrahentium, ut violans fidem ſolvat pænam, & ideo non requiritur auctoritas Judicis; alioquin non adimpleretur contrahentium intentio, neque ſervaretur conventio, & pactum inter contrahentes initum.

Vtrum in contractu mutui licitum ſit pactum legis commiſſoriæ in pignoribus. Cap. 903.

1 PActum legis commiſſoriæ in pignoribus eſt quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, ut ſi debitor non ſolvat intra certum terminum, pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur; dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, eo quod ſi debitor non ſolvat ſtatuto tempore, incidat in commiſſum; ideſt amittat jus rei ſuæ propter culpam commiſſam non ſolvendo tempore præfixo. Pactum legis commiſſoriæ in pignoribus per ſe loquendo illicitum eſt, & uſurarium: patet ex jure Canonico (C. ſignificant de pignoris,) & ex jure Cæſareo (L. 1. & ultima C.) de pactis pignorum: fieri tamen poteſt ut aliquando pactum legis commiſſoriæ in pignoribus non ſit illicitum, aut accidit, quando hujuſmodi pactum apponitur in pænam: licitum enim eſt pænam apponere ſolvendam à mutuatari ſi tempore præfixo non ſolverit. Non committitur uſura in foro conſcientiæ, quando apponitur pactum in mutuo, ut niſi mutuum ſolvatur intra talem terminum pignus vendatur juſto pretio, aut maneat venditum tacite intelligendo, juſto pretio: quia hoc non fit in gravamen pro mutuo, ſed ut mutuator ſe ipſum ſervet indemnem, & rem ſuo debito tempore recuperet: quando ergo pignus non plus valet, quam debitum; non committitur uſura apponendo pactum, ut ſi debitor non ſolvat conſtituta die, pignus habeatur venditum juſto pretio: quia nihil ratione mutui accipitur ſupra ſortem, & hujuſmodi pactum apponitur à mutuante, ut ipſum ſervet indemnem.

Vtrum

Utrum creditor ſeu mutuator poſſit ſibi ſine uſura retinere fructus rei ſibi traditæ in pignus. Cap. 904.

1 CReditor non poteſt ſibi retinere fructus pignoris accepti ad ſecuritatem crediti, ſed deductis expenſis, debet eos reddere debitor, aut computare in ſortem capitalem, niſi, aliqua juſta cauſa ſubſit, ratione cujus poſſit eos retinere, aut in ſortem non computare; ſic decernitur c. 1. & 3. de uſuris: fieri tamen poteſt ut talis cauſa ſubſiſtat, propter quam licitum ſit creditori fructus pignoris retinere; ut ratione lucri ceſsantis, vel damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, vel expenſarum in cuſtodiendo pignore &c. Juſta ſunt ſtatuta non nullarum civitatum, quibus decernitur, ut hæres mariti defuncti ſolvat certam penſionem ſingulis annis, donec dotem perſolverit; quia hoc decernunt non pro dilatione dotis præciſe, ſed ratione lucri ceſsantis, vel damni emergentis, vel ad vitanda alia incommoda.

Utrum committatur uſura, quoties anticipato pretio minoris emuntur chirographa ſeu credita in poſterum exigenda. Cap. 905.

1 SEcluſo lucro ceſsante, aut damno emergente, committitur uſura anticipata ſolutione emendo minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda: id eſt emendo jus, quod alter habet, ut aliquid in futurum ſolvatur, quia qui minoris emit creditum immaturum, accipit aliquid ſupra ſortem ex mutuo: mutuat enim implicite minorem pro majore pecunia exigenda; ratione vero lucri ceſſantis, aut damni emergentis creditum immaturum minoris emi poteſt, Miniſtri vero Regis, qui ut anticipatam faciant ſolutionem, vel ad ſolvendum dilationem concedant, recipiunt aliquid à creditoribus committunt uſuram quia accipiunt aliquid ſupra ſortem pro mutuo virtuali. Creditum vero non plane certum, ſed periculoſum, ac litigioſum, & cum difficultate exigendum poteſt abſque labe uſuræ ab eo, qui non eſt cauſa difficultatis minoris emi quam valeat, pro ut difficultas, & incertitudo ſolutionis major, vel minor fuerit, & propterea minoris emi poſſunt credita, ſeu ſtipendia, ſeu ſalaria debita militibus, aut famulis nobilium virorum; nam hujuſmodi credita habent adiuncta pericula, incommoda; & moleſtias in ipſis exigendis, qui autem eſt cauſa difficultatis non poteſt creditum minoris emere: ſed peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem minoris emendo.

An liceat accipere quinque pro centum in mutuo. Cap. 906.

1 NOn licet quinque pro centum accipere in mutuo per ſe loquendo nam ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ratione periculi, cui exponitur capitale &c. licitum eſt aliquid accipere ſervato juſto pretio. Non autem peccat, nec tenetur ad reſtitutionem qui accipit quinque pro centum in contractu complectente tres contractus; cum ſcilicet quis tradit pecuniam ſuam mercatori, & celebrat tres contractus: Primus Societatis, Secundus aſſecurationis capitalis, Tertius aſſecurationis lucri certi, pro majori incerto; ſeu conditionis lucri incerti pro certo. Sit exemplum. Cajus dat Titio mercatori pecuniam ad negotiandum titulo ſocietatis, ex qua negotiatione ſinguli poſſent percipere undecim, vel duodecim. Deinde cum eodem Titio init contractum aſſecurationis capitalis pro cujus aſſecuratione ſuſcepta à Titio detrahit quatuor, vel quinque, ex iis, quæ probabiliter lucraturus, & percepturus erat in contractu ſocietatis. Denique pro aſſecuratione reſtantis lucri detrahit unum, vel duo: ita peractis remanent Cajo quinque pro centum, quæ licite accipit poſſe videntur; quia licite accipitur lucrum ex ſocietate ſervata æqualitate inter ſocios: Non eſt licitum aliquid ſupra ſortem accipere ratione gratitudinis: quia gratuita remuneratio non poteſt in mutuo deduci in pactum alioquin mutuatario imponetur obligatio, ad quam non tenetur.

Utrum in monte pietatis, aliiſque montibus inveniatur uſura. Cap. 907.

1 NOmine montis pietatis intelligitur ſumma pecuniæ, aut frumenti, aut alterius rei ſimilis publicè deputatæ ad ſubvenien dum pauperibus: ex qua ſumma

ma ſolet dari mutuum pauperibus, accepto ab ipſis pignore ad certum tempus ea conditione ut pauperes, qui mutuum accipiunt aliquid ſolvant pro ſuſtentatione miniſtrorum ad hoc munus deputatorum, & pro aliis laboribus, & ex ipſis neceſſariis ad hoc munus præſtandum, & ad cuſtodiendum pignus, & referendam in libros rationem dati, & accepti &c. Si autem contingat mutuatarios non ſolvere termino præfixo, pignus venditur ſub haſta, ut ex eo vendito ſatisfiat monti, & eius miniſtris, quod vero ſupereſt reſtituatur Domino pignoris. In monte igitur pietatis non eſt uſura, ſed potius pietas, & iuſtitia, ſi fiat iuxta ea, quæ prænotavimus. quia mons pietatis approbatur à Leone X (in Conc. Lat. ſeſſ. 10) ubi eum cupit erigi, & excommunicat eos, qui contrarium prædicaverint: quantum vero accipi poſſit à monte pietatis pro expenſis, & oneribus montis taxandum, & definiendum eſt arbitrio prudentis, qui in hoc definiendo rationem habere debet circumſtantiarum, ut laboris miniſtrorum, neceſſariorum, conductionis domus, & his ſimilium: poteſt autem plus exigi à mutuatario prout diutius differt ſolutionem, quam exigatur ab eo qui citius ſolvit: licitus eſt mons, quem Princeps, vel Republica pecuniis indigens cauſa belli, aut alia de cauſa inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias hac lege, ut donec illas reſtituat ſolvat quinque vel ſex pro centum, reſervata ſibi facultate reſtituendi ſingulis creditoribus ſortem principalem, & relicta ipſimet creditoribus libertate vendendi ius, quod habent, quia nihil aliud eſt, quam cenſus fundatus in bonis, vel reddatibus annuis antiquis, vel novis ipſius communitatis vel Principis: liciti quoque ſunt montes, qui Romæ maxime ſunt in uſu: quia ſunt veluti quidam cenſus fundati in vectigalibus, triburis, vel aliis annuis redditibus: & vocantur montes: quia ſunt veluti quidam pecuniarum acervus, cujus ſingulæ partes vocantur loca montium.

Utrum liceat petere mutuum ab uſurario, quem mutuatarius ſcit non mutuaturum niſi ſub uſuris Cap. 906.

1 NOn licet mutuatario petere ab uſurario mutuum ſub uſuris, etiam ſi uſurarius paratus ſit dare ſub uſuris; quia non licet mihi petere, quod alter non poſſit facere ſine peccato: aliud autem eſt petere mutuum ſub uſuris, aliud accipere mutuum ſub uſuris, ſeu petere mutuum promittendo aliquid ſupra ſortem primum eſt intrinſice malum, & active inductivum ad peccatum, ſecundum vero, nihil aliud eſt, quam contrahere mutuum paſſive concurrendo ad uſuram, unde qui promittit uſuras, aut eas ſolvit non facit opus intrinſice malum, nec peccat ſi hoc faciat ex aliqua juſta cauſa, ut cauſa vitandi rixas, vel conſulendi propriæ æſtimationi, vel proprio commodo, &c & hæc eſt differentia inter promiſſionem uſurarum, ac ipſarum ſolutionem, & inter receptionem nam ſi promiſſio, vel ſolutio uſurarum fiat ex juſta cauſa non eſt mala: receptio vero uſurarum ex parte uſurarii eſt intrinſece mala, & contra juſtitiam, cum ſit acceptio rei rei, quæ non debetur. Petere mutuum abſolute ad ſublevandam neceſſitatem propriam, vel alienam ſeu ex juſta cauſa; non videtur illicitum quia id peti poteſt, quod licite præſtari poteſt: qui autem petit mutuo pecuniam ad vana, & inutilia peccat mortaliter, etiam ſi uſurarius alias paratus eſſet dare ad uſuram: quia petens mutuum ab uſurario ad vana, & inutilia nullam habet juſtam cauſam, propter quam petere poſſit mutuum cum peccato uſurarii.

Utrum uſurarius acquirat dominium eorum quæ lucratur uſurario contractu aut eorum dominium transferat ad alterum Cap. 909.

1 USurarius non acquirit Dominium eorum, quæ ſupra ſortem ob mutuum, & ob uſurarium contractum accipit, quandiu ea, quæ accipit poſſint diſcerni à propriis rebus: quia in L nunquam ff. de acquirendo rerum dominio habetur nudam traditionem non ſufficere ad transferendum dominium, niſi præceſſerit venditio, aut juſta cauſa, ideſt juſtus titulus: traditio autem uſurarum fit ſine juſta cauſa ideſt titulo. Uſurarius non poteſt in alterum transferre dominium eorum: quæ acquiſivit per uſuras, & ideo accepta ab uſurario ſunt obnoxia reſtitutioni, quoti i ipſe eorum non eſt dominus: quia uſurarius

poteſt plus juris in alterum tranferre, quam ipſe habeat (l. ex empto ff. de actionibus empti:) uſurarius autem non habet dominium eorum, quæ per uſuras accepit.

Quinam teneatur ad reſtitutionem propter uſuras. Cap. 910.

1 QUi aliquid accipit mala fide, ſeu mente uſuraria, credens illud non ſibi liberaliter donari, ſed dari tamquam pretium mutui tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ, donec cognoſcat rem ſibi liberaliter datam fuiſse: quia conſcientia erronea ligat, quandiu durat, ac ſi res ita ſe haberet à patre, & ideo tenetur ad reſtitutionem. Uſurarius realis tenetur ad reſtitutionem rei per uſuram acceptæ, quia uſurarius non acquirit dominium rei per uſuram acceptæ, quia nullo iuſto titulo poteſt retinere, cum mutuum non ſit titulus ſufficiens ad aliquid accipiendum ſupra ſortem tamquam mutui pretium. non eſt autem uſurarius qui vendit alreri merces rigoroſo pretio, & illas poſtea redimit pretio infimo ab eo cni credito vendiderat, ſecluſo tamen pacto retrovendendi de minori pretio, nam ſi pactum interveniat, ut emptor retrovendat venditori minori pretio contractus videtur uſurarius & cenſetur celebratus ad palliandam uſuram; ut venditor poſſit ex pecunia mutuo virtuali data lucrum recipere frictione contractus: ſic peccat peccato uſuræ, & tenetur ad reſtitutionem, qui mutuat alteri aliquos nummos cum pacto, ut emat à ſe alias merces: quia imponit mutuatario obligationem, ad quam alias non tenetur. Concurrens effective ad contractum uſurarium; vel ad exactionem uſurarum agendo partes uſurarii, tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, quia cooperatur efficaciter damno alterius; unde tenetur ad reſtitutionem. Qui cooperatur ad uſuram, agendo partes mutuatario non obligatur ad reſtitutionem, quia quod agit, agit volente, & ſciente mutuario, unde non fit injuria, & injuſtitia.

2 Princeps, vel Iudices, qui aliquo modo compellunt ad ſolutionem uſurarum tenentur ad reſtitutionem. Addo offiſiales locorum, ſeu communitatum ſtatutis compellentes ad ſolutionem uſurarum ligantur excommunicatione Clement. unio de uſur. ubi excommunicantur. Primo facientes, ſcribentes, vel dictantes ſtatuta de ſolvendis uſuris, vel de non reſtituendis cum repetuntur. Secundo judicantes, ſeu ſententiam ferentes, ut ſolvantur uſuræ, ut non reſtituantur plene, libere cum ſolutæ, repetuntur. Tertio judices, ſeu officiales præſumentes ſervare hujuſmodi ſtatuta, vel conſuetudines vim ſtatuti habentes. Addo Judices teneri ad reſtitutionem ſi non audiant mutuatario volentes repetere uſuras ab uſurariis; videntur enim agere patres uſurariorum, & efficaciter influere in damnum. Hæredes uſurarii tenentur ad reſtitutionem, ſi uſurarius non reſtituit dum viveret: quia obligatio realis defuncti tranſmittitur ad hæredes, qui ſuccedunt in locum defuncti.

* *Die 2. Martii 1679. Innocentius XI. damnavit infraſcriptam propoſitionem. Contractus mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie initio cum intentione lucri.*

De Pœnis uſurariorum. Cap. 911.

1 MUltis pœnis ſubiicitur uſurarius notorius. Prima eſt ut non admittatur ad Eucharistiam donec publice ſatisfacerit. Secunda eſt ut non admittatur ad Sepulturam Eccleſiaſticam. Tertia eſt, ut nullus interſit teſtamento uſurarii manifeſti, niſi prius præſtiterit ſatisfactionem. Quarta eſt, ut non admittatur ad confeſſionem Sacramentalem, niſi prius ſatisfaciat, quatenus poteſt, vel niſi præſtet cautionem idoneam, quam præſtare poteſt creditoribus, vel ordinario loci. Quinta eſt infamia. Sexta eſt ut non admittatur ad oblationes: Principes poſſunt punire Judæos uſurarios illoſque compellere ad reſtitutionem, quatenus temporali poteſtate gaudent, illamque in ſibi ſubditos exercere poſſunt; Eccleſia vero non poteſt auctoritate Eccleſiaſtica punire Judæos: quia auctoritatem Eccleſiaſticam non exercet in non baptizatos.

De

De Cenſibus.

Utrum contractus cenſus licitus ſit, & quæ conditiones ad ipſum requirantur. Cap. 912.

1 CEnſus realis licitus eſt; quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt illicitum eſſe concurrentibus debitis conditionibus. Prima eſt, ut cenſus non inſtituatur niſi ſuper re immobili ſua natura frugifera, & certis finibus deſignata. Secunda, ut contractus cenſus non celebretur niſi numerata pecunia in actu celebrationis inſtrumenti coram Notario, & teſtibus, ideſt videntibus Notario, & teſtibus pretium integrum ſolvi. Tertia conditio eſt ne penſiones anticipatæ deducantur in pactum; hoc eſt ne is qui emit cenſum cogat cenſuarium, ut cenſum anticipate ſolvat: ſed ſolum exigat pro rata temporis lapſi: hoc enim eſt conforme juri naturali dictanti, non eſſe ſolvendum id, quod nondum debetur. Quarta conditio eſt, ne venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non tenetur. Quinta conditio eſt ut non fiat pactum reſtringens libertatem cenſuarii, ne alienet rem cenſui ſubiectam: præterea ne fiat pactum ſolvendi cenſitori laudemium: ideſt quinquageſimam, vel aliam partem rei alienæ pro facultate alienandi ab ipſo obtenta. Sexta conditio eſt, ut dominus rei cenſitæ volens rem cenſitam vendere admoneat cenſualiſtam, num ipſe velit eam emere eodem pretio, eumque aliis præferat. Septima conditio eſt, ne fiat pactum, quo cenſuarius exiſtens in mora, ſeu non ſolvens cenſum conſtituto tempore teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem cenſui ſubiectam, aut ad expenſas. Octava conditio eſt, ne cenſus antea conſtitutus augeatur ex penſionibus debitis, & non ſolutis. Nona conditio, ut ſemper liberum ſit cenſuario redimere cenſum, quoties voluerit, reddito eodem pretio, quo vendiderat non obſtante quamvis præſcriptione, aut pacto. Decima conditio eſt ut cenſuarius non cogatur ad redimendum cenſum ſecluſo caſu poſito in nona conditione. Undecima conditio eſt ut pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri, vel minui ex aliqua circumſtantia ſupervenienete, vel æquale pretium reddendum ſit, quo cenſus ab initio fuit emptus cum predictis coditionibus celebrandus eſt contractus cenſualis poſt conſtitutionem Pii V. quibus deficientibus contractus cenſetur irritus, & uſurarius.

De Cambiis.

Utrum contractus Cambii licitus. Cap. 913.

1 CAmbium ſiccum illicitum eſt, & uſurarium, quia in eo accipitur lucrum ob mutuum, nam accipitur ob ſolam dilationem ſolutionis. Cambium reale Minutum quod eſt quando numiſmata permutantur cum majoribus, aut majora cum minoribus, non eſt illicitum, vel uſurarium, quia non accipitur lucrum ob mutuum, ſed multæ cauſæ adſunt propter quas aliquid ſupra ſortem poteſt exigere. Prima eſt officium cambiandi. Secunda eſt lucrum ceſſans, quod campſor alias recepiſſet, ſi pecuniam ad cambium non dediſſet, ut ſi jam decreverat ex ſua pecunia merces emere, quarum emptione lucrum reportaſſet. Tertia cauſa eſt labor numerandi, quem conſtat eſſe pretio æſtimabilem, quamvis modico ſtipendio dignus ſit, cum labor ſit exiguus. Quarta cauſa eſt expendibilitas, aut facilitas, ſeu commoditas unius monetæ in numerando, in conſervando, in transferendo. Quinta eſt antiquitas monetæ: ſunt enim aliquæ monetæ antiquæ, quas conſtat pluris æſtimari, quam æſtimentur novæ: vel pluris aliquæ æſtimantur ratione parvitatis materiæ.

2 Non eſt uſurarium, ſed licitum cambium reale locale, ſeu per litteras, quo campſor dat pecuniam hic Mediolani campſario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro, ut ſi det mihi centum hic Mediolani, recepturus Romæ centum, & aliquid ſupra centum modo non adſit exceſſus in pretio quia quando campſor hic Mediolani prior tradit mihi pecuniam, ut eam recipiat Romæ, virtualiter meam pecuniam Roma transfert huc Mediolanum: perinde enim eſt campſorem numerare mihi hic pecuniam pro abſente, ac ſi abſentem huc transferret: hoc autem eſt pretio æſtimabile, ideo campſor poteſt

pretium exigere, quamvis enim non transferat realiter huc meam pecuniam, cum nondum illam receperit nihilominus transfert æquivalenter, ideo quod præſtet opus, quod periende ſe habet ac ſi realiter transferret: ſæque bonæ conditioni poteſt adſcribere, & aſſignare, quod pecuniam faciat præſentem ſine periculis, & expenſis, & campaſarius ſublevatur onere, quod ſubiret, transferendo pecuniam ex Roma Mediolanum: cum autem hu us oneris ſublevatio ſit pretio æſtimabilis, & fiat à campſore, campſor licite poterit lucrum recipere, modo non excedat in pretio. Non eſt uſurarium, vel illicitum cambium locale reale ſeu per litteras, quo campſor accipit hic Mediolani pecuniam cum certo lucro, ut eam alibi ſolvat, ut ſic hic Mediolani à me accipiat centum, & quinque, ut mihi in Flandria ſolvat centum: quia campſor virtualiter transfert pecuniam camſarii ad locum, ad quem camſarius vult eam ſibi perſolvi: cum autem hæc virtualis translatio non ſit tot periculis, & difficultatibus involuta, ſicut eſt translatio realis, campſor non poteſt tantum exigere, quantu n exigeret, ſi pecuniam realiter transferet, & quia ſublevat campſarium onore, quod ſubiret, transferendo ſuam pecuniam Mediolando in Flandriam: hæc autem ſublevatio eſt pretio æſtimabilis, quia etiam campſor cenſetur cum campſario inire contractum eſſecurationis: accipit enim pecuniam hic, ita ut ſi pereat, ſibi pereat, & propterea non ſolum ſuſcipit onus transferendi, quod eſt dignum pretio verum etiam ſuſcipit periculum quod eſt pretio æſtimabile.

3 Cambium reale per literas cum recambio, quo litteræ mittuntur ad locum præfixum, ut Placentiam: ibi ſuum ſortiuntur effectum: deinde Placentiæ conſcribuntur aliæ litteræ quibus pecunia Mediolanum recambiatur non videtur uſurarium, vel contrai uſtitiam: quia non eſt mutuum, nec cambium ſic cum, ſed reale, in quo pecunia præſens permutatur cum abſente; modo adſint conditiones quas Pius V. requiritur in cambio reali: quarum, Prima eſt, ut campſarius litteras ſcribat, quæ mittantur, & non referantur inanes, nec contrahentes confingant celebrare cambia ad proximas nundinas vel alia loca. Secunda ne pactum fiat de certo, & determinato intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ſolvendo a campſario, ſi non ſolvat tempore conſtituto. Tertia conditio eſt ut campſor protrahat terminum ſolutioni s ob pactum recipiendi lucrum, ut ſi campſor det Titio pecuniam ſibi ſolvendum Plaſcentiæ ad tres menſes, p ſtea proroget terminum: quia Caius promittit maius lucrum, ſi terminus ſolutionis extendatur, & prorogetur: hoc enim damnatus à Pio V. quia lucrum accipitur ob dilationem temporis, in quo apparet uſura. Quarta conditio eſt, ne detur ad cambia, niſi pro nundinis proximis, vel pro terminis proximis iuxta conuſetudinem, & uſum locorum. Quinta ne termini ad ſolvendum longiores ſtatuantur, quam poſtulet diſtantia locorum nam ſi longiores termini præfigerentur, daretur occaſio committendi uſuras: iſt conditione qui eas non ſervat ſubiacet pænis uſurarium.

4 Pretium Cambii poteſt augeri, vel minui ob maiorem, vel minorem æſtimationem pecuniæ: hæc enim eſt præcipua ratio ſeu titulus ad quem reſpiciunt campſores hoc, tmpore: æſtimatio autem pecuniæ duplex eſt, una dicitur legalis, & naturalis, altera dicitur, accidentalis, ut eſt illa quam habet pecunia ex impoſitione Pricipis; ratione aliquarum cumſtantiarum extrinſecarum iuſta viri prudentis arbitrium, quarum prima eſt inopia pecuniæ, quæ contingit quando multi campſores non habent pecuniam tradendam etiam ſi forte alii, qui non exercent officium campſoris, magnam habeant pecuniæ ſummam, nam caritas, & inopia pecuniæ in noſtro caſu, ſicut etiam abundantia non eſt conſideranda per ordinem ad eos, qui cambia non exercent, ſed per ordinem ad campores. Secunda conditio eſt pauciras, vel multitudo accipientium, aut dantium ad cambium, dico igitur ob variam pecuniæ æſtimationem, quæ oritur ex copia, vel inopia pecuniæ, aut ex multitudine, vel paucitate cambientium, & campſarium variari pretia cambiorum.

Do

De Contractu ſocietatis.

Quid ſit ſocietas, & quænam conditiones ad ipſam requirantur. Cap. 914.

1 SOcietas eſt conventio duorum, vel plurium conferentium ſuam pecuniam, vel induſtriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æſtimabilem ad lucrum commune; nam in ſocietate ſinguli ſocii debent aliquid in commune conferre, ut participes fiant lucri. Quinque conditiones requirnntur ad ſocietatem: Prima eſt ut fundetur in negotiatione licita, & honeſta: quia fundata in negotiatione illicita non eſt obligatoria. Secunda eſt ut ſinguli aliquid conferant in commune, ſive conferant pecuniam ſive operam, ſive induſtriam, &c. Tertia eſt ut ſervetur æqualitas inter ſocios ita ut lucrum, expenſæ, & damna ſint communia omnibus. Quarta conditio, u ſors, ſeu pecunia, quam ſocius in commune contulit, ſubiaceat periculo conferentis ita ut ſi pereat ante opera. ſocii, vel poſt operam abſque culpa ſocii pereat illi, qui eam in commune contulit. Qu nta conditio eſt, ut ſerventur pacta.

Qui nam poſſit ſocietatem contrahere. Cap. 915.

1 COntractus ſocietatis celebrari poteſt ab iis: qui facultatem habent diſponendi ad ſuum libitum de rebus, quas conferuntad ſocietatem. Religioſi non poſſunt ſocietatem celebrare: quia non ſunt ſui juris, nec carentes uſu rationis quia cum non poſſint actus humanos defectu conſenſus exercere, non poſſunt libere diſpon e.

Quomodo fieri debeat diviſio in ſocietate. Cap. 916.

1 DIviſio facienda eſt ad æqualitatem. habita ratione illius, quod quiſque contulit in ſocietatem, unde qui æqualiter poſuit pecuniam, vel induſtriam debet recipere lucrum æquale, inæquale vero ſi, inæqualiter poſuit.

Quomodo ſit habenda ratio damnorum, & expenſarum inter ſocios. Cap. 917.

1 DAmna, quæ patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis, debent eſſe communia, modo non eveniant ex levi culpa ſocii: damna vero propria, quæ ſocius tantum ex occaſione ſocietatis patitur, non debent eſſe communia, neque quæ eveniunt ex levi culpa occaſione ſocietatis: Damnum autem eſt commune, quando res ſocietatis furto ſublatæ fuerunt, ſi abſque culpa ſociorum ſublatæ fuerint. Expenſæ, quæ non ſuperfluæ ſunt à ſocio apponente induſtriam, faciendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis, niſi aliter conventum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum.

Quid requiratur ad contractum ſocietatis circa animalia. Cap. 918.

1 TRes ſaltem conditiones requiruntur ad ſocietatem animalium. Prima eſt ut unuſquiſque ſociorum aliquid conſerat in ſocietatem, ſive conferat animalia, ſive cuſtodiam, ſive induſtriam. Secunda ut ſervetur æqualitas, ita ut damna, expenſę, & lucra provenientia ex cauſa ſocietatis ſint communia. Tertia ut animalia ſtent periculo apponentis, ita ut ſi pereant, pereant apponenti.

De ſocietatibus officiorum. Cap. 919.

1 SOcietas eſt conventio inter ſocium, & officialem, qua ſicut ſocius exponit ſe periculo perdendi ſortem, & acquirendi lucrum, ita officialis exponit ſe periculo perdendi certam pecuniam, & acquirendi ſortem à ſocio collatam; quæ ſocietas ſolo contrahentium conſenſu perficitur verbis, vel nutibus expreſſo, quia hoc eſt commune omnibus contractibus, & propterea poteſt celebrari abſque ſcriptura, & abſque Notarii inſtrumento confecto, & poteſt ab iis iniri, qui facultatem habent diſponendi de re circa quam ſocietatem ineunt: ſed requiruntur aliquæ conditiones ut in Bulla Pii IV. Prima eſt ut in loco extet officium, ſuper quo ſocietas fundatur. Secunda, ut officialis, qui ſocietatem ſuper officium celebrat non aſſumat ſocios ſupra

valorem officii, ſeu non plus pecuniæ accipiat; quam poſtulet officii æſtimatio. Tertia eſt ut officialis ſi moriatur, aut alia ratione amittat officium ante finitam ſocietatem, & ſocius ſupervivat, reſtituatur ipſi ſocio non ſolum lucrum ſex menſium, ſi initio ei ſolutum non fuit; verum etiam ſolvatur pecunia, quam ipſe ſocius tradidit ad ſocietatem officii; hæc conditio non eſt juxta naturam ſocietatis, neque contra naturam ſocietatis, vel præter ſocietatem. Quarta conditio eſt ut ſocius ſi moriatur intra ſemeſtre, officialis acquirat pecuniam acceptam à ſocio. Quinta conditio eſt ut officialis ſolvat ſex pro centum ſingulo ſemeſtri, quandiu durat ſocietas: ſic enim contrahentes convenire ſolent in inſtrumento ſocietatis. Societas officiorum multis modis finitur. Primo finitur lapſu termini. Secundo morte naturali ſocii. Tertio finitur morte illius in quem ſocius tranſtulit periculum amittendę ſortis. Quarto finitur morte ipſius officialis: quia tunc officium redit liberum Principi. Quinto finitur venditione, ſeu translatione officii in alterum.

De ſocietate inter fratres. Cap. 920.

1 FRatres defunctis parentibus habere ſolent bona indiviſa per modum ſocietatis, ita ut lucra, & damna ſint communia: hæc autem ſocietas extendit ſe tantum ad bona hæreditaria, & ad lucra ex illis provenientia, niſi aliter deductum ſit in pactum non autem ſe extendit ad bona aliunde à fratribus acquiſita. Diviſio facienda eſt ad ratam hæreditatis, & pecuniæ poſitæ in ſocietate; ita ut ſi fratres habeant bona inæqualia ratione hæreditatis: finita ſocietate bona dividantur juxta portiones, quas unuſquiſque contulit, niſi aliter juſte conventum ſit: fratres indiviſi ex bonis communibus poſſunt facere ſumptus ordinarios, & competentes; extraordinarios vero non poſſunt, ut ſi unus fratrum propter aliquod delictum cogatur ſolvere pœnam, vel faciat aliquos ſumptus propter inimicitiam, non poteſt hos ſumptus facere de communibus ſocietatis bonis.

Quænam bona ſint à fratribus ad partitionem adducenda ſecluſa ſocietate.
Cap. 921.

1 OMnes deſcendentes legitimi, quibus debetur legitima ab inteſtato, ſive ſint maſculi, ſive fæminæ, ſive ſint emancipati, ſive ſint conſtituti ſub patris poteſtate, volentes ſuccedere parentibus, ideſt patri, vel matri decedentibus cum teſtamento, vel etiam ab inteſtato, tenentur jure novo conferre ea, quæ acquiſierunt ex bonis illius, cui volunt ſuccedere, modo ipſis expreſſe, vel tacite per conjecturas non præſumatur condonata obligatio conferendi ab eo, cui volunt ſuccedere (l. 1. ut liberis C. de collationibus:) Bona ſolum profectitia, quæ filius accepit à patre, vel ab avo, cui ſuccedit in hæreditate, adducenda ſunt à filio cum reliquis, quibuſcum ſuccedit in hæreditate Bona vero caſtrenſia, vel quaſi non ſunt conferenda, quia dominium eorum pleno jure pertinet ad filium (l. 1. §. nec caſtrenſe ff. de collatione bon.) bona etiam adventitia, quoad proprietatem non conferuntur, quia hujuſmodi bona pertinent ad filium quoad proprietatem, quia ſic decernitur l. ult. C. de collationibus, imo neque conferuntur quoad uſum fructum, quando uſus fructus bonorum adventitiorum pertinet ad filium, aut quando tacite, vel expreſſe uſus fructus pleno jure pertinet ad filium; quare ſola bona profectitia ſunt conferenda. Bona autem profectitia ſunt in duplici differentia, alia dicuntur proprie profectitia, quorum dominium pertinet ad patrem, & hæc certum eſt reponenda eſſe in acervo bonorum patris; etiam ſi filius, qui ea poſſidet nolit ſuccedere in hæreditate: ſunt enim bona ipſius defuncti patris: alia dicuntur profectitia, quorum dominium pertinet ad filium, & in tantum vocantur profectitia, in quantum profecta ſunt à patre: & in quantum filius volens ſuccedere in hæreditate patris, tenetur ea conferre cum aliis, qui ſuccedunt in eadem hæreditate; qui vero aliquid accepit à parente cauſa dotis, vel ad ordines, vel ad aliquid aliud conferibile, non tenetur conferre cum aliis, ſi velit ab hæreditate abſtinere contentus re ſibi tradita: imo hic poterit exigere ſi quid ſibi promiſſum eſt à parente cauſa dotis, vel alia ſimili de cauſa.

a Mul-

2 Multæ conditiones requiruntur in collatione: Prima eſt, ut qui tenetur conferre ſit filius, vel alius deſcendens, cui debeatur legitima: Secunda eſt ut ſit capax ſucceſſionis. Tertia ut velit ſuccedere tamquam hæres, ſeu titulo univerſali, nam ſi velit ſuccedere ſolum titulo particulari, ut titulo legati, & velit abſtinere ab hæreditate contentus re inter vivos accepta, non tenetur conferre. Quarta conditio eſt, ut bona, quæ quis debet conferre provenerint ex bonis illius, de cujus ſucceſſione agitur.

Quibus modis finiatur ſocietas. *Cap.* 922.

1 MUltis modis finitur ſocietas. Primo finitur finito tempore ad ſocietatem conſtituto, aut finita negotiatione *l. actione §. item ſi alicujus, ff. pro ſocio.* Secundo finitur per renunciationem; ideſt per voluntatem, & conſenſum mutuum ſociorum. Tertio ſocietas finitur morte alicujus ſocii, etiam ſi ſocietas cum pluribus contracta fuerit. Quarto finitur egeſtate alterius ſocii, ut quando alter ſocius non poteſt contribuere promiſſam pecuniam: aut quando bona ipſius publicantur: aut quando preſſus ære alieno ceſſit bonis ſuis l. actiones ff. pro ſocio.

De Conductione, & locatione.

Quid ſit locatio, & quænam locari poſſint. *Cap.* 923.

1 LOcatio eſt contractus, quo conceditur mercede perſona, vel res ad uſum, vel fructum: quia non ſolum res mobilis, vel immobilis poteſt locari: ſed etiam homo poteſt ſeipſum, vel operam ſuam alteri locare. Omnes, quæ vendi poſſunt, poſſunt locari, niſi ſpecialis exter aliqua prohibitio, quia non requiritur plus ad locandum, quam ad vendendum. Res Eccleſiæ locari poſſunt ſed ad breve tempus unde in Clementina, quæ incipit Ambitioſæ cautum eſt graviſſimis pœnis, ne de rebus Eccleſiæ, ut fundis, domibus, prædiis, locatio fiat ultra triennium, alioquin invalida ſit locatio Licitum eſt conductori rem quam ipſe conduxit alteri locare æque idoneo, & ad eumdem finem. Qui facultatem habet emendi, & vendendi, poteſt contractum locationis, & conductionis inire, niſi ſpecialiter prohibeatur: quia non plus requiritur ad contractum locationis, & conductionis quam ad contractum emptionis, & venditionis.

De Obligatione locationis. Cap. 924.

1 LOcator tenetur aperire conductori vitium rei locatæ, & ad reſarciendas expenſas neceſſarias factas à conductore, in reſarcienda re conducta, & ad reſarciendas expenſas utiles, quæ duraturæ ſunt ultra conductionis tempus; tenetur etiam ad onera, & tributa impoſita pro re locata niſi aliter convenerit cum conductore, vel niſi aliter poſtulet locorum conſuetudo, & ideo locator tenetur ad taxam ſeu tributum, quod pro domo ſolvi conſuevit; ad onera vero impoſita pro fructibus non tenetur locator, ſed conductor, qui percipit fructus. Locator non poteſt rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore; niſi in his caſibus. Primo quando conductor, cui res ad quinquenium, vel ad plures annos fuit locata, per bienium continuum ultra terminum præfixum diſtulit ſolutionem penſionis debitæ pro re conducta (L. cum domino ff. locati.) Secundo quando conductor abutitur re conducta, ut quando collocat meretricem in domo conducta, aut alio pacto male utitur re conducta. Tertio, quando locatori ſupervenerit inopinatus eventus: quo ipſi neceſſe eſt domum ſuam habitare. Quarto quando domus in diget reparatione, qua non indigebat tempore locationis, & reparatio fieri non poteſt, niſi conductor expellatur domo.

De Obligatione conductoris. *Cap.* 925.

1 QUatuor obligationes, ſeu conditiones requiruntur ex parte conductoris. Prima eſt ut conductor non poſſit uti re conducta, niſi ad eum uſum ad quem conduxit, niſi aliter coniiciat de mente locatoris Secunda conditio eſt, ut conductor non poſſit abſque juſta cauſa rem conductam dimittere, nondum expleto locationis tempore, quia tenetur ſtare contractui. Tertia conditio eſt, ut conductor

tranſacto locationis tempore teneatur rem conductam eodem numero, & integram reſtituere, niſi aliter conventum ſit. Quarta conditio eſt ut conductor ſolvat penſionem tempore conſtituto, conductor autem ſi non potuit uti re conducta, aut fructus ex ea percipere propter aliquod impedimentum ſuperveniens abſque ſua culpa, non tenetur ſolvere penſionem ad ratam temporis quo non potuit uti re conducta.

De conductione famulorum, aliorumque officialium, & juſto ipſorum ſtipendio. Cap. 926.

1 Validus, & licitus eſt contractus, quo famulus, aut alius mercede locat alteri operas ſuas ad rem licitam, nam ad rem illicitam nullus poteſt operam ſuam alteri locare, nam quilibet ſeſe retrahere debet à re illicita. Famulis, aliiſque officialibus ſolvendum eſt ſtipendium juſtum, modo fideliter laboraverint, nec aliter conventum ſit, quia operarius, & mercenarius dignus eſt mercede ſua: imo quando præſtitit aliqua obſequia, ad quæ alias non tenebatur poteſt ſibi compenſationem facere in rebus domini, quando non præſtitit animo liberali, & gratis.

Quibus modis finiatur locatio, & utrum locatio tranſeat ad hæredes. Cap 927.

1 Locatio duobus modis finitur. Primo lapſu termini conſtituti (l. nec ſui licet C. de locato:) quando autem conductor finito conductionis tempore, permanſit in domo, ſciente, & patiente locatore videtur tacite domum reconduxiſſe, pro eodem pretio, & cum iiſdem conditionibus, non autem cum iiſdem fidejuſſoribus, niſi iterum promittant. Secundo finiri poteſt mutuo contrahentium conſenſu. Locatio tranſit ad ſucceſſorem univerſalem: qui ſcilicet non ſolum ſuccedit in re locata, verum etiam in aliis, nam vicem gerit prædeceſſoris illiuſque perſonam repræſentat, & ſuccedit in ipſius jura & onera realia. Succeſſor vero ſingulari, qui ſcilicet ſuccedit in re particularis, & non in aliis, qualis eſt emptor, donatarius, vel legatarius non tenetur ſtare contractui locationis celebrato ab eo cui ſuccedit in re particulari (l. emptorem C. de locatione, quia ſingularis ſucceſſor non repræſentat perſonam locatoris.

De feudo, & emphyteuſi.

Quid ſit feudum, & emphyteuſis, & quotuplex, & quis poſſit dare, vel accipere in Emphyteuſim, & quæ res dari poſſit. Cap. 928.

1 Emphyteuſis eſt contractus, quo quis tradit rem ſuam immobilem alteri, quoad dominium utile, ſub certa penſione reali ſolvenda in recognitionem dominii directi (l. 1. C de jure emphyteutico). Feudum, quod dictum eſt à fide, ſeu fidelitate eſt contractus, quo infeudator, ideſt dominus feudi tradit feudatario, ſive vaſallo rem ſuam immobilem quoad dominium utile cum onere obſequii, & ſervitii perſonalis, differentia autem eſt inter feudum, & Emphyteuſim: quia quamvis in utroque transferatur dominium utile in recipientem remanente dominio directo apud tradentem: nihilominns differentia eſt ratione penſionis, nam quatenus penſio eſt perſonalis, ideſt conſiſtens in obſequio perſonali dicitur feudum, quatenus vero penſio eſt realis, ideſt conſiſtens in pecunia, vel frumento, vel alia re ſimili dicitur Emphyteuſis. Emphyteuſis alia eſt perpetua, ut eſt illa quæ conceditur abſque temporis præfinitione, alia temporalis, ut eſt illa quæ conceditur ad unam, vel duas, vel tres, vel plures generationes, ideſt vitas emphyteutarum: Rurſus alia eſt Eccleſiaſtica, alia communis, ſive profana; inſuper alia eſt nova, quæ ſcilicet primo inſtituitur, alia eſt vetus, & antiqua, quæ jam antea fuit inſtituta; denique alia eſt hæreditaria ſimpliciter; alia hæreditaria mixte, & alia familiaris. Hæreditaria ſimpliciter dicitur illa, quæ concedi ſolet pro omnibus hæredibus quamvis extraneis, ex quo fit ut illa dicatur emphyteuſis hæreditaria, quæ conceditur alicui, & ejus hæredibus, nomine enim hæredum comprehenduntur etiam extranei. Hæreditaria mixte dicitur illa, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, ſed non pro omnibus: familiaris dicitur illa, quæ conceditur ſolum pro iis qui ſunt de familia, quamvis non ſint hæredes juxta pactum poſitum in inveſtitura.

2 Ille

2 Ille poteſt dare in Emphyteuſim, qui habet alienandi poteſtatem, nam contractus Emphyteuticus eſt ſpecies alienationis per quam dominium utile in alium transfertur; omnes poſſunt accipere in Emphyteuſim: qui rem in Emphyteuſim datam meliorem efficere poſſunt. In Emphyteuſim dari poſſunt res immobiles pertinentes ad dominium directum, quæ meliores reddi poſſunt.

De Conditionibus, aliiſque circumſtantiis concurrentibus ad Contratum Emphyteuticum. Cap. 929.

1 Conditiones, & circumſtantiæ, quæ præſcribuntur jure communi § 1. & 3 C de jure Emphyteutico in celebratione contractus Emphyteutici, ſunt ſequentes. Prima conditio eſt, ut Contractus Emphyteuticus celebretur per ſcripturam, niſi aliter receptum ſit, alicubi per contrariam conſuetudinem. Secunda conditio eſt ut contractus fiat de rebus immobilibus, & fructiferis, & ſolo adhærentibus, ut agris, domibus, &c: Tertia conditio eſt, ut bona, quæ ſubiiciuntur Emphyteuſi non ſint bona Eccleſiæ, quæ tradi non conſueverunt in Emphyteuſim, Prælatus enim ſeu beneficiarius non poteſt bona Eccleſiæ concedere in Emphyteuſim. Quarta conditio eſt, ut dominium directum perſeveret apud priorem dominum; dominium vero utile transferatur in Emphyteutam. Quinta conditio eſt quotannis ab Emphyteuta ſolvatur certa penſio, ſeu canon conſiſtens in pecunia, vel in fructibus juxta conventionem, unde qui per duos annos ceſſavit à ſolutione canonis cadat ab Emphyteuſi, & amittat rem emphyteuticam cum omnibus melioramentis in ea factis, niſi purgaverit moram celeritate ſolutionis, quod procedit in Emphyteuſi Eccleſiaſtica: nam in emphyteuſi ſæculari, emphyteuta qui triennio ceſſavit ſolvere canonem incidit in caducitatem, nec poteſt purgare moram celeritate ſolutionis; ſi loquamur de rigore juris; ſtatim enim amittit rem, modo dominus directus declaret velle ſibi rem emphyteuticam applicari. In ſolvenda autem penſione ſtandum eſt conventioni contrahentium, vel conſuetudini locorum, ſi aliter non fuit expreſſum Sexta conditio eſt quo emphyteuta privari poſſit re accepta in Emphyteuſim quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel levi emphyteutæ. Septima conditio eſt, quamvis emphyteuta poſſit rem Emphyteuticam (modo non ſit res Eccleſiæ) oppignorare, vel permutare, vel hypotecare, vel donare, vel legare, vel tradere in ſolutionem quo ad jus, quod ipſe habet: cum hoc à jure non prohibeatur, non tamen poſſit rem emphyteuticam, & ejus melioramenta per venditionem alteri tradere ſecundum jus utile, quod ipſe habet, aut locare in decennium, ſeu tradere alteri in Emphyteuſim, ſeu libellum abſque conſenſu domini directi ſaltem implicito, & præſumpto, vel non admonito domino directo, num velit ipſe eodem pretio emere. Octava conditio eſt ut in re Emphyteutica illi tantum ſuccedant, qui in inveſtitura, ſeu contractu emphyteutico exprimuntur.

De iis quæ pertinent ad contractum Feudi.

Quotuplex ſit Feudum. Cap.930.

1 Feudum aliud eſt proprium, aliud improprium. Proprium eſt illud, quod Feudi naturam ſervat, Improprium dicitur illud, quod naturam habet impropriam ſeu quod ex pacto naturam Feudi mutat, ob id vocatur Feudum ex pacto, ſeu providentia, quia acquiritur vigore pacti, & ex inveſtitura derogatur juri quod alioquin domino competeret. Secundo Feudum aliud eſt regale, aliud non regale: regale eſt illud, quod à Principe, qui ſuperiorem non agnoſcit obtinetur ut à Papa, Imperatore, vel Rege: & præter juriſdictionem confert etiam titulum honorificum, ſeu dignitatis nomen, ut Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus. Tertio Feudum aliud eſt antiquum, aliud paternum, & aliud novum. Antiquum eſt illud, quod majores communis agnationis habuerunt ſupra quartum gradum. Paternum, quod poſſederunt parentes, ſeu progenitores uſque ad quartum gradum. Feudum novum, quod non obtinetur à ſucceſſione, ſed in ipſa inveſtiti perſona cæpit, vel jam effectum nobilem demonſtrat, ut cum ab Imperatore, vel rege conceditur. Ignobile, quod non confert nota-

notabilitatem, ut eſt Feudum, quod confertur à privatis hominibus. Quinto aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud ſæculare. Eccleſiaſticum eſt quod, vel confertur ab Eccleſia vel confertur ipſi Eccleſiæ, Sæculare, quod à laico accipitur. Sexto aliud eſt Maſculinum, aliud fœmininum. Maſculinum maribus tantum confertur, fœmininu etiam fœminis. Septimo aliud eſt hæreditarium, aliud non hæreditarium. Hæreditarium quod ad hæres, licet extraneos tranſmitti poteſt hæreditarium quod non poteſt tranſmitti ad hæredes ex traneos, ſed ad filios, ſeu agnatos, etiam ſi forte non ſint hæredes Octavo aliud eſt reale, aliud perſonale: reale quod hæredes tranſit, perſonale quod non excedit perſonam accipientis. Nono aliud eſt dividuum, aliud individuum: individuum, quod dividi non poteſt, ut ſunt regnum, Ducatus, & alia dignitatem habentia, dividuum dividi poteſt, ut ſunt illa, quæ dignitatem non habent. Decimo aliud eſt ligium, aliud non ligium; ligium quo quis jurat alicui, ſe ei fidelem futurum nullo excepto. Non ligium vero, quo quis jurat alicui, fidelitatem excepto ſupremo domino. Undecimo aliud eſt francum, aliud non francum; francum quod liberum eſt à pœnalibus feudorum legibus. Non francum quod non eſt liberum, & exemptum à ſervitiis.

Quinam dare poſſint in feudum. Cap. 931.

1 OMnes qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem habent, dare poſſunt in feudum, niſi aliquo jure prohibeantur: quia quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter. Jure tamen feudorum facultas dandi in feudum iis tantum competere videtur, qui dignitatem, & juriſdictionem habent, nam feudum ſupponere ſolet vaſallos in quos juriſdictio exerceri poſſit.

Quinam feudum accipere, aut feudum ſuccedere poſſint. Cap. 932.

1 OMnes regulariter loquendo feudum accipere poſſunt: quod non eſt verum in iis qui feudum accipiunt à vaſallis: vaſallus enim non poteſt in præjudicium Domini principalis feudum dare: ſi autem loquamur de ſucceſſione in feudum, illi ſuccedunt in feudum, quos inveſtitura comprehendit, & quos jus, vel conſuetudo non excludit, unde illegitimi non ſuccedunt in feudo, quia excluduntur à jure, niſi legitime efficiantur per ſubſequens matrimonium: non autem ſi efficiantur legitimi per privilegium principis, ſic filii adoptivi non ſuccedunt, quia jus illo excludit.

Quænam conditiones ad feudum requirantur. Cap. 933.

1 QUatuor ſaltem conditiones ad contractum feudi requiruntur. Prima eſt ut dominium directum perſeveret apud priorem, dominium vero utile transferatur in vaſſallum. Secunda eſt ut feudum conſtituatur ſuper re immobili, vel habita ut immobili, ut ſuper agro, pago, urbe, &c. Tertia ut vaſſallus non alienet feudum ſine conſenſu domini directi, ad quem pertinet inveſtire, & emittere in poſſeſſionem: alioquin vaſſallus cadit à feudo, etiam ſi alienando pro teſtaretur ſe alienare ſalvo, & reſervato conſenſu domini directi. Quarta ut vaſſallus præſtet obſequium, & ſervitium perſonale ſi exigatur, alioquin incidit in caducitatem. Quinta eſt ut vaſſallus à Domino inveſtiatur, & in poſſeſſionem feudi mittatur, præmiſſo fidelitatis juramento.

Quænam ſit materia feudi, ſeu quænam res in feudum dari poſſit. Cap 934.

1 REs, quæ in feudo datur debet eſſe res immobilis, vel quæ pro immobili habeatur, quia ita conſuetudine receptum eſt; res autem, quæ in feudum datur debet eſſe ipſius tradem libere, & non alteri obligata: quia nullus poteſt jus in alterum transferre, quod ipſe non habet.

Quas obligationes contrahat, & quæ jura acquirat dans, vel accipiens in feudum. Cap. 935.

1 VAſſallus ſeu feudatarius, qui feudum accipit multas contrahit obli-

obligationis. Prima eſt ut præſtet juramentum fidelitatis, vel etiam obſequii, ſi dominus obſequium inponat; juramentum tamen non eſt de ſubſtantia feudi, ſed promiſſio fidelitatis: alias enim non præſtabatur juramento: neque actuale obſequium exhiberi ſolet poſt acquiſitionem feudi: tenetur tamen vaſſallus domino exigenti promiſſum obſequium, & ſervitium per ſe ipſum inſervire; quia feudum datur ob fidem perſonæ, poteſt tamen alium de conſenſu Domini in ſui locum ſubrogare, & ſubſtituere qui munus ſuum perſolvat. Secunda obligatio eſt, ut vaſſallus præſtet obſequium domino promiſſum. Tertia obligatio ut vaſſallus non alienet feudum abſque conſenſu domini directi, in alienatione autem feudi ſufficit domini conſenſus, dum alienatio facta abſque illius conſenſu vergeret ſolum in ipſius damnum, & injuriam: tunc enim nullus præter dominum patitur injuriam, ſi vero vergeret in aliorum injuriam, ſeu damnum; accedere debet conſenſus aliorum: quia in omni negotio neceſſarius eſt illorum conſenſus, quorum intereſt: feudarius, ſeu vaſſallus poteſt acquirere feudum, & obligationes feudi tribus modis. Primo inveſtitura. Secundo ſucceſſione. Tertio præſcriptione.

Quibus de cauſis vaſſallus feudum amittat. Cap. 936.

1 Triplici de cauſa poteſt vaſſallus feudum amittere. Prima eſt, crimen ingratitudinis modo ingratitudo talis ſit quæ ob ſui gravitatem feudi privationem mereatur. Secunda cauſa eſt duplex crimen commiſſum in perſonam diverſam à domino directo. Prima crimen eſt fratricidium: præſertim ſi frater alterum fratrem o cidet ſpe totius hæreditatis obtinendæ. Secundum crimen eſt homicidium proditorium. Tertia cauſa quinque modis contingit. Primo lapſu termini præſcripti in inveſtitura. Secundo morte vaſſalli, non relictis filiis legitimis, vel agnatis. Tertio profeſſione in Religione incapaci. Quarto præſcriptione triginta annorum. Quinto renuntiatione.

Ad quos redeat feudum, dum vaſſallus illud amittit. Cap. 937.

1 Quando feudum amittitur lapſu termini, vel morte vaſalli, non exiſtentibus agnatis aut morte civili per profeſſionem in Religione incapaci feudum redit ad dominum: quia ſub hac conditione traditum fuit vaſſallo: quando amittitur ob alienationem ſine conſenſu domini factam, vel ob aliam culpam ipſius vaſſalli transfertur ad agnatos, excluſis filiis deſcendentibus modo feudum non ſit novum, aut aliud quid non obſtet. Quando feudum amittitur præſcriptione transfertur in illum, qui legitime præſcripſit, quia ipſe jus acquiſivit.

Coram quo judice cauſa feudalis agenda ſit. Cap. 938.

1 Quando inter vaſallos, ſaltem laicos, non inveſtitos à rege, vel principe lis eſt de feudo quis ſcilicet illorum ius in feudo habeat, judex competens eſt dominus feudi, dum ipſe vult judicare: quia dominus feudi conſtituitur judex à judice, qui habet juriſdictionem ordinariam.

Utrum bona delinquentis fiſco addicta, vel addicenda poſſint ſubiici Emphytheuſi aut alia ratione alienari.

Quænam bona pertineant ad fiſcum, quando bona delinquentis publicantur. Cap. 939.

1 Ea bona pertinens ad fiſcum, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo bona ipſius publicantur, modo bona non ſint affixa perſonę; quia fiſcus ſecuta publicatione ſuccedit in jura delinquentis.

Utrum alienatio valida ſit, nec ſit revocanda à fiſco, quoties aliquis commiſit aliquod delictum, propter quod bona non publicantur ipſo jure ſed publicanda ſunt per ſententiam. Cap. 940.

1 Quælibet alienatio facta à delinquente, cui ob delictum non eſt interdicta bonorum adminiſtratio, & cujus bona non

non publicantur ipſo jure valida eſt, modo non ſit facta in fraudem fiſci, aut poſt ſententiam: quia delinquens habet liberam bonorum adminiſtrationem, cum ei non ſit interdicta; nam ſi facta ſit in fraudem fiſci, poteſt fiſcus poſt ſententiam confiſcationis eam revocare (L. in fraudem ff. de jure fiſci,) alienationes autem factæ poſt ſententiam non interpoſita appellatione valent; factæ vero pendente appellatione ſunt invalidæ, quia ſententia per appellationem ſuſpenditur. Lata vero ſecunda ſententia confirmatoria primæ ſententiæ, revocantur alienationes factæ pendente appellatione.

Utrum ſint validæ alienationes factæ poſt aliquod crimen, propter quod bona ipſo jure publicantur, & utrum alienans peccet, & teneatur reſtituere, Cap. 941.

1 Alienationes factæ poſt aliquod crimen, propter quod bona ipſo facto plublicantur, vel bonorum adminiſtratio à die commiſſi criminis interdicitur ſecundum ſe videntur validæ. quia fiunt ab eo, qui non amiſit dominium aut liberam bonorum adminiſtrationem, ex quo fit, ut qui accepit non teneatur ad reſtitutionem ante ſententiam, nam acquiſivit dominium, ſed per accidens, ut interveniente dolo dante ipſis cauſam ſunt invalidæ, verum ſecuta ſententia declaratoria criminis confiſcatio retrotrahitur ad diem commiſſi delicti, ac ſi tunc bona confiſcata fuiſſent, unde ab eo die reſcinduntur omnes alienationes quovis titulo factæ circa bona delinquentis, & omnia ipſius bona devoluuntur ad fiſcum; etiam ſi ad multos bonæ fidei poſſeſſores ſucceſſive pervenetint, ſecluſa præſcriptione: quia fiſcus ab eo die acquiſivit ius, & hypothecam in bona delinquentis. Delinquens, qui commiſit aliquod delictum, propter quod bona ipſo facto publicantur, & bonorum adminiſtratio interdicitur graviter peccat non ſolum ſi alienet bona poſt ſententiam declaratoriam, cum dicatur alienare bona aliena, verum etiam ſi alienet ante ſententiam cum periculo gravis damni alterius, ut quando alienat contractu oneroſo abſque neceſſitate, non admonito accipiente de periculo quia exponit accipientem periculo damni, non autem peccat, ſed valide alienat alienando ob neceſſitatem nec à fiſco poteſt recuſari: quia interdicta alienatione non cenſetur interdicta alienatio neceſſaria. Ille, cujus bona ſunt ipſo facto addicta fiſco, non tenetur ante judicis ſententiam reſtituere bona fiſco; quia leges humanæ non obligant cum tanto incommodo ad pœnam propria actione ſubeundam, quia uſu, & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, receptum eſt, ut nemo ante ſententiam judicis ſe privet re, quam poſſidet unde non tenetur per ſe ipſum reſtituere: tenetur autem non reſiſtere.

Utrum fiſcus teneatur ſatisfacere creditoribus, quando bona delinquentis devolvuntur ad fiſcum, & utrum ipſe delinquens teneatur reſtituere in defectum fiſci. Cap. 942.

1 Publicatis bonis criminoſi, fiſcus debet ſatisfacere debitis contractis à criminoſo, quia publicantur ſola bona criminoſi; bona autem alicujus dicuntur ea quæ remanet deducto ære alieno: quia quamvis fiſcus non dicatur proprie hæres criminoſi, cum fiſcus ſuccedat delinquenti adhuc viventi, vivens autem non poſſit habere hæredem, tamen eſt ſucceſſor univerſalis, unde par eſt ut ſuccedat in onera delinquentis, quod procedit in debitis ante delictum. Is, cujus bona confiſcantur, non tenetur reſtituere creditoribus ſi fiſcus non ſatisfaciat, etiam ſi criminoſus aliunde acquirat bona, ad pinguiorem redeat fortunam, modo bona, quæ confiſcantur ſint ſufficientia ad perſolvenda debita, & modo delinquens ex privilegio Principis rurſus non obtineat eadem bona: quia criminoſus per confiſcationem liberatur ab obligatione erga debitores, & tota obligatio traſmittitur ad fiſcum (l. 1. C. de fideiuſſoribus,) quæ lex cum non fundetur in pacta præſumptione, neque hoc ſtatuat in pœnam videtur valere non ſolum in foro externo. verum etiam in foro conſcientiæ: ſi autem ei reſtituantur bona ex privilegio Principis, tenetur ſatisfacere creditoribus: ſi autem bona confiſcata non ſufficiant, ad ſatisfaciendum creditoribus, & factæ ſint etiam à fiſco aliquæ expenſæ, debet fieri prius ſatisfa-

tisfa-

Digitized by Google

tiſfacto creditoribus: nam expenſæ quæ ſunt ad pœnam delinquentis imponendam pertinent ad fiſcum (l. 1. C de muliere,) quæ ſe publice commiſcuit.

De Fidejuſſione, & aſſicuratione.

Quid & quotuplex ſit fidejuſſio. Cap. 943.

1 FIdejuſſio, quę ſignificat fidem ſuam alteri jubere, ac dare, eſt contractus, quo quis in ſe ſuſcipit obligationem alterius, promittens ſub fide ſua illius adimpletionem, ſeque in illius defectum obligans, unde non tenetur ad plura, aut majora, quam teneatur principali, pro quo fidejubet, & ideo invalida eſt fidejuſſio, quando contractus quo debitor principalis ſe obligavit eſt invalidus, ſecluſo dolo, & fraude (l. cum lex ff. de fidejuſſoribus;) non tenetur fidejuſſor debita ante judicis ſententiam ſolvere: quia non tenetur principalis, nec debet conveniri antequam ſolutio petatur à principali debitore: fidejuſſor manet liber ab obligatione quando creditor prorogavit terminum debitori: ſi ſe obligaverat ad aliquod tempus, ut ad annum, fidejuſſor; qui fidejuſſit pro reo, cui periculum capitis impendebat non eſt plectendus capite reo fugiente, quia fidejuſſor non præſumitur ſe obligaſſe ad hanc pœnam.

2 Fidejuſſor poteſt agere contra debitorem, ut liberetur à fidejuſſione. Primo quando fidejuſſor condemnatus fuit ad perſolvendam fidejuſſionem. Secundo quando debitor vergit ad inopiam. Tertio quando debitor multo tempore fuit in mora ſolvendi poſt elapſum tempus conſtitutum ad ſolvendum; vel quando ita conventum eſt ab initio inter ipſos: fidejuſſor poteſt pecuniam accipere pro fidejuſſione, quia ſuſcepit obligationem ad ſolvendum quæ eſt prætio æſtimabilis, nec tenetur gratis ſuſcipere licet nullum patiatur periculum, moleſtias, vel laborem: debitor autem non ſolum reſtituere tenetur debitum, quod fidejuſſor pro ipſo ſolvit, ſed etiam expenſas, & damna, quæ paſsus eſt.

3 Fidejuſſio duplex eſt, judicialis, & privata, ſeu extrajudicialis. Judicialis fit in judicio quando quis fideiubet ad conſtituendum reum ſub pęna pecuniaria; qui non conſtitua t tenetur penam ſolvere. Privata fidejuſſio eſt quando quis ſe obligat extra judicium in defectum principalis ad ſolvendum.

Quis poſſit fidejubere. Cap. 644.

1 ILle poteſt fidejubere, qui habet bona ad ſatisfaciendum in defectum principali, modo habeat liberam illorum bonorum adminiſtrationem, nec repellatur à jure: unde repellendus eſt à fidejuſſione: Primo Pauper. Secundo Pupilli, quia non habent liberam bonorum adminiſtrationem, unde non poſſunt abſque tutore ſe obligare; idem dic de filio familia, & de minore. Tertio Religioſi ſaltem ſine licentia ſuperioris. Quarto Clerici: qui extra neceſſitatem non poſſunt pro laicis ſub pœna diſpoſitionis frequenter fidejubere. Quinto Mulier, quæ ſi fidejubeat pro viro invalide fidejubet: poteſt tamen mulier fidejubere: Primo accepto pretio, vel addito iuramento ad confirmandam fideiuſſionem; Secundo ſi ceſſit privilegio ſibi conceſſo in (l. 2. ff. ad Senatus conſult. Velleian. Tertio ſi fideiubeat pro dote alterius Quarto ſi fideiubeat, & ſe obliget pro ſuo creditore iuxta quantitatem illius quod debet. Quinto ſi ſe obliget ad aliquid ſolvendum pro libertate alicuius ſervi. Sexto quando fideiuſſit in fraudem, ut deciperet. Septimo ſi fideiuſſit, & poſtea elapſo anno pignus dedit, aut obligationem iterum ſuſcepit.

Utrum contractus aſſecurationis licitus ſit. Cap. 945.

1 CContractus aſſecurationis non eſt uſurarius, ſed licitus, modo iuſtum intercedat pretium pro ratione periculi, & eſt ſequentes conditiones; Prima habeat ut adſit æqualitas inter pretium datum aſſecuranti, & obligationem, quam aſſecurator in ſe ſuſcipit conſideratis circumſtantiis temporis, loci & perſonarum. Secunda conditio eſt ut qui petit aſſecurationem, non cogat alterum ad contractum aſſecurationis ſecum ineundum, alioquin imponeret obligationem pretio æſtimabilem, ad quam aſſecurator non tenetur. Tertia, ut aſſecurator ab eo qui petit aſſecurationem admoneatur de veris periculis, quibus res aſſecuranda ſubiàcet, cum pericula non ſint omnibus nota. Quarta ut res de qua contractus aſſecu-

aſſecurationis initus exiſtat. Quinta ut res non ſolum ſubſiſtat; ſed etiam ſit periculo expoſita: alioquin ſi aſſecurator ſciat ante contractum rem ſcilicet perveniſſe ad portum, vel ad terminum, ad quem erat deferanda, nihil accipere poteſt.

De Pignore.

Quid ſit pignus, & quænam poſſint in pignus tradi. Cap. 946.

1 Pignus eſt contractus, quo res alicui traditur ad ſecuritatem crediti, & differt hypotheca: quia pignus eſt de mobili: hypotheca de re immobili, quæ obligatur creditori, vel remanet apud debitorem. In eo qui bona aliqua pignori ſubiicit, requiritur libera bonorum adminiſtratio; Omnia quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam pignori tradi; quia minus eſt tradi pignori, quam vendi; nam per venditionem transfertur dominium rei, non autem per contractum pignoris: ſequitur ergo non poſſe tradi pignori, quæ nequeunt alienari: ut ſunt res ſacræ, quæ non poſſunt in pignus dari ſaltem ſeclusa neceſſitate, quia non poſſunt vendi: Homo tamen liber poteſt fieri obſes, præſertim in cauſa belli: Pignus conventionale, ſi debitor ſit in mora ſolvendi vendi poteſt à creditore, dum inter creditorem, & debitorem conventum erat ut illud vendere poſſet. Si inter creditorem, & debitorem nihil actum erat de facultate vendendi pignus, creditor non poteſt vendere pignus niſi præmiſſa una denunciatione, ſeu monitione, & elapſis duobus annis, ſi vero conventum eſt inter creditorem, & debitorem, ut pignus non vendatur, creditor non poteſt vendere pignus.

Quotuplex ſit pignus, & hypotheca, & quod modis obligatio ſolvatur, & quænam actiones oriantur. Cap. 947.

1 Pignus, & hypotheca duplex eſt, expreſſa ſcilicet, & tacita. Expreſſa eſt quæ ex partium conventione celebratur, & eſt triplex pignus, conventionale, prætorium, & judiciale. Conventionale, eſt illud quod pactis, & conventione privatorum hominum contrahitur. Prætorium conſtituitur prætore jubente. Judiciale officio, & ſententia judicis contrahitur. Hypotheca tacita eſt, quæ implicite involuitur in alio contractu ex juris diſpoſitione, qualis Hypotheca reperitur. Primo in bonis mariti, quæ implicite, & tacite ſunt oppignorata pro dote ita jure diſponente. Secundo in bonis miniſtrorum Eccleſiæ, quæ ſunt hypothecata pro mala adminiſtratione, in bonis promittentis dotem donec illam tradiderit, in bonis contrahentis cum fiſco; in bonis patris adminiſtrantis bona filii: In fructibus fundi conductoris pro penſione fundi, Pignus, & hypotheca adhuc eſt duplex, generalis, & particularis. Generalis extenditur ad omnia bona præſentia, & futura; Particularis eſt illa qua res certa obligatur, & obligata remanet apud quemcumque poſſeſſorem perveniat.

2 Obligatio pignoris ſolvitur multis modis. Primo data ſatisfactione creditori, cui datum erat pignus: Secundo lapſu temporis ad quod uſque datum fuerat pignus, in ſecuritatem debiti; Tertio alienatione pignoris facta de conſenſu expreſſo, vel tacito creditori, vel poſt factam ratificata ab ipſo creditore, modo alienatio valida fuerit. Quarto emptione pignoris, dum ſcilicet ipſe creditor emit pignus à ſuo debitore. Quinto aſſertione ipſius creditoris affirmantis expreſſe, vel tacite rem ſibi obligatam non eſſe, tunc enim cenſetur remittere obligationem pignoris, Sexto ſententia judicis, declarantis debitorem liberum eſſe ab hujuſmodi obligatione. Septimo dum debitor offert creditori debitam pecuniam: ſed creditore nolente illam accipere, debitor coram teſtibus fide dignis deponit illam. Octavo novatione voluntaria: ideſt extinctione, & translatione prioris debiti in aliam obligationem. Duæ actiones oriuntur ex pignore. Prima eſt hypothecaria ſive ſerviana, quæ eſt actio realis, & hæc competit creditori ad poſſidendum pignus. Secunda eſt pignoratitia, quæ eſt actio perſonalis: quia oritur ex contractu pignoris.

De contractu dotali, ſeu de dote.

Quid ſit, dos, & quotuplex. Cap. 948.

1 Contractus dotalis, eſt conventio: ſeu promiſſio, vel datio alicujus rei

ad

ad ſuſtinenda matrimonii onera: dos vero ut eſt materia hujuſmodi contractus eſt id, quod datur viro ad onera matrimonii ſubſtinenda; ſive detur ab ipſa uxore, ſive ab alio nomine uxoris. Dos dividitur primo in profectitiam, & adventitiam, dos profectitia dicitur illa, quæ à patre, vel ab alio aſcedemte per lineam maſculinam, ſed ab avo paterno, vel proavo de ipſorum bonis, vel facto ipſorum proficiſcitur. Advententia dicitur quæ provenit non à patre, ut talis eſt, vel ab alio adſcedente per lineam maſculinam, ſed aliunde, ut à matre, fratre, avunculo, vel à quovis alio conſanguineo vel ab ipſa uxore. Secundo dos dividitur in dotem æſtimatam, & inæſtimatam; rurſus æſtimata duplex eſt. Primo æſtimata æſtimatione venditionem faciente, cum videlicet res dotales omnes vel aliquæ ita æſtimantur, ut marito tradantur, tamquam venditæ eo pretio quo ſunt æſtimatæ; Secundo æſtimata æſtimatione, quæ non facit venditionem, ſed ſolum æſtimatur, ut ſciatur valor rei dotalis, ut ſi pereat, aut deterior fiat culpa viri facile conſtet ad quid ſupplendum teneatur vir.

Quinam poſſint, aut teneantur dotem puellis conſtituere. Cap. 949.

1 Omnes qui liberam habent bonorum administrationem poſſunt dotem puellis conſtituere niſi aliqua lege prohibentur. Pater dum eſt ſui juris, tenetur quaſi ex juſtitia, & pietate paterna conſtituere dotem filiæ, etiam ſi filia ſit dives, vel poſt primam dotis conſtitutionem ſine dote manſerit, vel ſi emancipata ſit, vel ingreſſura ſit Religionem, velut naturalis, vel ſpuria, aut nubat invito patre, modo tamen matrimonium non contrahat cum indigno invito parte, aut luxurioſam degere vitam non elegerit, volente partem illam in matrimonium conjungere intra viginti quinque annos. Mater non tenetur filiam dotare, niſi ex magna, & rationabili cauſa: filius non tenetur dotare matrem ſuam inopem: quamvis enim cogi poſſit ad alendam matrem, non poteſt compelli ad eam dotantem: frater non tenetur dotare ſororem, quoties habet aſcendentes divites: tenetur autem dotem ſorori inopi conſtituere ex bonis maloratus.

Utrum vir cui dos ſoluta non fuit, uxorem alere teneatur, ſive dos antea promiſſa fuerit ſive non Cap. 950.

1 Vir tenetur alimenta præſtare uxori, quam duxit abſque dotis promiſſione qua juri ſuo ceſſiſſe videtur, contentus ipſa uxoris perſona pro dote. Vir cui dos promiſſa, ſed non dum ſoluta fuit, non tenetur ad alendam uxorem, ſive dos promiſſa ſit ab ipſa uxore, ſive à patre, ſive ab extraneo, ſicut tota dos ſoluta non ſit, ſive pars ejus, etiam ſi alioquin uxor ſit in obſequio viri, quia vir ſe obligavit ad alendam uxorem in compenſationem dotis; modo is, qui dotem ſolvere tenetur ſit in mora ſolvendi: nam ſi non ſit in mora, eo quod non dum elapſus ſit terminus à viro conceſſus ad ſolvendam dotem. Magnum tamen diſcrimen eſt in dote promiſſa ab uxore, vel ejus patre, & in dote promiſſa ab extraneo; quia ſi dos promiſſa fuit ab extraneo, & non dum ſoluta fuit, maritus indiſtincte liberatur ab alimentis: ſi vero dos bona fide promiſſa fuit ab uxore, vel à patre, & ob ipſorum impotentiam ſoluta non fuit maritus non eximitur ab onere alimentorum; quia uxor, & pater gaudent privilegio, ut pro ſolvenda dote conveniri non poſſint ultra id quod facere poſſunt.

Utrum uxor conſtante matrimonio dotem repetere poſſit. Cap. 951.

1 Uxor non poteſt repetere dotem conſtante matrimonio: quia fructus & adminiſtratio dotis pertinent ad maritum; qui non debet iis ſine juſta cauſa privari: poteſt autem in cauſa divotii: vel quando vir ad inopiam vergit: ſeu quando dotem male adminiſtrat: cum autem dos repetitur ab uxore, ex illius fructibus: alenda eſt ipſa uxor, maritus, & filii, nam dos obnoxia eſt huic oneri: & ad hunc finem tradita eſt viro.

Ad quem pertineant fructus dotis. Cap. 952.

1 Fructus rei dotalis traditæ viro, pertinent ad virum, quia dos traditur ad ſuſtinenda matrimonii onera; modo tres adſint conditiones. Prima ut matrimonium

Digitized by Google

monium jam celebratum fuerit: ſecunda, ut dos tradita ſit viro: quia res dotalis non eſt ante traditionem. Tertia ut maritus onera matrimonii ſuſtineat: quia ſi maritus non ſuſtineat, ceſsat cauſa, ob quam ei fructus dotis debeantur.

Cui nam dos tradita, vel promiſſa pereat. Cap 953.

1 SI dos promiſsa obtenta non fuit a viro abſque ulla illius culpa, non tenetur vir ad reſtitutionem dotis: quia nullo jure probatur ipſum ad hoc teneri: ſi vero ob latã, aut levem ipſius culpam in petendo, obtenta non fuit, perit ipſi viro: ſi dos tradita pereat culpa uxoris, ut quia ob ipſius culpam publicatur, perit ipſi uxori: ſed in tali caſu uxor alenda eſt à viro, niſi uxor parentes habeat, qui eam alere poſſint: quia ſic poſtulat arctiſſimum matrimonii vinculum: ſed ſi habeat parentes divites parentes primo loco tenentur illam alere dum uxor ſua culpa dotem amiſit.

An res traditæ in dotem alienari poſſint a viro. Cap. 954.

1 RES quæ in dotem datæ ſunt æſtimatæ æſtimatione venditionem faciente; ſive ſint mobiles, ſive immobiles alienari poſsunt à marito abſque uxoris conſenſu: idem dic de rebus functionem facientibus: ſive traditæ ſint æſtimatæ ſive inæſtimatæ, quia maritus dominium hujuſmodi rerum pleno jure acquiſivit. Res mobiles quæ traditæ ſunt inæſtimatæ, aut æſtimatæ æſtimatione non faciente venditionem alienari non poſsunt abſque conſenſu uxoris; nam uxor eſt domina hujuſmodi rerum. Res immobiles traditæ in dotem inæſtimatæ, aut æſtimatæ eſtimatione non faciente venditionem alienari non poſsunt; etiam ſi uxoris conſenſus accedat: excipe. Primo quando uxor abſque dolo, & metu confirmavit alienationem. Secundo cum fundus dotalis ad plures pertinet, nec commode dividi poteſt, & ſocius petat dividi; & vendi plus offerenti: tunc enim valida eſt alienatio, ſi fiat judice conſentiente; nam hujuſmodi alienatio fit ex cauſa neceſsaria. Tertio quando alienatio fundi dotalis utilis eſt uxori: quia alius fundus utilior retinetur. Quarto dum fundus dotalis alienatur ad ſatisfaciendum æri alieno: quod uxor contraxerat ante celebrationem matrimonii: alienatio igitur fundi dotalis facta à viro, vel uxore conſtante matrimonio, continet culpam mortalem contra juſtitiam, ſi fiat à marito invita uxore, vel ab uxore invito marito, extra caſus dictos.

De reſtitutione dotis poſt ſolutum Matrimonium.

Ad quem pertineat dos ſoluto Matrimonio.

Cap. 955.

1 DUm matrimonium, quoad thorum, & habitationem ſolvitur culpa uxoris, ut ſi per ejus adulterium fiat divortium, dos ei reſtituenda non eſt: ſed potius apud virum remanere debet, quia uxor per adulterium amittit dotem (l. miles §. ſocer ff. de adulteriis.) Dum matrimonium ſolvitur morte uxoris dos adventitia jure communi pertinet ad hæredes uxoris ſuccedentes ex teſtamento, vel ab inteſtato. Dos profectitia ſoluto matrimonio per mortem mariti, revertitur ad patrem ſuperſtitem.(l. dos a patre ff. ſolu. Matr.) Dos vero adventitia mortuo marito ſpectat ad uxorem(l. aus ff de fun d.) Dos quæ conſiſtit in bonis immobilibus inæſtimatis, ſtatim abſque mora reſtuenda eſt uxori poſt mortem mariti: ſi vero conſiſtat in bonis mobilibus, aut in juribus incorporalibus inæſtimatis, aut in certa pecuniæ ſumma reſtituenda eſt ab hæredibus mariti intra annum à die ſoluti matrimonii, niſi maritus obligaverit ſed citius reſtituendum (l. unica §. cum autem in exactione C. de rei uxor act.) Mulier, quæ prægnans à viro relicta fuit, alenda eſt ex bonis viri: ſive dotem jam recuperaverit ſive non: ſive aliunde habeat neceſsaria ad victum, ſive non: hoc enim ei debetur ratione ventris ideſt prolis, quæ cum ſit pars defuncti, alenda eſt ex ipſius bonis: ſi vero mulier non remanſit prægnans non eſt alenda ex bonis mariti, dum ipſa non eſt inops, ſed aliunde habet alimenta: ſi vero aliunde non habeat alimenta, ab hæredibus mariti, ſi ab ipſis alimenta petat, alenda eſt, quamdiu intra annum dotem non recu-

recuperat : alenda eſt autem de fructibus ipſius dotis ſi extant, ſi vero non extant, vel non ſufficianti, id quod de eſt ſuplendum eſt ex bonis mariti : & interim dum uxor intra domum mariti exiſtit, tenetur ad conſuetas operas præſtandas juxta ſuum ſtatum.

Utrum impenſæ factæ à viro circa rem dotalem inæſtimatam deduci poſſint ab hæredibus viri, dum eam reſtituere debent. Cap. 936.

1 NOn ſolum impenſæ neceſſariæ, verum etiam utiles factæ circa rem dotalem deduci poſſunt ab hæredibus mariti, dum dotem inæſtimatam reſtituere debent : modo expenſæ non ſint modicæ, & leves: expenſæ enim neceſſariæ circa dotem à marito factæ dicuntur minuere dotem, non quia dos ipſa non pertineat amplius ad uxorem : ſed quia dos detineri poteſt à marito, vel ejus hæredibus ſoluto matrimonio, donec eiuſmodi expenſæ ibi ab uxore vel ejus hæredibus perſolvantur (l. quod dicitur ff. de impenſis.) Impenſę utiles factæ à viro circa dotem inæſtimatam deduci poſſunt ab hæredibus mariti, dum reſtituenda eſt dos: quamvis enim expenſæ utiles factæ circa rem dotalem non minuant ipſo jure dotem, ſicut minuunt expenſæ neceſſariæ, ideſt, quamvis retineri non poſſint res dotales; ab hæredibus viri ſolutione impenſarum utilium (l. voluptariæ ff. de impenſis,) ubi hoc in favorem dotis ſpecialiter ſancitum eſt, cum alioquin, is qui utiles expenſas in re aliena facit, rem illam retinere donec poteſt ſibi ſolvantur expenſę nihilominus hæredes mariti in reſtitu endadote inæſtimata jus habent repetendi expenſas utiles. Expenſę vero voluptarię factæ à viro circa dotem, non poſſunt deduci, & repeti : etiam ſi factæ ſint de mandato uxoris : hoc enim eſt ſingulare in dote, ut expenſæ volupetariæ factæ mandante uxore non repetantur (l. in voluptariis ff. de impenſis;) auferri tamen, & abradi poſſunt, quoties id fieri poteſt abſque læſione, & damno prioris ſtatus rerum.

Utrum uxor ſoluto matrimonio teneatur ſtare contractibus locationis dotis, aut paraphernalium. Cap. 957.

1 UXor non tenetur ſoluto matrimonio ſtare locationi rei dotalis factæ à Marito, quoties illi locationi ipſa contradixit à principio, aut juſtam habuit diſſentiendi cauſam, niſi forte ipſa cautionem præſtiterit de eo non expellendo; quia particularis ſucceſſor non tenetur ſervare locationem factam à prædeceſſore (l. emptorem C. de locato.) Si vero ab initio non contradixit, nec juſtam habeat contradicendi cauſam, uxor tenetur ſoluto matrimonio perſiſtere in contractu locationis facto à marito : ſic tenetur uxor ſoluto matrimonio ſtare locationi rerum paraphernalium, quam quis fecit nomine uxoris : tenetur enim approbare id quod ipſius adminiſtrator fecit.

Quomodo inter viri, & uxoris hæredes facienda ſit diviſio fructuum rei dotalis ſoluto matrimonio. Cap. 958.

1 DIviſio fructuum rei dotalis inæſtimatæ inter virum, & uxorem; ſeu inter hæredes viri, & uxoris facienda eſt ad ratam temporis, quo matrimonium duravit, inſpecto tamen tempore contracti matrimonii, traditionis dotis, & ſuſtentationis onerum matrimonii, hæc enim tria requiruntur ad hoc, ut maritus habeat jus exigendi fructus dotis; & ideo fructus acquiruntur marito pro rata temporis, quo matrimonii onera ſuſtinuit : reliqui vero reſtituendi ſunt uxori (l. divortio §. interdum ff ſolut. matrim) fructus autem dotis æſtimatæ acquiruntur illi, qui eam poſſidet eo tempore quo fructus affert, nam res domino fructificat : hinc ſequitur primo, Maritum, qui quatuor menſibus matrimonii onera ſuſtinuit habet jus ad tertiam fructuum partem. Secundo Maritum, qui tempore vindemiæ Kalendis octobris contraxit matrimonium, & in dotem ineſtimatam accepit agrum plenum vbis, quibus collectis eundem agrum colendo ante ſequentes Kalendas octobris conſuetam, vel etiam præcocem vindemiam fecit qua facta ſtatim fere ſolutum fuit matrimonium, lucrari duas vindemias : pri-

R r mum

mam quidem integram : ſecundam vero ſolum incompletam , & partialem pro rata temporis, quod interceſſit inter ſecundam vindemiam , & tempus diſſoluti matrimonii quamvis enim maritus perceperit integros fructus, nihilominus , non fecit eos ſuos irrevocabiliter niſi pro rata temporis.

Quænam pacta circa dotem valida ſint. Cap. 959.

1 Illa pacta circa dotem regulariter valent, quibus poſitis fæmina non remanet indotata, nec præjudicium tertio injuſte affertur; quia hujuſmodi pacta non reprobantur a jure, & quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter.

De differentia inter bona dotalia, & paraphernalia, & effectibus paraphernalium. Cap. 960.

1 Bona paraphernalia dicuntur bona extra dotem, quia ſcilicet uxor illa non tradit viro in dotem, ſed ſibi reſervat non ſolum quo ad dominium : ſed etiam quo ad uſum fructum, & adminiſtrationem : hujuſmodi autem ſunt non ſolum illa, quæ uxor in contractu matrimonii ſibi reſervavit : ſed etiam illa, quæ contracto matrimonio acquiſivit ſive donatione , ſive legato, ſive alia ratione: multiplex differentia eſt inter dotem, & paraphernalia . Primo dos inæſtimata reſidet penes uxorem quo ad dominium , & proprietatem : quo ad uſum fructum vero , & adminiſtrationem pertinet ad virum . Dos æſtimata æſtimatione venditione faciente ſpectat ad virum quo ad dominium : & uſum fructum adminiſtrationemque: paraphernalia vero pertinent ad uxorem quo ad dominium, uſum fructum, & adminiſtrationem ita ut maritus ipſa invita nequeat paraphernalia adminiſtrare . Secundo dos habet privilegium , ut propter ipſam hypothecata remaneant omnia mariti bona , & gaudeat jure prælationis contra alios antiquiores creditores ; paraphernalia vero non habent jus prælationis contra alios creditores, licet pro ipſis paraphernalibus hypothecata remaneant bona mariti , dum ei promiſſa fuit paraphernalium adminiſtratio . Vir cui conceſſa fuit adminiſtratio bonorum paraphernalium ſuæ uxoris ſibi retinere poteſt fructus induſtriales quos ex parepharnalibus accepit, & de voluntate uxoris conſumpſit, præterea ſibi retinere poteſt fructus naturales conſumptos, dum per eos non eſt factus ditior , & locupletior hæc utilitas compenſari videtur cum labore viri in curandis paraphernalibus fructus autem, & ipſamet bona paraphenalia poſt ſolutum matrimonium reſtituenda ſunt uxori, ejuſve hæredibus, non ſecus ac dos : Vir cui commiſſa fuit paraphernalium adminiſtratio tenetur in iis ſervandis, & curandis de lata, & levi culpa (l. ult C. de pactis.)

Quibus de cauſis uxor dotem amittat conſtante matrimonio. Cap. 961.

1 Dos uxoris conſtante matrimonio publicatur ſolum in quinque caſibus relatis in (l. quinque ff. de bonis damnatorum .) Primus caſus eſt crimen læſæ majeſtatis, quia additur crimen hæreſis, quod eſt crimen læſæ majeſtatis divinæ. Secundus Violentiæ. Tertius parricidii . Quartus beneficii. Quintus homicidii , quamquam aliis de cauſis alia uxoris bona publicari poſſunt pro ratione criminis . Dos uxoris tradita vel promiſſa amittitur , & marito ſaltem poſt ſententiam acquiritur propter adulterium ſuæ uxoris de præſenti , modo ſit verum adulterium, & formale conſummatum contra voluntatem mariti, & modo maritus coinquinatus non ſit ſimili delicto , aut gratiam reconciliationis non conceſſerit uxori ſuæ adulteræ , aut illam ob adulterium non occiderit: & modo is , qui eam dotavit ſtipulatus non ſit, ut dos ſoluto matrimonio ad ſe redeat , & uxor non habeat filios ex marito, aut ex alio priori matrimonio.

De privilegio dotis, quo uxor gaudet ad eam recuperandam præceteris creditoribus. Cap. 962.

1 Uxor. quæ marito dotem dedit habet tacitam hypothecam in bonis mariti, virtute cujus hypothecæ ipſe, ſeu ipſius filii, ac deſcendentes in recuperatione dotis, præferenda eſt cæteris creditoribus realibus, habentibus anteriorem tacitam, vel expreſſam hypothecam, modo

do

Digitized by Google

do non ſint privilegiati, aut modo uxor non renunciaverit beneficio.

Quiſnam ſit competens judex in cauſa dotis, vel adulterii. Cap. 963.

1 QUando principaliter agitur de cauſa dotis, judex competens eſt judex ſecularis, quia tam res, quam perſona eſt laica, & ſecularis. In cauſa adulterii ad faciendum divortium perpetuum, vel temporale, ſolus Judex Eccleſiaſticus eſt competens quia agitur de vinculo matrimonii, quod eſt ſacramentum: cauſa etiam alimentorum: & dotis amittendæ cognoſcenda eſt ab Eccleſiaſtico iudice, quando coram ipſo agitur de divortio: quia acceſſorium ſequitur principale: principale autem eſt divortium cujus cognitio eſt iudicis Eccleſiaſtici, ſi vero agitur de adulterio ad pœnam ſanguinis de eo ſumendam, cognitio eſt iudicis ſecularis: quia Eccleſiaſticis vetitum eſt immiſcere ſe in cauſa ſanguinis (d. ſententiam ſanguinis ne Clerici, vel Monachi.) Si vero agatur de adulterio quo ad alias pœnas cognitio eſt mixti fori, & datur locus præventioni.

De Promiſſione.

Quid ſit Promiſſio, & quomodo differat à donatione ſtipulatione, pacto, & publicatione. Cap. 964.

1 PRomiſſio nihil aliud eſt, quam datio fidei deliberata, & vera, & ſpontanea de re licita, & poſſibili: dicitur datio fidei ad diſtinctionem pollicitationis: quæ non eſt proprie promiſſio, cum non ſit acceptata, nec fides per ipſam dicatur data: per promiſſionem vero dicitur fides data; quatenus promiſſio eſt acceptata, dicitur deliberata, ut oſtendatur ad promiſſionem requiri plenam deliberationem, qualis ſufficit ad peccatum mortale, unde ſi deliberatio ſit tantummodo ſemiplena promiſſio non obligat non ſolum ſub mortali, ſed neque ſub veniali; dicitur vera ad excludendam fictionem qualis in eo reperitur, qui promittit abſque animo promittendi. vel ſe obligandi unde ad veram promiſſionem requiritur animus premittendi neque obligandi dicitur ſpontanea primo ut ſciamus vim, & obligationem promiſſionis pendere à voluntate promittentis: imo promiſſio humana eſſentialiter conſiſtit in verbis aut ſignis, & ideo conſiſtit in actu, ſeu conſenſu voluntatis: hic enim eſt cauſa vinculi, & obligationis: verba vero, aut ſigna externa in promiſſione humana requiruntur ut indicia, & ſigna, quibus proditur, & manifeſtatur internus animi conſenſus Secundo dicitur ſpontanea, ut ſciamus invalidam eſſe promiſſionem extortam per vim, aut per dolum, aut per metum etiam levem, quia extorquens promiſſionem per dolum, vel metum etiam levem facit injuriam promittenti, unde non ocquirit jus, ut promittens eſt promiſſioni: idem ſentiendum puto de promiſſione facta ex metu reverentiali, vel extorta precibus importunis, ſecus dicendum de blanditiis: promiſſio enim blanditiis extorta non eſt invalida: quia blanditiæ, & beneficia non auferunt voluntarium, ſed movent hominem, ut voluntarie, & cum amore operetur: ſecus etiam dicendum videtur de metu juſte, & jure licito incuſſo, ut ſi Judex dicat uſurario ipſum damnandum eſſe, niſi reſtituat, & uſurarius hoc metu ductus promittat reſtituere, aut reſtitutidu nem faciat: quia non eſt eadem ratio metu iniuſte incuſſi, & iuſte illati, nam metus juſte illatus non tollit voluntarium nec eſt iniurioſus promittenti: dicitur de re licita, & poſſibili, nam promiſſio de turpi, & impoſſibili non obligat. quia impoſſibile eſt aliquem obligari ad peccatum, quo debet abſtinere.

2 Certum eſt promiſſionem differe a donatione, pollicitatione, pacto, & ſtipulatione; nam Primo differt à donatione, quia promiſſio non transfert dominium rei promiſſæ in eum, cui res promittitur: Donatio vero facta cum reali traditione transfert dominium. Secundo differt à pollicitatione; quia pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio: ideſt promiſſio nondum acceptata tacite, vel expreſſe (l. 3. ff. de pollicitat.) promiſſio vero eſt datio fidei cum acceptatione. Tertio differt à pacto; quia pactio, ſeu pactum, eſt quid generalius promiſſione; pactum enim eſt duorum vel plurium conſenſus, & conventio in diem, ex qua oritur obligatio: promiſſio vero gratuita obligationem tantummodo parit in promittente. Quarto differt à ſtipulatione:

Digitized by Google

tione: quia ſtipulatio eſt verborum formula, ſeu contractus verborum, qui celebratur præcedente interrogatione creditoris *l. 5. § ſtipulatio de verborum obligationibus*, unde ſi quis dicat, promittis mihi dare centum; & alter reſpondat, promitto, cenſetur ſtipulatio: promiſſio ergo differt à ſtipulatione, quia non ſemper hujuſmodi formula contingit in promiſſione,

Utrum promiſſio interna, vel externa obliget. Cap. 965.

1 PRomiſſio interna non obligat niſi fiat per modum voti, quia *l. 1. de verborum obligationibus* habetur animum in mente retentum obligationem non inducere: ſicut eſt promiſſio interna; cum ſit animus in mente retentus, unde non inducit obligationem: ſi autem facta ſit per modum voti, ut promiſſio interius facta in gratiam hominis per modum voti adimplenda eſt ex vi voti.

2 Promiſſio gratuita externa, & acceptata obligationem inducit; quia promiſſio onerofa externa obligat: & ideo etiam gratuita obligare: quia jus naturæ dictat non ſervantem promiſſionem externam derelinquere, unde ſignum eſt promiſſionem externam obligare, & propterea non adimplens promiſſionem gratuitam externam, & acceptatam ex ſuo genere commitit peccatum mortale; promiſſio autem tam gratuita, quam oneroſa nondum acceptata non obligat, & regulariter loquendo revocari poteſt: etiam ſi facta ſit cum juramento modo juramentum non ſit factum per modum voti, nam obligatio oritur ex mutuo conſenſu (l. 1. C. de pact.) non adeſt autem mutuus conſenſus ante acceptationem: excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus promiſſio non poteſt revocari, ut ſi promiſſio facta ſit civitati in remunerationem honoris accepit à promittente, aut ad reparandas ruinas civitatis: ille cui facta eſt promiſſio jam multo tempore poteſt eam acceptare, & jus acquirere, modo non ſit revocata.

3 Conditiones requiſitæ, ut promittens peccet non adimplendo promiſſionem gratuitam ſunt ſequentes. Prima ut promittat animo promittendi, & ſe obligandi; Secundo ut promiſſio ſit rei licitæ, & poſſibilis Tertio ut ſit promiſſio rei notabilis, ut autem materia dicatur notabilis debet eſſe major, quam ſit ea, quæ ſufficit ad furtum mortale. Quarto requiritur, ut res in eodem ſtatu permanſerit, & non fuerit ita notabiliter mutatus ſtatus rerum, & perſonarum: unde non teneatur ſervare promiſſionem gratuitam; qui tempore promiſſionis erat amicus; vel poſtea inimicus evaſit tempore ſolutionis faciendæ; ſic non tenetur ducere ſponſam; quæ poſt promiſſionem fornicata eſt Quinto requiritur ut promiſsio ſit acceptata. Promiſsio facta præſenti tacenti eſt valida quia promiſsio acceptata obligat; ille autem qui tacet, cenſetur acceptare in iis ſcilicet, quæ ſibi ſunt commoda, & favorabilia Promittens tenetur ad reſtitutionem: ſi promiſsionem non adimpleat, quoties promiſit intendens promitterea, ſeque obligare. Qui promiſit aliquid ab altero faciendum tenetur ſaltem jure naturæ debitam adhibere diligentiam ut adimpleatur quod promiſit: quia promittens opus alienum quod non eſt promittentis voluntate, videtur ſaltem ſe voluiſſe obligare ad curandum quantum poteſt, ut opus promiſſum impleatur, quare promittens ſatisfacit ſuæ obligationi, adhibendo prædictam diligentiam.

Quinam poſſit pro abſente ſtipulari: ideſt promiſſionem in favorem abſentis acceptare. Cap. 966.

1 ILle poteſt acceptare promiſsionem lucrativam, vel donationem: qui ex ea commodum reportat, modo verba promiſſionis in ipſam directa ſint, vel is cui ex jure id convenit, vel cui hoc negotium committitur, unde ſi acceptans nullum reportet commodum ex promiſsione, vel donatione nulla oriatur obligatio ex acceptatione, & ſtipulatione: Qui vero alterius curam gerit poteſt acceptare promiſsionem nomine illius cujus curam gerit, ut tuto nomine pupilli: Perſona publica poteſt acceptare promiſsionem pro ſuis ſubditis: qui alterius juri ſubditi ſunt poſſunt ſtipulari pro illis, quorum juri ſubjecti ſunt, ut filius pro patre. Socius poteſt ſtipulari pro ſocio, uxor pro marito, & poteſt ſtipulari, & acceptare, qui ad hæc habet ſpeciale mandatum.

Qua-

Quænam conditiones requirantur ad validitatem promiſſionis vel donationis factæ abſenti per nuncium, aut litteras. Cap. 967.

1 AD validitatem promiſſionis, vel donationis factæ abſenti per nuncium, vel per litteras tres conditiones requiruntur. Prima ut promiſſio, vel donatio deferatur promiſſario, vel donatario per litteras, ſeu per nuncium ad hoc deſtinatum, unde promiſſarius, vel donatarius debet illam acceptare per litteras, vel nuncium donatarius, & ideo donatarius invalide acceptavit donationem, ſi eam per alium acceptet, quam per nuncium: donatio autem non poteſt valide acceptari poſt mortem donatoris; ſi ante mortem donatoris ſolum mandata fuerat per nuncium, aut procuratorem, ſed nondum acceptata, vel adimpleta fuerat: quia mandatum expirat morte mandatoris (l. mandatum c. mandati). Secunda conditio ut promiſſio gratuita; per nuncium defertur, acceptetur coram nuncio; & non ſufficit ſi coram alio acceptetur. Tertia conditio eſt ut promittens non revocarit promiſſionem, ante acceptationem quia facta revocatione, non eſt valida promiſſio, vel donatio, cum totam ſuam, vim habeat a voluntate promittentis, vel donatoris.

Utrum ſint aliquæ promiſſiones invalidæ. Cap. 968.

1 INvalidæ ſunt promiſſiones, quibus præbetur occaſio peccandi, ut ſi quis alteri promittat ſe remiſſurum obligationem de dolo, de furto de Inju ria, &c. propterea invalidum eſt pactum, quo quis convenit cum depoſitario, ne teneatur de dolo: quia cum hujuſmodi pactum à jure impediatur, peccandi præbet occaſionem (l. contractus ff. de regulis juris.) Promiſſiones quibus adimitur facultas diſponendi de rebus ſuis irritatur à jure, ut ſi quis promittat alteri ſe non revocaturum teſtamentum, Promiſſio, & pactio de re illicita facienda nullam inducit obligationem ad rem illicitam faciendam.

Quando adimplenda ſit promiſſio, & quo in loco Cap. 969.

1 PRomiſſio adimplenda eſt termino præfixo; quia ſic poſtulat natura promiſſionis; ſi vero terminus non fuit expreſſe aſſignatus, videndum eſt, an ex circumſtantiis colligi poſſit determinatio temporis: & ſic illa ſervanda eſt: ſi vero nulla ratione conſtat de aſſignatione temporis exiſtimo promiſſionem regulariter loquendo ſtatim adimplendam eſſe, ſtatim autem moraliter, tum arbitrio prudentis, tum ex re ipſa (l. quod diximus ff. de ſolut.) in obligatione autem ex conſtituta pecunia datur ſpatium decem dierum quando non eſt ſtatuta certa dies (l promiſſor ff, de conſtituta pecunia,) modo promiſſarius dilationem concedat expreſſe, vel tacite. Promiſſio adimplenda eſt loco convento, ſi locus expreſſe, vel tacite aſſignatus fuit promiſſio enim vires habet à voluntate contrahentium ſi vero nec expreſſe, nec tacite conventum ſit de loco, ſtandum eſt judicio prudentis viri ſervata juſtitia, & æqualitate contrahentium, quando promiſſio fuit mutua: quando vero promiſſio eſt ſimplex aſſignandus eſt locus arbitrio promittentis: ita tamen, ut promiſſario nulla fiat injuſtitia.

Quandonam promiſſio alias valida, & acceptata deſinat obligare. Cap. 970.

1 PRomiſſio antea valida, & acceptata deſinit obligare quoties ſupervenit notabilis mutatio: quæ ſi tempore promiſſionis adfuiſſet, vel præcognita fuiſſet, judicio prudentis promiſſionem impediviſſet: promittens enim cenſetur ſe voluiſſe in hoc eventu obligare; ſed potius præſumitur voluiſse hunc eventum excipere; hoc idem valet etiam ſi promiſſio facta ſit cum juramento: quia ſic ut promiſſio cenſetur facta cum hac tacita conditione (ſi non mutetur notabiliter ſtatus rerum, & perſonarum,) ita ſub eadem conditionem factum eſse cenſetur juramentum unde promiſſio non obligat, dum res promiſsa facta eſt inutilis damnoſa, vel impoſſibilis, vel illicita, nec promiſsor tenetur adimplere promiſſionem; dum lex ſupervenit irritans talem promiſſionem, quia notabilis ſupervenit mutatio, & promiſſionis obligatio ceſſit.

De Donatione.

Quid ſit donatio. Cap. 971.

1 DOnatio nihl aliud eſt, quam liberalis datio alicujus rei (l. Senatus ff. de mortis cauſa) per dationem intelligo actionem donantis, natura ſua aptam ad transferendum dominium rei donatæ; ſive donatio fia cum reali traditione rei, ſive cum verbali tantum: quamvis re ipſa cum ſola verbali non transferatur dominium (l. 20 C. de pactis); per liberalem dationem intelligo eam, quæ non fit ex obligatiotione, & debito juſtitiæ, ſed ex mera liberalitate, aut ex gratitudine, quare donatio remuneratoria, quæ fit ad remuneranda beneficia collata, non eſt proprie donatio: quia fit ob merita, & non intuitu ſolius liberalitatis.

Quis poſſit donare, & quænam donare poſſit Cap. 972.

1 ILle poteſt donare, qui habet liberam adminiſtrationem, & dominium bonorum, & à jure non impeditur: unde prodigus cui datus eſt curator, & eſt interdicta bonorum adminiſtratio non poteſt donare (l. ff. de curatoribus furioſi) unde qui accipit aliquit ab eo tenetur ad reſtitutionem. Miles non poteſt donare concubinæ, ſed poteſt donationem revocare ſi voluerit, nam à jure impeditur (l. ſi ancillam C. de donation inter virum & uxorem,) Omnia, quorum dominium transferri poteſt ſunt materia donationis; quare nonſolum res corporales, ut equus, veſtes, fundus &c. verum etiam incorporales, ut actiones, jura, nomina debitorum, &c. donari poſſunt, quia horum dominium transferri poteſt in accipientem.

De Donatione inter filios, & parentes. Cap. 973.

1 VAlida eſt donatio filii in parentes, ſi donatio conſiſtat in bonis caſtrenſibus, vel quaſi (l. cum oportet §. excepto ff. de bonis. quæ liberis;) donatio vero reliquorum bonorum non eſt valida: quia filius non poteſt donare patri bona profectitia, cum hæc bona ſpectent ad patrem Donatio patris in filium legitimum non emancipatum regulariter loquendo non eſt firma jure communi, ſed revocari poteſt ad arbitrium patris niſi facta ſit cum juramento (l. cum de bonis C. de donation.) poteſt tamen pater jure communi pro ſuo libito uni filiorum dare majora alimenta quo ad victum, veſtitum, &c. Donatio vero matris, vel aviæ, vel avi materni in filium valida eſt, nam jura non loquuntur de donatione matris, &c: dixi non emancipatum: quia donatio facta filio emancipato valida eſt, quia filius emancipatus non videtur eſſe ſub patria poteſtate; ſi autem pater juraverit ſe non revocaturum donationem factam filio, & donatio firmatur juramento; valida eſt donatio patris facta in filium, Primo cauſa dotis ſi fiat, & nuptiarum, modo fiat ſine damno legitimæ aliorum filiorum. Secundo titulo remunerationis ob accepta obſequia, modo damnum non excedat merita. Tertio quando pater remittit filio uſumfructum, quem habet in bonis filiis adventitiis. Quarto quando donat bona mobilia filio eunti ad caſtra. Quinto quando valet donatio inter conjuges, valet etiam inter liberos.

De donatione inter ſponſos, vel conjuges, & de arrib.s. Cap. 974.

1 SPonſalitia largitas facta inter ſponſos de futuro valida eſt, & donata acquiruntur donatio ſi matrimonium fiat, & conſummetur, quia jus non irritat hujuſmodi donationem, nec facit acquirentem inhabilem ad acquirendum: & hoc procedit in donatio utriuſque ſponſi (l cum veterum C. de donation. ante nuptias:) modo matrimonium fiat, quia ſi non fiat donata reſtituenda ſunt donatori, vel ejus hæredibus (l. cum veterum C. de donation. ante nuptias:) ſi autem omiſſio matrimonii contingat ob culpam donatoris, donata acquiruntur donatario: ſi vero omiſſio matrimonii contingat abſque culpa, donata reſtituenda ſunt donatori, quando autem poſt ſponſalia celebrata interventit culpa, aut oſculum, & matrimonium deſinat propter mortem, donata a ſponſo ſponſæ dimidianda ſunt: una pars tradenda eſt ſponſæ, & altera hæredibus ſponſi: quia oſculum aliquo premio dignum eſt

Dona-

Digitized by Google

Donata ſponſæ à conſanguineis ſponſi, & donata ſponſo à conſanguineis ſponſæ acquiruntur donatario: cui facta fuit donatio, etiam ſi facta fuit donatio contemplatione conjugis conſanguinei (l. ſi te in vacuam 23. C. de donation. inter virum, & uxorem), quæ autem donatur uxori intuitu viri, acquiruntur viro.

2 Licita, & valida eſt arrharum traditio inter ſponſos, quæ amittuntur ab eo, qui iniuſte à ſponſalibus reſilierit: quia ſic habetur in (l. arrhis, & arrhæ) poſſunt conſtitui in re numerata, & in ſpecie: & in qualibet quantitate: & arrhæ acquiruntur illi, cui traduntur, quoties tradens injuſte reſilit à ſponſalibus, & matrimonium ipſius culpa non celebratur.

3 Donatio inter coniuges facta inter vivos jure communi invalida eſt etiam ſi matrimonium nondum eſſet conſummatum ſed tantummodo ratum tempore donationis: ideo niſi morte, aut juramento confirmetur, poteſt à donatore ad libitum revocari (C. fin. de donat. inter virum, & uxorem); propterea donatio inter conjuges penitus evaneſcit, ſi vivente donatore, tacite, vel expreſſe revocetur. Donatio inter coniuges putativos, qui non ſunt veri coniuges non eſt valida (l. cum hic ſtatus §. fin verſ ſi quis ſponſam ff de donation. inter virum, & uxorem,) Valida autem eſt donatio inter conjuges. Primo ſi coniux donet cauſa mortis, Secundo ſi coniux donet cauſa remunerationis. Tertio juxta nonnullos Doctores ſi maritus, conſtante matrimonio, condonet, & remittat dotem aut ſcienter fateatur ſe dotem accepiſſe cum non acceperit. Quarto ſi fiat contrados, quæ ſi fuerit à viro conſtituta, conſtante matrimonio, poterit mortuo viro exigi ab uxore. Quinto quando donator non efficitur pauper ob talem donationem, aut donatarius non ſit locupletior. Sexto quando donatio relata eſt ad tempus ſoluti matrimonii Septimo dum uxor donat viro cauſa ſtudiorum, ſeu doctoratus, &c. Octavo dum vir donat uxori quid annuum, vel menſtruum ad eam ſuſtentandam uſque ad vires dotis ideſt fructus dotis (l. ex animo ff. de donat. inter virum & uxorem.)

An valida ſit donatio omnium bonorum.
Cap. 975.

1 DOnatio omnium bonorum præſentium, & futurorum inter vivos invalida eſt niſi fiat Eccleſiæ, vel cauſæ piæ, aut confirmetur juramento: quia per hujuſmodi donationem aufertur poteſtas teſtandi: nihil enim haberet donans, de quo teſtari poſſet facta hujuſmodi donatione: cauſa autem mortis fieri poteſt; nam non aufert poteſtatem teſtandi: qui autem donat ſolum bona præ entia, valida eſt donatio: quia per hujuſmodi donationem non adimitur poteſtas teſtandi, cum donator poſſit adhuc teſtari de bonis futuris: ſicut etiam eſſet valida donatio, ſi donator aliquid ſibi reſervaret, ſaltem uſum fructum: aut donaret ſimpliciter omnia bona, non exprimendo futura; nam per hujuſmodi donationem cenſetur ſolum donare, acquiſita bona. Valida autem eſt donatio omnium bonorum facta Eccleſiæ, vel cauſæ piæ: quia jus civile non poteſt impedire opera pietatis, & conſilia evangelica, cujuſmodi ſunt tradere bona ſua cauſæ piæ: ſi autem donatio omnium bonorum confirmetur juramento valida eſt: juramentum enim accedens contractui invalido, robur addit, illumque confirmat, modo non ſit contra bonos mores. Valida eſt donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum facta inter fratres, & hoc favore agnationis conſervandæ: ſic etiam valida eſt facta ex cauſa oneroſa, aut etiam facta patre pro matrimonio à filia, vel filio contrahendo.

Utrum inſinuatio requiratur in donatione.
Cap. 976.

1 INſinuatio requiritur ad donationem excedentem quingentos ſolidos. alioquin invalida eſt quoad exceſſum: etiam ſi donatio ſit tantummodo tacita, & præſumpta, niſi firmetur juramento, vel fiat piæ cauſæ, vel niſi fiat à Principe abſoluto; contractus enim qui non eſt contra bonos mores naturales, qui ſcilicet non eſt de re illicita; ſed poteſt ſine peccato ſervari, firmatur juramento; donatio autem facta ad pias cauſas valida eſt abſque inſinuatione, cum jura civilia non poſſint impedire

 opera

opera pietatis, nec Princeps ſecularis poteſt legem concedere in detrimentum bonorum operum, & ſalutis animarum. Nomine ſolidi jure communi intelligitur nummus aureus; & poſt Conſtantinum intelligitur nummus æquivalens, decem, & ſeptem iuliis, ſeu regalibus italicis, vel ut alii volunt, intelligitur nummus aureus quatuordecim, & quindecim regalium, ſeu juliorum, ut ſunt Ongari, aut Cechini Veneti.

Quando nam donatio revocari poſſit.
Cap. 977.

1 NOn eſt liberum donanti reſcindere quoties voluerit donationem factam inter vivos ex (L. Senatus §. 4. ff. de donationibus,) reſcindi autem poteſt donatio facta inter vivos. Primo ob ingratitudinem donatarii (l. ultim c. de revocat. donat) modo donatio non ſit facta ob cauſam, vel cum expreſſo juramento non revocandi ob ingratitudinem unde donatio quæ non ſit ob cauſam poteſt revocari ob ingratitudinem multis modis, ut ſi injuria donatarius affecit donatorem ſive in præſentia, ſive in abſentia, vel ſi in donatorem manus impias iniecit, aut illius vitæ inſidias poſuit, aut gravem jacturam rebus donatoris intulit, vel ſi donatarius non adimplevit conditionem appoſitam in donatione, vel ſi donatarius denegavit, alimenta donatori conſtituto in neceſſitate, qui prius ingentem fecerat donationem, donatio autem facta ob cauſam ſcilicet in recognatione obſequiorum non poteſt revocari ob ingratitudinem. Secundo reſcindi poteſt donatio facta abſque juſta cauſa ob ſuſceptionem prolis legitimæ non præcognitam (l. ſi unquam C. de revocandis donationibus;) Tertio reſcindi poteſt ob inofficioſam donationem; donatio autem dicitur in officioſa, quoties pater tantum donat, ut non retineat quantum poſtulat legitima portio filiorum: & dicitur inofficioſa; quia eſt contra officium pietatis, cum officium pietatis ſit relinquere filiis legitimam portionem, inofficioſa autem donatio revocari poteſt, quatenus opus eſt ad ſupplendas legitimæ filiorum portiones, modo non ſit facta extraneo, animo fraudandi hæredes; nam ſi facta fuit extraneo, animo fraudandi hæredes, nulla re filii relicta, revocantur in totum (l. 1. c. de inofficioſis donationibus,) quamquam ut irritetur, requiritur ut querela apud judicem interponatur. (l. Si liqueat c. de inofficioſis donationibus) Donatarius autem non tenetur ob ingratitudinem reſtituere rem donatam ante ſententiam judicis. Donatio eſt jure ipſo irrita ſuperveniente prole (l. ſi unquam C. de revoc. Donat.

2 Donatio facta cauſa mortis poteſt à donatore uſque ad mortem revocari, quia hujuſmodi donatio ex diſpoſitione juris habet hanc tacitam conditionem niſi revocetur, ex quo ſit, ut ſi quis in facienda donatione dicat ſe illam facere cauſa mortis, & nihilominus addat conditionem, ut non revocetur, non dicitur donare cauſa mortis, ſed potius inter vivos (l. ubi donatur ff. de donationibus cauſa mortis,) nam illa conditio repugnat donationi cauſa mortis. Donatio cauſa mortis ipſo facto revocatur, ſi donatarius moriatur ante donatorem; ſic etiam ſi donator dedit intuitu alicujus periculi mortis, donatio, ſublato, periculo, cenſetur tacite revocata: donatio autem judicanda eſt facta cauſa mortis, quando ſit facta mentio mortis, & ideo in dubio judicanda eſt donatio inter vivos, quæ facta fuit tempore infirmitatis, non facta mentione mortis.

De Depoſito.

Quid, & quotuplex ſit depoſitum.
Cap. 978.

1 DEpoſitum eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia alteri committitur. quia in depoſito, ut ſic non transfertur dominium neque uſusfructus in depoſitarium vel ſola rei cuſtodia committitur depoſitario, unde depoſitarius non poteſt uti depoſito, imo potius committeret furtum, ſi eo utatur (l. ſi ſecculum ff. depoſiti, nam contractat rem alienam invito domino, quæ tradita eſt non ad uſum, ſed ad ſolam rei cuſtodiam: poteſt tamen depoſitarius uti re depoſita, quando credit hoc domino non diſplicere, vel quando Dominus concedit uſum depoſiti expreſſe, vel etiam tacite, vel etiam ſi illi non ſit data expreſſa facultas utendi: ut ſi tradita ſit pecunia, non interdicto uſu, & depoſitarius

rius credat, ſe tempore ſolutionis habiturum ſimilem pecuniam, qua poſſit ſatisfacere, quia Dominus non cenſetur invitus, nec ullum paritur incommodum. Depoſitum eſt duplex judiciale & privatum. Judiciale fieri ſolet primo quando debitor deponit pecuniam, quam creditor recuſat acceptare. Secundo quando lis pendet de re aliqua, & interim ea deponitur apud aliquem donec liti finis imponatur (l. licet ff. depoſiti,) & hoc appellatur ſequeſtrum. Privatum contingit, quando res aliqua deponitur apud confidentem hominem, ut cuſtodiatur.

Quis poſſit deponere, aut eſſe depoſitarius, & quonam deponi poſſint. Cap. 979.

1 OMnes, qui alicujus rei adminiſtrationem habent, illam deponere poſſunt nam quilibet poteſt alicujus rei cuſtodiam alteri conſentienti committere. Quilibet pollens uſu rationis poteſt eſſe depoſitarius. Vnde pupillus poteſt eſſe depoſitarius, fœmina, Clericus, Religioſus; quamvis male facit religioſus ſuſcippendo depoſitum, abſque conſenſu ſaltem præſumpto ſui Prælati; ſi autem religioſus de conſenſu Abbatis ſuſcipit depoſitum: quod poſtea culpa ipſius religioſi pereat: monaſterium non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus res depoſita converſa eſt in utilitatem monaſterii, ſicut neque tenetur Eccleſia ad reſtitutionem depoſiti facti apud Epiſcopum, vel apud Clericum cujus culpa periit; ſed tenetur ſolum reſtituere, quatenus depoſitum converſum fuit in ipſius utilitatem. Ordinarie loquendo deponuntur ſolum res mobiles, aut ſe moventes, ut gemmæ, libri, animalia, ſervi, frumentum, pecunia, &c quæ functionem recipiunt, horum enim cuſtodia poteſt alteri committi.

Quænam conditiones requiruntur ad depoſitum. Cap. 980.

1 QUinque ſaltem conditiones requiruntur ad depoſitum: Prima Conſenſus tradentis, & accipientis, nam eſt contractus, qui mutuo conſenſu perficitur. Secunda ut res tradatur (l. 1. in prin. ff. de pactis,) traditio enim eſt neceſſaria, nam nullus ſuſcipit cuſtodiam rei: quæ in ſua poteſtate non exiſtit. Tertia ut quando depoſitum exigitur reſtituatur eadem res (l. 1. ff. depoſiti.) Quarta ut reſtituatur in loco in quo reperitur. Quinta ſi depoſitum pereat diſponenti, cum ſit dominus depoſiti, & res domino perit, ſecluſa culpa depoſitarii.

De Precario

Quid ſit precarium, quid ad ipſum requiratur, & quomodo finiatur. Cap. 981.

1 PRecarium eſt contractus, quo quis concedit aliquid alteri cum poteſtate illud repetendi quoties voluerit, & dicitur precarium. eo quod fiat precibus illius in cujus commodum conceditur, ad quem contractum tres conditiones requiruntur. Prima requiritur mutuus conſenſus dantis, & recipientis. Secundo requiritur traditio rei quia perficitur traditione rei, Tertio ut ille qui tradit precarium, poſſit illud repetere, quoties voluerit, niſi aliter poſtulat charitas, ut accidit, quando non poteſt repetere ſine graviſſimo detrimento illius, qui precarium accepit. Precararium finitur primo voluntate ejus qui illud conceſſit. Secundo per venditionem precarii factam à domino (l. quæſitum ff. de precario) Tertio per mortem illius, qui accepit precarium (l. cum precario ff de precario:) in quo caſu precarium non tranſit ad hęredes, etiam ſi ille, qui rem precario accepit moriatur ante lapſum terminum: nam hujuſmodi conceſſio eſt perſonalis, unde finitur cum perſona, nec tranſit ad hæredes; per mortem vero tradentis non finitur precarium: quia cum precarium conceſſum ſit ſub hac conditione donec dominus revocaverit, & tradens non cenſeatur per mortem revocare, ſed perſiſtere in eadem voluntate, requiritur precarium finiri morte tradentis, unde accipiens mortuo tradente, poterit uti precario, donec revocetur ab hæredibus (l. citat.) Si vero precarium concedatur ſub hac forma, uſque ad meum beneplacitum, vel donec voluero, vel uſque dum hæc mea voluntas erit: precarium expirat morte concedentis c. ſi gratioſæ de deſcriptis in 6. quia voluntas, & beneplacitum perſonæ ceſſat morte perſonæ.

De

De commodato.

Quid ſit Commodatum, & quid ad ipſum requiratur. Cap. 982.

1 COmmodatum quod ita dicitur, quaſi datum ſit commodo alterius, nihil aliud eſt quam contractus, quo res alteri conceditur ad certum uſum. Ad commodatum requiritur. Primo mutuus conſenſus, nam perficitur mutuo conſenſu. Secundo ut tradatur gratis commodatario ad aliquem certum uſum, & ad aliquod certum tempus expreſſe, vel tacite. Tertio, ut dominium commodati perſeveret apud commodantem, unde ſi pereat abſque culpa commodatarii, non pereat commodatario, ſed commodanti. Tenetur autem commodatarius ad reſtitutionem ex leviſſima culpa, nam commodatum celebratur in favorem ſolius commodatarii accipientis, non autem tenetur ad reſtitutionem commodatarius. ſi res apud ipſum pereat: quæ eodem modo peritura erat apud dominum: quamvis commodatarius non fuiſſet in mora, nam commodatarius tenetur ſolum quatenus fuit cauſa damni: cum res eodem modo peritura eſſet apud dominum. Expenſæ ordinarie factæ à commodatario durante tempore contractus commodati, pertinent ad commodatarium, quia cujus eſt commodum, ejus etiam eſt onus, & incommodum, Extraordinariæ vero pertinent ad commodantem.

De teſtamento, & Legato.

Quid, & quotuplex ſit teſtamentum, codicillus, & ultima voluntas. Cap. 983.

1 TEſtamentum eſt noſtræ voluntatis juſta ſententia de eo, quod vult fieri poſt mortem, cum directa inſtitutione hæredis, per Codicillum autem, & Legatum &c non inſtituitur hæres, ſicut per teſtamentum: dicitur juſta ſententia ideſt juſta definitio, juſtum decretum, nam teſtamentum debet eſſe diſpoſitio de re juſta, alioquin non eſt ſervandum, ut eſt quando quis injuſte intendit per teſtamentum privare filium hæreditate; aut quando præſcribit corpus ſuum in mare deiici, & aliquid contra bonos mores, & contra pietatem: nam hujuſmodi ſententia dicitur de re injuſta: ſententia autem de re Injuſta non obligat: differt Teſtamentum à Codicillo nam in teſtamento inſtituitur hæres, in codicillo vero neque inſtituitur, neque adimitur: in teſtamento requiruntur ſeptem teſtes rogati, in codicillo ſufficiunt quinque ſive rogati, ſive non, & proptere Codicillus hoc pacto definiri ſolet. Codicillus eſt ultima voluntas minus ſolemnis, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit coram quinque teſtibus declarata: vocatur autem Codicillus .i. parvus codex, ſeu parva ſcriptura: in teſtamento in ſcriptis requiruntur ſubſcriptiones teſtium, & ſigilla teſtium: in codicillis vero in ſcriptis ſufficiunt ſubſcriptiones abſque ſigillis teſtium; quis poteſt decedere cum pluribus codicilis, non contrariis ſibi invicem; non autem cum pluribus teſtamentis: quia poſterius teſtamentum tollit prius, & ſi quis facto teſtamento moriatur, etiam abſque codicillis, dicitur mori teſtatus qui vero factis codicillis, & non facto teſtamento moritur, dicitur mori ab inteſtato, unde ſuccedunt hæredes venientes ab inteſtato: qui adimplere debeat diſpoſita in codicillis.

2 Illi ſolum poſſunt facere codicillos. qui poſſunt facere teſtamenta quia eadem facultas neceſſaria videtur ad codicillos, & ad teſtamenta: hæc autem forma, ſeu ſolemnitas requiritur, ut codicillus fiat adhibitis quinque teſtibus, imo quando codicillus non fit per nuncupationem, ſed ſolemniter, & in ſcriptis. qui vocatur codicillus clauſus, ſeu in ſcriptis. requiritur ſubſcriptio ipſorum quinque teſtium: excipiuntur tamen Primo codicilli Militum; in his enim ſufficit ſolemnitas requiſita ad ipſorum teſtamenta. Secundo excipiuntur codicilli inter libros: in his enim ſufficiunt duo teſtes. Tertio excipiuntur codicilli cæcorum in quibus conficiendis illa ſolemnitas exigitur, quæ neceſſaria eſt ad ipſorum teſtamenta: & ideo neceſſarii ſunt ſeptem teſtes: & præterea Tabellio, aut alius qui tabellionis locum gerat, his autem modis, ſeu tempore fieri poſſunt codicilli. Primo ante teſtamentum; quando teſtator prius fecit codicillos, & poſtea teſtamentum, non tamen corruunt ob ſubſequens teſtamentum niſi expreſse eo revocentur. Secundo in ipſo teſtamento, quando ſcilicet aliquis

facit

facit teſtamentum, in quo ut certior ſit de validitate ſuæ diſpoſitionis adiicit clauſulam codicillarem, ut ſi teſtamentum non valet ut teſtamentum, valeat ut codicillus, vel omni meliori modo. Tertio poſt teſtamentum: qui enim oblitus eſt aliquid diſponere in teſtamento, poteſt de eo diſponere poſt teſtamentum in codicillo. Quarto abſque ullo prorſus teſtamento antecedente, vel ſubſequente: tunc enim teſtator abque ullo teſtamento gravat hæredem veniẽtem ab inteſtato, ut faciat id, quod in codicillo diſpoſuit. Codicillum revocari poteſt voluntate facientis codicillum: hoc enim commune eſt omni ultimæ voluntati, nec eſt neceſſe, ut codicillus expreſſe revocetur alio codicillo, vel teſtamento, in quo mentio fiat revocationis codicilli: ſed ſufficit tacite, diſponendo contrarium priori codicillo.

3 Differt teſtamentum ab ultima voluntate: quia ultima voluntas latius patet, quam teſtamentum: immo eſt veluti genus continens ſub ſe teſtamentum tamquam ſpeciem plures n. enumerantur a doctoribus ſpecies ultimæ voluntatis. Prima eſt teſtamentum. Secunda codicillus, Tertia eſt Epiſtola, in qua relinquitur alicui fidei commiſſum. Quarta legatum, Quinta mortis cauſa capio alii addunt donationem cauſa mortis. Mortis cauſa capio eſt acquiſitio alicujus, quam quis conſequitur occaſione mortis alicujus; ideo is dicitur mortis cauſa capere qui occaſione mortis alicuius accipit. Introducta fuit mortis cauſa capio, ut illa diſpoſitio, quæ non valet ut teſtamentum, vel legatum, vel fideicommiſſum vel ut donatio cauſa mortis valeat jure mortis cauſa capionis.

4 Teſtamentum duplex eſt unum dicitur in ſcriptis; ſeu clauſum, eo quod teſtator latere velit, quod in eo continetur, alterum dicitur nuncupativum: eo quod teſtator ſine ſcriptura coram teſtibus declaret, quid fieri velit poſt mortem, & ob id appellari ſolet teſtamentum apertum: ad teſtamentum in ſcripturis requiritur, ut poſt confectam, & clauſam ſcripturam adhibeantur ſeptem teſtes maſculi, liberi, vel qui liberi reputentur puberes, & rogati: ideſt vocati ad hoc, coram quibus teſtator uno eodemque tempore indicet illud eſſe ſuum teſtamentum, & illud propria manu ſubſcribat, ſi novit, & poteſt ſubſcribere: ſi vero neſcit, vel non poteſt ſubſcribere adhibeat octavum teſtem: qui pro ipſo ſubſcribat vidente notario; & facta mentione ſe id feciſſe de ordine teſtatoris; ſi vero teſtamentum factum eſt propria manu, non videtur neceſſaria ipſius teſtatoris ſubſcriptio, niſi ad majorem cautelam ad hujuſmodi teſtamentum in ſcriptis opus eſt etiam, ut omnes, & ſinguli teſtes eodem tempore ſubſcribant: quod ſi non reperientur, qui ſciant ſcribere, poterit unus teſtis pro aliis ſubſcribere: & debent teſtes ſigilla apponere: ſive ſignent annulo, ſive ſigillo proprio, ſive ſignent alieno, & iure communi ſufficit ſignare eodem annulo: in teſtamento autem in ſcriptis teſtes ſub ſcribentes, non poſſunt inſtitui ut hæredes, alioquin teſtamentum eſt invalidum: ſicut etiam eſt invalidum legatum ipſis relictum, ob præſumptionem fraudis, ſi hæres inſtitutus non erat, alioquin neceſſario inſtituendus & teſtator alia via non manifeſtavit, ſe talem hæredem inſtituiſſe, aut tale legatum illi reliquiſſe. In teſtamento in ſcriptis requiritur etiam dies, annus, & menſis, quoties teſtamentum fit coram tabellione ſcriptura publica; de ratione autem ſcripturæ publicæ eſt, ut ponatur dies, annus, & menſis. Quod non requiritur in teſtamento facto privata ſcriptura: ſed requiritur, ut teſtamentum factum in ſcriptis ſcriptura privata publicetur: quod non requiritur in teſtamento facto in ſcriptis ſcriptura publica. Quia jam cenſetur publicum: ad teſtamentum nuncupativum requiruntur ſeptem teſtes maſculi liberi, vel qui liberi reputentur, puberes: qui videlicet compleverint decimum quartum annum, rogati, ideſt vocati, ſeu invitati: qui teſtes debent ſimul audire, & intelligere vocem, & voluntatem teſtatoris ſcriptam, ſi teſtamentum condatur ſcriptura vel voce expreſſum, ſi teſtamentum ſine ſcriptura conficiatur, non tamen neceſſaria eſt ſubſcriptio, aut ſigillum. Ad teſtamentum factum in tentoriis ſufficiunt duo teſtes rogati; & hoc militat, etiam ſi juſta de cauſa poſt factum hujuſmodi teſtamentum recedat ab exercitu: adhuc enim ejus teſtamentum ſuſtinetur per annum poſt juſtam miſſionem, ſeu receſſum ab exercitu: lapſo vero anno non ſuſtinetur: quia tempus habuit faciendi novum teſtamentum juxta formam

juris

juris communis: ſi autem aufugit à caſtris non gaudet hoc privilegio: quia in pœnam fugæ privatur privilegiis: ad teſtamentum militare factum in conflictu hoſtium nulla juris ſolemnitas requiritur: ſed ſatis eſt, ut miles ſuam ſcripſerit voluntatem in Clipeo vagina, vel re alia proprio ſanguine, & ejus manus probetur duobus teſtibus etiam non rogatis.

Quinam teſtari poſſit. Cap. 984.

1 QUilibet niſi prohibeatur, teſtari, poteſt, modo ſufficientem rationis vium habeat, & liberam bonorum adminiſtrationem: quia quilibet poteſt de re ſua diſponere pro ut vult, modo non impediatur, nec prohibe-tur. Perſonæ autem quæ prohibentur teſtari ſunt. I. carentes uſu rationis, furioſi, amentes. II. ſurdus ſimul, & mutus nativitate; modo privilegio Principis factus non ſit habilis ad teſtandum nam ipſius teſtamentum validum eſt, ſi valeat ſignis ſuam voluntatem ſufficienter explicare; vel ſit ſolum ſurdaſter, qui tarde audiat, aut mutaſter eo quod tarde loquatur: nam validum eſt teſtamentum, quia à jure non irritatur. Mutus autem à caſu, ſeu ex accidenti, qui ſciat ſcribere valide teſtari poteſt. III. prohibetur, qui non poteſt articulate loqui; ita ut hæredem exprimere nequeat. IV. impubes, qui non dum explevit decimum quartum annum, ſit maſculus: ſi vero ſit fæmina duodecimum. V prohibetur prodigus cui prohibita eſt bonorum adminiſtratio. VI. filius familias exiſtens ſub patris poteſtate, etiam ſi ſit pubes, licet pater hoc illi permittat modo non habeat bona caſtrenſia, vel quaſi: de his enim poteſt teſtamentum facere; quia liberam hujuſmodi bonorum adminiſtrationem habet; validum etiam erit eius teſtamentum. Primo ſi factum ſit ad pias cauſas. Secundo ſi id ferant ſtatuta, vel conſuetudines locorum, & ſi Pater fiat hæreticus, quia tunc filius liberatur à patria poteſtate: ſicut etiam liberari videtur, dum pater profeſſionem facit in religione. Quarto ſi captus ſit pater ab hoſtibus; nam ſi filius familias teſtetur, dum pater in captivitate exiſtit validum eſt teſtamentum, quia tunc pater præſumitur mortuus. Quinto ſi filius familias de conſenſu patris teſtamentum fecerit cum clauſula, ſi non valet ut teſtamentum, valeat tanquam codicillus, vel tamquam donatio cauſa mortis, vel omni alio meliori modo: tunc enim valida videtur diſpoſitio, tanquam donatio cauſa mortis, dum filius donare poteſt de conſenſu patris. Septimo illi non poſſunt teſtari, quibus ob delicta teſtari interdictum eſt a jure, quales ſunt. Primo uſurarii notorii. Secundo percuſores Cardinalium, & hæretici. Tertio damnatus ob libellum famoſum. Quarto condemnati ad mortem: qui non poſſunt de jure teſtari niſi aliud ferat locorum conſuetudo, Octavo religioſi, qui votum paupertatis emiſerunt in approbata religione non poſſunt teſtari, non ſolum ad profanas, verum neque ad pias cauſas abſque facultate Summi Pontificis. Nono ſervi, qui vere, & proprie ſervi ſunt teſtari non poſſunt; quia ſervus contrahere non poteſt ſine domini conſenſu, & cum in aliena poteſtate ſit, non habet velle, aut nolle.

Quænam perſonæ poſſint inſtitui hæredes, & legatariæ. Cap. 985.

1 OMnes non ſolum privati, verum etiam communitates poſſunt inſtitui hæredes, & legatariæ modo ſint capaces hæreditatis, & à jure non impediantur: quia ut aliquis inſtituatur, nihil aliud requiri videtur, quàm ut adſit plena poteſtas in diſponente, forma proſcripta à jure, & capacitas in hærede. Civitates hoſtium non poſſunt inſtitui hæredes, quia impediuntur à jure: nec qui ſunt inteſtabiles active propter delictum: ſic committentes crimen læſæ maieſtatis; fratres minores ſunt incapaces hæreditatis, & legatorum: illi autem religioſi poſſunt inſtitui hæredes, & legatariis, quibus permiſſum eſt poſſidere bona immobilia in communi.

Quibus modis poſſit aliquibus hæredes ſubſtitui alteri. Cap. 986.

1 SEx modis poteſt aliquis ſubſtitui. Primo ſubſtitutione vulgari. Secundo pupillari. Tertio exemplari. Quarto fidei commiſſoria. Quinro reciproca. Sexto compendioſa, ſeu breviloqua. Subſtitutio vulgaris eſt ſubſtitutio directa, & ſimplex, qua quilibet non prohibitur po-

teſt

teſt à quolibet , & dicitur vulgaris , quia hac ſubſtitutione quilibet ſubſtit poteſt, hæc ſubſtitutio fit ſi hæres, vel qui ſuccedere debet ab inteſtato , nolit, aut non poſſit eſſe hæres, ſuccedat ſubſtitutus : & hæc conditio ſemper ſub intelligitur in omni ſubſtitutione vulgari . Subſtitutio pupillaris , eſt illa, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ ſubſtituit aliquem ; ut ſi pater dicat ſi filius meus infra pupillarem etatem decedat , ſubſtituo Titium; quo caſu decedente filio infra pupillarem ætatem, ei ſuccedit Titius Subſtitutio exemplaris ea dicitur: quæ inventa eſt ad exemplum ſubſtitutionis pupillaris : & ea eſt, qua quis filio amenti , vel prodigo, vel alia ratione prohibito teſtari ſubſtituitur ; & hæc eſt differentia inter pupillarem , & exemplarem. Primo; quia in pupillari requiritur patr a poteſtas , nam vero in exemplari . Secundo in pupillari omnes ſubſtitui poſſunt ,non vero in exemplari in hac enim ubſtitui debent illi , qui de iure ſuccederent, ut deſcendentes, vel aſcendentes: &his deficientibus ſubſtitui poſſent de iure communi quicumque alii . Subſtitutio fideicommiſſoria eſt illa per quam hæres ab inteſtato , vel teſtamento conſtitutus gravatur reſtituere hæreditatem, vel partem eius aliquotam , ſcilicet dimidiam, tertiam , vel quartam partem alteri , qui vocatur fidei commiſſarius vocatur autem fidei commiſſum , ſeu ſubſtitutio fidei commiſſoria à fide: quia teſtator fidit hæredi, & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituenda , vocatur ſubſtitutio , quia eſt ſecunda inſtitutio facta ſub conditione : ſubſtitutio reciproca , ſeu breviloquia dicitur eo quod brevibus verbis fiat , eſt ea , qua hæredes ſubſtitui ſibi invicem ſubſtituuntur , ut ſi teſtator dicat inſtituo tales hæredes , quos invicem ſubſtituo. Subſtitutio compendioſa, eſt illa, quæ complectitur plures ſubſtitutiones diverſas quo ad tempora : ut ſi dicatur inſtituo Caium filium meum hæredem , & cum migraverit à vita ſubſtituo ei Titium , unde ſi Caius moriatur ante mortem patris, vel alia ratione non fiat hæres, Titius ſuccedit ex ſubſtitutione unigeniti Si Caius acquiſita hæreditate moriatur in pupillari ætate , Titius ſuccedit ex pupillari . Si Caius moriatur poſt pupillarem ætatem , Titius ſuccedit ex fidei commiſſoria . Si Caius ſit amens, titius ſuccedit ſubſtitutione expliata.

Quænam requirantur ad validitatem teſtamenti. Cap. 687.

1 AD validitatem teſtamenti plures conditiones , requiruntur . Prima ut inſtituatur certus hæres capax hæreditatis, qui in univerſum ius defuncti ſuccedat , conſtare enim debet, quiſnam ſuccedere debeat in univerſum defuncti ius , alioquin inſtitutio irrita videtur , niſi forte inſtituatur pia cauſa: & teſtamentum non ſubſiſtit , dum inſtituitur aliquis incapax : Secunda conditio eſt , ille inſtituatur hæres , qui de iure inſtituendus eſt; unde ſi teſtator filium habeat debet illum inſtituere alioquin invalidum eſt teſtamentum eo prætertio . Tertia conditio eſt ut teſtator liberam habeat bonorum adminiſtrationem , nec à jure impediatur teſtari : nullus enim poteſt alteri relinquere , quod non habet , vel cuius tradendi non habet facultatem . Quarta conditio , eſt adſit certus numerus teſtium : videlicet ſeptem , qui ſunt teſtes legitimi, & rogati , ſeu vocati, & illi dicuntur teſtes legitimi, qui non reprobantur à iure , illi autem non reprobantur à iure , qui exuti ſunt qualitatibus expreſſis in his duobus carminibus ·

Ætas , conditio , ſexus , diſcretio fama.
Et fortuna , fides , in teſtibus , ita requires

Ætas requiſita eſt quaturdecim annorum in maſculo, & duodecim in fœmina , Conditio indicat illum non eſſe idoneum teſtem: qui eſt ſervus. Sextus ſignificat a teſtimonio in teſtamentis repelli fœminas nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper fœmina, producit . Diſcretio reſpicit rationis uſum, & ſanitatem mentis; nam carentes uſu rationis , furioſus , & amens non poſſunt eſſe teſtes in teſtamentis; fama indicat infamem repelli à teſtimonio in teſtamentis: fortuna excludit pauperes: iſti n. ob periculum ſubornationis regulariter loquendo repelluntur, & non ſunt teſtes omni exceptione maiores; fides ponitur in primo ad repellandum infidelem à teſtamento contra fidelem Secundo ad excludendos illos de quorum intereſſe agitur ; fides enim quando ſignificat affectionem , ſicut enim nullus poteſt eſſe teſtis

in propria cauſa: ita nec ubi agitur de ſuo intereſſe. Poteſt autem teſtium numerus eſſe minor, quam ſeptem, nam in teſtamento ad pias cauſas duo teſtes ſufficiunt ſic ubi conſuetudine receptum eſt, ut minor numerus ſufficiat: ſic in teſtamento ruſtici facto ruri; dum plures teſtes haberi non poſſunt, quam quinque: idem aſſeritur de teſtamento faciendo tempore peſtis dum peſtis adeo graſſatur, ut major teſtium numerus, quam quinque haberi non poſſit, ſic quando infirmus Teſtamentum facit cum Parocho, vel Principe, vel judice cum duobus Teſtibus, vel tribus.

Utrum teſtamentum, & legatum poſſit à teſtatore revocari. Cap. 988.

1 TEſtamentum, & legatum ſemper poteſt revocari à teſtatore uſque ad mortem, niſi factum ſit a religioſo ante profeſſionem, quia quotidiana cernimus experientia revocari teſtamenta; nec obſtat etiã ſi teſtator adiecerit ſibi pœnam ſolvendam ſi revocaverit, nec ſi dixerir, illud non revocaturum, vel teſtamentum factum ſit cum juramento non revocandi: Religioſus autem profeſſus non poteſt revocare teſtamentum factum ante profeſſionem niſi privilegium obtineat à Summo Pontifice. Teſtamentum antea factum, revocari poteſt, & vires amittit Primo præteritione poſthumi, ſeu liberorum. Secundo querela inofficioſi teſtamenti. Tertio poſteriori teſtamento valido: Quarto expreſſa revocatione ſolemniter facta ideſt coram ſeptem teſtibus, abſque novo expreſſo teſtamento.

De Obligatione hæredum. Cap. 989.

1 HÆres poſtquam hæreditatem adiuit, tenetur ad perſolvenda teſtatoris debita realia: quia ſicut hæres ſuccedit in jura realia: Ita etiam ſuccedit in onera realia; non tamen tenetur ad perſonalia, nam hæc ſequuntur perſonam: & extinguuntur ea extincta. Hæredi conceditur tempus ad liberandum, num velit ad hæreditatem adire, trium menſum à die qua novit ſe inſtitutum hæredem: intra quod tempus, ſi hæreditatem non adierit ad nihil tenetur: etiam ſi inventarium non confecerit; nec ei poteſt intra dictum tempus moleſtia inferri à creditoribus, vel legatariis; debet tamen facere inventarium coram Notario citatis creditoribus, & legatariis, & conficiens inventarium, non tenetur ultra vires, & non ſolum tenetur ad debita ut alii defuncti Hærede: verum etiam ad legata ab ipſo relicta: quia hæres eo ipſo, quo adit hæreditatem, cenſetur contractu in inire cum defuncto, ut ſi velit frui commodo hæreditatis ſentiat etiam Incommodum debitorum, & legatorum. Hæres, cui teſtator mandavit In teſtamento, ut faciat, quod ſibi dictum fuerit a confeſſario, tenetur facere quantum vero ſimile eſt, teſtatorem confeſſario mandaſse: hoc enim pacto videtur ſatisfacere voluntati teſtatoris.

De legatis.

Quid, quotuplex & quibus modis fiat legatum. Cap. 990.

1 LEgatum eſt donatio quedam, quam defuntus præſtandam reliquit ab hærede de eo, quod foret hæredis: legatum duplex eſt univerſale, & particulare, univerſale contingit dum quis gravat hæredem ad reſtituenda omnia ſua bona alteri: & hoc idem eſt ac fidei commiſsum univerſale: particulare contingit, dum hæredi imponitur onus tradendi certam rem alteri. Legatum fit multis modis. Primo pure ideſt abſque conditione, vel determinatione diei: & hujuſmodi legatum debetur Legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris. Secundo ſub conditione, & ſi dicatur, relinquo centum Titio, ſi filius ei naſcatur, in quo caſu legatum non debetur niſi adveniente conditione. Conditio autem vel eſt expreſsa; quia expreſſis verbis adiicitur, vel tacita; quia ex diſpoſitione juris ſubintelligitur, ſeu ex voluntate teſtatoris, ut ſi dicatur relinquo tibi centum in ſingulos annos: intelligitur enim hæc conditio ſi vivas, conſequenter mortuo legatario, non traſmittitur legatum ad ipſius hæredes: rurſus aut conditio eſt de præterito, aut de præſenti, aut de futuro: denique conditio, vel eſt neceſsaria, vel contingens, poſſibilis, vel Impoſſibilia, honeſta, vel turpis Legatum dotis, ut aliqua puella nubat eſt conditionale, ut ſi dicatur relinquo centum Bertæ ſi nubat, nam hujuſmodi legatum non debetur Bertæ antequam

tequam nubat: & mortuo Berta antequam nubat, non transfertur ad hæredes: quia legatum conditionale non acquiritur ante conditionis eventum: ſi vero dicatur relinquo centum Bertæ, ut nubat, vel ut nubere poſſit, probabiliſſimum mihi videtur hujuſmodi legatum eſſe modale, & haberi ante conditionis eventum, & ſic transmitti ad hæredem, niſi aliter de mente teſtatoris colligitur; ſic enim poſtulare videtur natura diſpoſitionis modalis: quia aliquid alicui relinquitur cum onere aliquid præſtandi.

Quodnam dicatur teſtamentum, vel legatum pium & quibus privilegiis gaudeat. Cap. 991.

1 TEſtamentum, vel legatum pium, ſeu ad pias cauſas dicitur illud, quod pietatem re ipſa continet, & fieri cenſetur intuitu pietatis, ideo legatum pium eſt, dum relinquitur aliquid in honorem Dei, vel Sanctorum, vel pro animæ ſalute, ut dum relinquitur aliquid miſerabilibus perſonis, viduis pupillis, peregrinis, aut Hoſpitalibus, aut Eccleſiis, aut pro luminaribus, organis, vel ornamentis Eccleſiæ. Teſtator conficere debet teſtamentum, ſeu legatum, dum in gratia exiſtit, ut illi proſit diſpoſitio legatorum, quia bonum opus in mortali peccato factum cenſetur opus mortuum unde non prodeſt ad gloriam: ſi autem teſtator confecit teſtamentum dum in mortali peccato exiſtebat, curandum eſt, ut illud ratificet, poſtquam conſecutus fuit gratiam ſanctificantem, nam ratificatio legati eſt approbatio legati pii, quod revocare poſſet ſi vellet, hujuſmodi autem approbatio prodeſt ad ſalutem, ſi in ſtatu gratiæ fiat.

2 Legata pia multis gaudent privilegiis quibus non gaudent alia legata. Primo in teſtamento, aut legato ad pias cauſas non requiritur ſolemnitas juris civilis: ſed ſufficit ſolemnitas juris naturalis, quia pia cauſa non ſubiicitur laicæ poteſtati. nec princeps ſecularis poteſtatem habet circa res Eccleſiaſticas, vel Spirituales. Secundo legatum pium non eſt caducum, ſed ſuſtinetur quovis modo ſuſtineri poſſit, & ſi præſtari nequit illi, cui relinquitur, applicatur alteri pio loco. Tertio in legatis, vel fidei commiſſis ad pias cauſas poteſt legatarius vel fidei commiſſarius capere legatum, vel fidei commiſſum propria auctoritate. Quarto à legatis vel fidei commiſſis non detrahitur falcidia vel tribellianica, etiam ſi teſtator non prohibuerit illam detrahi, quia falcidia, & Tribellianica detrahitur à legatis ex diſpoſitione juris civilis: ius autem civile poteſtatem non habet circa legata pia. Quinto cauſa pia, quæ relicta fuit, hæres non tenetur ultra vires hæreditatis ad ſolvenda debita teſtatoris: etiam ſi cauſa pia non fecerit inventarium dum adiit hæreditatem: quia hoc provenit ex diſpoſitione iuris civilis: cui non ſubiicitur cauſa pia. Sexto quando in teſtamento extant aliqua legata profana, & aliqua pia, ſed bona hæreditaria non ſufficiunt ad ſatisfaciendum legatariis, & aliis creditoribus: prius ſatisfaciendum eſt creditoribus teſtatoris: ſi tamen non ſuperſint bona integre ſatisfaciendum legatariis, non ſunt diminuenda legata profana & pia pro rata: ſed tota diminutio facienda ex legatis profanis: ſi ea ſufficiunt ad ſolvendum: & legata pia integre ſolvenda ſunt: oppoſita tamen ſententia aſſerens diminutionem faciendam eſſe ab omnibus legatis, etiam piis, quando non ſufficit hæreditas ad ſatisfaciendum omnibus legatis, probabilis mihi videtur. Septimo legatum pium latiſſime explicandum eſt: quod mihi non probatur.

Quænam legari poſſint. Cap. 992.

1 LEgari poſſunt illæ res, ad quas teſtator habet jus: quare legatum, quo quis legat dotem uxori non eſt validum: quia dos non eſt Mariti, ſed uxoris. Legato autem principali cenſetur etiam legata acceſſoria illius, quia principale trahit ad ſe acceſſorium: & ideo. Primo legato lecto, cenſentur etiam legata ornamenta illius. Secundo legato viridario cenſentur etiam legatæ arbores in eo contentæ. Tertio legata domo, cenſetur etiam legatum viridarium domui cohærens: Quarto legatis veſtibus, cenſentur etiam legata ornamenta. Quinto legatis omnibus bonis: intelliguntur legata etiam jura, & actiones. Sexto legato peculio, intelligitur legatum, quicquid teſtator habet in peculio: & ſic dominium, vel lucrum quod advenit peculio vivente teſtatore. Septimo legati alimentis, intelligitur legatum, cibum, potum, & ea

quæ

Digitized by Google

quæ pertinent ad habitationem, medicinam &c. Octavo legata ſupellectili: intelliguntur legatæ omnes res mobiles, quæ ad quotidianum uſum faciunt: Nono legato potu intelliguntur legata ea, quæ ad cibum, & potum pertinent.

Quibus perſonis fieri poſſit legatum, & ſolvi debeat. Cap. 993.

1 LEgatum fieri poteſt omnibus perſonis capacibus bonorum, modo non ſint perſonæ omnino incertæ; quia legatum pendet à voluntate diſponentis, & à capacitate legatarii acceptantis: hæreticus manifeſtis, vel apoſtatis fieri non poteſt legatum: quia ſic habetur (l. Manichæor C. de hæreticis,) nec poteſt fieri Collegio illicito, & reprobato, quod ſcilicet à ſuperiore legitimo approbatum non eſt, quia videtur legatum factum incapaci legari, & teſtamenti, Tres actiones competunt legatario ratione legati ad conſequendum legatum. Prima eſt perſonalis cum enim hæres adeundo hæreditatem videtur quaſi contractum cum legatariis, & àliis creditoribus defunctis facere, ſeque obligare ad perſolvenda defuncti debita, legatarius acquirit jus contra hæredem ad conſequendum legatum, quod defunctus ſibi reliquit: Secunda eſt actio ipothecaria, nam ſi alicui factum ſit legatum ſpeciei, non ſit ſpeciei, ſeu certæ rei: res illa remanet hypothecata legatario, imo ſi legatum non ſit ſpeciei, ſeu certæ rei, ſed quantitatis, legatarius habet jus hypothecæ in omnia bona teſtatoris, ita diſponente jure. Tertia eſt rei vendicatio, cum enim legatarius acquirat dominium rei legatæ a die mortis teſtatoris, ita diſponente jure ſequitur legatario acceptanti legatum competere rei vendicationem contra hæredem, & alios rei legatæ poſſeſſores: & ideo poteſt implorare officium iudicis, aut ſalvianum interdictum intentare.

Cui ſolvendum ſit legatum, dum eadem res legato relicta fuit duobus, vel pluribus

Cap. 994.

1 DUm eadem res legata fuit duobus, utrique ſolvenda eſt pro rata, dum utrique conjunctim relicta fuit, & uno repudiante ſuam partem; illa pars accreſcit volenti, præſertim ſi re, & verbis ſit coniuncti; quia hoc pacto ſervatur æqualitas, & adimpletur intentio teſtatoris, quando teſtator hæredem inſtituit in re particulari: efficitur hæres univerſalis, iure ita diſponente, dum teſtator hæredem univerſalem non inſtituit; teſtator autem non poteſt juris communis diſpoſitionem auferre aut impedire, ne diſpoſitio juris locum in ſuo teſtamento habeat, & ne jus accreſcendi comperat hæredi inſtituto in re particulari. Quando teſtator reliquit aliquid certis perſonis quas hæredes elegerint: legatum tradendum eſt illi quem elegerit hæres, ſi autem hæres nullum elegerit, legatum æqualiter dividendum eſt inter eos, quorum unus erat eligendus, non enim eſt major ratio cur uni potius tradatur, quam alteri.

Quandonam ſolvendum ſit legatum, & quo ordine ſolvenda ſunt debita, & legata. Cap. 995.

LEgatum ſolvendum eſt ſtatim poſt teſtatoris mortem, quia legatarius à die mortis acquiritur dominium rei legatæ Hæres in ſolvendis debitis hunc ordinem; ſervare debet: prius ſolvenda ſunt debita, & deinde legata: & debita ex contractu oneroſo prius ſolvenda ſunt, quam debita ex contractu gratuito, & prius ſolvenda ſunt vota realia facta à teſtatore, quam legata. Solutio autem legatorum facienda eſt ad ratam, quia par videtur omnium ratio, & jus.

Utrum hæredes poſſint aliquid ſibi retinere, quando hæreditas non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis. Cap. 996.

1 HÆredes neceſſarii, quibus hæreditas debetur ab inteſtato, poſſunt ſuam partem legitimam ex bonis teſtatoris detrahere, quamvis bona teſtatoris non ſufficiant ad perſolvenda legata, nam hæredes neceſſarii non poſſunt privari ſua legitima: ob id legitima ſic definitur (eſt certa portio ab inteſtato certis perſonis,) ideſt parentibus in bonis liberorum, & liberis in bonis parentum. Hæredes non neceſſarii, quibus legitima portio non habetur, poſſunt

ſunt ad ratam à ſingulis detrahere quartam partem bonorum defuncti quæ falcidia nuncupatur, etiam ſi bona defuncti non ſufficiant ad ſatisfaciendum legatis ab ipſo relictis, modo teſtator expreſse non prohibuerit detractionem falcidiæ, vel legata non ſint ad pias cauſas, hoc tamen intelligendum eſt, modo teſtator non conceſſerit hæredi ut falcidiam detrahat; teſtator enim concedere poteſt heredi, ut falcidiam detrahat in his caſibus, in quibus alias detrahi non poſſet: deducenda eſt autem falcidia attenta quantitate bonorum defuncti tempore mortis, detracto tamen prius ære alieno, nam bona alicujus dicuntur ea quæ ſuperſunt deducto ære alieno, & detractis etiam expenſis in adeunda hæreditate.

Quandonam hæres liber ſit à ſolutione legati. Cap. 997.

1 MUltis de cauſis liberatur hæres à ſolutione legati. Prima eſt quando legatum eſt invalidum, quod poteſt contingere Primo defectu voluntatis, aut poteſtatis in diſponente. Secundo defectu ſolemnitatis à jure præſcriptæ. Tertio ratione materiæ, ut quando legatur id quod legari non poteſt. Quarto ratione perſonæ, cui fit legatum, ut ſi perſona cui legatur ſit incapax, aut ſi non exiſtat in rerum natura, aut ſi factum ſit cum errore circa ſubſtantiam perſonæ. Quinto defectu cauſæ finalis, ob quam factum fuit legatum nam deficiente cauſa finali, legatum non ſubſiſtit. Secunda cauſa, ob quam hæres liber eſt à ſolutione legati, eſt revocatio expreſſa, vel tacita legati facta à teſtatore. Tertia eſt dum res legata perempta eſt abſque culpa hæredis, quia res Domino perit. Quarta eſt dum legatum efficitur caducum: efficitur autem caducum primo quando legatarius moritur ante ipſum teſtatorem, tunc enim legatum accreſcit hæredi: Secundo fit caducum, dum legatum relictum fuerat ſub conditione, vel onere faciendi, quod poſtea comperitur ab alio factum fuiſſe teſtatore vivente, & inſcio, ut ſi teſtator reliquit mille pro fabricando in tali loco altari, quod poſtea ab alio inſcio teſtatore conſtructum fuit, quia illa conditio fortuito jam erat impleta. Quinta cauſa eſt dum legatarius repudiat legatum.

An legata relicta ad unum uſum, poſſint in alium uſum converti, ſeu an aliquando derogari poſſit teſtamentis, & legatis. Cap. 998.

1 LEgata relicta ad unum uſum, non poſſunt in alium uſum converti: abſque juſta, & rationabili cauſa, & legitimi ſuperioris conſenſu, quia voluntas teſtatoris, ſervanda eſt tamquam lex: ex juſta autem cauſa, & publica neceſſitate, poteſt legatum in unum uſum relictum commutari ad alium, legitimus autem ſuperior in teſtamentis, & legatis profanis eſt Princeps ſupremus, non agnoſcens alium ſuperiorem in temporalibus, hic enim poteſt derogare teſtamento, & legato facto ad cauſam profanam, convertendo illud ex juſta cauſa in aliam cauſam profanam, vel piam. Legitimus autem ſuperior in cauſis piis eſt ſummus Pontifex; quia ſummam in terris habet poteſtatem unde poteſt teſtamentum, vel legatum factum ad uſum pium convertere in alium pium uſum Epiſcopus autem ob cauſam, quæ ſibi juſta videatur, conſentiente hærede ſi ob id gravetur, & loco pio, gravia fuerat delicta, poteſt legatum prius relictum ad certum uſum convertere in alium pium uſum quia nulli fit injuria, nam hæres, & locus pius cedunt juri ſuo conſentiendo.

Quiſnam ſit competens Judex circa ſolutionem legatorum. Cap. 999.

1 IN legatis profanis legitimus judex, eſt judex ſæcularis, coram quo aliæ ſæculares cauſæ agitari conſuerunt: quia juriſdictio laica diſtincta eſt ab Eccleſiaſtica: ſicut ergo legata pia ſubiiciuntur poteſtati Eccleſiaſticæ, ita legata profana, & ſæcularia ſubiiciuntur poteſtati laicę, & hoc etiam ſi is, cui legatum profanum relictum fuit ſit perſona Eccleſiaſtica, eique legatum relictum ſit pro cauſa profana, ut ſi teſtator reliquit centum fratri ſuo presbytero, non ex cauſa pietatis, ſed intuitu conſanguinitatis tunc enim ille presbiter petere debet ſolutionem illius coram judice, cui ſubiicitur hęres à quo ſolvendum eſt legatũ. In legatis autem piis judex legitimus, competens eſt Eccleſiaſticus: quare Epiſcopus loci eſt judex legitimus circa legata pia: addo Epiſcopum eſſe legitimum ultimarum vo-

luntatem, & priorum legatorum executorem non ſolum jure civili, ſed etiam canonico, ut patet ex *Conc. Trid. ſeſſ* 22.

De executionibus teſtamenti, aliarum que ultimarum voluntatum.

Quid ſit executio. Cap. 1000.

1 EXecutio eſt exhibitio, ſeu ſatisfactio ſeu adimplerio illius quod præſtandum erat ob id ille dicitur exequi ſententiam judicis, qui præſtat id quod judex decrevit; ſeu qui opera publici executoris eam ſatisfactionem exhibet, ad quam à judice condemnatus: & fuerat ille dicitur exequi ultimam voluntatem, qui adimplet id, quod in ultima voluntate diſpoſitum fuit juxta miniſterium ſibi demandatum:

Quotuplex ſit executor. Cap. 1001.

2 EXecutores ultimarum voluntatum ali conſtituuntur à jure, & legitimi vocatur, alii ab homine, & vocantur teſtamentarii, & propterea Epiſcopi dicuntur executores legirimi quia ipſis à jure demandatur onus curant, ut defunctorum voluntates circa pia opera adimpleantur. Executores vero teſtamentarii duplices ſunt; alii enim ſunt univerſales, alii particulares, univerſales dicuntur illi quibus mandatur executio totius teſtamenti, ut quando nullus inſtituitur hæres præter animam defuncti, ſeu piam cauſam, ſeu paupers in communi, & conſtituitur aliqu s, ſeu aliqui, qui voluntatem defuncti adimpleant. Particulare dicuntur, illi, quibus teſtaror forte dubitans de fide hæredis curam demandavit exequeus di diſpoſita ab ipſo teſtore.

Qui conſtitui poſſit executor. Cap. 1002

1 OMnes qui de jure non prohibentur conſtirui poſſunt executores ultimarum voluntatum, unde poſſunt eſſe Epiſcopi, Clerici, ſeu Sacerdotes, fœminæ, frates, & ſorores Adoleſcens excedens decimum ſeptimum annum; Nullus religioſus poteſt eſſe abſque ſuperioris licentia, quæ concedenda eſt ab immediato conventus ſuperiore; & ſufficit tacite.

Quodnam ſit munus, & obligatio executoris. Cap. 1003.

1 MUnus executoris eſt perſolvere debita teſtatoris, & alia præſtare, quę ipſi impoſita fuerunt à teſtatore: quia executor conſtituitur ad præſtandum id, quod ipſi reſtator iniunxit: & propterea executor, qui negligenter ſe gerit in executione reus eſt culpæ pro æqualitate negligentiæ: quia delinquenti contra proprium officium; addo teneri ad damni reſtitutionem, quod alter ob ipſius culpam paſſus eſt: addo executorem, qui doloſe, aut valde negligenter ſe gerit in adimplenda voluntate teſtatoris, removeri poſſe ab officio executoris, non obſtante qualibet cautione. Quando autem teſtaror plures conſtituit executores poteſt unuſquiſque munus executoris exequi al iis abſenribus, vel impeditis, aut exequi nolentibus, niſi aliud teſt tor expreſſe præſcripſerit, quia ſinguli executores cenſentur conſtituti in ſolidum, ita ut unus ſine alio agere poſſit. Tenentur autem executores rationem adminiſtrationis reddere; quia ſunt veluti tutores, & procuratores bonornm defuncti: & propterea cogi poſſunt addendam rationem de fideli adminiſtratone. Executio autem teſtamenti, dum teſtaror nullum conſtituit executorem ſpectat ad hæredem: quia qui ſuccedit in jura, ſuccedit etiam in onera.

De Tutoribus, & Curatoribus.

Quiſnam dicatur tutor, & curator. Cap. 1004.

1 TUtoris dicitur, qui datur pupillo, ſeu impuberi extra patris poteſtatem exiſtenti. Turor dicitur à tuendo, quaſi tuor ſeu defenſor, & principaliter, quidem datur in defenſione perſonæ, quæ propter ætatem defendere ſe nequit: Secundario vero datur ad tuendas res illius; ex oppoſito curator principaliter darur ad defendendas res ſecundario ad defenſionem perſonæ. Curator dicitur ille; qui minori datur, ut ipſius res principaliter teneatur, ſecundario perſonam.

Quo-

Digitized by Google

Quotuplex ſit tutor & a quo dari poſſit.
Cap. 1005.

1 TUtores triplicis generis ſunt : alii ſunt teſtamentarii, alii legitimi, alii dativi. Tutor teſtamentarius eſt ille, quem teſtator in teſtamento conſtituit. Tutores legitimi vocantur illi qui dantur à lege; ut eſt tutela: quæ imponitur agnatis, & cognatis, deficiente tutela teſtamentaria: jus enim ſtatuit, ut illi agnati, vel cognati, qui pupillo ab inteſtato ſuccederent, illius tutelam ſuſcipiant, deficiente tutela teſtamentaria. Tutores dativi dicuntur illi, qui dantur à judice : dantur autem à judice quoties tutor teſtamentarius captus eſſet ab hoſtibus: aut alia ratione impeditus eſſet ad exercendam tutelam.

Quinam inſtitui poſſint tutores. Cap. 1006.

1 ILli inſtitui poſſunt tutores, qui alterius cauſam ſuſcipere poſſunt, & à jure non prohibentur, quia tutor datur ad defendendum pupillum, & ipſius bona, quare impuber non poteſt conſtitui tutor, quia indigent alieno auxilio. Religioſi non poſſunt conſtitui curatores, aut tutores teſtamentarii dativi, aut legitimi : quia prohibentur à jure.

Quodnam ſit officium tutoris, & curatoris.
Cap. 1007.

1 OFficium tutoris eſt curam gerere pupilli : ejuſque bona rite, & fideliter adminiſtrare, quia ad hunc finem tutor conſtituitur, & aſſignatur pupillo inſtar patris, quare ſi tutor hac in re delinquat, aut notabiliter negligens ſit, graviter peccat & ad reſtitutionem damni obligatur. Tenetur autem Primo Tutor perſona pupilli defendere, & tueri dum opus eſt. Secundo pupillum bonis moribus impubere, & informare. Tertio tutoribus, integrum eſt pupillum impuberē, non tamen invitum, etia ſi fœmina ſit, religioni offerre, ut in ea ſub regulari diſciplina vivat. Quarto tutor poteſt avocare pupillum impuberem a religione, dum tutor illum non obtulit religioni. Quinto tutor tenetur bona pupilli fideliter adminiſtrare : & ideo dum tutori officium capit, conficere debet inventarium, alioquin repelli poteſt ab officio ob ſuſpicionem fraudis, Sexto tutor, & curator tenetur conſervare omnia jura, bona, & actiones ſui pupilli, ſeu minoris: & vendere bona alioquin peritura, & pecuniam pupilli convertere in emptionem bonorum ſtabilium. Septimo tutor, ſeu curator, qui pecuniam pupilli in ſuos uſus convertit, tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus culpa tutoris, vel minor culpa curatoris. Octavo tutor, & curator tenetur ad reſtituendos, deductis expenſis, omnes fructus, quos ex bonis pupilli, ſeu minoris percipere poterant, ſed ſua culpa non perceperunt. Nono tutor, ſeu curator non poteſt compromiſſum facere de rebus claris, ſed de rebus dubiis, alioquin compromiſſum irritum eſt; & tutor, ſeu curator tenetur ad expenſas. Decimo tutor tenetur nomina debitorum exigere, perſolvere debita pupilli, ita tamen, ut commodo, & utilitati pupilli conſulat. Undecimo tutor, vel curator non poteſt donationem, vel remiſſionem gratioſam de bonis pupilli; vel minoris facere. Duodecimo tutor non poteſt juſta ex cauſa querelam remittere, & pacem cum inimico pupilli inire : quia poteſt utilia pro pupillo præſtare inſtar patris. Decimo tertio tutor, ſeu curator poteſt ſtatim minoris triticum, oleum, & alios pupilli, ſeu minoris fructus vendere, nec tenetur illos alio transferre, aut ſervare in tempus, quo varius valebunt. Tutor teſtamentarius non poteſt legatum teſtatore ſibi relictum accipere, dum onus tutelæ recuſat: tutor, ſeu curator tenetur rationem reddere.

Quomodo differat tutor a curatore.
Cap. 1008.

1 TUtor in multis difert a curatore. Primo tutor dari poteſt invito, curator datur petenti, non vero invito, niſi ad litem. Secundo tutor principaliter datur perſonæ; curator datur principaliter rebus. Tertio tutor non datur ad certam rem curator vero dari poteſt ad certam rem, ut ad certam litem, &c. Quarto tutor impuberi, curator puberi, ſed minori; licet aliquando dari poteſt etiam impuberi, ut quando impubes habet tutorem, ſed non id nomen, aut aliquo detentum impedimento.

Quibus modis officium tutoris, & curatoris finiatur. Cap. 1009.

1 TUtela multis modis finitur, qui his verſibus comprehenduntur.

Suſpicio, Crimen, mors, conditio, ſtatus. Ætas, tempus, cauſa ſolent tutelæ ponere metas.

(Suſpicio,) quæ contingit dum tutor diſſipat bona pupilli, aut ipſius vitæ inſidiatur, aut alia facit contraria officio tutoris: hic removendus eſt ab officio. (Crimen) propter quod pupillus deportatur, aut bannitur, ſic etiam quando tutor ipſe deportatur, aut in exilium repellitur. (Mors,) Tutoris, aut pupilli, nam mors omnia ſolvit. (Conditio) quando datus fuit tutor ſub conditione; qua adempta tutor eximitur ab onere tutelæ. (Status) mutatione ſtatus pupilli, vel tutoris fieri poteſt, ut tutela ceſſet (Ætas;) tutela ceſſat poſtquam pupillus factus eſt pubes. (Tempus) conceſſum ad tempus, eo lapſo prohibitum cenſetur. (Cauſa) juſta ob quam tutor tutelæ onus renuit, ut eſt cauſa militiæ.

De ſucceſſionibus ab inteſtato.

Quis dicatur inteſtatus, & quid ſucceſſio. Cap. 1010.

1 INteſtatus dicitur is, qui moritur non facto teſtamento, ut quia morte præventus teſtari non potuit, vel noluit, aut quia inabilis erat ad teſtandum, aut quia teſtamentum invalidum fecit, aut quia ruptum fuit; aut quia teſtamentum revocatum fuit, aut alia ratione fuit invalidum. Succeſſio eſt acquiſitio loci alterius, ſeu aſſēſio in locum alterius: ut ſi quis officium Tertii obtineat, dicitur ſucceſſor Titii in officio.

Quotuplex ſit ſucceſſio. Cap. 1011.

1 SUcceſſio alia eſt particularis, alia univerſalis: ſucceſſio particularis, ſeu ſingularis dicitur, dum quis in rem aliquam ſingulariter ſuccedit, ut in rem legatā vel donatam, &c. Succeſſio univerſalis contingit dum quis in univerſum jus alterius ſuccedit ut contingit hæredi: præterea ſucceſſio alia eſt de gradu in gradum, alia de capite in caput: ſucceſſio de gradu in gradum contingit dum priore gradu ſublato, ſed vacuo exiſtente, in ejus locum aſcendit, qui inferiorem gradum tenebat, ut filio ſuccedit nepos, &c. ſucceſſio de capite in caput contingit, dum excluſo uno capite admittitur alterum, ut ſucceſſio agnatorum eſt unum caput, ſucceſſio cognatorum eſt aliud; rurſus ſucceſſio alia dicitur in capita, alia in ſtirpes: ſucceſſio in capita contingit, dum tot portiones bonorum fiunt, quot ſunt perſonæ: ſucceſſio in ſtirpes contingit, dum plures perſonæ vocantur, ſeu admittuntur ad unam portionem ratione repræſentationis alterius perſonæ: & dum nepotes ſuccedunt cum ſuis patruis in hæreditatem avi: denique ſucceſſio, alia eſt aſcendentium in bonis deſcendentium: aſcendentes enim ſuccedunt in bonis deſcendentium; quoties defunctus non reliquit deſcendentes; aut collaterales in primo gradu; alia eſt deſcendentium in bonis aſcendentium, ideo filius ſuccedit patri: & ſic de cœteris; alia denique eſt collateralium, ſeu tranſverſalium.

Quo ordine ſucceſſio fiat. Cap. 1012.

1 TRiplex regula in hac materia ſucceſſionis ſervanda eſt. Prima eſt circa ſucceſſionem deſcendentium: ſi quis decedat relictis filiis legitimis, aliis deſcendentibus, jure communi ſuccedunt filii aliique deſcendentes, excluſis aliis omnibus, obſervanda tamen eſt in hac re duplex differentia: prima eſt, ut deſcendentes ex eodem patre, & matre jure communi ſuccedant æqualiter: non habita ratione ſexus maſculini, vel fæminini. Secunda differentia eſt, ut deſcendentes paris gradus, & primi gradus ſuccedant æqualiter in capita, ſecus ſi ſint diſparis, & inæqualis gradus, ut ſunt patrui, & nepotes, aliique ulterioris gradus; tunc enim patrui ſuccedunt in capita, nepotes vero in ſtirpes ratione perſonæ, quam repræſentent. Secunda regula eſt circa ſucceſſionem aſcendentium, dum quis decedit nullis relictis deſcendentibus, ſed ſolum aſcendentibus: parentes ſuccedunt liberis modo liberi non eſſent ſpurii, ſed legitimi, & naturales tantum. ſicut liberi ſuccedunt parentibus; dum ergo filius legitimus decedit ſuperſtite patre, & matre, pater, & mater jure communi ſuccedunt æqualiter, excluſis

ſtite-

ſite patre, & matre, pater, & mater jure communi ſuccedunt æqualiter, excluſis omnibus aliis; pater tantum, vel mater ſi ſit ſuperſtes, ſuccedit ſuperſtes, excluſis omnibus aliis. Tertia regula eſt circa ſucceſſionem collateralium tantum, dum quis decedit relictis ſolum collateralibus: ſuccedunt primo fratres, & ſorores utrinque conjuncti in capita, & conſimilium fratrum filii in ſtirpes ratione repræſentationis: his deficientibus vocantur fratres, ex altero tantum parente conjuncti in capita, & conſimilium fratrum filii in ſtirpes, ita tamen, ut conjuncti ex latere paterno ſuccedant in bonis paternis: & conjuncti ex latere materno ſuccedant in bonis maternis; in bonis vero acquiſitis per patrem, & matrem ſuccedunt æqualiter. Hæc tamen eſt differentia inter aſcendentes, deſcendentes, & collaterales, quia aſcendentes, & deſcendentes ſuccedunt uſque ad decimum gradum, facta graduum computatione juſta computationem juris civilis, non juſta computationem juris canonici.

De Sepulturis.

Quid ſit ſepultura. Cap. 1013.

1 SEpultura materialiter ſumpta eſt locus in quo cadaver mortui reconditur: & communiter vocari ſolet ſepulcrum: dicitur autem ſepulcrum, ſeu ſepultura ſepeliendo, eo quod cadaver homini veluti ſæpe circumdetur, vel circum ſepiatur. Sepultura formaliter ſumpta eſt actio, ſeu officium ſepeliendi pertinens ad charitatem, ſeu pietatem, ac miſericordiam erga defunctos Sepultura autem à mortuariis, & funeralibus differt, nam Sepultura materialiter ſumpta accipitur pro loco in quo cadaver permanenter collocatur: mortuaria accipiuntur pro officiis mortuorum: quæ abſente cadavere celebrantur ut ſunt anniverſaria, & ſimilia; funeralia vero dicuntur omnia, quæ præſente cadavere in actus ſepulturæ fiant, vocantur autem funera à funibus, eo quod cadaver alia funibus conſtringeretur, donec ſepulturæ daretur.

Quinam ſepeliendi ſunt in loco ſacro. Cap. 1014.

1 OMnes catholici ſepeliendi ſunt in loco ſacro, niſi juſta de cauſa prohibeantur: quia ſepultura Eccleſiaſtica inſtituta eſt pro Chriſti fidelibus, ut ſepulturæ Eccleſiaſticæ privilegiis gaudent. Pagani autem, Judæi, aliique infideles excluduntur à ſepultura Eccleſiaſtica quia iſti ſunt extra Eccleſiam. Catechumeni ſepeliendi videntur in Eccleſia, quia non ſunt pagani cum fieri vellent Chriſtiani, & mortui ſunt cum voto baptiſmi, ut ſuppono: licet baptiſmum actu non ſuſceperint. Puer qui mortuus, aut vivus in lucem editus eſt ſed baptiſmum nō ſuſcepit, non poteſt in loco ſacro ſepeliri: quia hic eſt paganus. Infans ſecundina baptizatus ſunt rationes pro utraque parte, unde ſepeliendus eſt: in loco ſacro: dicitur niſi juſta de cauſa prohibeatur; nam Eccleſiaſtica ſepultura privantur. Primo hæretici, apoſtatæ, excommunicati, interdicti uſurarii manifeſti, aut mortui in duello. Secundo occidentes ſcienter ſe ipſos. Tertio affecti extremo ſupplicio pro patratis ſceleribus: iſti enim carere debent Eccleſiaſtica ſepultura, niſi pœnitentiæ ſigna dederint. Quarto meretrices publicæ: quæ ad meliorem vitæ frugem non redierunt. Sepeliens autem eum in Eccleſia quem Eccleſia privat Eccleſiaſtica ſepultura peccat mortaliter: quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in materia gravi, imo ſi ſepeliat excommunicatum, vel interdictum, vel notorium uſurarium, ligatur majori excommunicatione, modo is qui ſepelitur ſit vitandus, juſta autem cauſa ſubſiſtente impediri poteſt, ne cadaver in loco ſacro ſepeliatur. Primo quando Princeps juſta de cauſa ad terrorem aliorum vult corpus delinquentis remanere ſuſpenſum in patibulo, modo re ipſa gravis ſub ſit cauſa id faciendi. Secundo quando quis recepit decimas Eccleſiaſticas, illaſque non reſtituit.

Quo in loco quis ſe peliri debeat. Cap. 1015.

1 CHriſti fideles ſepeliendi ſunt in loco ſacro, & ob plures cauſas corpora mortuorum ſepeliuntur in loco ſacro. Prima eſt, ut careant infamia, qua notantur

carentes Eccleſiaſtica ſepultura. Secundo eſt, ne vexentur a malignis ſpiritibus. Tertia ut participes ſint ſuffragiorum, & orationum, quæ eo in loco fiunt pro mortuis ibi exiſtentibus. Quarta, ut juventur interceſſione ſanctorum, quibus dicatus eſt locus ille ſacer, & quorum reliquiæ ibi exiſtunt. Epiſcopus habet jus dandi facultatem conſtruendi ſepulturam. Provincialis regularium poteſt in ſua Eccleſia facultatem conſtruendi ſepulturam concedere: qui habet propriam ſepulturam poteſt impedire ne alter ſepeliatur in ea, deficiente familia, ſeu progenie illorum, qui habent jus ſepulturæ in Eccleſia, extinguitur illud jus, & ad Eccleſiam redit.

3 Non ſatis eſt, ut quis ſimpliciter ſepeliatur in quolibet loco ſacro, ſed quilibet ſepelie dus eſt regulariter loquendo in ſua parochiali Eccleſia, niſi ſepulturam elegerit, aut niſi aliud ferat locorum conſuetudo, nam ubi recipiuntur ſacramenta, ibi etiam recipi poteſt Eccleſiaſtica ſepultura, cuicumque autem ſufficientem diſcretionis uſum habenti liberum eſt ſepulturam ſibi eligere ubique. Qui in aliquo loco domicilium habet, ſepeliendus eſt in eo loco: qui ſepulturam eligit, ſed revocavit ſepeliendus eſt in ſepulcro ſuorum majorum, vel in Eccleſia parochiali. Vagabundus ſepeliendus eſt in Eccleſia ubi decedit, Peregrinus moriens extra parochiam transferendus eſt ad propriam: Epiſcopus ſepeliendus eſt in propria cathedrali Eccleſia vel ubi ſepulturam elegerit: filius familias in Eccleſia parochiali vel potius in ſepulcro ſuorum maiorum. Papa Romæ. Cardinalis qui ſepulturam non elegit in Eccleſia S. Joannis Laterani. Canonicus in cathedrali Eccleſia Capelanus in Eccleſia parochiali, vel potius in propria Eccleſia. Vicarius in Eccleſia ubi eſt Vicarius. Religioſi in ſuis monaſteriis. Moniales in ſuo monaſterio. Infantes expoſitio in parochiali Eccleſia, ſeu in ſepultura Hoſpitalium. Viator in cathedrali, aut in parochia ubi decedit. Nemo poteſt eligere ſepulturam pro eo qui eſt ſui juris, & pubertatem nactus eſt. Inducens alium ad eligendum ſepulturam, ſed non ad mutandam electam incurrit excommunicationē, Cadaver ſepultum ubi ſepeliendum non erat transferendum eſt, & reſtituendum cum omnibus oblationib. ſuæ Eccleſiæ. Epiſcopus, aut judex ordinarius abſq; metu irregularitatis, poteſt dare facultatem Judici ſeculari exhumendi cadaver defuncti, ut inde capiantur informationes. Cadaver tradi poteſt medicis ad faciendam anatomiam ſaltem dum præceſſit conſenſus mortui.

An ſepulturæ locus vendi poſſit, aut aliquid capi pro actu ſepulturæ. Cap. 1016.

1 Sepulturæ locus deputatus jam, & mancipatus ad ſepulturam vendi non poteſt, præciſa in contrarium conſuetudine: quia ut ſic cenſetur locus ſacer, & jure Canonico vendi non poteſt c. abolendæ de ſepulturis. Pro actu, ſeu functione ſepeliendi: ſeu pro exequiis nihil accipi poteſt, niſi liberaliter tradatur, aut ſic ferat honeſta conſuetudo, vel juſtus titulus: quia hujuſmodi actio eſt res ſpiritualis, & ideo eſt materia ſimoniæ, & ſic decernitur in c. ad Apoſtolicam de Simoniæ: ubi ſtatuitur, nihil exigi poſſe, niſi quod juxta laudabilem conſuetudinem exigi conſuerit, legitima enim conſuetudine induci poteſt ut aliquid tradatur, & exigatur non tamquam pretium actus ſpiritualis: hoc enim eſt intrinſice malum, nec cohoneſtari poteſt ob conſuetudinem, ſed pro labore extrinſeco, vel titulo ſuſtentationis, aut aliis, de cauſis, pro quibus aliquid accipi poteſt juxta laudabilem conſuetudinem vel titulum, & non ultra.

Qui nam ritus ſervandus ſit in ſepeliendis mortuorum corporibus. Cap. 1017.

1 Corpora mortuorum ſepelienda, ſunt eo ritu, quem Catholica ſervat Eccleſia nam quilibet accomodare ſe debet ritui ſanctæ Matris Eccleſiæ, quæ à Spiritu Sancto regitur, & gubernatur: ſed quia non omnino ritus apud omnes fideles ſervatur præſertim accidentalis, & extrinſecum: ideo ſpectandus videtur cujuſlibet regionis uſus, & praxis apud nos autem hic mos inolevit. Primo ut corpora mortuorum laventur: Secundo ut decenti veſtiantur habitu. Tertio ut corpora deferantur ad ſepulturam comitante fidelium cætu cum pſalmis, & cantibus fidelium. Quarto ut adhibeantur candelæ cereæ accenſæ, dum cadaver ad ſepulturam defertur. & exequiæ in Eccleſia fiunt. Quinto aliquando apponuntur tituli, epitaphia, & in-

inſcriptiones. Sexto erriguntur cruces in cemeterio. Septimo ad exequias deducendas, & perſolvendas adhiberi ſolent non ſolum laici viri, verum etiam Eccleſiaſtici, tam ſeculare, quam regulare adhibita cruce

De expenſis, & ſumptibus funerum. Cap. 1018.

1 NOmine impenſæ funeris intelligitur illud, quod impenditur occaſione cadaveris tumulandi, ut ſunt Candelæ, pecunia, quæ datur deferentibus, aut cuſtodientibus cadaver aut immittentibus in ſepulturam, quicquid datur ſacerdotibus, aut religioſis in ſtipendium laboris, aut in eleemoſinam, & ſimilia. Impenſa funeris facienda eſt ab hæredibus, ad quos bona mortui pervenerunt (lib. 1. ff. de relig. & ſumpt. funer.) & facienda eſt ex bonis defuncti ante ſolutionem non ſolum legatorum, verum etiam, alterius cujuſcumque debiti, etiam reſtitutionis dotis (l. 1. ff. ſolut. matrim.) Impenſa funeris faciendam eſt juxta qualitatem perſonæ) l. ſi quis §. ſumptus ff. de relig. & ſumpt. funer. Impenſę quę fiunt cauſa ſepulturæ, aliæ fiunt ad ſolatium, & ſalutem animæ, ut ſunt candelæ cereæ, & alia, quæ abhibentur cauſa ſepeliendi: aliæ fiunt ad ſolatium vivorum, ſeu ad pompam, ut ſunt veſtes nigræ, & alii apparatus, quibus Eccleſia ornatur, primæ impenſæ ideſt factæ ad ſolatium, & ſalutem animæ ſpectant ad Eccleſiam in qua quis ſepelitur, deducta prius canonica portione, & congrua juxta locorum conſuetudinem, vel legitimam conventionem, quia cenſentur datæ in ſalutem defuncti. Secundæ factæ ad ſolatium, & ad pompam vivorum pertinent ad hæredes defuncti, niſi explicite tradantur Eccleſiæ. Cognitio cauſarum circa ſepulturam ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum circa ea, quæ pertinent ad ceram, & apparatum Eccleſiæ, aut ad locum ſepulturæ, hæc enim ordinantur ad ſalutem animæ defuncti, unde ſunt annexa ſpiritualibus: quoad expenſas vero circa veſtes lugubres, quæ recipiunt ſolatium viventium non vero ſalutem defuncti directio ſpectat ad laicos judices.

De quarta Parochiali, & Epiſcopali.

Quid ſit Quarta, & quot ſint genera quartæ, Cap. 1019.

1 QVarta eſt quadrans, ſeu quarta pars rei, de qua agitur (l. in quarta ff. ad leg. falcid.) licet ex conſuetudine induci poteſt, ut ſit tertia pars, aut medietas c. relatum de ſepulturis, vocatur autem portio canonica: quia per ſacros canones invecta eſt. Multiplex genus quartæ invenitur in jure. Primum quod debetur filiis in bonis parentum, aut parentibus in bonis filiorum, & vocatur legitima portio. Secundum genus eſt, quod debetur arrogato in bonis arrogantis, dum contingit caſus ut arrogans emancipetur, Tertium eſt quod debetur jure communi uxori pauperi in bonis mariti divitis qui eum duxerat ſine dote & è contra. Quartum genus eſt quod debetur hæredi, & fidei commiſſis, & legatis, quod falcidia, & Tribellianica vocatur Quintum genus eſt, quod debetur Parocho, & Epiſcopo, hæc tamen quarta, ſeu portio non eſt eadem in omnibus locis, & de hac loquimur in præſenti.

Cui debeatur quarta ſeu portio canonica Parochialis & ex quibus bonis. Cap. 1020.

1 QVarta parochialis debetur illi Parochiali Eccleſiæ in qua quis de jure ſepeliendus eſſet, debetur autem ex legatis, ſeu relictis cauſa mortis, & de oblationibus cauſa funeris factis illi Eccleſię, in qua ſepultura electa eſt, modo illa Eccleſia non ſit exempta, modo res non ſit relicta ad uſus privilegiatos modo quarta petatur, & modo non extet conſuetudo in contrarium. Ratio autem cur hujuſmodi portio debeatur Eccleſiæ Parochiali, eſt, quia Parochiani eligentes ſepulturam extra parochialem Eccleſiam faciunt illi quodam modo injuriam: unde par eſt, ut illam compenſent quarta funerali.

Cui debeatur portio Canonica Epiſcopalis & ex quibus bonis. Cap. 1021.

1 QVarta Epiſcopalis debetur Epiſcopo de legatis piis, & funeralibus oblationibus factis Eccleſiæ, ſeu locis piis ſibi ſubiectis c. requiſiti, de teſtament.

quia Epiſcopus eſt pater ſpiritualis, & onus Epiſcopale ſuſtinet, unde par eſt, ut ipſi ratione paternitatis, & oneris Epiſcopalis quarta portio ſolvatur. Quæ limitanda eſt, & intelligenda. Primo juxta locorum conſuetudinem: hæc enim quarta tradenda eſt ſpectata conſuetudine loci, juxta quam aliquibus in locis eſt dimidia pars, alibi tertia, alibi quarta: & hæc conſuetudo ſervanda eſt c.certificari de Sepulturis, Secundo intelligitur de relictis in ultima voluntate c. requiſiti de Teſtament. Tertio intelligenda eſt & limitanda ex legatis relictis piis locis: de his enim debetur quarta Epiſcopalis, non vero de legatis, quæ relinquuntur perſonis. Quarto intelligenda eſt. & limitanda in relictis piis locis Epiſcopo ſubiectis, nam quarta debetur Epiſcopo ob Epiſcopalem dignitatem, quam in loco ſuſtinet. Quarta autem Epiſcopalis ex legatis factis locis piis, ſolvenda eſt ab ipſiſmet legatariis, ſi legata jam ſoluta fuerunt, nam quarta debetur ex legatis, ergo ſolvenda eſt ab iis qui legatum receperunt, ſi vero legata mortuo teſtatore ſoluta non fuerunt, Epiſcopus poteſt ſuam quartam petere ab hæredibus, vel executoribus teſtamenti, ipſoſque impedire, ne totum legatum legatariis ſolvant, quia Epiſcopus jus habet petendi, quod ſibi debetur. Quarta item Epiſcopalis ſolvenda eſt prius, quam Parochialis, quia dignior eſt, & antiquior parochiali.

Quibus modis tolatur obligatio ſolvendi quartam. Cap 1022.

1 Obligatio ſolvendi quartam multis modis auferri poteſt. Primo diſpenſatione Summi Pontificis. Secundo per conſuetudinem legitime præſcriptam.

De Spoliis Eccleſiaſticis.

Quid ſit ſpolium, & quibus perſonis fiat. Cap. 1023

1 Spolium eſt omne id, quod reperitur inter bona Eccleſiaſticæ perſonæ poſt ipſius mortem non pertinens ad ipſius hæredes. Spolia fiunt ſingulis perſonis. Eccleſiaſticis habentibus tempore mortis bona non pertinentia ad hæredes; niſi forte peculari privilegio ab onere ſpolii excipiantur: perſonæ vero Eccleſiaſticæ ſunt illæ, quæ privilegio fori gaudent ratione ſui ſtatus, ut ſunt clerici, Monachi, ſeu Religioſi.

Ex quibus bonis ſpolia fiant Cap.1024.

1 Bona, quæ ſpolio ſubiacent ad quatuor capita revocantur. Primum eſt redituum Eccleſiaſticorum: quorum quis non habet diſponendi facultatem: quæ ſcilicet non ſunt bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia. Secundum bonorum negotiatione illicita aut alia ratione per ſacros canones vetita acquiſitorum. Tertiū inſtrumentorum ſacrorum. Quartum eorum, quæ religioſus degens extra religionem habebat.

De Spolio redituum Eccleſiaſticorum. Cap. 1025.

1 Spolia fiunt ex omnibus reditibus Eccleſiaſticis, qui ad Eccleſiaſticam perſonam tempore mortis pertinent, & ad ipſius hæredes non tranſmittuntur: ſic decreverunt plures Summi Pontifices, quia non ſunt patrimonialia, ſeu quaſi patrimonialia, & ſic non ſpectant pleno jure ad clericum. Spolium autem. Primo non fit ex iis, quæ clericus proprio labore, & induſtria acquiſivit. Secundo Diſtributiones, quæ canonicis choro interveníentibus conferuntur, non cadunt ſub ſpolium, quia ſunt bona quaſi patrimonialia. Tertio ſpolia non ſunt facienda ex iis reditibus, qui neceſſarii erant ad congruam beneficiarii ſuſtentationem: hæc enim ſunt bona quaſi patrimonialia, & beneficiarius de his laberam habet diſponendi poteſtatem. Quarto qui beneficium tenue habet, non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario non videtur ſpoliandus: quia fructus reſpondentes congruæ ſuſtentationi connumerantur inter bona quaſi patrimonialia, quorum beneficiarius liberum habet dominium. Quinto id quod ſupereſt ex reditibus beneficii tempore mortis beneficiarii obnoxium eſt ſpolio, quia hujuſmodi reditus non tranſeunt ad hæredes: cum beneficiarius nequeat in mortis de illis diſponere præciſo privilegio, vel conſuetudine, & ideo ſubjiciuntur ſpolio: nam illa bona ſubiiciuntur ſpolio, quæ ad hæredes ex teſtamento, vel ab inteſtato pervenire non poſſunt. Sexto Pen-

Digitized by Google

Penſionarius ſubiicitur ſpolio ratione penſionis: quia ſpolium fit ex reditibus Eccleſiaſticis: penſiones autem ſunt reditus Eccleſiaſtici, cum ſint fructus beneficii. Septimo ſequitur ſpolium non fieri ex fructibus male perceptis ex omiſſione canonicarum precum, aut alia ratione: quia non pertinent ad beneficiarium quia ommittens divinum officium non facit fructus ſuos; Spolium autem ei non fit, ſi moriatur in eo loco, in quo ſpolium juſta de cauſa fieri non ſolet, ibique beneficium, vel penſionem habeat.

De ſpolio bonorum illicita negotiatione, aut alia ratione per ſacros canones vetita acquiſitorum Cap 1026.

1 ACquiſita negotiatione illicita, aut alio modo per ſacros canones prohibita ſubiiciuntur ſpolio, ita expreſſe ſtatuit Pius V. in bulla edita anno 1567. tertio Kalendas ſeptembris. Negotiatio autem ſtricte loquendo illa dicitur, qua quid animo lucri vilius emitur, ut inmmutatum, & invariatum carius deinde vendatur: unde ad negotiationem ſtricte acceptam, duæ conditiones requiruntur: prima eſt, ut aliquid ematur animo vendendi carius ſtudio diteſcendi. Secunda eſt, ut id, quod vilius emptum eſt immutatum, & invariatum vendatur, unde ſi muratum fuit, quod venditur, non dicitur proprie negotiatio; Acquiſita autem contra ſacros canones, quæ ſpolio ſubiiciuntur intelliguntur non ſolum per Illicitam negotiationem: verum etiam per alia exercitia prohibita per ſacros canones, ut ſunt acquiſita exercendo chirurgiam, aut advocando ſaltem in criminalibus, & ſimilia.

De ſpolio circa inſtrumenta ſacra, vel ornamenta ad divinum cultum deſtinata. Cap. 1027.

1 INſtrumenta ſacra cujuſcumque beneficiarii utilia, vel neceſſaria ad uſum, & cultum divinum, quæcumque ſint non acquiruntur legatariis, vel hæredibus ſed ſpolio Eccleſiæ ſubiiciuntur ſi extent tempore obitus beneficiarii ita decrevit Summus Pontifex Pius V. in ſupradicta bulla, etiam ſi præfata ornamenta empta ſint ex pecunia patrimoniali: ornamenta autem vel inſtrumenta ſunt illa, quæ faciunt ad ſacellum, aut altera, ornandum, & inſtruendum, & quæ ad divinum cultum deſtinata ſunt. Inſtrumenta ſacra, exceptis inſtrumentis Cardinalium relicta poſt mortem beneficiarii, debentur illi Eccleſiæ, vel monaſterio, in quo habet, vel habuit beneficium, licet illud poſtea reſignaverit, ita expreſſe decernitur in bulla Pii V. Inſtrumenta autem ſacra Cardinalium relicta ad Capellam Summi Pontificis ſpectant, juxta bullam nonam Julii III editam anno 1550 26. Julii, iſta autem ornamenta in conſcientia reſtituenda ſunt præfatis Eccleſiis ab hæredibus defuncti, vel ab aliis detinentibus: quia ſic habetur in præfata bulla Pii V.

De ſpolio quoad religioſorum bona. Cap. 1028.

1 BOna, quæ Religioſi extra religionem degentes relinquunt poſt mortem non acquiruntur Religioni, ſed Cameræ Apoſtolicæ, ſive prædicta bona acquiſita fuerint à religioſo ratione beneficii, ſive ex illicita negotiatione, ſive largitione amicorum, vel propinquorum, ſive propria induſtria, ſive alia quavis ratione, nam Gregorius XIII. generaliter loquitur.

Ad quem pertinent ſpolia fructuum beneficiorum, & onus ſolvendi debita contracta à beneficiario defuncto. Cap. 1029.

1 SPolia regulariter loquendo pertinent ad Cameram Apoſtolicam, patet ex variis Summorum Pontificum conſtitutionibus: quod non ſolum intelligitur in fructibus exactis, tempore mortis beneficiarii, verum etiam in non exactis, ſed tunc temporis debitis. Camera ſeu fiſcus Apoſtolicus ſolvere tenetur debita, quæ beneficiarius defunctus contraxerat ad neceſſitatem. Eccleſiæ ſublevandam, vel ob Eccleſiæ utilitatem: quia hæc potius cenſentur debita Eccleſiæ, quam Clerici, & fiſcus Apoſtolicus ſubrogatus eſt in locum Eccleſiæ, & ſucceſſoris ad percipienda ſpolia, unde ſubrogatus etiam cenſetur in onera, ad que tenebatur Eccleſia, ſed ſucceſſor in beneficio. Eccleſia autem, & ſucceſſor in beneficio tenebatur ſolvere debita contracta à beneficiario defuncto in utilitatem, vel neceſſitate Eccleſiæ,

Addo;

fiſcum Apoſtolicum teneri ad ſolvenda debita contracta à beneficiario defuncto ob propriam neceſſitatem, ſut cauſa valetudinis tuendę, & conſervandę: quia ad id tenebatur ſucceſſor in beneficio: ergo etiam tenetur fiſcus, qui in ejus locum ſubrogatus eſt.

An ſpolium debeatur ante ſententiam, & an fieri poſſit ex bonis illorum, qui dubitatur, an ſint obnoxii ſpolio.
Cap. 1030.

1 Spolium debetur ante ſententiam judicis, quia leges ſpoliorum ſunt diſpoſitivæ, reſervantes bona defuncti fiſco Apoſtolico in ſubſidium ſummi Pontificis, & Cameræ Apoſtolicæ, lex autem diſpoſitiva obliga ante ſententia. Collectores ſpoliorum habent quidem facultatem ferendi cenſuras contra detinentes ſpolia, nulla tamen cenſura jure communi lata eſt directe, & explicite contra retinentes ſpolia: ſed ſolum indirecte, ſeu tacite, quatenus in genere excommunicarentur occupantes bona Cameræ Apoſtolicæ ex Bulla Pauli IV. Spolium fieri poteſt ex bonis illorum, quos conſtat ſpolio ſubiectos eſſe, niſi probetur exemptio ab onere ſpolii: probatio autem exemptionis incumbit illi, qui allegat exemptionem.

De cauſis excuſantibus beneficiarios, vel penſionarios a ſpolio. *Cap.* 1031.

1 Sex cauſæ ad minus recenſeri poſſunt, quibus Eccleſiaſticę perſonę ab onere ſpoliorum eximuntur: Prima eſt tenuitas beneficii, vel penſionis non excedentis triginta ducatos aureos, Secunda eſt conſuetudo, nam poteſt induci conſuetudo eximendi à ſpolio. Tertia cauſa eſt donatio, ſeu alia diſpoſitio fructuum, ſeu proventuum valide facta inter vivos: quia ſpolia ea ſolum cedunt quæ relicta ſunt poſt mortem ab Eccleſiaſtica perſona, Quarta cauſa excuſans à ſpolio eſt incolatus, ſeu habitatio in urbe, ſeu inſecutio Curiæ: nam incolæ urbis, inſequentes Curiam non ſubiiciuntur ſpolio quo ad bona in diſtrictu exiſtentia: ſi in urbe, vel ejus diſtrictu moriatur, ita expreſſe decernitur in bulla Julii III. edita anno 1549. ſexto idus Martii. Quinta cauſa eſt dignitas Cardinalitia. Cardinales enim quovis in loco decedant, & quovis in loco habitent non ſubiiciuntur ſpolio ita ſtatuit, & declaravit Pius V. Sexta cauſa eſt facultas teſtandi: ſi enim beneficiarius facultatem habens teſtandi, diſponat de beneficii fructibus valida eſt diſpoſitio, unde fiſcus non poteſt illos fructus titulo Spolii capere: alioquin facultas teſtandi vana eſſet, & inutilis quod dicitur de facultate teſtandi dici etiam debet de compoſitione facta cum Camera Apoſtolica ſervatis tamen compoſitionis verbis: compoſitio enim nihil aliud eſſe ſole in hac re, quam facultas teſtandi in genere conceſſa beneficiariis alicujus diœceſis cum onere ſolvendi certam pecuniæ quantitatem: facultas autem teſtandi debet eſſe valida non ſubreptitia; & facultas teſtandi debet eſſe relata, & regiſtrata in Camera Apoſtolica, nam non regiſtrata irrita eſt ex conſtitutione Pii V. & Beneficiarius reſederit in loco beneficii, nam Pius IV. in bulla edita anno 1554. ſeptimo Kalendas Decembris declaravit bona quorumcumque morientium extra reſidentiam pertinere ad cameram Apoſtolicam: etiam ſi ſpecialem facultatem haberent de illis teſtandi.

Utrum Curiales incolæ, ac cives Romani ſpolio ſubiciantur. *Cap.* 1032.

1 Curialis, ſeu ſequens Curiam de quo ſermo eſt in Bulla Pauli V infra citanda dicitur ille, qui commoratur, ſeu habitat in loco, ubi Curia exiſtit: quod deſumitur tum ex communi modo loquendi: tum ex verbis Bullæ Pauli V. qui hoc privilegium conceſſit ſtantibus, & permanentibus in urbe ſeu venientibus ad urbem, illamque incolentibus, ibi, qui ad eam undique veniunt illamque incolunt, & ibi in illa ſtare, & permanere poſſint, & ibi omnes, & ſinguli Romanam Curiam ſequentes, ſeu ipſam urbem incolentes. ubi notanda eſt illa dictio ſeu quę declarat præcedentia, ut inducat ad fruendum hoc privilegio opus eſſe quodam modo incolatus, Cives Romani originarii dicuntur ii: qui in hac urbe Roma nati ſunt (l. cives C. de incolis lib. 10.) ex quo licet inferre Summum Pontificem intentionem habuiſſe conſulendi non ſolum venientibus ad urbem, atque domicilium conſtituentibus verum etiam natis in ipſa urbe. Curiales incolæ urbis Romæ aut ejus cives originarii non ſubiinciuntur ſpolio Eccleſiaſtico: quia libera gaudent facultate diſponendi de rebus ſuis ut patet

ex

ex variis Summorum Pontificium conſtitutionibus allatis præſertim ex bulla Pauli V. incipit, In eminenti edita die 8. Aprilis 1606. ibi *tam donatione inter vivos, vel cauſa mortis, ſeu teſtamento, legato, & fideicommiſſo quam alia quavis diſpoſitione pro eorum libito voluntatis facere, de illiſque libere, & licite pro libito voluntatis diſponere poſſint & valeant plenam, & liberam, & cuilibet eorum licentiam, & facultatem omnimodam concedimus, & impartimur*, quæ facultas extenditur in beneficiariis habentibus beneficiam etiam qualificata, quam in penſionaribus, aliiſque habentibus penſiones vel officia, ut patet ex illis verbis *de omnibus ſuis bonis mobilibus, & immobilibus ex quibuſcumque fructibus, creditis, redditibus, proventibus obventionibus emolumentis juribus, &c. atque penſionibus annuis, &c. nec non ex emolumentis quorumcumque Romanæ curiæ officiorum, etiam adminiſtrationem habentium, locorum montium, cenſuum, & alias provenientibus, &c.* quæ facultas extenditur etiam in curialibus: aliiſque prefatis perſonis decendentibus abſque teſtamento ibi *quod ſi d. ſt. Curiales, &c. ab inteſtato deceſſerint eorum bona ad eorum hæredes ab inteſtato venientes, libere deveniant*, Camerariis interdicit, ne prætextu negotiationis ſpolium iis facere, aut moleſtiam interre audeant ibi *etiam ſi prætextu ſeu cauſa illicitæ negotiationis moleſtare, & ſe in hæreditatibus, & bonis præfatis quovis modo immiſcere, aut illa petere ſeu ſibi, aut Cameræ præfatæ vendicare de illis inventarium conficere audeant ſeu præſumant*. Curialibus autem privilegium exemptionis concedirur ſolum decedentibus in urbe, vel ejus diſtrictu intra decem miliaria ibi *qui in dicta urbe, vel ejus diſtrictu intra decem miliaria ab ipſa urbe, non tamen extra debitam reſidentiam deceſſerint* exemptio autem ſpoliorum non competit morienti extra locum reſidentiæ ibi *non tamen extra debitam reſidentiam deceſſerint* ſic etiam conſtitutione 115. Pii IV. decernitur, ut illi qui non reſident, nullatenus ſuffragentur ulla privilegia conceſſa curialibus, incolis, vel Civibus Romanis: ſed ut Camera Apoſtolica in omnibus ipſius bonis ſuccedat, quod eſt verum non ſolum ſi beneficium reſidentiale adnexam habeat animarum curam: verum etiam ſi careat, nam Paulus V. generaliter excludit ab exemptione Spolii morientes extra reſidentiam, etiam ſi abſint a reſidentia ex juſta cauſa quia decedere dicuntur extra reſidentiam. Curiales vero, & incolæ urbis habentes beneficia ſimplicia, vel penſiones non ſubiiciuntur ſpolio ſi in urbe, vel intra decem miliaria decedant, quia non dicuntur mori extra reſidentiam. Nec eſt ſpoliandus curialis, ſeu Incola, vel originarius urbis proviſus à Sede Apoſtolica, ſi ſtatim non receſſit à curia ad reſidendum, & interim mortuus eſt, qui non dicitur proprie mortuus extra reſidentiam, cum ad illa adhuc non teneretur.

Finis Tomi Secundi.

SUM-

SUMMA BONACINÆ
Tomus Tertius.

MARTINI BONACINÆ.
TRACTATUS

De Cenſuris omnibus Eccleſiaſticis in particulari.

De Cenſuris in Bulla Cœnę contentis.

De iis, Quæ in proemio hujus Bullæ continentur, & communia ſunt Cenſuris deinceps tradendis.

De varia hujus bullæ, quo ad nomen, ſignificatione, & ipſius ordine. Cap. 1033.

1 BULLA nihil aliud eſt, quam ſcriptura, in membrana deſcripta, plumbo à funibus pendente. Bulla apud ſcriptores ſignificat ſigillum, quo utimur ad muniendam ſcripturam: appellantur Bullæ etiam litteræ, quia cum omnia Principum reſcripta, generico nomine litteræ dicantur, idem ſibi nomen illæ vendicare poſſunt: aliquando vocantur litteræ cum addito Apoſtolicæ, quia factæ ſunt à Summo Pontifice S. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſore; Vocantur etiam proceſſus, ſeu litteræ proceſſus: quia per modum proceſſus à Summo Pontifice fiunt: Vocatur Bulla Cœnæ, ſeu bulla in Cœna Domini, quia feria quinta Hebdomadæ Sanctæ, in qua Chriſtus cœnam diſcipulis fecit, editur, & promulgatur.

2 Uſus Bullæ antiquiſſimus eſt, & de ipſius origine non conſtat: ita DD. fere communiter.

De cauſa efficiente Bullæ, ſeu Cenſurarum, quæ in Bulla continentur. Cap. 1034.

1 CAuſa efficiens hujus Bullæ eſt Summus Pontifex, qui eam pro tempore edit, ut conſtat ex iis verbis. Urbanus VIII. Epiſcopus ſervus ſervorum, &c. & ex antecedentibus litteræ proceſſus Sanctiſſimi Domini noſtri. Summus Pontifex aliquando vocatur Chriſti Vicarius, qui Chriſti vices in terris gerit, aliquando Petri ſucceſſor, quia in locum B. Petris Principis Apoſtolorum ſuffectus eſt. Summus Pontifex nomine Sanctiſſimi appellatur, ratione Sanctitatis quæ ceteris antecellere debet, vocatur Dominus noſter: quia ſupremam in hac militante Eccleſia poteſtatem habet; appellatur Papa ideſt Pater patrum; ipſe enim Principem locum inter Patres tenet, appellatur Epiſcopus, quia illi maxime conveniunt munera, & onera Epiſcoporum, vocatur in Apoſtolicis litteris ſervus ſervorum ex humili ſui ipſius exiſtimatione. Hinc originem illa duo carmina traxerunt.

Scr-

Servierant tibi Roma prius domini dominorum:
Servorum ſervi nunc tibi ſunt domini.

2 Summus Pontifex cujus Bullam explicandam ſuſcepimus vocatur Vrbanus VIII. ad diſtinctionem aliorum Pontificum: qui hoc nomen non habuerunt, & nominis impoſitio pendet ab ipſa Summi Pontificis voluntate: nam impoſitio nominis eſt ad placitum hominum: unde ſi quis rationis uſum habens baptizetur, poteſt ipſemet nominis electionem facere ea autem occaſione præciſa non licet ob periculum fraudis cuiquam ſibi nomen immutare abſque ſuperioris facultate: nam nominis mutatio ad ſuperiorem pertinet, & propterea Summus Pontifex poteſt nomen, quod ipſe voluerit, aſſumere abſque alterius licentia: quia nullum in terris ſuperiorem agnoſcit, nec in alicujus fraudem nomen ſibi immutat, non autem tenetur ſibi nomen immutare dum Pontifex fit, quia initio naſcentis Eccleſię nomen ſibi non immutabant: Nominis autem mutatio Pontificum, præciſa mutatione nominis Petri, quia antea Simon vocabatur, incępit à Sergio Papa: qui cum nominaretur Oſprocius, ob turpitudinem nominis, mutatio nominis introducta eſt.

3 Bulla Cœnæ etiam ſi nomen Summi Pontificis illam edentis non apponatur valida eſt, & obligat, præſertim ſi, ut moris eſt edatur Summo pontifice præſente, Cardinali Diacono publicationem faciente, & magna populi copia aſtante: quia lex vim habet ab intentione legiſlatoris, non ab expreſſione nominis ipſius conditoris, unde tranſgreſſor ligatur cenſuris in hujuſmodi Bulla expreſſis Nomen autem Summi Pontificis in Bullis apponitur, ut ſciatur à quo emanaverit.

4 Si aliquis Summorum Pontificum Bullam ante coronationem ederet, valide ageret, illaque ab omnibus ſervanda eſſet, ac ſi poſt Coronationem edita fuiſſet, Quia Summus Pontifex poteſt poſt electionem omnia præſtare, ac ſi corona tus eſſet, quia Præpotens Deus facta à duabus Cardinalium partibus Summi Pontificis electione confert illi plenariam, & Apoſtolicam auctoritatem (c. in nomine Domini 23 dicit, & id expreſſe decernitur in Extravaganti ultim. de ſententia excom. ubi contra eos qui litteras ſuper quibuſcumque negotiis à Summo Pontifice ante coronationem conceſſas impugnare præſumant, ſententia excommunicationis pronunciatur.

De cauſa formali hujus bullæ, ſeu cenſurarum, quæ in bulla continentur. *Cap. 1035.*

1 Cauſa formalis ſunt verba, & ſolemnitas, quæ in ferenda bulla ſervatur: quibus autem verbis aut qua ſolemnitate hæc Bulla edatur, colligitur ex ipſius Bullæ contextu, & tenore. Iſta autem Bulla vocatur litteræ lectæ in die Cœnæ Domini, quia eo die legi, & promulgari conſueverunt, nec valet donec ſolemniter legatur, aut alia ratione promulgetur, quia de ratione legis eſt prumulgatio. Principes, aut Reges etiam ſi nullum in temporibus ſuperiorem agnoſcant impedire non poſſunt, quin bulla in ſuo territorio publicetur, & accepteiur, & obſervetur: quia ſubditi ſunt poteſtati Spirituali Summi Pontificis juxta illud Bonifacii VIII. in extravaganti unam ſanctam, ubi ſic loquitur, (oportet gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubiici poteſtati &c.) Hæc autem Bulla ſi ſolemniter edatur, & publicetur eo pacto, quo nunc edi, & publicari conſuevit, valida videtur etiam ſi data diei, & anni non apponeretur: quia Summo Pontifici non deeſt auctoritas & facultas condendi leges, & obligandi non ſervata hac ſolemnitate.

De cauſa materiali, & finali hujus Bullæ, ſeu Cenſuram. *Cap. 1036.*

1 Cauſa materialis proxima hujus Bullæ ſunt actiones, quæ in ea vetantur, vel præſcribuntur. Bulla enim verſatur circa actiones in ea expreſſas, cauſa autem remota; ſeu ſubiectum cenſurarum Bullæ ſunt omnes, & ſingulæ perſonæ, quæ actiones in hac Bulla prohibitas exercent; ſive ſint viri, ſive fæminæ, ſive laici, ſive religioſi, vel Eccleſiaſtici, etiam Epiſcopatus, vel Cardinalatus dignitate fulgeant. Triplici de cauſa Summus Pontifex hanc Bullam edere ſolet. Prima ut pura, & integra ſervetur fides Catholica, quæ ſervatur in prohibitione

ione illarum actionum: quæ vetantur in Bulla. Secunda eſt ut ſervatur unio fidelium cum Chriſto, ejuſque Vicario in terris: quæ unio violatur ab exercentibus illas actiones vetitas in Bulla. Tertia eſt ut ſervetur ſocietas ſine offenſione inter ipſoſmet fideles: ita ut alter alteri offenſionis cauſam non præbeat: hæc autem ſocietas læditur actionibus vetitis in Bulla.

De duratione hujus bullæ, & multiplicatione cenſurarum, quæ in ea continentur.
Cap. 1037.

1 BUlla vim habet, & perſeverat, donec alia de novo edatur, & promulgetur, ut conſtat ex illa ejuſdem Bullæ clauſula ſub finem, *volentes præſentes noſtros proceſſus durare quaſque alii publicentur*. Cenſuræ in Bulla Cœnæ contentæ dici potius debent latæ à jure quam ab homine: quia habent propriam legis, & conſtitutionis à jure latæ naturam, propria enim legis, ſeu conſtitutionis à jure latæ naturæ eſt, ut non extinguatur mortuo conditore: iſtæ autem cenſuræ non extinguntur mortuo creditore: ſed eo extincto adhuc perſeverant, donec alia Bulla edatur, ut oſtenſum eſt ſupra, cum illa Clauſula Bullæ: Cenſuræ vero non multiplicantur iterata publicatione, & editione Bullæ Cœnæ, quia antecedentes ceſſant adveniente nova Bulla publicatione. Excommunicatus ob delictum in Bulla Cœnæ prohibitum, remanet adhuc excommunicatus, & abſolutione indiget, etiam ſi dum Bulla iterum editur, illud delictum non comprehendat, quia excommunicatio ſemel contracta ſemper ligat, donec per abſolutionem auferatur, & omiſſio illius cenſuræ efficit, ut delinquentes in futurum non ligentur excommunicatione, non autem ut illi, qui antea delinquerunt abſoluti cenſeantur.

De prima excommunicatione in Bulla cænę contenta contra hæreticos, legentes ipſorum libros, & ſchiſmaticos.

Quid ſit Hæreſis Cap. 1038.

1 IN hac prima Excommunicatione multa perſonarum genera comprehenduntur: nempe hæretici, eorundem credentes, receptores, & fautores, legentes libros eorundem hæreſim continentes, aut de religione tractantes, tenentes hujuſmodi libros, aut imprimentes, ac denique Schiſmatici, & inobedientes Summo Pontifici.

2 Hæreſis eſt voluntarius error intellectus cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem: dicitur (error voluntarius) quia peccatum ſine conſenſu, & voluntate non committitur: hac de cauſa, qui circa res fidei errat involuntarie non committit peccatum hæreſis, & qui invitus habet tentatione hæreticas, ſeu contra fidem, non eſt hæreticus, quia deficit voluntarium ſignum autem ad judicandum defuiſſe voluntarium, eſt triſtitia, quam tentatione hæreſis cænatus ſentit in ipſo conflictu, aut ſtatim poſt conflictum, nam qui alicui errori voluntarie cum pertinacia aſſentitur, non ita facile reſipiſcit dicitur (error intellectus) quia ſicut actus fidei eſt actus, ſeu aſſenſus intellectus; ita hæreſis, quæ eſt contraria fidei, eſt error ipſius intellectus: unde ſi quis proferat propoſitionem hereticam ſine aſſenſu intellectus, non dicitur hæreticus, nec ſubiacet excommunicationi latæ contra hæreticos: dicitur (cum pertinacia) quia ſi qui erret circa res fidei, etiam culpabiliter, non dicitur hæreticus niſi pertinaciam habeat: pertinacia autem non eſt attendenda pænes durationem temporis, aut ob firmam perſiſtentiam in errore, ſed ex cognitione, & animadverſione definitionis Eccleſiæ contraria illi errori: unde ille dicitur hæreticus, qui aliquid ſentit contra fidem ſciens contrarium teneri ab Eccleſia Catholica, quamvis non perſeverent in tali errore Hæreticus etiam eſt, qui aliquid ſentit contra definitionem Eccleſiæ: ſed ita affectus eſt, ut contrarium ſenſurus ſit, ſi argumentis convincatur, aut ſi res illi proponatur à viro docto, nam ille recedit à diffinitione Eccleſiæ, ſciens ab illa contrarium teneri. Cathecumenus negans aliquem fidei articulum non ſubiicitur pœnis ab Eccleſia latis contra hæreticos quia nondum eſt ſubditus juriſdictioni Eccleſiæ: qui vero dubitat poſitive in rebus fidei eſt hæreticus: ſic qui non credit aliquem articulum ſibi ſpecialiter revelatum: ſic qui negat propoſitionem, quę deducitur evidenter ex una propoſitione de fide, & altera naturæ nam propoſitio dedu-

deducta ex his duabus propoſitionibus eſt de fide unde qui negat, Chriſtum eſſe riſibilem eſt hæreticus, quia hæc propoſitio deducitur ex una propoſitione naturali omnis homo eſt riſibilis, & ex altera de fide, ſed Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis: unde negans Chriſtum eſſe riſibilem eſt hæreticus & incurrit excommunicationem proferen, do exterius hanc propoſitionem, Chriſtus non eſt riſibili. Apoſtata à fide ſubiacet pœnis hæreticorum: nam Apoſtata eſt verus hæreticus, deſerendo veram fidem. Probabiliter etiam ſuſtineri poteſt illum eſſe hæreticum: & ideo excommunicatum in Bulla Cœnæ, qui negat hunc Summum Pontificem Urbanum VIII eſſe verum Papam, & caput Eccleſiæ: poſtquam ſufficienter proponitur, ſeu poſtquam conſtat, ipſum eſſe rite, & canonice electum: quia in ſententia multorum DD de fide eſt, hunc eſſe verum Papam: ergo hæreſim co um ttit, qui negat hunc eſſe verum Papam: negans enim propoſitionem de fide hæreticus eſt.

An ob hæreſin incurratur excommunicatio, & quis ab ea poſſit abſolvere
Cap. 1039.

1 HÆreticus qui ſuam mentem exterius ſufficienter manifeſtat verbis aut ſignis, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ Papæ reſervatam etiam ſi ſuam mentem occulte manifeſtet: qui autem interius aliquid ſentit contra fidem ſed nullum ſignum animi ſui exterius exhibet, non incurrit excommunicationem quia Eccleſia non habet juriſdictionem in actus mere internos, unde hæreticus pure mentalis poteſt à quolibet approbato confeſſario abſolvi, quia hæreſis eſt reſervata ſolum ratio excommunicationi, quæ non incurritur ab hæretico pure mentali; ſi quis hæreſim mente revolens, aliquod ſignum exterius faciat, ex quo attenti ſimul aliis circumſtantiis occurentibus, non poſſit humano modo cognoſci hæreſis, non incurrit excommunicationem: quia non ſufficienter exterius manifeſtat mentem ſuam, cum per illud ſignum non poſſit hæreſis ab aliquo cognoſci, nec proferens judicari hæreticus: & ideo non poteſt puniri pœna excommunicationis, nam illa hæreſis ita cenſetur occulte, ac ſi omnino eſſet interna.

2 Abſolutio ab Excomunicatione ob hæreſim contracta Summo Pontifici reſervata eſt ut patet ex verbis hujus bullæ ad finem, unde nullus, quamvis Epiſcopus, poteſt hoc tempore abſolutionem ab hæreſi conferre: quia privilegium Epiſcopis conceſſum in *Trid. ſeſſ. 24. c.6.* revocatum fuit.

* *Diana parte 12. reſolutione ultima habet Decretum Alexandri VII. D. cernentis facultatem abſolvendi à crimine hæreſis in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.*

Utrum qui recipiant, credunt, aut favent hæreticis excommunicationem incurrant.
Cap. 1040.

1 POEna excomunicationis, quæ lata eſt contra hæreticos extenditur ad credentes, receptores, fautores, & defenſores hæreticorum ſecluſo effectu: nomine credentium inteliguntur, qui fidem præſtant erroribus hæreticorum, modo fidem verbis, aut ſignis exterius manifeſtent: ſic credentes dicuntur illi, qui licet diſtincte non præſtent aſſenſum erroribus hæreticorum, confuſe tamen putant illorum doctrinam eſſe veram, unde aliquo pacto dici poſſunt hæretici: nomine receptorum, fautorum, & defenſorum inteliguntur, qui recipiunt, favent, vel defendunt hæreticos formaliter, id eſt quatenus hæretici ſunt, ſeu ex motivo hæreſis, ſeu intentione favendi hæreſi, hoc eſt n. favere hæreticis formaliter: unde ſi quis beneficium faciat hæretico ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel metus, ſcilicet illum occultando ob amicitiam, ne à judice capiatur: non dicitur favere hæretico, ut hæreticorum eſt, quia non favet intentione, ſeu ex motivo hæreſis, ſed ob amicitiam. Credens receptans, vel favens non incidit in excommunicationem nondum ſecuto effectu hæreſis: quia quando liquis effectus prohibetur ſub excommunicatione, & minus principaliter prohibetur mandatum, vel conſilium, vel favor, non incurritur excommunicatio ab eo, qui mandavit, vel conſulvit, &c. niſi ſecuto effectu.

Utrum

Utrum qui libros hæreticorum, aut aliorum prohibitos legunt, retinent, imprimunt, vel defendunt, ligentur excommunicatione. *Cap. 1041.*

1 QUi legit, aut retinet libros hæreticorum, vel alterius cujuſvis auctoris, damnatos, atque prohibitos ob hæreſim, aut ob falſi dogmatis ſuſpicionem incurrit excommunicationem Indicis: hæc propoſitio conſtat ex indice librorum prohibitorum regula decima, hæc autem excommunicatio nulli reſervata eſt, ſed jure communi poteſt à quolibet confeſſario auferri; modo libri hæreticorum non contineant hæreſim, neque tractent de religione; quia ſi contineant hæreſim aut tractent de religione, incurritur excommunicatio Papæ reſervata, legendo aut retinendo dictos libros, vel libri ſint prohibiti ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem: quia ſi alio nomine ſunt prohibiti, non incurritur excommunicatio ab eo, qui illos legit, vel retinet: legens librum hæreſiarchæ incurrit excommunicationem licet non contineat hæreſim, nec tractet de religione, ſic legens librum alicujus hæretici, nondum approbatum: ſic legens librum Catholice conſcriptum: cujus auctor in hæreſim poſtea lapſus eſt: nec liber adhuc permiſſus eſt: ſic afficiuntur cenſura legentes libros, & ſcripta continentia divinationes, & ſortilegia, ut ſunt libri, & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Acromantiæ, Piromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Negromantiæ, ſeu libros, & ſcripta, in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, & incantationes artis magicæ, quibus affertur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmones, & ſimilia veræ fidei contraria; quia hujuſmodi libri indice reg. 9. vetiti ſunt ob hæreſim, vel ſaltem ob falſi dogmatis ſuſpicionem. Sic ligantur excommunicatione legentes ſcholia, ſeu additiones Hæreticorum, quæ continentur in libris Catholicorum lata in indice quia legit ſcripta damnata ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem, ut dicitur in regula 10 indicis.

2 Qui ſcienter & abſque Summi Pontificis licentia publice, vel occulte legit, aut retinet, aut imprimit, aut alio quovis modo defendit libros hæreticorum tractantes de religione, ut hæreſim continentes: incurrit excommunicationem Bullæ Cænæ Papæ reſervatam, quamvis legat, vel retineat, vel imprimat curioſitatis gratia, & abſque pravo animo, & etiamſi non intelligat, quæ legit. parvitas autem materia videtur excuſare. Qui autem habet librum hæreticum, tenetur illum tradere inquiſitoribus, nec poteſt ipſe eum comburere, ut conſtat ex motu proprio Julii III unde concludendum eſt, ad incurrendam excommunicationem bullæ ob lectionem librorum vetitorum, tres conditiones requirit Prima eſt ut auctor libri, qui legitur ſit hæreticus. Secunda, ut contineat hæreſim, vel tractet de religione: ideo ſi auctor libri ſit hæreticus, ſed liber hæreſim non contineat, aut non tractat de religione, legendo non contrahitur excommunicatio. Tertia eſt ut ſcienter legatur.

De pæna excommunicationis contra ſchiſmaticos. Cap. 1042.

1 SChiſma eſt voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ob obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, qui principem in Eccleſia locum tenet; ideo qui recedit à Summo Pontifice aut avocat alios à ſubiectione Summi Pontificis, ut Summus Pontifex eſt, aut qui non vult cum a iquibus communicare hac ſolum de cauſa quia ſunt ſubditi Papæ, ut Papa eſt; nam hic facit aliquid intentione ſubtrahendi ſe à ſede Apoſtolica, & facto ipſo eſt reus ſchiſmatis. Schiſma eſt peccatum mortale graviſſimum ex ſuo genere, quia adverſatur charitati; cujus proprium eſt unire: habentes autem facultatem abſolvendi à caſibus bullæ Cænæ, poſſunt Schiſmaticos abſolvere.

2 Schiſmaticus multis pænis afficitur, Prima eſt pæna privationis Eccleſiaſticæ poteſtatis c didicimus. Secunda eſt pæna Excommunicationis, quam Schiſmaticus ipſo facto incurrit; patet ex Bulla Cænæ ſub finem. Tertia pæna eſt inhabilitas ad beneficia in futurum conſequenda c. quia diligentia de electione.

De

De ſecunda excommunicatione, quæ in appellantes ab ordinationibus ſeu mandatis Papæ ad futurum concilium fertur.

Quid ſit appellatio, & qua de cauſa hic prohibeatur. Cap. 1043.

1 APpellatio eſt de minori judice ad majorem provocatio. Appellatio autem à mandatis, ac ordinationibus Summi Pontificis prohibentur ob iniurſam quæ Sedi Apoſtolicæ per hujuſmodi appellationem irrogatur. ob id Julius II. in extravag. ſuſcepti regiminis, hujuſmodi appellantes jubet, tanquam Schiſmaticos, & male de fide ſentientes haberi: indicat enim concilium Generale auctoritatem habere ſupra Papam, quod eſt falſum: cum omnia concilia Romanæ Eccleſiæ auctoritate facta ſint & ab ea robur accipiant.

Quam pœnam incurrant appellantes ab ordinationibus Papæ. Cap. 1044.

1 OMnes. & ſinguli cujuſcumque gradus, & conditionis ſint, appellantes ab ordinationibus, ſeu mandatis Papæ ad futurum concilium Generale, aut favorem, vel auxilium prçſtantes, ligantur vinculo excommunicationis, quicumque illi ſint, modo non ſint Univerſitates, capitula. vel collegia, hæc enim ligantur interdicto, ſic appellantes ab ordinationibus, ſeũ mandatis Summi Pontificis, etiam in cauſis temporalibus ad concilium Generale ligantur hac cenſura: quia Sumus Pontifex abſolute excommunicat appellantes à ſuis ordinationibus, ſeu mandatis: ſi quis autem appellaret ad futurum Papam. vel ad concilium, Generale, præſens, excuſari poſſet ab hac cenſura: quia in pœnis non eſt facienda extenſio ultra propriam verborum, ſignificationem (c. odia de reg. jur. in 6.) Bulla autem juxta propriam verborum ſignificationem intelligitur de appellationibus ad futurum concilium, non vero ad præſens, vel ad Papam ſucceſſorem:

De Excommunicatione lata contra Piratas & eorum receptatores, ac fautores.

Quænam perſonæ ligentur excommunicatione hujus Canonis. Cap. 1045.

1 PErſonæ principales, quæ excommunicatione feriuntur in hoc canone, ſunt Piratæ, curſarii, & latrunculi maritimi, illi autem dicuntur Piratæ, vel latrunculi maritimi, qui quaſi ex officio, bello non indicto, nauticum latrocinium exercent, ſeu animo deprædandi, ſe navigationi dederunt, ſeu qui verſantur principaliter in agendis prædis in Mari. Perſonæ vero acceſſoriæ, quæ hac excommunicatione ligantur ſunt receptatores, fautores, & defenſores Piratarum, aliorumque maritimorum latrunculorum per Mare diſcurrentium: non autem ligantur, antequam Piratę Mare ingreſſi fuerint; quia cauſa acceſſoria non ligatur cenſura, nondum adimpleto actu principali, ob quem cenſura impoſita eſt.

Quænam actiones hoc Canone ſub excommunicatione prohibentur. Cap. 1046.

1 ACtiones in hoc canone prohibitæ aliæ ſunt acceſſoriæ, & aliæ principales: principales ſunt latrocinium maritimum, aut diſcurſus per mare Pontificium animo deprædandi. Acceſſoriæ ſunt fama, defenſio, receptio, ut patet ex verbis Bullæ; unde ingreſſus in mare ſufficit ad incurrendam excommunicationem, etiam ſi nondum ſecuta ſit expoliatio, quia diſcurſus maritimus animo ſpoliandi factus principaliter in hac Bulla prohibetur, ut patet conſideranti verba ipſius Bullę, & toties excommunicatio incurritur: quoties Pirata Mare Pontificium diſcurrit animo prædandi moraliter interrupto. Solus autem diſcurſus prohibetur ſub excommunicatione in mari, quod Sedi Apoſtolicæ immediate, vel etiam mediate ſubeſt: quia reliqua maria, habent proprios Dominos.

De Excommunicatione lata contra eos qui naufragantium bona ſurripiunt.

Quodnam ſit ſubiectum iſtius Cenſuræ latæ contra ſurripientes naufragantium bona. Cap. 1047.

1 OMnes, & ſinguli, qui bona Chriſtianorum naufragorum, in mari, aut in litoribus exiſtentia ſurripiunt contrahunt excommunicationem in Bulla cœnæ: & non ſolum clam auferentes, ſeu ſurripientes hujuſmodi bona, verum etiam per vim rapientes vinculo hujus cenſuræ obſtinguntur, cenſeo autem hujus canonis pœnam ad conſulentem, jubentem, mandantem, ratum habentem, præſtantem auxilium, vel favorem, aut recipientem bona jam ablata non extendi, quia Summus Pontifex dum vult cenſuras contra fautores, receptatores, alioſque morales cooperatores extendere ſolet id exprimere: quod non eſt expreſſum in hac Bulla modo tamen fautores, ſeu auxiliator contactu phyſico non cooperetur ad rem alienam auferendam; nam hoc pacto dici poteſt ſpoliator & latro.

Quænam ſit materia iſtius Excommunicationis latæ contra ſurripientes naufragantium bona. Cap. 1048.

1 SImplex ſurreptio; ideſt iniuſta acceptio bonorum naufragantium in mari, vel in litore inventorum eſt materia hujus cenſuræ hæc enim eſt actio ſub excommunicatione huius Bullæ prohibita, ut patet ex verbis Bullæ, unde ad incurrendam excommunicationem ſufficit ſurreptio: quæ debet eſſe actio injuſta contra paſſos naufragium: quæ excommunicatio non extenditur contra ſurripientes bona naufragantium in flumine, extenditur vero contra ſurripientes bona quæ gratia levandæ navis in mare projecta ſunt: quia Summus Pontifex generaliter excommunicat ſurripientes bona è navibus eſſecta; & hoc idem valet ſi capiatur ipſamet navis jam exonerata, aut ipſius inſtrumenta, ut remi, anchoræ, funes, nam verba illa cujuſcumque generis bona, generalia ſunt, & ideo omnia complectuntur.

Quorum eſſe debeant bona, quæ rapiuntur, ut hujus canonis cenſura incurratur. Cap. 1049.

1 AD incurrendam hujus Bullæ cenſuram opus eſt, ut ſurripiantur bona Chriſtianorum, quicumque illi ſint: quia de his ſolum ſermo eſt in Bulla. Modo Chriſtiani quorum bona ſurripiuntur non ſint piratæ: nam piratæ ſunt diffidati, & hoſtibus æquiparantur, unde bonis ſpoliari poſſunt, vel bona Chriſtianorum non deferantur ad infideles contra Eccleſiæ prohibitionem: ut ſunt arma, &c. Capientes bona hæreticorum non incidunt in hanc cenſuram: quia nomine Chriſtianorum in favorabilibus non veniunt heretici.

Quandonam capientes naufragorum bona ab hac cenſura excuſentur. Cap. 1050.

1 SUrripientes bona naufragorum excuſantur ab hac cenſura, quoties excuſari poſſunt à mortali culpa, & iniuria contra naufragos: quia ad incurrendam excommunicationem requiritur mortalis culpa, & ideo ad incurrendam excommunicationem requiritur valor duorum aureorum: at ex Concilii conſtitutione non debet excommunicatio ferri pro re vulgari; res autē quæ quantitatem duorum aureorum non attingit vulgaris dicitur (leg. ſi oleum §. finali cum l. ſeq. ff. de dolo mal.) Excuſatur ſurripiens ignorans vetitum eſſe ſub cenſura, vel ſurripiens animo vero domino reſtituendi, vel credit pro derelictis haberi & pro derelictis habentur. Primo, quando proiciens dixit, nolo ea amplius cum rebus meis haberi. Secundo ſi Dominus bona ſua proiicit eo tempore, quo nulla tempeſtas imminet. Tertio ſi librum apertum in Mari proiicit, aut veſtes omnino ſolutas. Quarto ſi Dominus prope portum paſſus ſit naufragium, & poſtquam in portum ſe recepit, neque per ſe, neque per alios curat bona illa recuperare. Nec ab hac cenſura incurrenda excuſare poteſt conſuetudo, vel privilegium capiendi hujuſmodi bona, quia in Bulla revocantur quælibet privilegia.

De

De excommunicatione, quæ contrahitur propter impoſitionem auctionem, vel exactionem pedagiorum, ſeu gabellarum.

Quid ſit pedagium, gabella, portorium. Cap. 1051.

1 PEdagium quod dicitur à pede nihil aliud eſt, quam quoddam tributum, quod pro tranſitu perſonæ per aliqua loca ſolvitur ad reparationem, vel conſtructionem pontium, viarum, navium: ſolet etiam dici guidaium, quod eſt tributum quod pro cuſtodia, & ſecuritate viarum à tranſeuntibus ſolvitur. Gabella ſeu vectigal, ſi proprie, & ſtricte loquamur nihil aliud eſt, quam tributum, quod pro delatione, ablatione, translatione, aut venditione rerum ſeu mercium ſolvitur; vel ut alii dicunt eſt tributum, ſeu vectigal, quod pro mercibus invectis perſolvitur, vulgari, tritoque nomine appellatur datium, aut doana, ſeu dogana. Portorium, quod à portu nomen accepit, eſt ſpecies gabellæ ſeu vectigalis, quod ſolvitur pro rebus, quæ navi deferuntur ad aliquem locum, vel ab aliquo loco aſportantur; vel per aliquem locum transferuntur; Hic igitur Canon loquens de pedagiis, & gabellis explicandus eſt ſolum de pedagio, guidagio, vectigali, ſeu gabella, & portorio proprie acceptis: non vero de taxa, taleis, collectis, præſtantiis, perticatu, gravamine domus iuxta verionem ſententiam.

Quænam ſit materia hujus Canonis: ſeu quænam actiones ſub cenſura in hoc Canone prohibeantur, imponendo pedagium augendo, &c. Cap. 1052.

1 MAteria hujus cenſuræ, ſeu actiones ſub hac cenſura prohibitæ, ſunt impoſitio novi pedagii, ſeu gabellæ auctio, & illius exactio, ut conſtat ex verbis Bullæ novum autem dicitur de cujus impoſitionis initio non extat memoria: ſeu quod nunquam in eo loco fuit impoſitum, unde illa illicita, & invalida ſunt vectigalia, quæ noviter impoſita ſunt ſine legitima facultate: quæ ſub excommunicatione in hac bulla prohibentur; nomine autem auctionis intelligitur augumentum gravaminis, ſeu tributi ſolvendi à tranſeuntibus, aut res aliquas vendentibus, quod cadit ſub eadem excommunicationis pæna; Nomine autem exactionis intelligitur actio qua quis ab invito tributum noviter impoſitum ſine legitima imponendi auctoritate extorquet; nam exigere eſt aliquod extorquere ab eo, qui invitus, ſeu involuntarie tradit, ſeu qui ſolvere nollet ſi poſſet quæ exactio cadit ſub eadem cenſura.

Quod nam ſit ſubiectum, ſeu in quas perſonas hujus Canonis cenſura feratur ob impoſitionem, auctionem, & exactionem pedagiorum, & gabellarum Cap. 1053.

1 OMnes: qui in terris ſuis imponunt, augent, vel exigunt pedagia, vel gabellas in caſibus ſibi à jure, vel ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ auctoritate non permiſſis in excommunicationem hujus canonis incidunt: illi autem imponere poſſunt gabellas qui in ſuis terris ſupremam habent facultatem; nullumque ſuperiorem in temporalibus agnoſcunt, poſſunt etiam imponere, quibus data eſt à ſupremis ipſorum principibus facultas vectigalia imponendi. Summus etiam Pontifex poteſt alteri in temporalibus non ſubdito ſibi facultatem ad gabellas imponendas concedere, quoties id bono ſpirituali expedire judicaverit. Princeps autem ſi gabellam Clericis imponat: etiam ſi alias ſimpliciter habeat cauſam imponendæ gabellæ incurrit cenſuram hujus Canonis, quia ſummus Pontifex generaliter excommunicat imponentes gabellas ſine ſummi Pontificis licentia, in caſibus ſibi non permiſſis.

De Excommunicatione: quæ contrahitur ob falſificationem litterarum Apoſtolicarum.

Quid nomine ſupplicationis, & literarum Apoſtolicarum, & quid nomine falſificationis intelligatur. Cap. 1054.

1 LItteræ Apoſtolicæ dicuntur illæ, quæ nomine Summi Pontificis expediuntur, ſive ſint bullæ, ſive brevis, litteræ vero

ro ſacræ Congregationis Cardinalium aut Pænitentiariæ, aut Epiſcopi, aut Nuntii, aut Legati a latere, aut Datarii non comprehenduntur ſub nomine litterarum vel ſupplicationum Apoſtolicarum: nomine falſificationis in hoc loco intelligitur additio, mutatio vel detractio aliqua à præfatis litteris, vel ſupplicationibus; nam falſa redditur ſcriptura quoties aliquid additur, vel minuitur.

Quænam ſit materia hujus Cenſuræ, ſeu quænam actio ſub cenſura prohibeatur.
Cap. 1055.

1 MAteria, ſeu actio prohibita ſub hac cenſura, eſt falſa fabricatio, falſificatio, & ſignatio litterarum ſeu ſupplicationum Summi Pontificis, aut Vicecancellarii: vel alterius vices ipſorum gerentis, quod patet ex ipſo Bullæ textu. Illa materia, ſeu actio ſufficiens eſt ad hanc cenſuram incurrendam; qua mutatur ſenſus a concedente intentus: ad cognoſcendam autem in hac re materiæ gravitatem ſufficientem cenſuram, non eſt attendenda verborum quantitas, quæ additur, vel detrahitur: ſed ſignificatio: nam fieri poteſt, ut additione unius verbi, puncti, vel apicis mutetur ſenſus à Papa intentus, aliquando vero non mutetur mutatione non nullarum litterarum: non ligatur cenſura contra falſarios lata, qui errorem Grammaticæ corrigit: aut etiam qui verba aliqua addit, vel detrahit: quibus additis, vel detractis adhuc remanet ſenſus à Papa intentus. Ille vero probabiliter excuſari poteſt: qui litteras corrigit juxta mentem Summi Pontificis.

De Cenſura Excommunicationis, quæ interponitur deferentibus, vel tranſmittibus ad infideles, equos, arma, ferrum, ſeu metallum, lignamina, canapem, & ſimilia u u bellico accommodata.

Quænam ſit materia proxima hujus Cenſuræ ſive quænam actiones in hoc canone ſub excommunicationis cenſura interdicantur. Cap. 1056.

1 Actiones, quæ ſub excommunicatione, ipſo facto in hoc canone prohibentur ad tria capita revocantur Primum eſt deferre, vel tranſmittere equos, arma, ferrum filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera: item lignamina, canapem, funes ex canape, vel alia materia, & ipſam materiam funium & alia hujuſmodi, quibus Catholicæ religionis hoſtes, Chriſtianos, & Catholicos impugnantur. Secundum eſt per ſe, vel per alios certiores facere Turcas, aliosque Chriſtianæ religionis inimicos, vel hæreticos de rebus, ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ concernentibus, in damnum Chriſtianorum, & Catholicæ religionis. Tertium eſt auxilium, concilium, & favorem prædictis Chriſtianæ religionis hoſtibus in damnum Chriſtianorum præſtare, ut patet ex ipſius Bullæ verbis: quæ actiones, ſaltem maiori ex parte veræ etiam ſunt jure communi (c. ite quorumdam de Judæis) Conſilium auxilium, vel favor ſunt Actiones principaliter prohibitæ, ſic non ſolum revelans ſecretum infidelibus verum etiam, ille, qui eſt cauſa, ut alter revelet ſubjicitur excommunicationi, modo revelatio re vera ſequatur ſic enim habetur in Bulla: actiones ſupradictæ duas ſaltem ſpecie malitias continent prima eſt ſacrilegium, quia ſunt actiones contra religionem Catholicam, & ideo Sacrilegii labem continere dicuntur. Secunda eſt culpa Injuſtitiæ: quia opus injuſtum contra Republicam agit, quando aliquam ex prædictis actionibus facit, & propterea exercentes præfatas actiones tenentur ad reſtitutionem damni Reipublicæ Chriſtianæ ab hoſtibus ea de cauſa illati.

Quænam ſit materia, quæ deferri prohibeatur, & quodnam ſit ſubjectum hujus cenſuræ: ſeu quænam perſonæ excommunicationem incurrant ob actiones enumeratas.
Cap. 1057

1 MAteria, quæ deferri prohibetur, ſunt Primo Equi ut expreſſum eſt in Bulla, item Cameli, aſini, muli, boves, licet enim hæc animalia nomine equorum in rigore non veniant, comprehenduntur tamen ſub illis verbis, & alia hujuſmodi; & qui eo tranſmitteret ad infideles, auxilium illis præſtare proculdubio diceretur. Secundo arma ſive offenſiva, ſive defenſiva verbum enim generale eſt, Tertio ferrum, ſive factum ſive nondum fa-

factum ut ſunt virgæ, laminæ, & globi ferrei, idem dicendum de vena ferri. Quarto omnia genera metallorum: idem dicendum de pecunia, quia eſt aliquod metalli genus. Quinto bellica inſtrumenta, quibus milites ad bellum excitantur, vel inſtruuntur. Sexto ligamina, funes, & materia funium & alia hujuſmodi, quæ ad bellum deſervire poſſunt. Victualia deferentes eo tempore, quo moraliter bello inſervire poſſunt comprehenduntur, quia ſunt quaſi inſtrumenta, & auxilia belli, Subiectum hujus cenſuræ ſunt, qui deferunt, vel tranſmittunt arma equos, metalla &c. ad Turcas, Saracenos, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, vel etiam ad hæreticos expreſſe, vel nominatim à Summo Pontifice declaratos, & ſic qui per ſe, vel per alios certiores faciunt præfatos hoſtes, & hæreticos de rebus concernentibus ſtatum alicujus Chriſtianæ Reipublicæ in damnum Chriſtianorum, & religionis Catolicæ: ſic qui prædictis hoſtibus, & hæreticis auxilium, conſilium vel favorem in damnum Chriſtianorum quomodo libet præſtant. Sexto nautæ, Muliones, & his ſimiles deferentes arma, vel alia prohibita infidelibus. Septimo Princeps Chriſtianus qui bellum infert adverſus alium Principem Chriſtianum ut deſiſtat ab obſidione, vel bello contra Turcas. Octavo mandans arma infidelibus deferri. Nono qui contulit infidelibus aliquid in damnum Chriſtianorum. Decimo qui ratam habet delationem armorum ad infideles, non obſtringitur cenſura hujus Canonis. Undecimo incidit qui certiores facit infideles de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ in damnum Chriſtianorum. Duodecimo qui certiores facit hæreticos de rebus pertinentibus ad ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ in damnum Catholicæ religionis. Qui arma, vel alia in Bulla expreſſa tradit infidelibus in terris Chriſtianorum vendendo, vel permutando, incurrit excommunicationem: quia non ſolum excommunicantur deferentes, vel tranſmittentes; verum etiam præſtantes auxilium infidelibus ad impugnandos Chriſtianos; iſti autem præſtant auxilium tradendo arma.

De iis, ad quos arma, & alia præfata deferri, vel tranſmitti prohibentur.
Cap. 1058.

1 QUatuor perſonarum genera in hac bulla exprimuntur; quibus vetitum eſt deferre arma, & alia recenſita, Primo Saraceni illi Mahomettanæ perfidiæ ſectatores. Secundo Turcæ. Tertio alii Chriſtiani nominis hoſtes, ut ſunt Tartari, Mauri, & Judæi habitantes in terris infidelium. Quarto hæretici expreſſe, & nominatim declarati à Sede Apoſtolica, quamvis enim iſti non ſunt inimici nominis Chriſti, ſunt tamen inimici Catholicæ religionis, eamque oſtio habent, perſequuntur, & totis viribus impugnare, & extirpare conantur, expreſſeque in Bulla hiſce temporibus continentur.

De cauſis excuſantibus ab incurrenda cenſuram in hoc canone contenta.
Cap. 1059.

1 PArvitas materiæ excuſat ab hac cenſura incurrenda: nam ad incurrendam requiritur gravis culpa: parvitas autem materiæ excuſare poteſt a gravi culpa: licet magna prudentia opus eſt in diiudicanda materiæ parvitate, vel gravitate, illa enim cenſenda eſt gravis materia, ex qua notabile damnum ab hoſtibus judicio prudentis viri afferri poteſt, levis vero, ex qua leve damnum timetur: imperfectio actus ſub cenſura prohibiti excuſat à cenſura incurrenda: unde qui arma ad infideles detulit, ſed non tradidit, non ligatur hac cenſura, quia translatio non dicitur perfecta, niſi res perveniant ad eum, ad quem deſtinata erat: Deferens autem arma ad infideles ligatur hac cenſura: etiam ſi infideles illi armis non indigeant: quia ille præſtat actionem prohibitam. Metus gravis damni excuſat ab hac cenſura, niſi forte damnum valde grave Reipublicæ præponderet, unde Chriſtianus in navibus Turcarum metu mortis navigans contra Chriſtianos excuſari poteſt ab hac cenſura: ſaltem ſi ipſo non remigante, damnum nihilominus Chriſtianis inferretur: quia per metũ gravem exercet actionem ex ſe indifferentem. In iis caſibus, qui per EpyKejam cenſentur excepti, locus eſt excuſatio-

ni ab hac cenſura: iis enim non excedit legiſlatoris voluntatem, & ſic deferens ad infideles arma, pecuniam, vel alia pro redemptione captivorum, non ſubiacet huic cenſuræ. Qui ex privilegio Summi Pontificis arma, vel alia prohibita defert ad infideles, non ligatur hac cenſura, modo in ipſo privilegio hujus prohibitionis expreſſa mentio contineatur: quia excommunicatio pendet ab intentione, & voluntate Summi Pontificis.

De Excommunicatione lata contra eos, qui impediunt aducentes victualia, & alia neceſſaria ad Romanam Curiam

Quænam ſit materia hujus cenſuræ, & ſeu quænam actiones ſub cenſura prohibeantur, & quam malitiam habeant. Cap. 1060.

1 Materia proxima hujus cenſuræ ſunt actiones in hoc canone ſub cenſura vetitæ, harum autem actionum aliæ ſunt principales, aliæ acceſſoriæ; Principales ſunt Primo impedire: ſeu invadere eos, qui victualia ſeu alia ad uſum Romanæ curiæ neceſſaria adducunt: Secundo prohiberi, impedire ſeu perturbave ne prædicta ad Romanam curiam advehantur, Acceſſoriæ ſunt per ſe, vel per alios defendere illos, qui prædicta faciut: impedire autem eſt illa actio: qua quis alteri obſtat, ſeu detinet, ſive hoc faciat per vim, ſive per metum ſive alia ratione: invadere autem eſt ire contra aliquem: ideſt vim ſeu impetum inferre, ſeu in aliquem irruere ſeu aggredi, ut illum ſpoliet, nterficiat, vel damnum, ſeu injuriam inferat: Prohibere: vero idem eſt ac impedire, ſeu auctoritate publica, ſeu privata, perturbare idem ſignificat; ac ſimpliciter impedire, ſeu quovis modo obſtare verbis, vel factis. Victualium nomine intelliguntur ea, quibus ad eſum, potum, & veſtitum: ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria dicuntur. Primo quæ pertinent ad neceſſarium, vel decentem Curialium ſtatum. Secundo ea quibus Curiales utuntur in ſuis muneribus obeundis, & negottis exercendis: appellatione Romanæ Curiæ intelligitur locus ſummi tribunalis; ſeu potius ſummum Eccleſiæ tribunal, ſeu audientia Papæ, ipſo præſente, vel etiam abſente. Actiones in hoc canone interdictæ ex vi hujus prohibitionis malitiam ſacrilegii continere videntur: quia Sedem Apoſtolicam, ſeu Romanam Curiam in ſuis victualibus, aliiſque ad ipſius uſum pertinentibus lædit: ex natura vero actionis fieri poteſt, ut injuſtitiæ labem, ut plurimum adiunctam habeat ut ſi quis minis, vi metu, fraude, & alio ſimili pacto impediat victualia ad Romanam Curiam transferri.

Quodnam ſit ſubiectum hujus cenſuræ, ſeu quinam præfatam cenſuram incurrant impediendo victualia, & alia neceſſaria ad Romanam Curiam deferri. Cap. 1061.

1 Subiectum hujus cenſuræ ſunt omnes injuſte impedientes, vel invadentes eos, qui victualia, vel alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt; ſi in præfata ad Romanam Curiam deferatur impediunt, vel prohibent, ſaltem quatenus ea ad Romanam Curiam deferuntur, vel per ſe, vel alios hæc facientes defenduntur, quod ex verbis Bullæ conſtat. & cum hæc cenſura generalis ſit, & ad quoſcumque extenditur, dicitur omnes, qui autem jure licito impediunt, non ligantur hac cenſura: ſic etiam invadens, vel impediens deferentem victualia, non animo impediendi victualium traſnem non incidit in hanc pænam: hic autem non ſolum loquitur de impedientibus eos, qui actu præfata deferunt, ſeu adducunt, ſed etiam de impedientibus eos, qui deferre volunt, ſed nondum deferre cœperunt: quia Summus Pontifex non ſolum excommunicat impedientes deferri, ſed etiam illos, qui prohibent, ne præfata adducantur, & afferantur: juſta autem interveniente cauſa, ſcilicet titulo impediendæ carltatis, & inopiæ in ſuo territorio, impedire poteſt, mandans vero, vel conſulens ne victualium delatio fiat non incurrit: quia cenſura lata contra facientes, non afficit mandantes, vel conſulentes: ex vi autem hujus canonis, incurritur ſolum excommunicatio, quia nulla alia pœna hic exprimitur. Hac cenſura ligantur non ſollum illi, qui præfata faciunt ſed etiam qui per ſe, vel per alios præfata facientes defendunt; quod ſatis, clare, & diſtincte in ipſamet Bulla explicatur, & propterea ligatur excommunicatione qui defendit. ideſt protegit aliquem

quem, ut tuto, & libere invadat deferentes victualia, aut impediat, ne præfata ad curiam adducantur: hic enim proprie dicitur defendere.

De cauſis excuſantibus ab incurrenda hujus canonis cenſura. Cap. 1062.

1 IMpedientes ex juſta cauſa non ligatur hac cenſura, ſic etiam parvitas materię excuſat ab hac cenſura: magnitudo autem, & parvitas materiæ judicio prudentis viri definienda eſt, cum enim Summus Pontifex illam non exprimat, prudentis viri arbitrio definiendam reliquit.

De excommunicatione lata contra eos; qui accedentes ad curiam Romanam, vel ab ea recedentes, vel in ea commorantes interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, vel detinent.

Quænam ſit materia proxima hujus cenſuræ, ſeu quęnam actiones in hoc canone ſub excommunicatione prohibentur. Cap. 1063.

1 MAteria hujus cenſuræ, eſt ſacrilegium, quo Sedes Apoſtolica læditur interficiendo per ſe, vel per alios, mutilando, ſpoliando, capiendo, vel detinendo eos, qui ad ipſam Sedem Apoſtolicam veniunt, vel ab ea recedunt: hoc in ipſamet Bulla diſtincte ſatis explicatur. Nomine Sedis Apoſtolicæ intelligitur Summus Pontifex, quatenus juriſdictionem habet non ſolum ſpiritualem, verum etiam temporalem: unde qui Romam veniunt cauſa ſtationum, & Indulgentiarum, aut cauſa urbis inviſendæ non appellantur venientes ad Sedem Apoſtolicam; dicuntur autem venientes ad Sedem Apoſtolicam, qui ratione Summi Pontificis, ſeu intuitu negotiorum in curia tractandorum iter inchoarunt animo accedendi ad Romanam Curiam, cauſa negotiorum apud Summum Pontificem. Illi autem ſolum recedentes dicuntur, qui ad Sedem Apoſtolicam acceſſerant cauſa negotiorum in Curia expediendorum. Materia hujus cenſuræ, non ſolum eſt Sacrilegium, quo Sedes Apoſtolica lęditur occidendo, mutilando, ſpoliando, capiendo, vel detinendo accedentes ad Sedem Apoſtolicam, vel ab ea recedentes, verum etiam eſt Sacrilegium, quo eadem Sedes offenditur; prædictas actiones exercendo auctoritative, uſurpata temere juriſdictione contra prædictas perſonas in Curia Sedis Apoſtolicæ morantes, cauſa negotiorum in ea expediendorum: ex quo patet differentia inter eum: qui prædictas actiones facit contra accedentes ad curiam, vel recedentes, & inter eum, qui eas facit contra commorantes: nam qui eas facit contra commorantes, non incurrit excommunicationem, niſi eas faciat auctoritative: qui vero eas facit contra accedentes incurrit, ſi eas facit auctoritate privata ſive publica: nomine commorantium in Curia intelliguntur: qui in Curia, reperiuntur ad negotia expedienda, & nomine Curiæ intelligitur Sedes Apoſtolica.

Quodnam ſit hujus cenſuræ ſubiectum ſeu contra quas perſonas iſta excommunicatio feratur. Cap. 1064.

1 SUbiectum hujus cenſuræ ſunt omnes, & ſinguli, qui per ſe, vel per alios interficiunt, vel mutilant, vel ſpoliant, vel capiunt, vel detinent Catholicos accedentes ad Sedem Apoſtolicam, vel recedentes, aut qui uſurpata temere auctoritate præfatas actiones per ſe, vel per alios contra morantes in Curia audent perpetrare, & non ſolum illi qui per ſe ipſos præfatas actiones exequuntur ſubiiciuntur huic Cenſuræ, verum etiam, qui mandant, vel jubent, modo ſecuta ſit actio.

De Excommunicatione lata contra lędentes Romipetas, aut peregrinos ad Romanam urbem devotionis gratia proficiſcentes, vel in ea morantes, vel recedentes.

Quęnam ſit materias hujus cenſure, ſeu quęnam actiones ſub excommunicatione in hoc canone prohibeantur. Cap. 1065.

1 MAteria principalis hujus cenſuræ: ſeu actio principaliter prohibita eſt Sacrilegium, quod committitur contra Romipetas interficiendo, mutilando, vulnerando, detinendo, capiendo, vel deprædando: quod ſatis clare conſtat ex

textu, unde excommunicatione hujus canonis non ligatur, qui Peregrinum ad urbem proficiſcentem verberat, ſeu pecutit ſine vulnere, & ſanguinis effuſione, ut ſi virga, vel pugnis offendat. Materia minus principalis, ſeu actio in hoc canone acceſſorie prohibita eſt Sacrilegium, quod contra Romipetas, ſeu Peregrinos devotionis cauſa Romam pergentes committitur præbendo auxilium, favorem, vel conſilium ad occidendum, mutilandum, vulnerandum, capiendum, detinendum, ſeu predandum Romipetas, ut clare conſtat ex ipſa bulla: dantes vero conſilium, auxilium, vel favorem non ligatur excommunicatione nondum ſecuta mutilatione: &c. quia qui Romipetam vulnerare vel deprædari conatur, non ligatur hac cenſura ante vulnerationem: ideo neq; præbens auxilium, favorem, vel conſilium ligatur hac cenſura ante præfatas actiones.

Quodnam ſit ſubjectus hujus cenſuræ; ſeu quiſnam præſentis Canonis Excommunicationem incurrant occidendo, vulnerando, ſpoliando. Cap. 1066.

1 OMnes, & ſinguli injuſte interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, depredantes Romipetas, ſeu peregrinos ad Urbem cauſa devotionis; vel peregrinationis accedentes, vel in ea morantes, vel recedentes, vel in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationem præſenti canonis incurrunt, hæc propoſitio innititur verbis à Summo Pontifice prolatis: juſte autem occidens, aut vulnerans non ligatur excommunicatione ut ſi occidat ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ: ligatur autem excommunicatione peregrinus occidendo, vulnerando, &c. alium Peregrinum, quia Summus Pontifex generaliter, abſolute, & indiſtincte loquitur.

Contra quas perſonas præfatæ actiones homicidii, vulnerationis, ſpoliationis, &c. fieri debeant, ut excommunicationis pœna incuratur. Cap. 1067.

1 UT Cenſura hujus Canonis incurratur opus eſt ut aliquæ ex præfatis actionibus fiant conrra Romipetas, ſeu peregrinos ad Urbem cauſa donationis, ſeu peregrinationis accedentes. Romipeta ille dicitur, qui cauſa Devotionis Romam pergit, & ille dicitur cauſa devotionis, vel peregrinationis accedere, qui Romam pergit, animo colendi Deum in ſe ipſo, vel in Sanctis. Devotio eſt effectus circa ea, quæ ſunt divini cultus, & non ſolum qui occidunt, mutilant &c. accedentes ad urbem ligantur excommunicatione hujus Canonis, verum etiam, qui prædicta faciunt contra morantes in urbe cauſa devotionis, ſic enim clare habetur in Canone; modo morantes in Urbe ſint Romipetæ, ſeu peregrini cauſa devotionis morantes & non ſolum vexans peregrinos accedentes, vel in Urbe morantes cauſa peregrinationis incurrit excommunicationem verum etiam qui vexat recedentes ab ea.

Quibus de cauſis vexantes, occidendo, vulnerando, ſpoliando Rompetas ſeu peregrinos ab iſtius excommunicationis cenſura excuſentur. Cap. 1068.

1 IGnorantia invincibilis, & probabilis juris, facti, vel etiam pœnæ excuſat ab iſta excommunicatione: quia cenſuras ferri conſueverint contra contumaces, contumax autem non eſt, qui probabili laborat Ignorantia, unde prædones, & graſſatores viarum excuſari poſſunt ab excommunicatione, dum aliquem aggrediuntur, qui nullum peregrinationis ſignum exhibet, nec ipſi aliunde notum eſt peregrinum ad urbem eſſe, Juſta cauſa vulnerandi, aut capiendi, &c. excuſat ab excommunicatione. Parvitas materiæ cenſetur cauſa ſufficienter excuſans ab extommunicatione in iis caſibus, in quibus parvitas materiæ dari poteſt, quia ſicut parvitas materiæ excuſat à mortali, ita etiam ab excommunicatione.

De Undecima Excommunicatione, quæ contrahitur offendendo S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos.

Quænam ſit materia hujus excommunicationis quænam actiones in hoc canone prohibeantur. Cap. 1069.

1 MAteria primaria hujus cenſuræ, eſt ſacrilegium, quo Cardinales & alii Prælati in hoc canone expreſſi offenduntur per aliquam actionem, hic principaliter prohibitam, hoc autem ſacrilegium conſiſtit in actionibus, hic principaliter

Digitized by Google

paliter prohibitis, quæ ſunt interficere, mutilare, vulnerare, percutere, carcerare detinere, hoſtiliter inſequi, eſt elicere ex diæceſibus, terris, ſeu dominiis. Materia minus principalis, ſeu acceſſoria hujus cenſuræ, eſt ſacrilegium, quo quis Cardinales, alioſque Prælatos, in hoc canone expreſſos offendit mandando, ratum habendo, auxilium, conſilium, vel favorem præbendo in actionibus principaliter prohibitis ſupradictis, quare actiones minus principales, ſeu acceſſoriæ ſunt Mandarum ratihabitio, auxilium, conſilium, vel favor circa actiones principaliter prohibitas.

Contra quas perſonas, occiſio, mutilatio, & aliæ actiones in hoc canone damnatæ fieri debeant, ut cenſura incurratur. Cap. 1070.

1 UT Cenſura hujus Canonis incurratur, opus eſt, ut aliqua actionum hic vetitarum fiat contra perſonas hic expreſſas quæ ſunt Cardinales, Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Legati, & Nuncii, ut patet ex textu.

De ſubjecto hujus cenſuræ, ſeu contra quas perſonas excommunicatio hujus canonis feratur. Cap. 1071.

1 OMnes ſine juſta cauſa, & cum læthali culpa contra hunc canonem occidentes, vulnerantes, capientes, carcerantes, detinentes, hoſtiliter inſequentes, vel à ſuis terris vel dominiis eicientes Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos vel nuncios in excommunicationem hujus canonis incidunt effectu ſecuto: hæc propoſitio ſatis clara, & perſpicua eſt ex ipſo textu: ſi quis autem juſtam habeat percutiendi cauſam, ut ſi ad ſui, ſuorumque defenſionem, pudicitiæ, vel bonorum cum moderamine inculpatæ tutelæ, Epiſcopum, vel cardinalem percutiat, vel occidat eximitur ab excommunicatione: quia non percutit injuſte, & cum lethali culpa, & non ſolum interficientes, vulnerantes, &c. cardinalem, &c. vinculo cenſuræ obſtringuntur, verum etiam mandantes, ratum habentes, ſeu præſtantes in præfatis actionibus auxilium, conſilium, vel favorem: hæc propoſitio patet ex textu: ſed non ligantur antequam mandatarius, vel conſulrus rem perfecerit: & executioni tradiderit. Qui non prohibet delictum hujus canonis, non prohibendo præciſe, niſi forte conſentiat cooperando, & auctoritatem præſtando, quia in hoc canone excommunicantur patrantes delictum, vel præſtantes auxilium, conſilium, aut favorem ad illud patrandum: qui autem non impedit, proprie loquendo, non præſtat auxilium, conſilium, vel favorem.

Utrum non ſolum in hoc bulla, verum etiam alibi jure communi lata ſit excommunicatio contra offendentes Cardinales, & Epiſcopos. Cap. 1072.

1 MUltis in locis lata eſt excommunicatio contra offendentes cardinales, & Epiſcopos. Primo enim lata eſt c. ſi quis ſuadente diabolo 17. Secundo in clem. Si quis ſuadente de pœnis. Tertio in c. felicis, de pœnis in 6. Quarto à Bulla Pii V. quę incipit in felicis Sęculi edita anno 1569 25. Kalen. Ianar.

De Excommunicatione lata contra offendentes eos, qui ad Romanam curiam recurrunt cauſa negotiorum.

Quęnam ſit materia hujus canonis, ſeu quænam actiones hic fieri prohibentur contra perſonas, quæ in Romana Curia cauſas agunt, vel negotia. Cap. 1073.

1 MAteria principalis, & primaria hujus canonis eſt ſacrilegium, quod committitur occidendo, percutiendo, vel ſpoliando confugientes per ſe, vel per alios cauſa negotiorum ad Sedem Apoſtolicam, vel ipſorum procuratores, actores, advocatos, vel iudices, & committitur Sacrilegium: quia perſonæ ſub protectione Eccleſiæ exiſtentes offenduntur actionibus ſpecialiter in hoc canone interdictis. Materia minus principalis, & acceſſoria hujus cenſuræ eſt Sacrilegium, quod committitur ab iis, qui occaſionem, percuſſionem, vel ſpoliationem prædictarum perſonarum præſumunt mandare, exequi, vel procurare, aut in eas auxilium, conſilium, vel favorem præſtare: hæc propoſitio clara eſt ex text. quæ actiones debent in effectum poſitive influere; ut pœna hujus cenſuræ puniatur.

Contra

Contra quas perſonas præfatæ actiones occidendi, percutiendi, vel ſpoliandi fieri debeant ut cenſura incurratur. Cap. 1074.

1 PErſonæ, quæ in hoc canone offendi prohibentur, & privilegio hujus canonis gaudent ſunt ſex. Primo recurrentes ad Romanam curiam per ſe, vel per alios in ſuis cauſis, & negotiis: ideſt confugientes ad tribunalia Summi Pontificis per viam appellationis, vel per viam principalis petitionis, aut cauſa diſpoſitionis, vel conſecutionis Beneficii, & ſimilium. Secundo ſunt proſequentes, aut procurantes cauſas, ſeu negotia in Romana cura: quare ſi aliquem actione hic vetita, poſtquam recurſum habuit ad Romanam curiam offendit incidit in excommunicationem. Tertio Procuratores, negotiorum geſtores. & actores. Quarto Advocati. Quinto Auditores, Sexto Judices.

Quodnam ſit hujus cenſuræ ſubjectum ſeu contra quas perſonas excommunicatio, hujus canonis lata ſit. Cap. 1075.

1 SIcut duo actionum genera in hoc canone prohibentur: ita etiam duplex perſonarum genus excommunicatur: Omnes igitur, & ſinguli, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant excommunicationem incurrunt injuſte occidendo, percutiendo, aut bonis ſpoliando recurrentes ad Romanam Curiam cauſa negotiorum vel illos proſequentes, procuratores, actores, Advocatos, vel ſpolient cauſa negotiorum, ut ex ipſo textu ſufficienter conſtat, qui vero recurrentem ad Sedem Apoſtolicam, vim vi reppellendo, ad neceſſariam ſui defenſionem occidit, non contrahit excommunicationem, quia non occidit injuſte, ſic qui per ſe, vel per alios directe, vel indirecte, præfata delicta committere, quique, vel procurare, aut eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare præſumunt cenſura hujus canonis innodantur; ſecuto tamen effectu: qui vero percutit clericum ad Romanam Curiam recurrentem cauſam negotiorum non ſolum excommunicatione hujus canonis, verum etiam c. ſi quis ſuadente diabolo, quia duas leges violat.

Utrum Cenſura hujus canonis alia in jure ſit expreſſa. Cap. 1076.

1 CEnſura hujus canonis non ſolum in hac bulla, verum etiam alibi promulgata eſt. Primo refertur in *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* 15. *in c.* quod incipit *Sacroſancta Synodus* & in *Concilio Baſilienſi ſeſſ.* 1. *in c. Sacroſancta generalis Synodus*. Secundo reperitur alia conſtitutio aliquo tamen pacto à diſpoſitione noſtri canonis diverſa in extravaganti Divina Eugenii IX. de privilegiis.

De excommunicatione contra eos, qui prætextu appellationis a gravamine, aut executione litterarum Apoſtolicarum ad laicam poteſtatem recurrunt, & dictarum litterarum executionem impediunt: & accedentes ad Curiam Romanam pro negotiis proſequendis & gratiis, & litteris impetrandis prohibent.

1 HIc canon in tres partes dividi ſolet: in prima agitur de iis, qui prætextu appellationis à Gravamine vel futura executione litterarum Apoſtolicarum recurrunt ad laicam poteſtatem, ab eaque appellationem admitti, aut præfatas litteras capi, & retineri faciunt. In ſecunda agitur de iis, qui dictarum litterarum executionem aliqua ratione impediunt, vel prohibent. In tertia de iis, qui accedentes ad Romanam Curiam pro negotiis proſequendis, gratiis, vel litteris impetrandis directe, vel indirecte prohibent, ne accedant, vel recurrant, vel ne impetratis utantur, vel dictas litteras apud ſe, vel apud alios quomodolibet retinere præſumunt.

Quænam ſit materia hujus primæ partis, , ſeu quænam ſint actionem in prima hujus canonis parte prohibitæ, & quodnam ſit ſubjectum excommunicationis in hoc canone contentæ contra recurrentes ad laicam poteſtatem, &c. C. 1077.

1 MAteria hujus primæ partis eſt ſacrilegium, quo Sedis Apoſtolicæ auctoritas violatur. Primo recurrendo ad curias ſæculares, & laicam poteſtatem prætextu frivolæ appellationis à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum. Secundo faciendo admitti huju-

hujuſmodi appellationes à laica poteſtate inſtante etiam fiſci procuratore, & advocato. Tertio faciendo capi, vel retineri prædictas litteras ab eadem laica poteſtate, hæc propoſitio ex verbis textus aperte conſtat: & hæc materia eſt ſacrilegium: quia Sedis Apoſtolicæ auctoritas, & juriſdictio violatur; & non modo prohibita eſt actio, qua quis motu proprio ad curiam ſecularem recurrit, & ab ea obtinet appellationem admitti: verum etiam illa, qua id facit conſilio, ſuaſione, & opera Advocati, vel Procuratoris fiſci, nam ſic in textu dicitur. Subiectum cenſuræ hujus canonis ſunt omnes & ſinguli tam laici, quam Eccleſiaſtici qui prædictas actiones vetitas faciant, quæ propoſitio patet ex verbis textus.

Quænam ſit materia ſecundæ partis: ſeu quænam actiones in ſecunda hujus canonis parte ſub excommunicatione prohibentur; & quod nam ſit ſubiectum hujus Excommunicationis editæ contra impedientes executionem litterarum Apoſtolicarum. Cap. 1078.

1 MAteria ſecundæ partis iſtius canonis eſt ſacrilegium quod committitur Primo ſimpliciter impediendo litterarum Apoſtolicarum executionem: id eſt impediendo ſine ulla conditione, vel clauſula, ne præfatæ litteræ executioni tradantur. Secundo impediendo ſecundum quid, ne ſcilicet prædictæ litteræ executioni mandentur ſive beneplacito, conſenſu, vel examine, poteſtatis laicæ, Tertio impediendo, ne tabellione, & notarii conficiant acta, vel inſtrumenta ſuper executione hujuſmodi litterarum, & Proceſſuum. Quarto impediendo ne inſtrumenta, vel acta confecta ſuper executione hujuſmodi tradantur parti, cujus intereſt. Quinto capiendo partes actrices, vel ipſarum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios executores, vel ſubexecutores litterarum aliorumque decretorum Apoſtolicorum. Has perſonas Summus Pontifex expreſſit: quia contingere aliquando ſolet, ut qui ipſos impetrantes litteras Apoſtolicas vexare non poteſt, vexet cōſanguineas, affines, vel familiares, ut hoc pacto litterarum Apoſtolicarum executionem impediat, Sexto aliquam ex præfatis perſonis percutiendo. Septimo vulnerando. Octavo carcerando. Nono detinendo. Decimo ex civitatibus, locis, & regnis eiiciendo. Vndecimo bonis ſpoliando. Duodecimo perterrefaciendo. Decimotertio concutiendo: id eſt nomine alterius metum inferendo. Decimo quarto comminando: ad incurendam autem excommunicationem ob iſtas actiones opus eſt ut perſonæ, quas expreſſi in verbo capiendo, offendantur occaſione dictarum litterarum, citationum, &c. ſubiecti hujus cenſuræ ſunt omnes illi, qui præfatas actiones præſtant, ſive eas præſtent auctoritate publica, ſive privata, vel faciunt per ſe, ſive per alios, ſive publice, ſive occulte.

Quænam ſit materia tertiæ partis hujus Canonis ſeu quænam actiones hic prohibeantur & quodnam ſit ſubiectum hujus excommunicationis editæ contra eos qui prohibent, ne quis ad Romam Curiam pro ſuis negotiis accedat, ne litteras impetret, vel impetratis utatur, &c. Cap. 1079.

1 MAteria tertiæ partis hujus canonis, eſt Sacrilegium contra Sedem Apoſtolicam, quod committitur aliqua iſtarum actionum. Prima eſt præſumere directe, vel indirecte prohibere, ſtatuere, aut mandare in genere, vel in ſpecie, ne quis ad Romanam curiam accedat, vel recurſum habeat pro quibus vis ejus negotiis pro ſequendis ſeu gratiis, vel litteris impetrandis, ſeu ne gratias ipſas, vel litteras à Sede Apoſtolica impetret, ſeu ne impetratis utatur, Secunda eſt præſumere prædictas litteras apud ſe retinere, vel apud notarios, ſeu tabelliones, vel alios quomodolibet, hæc propoſitio conſtat ex verbis bullæ: non autem quælibet iſtarum actionum ſufficit ad incurrendam hujus canonis excommunicationem niſi adſit præſumptio, temeritas, audacia, ſeu licentia quia Summus Pontifex requirit præſumptionem, ut ſcilicet actio fiat ab eo, qui ſcit actionem, quam præſtant, vetitam eſſe ſub excommunicatione; præſumptio enim requirit ſcientiam. Qui auctoritate publica, vel privata injuſte audet directe, vel indirecte in genere, vel in ſpecie prohibere, ſtatuere vel mandare ne quis ad Romanam curiam accedat, vel recurſum habeat pro quibus negotiis proſequendis, ſeu gratiis, ac litteris impetrandis, vel ne gratias ipſas aut litteras à Sede Apoſtolica impetrat, ſeu ne impetratis utatur, aut qui audet prædictas litteras reti-

retinere apud ſe, vel apud notarios, ſeu tabelliones, vel alias quomodolibet, ſubiicitur excommunicationi hujus canonis: ſic enim clare ſatis, & aperte in hoc canone decernitur, & ſtatuitur, & propterea, Primo ille punitur pœna excommunicationis, qui quovis pacto impedit aliquem, ne ad Romanam Curiam accedat aut recurrat pro quolibet ſuo negotio. Secundo incurrit, qui in cauſa eſt, ne quis negotium ſuum, quod per litteras in Romana Curia tractare decreverat, non tractet: Tertio afficitur excommunicatione, qui præſumit impedire, ne quis gratias, vel litteras Apoſtolicas impetret, vel ne impetratis utatur. Quarto contrahit excomũnicatione, qui litteras Apoſtolicas non tradit illis, quorum intereſt, aut mandat eas apud publicos ſcribas, ſeu tabelliones, ſeu alios retineri, ne tradantur illis ad quos pertinent quia impedit ne litteris impetratis utantur.

De excommunicatione contra eos, qui cauſas à judicibus Eccleſiaſticis avocant, vel earum curſum, aut executionem litterarum Apoſtolicarum, aliarumque expeditionum impediunt.

De materia hujus excommunicationis, ſeu de actionibus propter quas incurritur præſentis canonis Excommunicatio edita contra avocantes cauſas à judicibus Eccleſiſticis vel earum curſum, aut expeditionem litterarum Apoſtolicarum impedientes, &c.
Cap. 1080.

1 MAteria hujus cenſuræ eſt ſacrilegium, quo Sedes Apoſtolica in ſua juriſdictione violatur per aliquas actiones in hoc canone expreſſas quæ ſunt. Prima auctoritate propria, ac de facto avocare cauſas ſpirituales, ſeu ſpiritualibus adnexas ab auditoribus, & commiſſariis Sedis Apoſtolicæ. Secunda actio eſt impedire cauſarum ſpiritualium, vel ſpiritualibus adnexarum curſum, proſecutionem, audientiam, perſonas, Capitula, Conventus, vel collegia, quæ prædictas cauſas proſequi volent. Tertia eſt interponere ſe tamquam judicem in prædictarum cauſarum cognitione: ſecus ſi tamquam procurator, vel advocatus ſe ingerat, nam canon loquitur de interponente ſe tamquam judicem. Quarta eſt compellere auctoritative partes actrices: quæ prædictas cauſas committi fecerunt ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, inhibitiones, aut alias litteras decretas ſuper hujuſmodi cauſis. Quinta eſt compellere eaſdem partes actrices ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, abſolvi à cenſuris, & pænis in illis contentis, aut ad conſentiendum eos abſolvi; Ad incurrendam tamen excommunicationem ob hujuſmodi compulſionem opus videtur, ut iſta compulſio auctoritate judiciaria fiat. Sexta actio eſt auctoritate judiciaria impedire executionem littirarum Apoſtolicarum executorialium, proceſſuum, & decretorum quomodolibet. Septima actio, quæ prædictis addi debet eſt mandatum ad aliquam ex prædictis actionibus faciendam quia in textu dicitur qui per ſe, vel per alios, is autem per alium facit, qui mandat: ſeu per alium fieri curat. Materia hujus cenſuræ non ſolum eſt ſacrilegium, quo juriſdictio Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ violatur actionibus principaliter prohibitis: verum etiam eſt ſacrilegium conſiſtens in actionibus acceſſoriis prohibitis in hoc canone, quæ ſunt favor, conſilium, aſſenſus, auctoritative præſtitus in actionibus principaliter prohibitis, ob quas tamen non incurritur excommunicatio niſi ſecuto effectu.

De ſubjecto, ſeu perſonis quæ vinculo hujus cenſuræ irretiuntur.
Cap. 1081.

1 OMnes, & ſinguli: qui ſine ſpeciali Summi Pontificis facultate actiones in præcedenti explicatas, per ſe vel per alios auctoritative faciunt, in hujus canonis excommunicationem incidunt: ſed qui faceret de licentia Pontificis non contraheret excommunicationem: quia diceretur non facere propria auctoritate.

Utrum hæc cenſura alibi expreſſa reperiatur.
Cap. 1082.

1 HÆc cenſura non ſolum jure novo in Bulla Cænæ inducta fuit: verum etiam ex parte jure antiquo. Primo. in *c. quoniam de immunitat. Eccleſ. lib. 6*. Secundo *quicumque de ſent. excomm. lib 6*

Utrum

Utrum avocantes cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus adnexas, aut Apoſtolicarum litterarum executionem impedientes poſſint aliquibus de cauſis ab excommunicatione hujus Bullæ excuſari.

1 NOnnullæ cauſæ percenſeri poſſunt utrum ſufficiant ad excuſandos eos, ab excommunicatione, qui hujus canonis decreta non obſervant avocando cauſas à judicibus Eccleſiaſticis, aut illarum curſum impediendo &c. Prima cauſa eſt privilegium Summi Pontificis, aut Epiſcoporum. Secunda ſupplicatio ſummi Pontifici exhibita. Tertia conſuetudo: Quarta neceſſitas, ſeu defenſio, ſeu prætextus violentiæ arcendæ. Quinta prætextus legis non publicatæ, vel non acceptatæ, quæ autem occaſione iſtius puncti tradentur: accomodari etiam poterunt aliis caſibus, in quibus ſæculares judices appellationem ab Eccleſiaſticis judicibus ad ipſos recurrentium admittunt, aut Eccleſiaſticos Ordinarios impediunt, ne juriſdictione ſua Eccleſiaſtica utantur; par enim eſt omnium ratio quoad violationem libertatis Eccleſiaſticæ.

Utrum laici ex Privilegio Summi Pontificis avocante cauſas Eccleſiaſticas, & ſpirituales à judicibus Eccleſiaſticis à cenſura hujus canonis incurrenda excuſentur.
Cap. 1083.

1 PRivilegius ſummi Pontificis legitime conceſſum ab iſtius excommunicationis vinculo excuſat avocantes cauſas ſpirituales, & Eccleſiaſticas à judicibus Eccleſiaſticis, vel illarum curſum impedientes: quia Canon hic loquitur de avocantibus auctoritate propria, aſſerenti autem ſe privilegium habere incumbit onus probandi: quia præſumptio eſt in contrarium, & privilegii limites ſervandi ſunt; privilegium autem Epiſcopi, aliorumque Prælatorum, aut Conciliorum non ſufficit: quia inferior in lege ſuperioris diſpenſare non poteſt.

Utrum impedientes cauſarum Eccleſiaſticarum curſum, aut executionem litterarum Apoſtolicarum, prætextu ſupplicationis Summo Pontifici exhibendæ ab excommunicationis pœna excuſentur. Cap. 1084.

1 IMpedientes litterarum Apoſtolicarum executionem excuſati poſſunt ab excommunicatione hujus canonis, ſi impediant prætextu informandi, aut ſupplicationem exhibendi ſummo Pontifici, modo tamen ſupplicationem coram Sede Apoſtolica legitime proſequantur, ita expreſſe in hoc canone habetur, ab hac autem cenſura non excuſatur is, qui nullam prorſus cauſam habent impediendi litterarum Apoſtolicarum executionem: ſed malitioſe id facit.

Utrum conſuetudo, ſaltem immemorabilis excuſare poſſit laicos Iudices cauſas Eccleſiaſticas ad ſe avocantes, ſeque in earum cognitione intromittentes.
C. 1085.

1 PRinceps ſecularis, aliique indices laici non poſſunt ſe prætextu conſuetudinis etiam immemorabilis excuſare avocando à judicibus Eccleſiaſticis cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas; vel in cauſarum Eccleſiaſticarum cognitione ſe intromittentes, quia conſuetudo, quæ ſingulis fere annis revocatur, & reprobatur legitima eſſe non poteſt, nec poteſt hujuſmodi conſuetudo induçit, vel inducta admitti, & tollerari, niſi ſummi Pontificis conſenſus accedat.

Utrum neceſſitas, ſeu diffenſio, ſeu prętextus prohibendæ Violentiæ, iniuriæ, ſeu damni excuſet laicos judices ab excommunicatione Bullæ avocando cauſas à judicibus Eccleſiaſticis, aut alia hic vetita faciendo.
Cap. 1086.

1 PRætextus prohibendæ violentiæ, ſeu injuriæ, & damna impediendi non eſt titulus ſufficiens ad excuſandos eos: qui cauſas ſpirituales vel ſpiritualibus annexas à judicibus Eccleſiaſticis avocant: aut litterarum Apoſtolicarum executionem inpediunt, aliave vetita faciunt, quia Summus

mus

mus Pontifex non obſtante hujuſmodi prætextu excommunicat eos, qui hæc præſtant, & quia jure Canonico pluribus in locis interdictum fuit ne cauſæ Eccleſiaſticæ ad profanos, & civiles judices devolvantur: etiam ſi Eccleſiaſtici judices in adminiſtranda juſtitia erraverint, aut negligenter ſe geſſerint.

Utrum prætextus Bullæ aliquibus in locis non publicatæ, aut non acceptatæ ſufficientem excuſationis cauſam ab incurenda excommunicatione afferat .C. 1087.

1 PRætextus legis, ſeu Bullæ non publicatæ in aliquibus locis, in quibus Bulla non obſervatur, non excuſat trangreſſores ab excommunicatione: quia leges Pontificiæ obligant Chriſti fideles, etiam ſi in ſola Romana Curia publicatæ ſint, quia ſic uſu receptum eſt. Prætextus etiam legis, ſeu Bullæ non acceptatæ, in iis locis, in quibus non obſervatur, non eſt titulus ſufficiens ad excuſandos trangreſſores ab excommunicatione, quia Summus Pontifex vult independenter ab acceptatione Bullæ obligare.

De Excommunicatione contra trahentes, vel trahi procurantes perſonas Eccleſiaſticas ad ſeculare tribunal, & contra facientes ſtatuta, quibus Eccleſiaſtica libertas læditur, & diminuitur.

Quid ſit libertas Eccleſiaſtica, quæ lædi prohibetur. Cap. 1088.

1 LIbertas Eccleſiaſtica eſt immunitas, & exemptio ab oneribus, vel à ſubjectione, vel coactione temporalis poteſtatis; ſeu eſt libera facultas faciendi quidquid fieri licet: ſeu eſt naturalis facultas faciendi quod libet, niſi jure prohibeatur unde libertas Eccleſiaſtica læditur, quoties laici aliquid Clericis præcipiunt, quod jure divino, vel Canonico illis præceptum non eſt, aut quoties aliquid eis prohibent, quod ipſis nullo jure prohibitum eſt; hoc enim pacto auferunt Eccleſiaſticis liberam facultatem faciendi, quod alias ipſis libere fieri licebat, ſive hæc facultas competat illis ex jure divino, ſive Canonico, ſive civili. Libertas autem ſeu immunitas Eccleſiaſtica. Prima dicitur localis quæ competit locis, ut eſt priivilegium immunitatis conceſſum Eccleſi is. Secunda eſt re alis, qua gaudent bona Eccleſiarum. Tertia eſt perſonalis: quæ perſonis ipſis Eccleſiaſticis conceſſa eſt, ne oneribus afficiantur. Hic agendum eſt de libertate, & immunitate perſonali: cujus definitio jam tradita eſt.

Quo jure libertas Eccleſiaſtica inducta ſit. Cap. 1089.

1 CLerici, aliique Eccleſiaſtici jure civili, canonico, & divino exempti ſunt a laica poteſtate, non ſolum quoad cauſas ſpirituales: verum etiam quo ad temporales, & quo ad perſonas: quod ſint exempti jure civili patet ex auth ut Clerici apud proprios judices conveniantur (l. placet C. de ſacroſanct. Eccleſ. & l. 2. C de Epiſc. & Cler. l. 7. eodem tit.) quod ſint exempti jure canonico conſtat (ex Concil. Conſtantienſi, ex Chalcedonenſi c.9 Carthaginenſi III. c.9. ex Concil. lateran X. ſeſſ. 9 in bulla reformationis ex Tridentino ſeſſ. 2 . c. 20.) Quod ſint exempti jure divino ratio eſt quia (Pſalm. 104.) dicitur (Noliter tangere Chriſtos meos,) quæ verba licet intelligantur de Patriarchis, qui erant uncti, & à Deo miſſi ad populum: intelligenda tamen ſunt etiam a fortiori de Clericis, & ſacerdotibus, qui uncti ſunt: divino cultui peculiariter mancipati, & interpretes ad populum tranſmiſſi: & quia (c. Imperator dict. 96.) Domino inſtituente ad Eccleſiam pertinere clericorum, & Eccleſiarum gubernationem, & curam Deumque voluiſſe clericos, & ſacerdotes ordinari, & diſcuti non a poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus.

Quanam perſonæ apelandæ ſint Eccleſiaſtica, ita ut libertatis Eccleſiaſticæ privilegio gaudeant & ad laicale tribunal trahi non poſſint. Cap. 1090.

1 PErſonæ Eccleſiaſticæ ſunt illæ, quæ ſub laicorum genere non comprehenduntur, & privilegio fori gaudent. Nomine Eccleſiaſticorum intelligitur Summus Pontifex, ut perſpicuum eſt inter omnes: præterea Cardinales, Epiſcopi, Patriarchæ, Sacer-

Sacerdotes, aliique ſacris initiati, conſtituti in minoribus, modo ſervent ea, quæ in *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *can.* 7. præſcribuntur: ſic initiati prima tonſura: ſic veniunt religioſi cujuſcumque ordinis; quod privilegium non ſolum extenditur ad Profeſſos, verum etiam ad novitios, & extenditur ad moniales profeſſos, vel novitios.

Quibus actibus in prima hujus canonis parte vetitis libertas Eccleſiaſtica violetur, ſeu quænam ſit materia hujus canonis editi contra trahentes Eccleſiaſticos ad laicale Tribunal, &c. Cap. 1091.

1 MAteria hujus canonis eſt Sacrilegium, quo auctoritas Sedis Apoſtolicæ offenditur exercendo aliquam actionem in hoc canone expreſſam contra libertatem fori, qua perſonæ Eccleſiaſticæ gaudent: quæ actiones tres ſunt. Prima eſt ex prætenſo officio, vel ad inſtantiam aliorum directæ, vel indirecte trahere perſonas Eccleſiaſticas, ſeu collegia, Capitula, vel conventus Eccleſiarum ad unum tribunal, Audientiam, cancellariam, conſilium, vel Parlamentum ut in Canone habetur. Secunda eſt trahi facere prædictas perſonas ad prædicta tribunalia. Tertia eſt procurare ut trahantur: & ille dicitur trahere ex prætenſo officio, qui nemine petente, quaſi hoc ei ex officio competat, aliquem ad ſuum judicium, quaſi nolentem aducit: quæ actiones opus eſt, ut auctoritate judiciaria fiant.

Quænam perſonæ contra libertatem in prima hujus canonis parte præſcriptam faciant, trahendo, vel trahi faciendo Eccleſiaſticos ad ſeculare tribunal ſeu quodnam ſit hujus cenſuræ ſubiectum. Cap. 1092.

1 OMnes cujuſcumque conditionis homines: qui auctoritate laica injuſte trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte quovis quæſito colore perſonas Eccleſiaſticas ad ſuumque tribunal, Audientiam, conſilium, Parlamentum, delinquunt contra libertatem Eccleſiaſticam in hoc canone præſcriptam conſequenter hujus canonis excommunicationem incurrunt hæc propoſitio conſtat ex verbis Bullæ, quare judicis auctoritate ſeculari trahentes, vel trahi procurantes ad ſuum Tribunal perſonas Eccleſiaſticas in excõmunicationem hujus canonis incurrunt.

Utrum dentur aliquis caſus, in quibus laicus excommunicationis gladio non feriatur, Eccleſiaſticas perſonas ad ſuum tribunal trahendo. Cap. 1093.

1 PLures aſſignantur caſus, in quibus judici laico conceſſum eſt perſonas Eccleſiaſticas abſque excommunicationis pœna ad ſuum tribunal trahere. Primus eſt cum clericus fuerit degradatus, ſeu depoſitus realiter, tunc enim traditur brachio ſeculari judicandus, & puniendus: per degradationem enim omnia clericorum privilegia amittit. Secundus eſt cum clericus eſt bigamus: clericus enim bigamus, bigamia vera, vel interpretativa omnia clericorum privilegia amittit. Tertius cum clericus clericalem habitum ſuſcepit in fraudem, ut ſæculare judicium effugeret. Quartus caſus eſt in cauſa feudi, nam Vaſallus, quamvis clericus in iis quæ pertinent ad feudum ſubiicitur Domino feudi, quamvis ſeculari. Quintus caſus eſt in cauſa reconventionis, nam ſi clericus in civilibus conveniat laicum coram Judice laico, poterit laicus conventus reconvenire clericum in materia civili coram eodem judice dum arbitratur ſe aliquam actionem contra clericum in cauſa civili habere. Sextus caſus eſt dum clericus effectus eſt incorrigibilis: ille cenſetur incorrigibilis, qui poſtquam condemnatus eſt in ſimilia, vel pejora delicta labitur, ſuperioris correctionem refugit.

Circa ſecundam hujus canonis partem, in qua prohibentur aliquæ actiones, quibus libertas Eccleſiaſtica per ſtatuta, vel ordines, aut ipſarum uſum diminuitur.

Quænam actiones in ſecunda hujus canonis parte prohibeantur ſeu quæ eam ſit materia Excommunicationis in parte exempta. Cap. 1094.

1 MAteria huius partis eſt Sacrilegium quo Sedes Apoſtolica circa libertatem Eccleſiaſticam offenditur, per aliquas actiones in ſecunda hujus Canonis parte expreſſas, quæ ſunt quatuor. Prima eſt ſtatuta ordinationes, conſtitutiones, pragmaticæ ſeu

quæ

quæ vis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quam vis cauſa facta, quibus libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut reſtringitur, ſeu juribus ſedis Apoſtolicæ, aut quarumcumque Eccleſiarum directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præjudicatur. Secunda actio eſt ordinare decreta, vel ſtatuta. Tertia actio eſt ſtatuta, vel decreta publicare. Quarta actio eſt ſtatutis, ſeu decretis contra libertatem Eccleſiaſticam factis, vel ordinatis uti.

Quænam decreta, vel ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam ſeu contra jura Eccleſiarum cenſeantur. C. 1095.

1 ILla ſtatuta, vel decreta contra libertatem Eccleſiaſticam, & jura Eccleſiarum cenſentur, quæ juri, exemptioni, libertati, ſeu privilegiis perſonarum Eccleſiaſticarum vel Eccleſiarum præjudicant, unde illa ſtatuta ſeu decreta libertati Eccleſiaſticæ adverſantur, quibus in genere, vel in ſpecie læduntur, vel reſtringunt privilegia à Deo. vel à jure communi canonico, vel civili, Eccleſiaſticis perſonis vel Eccleſiis conceſſa, vel acquiſita: quæ ſunt: Jus decimarum, exemptio à foro, vel legibus laicorum libera rerum Eccleſiaſticarum gubernatio, jus exercendæ juriſdictionis Eccleſiaſticæ, immunitas locorum Sacrorum, & ſimilia: ob id judex laicus qui ſuo decreto, vel ſtatuto lædit ſeu reſtringit, vel impedit immunitatem locorum ſacrorum liberam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, decimarum Eccleſiaſticarum à laica poteſtate, publicationem Bullæ, ſeu executionem litterarum Apoſtolicarum aut juriſdictionem Eccleſiaſticam incidit in excommunicationem hujus Bullæ, quia ſtatuit vel ordinat aliquid, quo libertas Eccleſiaſtica, vel jus Eccleſiarum læditur.

De ſubiectis excommunicationi, ſeu quænam perſonæ cenſura hujus Canonis afficiantur ob violationem libertatis Eccleſiaſticæ, & jurium Sedis Apoſtolicæ aliarumque Eccleſiarum occaſione ſtatutorum, & decretorum. Cap. 1095.

1 QUi ſtatuta, vel decreta, quælibet in genere, vel in ſpecie ex quavis cauſa faciunt ordinant, vel publicant, vel factis aut ordinatis utuntur, quibus libertas Eccleſiaſtica læditur, vel juribus ſedis Apoſtolicę aut aliarum quarum libet Eccleſiarum quomodo libet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe prejudicium infertur, cenſuram hujus Canonis, incurrunt hæc propoſitio patet ex verbis bullæ.

Utrum excommunicationis pæna contra eos, qui libertatem Eccleſiaſticam ſtatutis, aut preceptis lædunt alibi expreſſa reperiatur, & quomodo ab excommunicatione hujus canonis differat Cap. 1097.

1 PLuribus in locis excommunicatio lata eſt contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ. Primo in (c. eos qui de immun. Eccleſ. in 6) Secundo in (c. gravem de ſent. Excom.) Tertio in (c noverit de ſenten. Excom) Differt excommunicatio quæ aſſignatur in c. noverit ab hac quæ habetur in Bulla Cęnæ. quia excommunicatio in c. noverint extenditur ad ſcriptores ſtatutorum, & ad ſervantes conſuetudinem introductam contra libertatem Eccleſiæ: in Bulla autem Cœnæ non eſt ſermo de iſtis Secunda Excommunicatio c. noverint non eſt reſervata de jure communi: Bullæ vero eſt reſervata. Tertio in c. noverit excommunicantur, qui ſtatuta ſervari faciant: in bulla autem excõmunicantur, qui prefata ſtatuta obſervant.

De Excommunicatione contra impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica utantur.

Quænam ſit materia hujus cenſuræ: ſeu quenam actiones Eccleſiaſticæ juriſdictioni contrariæ in hoc canone prohibeantur. Cap. 1098

1 MAteria præcipua hujus cenſuræ eſt ſrilaegium, quod committitur

titur contra Eccleſiam faciendo aliquam actionem principalem in hoc canone interdictam qua, Eccleſiaſtici impediuntur, ne ſua juriſdictione utantur. Prima autem actio eſt quomodo libet directe, vel indirecte impedire judices Eccleſiaſticos ordinarios hoc animo ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, juxta diſpoſitionem canonum, conſtitutionum Eccleſiaſticarum, & Conciliorum generalium præſertim Tridentini, ut patet ex ipſomet Bullæ textu. Secunda actio in hoc canone interdicta eſt recurrere ad curias ſeculares: ſeu potius judicium fori Eccleſiaſtici eludere, recurrendo ad Cancellarias & alias curias ſeculares, animo impediendi ſententias, decreta judicum Eccleſiaſticorum ordinariorum, vel delegatorum ut patet ex textu Bullæ. Tertia actio in hoc canone principaliter prohibita eſt procurare à Curiis ſecularibus decerni mandata, vel prohibitiones contra prædictos judices Eccleſiaſticos ordinarios, vel delegatos. Quarta actio eſt procurare, ut prædictæ prohibitiones, vel mandata contra præfatos judices Eccleſiaſticos executioni mandentur. Quinta actio eſt prædictas prohibitiones, ſeu mandata facere contra præfatos judices Eccleſiaſticos, Sexta eſt præfatas prohibitiones, ſeu mandata exequi.

2 Materia minus præcipua, ſeu acceſſoria iſtius cenſuræ eſt ſacrilegium, quod committitur contra Eccleſiam faciendo aliquam actionem acceſſorie hic prohibitam. Prima actio acceſſorie prohibita eſt dare auxilium ad ſupradictas actiones principaliter ſuperius explicatas Secunda dare conſilium. Tertia dare patrocinium. Quarta dare favorem.

De ſubjecto ſeu perſonis contra quas hujus canonis excommunicatio lata eſt ob recurſum ad curias ſeculares. Cap. 1099.

1 SUbjectum hujus cenſuræ ſunt omnes injuſte quomodolibet, directe, vel indirecte, impedientes judices Eccleſiaſticos ordinarios, ne ſua juriſdictione contra quoſcumque utantur; unde tam laici, quam Eccleſiaſtici ligantur excommunicatione hujus canonis, dum injuſte auctoritate laicali impediunt judices Eccleſiaſticos, ne juriſdictione ſua utantur, ſi vero Eccleſiaſtici judices ſe invicem impediant auctoritate Eccleſiaſtica, non videntur in excommunicationem hujus canonis incurrere: quia iſta excommunicatio videtur lata in deteſtationem auctoritatis, & poteſtatis ſecularis, ſubjectam hujus cenſuræ non ſolum ſunt impedientes judices ordinarios Eccleſiaſticos, ne ſua juriſdictione utantur, Eccleſiaſtici, qui judicem fori Eccleſiaſtici eludentes ad curias ſeculares recurrunt animo impediendi decreta, & ordinationes judicum Eccleſiaſticorum ordinariorum, vel delegatorum, & qui a Curis ſecularibus procurant prohibitiones, vel mandata contra præfatos judices Eccleſiaſticos decerni, aut contra illos exequi: item huic cenſuræ ſubiiciuntur decernentes huiuſmodi prohibitiones, vel mandata, aut illa exequentes, aut dantes in his conſilium, patrocinium, & favorem.

Utrum Excommunicatio contra turbantes ſeu impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam alibi expreſſa reperiatur. Cap. 1100.

1 NOn ſolum in hac Bulla, ut explicatum eſt, verum etiam in c. quoniam de immun. Eccleſ. lata eſt excommunicatio contra turbantes juriſdictionem Eccleſiaſticam, nam in c. quoniam excommunicantur qui impedit; & etiam excommunicantur dantes conſilium, auxilium, vel favorem: & in quadam conſtitutione Greg. XIII. cujus initium eſt Quoniam noſter paſtor.) extat excommunicatio Sum. Pontific. reſervata contra Religioſos, vel Religioſas Ord. nis S. Franciſci de Obſervantia: qui ad Curias ſeculares recurrunt, contemnentes ordinatione Commiſſariorum ſui Miniſtri generalis: & in c. quicumque de ſentent. Excom. in 6. reperitur excommunicatio lata Primo contra eos qui dant licentiam vexandi, vel gravandi in perſonis, vel bon is judices, qui cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti tulerunt, aut aliquem ſuorum, quorum occaſione cenſura lata eſt, aut obſervantes illam cenſuram, vel eorum qui cum affectis cenſura communicare nolunt. Secundo contra eum, qui præfata licentia uti audet moleſtando vel gravando judices Eccleſiaſticos: qui cenſuram tulerunt. Tertio contra eum qui ſine licentia motu proprio moleſtat, vel gravat Judice

V u Eccle-

Eccleſiaſticos qui cenſure tulerunt, vel eos quorum occaſione cenſura lata eſt vel aliquem eorum.

De Excommunicatione, quæ contrahitur tum ob uſurpationem juriſdictionis redditunm, fructuum, & proventuum, ad ſummum Pontificem, vel ad alias perſonas Eccleſiaſticas pertinentium: tum ob eorundem ſequeſtrationem ſine legitima ſuperiorum licentia.

Quænam ſit materia hujus Cenſuræ ſeu quænam actiones in hoc Canone prohibeantur, videlicet uſurpando, vel ſequeſtrando juriſdictionem, redditus Eccleſiaſticos &c. Cap. 1101.

1 Materia hujus cenſuræ eſt ſacrilegium, quo Eccleſiaſticæ perſonæ in ſuis bonis Eccleſiaſticis, vel Eccleſiaſtica libertas, & auctoritas in præfatis bonis offenditur, & volatur: quia ſacrilegium committitur, dum uſurpantur bona Eccleſiaſtica: quibus Eccleſiæ miniſtri ad propriam ſuſtentationem, & ad temporalem cultum indigent. Materia hujus cenſuræ ſpecialiter conſiſtit, Primo in uſurpationem juriſdictionis aut fructuum, redditᵫm, & proventuum pertinentium ad Sedem Apoſtolicam: vel ad alias quaſlibet perſonas Eccleſiaſticas ratione Eccleſiarum, monaſteriorum, vel beneficiorum Eccleſiaſticorum. Secundo in præfatorum ſequeſtratione, quavis occaſione fiat ſine legitima facultate; propoſitio clare conſtat ex textu. Tertio vetita eſt bonorum uſurpatio, quavis intentione fiat modo bona uſurpentur vel accipiantur tanquam ad ſe pertinentia, quia Summus Ponti. abſolute excommunicat eos qui prędicta bona uſurpan; ideſt tamquam propria vindicant, ſeu appropiantur.

Quænam res uſurpari, vel ſequeſtrari debeant, ut Cenſura hujus Canonis incurratur. Cap. 1101.

1 Bona quorum uſurpatione, & ſequeſtratione præſens excommunicatio incurritur ſunt juriſdictiones, fructus, redditus, & proventus, ut expreſſe dicitur in Bulla, & propterea ille ligatur cenſura hujus canonis, qui juriſdictionem quamcumque ſibi uſurpat, ſaltem ſi illam uſurpet tamquam propriam, & ad ſe pertinentem, & modo juriſdictio, quam uſurpat, pertineat ad perſonas Eccleſiaſticas ratione Eccleſiarum monaſteriore, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Bona quarum uſurpatione, vel ſequeſtratione excommunicatio hujus canonis incurritur pertinere debent ad Summum Pontificem, ſeu Sedem Apoſtolicam vel ad alias perſonas Eccleſiaſticas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, vel Beneficiorum Eccleſiaſticorum: ſic expreſſe decernitur in hoc canone: unde qui uſurpat fructus, vel redditus ad Summum Pontificem ſpectantes: vel ad cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, Abbates, Parochos, alioſque inferiores clericos Eccleſiaſticis benefici gaudentes, vel ad religioſos, aut Equites S. Jonais, aut alios Eccleſiaſticos ligatur hac cenſuræ, modo præfati fructus vel redditus ad has perſonas pertineant ratione Eccleſię, vel Benifacii: ſive beneficium ſeculare, ſit, ſive regulare, obid. n. Summus Pontifex in Bulla addit *rationi Monaſterium, ſtel Beneficiorum*, ut utrumq; beneficii genus cōple ćteretur. Qui uſurpat juriſdictionem fructus, vel proventus, Summi Pontificis, non ſolum ut Summus Pontifex eſt, verum etiam ut Princeps temporalis ligatur cenſura hujus canonis, ut ſi ignorantia, vel alio juſto titolo excuſetur: quia illa particula (ad nos) profertur ſine diſtinctione, & limitatione: intelligenda eſt *l. finita §. de ceteris ff. de damn. infect.*

De ſubiecto hujus cenſuræ, ſeu contra quas perſonas hujus canonis cenſura feratur ob uſurpationem iuriſdictionis, & fructuum &c. Cap. 1103.

1 Omnes uſurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, vel proventus ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentes ratione Monaſterii, Eccleſiæ, vel Beneficii ligantur excommunicatione, niſi ob ignoranti am vel ob aliam cauſam excuſentur, unde Principes, alioſq; ſuperiores, vel infer iores, cujuſcumque ſexus, & conditionis exiſtant uiurpantes expreſſa in hoc canone incurrere cenſuram hujus canonis dicendum eſt. Omnes qui juriſdictionem, fructus, vel proventus ad Eccieſiaſticas perſonas perintent eos ratione Monaſterii, Eccleſiæ, vel Beneficii, quavis occuſione, vel cauſa ſequeſtrant ſine Summi Pontificis, vel aliorum ad id legiti-

tia

tia excommunicatione hujus Canonis innodantur. Hæc propoſitio patet ex ipſo Bullæ textu. Quare judices. quorum auctoritate ſequeſtratio fit, incidunt in hanc cenſuram: ipſi enim dicuntur ſequeſtrare: idem ſentio de miniſtris exequentibus ſequeſtrum. Excipiuntur nonnulli caſus, in quibus ſequeſtratio à Judice Eccleſiaſtico fieri permittitur. Primus eſt ad puniendam contumaciam (c. de dolo, & contumacia.) Secundus dum conſtat fructus dilapidari, vel timetur, ne recuperatio fructuum commode fieri poſſit, tunc enim ſequeſtrari poſſunt (c. 3. de Sequeſtrat. poſſeſ. & fruct.) Tertius eſt cum Benefic. vaſtas (c. cum vos de offic. ordin.) Quartus cum poſſeſſio eſt attentata, quia capta lite pendente; tunc enim ſequeſtratio conceditur ante ſententiam. Quintus in cauſa quæ judici juſta videatur, tunc enim iudex poteſt ex officio ſequeſtrum apponere.

Utrum bonorum Eccleſiaſticorum acceptatio, & uſurpatio non ſolum in bulla verum etiam aliis in locis vetita, & interdicta ſit,
Cap. 1104.

1 BOnorum Eccleſiaſticorum invaſio, & uſurpatio non ſolum in Bulla Cænæ vetita eſt, verum etiam jure communi pluribus in locis ut in *Concil. Triburien c.* 7. *Concil. Aurelian.* III. *c.* 22 & *Concil. V. c.* 15. *in Concil. Pariſien.* 1 *c.* 1 *Maguntin. c.* 6. & 11. *V. Vomatien c.* 79. *Aquiſgranen. c.* 88. *Lateranem ſub Leone X. ſeſſ.* 9. *c.* 1. *c. prædia, & ſeqq.* 19. *q.* 9. *c. attendendum eſt* 17. *q.* 4. *c. conqueſtus de foro compet. c. generali de elect. in* 6. *c. unico de injur. & damn. dat in* 6. in quibus teſtibus prohibetur uſurpatio juriſdictionis Eccleſiaſticæ jurium, & bonorum tam mobilium, quam immobilium Eccleſiis applicatorum etiam ſi Eccleſia vacet, ſed inſtar omnium acceſſit decretum *Concilii Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. & *ultim.* ubi ſtrictiſſime cavetur, ne aliquis, alicujus Eccleſiæ, vel beneficii, vel loci pii, bona mobilia, vel immobilia, cenſus, ac jura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent per ſe, vel per alios, quavis arte, in proprios uſus convertere præſumat, aut impediat, ne ab iis percipiantur ad quos jure pertinent, alioquin in excommunicationem, à qua abſolvi non poteſt, niſi à Romano Pontifice, & facta reſtitutione. Actiones vero in hoc decreto prohibitæ tres præſertim ſunt. Prima eſt converſio, & uſurpatio prædictorum bonorum in proprium uſum. Secunda actio eſt impedire ne bona de quibus in præcedentibus mentionem fecimus ab iis percipiantur, qui jus illa percipiendi habent. Tertia actio eſt mandatum ad prædictas actiones faciendas: qua mandans hujuſmodi actiones non incurrit excommunicationem ob mandatum præcise ſed neceſſarios eſt effectus.

De Excommunicatione contra imponentes decimas, taleas, & alia onera Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, & eorum fructibus.

Quænam ſit materia hujus cenſuræ ſeu quænam actiones in hoc canone ſub excommunicationis pæna interdicantur.
Cap. 1105.

1 MAteria hujus cenſuræ eſt ſacrilegium, quo immunitas Eccleſiaſtica offenditur aliqua actione in hoc canone expreſſa. prima autem actio in hoc canone expreſſa, & interdicta eſt imponere collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, & earum Eccleſiarum, Monaſterium, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, fructibus, & proventibus abſque Summi Pontificis licentia, & eadem tributa ſeu onera exigere, & propterea imponens gabellas, pedagia, guidagia, tributa, & his ſimilia perſonis Eccleſiaſticis, vel ipſorum bonis ſeu fructibus, & proventibus ſine facultate Summi Pontificis afficitur excommunicatione hujus canonis, ad quam incurrendam non ſatis eſt imponere tributa, & onera, ſed requiritur, ut exigantur, quia utraque actio in hac bulla copulative exigitur: dictio autem copulativa ex natura ſua poſtulat omnia copulata verificari, & ſimul (l. ſi quis ita ſi, de verb oblig.) Reliquæ vero actiones hujus canonis per particularem alternativam. (vel) prohibentur. Secunda actio in hoc canone expreſſa eſt tributa, ſeu onera Eccleſiaſticis, vel eorum bonis impoſita exigere: hæc tamen acto

conjungitur cum antecedente, & cum ea conjungi debet. Tertia actio eſt tributa, ſeu onera Eccleſiaſticis, vel eorum bonis impoſita recipere: etiam ſi ſponte tradens tradat, & concedat: qui vero recipit aliquid à Clericis, propria ſponte donantibus, ſeu voluntate omnino libera tradentibus, non incurrit excommunicationem: ſecus ſi accipiat tamquam ſibi debitum, ſeu ob impoſitionem onerum, etiam ſi recipiat abſque alia vi, ſeu coactione, vel prævia petitione, quia non recipiat à tradente omnino libere, & voluntarie, ſed tantum voluntarie mixte, & hoc pacto intelligenda eſt à ſponte dantibus, & concedentibus. Exigens, aut mandans exigi tributa à Clericis animo reſtituendi in fine anni in excommunicationem hujus canonis incidit, etiam ſi id faciat ad vitandas fraudes miniſtrorum exigentium gabellas: quia re ipſa præſtat actionem in hac bulla ſub excommunicatione prohibitam, & Clericis oneroſam, qui autem exigit minimam gabellam ab Eccleſiaſticis non contrahit excommunicationem, niſi poſtquam ad notabilem quantitatem ad mortale peccatum pervenit ob parvitatem materię. Quarta actio hoc canone prohibita eſt per ſe, vel per alios directe, vel indirecte imponere, & exigere. Quinta actio eſt prædicta per ſe, vel per alios directe, vel indirecte exequi. Sexta actio eſt prædicta procurare: ideſt mediatorem eſſe ad imponenda onera, & tributa, vel ad illa recipienda. Septima actio eſt auxilium, in ſupradictis præſtare ideſt auxiliari ad imponenda, & exigenda, vel recipienda tributa, aliave onera. Octava actio eſt conſilium præſtare, ideſt ſuadere, ſue hortari ad imponenda, vel recipienda tributa, rationem, & modum præſcribere quo imponi, vel exigi poſſint. Nova actio eſt favorem præſtare ad imponenda, & exigenda, vel recipienda tributa aliave onera Eccleſiaſticis, vel ipſorum bonis, vel fructibus.

Quodnam ſit ſubiectum iſtius excommunicationis ſeu quænam perſonæ excommunicationi hujus canonis ſubiiciuntur imponendo tributa, aliave onera Eccleſiaſticis, & ipſorum bonis, & proventibus aut impoſita recipiendo, aut alia ratione ad illorum exactionem concurrendo. Cap. 1106.

1 OMnes cujuſcumque gradus, & conditionis homines in hujus canonis excommunicationem incidunt, dum per ſe, vel per alios directe, vel indirecte imponunt & exigunt præfata tributa, vel onera, aut impoſita recipiunt, aut ad illorum exactionem concurrunt ſuo conſilio, auxilio, vel favore, quia Bulla univerſaliter loquitur, & utitur verbis quodlibet perſonarum genus complectentibus, & propterea, Primo Principes Barones, Adminiſtratores civitatum aliiſque ſeculari poteſtate fulgentes afficiuntur excommunicatione hujus canonis, præfatas actiones faciendo. Secundo ipſorum ſucceſſores exigentes gabellas, Eccleſiaſticis, vel ipſorum bonis ab anteceſſoribus impoſitas pæna iſtius Canonis afficiuntur, Tertio quicumque alii prædicta procurantes, ſeu facientes auctoritate, publica, vel privata huic cenſuræ ſubiiciuntur. Prælati Eccleſiaſtici imponentes per ſe, vel per alios onera Eccleſiaſticis, vel ipſorum bonis, & impoſita exigentes in cenſuram hujus canonis incurrunt: quia Bulla expreſſe, & abſolute loquitur de Prælatis Eccleſiaſticis: & ideo Epiſcopus, qui ut Epiſcopus, clericis ſuæ diœceſis decimas, ſeu collectas ſine Summi Pontifices expreſſa licentia imponit, & exigit vinculo hujus excommunicationis obſtringitur.

Quibusnam tributa, ſeu onera impon ſub excommunicationis pæna in hoc canone ſit vetitum.

Quibuſnam perſonis, locis & bonis vetitum ſit onera imponere. Cap. 1107.

1 IN hac bulla vetitum eſt Primo tributa, vel onera Eccleſiaſticis imponere, & impoſita, exigere hæc propoſitio ex verbis Bullæ ſufficienter conſtat: & ideo

à ſubditis ſolvuntur Principibus pro capite non ſunt ab eccleſiaſticis ſolvenda nec onus hoſpitandi Principes, vel ipſorum legatos vel milites poteſt Eccleſiaſticis imponi, vel tollerari ex conſuetudine. Dubium eſt utrum Coloni Eccleſiæ ſeu Eccleſiaſticorum gaudeant immunitate à collectis, tributis, aliiſque oneribus, vel ad illa teneantur; quid ego in hac re ſentiam, opus non eſt, ut in medium afferam: ſcio enim hanc litem eſſe ſub judice, & coram Sanctiſſimo acerrima agitari: expectanda igitur eſt Summi Pontificis deciſio, illique acquieſcendum.

2 Laici prohibentur collectas, & onera imponere bonis Eccleſiaſticorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, & impoſita exigere, vel recipere etiam à ſponte dantibus: hæc propoſitio patet ex verbis bullæ; ſic etiam interdictum eſt præfatis oneribus gravare fructus, redditus, & proventus Eccleſiaſticorum, Eccleſiarum, &c. unde non licet ex animalibus prædictorum, aut ex aliis rebus ipſorum mobilibus, vel immobilibus, gabellam, collectam, vel aliud onus exigere, ut patet ex verbis bullæ. Bona etiam patrimonialia Eccleſiaſticorum, ſeu Eccleſiaſticis acquiſita exempta ſunt à tributis de rigore juris, & præciſis in contrarium privilegiis, quia in Bulla dicitur (ac eorum, & Eccleſiaſticorum bonis,) ubi notanda eſt particula (ac eorum) quæ refertur ad bona patrimonialia Eccleſiaſticorum: ſic bona Eccleſiis donata, vel Eccleſiaſticis immunitatis privilegio fruuntur, ut etiam bona ab Eccleſiaſticis empta, vel alio titulo acquiſita, tributis, & oneribus Principum Secularium non ſunt obnoxia: quia per mutationem perſonæ mutatur qualitas inhærens rei ratione perſonæ (l. locuto §. fiſcus ff. de publican. & vectigal. & in c. 1. de imun. Eccleſ. in 6.) habetur bona Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum acquiſita, & acquirenda immunia eſſe à tributis; bona vero quæ in communi, & in indiviſo poſſidentur a Clericis cum laicis, cenſeo hujuſmodi bona pro rata bonorum, ad clericos pertinentia gaudere: immunitate Eccleſiaſtica l. fin. Cod. quemadmodum civi. mun. indi.

Quo jure vetitum ſit laicis collectas, & onera Eccleſiaſticis imponere. Cap. 1108.

1 PRobabiliſſimum eſt Eccleſiaſticos jure humano, & Divino immunes eſſe à laica poteſtate non ſolum in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, verum etiam à temporalibus tam quo ad perſonas, quam quo ad bona: unde probabilior mihi videtur opinio eorum aſſerentium, Eccleſiaſticos à laica poteſtate immunes eſſe jure civili, canonico, & Divino, non ſolum in cauſis ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus tam quo ad perſonam, quam quo ad bona ſua; unde conſuetudine indici non poteſt, ut Eccleſiaſticis tributa, & onera a laicis imponantur: quia Eccleſiaſtici jure divino liberi ſunt ab hujuſmodi oneribus laicis imponendis, nulla autem conſuetudo legitima contra jus divinum induci poteſt.

In quibus caſibus licitum ſit collectas, & onera Eccleſiaſticis imponere. Cap. 1109.

1 NOn nulli recenſentur caſus, in quibus Eccleſiaſtici à collectis, & oneribus ſecularium immunes non ſunt. Primus caſus eſt, quando quis habitum Clericalem aſſumit in fraudem vectigalium, ne ſcilicet ſolvat vectigalia: ſed re ipſa non eſt Clericus, quia fraus patrocinari non debet fraudem commitenti, quia immunitas conceſſa eſt Eccleſiaſticis, & ipſorum bonis: hic autem non eſt Eccleſiaſticus cum habitu fingat ſe clericum, & re ipſa non ſit, ut ſuppono. Secundus caſus eſt de Clerico coniugato. Clericus, enim latinus coniugatus caret omnibus privilegiis Eccleſiaſticis excepto privilegio Canonis, & fori, hoc enim gaudet c. clerici de cler. conjug in 6. modo ſervet ea quæ in *Con. Tr. ſeſſ. 23. c. 9.* præſcripta ſunt Secus dicendum de clericis Græcis conjugatis qui ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. Tertius, caſus eſt de clericis feudatariis qui tenentur ad onera ratione feudi impoſita, nam quæ ad feudum pertinent ſubiiciuntur Domino feudi. Quartus caſus eſt; Quando Clericus negotiationem lucrativam exercet, tunc tenetur pedagia, & gabellas ſolvere pro rebus, qu

negotiationis cauſa defert. Quintus caſus eſt, in quo licitum eſt, collectas, & onera Eccleſiaſticis imponere, dum id fit de conſenſu, & expreſſa ſummi Pontificis licentia, nam quod laici tunc temporis agunt cenſentur agere ex facultate ſibi à Papa delegata, & conceſſa.

Utrum excommunicatio contra imponentes collectas Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis; non ſolum in hac bulla Cœnæ verum etiam alibi expreſſa reperiantur. Cap. 1110.

1 PLuribus in locis extat excommunicatio contra imponentes collectas, & onera Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis. Primo in (Concil. Lateran.) ſub Alexandro III. in c. non minus de immun. Eccleſ. ubi imponentes collectas, vel alia onera Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis, ſi moniti non deſiſtant excommunicantur, tam ipſi, quam eorum fautores, nec abſolvi poſſunt, donec competentem ſatisfactionem præſtiterint. Secundo in Concil. Latteran. ſub Innocentio III in C Clericis de immun à Bonifacio VIII. lata fuit excommunicatio Papæ reſervata non ſolum contra imponentes collectas, verum etiam contra ipſoſmet Eccleſiaſticos ſolventes, promittentes, aut ſolvere conſentientes ſub quovis prætextu, titulo, & colore, Quarto in Concil. Litteran. ſub Leone X. *ſeſſ 9.* in bulla reformationis Curiæ prope fine innovatæ ſunt omnes cenſuræ excommunicationis, interdicti, & deſpoſitionis, editæ contra imponentes onera Eccleſiaſticis, & exigentes etiam à ſponte dantibus, & concentientibus, Quinto in C. quamquam de cenſibus Bonifacius VIII. excommunicat exigentes, & extorquentes per ſe, vel per alium ſuo, vel alieno nomine pedagia, vel guidagia ex rebus, quæ non deferuntur cauſa negotiationis: ſi vero fuerit univerſitas, vel collegium inter dicitur, non obſtante quavis conſuetudine, nec abſolutio excommunicationis, vel interdicti impendi poteſt nondum facta reſtitutione, & præſtita competenti ſatisfactione. Clemens vero V. confirmationem, & executionem prædictarum cenſurarum in c. quamquam editarum novam conſtitutionem fecit in Clement. præſenti de cenſibus, in qua præcipit, ut diœceſani locorum, poſtquam ſcriverint aliquos in Excommunicationem vel interdictum incidiſſe ob tranſgretionem c. quamquam de cenſibus omnino publicent, vel publicari faciant cenſuram contra prædictos latam. Addendum eſt in *Concilio Trident. ſeſſ. n. 5. c. 20.* innovari, & confirmari omnes ſacros canones, & concilia generalia in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, & libertatis Eccleſiaſticæ edita, quamquam in Concilio nulla peculiaris cenſura infertur, ſicut infertur in Bulla Cœnæ, in qua innovantur decreta Conciliorum generalium.

De Excommunicatione contra judices ſeculares, qui per ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu Criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas.

Quænam ſit materia iſtius excommunicationis, & quæ nam actiones in hoc canone ſub excommunicationis pœna inter dicantur. Cap. 1111.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt ſacrilegium, quo judices, & alii in hoc canone expreſſi libertatem Eccleſiaſticam offendunt, interponendo ſe contra Eccleſiaſticas perſonas in cauſis capitalibus. Sex autem actiones in hoc canone ſub excommunicationis pœna interdicuntur. Prima eſt quomodolibet, interponere ſe in cauſis capitalibus, ſeu cirminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas illas proceſſando; & ideo judex, qui ſuo mandato, conſilio, auxilio, vel favore concurit ad proceſſum in præfatis cauſis contra perſonas Eccleſiaſticas excommunicatione iſtius canonis afficitur: quia illa particula quomodolibet omnem penitus modum includit c. indemnitatibus §. ſigna vero de elect. lib. 6. Secunda actio eſt bannire perſonam Eccleſiaſticam ſeu quomodolibet interponere ſe banniendo ut judex, ut dicitur. Tertia actio eſt capere, ſeu quomodolibet interponere ſe capiendo perſonas Eccleſiaſticas. Quarta actio eſt proferre ſententias contra perſonas Eccleſiaſticas cauſa Criminali, Quinta actio eſt præfatam ſententiam exequi, ideſt excutioni mādate id, quod jure laicus contra perſonam Eccle-

Eccleſiaſticam decreverit. Sexta actio eſt licentia, quam quis habet à Sede Apoſtolica ad faciendas predictas actiones contra Eccleſiaſticos, extendere ad perſonas, & cauſas in licentia non expreſſas, vel illa licentia abuti.

Quodnam ſit ſubiectum iſtius Excommunicationis ſeu quænam perſonæ interponentes ſe in caucauſis criminalibus contra Eccleſiaſticos excommunicationi ſubiciuntur, procesſando banniendo, &c. **Cap. 1112.**

1 SUbiectum hujus cenſuræ ſunt omnes, & quicumque magiſtratus, & judices, notarii, ſcribæ executores, ſubexecutores quomodolibet interponentes ſe in quibuſcumque cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas: illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo ſine ſpeciali, & expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia, aut præfatam licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendendo, vel alias perperam utendo, hæc propoſitio in textu perſpicue continetur. Reges vero, aliive Principes in hujus canonis cenſuram non incidunt proceſſando, vel faciendo aliquam actionem in hoc canone expreſſam, quia in Bulla exprimuntur ſolum magiſtratus, & judices: qui ſunt principes inferiore, & ſunt illius miniſtri, & officiales, nec judices Eccleſiaſtici interponentes, ſe in cauſis criminalibus, dum in illis ſe interponere non poſſunt excommunicatione hujus canonis afficiuntur, quia Summus Pontifex excommunicationem hujus ferre ſolum intendit contra judices laicos, & alias perſonas hic expreſſas, modo Eccleſiaſtici prędicta non facian tutentes poteſtate laica, ut ſi Epiſcopus id faciat quatenus eſt Conſiliarius, vel Præſes Principis laici, tunc enim afficitur excommunicatione, ac ſi laicus eſſet.

Utrum dentur aliqui caſus in quibus interponentes ſe in cauſis criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas ab excommunicatione iſtius canonis immunes ſiant. **Cap. 1113.**

1 PLures percenſentur caſus, in quibus laici poſſunt ſine excommunicatione aliquas actiones in hoc canone expreſſas facere: Prius Caſus eſt dum Eccleſiaſticus degradatus, & traditus eſt curiæ ſeculari, quia per degradationem univerſa Eccleſiaſtica Privilegia amittit c degradatio de pœnis in 6. Secundus caſus eſt dum Clericus eſt perpetuo diffidatus, & bannitus ab Eccleſiaſtico Judice, nam banniens facultatem concedit, ut bannitus impune occidi poſſit l. reos c. de accuſat. Tertius caſus eſt dum clericus eſt bigamus; hic enim omnia clericorum privilegia amittit c. unico de Bigamia in 6. Quartus caſus eſt dum Clericus prima tonſura, vel minoribus ordinibus initiatus clericalem habitum, & tonſuram non deferat, hic enim privilegio fori privatur in *Tridentino ſeſſ. 23. c. 6.* de reform, Quintus caſus eſt dum Clericus minores ordines intra annum à morte ſui Epiſcopi, accipit cum litteris dimiſſoriis Capituli: hic enim privilegio clericali, præſertim in Criminalibus non gaudet, niſi arctatus eſſet occaſione Beneficii accepti, vel accipiendi, ſic enim in *Concilio Tridentino ſeſſ. 7 c. 10.* diſponitur Sextus caſus eſt dum Clericus inflagranti crimine reperitur, nec aliter à crimine removeri aut impediri poteſt, quam illum capiendo: tunc enim ſervato moderamine capi poteſt hoc animo, ut ſuperiori Eccleſiaſtico conſignetur. Septimus caſus eſt, dum capitur Eccleſiaſticus de, licentia ſpecifica, & expreſſa Summi Pontificis: Octavus caſus eſt dum id faciunt tamquam miniſtri, & adjutores fori Eccleſiaſtici, a quo ipſorum ſecularium brachium, & auxilium imploratur.

Utrum Epiſcopo liceat familiam armatam habere ad exercenda ſuæ juriſdictionis munera. **Cap. 1114.**

1 LIcitum eſt Epiſcopo familiam armatam habere: Primum quia conceſſa alicui juriſdictione, cenſentur conceſſa eo omnia, ſine quibus juriſdictio exerceri non poteſt, (ff. de iuriſd. omn. jud.) cum autem Epiſcopus conceſſa ſit juriſdictio ad continendum in officio ſibi ſubditos in juriſdictione Eccleſiaſtica ad judicandos, & puniendos deliquentes c. 1. de offic ord. atq; eos in officio continere, & punire non poſſint, niſi contra ipſos familia armata aliquando utantur, ſequitur Epiſcopis familiam

Vu 4 arma-

armatam concedendam eſſe, Secundo quia uſu, & praxi in Eccleſia receptum eſt, ut contra delinquentes prius procedatur realiter, vel perſonaliter, & poſtremo per cenſuras in juris ſubſidium, Epiſcopus autem non poteſt hoc pacto procedere ſi familia careret armata. Tertio quia in *Conc. Trid. ſeſſ.23. c. 5.* cui adſtiterunt Reges, & Principes ſæculares, ſancitum eſt, ut Eccleſiaſtici judices valeant oppignorationes facere, aut perſonas capere per ſuos proprios, aut alienos executores. Quarto quia Sacra Cardin. Congregatio de mandato Pii V. re diligenter perpenſa, & auditis hinc inde præſtantiſſimis advocatis declaravit Epiſcopis licere familiam armatam habere, ita Bald. in l. 3. ff de offic. præfect.

Utrum Epiſcopus, aliuſque judex ordinarius, vel delegatus, dum ſuam juriſdictionem ſeu ſententiam per ſuos miniſtros exercere non poteſt brachium ſæculare implorare valeat, & ſæculares judices ad præſtandum auxilium cogere queat. Cap.1115.

1 Epiſcopi, aliique judices Eccleſiaſtici brachium ſæculare implorarare poſſunt; quia ad actionem licitam, & honeſtam aliorum opem implorare licitum eſt, unde judex Eccleſiaſticus dum auxilio brachii ſæcularis indiget cogere poteſt judices ſæculares ad præſtandum auxilium, quia *Conc. Trid.* cui Imperator, reges, & Principes interfuerunt, ſuum conſenſum præſtiterunt *ſeſſ.25 c.3* dat facultatem Judicibus Eccleſiaſticis capiendi, vel quaſcumque oppignorationes faciendi, quoties expedire videbitur per ſuos proprios, vel alienos executores: ſi ergo datur facultas capiendi vel pignus faciendi per alienos miniſtros, & executores: cenſetur etiam data facultas cogendi ipſos executores ad præſtandum auxilium.

Utrum ſæculares, teneantur auxilium Eccleſiaſtico Judici petenti concedere etiam non examinata cauſa aut viſo proceſſu. Cap. 1116.

1 Seculares judices tenentur auxilium Eccleſiaſtico judici petenti concedere: etiam non examinata juſtitia cauſæ vel ſententiæ judicis Eccleſiaſtici: quia facultas cognoſcendi de juſtitia cauſæ competit ſuperiori: magiſtratus autem ſæcularis non eſt ſuperior in cauſis Eccleſiaſticis & ideo laicus judex tenetur abſque cognitione proceſſus fori Eccleſiaſtici familiam accommodare delinquentem in carcere, vel triremibus detinere, quoties Eccleſiaſticus judex id petit. (Bald. conſ.91. vol. 3.) non autem tenentur ſæculares judices brachium Eccleſiaſtico judici concedere ad aliquem puniendum, quem conſtat non ſervato juris ordine, aut abſque legitima probatione ab Eccleſiaſtico judice damnatum fuiſſe: hæc enim ſententia iniuſta eſt, nec Judex laicus tenetur opem præſtare Judici Eccleſiaſtico, dum ejus brachium petitur pendente legitima appellatione ad ſuperiorem, nam per legitimam appellationem cauſa ad ſuperiorem judicem devoluta eſt, & appellatione pendente nihil innovandum.

De Excommunicatione contra invadentes, & occupantes civitates, terras, loca, aut jura Eccleſiæ Romanæ, vel juriſdictionem in illis uſurpantes aut vexantes.

Quænam ſit materia iſtius excommunicationis ſeu quænam actiones in hoc canone ſub excommunicationis pæna prohibeantur. C. 1117.

1 Materia iſtius excommunicationis eſt Sacrilegium, quo eccleſia Romana offenditur invaſione, & occupatione terrarum, vel jurium temporalium ad ipſam pertinentium, aut uſurpatione, vel perturbatione ſupremæ juriſdictionis, quam Romana eccleſia in illis terris habet. Actiones, in quibus præfatum ſacrilegium conſiſtit, & quibus eccleſia Romana inpræfatis bonis temporalibus offenditur, ſunt octo principales, & quinque acceſſoriæ. Prima actio principalis eſt per ſe, vel per alium directe, vel indirecte ſub quocumque titulo, & colore Invadere cum præſumptione terras, & loca in totum, vel in partem, aut jura ad Romanam eccleſiam pertinentia, ipſiſq; mediate, vel immediate ſubiecta. Secunda actio principaliter prohibita, eſt deſtruere. Tertia actio eſt occupare; hoc autem nihil aliud eſt, quam

quam rapere, aut uſurpare. Quarta actio eſt detinere: hoc eſt rem injuſte occupatam non reſtituere. Quinta actio eſt de facto uſurpare ſupremam juriſdictionem Romanæ Eccleſiæ. Sexta eſt præfatam juriſdictionem de facto perturbare. Septima eſt eamdem retinere. Octava eamdem vexare, & hæc de principalibus actionibus. Prima autem actio minus principalis, & acceſſoria eſt adherere delinquentibus. Secunda eſt favere, Tertia auxiliari, Quarta conſulere, Quinta defendere, unde qui equos, arma, milites, victualia, opes, pecunias, aut res alias præbet, aut conſulit, ſuadet, hortatur, aut tranſitum per ſua loca concedit ad faciendam aliquam actionem principaliter prohibitam afficitur excommunicatione iſtius canonis: quia iſti non ſolum adhærentes, verum etiam ſequaces, & fautores vocantur, actio vero acceſſoria per ſe non ſufficit, niſi actio aliqua principalis ſequatur.

Quodnam ſit iſtius excommunicationis ſubjectum ſeu quænam perſonæ cenſuram hujus canonis incurrant, invadendo, vel uſurpando bona, vel jura Eccleſiæ Romanæ, aut ſupremam illius juriſdictionem perturbando, &c. C. 1118.

1 OMnes, & ſinguli, qui aliquas ex actionibus in præcedenti puncto explicatis, injuſte faciunt, excommunicationem iſtius canonis incurrunt: quare ſequitur Reges, Principes, laicos, Eccleſiaſticos, alioſque cujuſcumque conditionis, & ſtatus homines, cenſuræ capaces excommunicatione iſtius canonis ligari, ſi aliquam ex prædictis actionibus præſtent; licet Reges, & Imperatores in hoc canone non exprimantur, tamen ſub intelligitur, quia verba Generalia ſunt, & plures iſtarum actionum ſunt propriæ Regum.

Quænam civitates, loca, jura, & juriſdictiones invadi, occupari, aut uſurpari in hoc canone interdicantur. Cap. 1119.

1 CIvitates, & loca, quæ in hoc canone invadi, devaſtari, vel detineri prohibentur ſunt illa omnia, quæ ſunt immediate, vel mediate ſubjecta Romanæ Eccleſiæ: unde Excommunicatione iſtius canonis obſtringuntur, qui urbes invadunt, deſtruunt, vel detinent, ad quas Summus Pontifex gubernatores, vel judices mittit, non autem afficiuntur iſta excommunicatione, qui invadunt, deſtruunt, vel occupant loca, vel jura pertinentia ad Summum Pontificem, non quatenus Pontifex, & Rex temporalis eſt, ſed ut privatus: quia non invadunt, &c. jura Eccleſiæ Romanæ.

De iis quæ pertinent ad durationem, abſolutionem, revocationem, privilegiorum, ac conſuetudinum, promulgationem, & reverentiam hujus bullæ.

De Duratione Bullæ. Cap. 1120.

1 BUlla durat, donec alia fiat, & publicetur. Hæc propoſitio perſpicuè eſt in textu, unde præcedens non extinguitur, donec ſubſequens promulgetur: & præcedens Bulla extinguitur per publicationem novæ Bullæ factam alia die quam feria quinta Cænæ Domini, quia die publicari conſuevit: quia Summus Pontifex abſolute præſcribit præcedentem durare, donec alia publicetur, nec ullam de die mentionem facit, ideo quovis die Bulla ſubſequens promulgetur, ceſſabit prima.

De Abſolutione cenſurarum quæ in Bulla Cænæ continetur. Cap. 1121.

1 SOlus Summus Pontifex poteſt auctoritate ordinaria beneficium abſolutionis ab excommunicationibus in hac Bulla contentis, per ſe, vel per alium conferre, qui abſolutionem ſibi reſervat adempta aliis omnibus abſolvendi facultate, quare Epiſcopus non poteſt hoc tempore a caſibus Bullę etiam occultis abſolvere, quia Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. nec non Sacra Cardinalium Congregatio, quæ præeſt interpretationi Sacri Concilii, & ſupremæ inquiſitioni, declararunt Epiſcopum non poſſe ab hæreſi abſolvere, conſequenter neque ab aliis caſibus in Bulla Cænæ expreſſis: ille vero poteſt ab excommunicationibus in Bulla Cęnæ contentis abſolvere, qui privilegium, & facultatem ab illis abſolvendi à Summo Pontifice obti-

obtinuit: quam poteſt aliis concedere. Quilibet Sacerdos abſolvere poteſt non ſolum in articulo mortis, verum etiam in periculo mortis: quia proximum mortis periculum, & articulus mortis idem ſunt. Epiſcopus, aut alius non poteſt per ſe loquendo, hoc tempore abſolutionem excommunicationum Bullæ conferre habenti legitimum impedimentum, ob quod Romam adire non poteſt: quia in Bulla excipitur ſolum articulus mortis, in quo cuilibet Sacerdoti facultas abſolvendi competit. Ille qui in articulo mortis, aut temporis neceſſitatis, & impedimenti abſolvitur ab alio, quam à Romano Pontifice, tenetur jurare ſe acceſſurum ad Summum Pontificem: ſeu ad eum, ad quem extra talem caſum pertinet abſolutio, ſeque ejus mandatis pariturum: quod ſi ſublato mortis periculo, & ceſſante impedimento Papam, ſeu alium ſuperiorem, à quo alias abſolvi poterat, non adeat, in Excommunicationem reincidit, *v. eos, qui de ſent. Excom.* præterea tenetur cautionem pignoratitiam fidejuſſoriam Confeſſario illam exigenti exhibere quoties ad ſatisfactionem pecuniarum tenetur.

De pœnis contra abſolventes à caſibus Bullæ. Cap. 1122.

1 QUilibet præſumens abſolvere ab excommunicationibus Bullæ ſine debita facultate, excommunicationem incurrit: hæc propoſitio patet ex Bullæ verbis in quibus excommunicatione ligantur præſumentes abſolvere contra tenorem præſentium, etiam ſi abſolutio irrita ſit, ut pote collata ſine juriſdictione, & poteſtate, unde Epiſcopi, alii que Prælati, Confeſſarii, vel Clerici huic excommunicationi ſubiiciuntur; ſi abſolutionem à Cenſuris Bullæ ſine debita facultate conferre præſumant: & ideo Summus Pontifex intendit excommunicatione ligare: ſolum eos, qui præſumunt abſolvere; ideſt abſolvunt ſcientes ſe non poſſe abſolvere. qui vero abſolvit ſolum à peccato, ob quod lata eſt excommunicatio, non vero ab Excomunicatione, non afficitur excommunicatione Bullæ, quia Summus Pontifex videtur ſolum excommunicare abſolventes à Cenſuris; non tamen hinc ſequitur: quin Sacerdos graviſſime peccet, & graves pœnas mereatur hoc pacto abſolvendo: & pœnitens non eximitur ab obligatione adeundi Summum Pontificem, vel alium legitima facultate monitum: quia excommunicationis reſervatæ vinculo adhuc detinetur. Qui abſolvit ſine legitima facultate ab excommunicationibus in Bulla expreſſis, incurrit ex vi Bullæ excommunicationem Bullæ non reſervatam, modo non abſolvat prætextu privilegii; abſolvens enim pretextu privilegii Apoſtolici incurrit excommunic Papæ reſervatam in decreto Clementis VIII. Præter Excommunicationem nulla pæna in ipſo facto imponitur abſolventibus ab excommunicationibus Bullæ; ſed Summus Pontifex ſex alias pœnas ſpirituales, & temporales ſuo arbitrio decernendas minatur, & jure quidem antiquo in Bullis addebatur ſuſpenſio ab officio prædicandi, legendi, audiendi confeſſiones, & miniſtrandi Sacramenta: ſed hoc tempore ſublatæ ſunt, & judicio Summi Pontificis, prout ipſe expedire judicaverit, reſervantur.

De iis, quæ obſervanda ſunt in abſolutione ab excommunicationibus Bullæ recipienda ab eo qui excommunicationem contraxit, ut abſolutio ſubſiſtat. Cap. 1122.

1 ABſolvendus ab Excommunicatione ob delictum in Bulla prohibitum contra, verum propoſitum habere debet, ſimilia impoſterum non committendi; alioquin abſolutio non tenet; hæc propoſitio clare conſtat ex Bullæ verbis, in quibus habetur abſolutionem aliter non ſuffragari; & ideo, qui abſolutionem ab hæreſi obtinet fingens ſe converſum, aut voluntatem non habens non relabendi non remanet abſolutus: quia non deſiſtit à crimine Bullæ cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi. Abſolutionem ſolemnem ſentio impendendam eſſe à Sacerdote: quia hic eſt uſus, & praxis Eccleſiæ: licet aliquando impendi poteſt à non Sacerdote, ut quando Summus Pontifex alicui Prælato non Sacerdoti facultatem ſolemniter abſolvendi concedit, aut quando publicæ utilitati expedire judicat per ſe ipſum abſolvere: in his tamen caſibus Prælatus, ſeu Iudex omittere debet ceremonias, quæ Sacerdoti-

Digitized by Google

dotibus competunt, ut ſunt delatio Stolæ, Dominus vobiſcum, & ſimilia. Qui ſtatuta ordinationes, vel decreta contra libertatem Eccleſiaſticam fregerunt, non ſolum propoſitum ſimilia non committendi habere debent; verum etiam prædictas ordinationes, ſeu decreta debent revocare, & de archiviis, ſeu capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur delere, & caſſare, & Summum Pontificem de hujuſmodi revocatione certiorem facere.

De revocatione privilegiorum, conſuetudinum, & præſcriptionum.
Cap. 1124.

1 NVllus excuſari poteſt ab iis, quæ in Bulla diſponuntur prætextu obſervantiæ, ſeu conſuetudinis, etiam immemorabilis, vel præſcriptionis, quamvis longiſſimæ, aut prætextu privilegii, ſub quacumque forma, vel cuicumque perſonæ conceſſi: quia hæc omnia in hoc §. revocantur, qui igitur contra hujus Bullæ diſpoſitionem delinquunt excuſari non poſſunt etiam ſi privilegium habent fulcitum quacumque clauſula, qua excommunicari à Papa nequeant, omnia enim privilegia in Bulla revocantur cuicumque conceſſa, & ſub quacumque forma; Revocatio cujuſcumque privilegii à legitimo ſuperiore facta, valida eſt ſaltem dum juſta cauſa ſubeſt: etiam ſi privilegium in remuneratione, aut per contractum oneroſum conceſſum eſſet: quia privilegium vires accipit a concedente: ergo etiam ab eo tolli poteſt, quam diu executioni mandatum non eſt.

De publicatione Bullæ. Cap. 1125.

1 BVllæ publicatio Romæ facienda eſt quia quælibet lex a Principe lata publicanda eſt in curiæ Principis juxta receptum curia uſum; ergo etiam Bulla Romæ publicanda eſt: Romæ autem publicatur non ſolum dum coram Summo Pontifice à Cardinali Diacono alta voce legitur, & enunciatur, verum etiam dum ad valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, & Santi Petri affigitur; Summus enim Pontifex in his locis, quo populus devotionis gratia frequentare ſolet publice apponi præcipit, ne quis ignorantiam alleget: ſtatim autem ac Bulla coram Summo Pontifice, & publice enunciata eſt vim legis habet, & publicata cenſetur; & propterea obligat antequam prædictarum Eccleſiarum valvis affigitur. Bulla extra urbem publicanda eſt à Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum ordinariis, & Prælatis ubi iibet conſtitutis, quia ipſis in virtute ſanctæ obedientiæ à Summo Pontifice in Bulla præcipitur, per ſe, vel per alios Bullam publicet poſtquam eam receperint aut illius notitiam habuerint; quamvis enim Bulla obliget, etiam ſi ab Epiſcopis non publicetur Summus tamen Pontifex vult eam publicari, ut clarius omnibus innoteſcat, unde Prælati, qui Bullam publicare negligunt, graviter peccant, faciunt enim contra preceptum in re gravi obligans ſub mortali. Bulla extra urbem publicanda eſt in Eccleſiis, dum eis major populi cętus convenerit, ſic enim in Bulla diſponitur.

De obligatione, qua nonnulli tenentur tranſumptum Bullæ apud ſe tenere, legere, percipere, fidem habere, non infringere aut violare. Cap. 1126.

1 PAtriarchæ, Archiepiſcopi Epiſcopi aliique locorum ordinarii, & Eccleſiarum Prælati: præterea Parochi: aliiq; curam animarum habentes, nec non Confeſſarii tam regulares, quam Seculares, tranſumptum Bullæ apud ſe habere debent: ſic enim in Bulla decernitur, & tenentur ſub mortali, quia verba imperativo modo prolata in legibus præceptum continent: Epiſcopi; Parochi, aliique ſupradicti, non ſolum tenentur Bullam penes ſe habere: verum etiam legere, & quæ in ea continentur percipere. Tranſumptis Bullæ fides adhibenda eſt, tam in iudicio, quam extra, quæ ipſimet originali Summi Pontificis ad hiberetur, modo tranſumpta Notarii manu ſubſcripta ſint, & ſigillo iudicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita ſint. Qui Bullam ipſam materialem perfringit, aut contra ipſam ire præſumit graviter peccat: quia id vetitum eſt in Bulla ſub indignatione omnipotentis Dei, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli: hæc autem loquendi forma indicat prohibitionem ſub mortali ſi graviter peccat, qui aſſerit Summum Ponti-

Pontificem non potuiſſe hanc Bullam edere: ſic graviter peccat, qui Bullam ad valvas Eccleſiæ affixam amovet, aut illam e manibus Sacerdotis, volentis illam publicare, extrahere præſumit, ne publicetur: qui vero infringit vel impugnat Bullam, præter lethalem culpam puniendus eſt pœna Summi Pontificis arbitraria: quia verbum indignationis abſolute prolatum pœnam arbitrariam ſignificare ſolet. ita Baldus in *l. cunctos populos C. de ſumma Trinit.*, *& fide Cathol.*

De Excommunicationibus omnibus in particulari extra Bullam Cœnæ Domini.

De iis, quæ ſunt in monitoriis, vel edictis ad aliquem denunciandum, vel ad reſtitutiones faciendas editis.

De Excommunicatione, quæ ab homine fertur ad reſtitutiones faciendas.
Cap. 1127.

1 Excommunicatio ferri poteſt pro, cauſa temporali, modo intentio ferentis ſit recta, & non ſpectet rem temporalem tamquam finem *Trid. ſeſſ. 35 de refor. c.* 3. ubi aſſerit hanc conſuetudinem eſſe in Eccleſia ferendi excommunicationem ad finem revelationis aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus: & hanc conſuetudinem honeſtam, & juſtam eſſe ſupponit, ſed magna cum difficultate exercendam: & licet materia præcepti Eccleſiaſtici, aut cenſuræ poſſit eſſe res temporalis, & materialis, nihilominus finis cenſuræ debet eſſe ſpiritualis. Excommunicatio, quæ ad reſtitutiones faciendas imponitur, ferri debet à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, non autem à Prælatis Epiſcopo inferioribus, quia licet aliqui Prælati, Epiſcopo inferiores juriſdictionem ferendi cenſuras habeant, tamen *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.* præſcribit, ut à nemine prorſus, præter quam ab Epiſcopo hujuſmodi excommunicatio feratur: Vicarius autem Generalis Epiſcopi, aut etiam Vicarius à capitulo conſtitutus ſede vacante poteſt hujuſmodi excommunicationem ferre. Excommunicatio, quæ ad reſtitutiones faciendas imponitur licet regulariter loquendo ferri debeat contra perſonas indeterminatas, quæcumq; illæ ſint, tamen ferri etiam poteſt contra determinatam perſonam, præſertim ſi perſona ſit Eccleſiaſtica, quæ poteſt ab Eccleſia cogi, ſeu puniri pœna cenſurarum Eccleſiaſticarum: juſta autem concurrente cauſa poteſt Epiſcopus perſonam laicam determinatam excommunicare: unde Eccleſia poteſt excommunicare laicam perſonam certam, quoties laicus judex contra hujuſmodi perſonam agere negligit. Cauſa ob quam hujuſmodi excommunicatio fertur triplex aſſignari poteſt. Prima eſt ut delictum commiſſum emendetur. Secunda, ut malum; quod futurum timetur evitetur: Tertia ut damnum temporale alterius præcaveatur. Multæ cauſæ à prædicta excommunicationis pœna incurrenda excuſantes aſſignari poſſunt. Prima eſt ignorantia tam juris, quam facti, vel etiam pœna. Secunda eſt legitima appellatio. Tertia eſt conſenſus illius, in cujus favorem lata eſt excommunicatio. Quarta eſt metus gravis. Quinta eſt iuſta compenſatio. Sexta eſt impotentia phyſica, aut moralis.

De Excommunicationibus nemini reſervatis, quæ ut plurimum ſunt communes omnibus.

excommunicatione contra laicos, qui oblationes intra Eccleſiam factas de Eccleſiis auferunt, & ſibi uſurpant.
Cap. 1128.

1 Iſta excommunicatio habetur in *cap. hanc conſuetudinem.* 10. *q.* 1. Oblationes pertinent ad Rectorem, ſive Parochum illius Eccleſiæ in qua fiunt. Hujuſmodi excommunicatio eſt ipſo jure lata, & ſtatim incurritur, quia fertur per verba temporis præſentis, & eſt univerſalis, & afficit omnes laicos ſibi uſurpantes oblationes, quia ſummus Pontifex univerſaliter loquitur, & ad eam incurrendam requiritur effectus, & eſt actualis ablatio: iſta autem excommunicatio non ligat Eccleſiaſticos, quia ſummus Pontifex loquitur de laicis ſibi uſurpantibus præfatas oblationes, non ligat neque laicum, ſi prædictas oblationes non auferat de Eccleſiis: ſed illa extra Eccleſiam exiſtentes ſibi applicat, & uſurpat: quia Pontifex loquitur de illis, qui oblationes de Eccleſiis auferunt, quæ excommunicatio non eſt reſervata.

De

Digitized by Google

De Excommunicatione contra cogentes fœminam ad religionem. Cap. 1129.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt triplices actiones in hoc capite expreſſæ. Prima eſt cogere fœminas ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel ad emittendam profeſſionem, & ſufficit, ut fœmina ad unum ex dictis inducatur ad contrahendam excommunicationem. Secunda actio eſt dare auxilium, conſilium, vel favorem ad ingreſſum in Monaſterium, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad emiſſionem profeſſionis. Tertia actio eſt interponere quoquo modo præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem ſuam, modo id fiat ſcienter, ab eo, quo novit fœminam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, ut in Concilio dicitur. Omnes, & ſinguli: qui fœminam cogunt ad ingreſſum in monaſterium, vel aliam ex præfatis actionibus præſtant præterquam in caſibus in jure expreſſis, cenſuræ hujus decreti obſtinguntur. Improbabile tamen non videtur Reges, & Imperatorem huic cenſuræ non ſubiici, quia dum Summus Pontifex intendit hos ligare, ſolet imprimere. Si quis autem cogeret fœminam ad ingrediendum Monaſterium in pœnam alicujus peccati, vel ad cautionem pudicitiæ, vel alia juſta de cauſa à jure permiſſa hujus Concilii cenſuram non incurret.

De excommunicatione contra trahentes fœminas à religione. Cap. 1130.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt impedire fœminam, ne velum accipiat, aut votum emittat: unde omnes, & ſinguli injuſte impedientes fœminam, ne religionem aſſumat, ſeu profeſſionem emittat excommunicationem hujus decreti contrahunt.

De excommunicatione contra impedientes viſitatores, Monialibus in ſuo munere. Cap. 1131.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt impedire viſitatorem in iis, quæ pertinent ad moniales, circa voluptuoſam vitam, reformationem, & ad devotum, & debitum famulatum Deo præſtandum, ut in textu dicitur. Iſta autem excommunicatio non incurritur ſtatim, ſed requiritur monitio; qua præmiſſa ſi impediens non ceſſat impedire, aut non revocat impedimentum, ſtatim excommunicationis pœna ligatur, monitio autem ſufficit generalis, non requiritur ſpecialis, vel particularis: omnes igitur, & ſinguli præſumentes impedire viſitatorem monialium in viſitationis munere excommunicationis pœnam incurrunt, niſi poſt impedimentum moniti reſiſcipiant.

De excommunicatione contra eos, qui vocati, ad dirigendas moniales in electionibus non abſtinent ab iis ex quibus diſcordiæ oriri, vel ortæ nutriri, poſſunt circa electiones. Cap. 1132.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt actio per quam orri poteſt diſcordia circa faciendas electiones inter moniales, vel extra conſervari, ſeu foveri, aut nutriri, ut patet ex verbis textus, unde ſubiectum hujus cenſuræ ſunt omnes, & ſinguli, qui vocati, ut inter ſint electionibus monialium aliquid faciunt ex quo poteſt oirri aut nutriri diſcordia inter ipſas moniales ſuper ipſis electionibus faciendis.

De excommunicatione contra cogentes ad Matrimonium. Cap. 1133.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt cogere; quovis modo directe, vel indirecte ad matrimonium: ſic *Conc. Trid.* dicitur, & ideo omnes, & ſinguli habentes temporale dominium incidunt in iſtam excommunicationem ſi per vim, aut per metum gravem, aliquam perſonam fœminam adigant ad contrahendum matrimonium: hæc propoſitio patet ex decreto Concilii.

De

De Excommunicatione contra contrahentes matrimonium in caſibus prohibitis. in Clement. unica de conſang. Cap. 1134.

1 IN Clementina citata excommunicantur contrahentes Matrimonium in quinque caſibus. Primus caſus eſt ſcienter contrahere matrimonium in gradibus conſanguinitatis jure canonico interdictis; jure autem canonico interdictum eſt contrahere cum conſanguineis uſque ad quartum gradum. Secundus caſus eſt ſcienter matrimonium inire cum affine intra gradus prohibitos. Tertius caſus eſt ſcienter contrahere cum monialibus. Quartus eſt dum religioſus matrimonium contrahit; cum enim religioſus illicite, & invalide contrahat jure merito punitur hac pæna in hac Clementina. Quintus caſus eſt dum Clericus ſacris ordinibus initiatus matrimonium contrahit.

De Excommunicatione contra negantes matrimonia Clandeſtina ante Tridentinum celebrata valida fuiſſe; ante matrimonium à filiis familias inconſulto patre celebratum validum eſſe. Cap. 1135.

1 MAteria primæ excommunicationis eſt negare matrimonia ſine Parocho, vel teſtibus celebrata non fuiſſe valida, & propterea reiicienda eſt illorum opinio aſſerentium Parochum eſſe miniſtrum eſſentialem matrimonii: ſic aſſerens matrimonium clandeſtinum libere celebratum in iis locis, in quibus Concilium Tridentinum acceptatum non fuit invalidum eſſe, afficitur excommunicatione Concilii. Materia ſecundæ Excommunicationis, eſt aſſerere matrimonia ſine conſenſu parentum celebrata irrita eſſe, aut à parentibus rata fieri, vel irritari poſſe; quia validitas Matrimonii à voluntate Parentum non pendet: Subiectum autem utriuſque excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli: qui præfatas propoſitiones aſſerunt.

De Excommunicatione contra raptus mulierum & præbentes illis conſilium, auxilium, vel favorem. Cap. 1136.

1 MAteria iſtius excommunicationis duplex eſt alia principalis, & alia acceſſoria. Principalis eſt capere fæminam unde qui per vim abducit fæminam invitam, ut illam violet, aut in matrimonium ducat in iſtam excommunicationem incidit: quia hic proprie raptor dicitur. Actio acceſſoria eſt conſilium, auxilium, & favor; ob præfatas actiones autem acceſſorias non incurritur, niſi effectus iam ſecutus ſit. Singuli raptores, omneſque dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem in iſtam excommunicationem incidunt, quæ excommunicatio non eſt Summo Pontifici reſervata.

De excommunicatione contra procurantes abortum fætus animati. Cap. 1137.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in conſtitutionibus Summorum Pontificum expreſſæ. Prima actio eſt procurare abortum fætus animati percuſſionibus, veneno, medicamentis, potionibus, aut oneribus mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquiſitis rationibus. Secunda actio principaliter prohibita eſt ſcienter cooperari ad abortum ope, conſilio, favore potione; vel alio cujuſvis generis medicamento, aut juvare ſcribende litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut ſignis. Omnes igitur procurantes abortum per ſe, vel per alios, aut cooperantes ope, conſilio, vel alia ratione excommunicationem contrahunt cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant; etiam ipſæmet fæminæ prægnantes ſociæ, ſeu conſciæ abortius huic cenſuræ ſubiiciuntur. Iſta Excommunicatio juxta conſtitutionem Sixti V. reſervata erat Summo Pontifici; verum hoc tempore ordinarius, aut alius per ipſum ad hoc ſpecialiter deputatus in foro conſcientiæ abſolvere poteſt conſtitutionem Gregorii XIII.

De Excommunicatione contra impugnantes litteras a Papa conceſſas ante coronationem. Cap. 1138.

1 Materia iſtius excommunicationis eſt litteras Apoſtolicas ſuper quibuſcumque negotiis confectas præſumere impugnare ex opinione, & errore, quod Summus Pontifex non debeat ſe de proviſionibus, & gratiis faciendis intromittere ante ſuam coronationem: hæc propoſitio patet ex verbis Bullæ: & ideo omnes, & ſinguli, qui præfatas litteras ex prædicta occaſione impugnare præſumunt excommunicationem iſtius extravagantis incurrunt. Hæc propoſitio patet ex verbis extravagantis.

De Excommunicatione contra perſequentes hoſtiliter Cardinales. Cap. 1139.

1 Iſta excommunicatio edita eſt In c. *felicis de pœn. in 6.* verum ab ipſius explicatione hic ſuperſedeo: quia de ea ſatis in Bulla Cœnæ diſſeruimus.

De Excommunicatione contra vexantes Inquiſitores alioſque Sancti officii miniſtros. Cap. 1140.

1 Materia iſtius excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla interdictæ. Prima actio eſt Occidere Inquiſitorem, Advocatum, Procuratorem, Notarium, aliumque miniſtrum officii Inquiſitionis, vel Epiſcopi id munus obeuntis, aut accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem in cauſa fidei quomodocumque productum; vel evocatum. Secunda actio eſt præfatos verberare. Tertia deiicere, ideſt expellere, ſeu officio privare, Quarta perterre facere. Quinta Eccleſias ædes, aliaſve res ſive publicas, ſive privatas officii, aut miniſtrorum expugnare, invadere, incendere expilare. Sexta libros, litteras, auctoritates, exemplaria, ſcripturas, inſtrumenta ſive publica, ſive privata comburere, dirumpere, intervertere, ſeu ex incendio, & direptione, aut alio quocumque modo aſportare, ſeu in direptione, aut incendio cauſam eſſe, ut capiantur, comburantur, & ſupprimantur. Septima eſt prohibere, ut perſonæ aut res ſerventur, ſeu defendantur. Octava carcerem privatum, aut publicum perfringere, vinctum extrahere, ſeu dimittere, prohibere, ne capiatur, captum eripere, recipere, occultare, ſeu facultatem effugiendi dare ſeu mandare hoc fieri, Nona auxilium, conſilium, vel favorem publice, vel occulte in quolibet prædictorum ſcienter dare: & ſic omnes, & ſinguli, qui aliquam ex præfatis actionibus præſtant cenſuram hujus conſtitutionis incurrunt. Iſta excommunicatio non videtur reſervata: quia in præfata conſtitutione non fit mentio de reſervatione.

De Excommunicatione contra præſumentes docere vel pertinaciter aſſerere habendi conſcientiam peccati mortalis neceſſariam non eſſe confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ. Cap. 1141.

1 Materia iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hoc Canone prohibitæ. Prima eſt docere non eſſe neceſſariam confeſſionem accedenti ad Sacramentum Euchariſtiæ poſt patratum peccatum mortale: quare ſi magiſter hunc errorem doceret diſcipulos ſtatim in excommunicationem incideret. Secunda eſt prædicare, ut ſi quis dum concionem ad populum habet, hanc falſam doctrinam populo ſequendam ſignificaret. Tertia eſt pertinaciter aſſerere, ut ſi quis in publicis, vel privatis cætibus audeat hoc affirmare, ſciens ſub excomunicatione vetitum eſſe. Quarta eſt hunc errorem publice diſputando defendere.

De Excommunicatione contra eos, qui abſolutionem, vel revocationem alicujus cenſuræ per vim, aut metum extorquent. Cap. 1142.

1 Materia Iſtius Excommunicationis eſt ſacrilegium, quod committitur contra libertatem Eccleſiaſticam extorquendo vi, aut metu abſolutionem, vel revocationem Cenſuræ: hæc tamen propoſitio intelligenda eſt, modo metus gravis ſit, ſeu cadens in conſtantem virum; non autem incurritur antequam abſolutio, vel revocatio ſequatur. Subiectum hujus cenſuræ ſunt omnes per vim, aut metum gravem extor-

De Excommunicatione contra laicos, qui compellunt perſonas eccleſiaſticas ad ſubmittenda bona Eccleſiarum laicis; vel qui uſurpant aliquid ultra pactum aut ultra naturam contractus ſubmiſſionis bonorum abſque legitima licentia Papæ, & conſenſu Capituli. Cap. 1147.

1 MAteria iſtius canonis eſt duplex actio ſacrilega: quia libertas Eccleſiaſtica in bonis Ecc[illegible] Pirma actio eſt compellere [illegible] que Eccleſiaſticos ad ſubmi[illegible] immobilia Eccleſiarum, aut jura [illegible] laicis abſque debita ſolemnitate, & Sedis Apoſtolice facultate, ſic enim aperte colligitur ex textu. Secunda actio hic principaliter prohibita eſt præfatis contractibus ſubmiſſionis, legitime celebratis aliquid uſurpare ultra id quod eſt natura ipſorum contractuum, aut ultra conventionem debetur verum tamen eſt ob iſtam actionem præciſe pæna excommunicationis non incurri, niſi uſurpartor legitime monitus, ab uſurpatione deſtiterit, & uſurpata reſtituerit: laici, qui ſine debita licentia compellunt Eccleſiaſticos ad ſubmittendas Eccleſias, vel bona immobilia, vel jura laicis incidunt in primam excommunicationem: laici vero, qui ex hujuſmodi bonorum ſubmiſſionibus, ſeu alienationibus de legitima ſuperiorum licentia factis aliquid uſurpant præter id, quod ipſis natura contractus vel ex conventione debetur afficiuntur excommunicatione ſi poſt legitimam appellationem ab uſurpatione non deſtiterint, & reſtitutionem non fecerint.

De Excommunicatione contra exigentes, ſeu extorquentes pedagia, & alia tributa ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis. Cap. 1148.

1 MAteria iſtius Excommunications eſt Sacrilegium contra liberratem Eccleſiaſticam in exactione onerum à [illegible]us Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ immunes ſunt, & exemptæ, hoc autem ſacrilegium conſiſtit in triplici actione, Prima eſt exigere hujuſmodi tributum, Secunda extorquere; Tertia compellere ad illud perſolvendum: ideo omnes, & ſinguli, qui pedagia, aut alia tributa per ſe, vel per alios, nomine proprio, vel alieno exitur, extorquent, vel ad illa perſolvenda compellunt excommunicatione hujus capitis afficiuntur. Ab excommunicatione contracta ob actiones præfatas, abſolutio impendi non poteſt ante factam reſtitutionem, facta vero reſtitutionem quilibet confeſſarius approbatus jure communi poteſt abſolvere quia Summus Pontifex abſolutionem in hoc caſu reſervat.

De Excommunicatione contra concedentes repreſſalias aut extendentes conceſſas adverſus perſonas Eccleſiaſticas Cap. 1149.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt Sacrilegium contra immunitatem Eccleſiaſticam, qua perſonæ Eccleſiaſtica, & ipſarum bona gaudent ne repreſſaliis gravetur: hoc autem Sacrilegium in duplici actione conſiſtit. Prima eſt concedere repræſſalias quod fieri ſolet publica poteſtate, Secunda eſt illas extendere, quod ad privatas perſonas pertinere ſolet; unde ſi Principes contra aliquam civitatem in quo nonnulli Eccleſiaſt. exiſtunt repreſſalias concedant; iis autem cui repreſſaliæ conceſſæ ſunt illas extendat ad perſonas Eccleſiaſticas, vel ad ipſorum bona, is, qui eas extendat in cenſuram hujus c. incidit.

De Excommunicatione contra eos, qui in Eccleſiis monaſteriis aut piis locis regalia cuſtodiunt, aut titulum defenſionis de novo uſurpare conantes jura aliave bona eorumdem Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum vacantium bona uſurpare præſumunt, & contra Clericos earundem eccleſiarum aliaſque perſonas earundem locorum piorum, quæ id fieri procurant. Cap 1150.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt ſacrilegium, quo libertas Eccleſiaſtica violatur in bonis Eccleſiarum, & in duabus actionibus conſiſtit prima, & principalis eſt conari uſurpare de novo injuſte, regalia, tributa, titulum defenſionis in Eccleſiis, & piis locis, & ſimul præſumere occupare jura aliaque bona earundem Eccleſiarum ſeu piorum locorum vacantium. Secunda actio minus Principalis eſt procurare ut aliqua bona prædictorum locorũ piorũ vacantium occupentur ab iis, qui regaria, cu-

ſtodiam, aut alium defenſionis titulum uſurpare conantur: quæ actio debet fieri à Clericis earundem Eccleſiarum, a monachis monaſteriorum, vel à perſonis prædictorum locorum, & actio deber eſſe poſitiva, & ad procurationem debet ſequi actualis occupatio. Subiectum hujus cenſuræ ſunt omnes & ſinguli, qui præfatas actiones faciunt.

De excommunicatione contra præſumentes impedire ſequeſtrationem ab ordinario fieri circa beneficium poſt latam ſententiam in curia Romana contra Poſſeſſorem Beneficii: Beneficium per triennium pacifice non poſſedit & contra eos, qui fructus ſequeſtratos occupare præſumunt. Cap. 1151.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt duplex actio. Prima eſt præſumere impedire ſequeſtrationem fieri per ordinarium. Secunda eſt præſumere fructus ſic ſequeſtratos occupare: Omnes, & ſinguli, qui præfatam ſequeſtrationem impedire, vel ſequeſtratos fructus occupare præſumunt, hujuſmodi Excommunicationem contrahunt. Abſolutio hujus Excommunicationis ante ſublatum impedimentum, præſtitam ſatisfactionem eſt Summo Pontifici reſervata.

De excommunicatione contra eos, qui moleſtiam inferunt collegio, & deputatis fabricæ ſancti Petri. Cap. 1152.

1 PRobabile cenſeo iſtam bullam quoad aliqua latam fuiſſe ad tempus, ad conſulendum juribus commodis fabricæ S. Petri, ſed quoad ſuſpenſionem, & communicationem latam contra moleſtantes Collegium: ſeu deputatos fabricæ S. Petri, probabilius arbitror perpetuam eſſe, quia continet favorem, & Privilegium Collegii fabricæ S. Petri, & ſic materia iſtius excommunicationis eſt moleſtare Collegium ſeu deputatos fabricæ S. Petri. Subiectum autem ſunt omnes, qui præfatis deputatis moleſtiam inferunt.

De excommunicatione contra fœminas ſtatum Beguinarum aſſumentes, vel in eo perſeverantes. Cap. 1153.

1 BIgulnæ fuerunt quædam mulieres: quæ nullam regulam approbatam profitebantur, ſed quibuſdam religioſis adhærebant: & de Trinitate, & Divina eſſentia diſputabant, prædicabant, & multas opiniones fidei contrarias inducebant. Materia iſtius excommunicationis eſt ſtatum Beguinarum aſſumere, & in ſtatu aſſumpto perſiſtere, & aliquo modo præfatas fæminas admittere, & dare conſilium, auxilium vel favorem ad aſſumendum hujuſmodi ſtatum, vel ad perſiſtendum in eo. Subiectum ſunt omnes mulieres præfatum ſtatum aſſumentes, & aſſumptum ſectantes: & omnes religioſi, qui eas admittunt conſilium, auxilium, vel favorem præbent.

De Excommunicatione contra profitentes fictam religionem fraticellorum, Bizochorum, ſeu Beguinorum, & contra Prælatos, qui eos admittunt. Cap. 1154.

1 IN extravag Sancta Romana Joann. XXII. de religioſis domibus fertur ex communicatio contra eos, qui fictam fraticellorum, Bizochorum, ſeu Beguinorum religionem profitentur, illam de novo ſumendo, vel in ea perſeverando. Eadem excommunicatio extenditur ad Epiſcopos, & Prælatos, qui eos ſine Summi Pontificis facultate admittunt, ut patet ex ipſamet Extravag.

De excommunicatione contra eos, qui fratres ordinis Prædicatorum conveniunt coram Judice ſæculari vel Eccleſiaſtico, non propoſita prius cauſa ſuperiori ipſorum fratrum ex Leone X. Cap. 1155.

1 ISta excommunicatio uſu recepta non eſt; ideo hic eam ſolum innuiſſe ſufficit.

De

De Excommunicatione contra pingentes vel inficientes Agnos Dei vel retinentes ſic infectos, & venales proponentes. Cap. 1136.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla interdictæ. Prima eſt pingere Agnos Dei benedictos: ideſt lineas ſuper illos ducere, inficere, aut etiam minio afficere, aut aurum, vel colorem aliquem illis imponere, vel quicquam aliud ſuper inducere: hæc omnia in Bulla exprimuntur, Secunda actio eſt facere, dipingere, vel miniari: excommunicatio tamen non incurritur, donec Agni pingantur, vel minio notentur. Tertia actio eſt proponere illos venales: quamvis enim Agnus benedictus rationes Materiæ ſit pretio æſtimabilis, & abſque labe ſimoniæ ſecundum ſe vendi poſſit: tamen ratione benedictionis hic vendi prohibetur, agni autem benedicti poſtquam picti, vel minio notati ſunt, vendi poſſunt ratione ſolius materiæ: ex qua conficiuntur, & ratione laboris, & expenſarum in ipſis faciendis, vel Roma aſportandis; nullum enim aſſignari poſſe videtur verbum in præfata Gregorii conſtitutione: ex quo liceat colligere vetitam eſſe venditionem, quæ alias ſimonia non erat. Aliquando tamen Summi Pontifices ſolent ſpecialem edere conſtitutionem qua prohibent Agnos benedictos vendi. Quarta actio eſt hujuſmodi Agnos ſic depictos deauratos minio, vel colore infectos retinere, modo ſine Summi Pontificis licentia picti, vel deaurati fuerint, pictos enim, vel deauratos ex centia arbitrior retineri poſſe, aut etiam vendi: modo ſolius ceræ, deaurationis, & materiæ, non vero benedictionis ratio habeatur: tunc enim ſimoniæ culpa incurreretur, non cenſura iſtius conſtitutionis. Addo probabiliter ſuſtineri poſſe præfatos Agnos retineri poſſe, etiam ſi depicti, vel deaurati fuerint abſque licentia, modo non retineantur ad vendendum. Omnes autem, & ſinguli, qui aliquam ex prædictis actionibus faciunt cenſuram iſtius conſtitutionis incurrunt, quæ conſtitutio, ſeu cenſura in urbe Roma uſu recepta eſt: ſic enim praxis in hac urbe indicat. Ego vero cenſeo etiam extra urbem ſaltem aliquibus in locis, ut Mediolani uſu receptum eſſe. Agni enim ibi non depinguntur, ſed ab urbe Roma illuc tranſmittuntur, quid vero in aliis locis ſentiendum ſit, inſpicienda eſt cujuſque loci conſuetudo: quæ cum ſit aliquid facti in disputationem non cadit, ſed in probationem.

De Excommunicatione contra eos, qui ſcienter præſumunt ſpelire hæreticos, vel eorum receptores, ac fautores. Cap. 1137.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſcienter, & cum præſumptione ſepelire in loco ſacro hæreticum, credentem, receptorem, defenſorem, aut fautorem; illius hoc enim expreſſe conſtat ex textu, in quo notandæ ſunt illæ particulæ ſcienter, & præſumpſerint, quæ quamlibet ignorantiam, niſi cum ingenti temeritate conjuncta ſit, excludunt, & dolum, ac voluntarium perfectum requirunt, non autem vetitum eſt ſepelire hæreticum, aut ejus fautorem nondum denunciatum: ex Concilio Conſtantienſi non tenemur quemquam evitare prætextu cujuſcumque ſententiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ jure, vel ab homine generaliter promulgatæ. Omnes & ſinguli, qui hæreticum credentes, aut ejus fautorem Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradunt in hanc cenſuram ipſo facto incidunt. Hæc propoſitio clare conſtat ex textu. Abſolutio hujus excommunicationis iure communi poteſt a quolibet Confeſſario approbato impendi: poſtquam is, qui ſepelivit propriis manibus publice extumulavit, projecit cadaver, antequam vero is, qui ſepelivit publice extumulet, & cadaver proiiciat, non poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere.

De Excommunicatione contra eos, qui tempore interdicti ſepeliunt mortuos in loco ſacro in caſibus a jure non conceſſis, aut qui etiam alio tempore ſepeliunt publicos excommunicatos, aut interdictos, aut uſurarios. Cap. 1156.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſcienter præſumere ſepelire in loco ſacro in caſibus in Clementina expreſſis. Primus caſus eſt ſepelire mortuos in loco ſacro tempore interdicti loca-

lis in caſibus non conceſſis. Secundus caſus eſt ſepelire in loco ſacro Excommunicatos publicos, ideſt denunciatos, aut notorios clerici, aut religioſi percuſſores: iſti enim vitandi ſunt. Tertius eſt ſepelire in loco ſacro perſonaliter interdictos publicos ideſt vitandos. Quartus eſt ſepelire uſurarios manifeſtos denunciatos. Omnes, & ſinguli qui ſcienter præſumunt aliquem in præfatis caſibus ſepelire excommunicationis vinculo irretiuntur. Is qui præfatam excommunicationem contraxit, abſolutionis beneficiũ obtinere non poteſt, donec arbitrio Epiſcopi competentem dederit ſatisfactionem illis, quibus injuriam irrogavit, aliquem in præfatis caſibus ſepeliendo. Hæc propoſitio perſpicue conſtat ex ipſo textu: Satisfactio autem præſtanda eſt illis, in quorum favorem cenſura, vel ſententia lata fuerat, aut etiam illis, quibus facta fuiſſet reſtitutio, ſi uſurarius in loco ſacro ſepultus non fuiſſet, hæc enim cenſetur intentio Summi Pontificis.

De Excommunicatione contra Magiſtros, ſeu Doctores, qui religioſos poſtquam dimiſerunt habitum medicinam, aut leges docere, aut in ſcholis retinere præſumunt. Cap. 1159.

1 Actiones ſub præfata excommunicatione prohibitæ ſunt duæ. Prima eſt ſcienter docere leges, vel Phyſicam ideſt Medicinam, præfatos religioſos profeſſos, qui ſeu religionis habitum dimiſerunt, ſive doceantur in ſcholis, ſive extra ſcholas, ſecunda actio eſt præſumere præfatum religioſum in ſuis ſcholis retinere, etiam ſi non doceat, nam textus iſtam actionem prohibet: ad incurrendam autem Excommunicationem alterutra actio ſufficit: quia textus disjunctive loquitur. Subjectum hujus Excommunicationis ſunt Magiſtri, ſeu Doctores, qui Religioſum habitu ſuo dimiſſo legem, aut medicinam audientem ſcienter docere, aut in ſcholis retinere præſumunt.

De Excommunicatione contra mandantes aliquem occidi per aſſaſſinos aut receptantes, defendentes, aut occultantes, hujuſmodi aſſaſſinos. C. 1160.

1 Materia iſtius excommunicationis ſunt actiones in hoc canone expreſſæ: Prima eſt interfici facere, vel mandare, etiam ſi mors non ſequatur. Secunda eſt receptare hujuſmodi aſſaſſinos. Tertia defendere. Quarta occultare. Omnes, & ſinguli aliquam ex predictas actionibus præſtantes, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt. Hæc propoſitio patet ex verbis textus.

De Excommunicatione contra eos, qui Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus litteras, vel Nuncium mittunt, vel ſecreto loquntur. Cap. 1161.

1 Iſta Excommunicatio habetur in c. (ubi periculum de Electione in 6.) ibi nulli etiam fas ſit: materia iſtius excommunicationis ſunt tres actiones, quas Summus Pontifex interdixit ne electio Papæ impediatur, aut perturbetur. Prima actio eſt mittere nuncium Cardinalibus in conclavi exiſtentibus. Secunda mittere ſcripturam. Tertia ſecrete loqui: ex vi autem præfati textus opus eſt ut nuncius, vel ſcriptura perveniat ad eum ad quem mittebatur. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt illi qui nuncium, vel ſcripturam mittunt, aut ſecreto cum Cardinalibus loquuntur in conclavi exiſtentibus, ut conſtat ex textu. Alia excommunicatio præter dictam edita fuit a Pio IV. anno 1562. in bulla 63. in ordine, quæ incipit (Intelligendis Eccleſiarum Prælatis; §. litteras: in qua ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſervata prohibet litteras, aut ſcripta cujuſvis generis, ſeu nuncium, vel notam, aut ſignum ad eos, qui in Conclavi ſunt mittere, ſeu recipere, aut contra e conclavi ad eos, qui foris erunt: Qui contra fecerint quacumque dignitate, etiam ſi Cardinalatus honore perfulgeant, pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ ſubiaceant, abſolvendi facultate, præterquam in mortis articulo, ſoli Pontifici maximo reſervata, a quo nihilominus pro qualitate delicti, ultra dictam excommunicationis pœnam, puniendi erunt.

De-

De Excommunicatione contra partem, quæ procurat ut conſervator de aliis, quam de manifeſtis injuriis ſe intromittat. Cap. 1162.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt procurare, ut conſervator, ſcienter ſe intromittat de aliis, quam de manifeſtis iniuriis, & violentiis, ſeu de aliis, quæ judicialem indaginem requirunt: ſic enim in præfato textu decernitur quia cum hujuſmodi procurator in cauſa ſit, ut conſervator alienam juriſdictionem uſurpet, & alium iniuſte vexet, par eſt, ut excommunicationis pœna puniatur. Subiectum iſtius excommunicationis eſt pars procurans, ut conſervator ſcienter ſe ingerat in iis, ad quæ ipſius juriſdictio non extenditur, ut patet ex ipſo textu. Pars quæ præfatam excommunicationem contraxit, beneficium abſolutionis obtinere non poteſt, antequam expenſas parti, quam indebite vexavit, integre compenſet, ut in textu dicitur. Conſervator excedens ſuæ poteſtatis limites afficitur pæna ſuſpenſionis per annum ab officio, modo ſcienter excedat: hęc propoſitio patet ex verbis textus.

De Excommunicatione contra eos, qui aliquid confingunt, vel fraudem committunt ut Judex ad fœminam perſonaliter ſe conferat ad ejus teſtimontum ſuſcipiendum. Cap. 1163.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt fictio, ſeu actio fraudolenta, ob quam Judex perſonaliter ſe confert ad fœminam interrogandam. Hæc propoſitio patet ex verbis textus. Quilibet fingens caſum, aut fraudem committens, ut Judex ad feminam accedat ad illam interrogandam excommunicationem incurrit. Hæc propoſitio conſtat ex verbis textus.

De Excommunicatione contra magiſtros, & ſcholares Accademiæ Bononienſis, qui aliorum hoſpitum conducunt infra tempus conductionis ſine licentia inquilinorum. Cap. 1164.

1 ISta excommunicatio habetur in c. ex reſcripto, quod eſt primum de locato & conducto. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt ſolum magiſtri, & ſcolares: quia de his tantum loquitur præcitatus textus, & materia iſtius excommunicationis eſt conductio facta in damnum magiſtrorum, vel ſcolarium ibi inhabitantium, quæ excommunicatio non eſt reſervata.

De Excommunicatione contra divinatores exercentes ſortilegia, invocantes dæmonem, aut conſulentes divinatores. Cap. 1165.

1 ISta Excommunicatio non eſt ipſo jure lata: quia nullum jus affertur, continens excommunicationem ipſo jure latam, vel ſi aliquod jus afferri poteſt continens cenſuram ipſo jure impoſitam, ea tamen adhuc uſu recepta non eſt unde conſtat divinatores, Maleficos, & his ſimiles non affici excommunicatione, modo non ſentiant aliquid contra fidem, tunc enim perſpicuum eſt ipſos eſſe hæreticos, & excommunicationem contra hæreticos latam incurrere. Quid ſentiendum ſit de Illis, qui divinationes, & nativitates faciunt, dico facientem judicia, vel nativitates hominum circa futuros eventus contingenter ab humana voluntate pendentes: reum eſſe Aſtrologiæ judiciariæ, & ſuperſtitioſæ vetitæ non ſolum jure Eccleſiaſtico, verum etiam naturali divino, ſi de his effectibus abſolutum judicium ferat, quia hæc cognitio viribus naturæ haberi non poteſt: prædicentes autem ex aſtris præciſe futuros effectus contingentes ab hominum voluntate pendentes, graviter delinquerent conſtit contra Sixti V. non ſolum dum affirmant illos certe eventuros, verum etiam dum probabiliter ſolum conjectant, ſeu levi conjectura futuros prænunciant.

De Excommunicationibus Papæ reſervatis quæ ſunt communes omnibus perſonis.

De Excommunicatione contra ambientes Papatum, aut tractantes de electione futuri Pontificis, vivente adhuc Pontifice, eoque inconſulto. Cap. 1166.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla expreſ-

 ſæ.

ſæ. Prima actio eſt ambire, ſeu procurare Papatum, præſertim ſi hac occaſione, & ejuſcauſa Simonia committatur. Secunda actio eſt tractare, vel tentare de electione futuri Pontificis, vivente adhuc, & inconſulto Papa & hoc verum eſt, ſive fiat per ſe ſive per alium; ſive fiat verbis, aut ſcriptis, aut nuntiis cum aliquo de futuro Pontifice eligendo, & hactenus tractarunt, vel tentarunt, ſeu in poſterum Romano Pontifice vivente, & inconſulto tractabunt, vel tentabunt. Tertia actio eſt auxilium, conſilium, operam, favorem, promiſſionem, verbis vel ſcriptis, re, vel facto, aut alio quovis modo directe, vel indirecte, principaliter, vel incidenter præſtare, complices eſſe, ſeu quavis ratione ſe immiſcere circa electionem futuri Pontificis, Papa adhuc vivente, & inconſulto: Quarta actio eſt impugnare iſtam conſtitutionem dicendo eſſe injuſtam aut invalidam in totum, vel in partem; ſic enim in dicta Bulla decernitur §. 5. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes & ſinguli, tam maſculi, quam fœminæ, tam laici quam Eccleſiaſtici: etiam ſi regia, vel imperiali dignitate fulgeant; nam Paulus IV. hos omnes apertiſſimis verbis exprimit, & comprehendit in §. 2. Verſic. nec non quoſcumque, &c.

De Excommunicatione contra facientes ſponſiones, ſeu excommiſſas ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, aut ſuper promotionibus Cardinalium. Cap. 1167.

1 Materia iſtius Excommunicationis eſt triplex actio in hac Bulla expreſſa. Prima actio eſt ſponſio, ſeu promiſſio, conventio pactum, ſeu contractus nominatus, vel innominatus, ſuper vita, morte, futura electione Summi Pontificis tam eo vivente, quam ſede vacante, aut ſuper promotione Cardinalis: iſta actio perſpicue exprimitur in verbis Bullæ. Secunda actio eſt reſpectu perſonarum publica auctoritate fungentium, quæ prædictas ſponſiones tacite, vel expreſſe in locis ſibi ſubiectis fieri permittunt. Tertia actio eſt auxilium conſilium favorem, aut conſenſum in præmiſſis præſtare: aut mediatorem eſſe nam in Bulla ita exprimitur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, ſinguli contra præfatam Bullam delinquentes: diſpoſitio enim generaliſſima eſt, ut aperte conſtat ex verbis textus.

De Excommunicatione contra eos, qui litteras, ſcriptum, munerum, notam, aut ſignum ad exiſtentes in conclavi mittunt, vel recipiunt, vel contra. Cap. 1168.

1 Iſta Excommunicatio lata fuit a Pio V. in Bulla 63. quæ incipit *in Eligendis* in cujus explicatione hic detineri nolo, cum eam ſufficienter explicaverim ſuperius occaſione alterius excommunicationis non reſervatæ latæ contra ſecreto alloquentes Cardinales in Concla vi exiſtentes.

De Excommunicatione contra habentes litteras Apoſtolicas falſas; ſi intra viginti dies illas non deſtruant, vel non reſignent. Cap. 1169.

1 Materia iſtius Excommunicationis eſt actio deſtruendi, vel reſignandi litteras Apoſtolicas falſas intra viginti dies, poſtquam quis cognovit ſe tales litteras habere; modo tamen ab Epiſcopo lata ſit excommunicatio contra habentes hujuſmodi litteras falſas; hęc propoſitio clare conſtat. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt illi, qui falſas litteras Apoſtolicas habent & infra viginti dies illas non deſtruunt vel non reſignant hæc; propoſitio patet ex verbis textus.

De Excommunicatione contra eos, qui in litteris Apoſtolicis, ut illarum expeditionem gratis conſequantur, fingunt ſe nepotes, fratres, aut familiares, continuo commenſales Cardinalium, aut aliorum, quarum litteræ ex privilegio, vel conſuetudine gratis expediri ſolent. Cap. 1170.

1 Materia iſtius Excommnnicationis in duplici actione conſiſtit. Prima actio eſt mentiri perſonam, fingendo ſe fratrem, familiarem, continuum commenſalem in litteris Apoſtolicis, ut patet ex dictis in expoſitione Bullæ Cænæ de beneficiis & aliis. Secunda actio reſpectu officialium eſt complicem eſſe illius fictionis, procurando, aut permittendo. Subiectum

Digitized by Google

ctum iſtius excommunicationis ſunt ipſimet fingentes, vel officiales procurantes, ſeu promittentes: quia de his ſermo eſt in bulla, non vero de aliis.

De excommunicatione lata contra percuſſores clericorum.

Quænam ſit materia iſtius excommunicationis ſeu quænam actiones ſub excommunicatione probibeantur in textu.
Cap. 1171.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hoc canone expreſſæ; ipſarum una eſt principalis, aliæ acceſſoriæ. Principalis eſt injurioſe iniicere manus violentas in clericum, vel Monachum, ut patet ex illis verbis *ſi quis violentas manus in Clericum, vel Monachum*, &c. Actiones acceſſoriæ ſunt. Prima mandare hujuſmodi manuum iniectionem, ſeu percuſſionem. Secunda conſilium, auxilium, vel favorem ad hujusmodi percuſſionem præbere. Tertia ratum habere, ut iſtæ actiones rite percipiantur, ſingulas in ſequentibus explicabo.

In hoc capite explicatur materia, ſeu actio principalis iſtius excommunicationis.
Cap. 1172.

1 DIctum eſt ſupra materiam principalem iſtius Excommunicationis eſſe violentam; & injurioſam manuum iniectionem: nomine *violentiæ iniectionis manuum*, intelligitur actio extra injurioſa, violentia, conſiſtens in facto, ſeu opere, & contingens perſonam Eccleſiaſticam; tres autem conditiones requiruntur, ut hujuſmodi actio ſit materia Excommunicationis. Prima ut ſit actio violenta. nomine autem iniectionis manuum intelligitur quælibet percuſſio, & vis injurioſa, ſive fiat manibus, ſive pedibus. Secunda conditio eſt, ut actio injurioſa attingat Clericum, & ideo afficiens Clericum verbis contumelios excommunicationem non incurrit ſic qui conatus eſt percutere, & non percuſſit non incidit, quia non eſt actio violenta contingens Clericum. Tertia conditio eſt ut actio violenta, & injurioſa ſit mortaliter pecaminoſa: quia in textu dicitur ſuadente Diabolo; & excommunicatio non incurritur niſi ob mortalem culpam: & actus ipſe externus ſit capax mortalis culpæ: niſi enim gravis culpæ capax ſit, non, poteſt gravi pœna puniri. ideo qui Clericum peccutit ita leviter, ut actus exterior omnibus conſideratis, non cenſeatur ſufficiens ad mortalem culpam non afficitur excommunicatione, quamvis mortaliter peccaverit in intentione, intendens graviter percutere, ſeu gravem injuriam facere. Ex oppoſito tamen dicendum eſt, qui leviter percutit Clericum, ita tamen ut illa percuſſio cenſeatur valde injurioſa Clerico incurrit excommunicationem, ut accidit quando quis conſpuit in Clericum, aut virga percutit, aut illum includit in carcere, vel in alio loco à quo non poſſit exire ſine de decore, & pudore; nam hæc actio cenſetur graviter violènta Clerico, & eſt mortaliter peccaminosa.

In hoc capite explicatur materia minus principalis, ſeu actiones acceſſoriæ ob quas hujus canonis excommunicatio incurritur. Cap. 1173.

1 COnſilium, & mandatum, quo quis conſulit, aut tacite, vel expreſſe mandat Clerici vel Monachi percuſſionem ſubiicitur huic excommunicationi, ſecuta tamen percuſſione, nam in c. quaniæ de ſent. excomm. habetur non ſolum eos ſubiici huic excommunicationi, qui percutiunt verum etiam quis conſentiunt. Is autem procul dubio conſentit, qui conſilium, aut mandatum præbet ad percutiendum, modo ſequatur percuſſio, & conſilium, vel mandatum revera influxerit in percuſſionem; aliquando autem poteſt accidere, ut mandens vel conſulens percuſſionem incurrat excommunicationem: eam vero non incurrat Executor, ut quando Executor ignorat invincibiliter illum quem percutit eſſe clericum, aut invincibiliter ignorat latam eſſe excommunicationem. Omiſſio, qua quis non obſtat percuſſioni clerici, non ſubiicitur excommunicationi, dum is, qui non obſtat, ex ſola charitate obſtare tenebatur etiam ſi re ipſa poſſit obſtare, & peccat non obſtando, nam excommunicatio lata eſt ob actionem, non vero omiſſionem. Rattihabitio, qua quis approbat percuſſionem clerici ſuo nomine factam eſt materia iſtius excommunicationis, quia in *c. cum*

quis de ſentent. excommunicat in 6. hoc tempore habetur: aliquæ tamen conditiones requiruntur ad incurrendam excommunicationem propter ratihabitionem. Prima eſt, ut qui ratam habet perſecutionem Clerici, potuerit mandare percuſſionem eo tempore, quo ſecuta eſt percuſſio unde approbans percuſſionem Clerici factam eo tempore, quo ipſe approbator erat amens, vel infans non incurrit excommunicationem quia tunc temporis, quo facta eſt percuſſio, non potuit percuſſionem mandare. Secunda eſt, ut ratam habeat percuſſionem per aliquod ſignum externum, ſcilicet per verba, aut nutus, quia actus mere internus non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, & ideo non poteſt puniri pœna cenſuræ, niſi externo ſigno manifeſtetur. Tertia eſt, ut percuſſio facta ſit nomine ipſius, ſciatque illam ſuo nomine factam eſſe: unde ſi de illa gaudeat, neſciens factam eſſe ſuo nomine non contrahit Excommunicationem.

De ſubiecto iſtius Excommunicationis. *Cap.* 1174.

1 OMnes, & ſinguli, qui Clericum, vel Monachum percutiunt, aut aliam actionem in hoc canone vetitam agunt in cenſuram iſtius canonis incidunt: unde omnes homines baptizati, doli capaces ſubiiciuntur huic cenſuræ. Percutiens Clericum volentem, & conſentientem incurrit Excommunicationem, quoties percuſſio eſt injurioſa, quia excommunicatio incurritur propter percuſſionem Clerici iniurioſam, nec Clericus in hoc caſu non poteſt conſentire: quia privilegium de non percutiendo Clerico ſub pœna excommunicationis conceſſum eſt toti ordini, & ſtatui Clericali, cui perſona privata, qualis eſt unus clericus non poteſt præjudicare, & cedere, nam perſona privata non poteſt cedere privilegio conceſſo cummunitari, aut toti alicui ordini: & licet ſi daremus percutientem clericum conſentientem non facere illi injuriam: tamen facit injuriam ſtatui clericali, & Eccleſiaſtico: excommunicatio autem non ſolum incurritur, quando fit injuria Clerico; ſed etiam quando fit injuria ſtatui Eccleſiaſtico, ut dicitur in *c. contingit*; ipſe vero Clericus conſentiens in ſui percuſſionem non eſt ipſo facto excommunicatus, ſed excommunicandus, ut patet ex *c. contingit*, ubi habetur verbum excommunicatur, quod eſt verbum futuri temporis indicans cenſuram ferendam, non vero ipſo jure latam. Clericus ſe ipſum percutiens maiorem incurrit excommunicationem, quia huiuſmodi percuſſio eſt iniurioſa ſtatui clericali, cui perſona privata non poteſt cedere, & excommunicatio incurritur propter percuſſionem iniurioſam ſtatui clericali, modo tamen clericus percutiat ſe ex ira, & percuſſio attingat gravitatem lethalis culpæ, nam excommunicatio maior ſupponit gravem culpam.

Quænam perſonæ gaudeant privilegio canonis, ita ut qui eas percutit, & vim infert in Excommunicationem hujus canonis incidat. *Cap.* 1175.

1 EX canone ſi quis ſuadente 17. *q.* 4. aperte conſtat perſonas quæ privilegio canonis gaudent, & percuti non poſſunt ſub pœna excommunicationis ipſo facto eſſe Clericos & Monachos; quare nomine Clerici intelligitur initiatus prima tonſura, aut aliquo ordine; etiam ſi coniugatus ſit, modo gerat habitum Clericalem, & tonſuram, & non ſit bigamus, qui privilegio clericali privatur. Clericus verbaliter degradatus gaudet non vero realiter; ſic, gaudet Clericus irregularis, aut excommunicatus toleratus. Nomine Monachi gaudentis privilegio canonis, intelliguntur non ſolum religioſi profeſſi, licet converſi, verum etiam Novitii. Nomine Monachi intelliguntur etiam Moniales profeſſæ, vel converſæ, ac novitiæ modo non vivant domi propriæ more laicorum: hoc privilegio gaudet Religioſus bigamus: nullo enim iure conſtat illum privari privilegio religionis, ſicut privatur Clericus bigamus: eodem privilegio gaudent commendatarii laici, ut ſunt Milites ordinis Chriſti; & S. Joannis, gaudent enim privilegio Canonis, & fori quia ſunt vere religioſi.

Quam-

Quandonam iniiciens manus violentas in Clericum excuſetur ab Excommunicatione.
Cap. 1176.

1 MUlti caſus recenſentur à Doctoribus, in quibus percutiens clericum excuſatur ab excommunicatione incurrenda. Primus caſus eſt. Quando aliquis percutit Clericum incontinenti, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum ſe ipſum, vel rem ſuam, vel proprium honorem: non incurritur excommunicatio ab ea fæmina, quam Clericus non ſolum verbis, ſed facto aggreſſus eſt, ut eam violaret: ipſa autem ſe defendit percutiendo clericum: ille ab excommunicatione excuſatur: qui violenter repellit à domo Clericum, illam iniuſte occupantem, quando repellens, non poteſt aliter illam recuperare, quam violenter clericum repellendo; tunc enim non peccat mortaliter, cum utatur jure ſuo. Secundus caſus eſt quando aliquis percutit Clericum quem ignorantia probabili neſciebat eſſe clericum. Tertius caſus eſt, quando quis percutit Clericum per jocum: ſecus dicendum, quando actio per jocum inchoatur, ſed poſtea mutatur in Sacrilegium mortale per indignationem interveniente advertentia ſufficiente ad mortale peccatum. Quartus eſt, quando quis percutit clericum cauſa correctionis, & diſciplinæ, habens legitimã facultatem, & poteſtatem ad percutiendum modo non excedat modo in percutiendo, & non percutiat ex odio, vel ira. Quintus caſus eſt, quando quis percutit, vel occidit Clericũ inventum in peccato, cum matre, filia, uxore, vel ſorore, modo percutiat in continenti, & non ex intervallo. Sextus caſus eſt quando quis percutit Clericum, qui ab Epiſcopo, vel ejus vicegerente; vel ab alio juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ipſum Clericum habente, ter fuit admonitus in particulari, vel generali ut tonſuram, & habitum clericalem deferat, & ipſe Clericus nihilominus non vult deferre, quia quamdiu hujuſmodi Clericus non geſtat habitum caret privilegio clericali. Septimus caſus recenſeri ſolet, quando percutitur Clericus; qui ſeſe implicat negotiis ſecularibus mercaturæ, vel procurationibus, & adminiſtrationibus perſonarum ſecularium, & ter monitus non vult deſiſtere. Octavus caſus eſt, quando quis percutit Clericũ factum militem, aut ſe immiſcentem enormitatibus, ut graſſando &c. nam per huiuſmodi delicta amittit privilegium canonis. Nonus caſus eſt quando quis percutit Clericum conjugatum; publice per ſe ipſum exercentem officium cauponis, ſeu macellarii & ab illo officio non deſiſtit intra terminum ab Epiſcopo præſcriptum, vel poſt trinam monitionem ſibi nominatim factam. Decimus caſus eſt, quando percutit Clericum qui poſt trinam monitionem non deſiſtit à ferendis armis, vel ab arte mimica publice exercenda. Undecimus caſus eſt quando quis percutit bigamum, bigamus, enim amittit omnia privilegia. Duodecimus quando hoſtiarius, aut alius officialis Principum turbam arcendo, ſimul arcet Clericum: quia hujuſmodi violentia reſpectu Clerici cenſetur caſualis. Decimus tertius caſus eſt quando Sæcularis capit Clericum illumque tradit in Carcerem de mandato ſui Prælati; quia conceſſum eſt Prælatis capere Clericos per laicos.

Quis poſſit abſolvere ab excommunicatione ob clerici percuſſionem contracta.
Cap. 1177.

1 CErtum eſt primo Summum Pontificem poſſe abſolutionem hujus excommunicationis conferre; nam ipſe ſupremam habet in Eccleſia poteſtatem. Secundo Legatum à lateré, quia gaudet Pontificia auctoritate. Tertio Epiſcopum per ſe, vel per alium quando percuſſio eſt levis: ſic etiam Vicarium Generalem Quarto ſupremos monaſteriorum ſuperiores ex privilegio ipſis conceſſo, poſſe ſuos ſubditos abſolvere ob levem percuſſionem. Quinto certum eſt, Prælatos, alioſque Sacerdotes, Epiſcopis inferiores non poſſe ab hac cenſura abſolvere, niſi ſpeciale privilegium obtinuerint à Summo Pontifice.

2 Levis Percuſſio eſt quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel ſuggillationem carnium relinquit, vel quæ fit abſque abſciſſione membri, ſine effractione dentis, ſine evulſione multorum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis ut patet Extravaganti Ioann XXII. dicitur percuſſio levis, non quia ſit peccatum veniale, ſed ita nuncupatur reſpectu mediocris, enormis:

mis: mediocris percuſſio dicitur illa, quæ media eſt inter levem, & enormem, qualis eſt illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia evellitur, aut ſugillatio carnis requiruntur, aut ſanguinis copia effunditur, abſque gravi læſione, vel abſque gravi iniuria. Gravis percuſſio dicitur illa, quæ conjuncta eſt cum gravi læſione, vel gravi injuria, ſcilicet cum membri mutilatione, vel cum magna ſanguinis effuſione, quæ non proveniat e naribus, ſed aliunde, vel cum magno vulnere, aut ictu, quamvis parum ſanguinis exeat: talis etiam eſt illa, quæ fit in ſuum ſuperiorem, vel alium Prælatum in dignitate conſtitutum, vel in Epiſcopum aut Abbatem, aut Priorem, qui eſt caput Monaſterii.

3 Epiſcopus in aliquibus caſibus poteſt etiam abſolvere a percuſſione mediocri. Primus caſus eſt de Clericis collegialiter, ſeu communiter viventibus: qui ſe mediocri non enormi percuſſione affecerunt. Secundus caſus eſt de janitore, aut de officiali Principis qui cauſa ſui officii, vel arcendæ turbæ levi, aut mediocri percuſſione cleri cum percuſſit. Tertius caſus eſt de habente legitimum impedimentum, propter quod excommunicatus non poſſit Summum Pontificem adire ſine gravi periculo, aut damno. Quartus caſus eſt, quando imminet proximum periculum mortis, vel quando Excommunicatus laborat gravi infirmitate: tunc enim poteſt a quolibet Sacerdote abſolvi. Quintus caſus eſt de filiis impuberibus: iſti enim poſſunt abſolvi ab Epiſcopo non ſolum ab excommunicatione ob levem, ſed etiam ob mediocrem, & enormem percuſſionem factam tempore impubertatis, etiam ſi petant abſolutionem poſtquam facti ſunt puberes. Sextus caſus eſt de Mulieribus cujuſcumque ſint ætatis, & conditionis, etiam ſi percuſſio conjuncta fuerit cum homicidio. Septimus caſus eſt de exiſtente in poteſtate alterius, qualis eſt ſervus, & filius familias, modo dominus inde grave damnum patiatur abſque ſua culpa ex ſervi abſentia. Octavus caſus eſt de aliis quibuſcumque impotentibus ad iter conficiendum: quales ſunt non ſolum, qui capitales habent inimicitias: ſed etiam ſenes, vel cæci, vel pauperes, qui non poſſunt Romam adire, niſi ſtipem oſtiatim quærant, quam antea quærere non conſueverant, iſti enim poſſunt ab Epiſcopo abſolvi: qui autem abſoluti ſunt ab Epiſcopo propter impedimentum temporale, tenentur ſublato impedimento præſentare ſe Summo Pontifici: & hac de cauſa quando impenditur abſolutio pænitenti injungendum eſt præceptum cum juramento, ut ceſſante illo impedimento accedat ad Sedem Apoſtolicam; & ille cui injunctum fuit idem præceptum præſentandi ſe ſuperiori, reincideret in excommunicationem, ſi oblata commoditate non ſe præſentaverit.

De Excommunicatione contra offendentes Cardinales, & Epiſcopos.
Cap. 1178.

1 Ure antiquo in *c. felicis de pœnis in 6* lata fuit excommunicatio contra offendentes Cardinales: Materia hujus excommunicationis eſt ſacrilegium contra Cardinales conſiſtens in actionibus expreſſis in *c. dicto*. Prima actio eſt hoſtiliter inſequi Cardinales. Secunda eſt percutere. Tertia capere. Quarta ſociari hæc facientem, aut fieri mandantem. Quinta ratum habere hujuſmodi delictum. Sexta conſulere. Septima favere. Octava receptare. Nona ſcienter defendere. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes delinquentes contra iſtam conſtitutionem, quia Summus Pontifex univerſaliter loquitur.

De Excommunicatione contra ſcientes, non revelantes conſpirationem in perſonam alicujus Cardinalis.
Cap. 1179.

1 DE Conſpirationibus in perſonam Cardinalium ſub graviſſimis pænis prohibitis non ſolum agitur *c. felicis de pænis in 6.* & in Bulla Cænæ, verum etiam in Bulla 93. Pii V. incipit infelicis ſæculi, in qua excommunicationem, & alias pœnas latas contra offendentes Cardinales, & offendentium fautores, conſultores, ratum habentes, & ſcienter defendentes, &c. extendit ad eos, qui quovis pacto hujuſmodi conſpirationem ſciverint, intellexerint, vel conjecerint, niſi revelaverint Romano Pontifici, ſi in Curia extiterint, ſic autem ordinario loci, vel ſi Cardinalis ipſe ordinarius extiterit propinquiori Epiſcopo, & ſi crimen nondum commiſſum fuerit etiam ipſi et Cardinali.

De-

De Excommunicatione contra occupantes bona Cardinalium in conclavi exiſtentium, aut etiam alios ipſorum domum invadentes, & aliquid hoſtiliter diripientes, aut vulnerantes aliquem ibi exiſtentem. Cap. 1180.

1 MAteria iſtius Excommunicationis conſiſtit in actionibus in hac bulla expreſſis. Prima actio eſt armata manu invadere domum alicujus Cardinalis, & aliquid, violenter, & hoſtiliter rapere: unde ad incurrendam excommunicationem de qua loquimur requiritur utrumque ſcilicet armata manu invadere, & rapere. Secunda actio eſt vulnerare aliquem ex iis qui in Domo Cardinalis exiſtunt: ut ſi quis armata manu invadat domum Cardinalis, & aliquem ibi exiſtentem vulneret afficitur excommunicatione etiam ſi nihil inde rapiat. Tertia actio eſt ſocium eſſe, ideſt eſſe participem delicti quod committitur aliqua prædictarum duarum actionum. Quarta eſt mandare. Quinta ratum habere factum ſuo nomine. Sexta conſilium, vel favorem præbere, & defendere. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt, quæ excommunicatio eſt reſervata; & delinquentes præter excommunicationem alias pœnas incurrunt, ſcilicet bannum, infamiam, publicationem bonorum, privationem beneficiorum, & alia quæ in *c. felicis recenſentur*.

De Excommunicatione contra occupantes bona montium Pietatis, Eccleſiæ, Beneficii aut alterius loci. Cap. 1181.

1 OCcupatio, & Invaſio bonorum Eccleſiaſticorum aliorumque locorum pluribus in locis ſub excommunicatione vetita, & interdicta fuit ut oſtendi ſupra in explicatione Bullæ Cænæ: hic ſolum agendum eſſet de excommunicatione lata in *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *c. ultimo* ubi plures actiones prohibentur, verum quia de illa differvi, non eſt opus hic eadem repetere.

De Excommunicatione contra eos, qui ſcripturas Cameræ Apoſtolicæ retinent, aut retinentes non revelant. Cap. 1182.

1 ISta excommunicatio contra retinentes ſcripturas lata fuit à pluribus Pontificibus: præſertim à Pio V. in Bulla 70. quæ incipit cum de litteris, cum hac tamen differentia, quod Eccleſias, Capitula Monaſteria, Conventus, & Collegia Eccleſiaſtica, civitates, item provincias, & loca quæcumque Eccleſiaſtico interdicto ſubiecit; perſonas vero ſingulares, vinculo excommunicationis obſtrinxit, quæ excommunicatio fuit temporalis pro delictis præteritis. Eamdem excommunicationem motu proprio tulit Sixtus V. in Bulla 56. *non ſine maxima*, in qua non ſolum excommunicat detinentes ſcripturas publicas, vel privatas Cameræ Apoſtolicæ niſi reſtituat intra ſpatium ſex dierum, verum etiam eos qui non revelant detentores. Materia iſtius excommunicationis eſt duplex actio. Prima eſt detinere, ſeu non reſtituere præfatas ſcripturas. Secunda actio ſeu potius ommiſſio eſt detentores hujuſmodi ſcripturarum occultare, ſeu non revelare: ſubiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, qui non ligantur non obſervantes hanc bullem ſaltem poſt Sixti V. obitum, quia mandat præfatam reſtitutionem, & revelationem fieri intra terminum ſex dierum proxime futurorum, unde colligitur nolle pro futuris temporibus obligare.

De Excommunicatione contra effringentes, & ſpoliantes Eccleſias. Cap. 1183.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſacrilegium conſiſtens in effractione, & ſpoliatione Eccleſiæ, & utraque pars requiritur ad incurrendam excommunicationem, & propterea, qui effringit Eccleſiam, & non furatur, non ſubiicitur hujus excommunicationi: ſubiectum iſtius excommunicantionis ſunt omnes confringentes, & ſimul ſpoliantes Eccleſias; quæ excommunicatio reſervata eſt Summo Pontifici.

De

Digitized by Google

De Excommunicatione contra auferentes, aut retinentes lapides, vel alia ornamenta Eccleſiarum aut præſtantes conſilium auferenti, vel retinenti, aut non revelantes. Cap. 1184.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones expreſſæ in bulla tertia Sixiti IV. quæ incipit, cum provida. Prima actio eſt auferre ab Eccleſiis porphyreticos, marmores, & alios diverſorum generum, & colorum lapides, ad ipſarum uſum deputatos, aut alia ornamenta. Secunda eſt habere, ſeu retinere hujuſmodi ornamenta, poſtquam habita fuit hujus Bullæ cognitio Tertia eſt auxilium, vel favorem preſtare in hujuſmodi lapidibus, vel ornamentis ſurripiendis, ſervandis, vel retinendis poſt habitam hujus Bullæ notitiam. Quarta eſt non revelare præfato delinquentes. Subiectum iſtius excommunicacionis ſunt omnes, & ſinguli, qui præfatas actiones faciunt, aut delinquentes non revelant: hæc propoſitio conſtat ex ipla bulla.

De Excommunicatione contra extrahentes reliquias ex Cæmeteriis, criptis, vel extra urbem exiſtentibus. Cap. 1185.

1 MAteria iſtius excommunicationis conſiſtit in actionibus proxime ſequentibus. Prima eſt extrahere reliquias ex præfatis locis, etiam in modica quantitate, parvitas enim materiæ in hac re non excuſat. Secunda actio eſt auxilium, vel favorem præbere. Tertia eſt mandare, aut alia tatione cooperari extractioni. Quarta eſt permittere, vel conſentire extractioni; ſi permittens, vel conſentiens curam habeat loci, a quo extrahuntur. Quinta eſt præfatas reliquas recipere, modo recipiens ſciat ilas ex præfatis locis extractas fuiſſe abſque Summi Pontificis facultate Subiectum hujus Cenſuræ funt omnes cujuſcumque conditionis, & ſtatus homines, qui aliquam ex prefactis actionibus fecerint: quæ excommunicatio Summo Pontifici eſt reſervata, & cenſeo hoc edictum perpetuo duraturum, quia edictum eſt per modum legis, & ſtatuti ut patet ex ipſomet edicto.

De Excommunicatione contra imponentes, vel exigentes tributa à Clericis aliſque Eccleſiaſticis. Cap. 1186.

1 ISta excommunicatio pluribus in locis jure antiquo lota fuit preſertim in *c. clerici de Immun. Eccleſiar. in 6.* & in *c. quamquam de cenſibus in 6* verum quia hæc, & alia jura prohibentia tributa, & collectas Eccleſiaſticis imponi ſufficienter explicavi in Bulla cœnæ ideo hic ſolum innuiſſe ſufficiat locum in quo explicata fuerunt.

De excommunicatione contra vexantes eos qui cenſuram in aliquem tulerant. Cap. 1187.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in Concilio Lugdunenſi à Gregorio X. ſub excommunicatione prohibitæ. Prima actio eſt vexare occidendo, capiendo, aut alio modo in perſonis aut bonis ſuis, vel ſuorum eos, qui cenſuram contra alique protulerunt, ſeu quorum occaſione cenſura prolata fuit, aut qui eas cenſuras obſervant, vel cum taliter excommunicatis communicare nolunt: hoc tamen limitatur, etſi re adhuc integra licentiam vexandi revocaverit, aut niſi infra octo dies præſtita ſit ſatisfactio pro captione bonorum, ſic enim expreſſe decernitur in c. Secunda actio eſt temere uti præfata licentia, ideſt exequi licentiam vexando præfatas perſonas in perſonis, vel bonis ſuis, vel ſuorum: textus enim ſic loquitur. Tertia eſt proprio motu, & abſque licentia ab alio accepta temere cgravare in perſona vel bonis ſuis, vel ſuorum aliquem ex enumeratis. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, qui præfatas actiones faciunt, etiam ſi excommunicatio non contra ipſos, ſed contra alios prolata fuiſſet, quia textus generaliter loquitur, ut verba ipſius aperte indicant, quæ etiam Reges explicite complectuntur. Ita excommunicatio reſervatur Summo Pontifici quoties delinquens in excommunicatione duorum menſium ſpatio, perſeverat ſic enim textus loquitur.

De

De Excommunicatione contra violantes immunitatem Eccleſiaſticam locis ſacris conceſſam.

Quid nomine immunitatis intelligatur, & cur Eccleſiaſtica nuncupetur.
Cap. 1188.

1 NOmine immunitatis Eccleſiaſticæ in genere intelligitur privilegium, ſeu exemptio, per quam Eccleſiæ ſubtrahuntur ab oneribus, vel uſibus, vel operibus, ejus ſanctitati, & libertati repugnantibus. Immunitas vero Eccleſiaſtica, quo ad locum de qua hic loquimur eſt exemptio, ſeu privilegium Eccleſiæ conceſſum ut ibi exiſtentes tuti ſint à laica poteſtate: dicitur quoad locum, non quia non pertineat etiam ad perſonas, ſed quia immediate, & primario conceditur loco, ſecundario perſonis in eo loco exiſtentibus: ex hoc colligitur non idem eſſe libertatem Eccleſiaſticam, & immunitatem, nam libertas Eccleſiaſtica eſt exemptio, ſeu privilegium exemptionis conceſſum perſonis Eccleſiaſticis, immunitas vero eſt privilegium Eccleſiarum *extrav.* 1. *de privilegiis*, *verſ. incendiarios*. Præfata immunitas vocatur Eccleſiaſtica quia eſt privilegium locorum ſacrorum præſertim Eccleſiarum.

Quo jure introducta ſit immunitas Eccleſiaſtica.
Cap. 1189.

2 IMmunitas Eccleſiaſtica jure humano conceſſa fuit Eccleſiis Chriſtianorum, aliiſque locis religioſi. Hæc propoſitio patet ex *c. minor. c. definivit & Nullus* 17. *q.* 4. *c. inter alia de immunit Eccleſiar.* ex conſtit. Greg. XIV. quæ incipit cum alias nonnulli. Immunitas Eccleſiaſtica ſtricte loquendo introducta non eſt jure naturali, vel divino: dixi ſtricte loquendo, ut indicarem ſuſtineri poſſe immunitatem eſſe de jure naturali, & divino in genere loquendo; ſicut jejunium in genere eſt de jure divino, in particulari de jure Eccleſiaſtico: ſic immunitas ſacrorum locorum dici poteſt de jure divino naturali: quia tamen jus naturale divinum non eſt contrarium alteri juri, quo delinquens ob commune bonum puniri præcipitur. ideo relicta videtur poteſtas Summo Pontifici declarandi & facultatem concedendi, ut delinquentes aliquibus in caſibus extrahantur, tunc enim jus naturale, & divinum non obligat & Pontifex declarat non obligare.

Quos effectus pariat immunitas Eccleſiaſtica.
Cap. 1190.

1 MUltos effectus parit immunitas, Primus, ut exiſtens in Eccleſia capi nequeat in Eccleſia à laica poteſtate ut clare patet ex ipſa Gregorii Bulla. Secundus effectus ut apponatur impedimentum propter quod exiſtenti in loco ſacro non deferantur alimenta, veſtitus, aut alia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt *l. præſenti c. de iis qui ad Eccleſiam confugiunt*. Tertius effectus, ut exiſtenti in loco nulla vis aut damnum inferatur ex *definivit* 17. *q.* 4. Quartus effectus ut dum Reus in Eccleſia exiſtit damnari nequeat ad mortem, vel ad pænam ſaltem corporalem *c. inter alia de Immunit. Eccleſiar.* Quintus effectus, ut delinquens per vim extractus ab Eccleſia reſtituatur Eccleſiæ. Sextus effectus eſt, ut actus quo delinquens à ſæculare Iudice per vim extrahitur à loco ſacro juridice nullus ſit, nam factus eſt ab eo qui non habet juriſdictionem extrahendi, & delinquenti competit jus, ne à loco ſacro invitus extrahatur.

Quibus locis competat immunitas, ita ut delinquens ab illis extrahi non poſſit.
Cap. 1191.

1 IMmunitas Eccleſiaſtica competit Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi fundatæ, & conſecratæ præſertim ſi in ea divina officia celebrentur: quia hæc proprie dicitur Eccleſia, & eſt locus ſacer Deo perpetuo dicatus, & ſic decernitur in *c. Eccleſiæ de Immunit.* etiam ſi nondum benedicta ſit, aut nondum celebrata fuerint divina officia, aut ibi non adſit Euchariſtiæ Sacramentum: & hoc privilegio gaudet etiam ſi polluta ſit, aut interdicta, aut diruta ſit, modo non ſit diruta auctoritate Epiſcopi ſine ſpe reædificandi, & non ſolum interius Eccleſiæ corpus, verum etiam totam Eccleſiæ fabricam, ut tectum, partes parietum exteriores, campanile, Sacriſtiam Eccleſiæ conjunctam, & ſimilia; idem di-

dicendum de ſcalis Eccleſiæ, clauſtro, & cæmeterio, quia principale trahit acceſſorium, & hoc valet ſive cæmeterium ſit Eccleſiæ conjunctum, ſive ſeparatum, ſive ſit conſecratum, ſive benedictum: ſive etiam ſolum effectum ſacrum ob ſepulturam alicujus Chriſtiani cum divinis officiis; & cum licentia Epiſcopi, & domini. Immunitatis privilegium jure communi extenditur ad confinia Eccleſiæ uſque ad quadraginta paſſus, ſi Eccleſia fuerit maior, ſeu Baſilica: ſi vero fuerit minor producuntur uſque ad triginta paſſus, hinc factum eſſe arbitror, ut Domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Eccleſiaſticorum exiſtentes prope Eccleſias intra præcitata confinia gaudeant Eccleſiaſtica immunitate, quamvis eas inhabitent laici, quia privilegium immunitatis directe conceſſum eſt locis, & non perſonis. Monaſteria, domus religioſorum, tam regularium, quam ſæcularium, aliaque loca ſacra, aut religioſa gaudent privilegio immunitatis ex Bulla Gregor. XIV. & extenditur ad totum Clauſtrum, ſed habitationem religioſorum: etiam ad viridarium, extenditur ad Hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi, quia in iure cenſetur locus ſacer, idem dicendum de Seminario, quia eſt locus pius, & religioſus, idem de Oratoriis diſciplinatorum, ſeu confratrum affixis alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio quia ſunt loca pia, & religioſa. Palatium ſeu Domus Epiſcopi gaudet immunitate Eccleſiaſtica *c. id conſtituimus* 17. *q.* 4. modo conſtructum ſit intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ. Licet probabiliſſima ſit opinio aſſerentium Palatium Epiſcopi privilegio immunitatis gaudere, etiam ſi intra quadraginta paſſus non exiſtat; etiam ſi Epiſcopus duo Palatia habeat, nam in *c. id conſtituimus abſolute loquimur*. Oratorium auctoritate Papæ, vel Epiſcopi conſtructum, & perpetuo dicatum cultui divino gaudet immunitate Eccleſiaſtica: quia cenſetur locus ſacer, & religioſus, nec in uſus pro ſanos transferri poteſt; unde committitur ſacrilegium contra loci ſacri reverentiam & immunitatem, dum à Satellitibus fori ſecularis capitur delinquens, qui fracto carcere recepit ſe juxta Eccleſiam, vel Oratorium, vel Hoſpitale auctoritate Epiſcopi conſtructum, vel in Monaſterium religioſorum, vel Palatium Epiſcopi, vel in domum Parochi, aut Canonicorum, aliorumque Eccleſiaſticorum non diſtantem triginta paſſibus ab Eccleſia, vel qui clauſas Eccleſiæ ianuas, vel ſeram, vel quid ſimile apprehendit, quia exiſtit in loco ſacro, vel ſuper tectum exiſtentem, cum exiſtat in loco immuni.

Quænam perſonæ gaudeant immunitate Eccleſiæ Cap. 1192.

1 OMnes fideles cujuſcumque conditionis, & ordinis exceptis caſibus in jure expreſſis immunitati privilegio gaudent quia iura abſolute, & ſine distinctione loquuntur *c. inter alia extra de immunitat. c. frater c. minor. c. definivit. &c. id conſtituimus* 17. *q.* 4. & noviſſime Bulla XIV. unde delinquens, qui delictum in Bulla Greg. non expreſſum, & exceptum patravit immunitate gaudet, etiam ſi interdicti cenſura obſtrictus ſit, vel excommunicationis, quia immunitas indefinite conceſſa eſt locis ſacris abſque exceptione interdicti, vel excommunicationis. Clerici tamen ab Eccleſiaſtico Prælato extrahi poſſunt ab Eccleſia etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à ſeculari judice: quia immunitas Eccleſiæ non præiudicat poteſtati Eccleſiæ. Gaudent igitur immunitate fures, etiam famoſi: etiam ſi furati ſint in Eccleſia; vel cum re ablata receperit ſe in Eccleſiam. Raptores virginum iure canonico gaudent priuilegio immunitatis, ſic homicida, modo non occiderit proditorie, vel in Eccleſia; ſic deferens arma in Eccleſia contra Principis, vel Epiſcopi edictum, gaudet ſic periurus aut ſacrilegus, & alii omnes, qui in caſibus exceptis in iure expreſſis non deliquerunt, gaudent.

Utrum latrones, graſſatores viarum, & depopulatores agrorum immunitate priventur. Cap. 1193.

1 PUblici latrones non gaudent privilegio immunitatis ex *c. inter alia de immun.* & ex conſtit. Greg. XIV. Publicus autem latro appellatur, qui violenter aggreditur, & depredatur in viis publicis, & ob frequentata latrocinia, pro latrone communiter habetur ſeu qui publice, & palam prædas agit. Graſſatores viarum Ec-

Eccleſiaſtica immunitate privantur, quia ſic habetur expreſſis verbis non ſolum in Bulla Gregorii verum etiam c. inter alia de immun. Graſſator, dicitur qui vias in urbe obſidet, & ſæpius hoc crimen committit, & nomine latronum comprehenditur cum hac differentia: quia latro vias extra urbem obſidet. Graſſator autem in urbe, & graſſator publicus nuncupatur, qui ob frequentata in viis publicis delictorum crimina fama publica talis exiſtimatur. Depopulatores agrorum privilegio Immunitatis non gaudent ex c: inter alia de immun., & ex conſtitutione Gregorii cum hac diſtinctione; nam in c. inter alia mentio ſolum fiebat depopulatoris nocturni: in conſtitutione vero Gregorii ſermo eſt de quolibet agrorum depopulatore, non facta reſtrictione ad nocturnum: nomine depopulatoris agrorum intelligitur ille, qui diripit alienos agros; ideſt qui ſegetes, ſeu fructus ſurripit, & agros, ſeu vineas vaſtat. l. 1. c quando liceat unicuique ſine iud. ſibi jus dicere.

Utrum occidentes, vel mutilantes in Eccleſia immunitate gaudeant. Cap. 1194.

1 Committentes homicidia vel mutilationes in Eccleſiis, aut earum cæmeteriis, carent immunitate c. finali de immun. Eccleſ ſicut autem committentes homicidia, vel mutilationes in Eccleſiis dicuntur delinquere in Eccleſiis ſic puniri debent in Eccl. ſia pœna privationis immunitatis, nec eſt tutus ſi in una Eccleſia delictum commiſit: & ad ſui ſecuritatem ad aliam confugit, privatur immunitate ſive homicidia, ſeu mutilationes commiſſæ ſint ex propoſito: ſive ex rixa textu enim generaliter loquitur: & ideo privatur qui exiſtens extra Eccleſiam aliquo inſtrumento mutilat, vel occidit exiſtentem in Eccleſia, idem dic ſi exiſtens in Eccleſia aliquem extra Eccleſiam exiſtentem mutilat, vel occidit, vel quando exiſtens in Eccleſia lethaliter vulneravit in Eccleſia, ſed vulneratus extra Eccleſiam mortuus eſt.

Utrum proditorie aliquem occidens Eccleſiaſtica immunitate careat. Cap. 1165.

1 Proditorie occidentes proximum ſuum privilegio immunitatis, rent ſive occiderint fuſtibus, ſive ferro, ſive veneno, ſive alia ratione, quia hujuſmodi homicidæ in præfata Gregor. conſtitutione excipiuntur ibi aut qui proditorie proximum ſuum occiderint hoc tamen intelligendum videtur de illis, qui per ſe ipſos homicidium proditorie committunt; unde qui aliquem per inſidias ſeducit ut ab alio occidatur, non videtur ammittere privilegium immunitatis: ille autem dicitur proditor, ſeu proditorie occidere, qui aliquem occidit id non prævidentem ſeu qui aliquem occidit cum quo amicitiam ſimulabat, ſeu qui aliquem doloſe ſeducit ut occidat, unde privilegio immunitatis privatur, qui alterum, cui ſe tanquam ſocium, & amicum in via adiunxerat nulla rixa cauſa interveniente occidit: hic enim eſt proditor.

Utrum aſſaſſini Eccleſiaſtica immunitate priventur. Cap. 1196.

1 Rei aſſaſſinii Eccleſiaſtica immunitate privantur quia in conſtitutione Gregorii XIV. excipiuntur: & nomen aſſaſſinii accipitur pro illis qui homines in viis publicis obſident, & deprædantur, vel pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti, prævio mandato, occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes, unde non dicitur aſſaſſinus, qui ſine pretio, ſive prævia pretii promiſſione aliquem interficit, ut alteri rem gratam faciat, ut autem aſſaſſinus immunitate privetur, debet conſtare plene, aut per teſtes, aut per confeſſionem partis, pecuniam hac de cauſa datam fuiſſe, nam aliis de cauſis pecunia dari potuit. Cooperatores etiam aſſaſſinii immunitate privantur, quia Gregorius XIV. in ſua conſtitutione generaliter loquitur de reis aſſaſſinii, & hoc valeat, etiam ſi effectus non ſit ſecutus, ſed ſolum actus effectui proximus, ut inſultus aut vulneratio: adhuc enim reus dicitur aſſaſſinii ut aperte conſtat ex *c. pro humani de homicid. in 6.* proprie autem aſſaſſinium committitur ſolum dum mandatum datur ad occidendum *c. pro humani de homicid. in 6.* unde privari immunitatis non incurritur ob mandatum ad vulnerandum, ſicut incurritur ex mandato ad occidendum: etiam ſi homicidium re ipſa ſecutum non fuerat, ſed ſola vulneratio, fautores, auxiliatores, & receptore aſſaſ-

aſſaſſinorum immunitatis privilegio non gaudent.

Utrum reus hæreſis Eccleſiaſtica immunitate careat. Cap. 1197.

1 REi criminis hæreſis privantur Eccleſiaſtica immunitate: cenſeo autem reos hęreſis non ſolum eos, qui cum pertinacia ſentiunt contra fidem: verum etiam eos, qui auxilium, aut favorem hæreticis præbent, quia ob criminis attrocitatem indigni ſunt immunitate, & crimen hæreſis expreſſe excipitur in conſtitutione Gregorio. XIV., & hoc idem valet, etiam ſi nondum ſufficienter declarati ſint hæretici, ſed tales ſufficienter præſumantur, verum hæreticus ob alia delicta diſtincta ab hæreſi privilegio immunitatis non caret, quia in bula excipitur Crimen hæreſis) , conſequenter excipitur hæreticus tantum ratione hæreſi, & propterea qui ab hæreſi receſſerunt gaudent immunitate: quia non ſunt amplius rei hæreſis, ſed per pęnitentiam reconciliati ſunt Eccleſiæ unde digni ſunt, qui ab Eccleſia per immunitatem protegantur Schiſmatici autem, & Apoſtatæ privantur privilegio immunitatis, quoties ipſorum crimen cum hæreſi conjunctum eſt, & non dum reſipuerint, Secus ſi ipſorum crimen à ſi hæreſi, aut furore hæreſis conjunctum non ſit: nam hujuſmodi crimen in Bulla Gregor. non excipitur. Infideles non dum baptizati, privilegio immunitatis gaudent, quia jura indiſtincte, & indeſin te loquuntur, & immunitas dicta conceſſa fuit loco, & perſonis ſolum indirecte, ergo locus ſua immunitate gaudet, quamvis infidelis exiſtat.

Utrum reus criminis læſæ majeſtatis immunitate gaudeat Eccleſiaſtica. Cap. 1198.

1 REi criminis læſæ majeſtatis in perſonam Principis privilegio immunitatis non gaudent, hæc propoſitio patet ex verbis conſtitutionis Gregorii XIV. Nomine Principis intelligitur ille, qui ſuperiorem in ſua juriſdictione non agnoſcit, unde offendens perſonam Summi Pontificis privatur immunitate: quia Summus Pontifex omnes alios Principes majeſtate ſuperat, nullumque in temporalibus, vel ſpiritualibus ſuperiorem agnoſcit. Et tunc committitur crimen læſæ majeſtatis in perſonam principi quando exercetur actio in damnum, & offenſam perſonæ Principis, ut occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, machinando, hoſtiliter inſequendo perſonam Principis, revelando hoſtibus ſecretum Principis, ut ab ipſis capiatur, idem dic de conſulentibus, auxiliantibus, favorem præſtantibus; iſti enim omnes criminis læſæ majeſtatis in perſonam Principis rei ſunt, ſecus dic ratum habentibus, aut defendentibus delinquentes poſt factum: aut de ſcribentibus delictum patrandum ſed non revelantibus: quia licet iſti, ut plurimum, cenſeantur rei criminis læſæ majeſtatis in perſonam Principis, non tamen dicuntur, nam notanda eſt illa particula in perſonam, quæ indicat actionem poſitivam: ratihabitio, & omiſſio revelandi non important hujuſmodi actionem, & influxum poſitivum Privilegium immunitatis ammittitur etiam effectu non ſequuto, ut ſi quis concilium, aut mandatum percutiendi, vel occidendi Principem dedit, ſed percuſſio, vel occiſio ſecuta non fuit: quia adhuc verum eſt dicere, hunc eſſe reum criminis læſæ majeſtatis in perſonam Principis, ut dicitur in conſtitutione Gregorii. Ut autem crimen læſæ majeſtatis committi cenſeatur, actio præſtanda eſt à ſubdicto illus Principis, contra quem committit dicitur crimen læſæ majeſtatis; nomine autem ſubditi intelligitur is, qui Principi ſubiicitur ratione Domicilii, vel originis, ita expreſſe colligitur ex Clement. Paſtoralis. de appellation.

Utrum confugiens ad Eccleſiam tradendus ſit Curiæ ſæculari in caſibus Bullæ. Cap. 1199.

1 PRælati locorum gaudenti, & immunitate tenentur delinquentes ad locum immunem confugientes conſignare curiæ Sæculari eos requirenti, ſi cognoverint aliquod delictum ab eis commiſſum fuiſſe, propter quod immunitatis privilegio gaudere non debeant; hæc propoſitio evidenter conſtat ex conſtitutione Gregor. XIV. & ubi habemus Pontificiam conſtitutionem, non eſt cur, vulneris inveſtigamur rationem. Epiſcopus vero, vel ejus Vicarius non poteſt judici laico dare facultatem extrahendi aliquem ad Eccleſia in caſibus

ſibus in jure non exceptis, cenſeo poſt conſtitutionem Gregorii, quia Gregorius XIV. facultatem extrahendi concedi manda ſolum in caſibus in jure expreſſis: aliaſque omnes facultates abrogat, & ad unam tantum formam reducit, & moderatur, ut inquit idem Pontifex: ergo Reus ad Eccleſiam confugiens gaudere debet immunitate: nec Epiſcopus illius extrahendi facultatem dare poteſt: immo ſunt qui putant, Epiſcopum in tali eventu incurrere excommunicationem, quia violat immunitatem in Bulla præſcriptam. Sed oppoſitum non videtur carere probabilitate: quia excommunicatio videtur impoſita contra violantes immunitatem per extractionem, non vero contra Epiſcopum dantem facultatem extrahendi. Addo mihi valde probabile videri, Epiſcopum non incurrere excommunicationem dando facultatem ſecularibus miniſtris extrahendi aliquem ſuo nomine pro delictis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus: immunitas enim Eccleſiaſtica non eſt inducta in præjudicium Poteſtatis Eccleſiaſticæ.

2 Antequam delinqnens, qui ad locum ſacrum confugerat, curiæ ſæculari tradatur iſtæ circumſtantiæ ſervandæ ſunt. Prima eſt ut obtineatur ab Epiſcopo, vel ab eius officiali facultas expreſſa capiendi, & extrahendi delinquentem. Secunda, ut inter ſit perſona Eccleſiaſtica facultatem habens ab Epiſcopo, vel ab ipſius Vicario dum aliquis, e loco ſacro extrahitur. Tertia ut delinquens non ſtatim ac captus eſt tradatur laicæ poteſtati; ſed in carcerem nomine Epiſcopi conjiciatur, & detineatur, donec ab Epiſcopo vel ab eius deputato cognitum fuerint an reus ſit delicti, cui privatio immunitatis impoſita eſt.

Quam culpam & pænam incurant violantes immunitatem. Cap. 1200.

1 Violator immunitatis Eccleſiaſticæ per extractionem delinquentis à loco ſacro multa gravia peccata committit. Primo peccat peccato Sacrilegii, quia gravem injuriam facit loco ſacro, in cujus reverentiam conceſſum eſt immunitatis privilegium. Secundo peccat peccato iniuſtitiæ, quia laicus iudex non ſolum peccat peccato ſacrilegii, verum etiam peccato iniuſtitiç, capiendo Clericum, cum in ipſum juriſdictionem non habeat ratione privilegii, quo Eccleſiaſtici à laica poteſtate exempti ſunt: ſic etiam peccat peccato non ſolum ſacrilegii; verum etiam iniuſtitiæ, capiendo laicum in loco exempto cum in ipſum juriſdictionem non habeat ob privilegium immunitatis, & propterea qui per vim extraxit delinquentem a loco ſacro tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde paſſus eſt delinquens; quia ex peccato contra jus alterius conſurgit obligatio reſtituendi. Violator immunitatis Eccleſiaſticæ varias pænas incurrit; nam de jure civili incidit in crimen læſæ maieſtatis *l. 2. c. de his*, qui ad Eccleſiam confugiunt, de ju re Canonico. *c. quiſquis* 17. *q.* 4. contra violantem immunitatem Eccleſiaſticam iniungitur pœna nonaginta ſolidorum, præter pœnitentiam publicam judicio Epiſcopi iniungenda: impoſita eſt etiam pœna Excommunicationis *c. frater*, *c. miner*, *c. ſi quis contumax* 17 *q.* 4. in quibus teſtibus non videtur impoſita excommunicatio ipſo facto, ſed comminatorie, & ſub conditione: ſi violator immunitatis Eccleſiaſticæ non ſatisfaciat, & reum non reſtituat; verum in conſtitutione Gregorii extat Excommunicatio ipſo facto, & ipſius abſolutio reſervatur Papæ.

Quænam ſit materia, & ſubiectum iſtius culpæ, & pænæ impoſitæ contra violantes immunitatem.
Cap. 1201.

1 Materia iſtius Excommunicationis, & pœnarum contra violatores immunitatis Eccleſiaſticæ editarum ſunt actiones in Bulla Gregorii expreſſæ. Prima actio eſt capere exiſtentem in Eccleſia in caſibus non exceptis, vel non ſervata forma in hac Bulla præſcripta. Secunda actio eſt extrahere; is autem dicitur extrahere, qui per vim trahit aliquem. Tertia actio eſt incarcerare, ideſt in cuſtodia publica detinere. Quarta actio eſt extrahere cum magno ſcandalo, dum ſine ſcandalo extrahi poteſt confugiens ad Eccleſiam, quem conſtat patraſſe delictum, immun. privationem inducens, & Epiſcopus facultatem illius capiendi renuit concedere, tunc enim capere licet cum minori, quo fieri poteſt ſcandalo; ex quo probabiliter inferri poteſt excommunicationem tunc tem-

 poris

poris incurri a miniſtris curiæ ſæcularis, capiendo magno cum ſcandalo exiſtentem in Eccleſia, quem alioquin ſine gravi ſcandalo capere potuiſſent. Quinta eſt captum, & extractum de licentia Epiſcopi, vel etiam ſine ipſius licentia, dum eam renuit concedere in caſibus in Bulla Gregorii expreſſis, reponere in carceribus curiæ ſecularis: nam in Bulla præſcribitur reponi in carceribus curiæ Eccleſiaſticæ, quamobrem ſi miniſtri curiæ ſæcularis reponant in propriis in Excommunicationem incidunt: quia attentant aliquid contra formam in hac Bulla præſcriptam. Sexta actio eſt præfatas actiones capiendi, extrahendi &c. facere contra perſonas Eccleſiaſticas, etiam ſi reæ ſint criminum expreſſorum in conſtitutione Gregorii: nam hujuſmodi perſonæ gaudent privilegio libertatis Eccleſiaſticæ, quod eſt perſonale: & competit perſonis ratione ſtatus Eccleſiaſtici. Septima actio eſt attentare aliquid contra, vel præter formam in Bulla præſcriptam Subiectum iſtius Excommunicationis, ſunt omnes, & ſinguli; qui præfatas actiones faciunt cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant: etiam ſi hoc faciant prætextu privilegii: quia Summus Pontifex revocat privilegia, & formam in hac Bulla præſcriptam ſervari intendit ab omnibus cujuſcumque ſtatus. & conditionis.

De Cauſis excuſantibus ab hac excommunicatione contra violatores immunitatis impoſita. Cap. 1202.

1 IGnorantia Primo excuſat ab Excommunicatione in foro conſcientiæ: quia Gregorius utitur verbo præſumpſerint; præſumptio autem ſupponit dolum, & ſcientiam, & ideo excludit ignorantiam: in foro autem externo non ſine difficultate illa excuſatio admittitur. Secundo per conſuetudinem non poteſt tolli privilegium immunitatis, nam laici judices non poſſunt per conſuetudinem acquire facultatem extrahendi delinquentes a locis ſacris, ut dictum eſt in expoſitione Bullæ Cœnæ. Tertio iſta conſtitutio obligat ubi non eſt uſu recepta: quia Pontifex independenter ab acceptatione obligare intendit, & irritum reddit quidquid ſecus factum fuerit: contra conſtitutionem autem, in qua ponitur clauſula irritans, allegari non poteſt non uſus. Quarto Miniſtri fori ſæcularis non excuſantur non ſervando Gregorii conſtitutionem: nam in aliquibus locis extabat conſuetudo extrahendi laicos à loco ſacro non ſervata debita forma is conſtitutione Gregorii XIV. & arbitrantur etiam nunc ex trahere poſſe; quia præfata conſtitutio non eſt uſu recepta, inquiunt ipſi, & in hac conſtitutione nulla fit mentio conſuetudinis, nec revocatur conſuetudo contraria, ſed ſolum privilegia: conſuetudo autem particularis revocata non cenſetur in lege univerſali, niſi ejus mentio fiat in lege conſuetudini contraria: quibus reſpondetur, quod opus non fuit revocare id, quod introduci non poteſt: conſuetudo autem contra immunitatem introduci non poteſt, cum immunitas ſaltem in genere eſt de jure naturali, & divino, vel ſaltem ei conformis, nulla autem conſuetudo juri naturali, vel divino contraria introduci poteſt.

Quis poſſit ab hac Excommunicatione abſolvere. Cap. 1203.

1 NUllus confeſſarius poteſt abſolutionem virtute alicujus privilegii conferre, niſi facultatem ad hunc effectum obtinuerit poſt decretum Clementis VIII. quia in decreto, quod incipit Sacra Congregatio edito ſub Clemente VIII. anno 1601. & 1602. cautum eſt ne ullus virtute privilegiorum poſſit abſolvere ab excommunicatione contracta ob violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis Gregorii XIV quæ incipit cum alias nonnullis; probabile tamen videtur Epiſcopum poſſe ab hac cenſura abſolutionem conferre facta reſtitutione, & ſatisfactione ab eo, qui in Excommunicationem inciderit, modo eam exhibere poſſit: quia nullibi reperitur hic caſus Summo Pontifici reſervatus, & in decreto Clementis VIII non eſt imminuta poteſtas Epiſcoporum: ergo Epiſcopus, vel alius Confeſſarius ad hoc ab Epiſcopo deputatus poteſt abſolvere juxta c. nuper de ſenten. Excommunicationis.

De Excommunicatione contra exigentes juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel contraria libertati Eccleſiaſticæ, ac decretis Concilii Tridentini. C. 1204.

1 MAteria iſtius cenſuræ eſt exigere juramenta illicita, impoſſibilia, damno-

damnoſa, vel Eccleſiaſticæ libertati, aut decretis Concilii Tridentini obſtantia, ſic enim expreſſe habetur in Bulla Gregorii XIII. *q.* 3. edita anno 1584 quæ incipit *inter Apoſtolicas* ſive juramentum exigatur antequam quis admittatur ad beneficia, vel officia, ſive poſt. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, qui præfata juramenta exigere contendunt; cum hac tamen differentia, quod Epiſcopi, aliique antiſtites ſuſpenduntur a divinis, Capitula, & Conventus, eorumque Eccleſiæ, & loca omnia Eccleſiaſtico interdicto ſubiiciuntur: regulares vero perſonæ excommunicantur adjuncta etiam inhabilitate ad officia, vel beneficia obtenta, & obtinenda, ut clare conſtat ex verbis Bullæ.

De Excommunicatione contra præſumentes turbare, vel impedire ea, quæ ſtatuta ſunt pro Eccleſia Toloſana. Cap. 1205.

1 IN Extravaganti Salvator de præbend. & dignitat. Eccleſia Toloſana erigitur in Archiepiſcopatum, & de novo eriguntur quatuor Cathedrales, quibus aſſignantur aliqui fructus Eccleſiæ Toloſanæ; adiiciuntur etiam nonnulla ſervanda, do nec fieret diſtinctio diœceſum: quæ ne impedirentur, vel turbarentur ab aliquo lata eſt lex per petuo valitura, ut ſtatuta ſalubriter & utiliter ordinata, perpetuis ſint valitura temp oibus, & robur incommutabilis firmitatis obtineant, & propterea omnes, & ſinguli, qui hujuſmodi ordinationem Apoſtolicam, reſervationem, & alia ſupradicta quovis modo turbare, ſeu quomodolibet impedire præſumunt, aſſiciantur excommunicatione ſi fuerint, perſonæ ſingulares, interdicto ſi fuerit univerſitas: & ſuſpenſione ſi fuerit Capitulum, conventus, ſive collegium; à quibus non niſi per Romanum Pontificem abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo valeant obtinere.

De Excommunicatione contra impedientes executionem litterarum ſacræ Pænitentiariæ. Cap. 1206.

1 MAteria iſtius Excommunicationis conſiſtit in actionibus in Bulla prima in ordine Julii III. quæ incipit rationi congruit, expreſſis: quarum Prima eſt, quomodolibet impedire, ne litteræ majoris Pænitentiarii executioni demandentur: unde afficitur excommunicatione, qui per ſe, vel per alium injuſte impedit, ne præfatæ litteræ executionem ſortiantur Secunda actio eſt præbere conſilium, auxilium, favorem ad impediendam executionem litterarum majoris Pænitentiarii: ut patet ex verbis Bullæ. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt illi omnes, qui aliquam ex præfatis actionibus præſtant: Iſta excommunicatio reſervata eſt ſummo Pontifici, licet Julius III. expreſſe non meminerit reſervationis.

De Excommunicatione contra violantes interdictum in certis caſibus. Cap. 1207.

1 MAteria iſtius Excommunicationis in quadruplici conſiſtit actione, per quam obligatio circa interdictum violatur Prima actio eſt cogere quomodolibet aliquem ad celebranda divina in locis interdictis: ſive interdictæ ſint à jure, ſive ab homine, ut patet ex verbis textus, ex quibus verbis quatuor conditiones eliciuntur neceſſariæ ad incurrendam excommunicationem ob iſtam actionem. Prima eſt ut adſit coactio. Secunda ut adſit præſumptio Tertia ut quis coaction inducatur ad celebranda divina officia. Quarta ut officia celebrentur in locis interdictis. Secunda actio eſt revocare aliquos præſertim ex communicatos, vel interdictos ad audienda divina officia in locis interdictis, ut patet ex verbis textus, ſed ad incurrendam excommunicationem ob iſtam ſecundam actionem quatuor etiam conditiones requiruntur. Prima ut adſit evocatio ſive fiat per ſe, ſive per alium Secunda ut adſit præſumptio. Tertia ut evocatio fiat ad audienda divina officia. Quarta ut divina officia audiantur in loco interdicto. Tertia actio eſt prohibere ne excommunicati, publice, vel interdicti exeant de Eccleſiis tempore miſſæ, dum a celebrante moniti ſunt ut exeant, quod etiam conſtat ex verbis textus, & ſimiliter quatuor conditiones requiruntur ad incurrendam excommunicationem ob iſtam teriam actionem. Prima eſt ut adſit prohibitio ſive particulares, ſive generalis, ſive per coa-

ctionem, ſive per promiſſionem, vel forte etiam per preces ſaltem importunas. Secunda eſt ut prohibitio conjuncta ſit cum præſumptione: Tertia eſt ut qui prohibentur exire, ſint publice excommunicati, vel interdicti: & propterea moniti ſint à celebrante, ut exeant, ſive monitio ſit generalis ſive particularis, & nominatim. Quarta conditio eſt ut prohibeantur exire ab Eccleſiis tempore miſsæ. Quarta actio eſt nolle ab Eccleſia exire, dum publice excommunicatus vel interdictus nominatim monitus eſt à celebrante, ut exeat, & ipſe removere præſumit: & ſicut patet ex verbis textus, ſic ex iiſdem verbis quatuor conditiones deſumuntur neceſsariæ ad incurrendam excommunicationem ob iſtam quartam actionem. Prima eſt nolle exire ab Eccleſiis. Secunda ut adſit præſumptio. Tertia ut nolens exire ſit nominatim monitus à celebrante, ut exeat tempore Miſsæ. Quarta ut nolens exire ſit publice excommunicatus, vel interdictus. Subiectum iſtius Excommunicationis impoſitæ ob quartam actionem ſunt omnes excommunicati, vel interdicti, qui à celebrantibus nominatim moniti ut ab Eccleſiis tempore miſsæ exeant, remanere præſumunt. Subiectum excommunicationis contentæ in primis tribus actionibus ſunt Domini temporales, qui in terris ſuis Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto cogunt aliquem ad divina officia celebranda, vel aliquem vocant ad divina audienda, vel prohibent ne excommunicati, vel interdicti ab Eccleſia exeant, dum Miſsæ ſacrum celebratur.

De Excommunicatione contra participantes in crimine crimino ſo. Cap 1208.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſcienter participare in crimine crimino ſo cum nominatim excommunicato hæc propoſitio aperte habetur in c. nuper de Sentent. excomm & ad iſtam excommunicationem incurrendam aliquæ conditiones requiruntur. Prima eſt ut participatio ſit mortale peccatum, alias non incurritur Seſunda eſt, ut participatio fiat cum excommunicato: quia in textu ſermo eſt de participantibus cum excommunicatis. Tertia eſt participatio contingat, in eodem crimine, ob quod alter excommunicatus fuit. Quarta conditio eſt ut is cum quo participat ſit excommunicatus vitandus: quia non tenemur quemquam evitare, niſi ſit vitandus. Quinta conditio eſt ut quis participet cum excommunicato, quem novit ob tale crimen vinculo excommunicationis obſtrictum fuiſse; hæc conditio colligitur ex illis verbis *ſcienter communicant*; ex quo ſequitur quamlibet ignorantiam etiam affectatam excuſare ab hac cenſura: quia ignorantia quælibet excludit ſcientiam: ſubiectum iſtius excommunicationis, ſunt omnes, & ſinguli ſcienter participantes in crimine crimino ſo cum excommunicato nominatim & vitando. Abſolutio iſtius excommunicationis contractæ ob participationem in crimine crimino ſo, ab eo impedienda eſt, à quo abſolvi poteſt principalis excommunicatus, cum quo is participat: ſic enim expreſse deciditur in c. ſic concubinæ, & c. nuper de ſentent. excomm.

De Reſervatione contra excommunicatos à delegato perſeverantes in excommunicatione per annum. Cap. 1209.

1 MAteria iſtius reſervationis eſt perſeverantia per annum in excommunic. lata à delegato Papæ: nam delegatus Papæ non poteſt elapſo anno juriſdictionem ad exequendam ſententia exercere: quia in c. querenti de offic. & poteſt. jud. delegat ipſius facultas uſque ad annum ſolum prorogatur, & propterea elapſo anno Excommunicatio auferri debet à Summo Ponifice. Subiectum iſtius reſervationis ſunt omnes excommunicati à delegato Papæ perſiſtentes in excommunicatione per annum; Summus enim Pontifex abſolute, & indiſtincte loquitur de Excommunicatis à delegato Papæ perſiſtentibus per annum in excommunicatione.

De Excommunicatione contra abſolutos in articulo mortis, aut tempore impedimenti, non præſentantes ſe legitimo ſuperiori, à quo alias abſolvendi erant, & contra abſolutos à Papa, vel legato ſub conditione, & onere, ſed poſtea conditionem, & onus non adimplent. Cap. 1210.

1 MAteria primæ Excommunicationis conſiſtit in omiſſione, quam abſolutus ob articulum mortis, aut ob legitimum impedimentum committit ſublata mor-

mortis periculo, vel impedimento, omittendo præſentare ſe illi, à quo præciſo mortis articulo, & legitimo impedimento abſolvi debeat: ſic enim expreſſe habetur in textu *c. eos qui de ſent. Excomm.* Materia ſecundæ excommunicationis eſt omiſſio, quã committit abſolutus à Sede Apoſtolica, vel ab ipſius legato cum onere præſentandi ſe Epiſcopo, vel alteri, & debitam præſtandi ſatisfactionem parti læſæ, hic enim ſubiicitur eidem cenſuræ eodem pacto reſervatæ, ſicut prior, ſi hæc non curaverit adimplere, cum primum commode poterit, ſic enim decernitur in ſecunda præcitati capitis parte. Abſolutus autem cum onere ſe præſentandi ſatisfacit præſentando ſe per procuratorem: reincidit autem in cenſuram qui obtenta abſolutione ſatisfacit parti læſæ, ſed non vult præſentare ſe ſuperiori, cui ſe præſentare tenetur ex onere injuncto, ſibi à Papa, vel ipſius legato; quia utrumque onus per particulam conjunctivam, & iniungitur, ut patet ex verbis textus.

De excommunicatione contra Simoniacos in ordine, & beneficio. Cap. 1211.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſacrilegium in ordine, vel beneficio: quod in tribus, vel quatuor actionibus conſiſtit. Prima actio eſt dare temporale pro ſpirituali, vel e contra in beneficio, aut etiam in ordine. Secunda actio eſt accipere temporale pro ſpirituali, vel e contra pro beneficio, aut etiam pro ordine: ſicut enim ſimoniacum eſt dare ita, & accipere. Tertia eſt mediatorem eſſe, ſeu procurare, ut temporale tradatur pro ſpirituali vel è contra: iſtæ tres actiones aperte habentur in verbis textus: exiſtimo tamen mediatorem, & procuratorem non ligari vinculo iſtius cenſuræ, donec effectus ſequatur: quia iſta actio videtur acceſſorie prohibita. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes & ſinguli, qui Simoniæ crimen in ordine, vel beneficio committunt, dando, accipiendo, vel procurando: textus enim generaliter loquitur.

De Excommunicatione contra committentes ſimoniam confidentialem in beneficiis. Cap. 1212.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt receptio beneficii in confidentiam, quæ quatuor modis contingit; primus eſt dum recipitur beneficium ab altero, qui hoc ipſi reſignat cum ſpe, & confidentia, quod recipiens beneficium illud poſtea dimittet vel ſolvet fructus in favorem reſignantis, vel amici, vel alterius quem reſignans nominaverit, ut conſtat ex conſtitutionibus Pij V. Secundus contingit dum quis confert alteri beneficium, confidens, quod beneficiarius reſignabit beneficium iuxta voluntatem conferentis, aut fructus, vel eorum partem, vel penſionem tradet ſibi, vel alteri, ut patet ex verbis textus. Tertius eſt dum quis eligit aliquem ad beneficium cum ſpe, & fiducia jam explicata in ſecundo modo. Quartus eſt dum patronus licet laicus aliquem præſentat cum præfata confidentia. Iſti tres ultimi modi continentur etiam in verbis Bullæ Pii V. Subiectum excommunicationis latæ ob Simoniam confidentialem, ſunt omnes recipientes, vel retinentes beneficia, vel penſiones cum ſimonia confidentiali; nam Bulla Pii V. univerſaliter loquitur de recipientibus.

De excommunicatione contra petentes, vel exigentes aliquid in collatione: aliave proviſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel admiſſione ad illorum poſſeſſionem. Cap. 1213.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones prohibitæ ſub cenſuris. Prima eſt retinere fructus, vel diſtributiones, vel eorum partem proventuram ex beneficio primo anno à vocatione, aut longiore, vel etiam breviore tempore. Secunda eſt quomodocunque petere, vel exigere renunciationem hujuſmodi fructuum, aut diſtributionum. Tertia petere, vel exigere quomodocumque dulciaria, vel quid; aliud ſufficit tamen primo ſive exigatur per ſe, ſive per alium, ſive directe, ſive indirecte: ſecundo ad incurrendam iſtam excommunicationem ſufficit altera iſtarum actionum. Quarta eſt in-

ducere aliquem ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate proviſum ad præſtandum juramentum de obſervandis hujuſmodi privilegiis, conſuetudinibus, ſtatutis. Quinta eſt præſtare juramentum de prædictis obſervandis licet hujuſmodi juramentum, & alia huiuſmodi irritentur in hac Bulla. Sexta eſt impedire, vel remorari poſſeſſionem illi, qui prædicta non facit, iſtæ omnes actiones exprimuntur in Bulla. Subiectum cenſurarum huius bullæ ſunt perſonæ in hac Bulla expreſſæ diverſa tamen ratione; nam Epiſcopi aliique Antiſtites ſuſpenduntur à Pontificalibus, donec preſtita ſatisfactione à Summo Pontifice abſolvantur. Capitula vero, & collegia ſubiiciuntur interdicto, aliæ vero perſonæ ſingulares vinculo excommunicationis obſtringuntur; hæc propoſitio patet ex verbis Bullæ: & abſolutionis beneficium niſi in mortis articulo ab alio, quam à Summo Pontifice nequeunt obtinere.

De excommunicatione contra dantes, vel promittentes aliquid nunciantibus proviſiones à Sede Apoſtolica factas. &c. Cap. 1214.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt tres actiones. Prima eſt dare per ſe vel per alium aliquid renunciantibus proviſionem aliquam à Sede Apoſtolica factam de Eccleſia, vel Monaſterio. Secunda eſt promittere. Tertia eſt promiſſum ſolvere per ſe, vel per alium. Subiectum illius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui præfatas actiones faciunt.

De Excommunicatione contra eos, qui pro beneficiis obtinendis ſe ipſos pro aliis in examine ſupponunt, aut beneficium impetrant pro aliis cum oblatione penſionis, aut cum ſpe annuæ penſionis aut alicujus commodi temporalis, aut beneficia impetrant pro ſe ipſis cum animo illa reſignandi in favorem aliorum. Cap. 1215.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla expreſſæ. Prima eſt ſimulare perſonam, ſeque pro alio examini ſubiicere cauſa Beneficii conſequendi. Secunda eſt impetrare beneficium pro aliquo ignorante. Tertia actio eſt procurare pro ſe, vel pro aliis beneficium cum oblatione alicujus penſionis annuæ. Quarta actio eſt obtinere beneficium pro aliis cum ſpe conſequendi ab eis annuam penſionem, vel aliud commodum temporale etiam modicum etiam ſi hujuſmodi ſpem aliis non aperiat, nam quamvis ſpes ſit actus internus nihilominus afficit actum externum: qui excommunicationi ſubiicitur. Quinta eſt procurare Beneficium pro ſe ipſo, cum intentione poſtea reſignandi in favorem alterius cum anna penſione, & commodo, aut etiam ſine eo. Huic cenſuræ ſubiiciuntur omnes, & ſinguli, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt: ea autem afficitur ſolum iiqui beneficia in curia obtinent apud Datarium Papæ, quia Summus Pontifex intendit occurrere incommodis, quæ ſibi à Datario, & nonnullis Cardinalibus ſignificata fuerant committi in conſecutione beneficiorum apud curiam.

De excommunicatione contra dantes, vel recipientes aliquid ex pacto pro ingreſſu in religionem. Cap. 1216.

1 MAteria excommunicationis in hac extravaganti contentæ ſunt duæ actiones ſimoniacæ. Prima eſt dare aliquid ex pacto pro religionis ingreſſu. Secunda eſt accipere aliquid ex prævio pacto: iſtæ duæ actiones continentur in verbis bullæ, ſed ad excommunicationem opus eſt, ut adſit præſumptio, & datio, vel receptio fiat ex pacto pro ingreſſu in religionem. Subiectum hujus excommunicationis ſunt omnes ſingulares perſonæ, quæ aliquid dant, vel accipiunt pro ingreſſu in religionem.

De Excommunicatione contra eos, qui ob quæſtum publicant, vel concedant indulgentiam, aut facultatem abſolvendi. Cap. 1217.

1 MAteria iſtius cenſuræ eſt ſacrilegium, quod committitur publicando, vel concedendo indulgentiam, vel facultatem circa reſervatos caſus ſolventibus certam pecuniæ ſummam: Epiſcopi aliique Præſules, ſeu Antiſtites etiam ſi Cardinalatus dignitate præditi ſint, ſi præfata faciant incidunt in ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum reſervatam Summo

mo Pontifici, à qua abſolvi nequeant niſi præſtita ſatisfactione: alii vero inferiores Epiſcopis incurrunt excommunicationem eidem Summo Pontifici reſervatam: hæc propoſitio clare conſtat ex Bulla: Prælati etiam his pœnis puniuntur ſi per alios publicent hujuſmodi indulgentias, & facultates; quia in Bulla ſermo etiam eſt de jubentibus, ſeu mandantibus.

2 Ad tollendos pravos elemoſinarum queſtorum abuſus non nulla in *Concil. Trid. ſ. ſſ. 21. c. ult.* ſancita fuerunt. Primo ut indulgentiæ, & aliæ ſpirituales gratiæ debito tempore publicentur per ordinarios loco-rum adhibitis duobus de Capitulo, quibus datur facultas fideliter colligendi eleemoſynas, nulla prorſus mercede accepta. Secundo nullus etiam religionis exemptus poteſt indulgentias de novo conceſſas publicare in ſua Eccleſia abſque ordinarii licentia: ſic enim per ſacram Cardinalium congregationem declaratum fuit. Tertio prohibentur pravi eleemoſynarum quæſtores, non tamen prohibentur collectores eleemoſynarum: quia eas in pios uſus convertunt ſervatis quibuſdam conditionibus. Primo ut qui colligit eleemoſynas ſit honeſtę vitæ, & bonæ exiſtimationis. Secundo ut non ſit particeps eleemoſynarum, Tertio ut quęſtoris nomen non gerat, ſed collector eleemoſynarum vocetur. Quarto ut non publicet indulgentias, nec circumferat ſua privilegia, aut reliquias. Quinto ne eleemoſynam minis, aut imprecationibus extorqueat. Sexto ne campanas aliaque quæſtorum inſignia ferat. Septimo ut non petat Eleemoſynam tamquam debitam, aut dari ſolitam. Octavo ut non extorqueat eleemoſynam arte, aut ſpecie dicendi orationes, aut alio perverſo more, ſed ſimpliciter, & modeſte.

* *
*

De excommunicatione contra dantes aliquid, vel recipientes promittentes, vel promiſſionem acceptantes, pro gratia, vel juſtitia obtinenda in curia Romanam Item contra præbentes conſilium, auxilium, vel favorem, contra ſcientes, & non revelantes eos qui ex pacto tacito vel expreſſo dant vel recipiunt aliquid pro dicta gratia vel juſtitia obtinenda in Curia Romana. Cap. 1218.

1 Nomine gratiæ hoc in loco intelligitur non ſolum id, quod à Sede Apoſtolica obtinetur per litteras, ſeu diplomata, ſine reſcripta, ſive brevia Pontificia verum etiam quod per ſignaturam, aut ſolo verbo, ſive vocis oraculo concedi ſolet: nomine vero juſtitiæ non ſolum venit ſententia definitiva, verum etiam interlocutoria, appellatio, liberatio à pœna, prorogatio, aut non prorogatio termini, extractio à carcere, & alia hujuſmodi etiam ſi in arbitrio judicis poſita ſint: quare qui promittunt aut dant aliquid occaſione obtinendi aliquid ex prædictis, hac conſtitutione comprehenduntur, & pœnis hujus extravagantis ligantur: in hac vero conſtitutione intelligitur ſolum juſtitia, vel gratia obtinenda à miniſtri Papę immediatis, aut mediatis; nam in extravaganti exprimitur ſolum his pœnis ligari eos, qui gratiam, vel juſtitiam obtinent apud Sedem Apoſtolicam: quare impetrans gratiam vel juſtitiam temporalē prævia promiſſione, vel donatione apud gubernatorem Urbis, vel Burgi, vel apud judices capitoli, vel ipſorum delegatos, apud Senatorem, Cardinalem Camerarium, Clericos Cameræ, vel apud Summum Pontificem, quatenus eſt rex: ideſt quatenus habet temporale dominium cum Sede Apoſtolica, ſeu cum juriſdictione ſpirituali per accidentes conjunctum incurrit pœnas hujus Extravagantis nam in dicitur obtineri gratiam, vel juſtitiam noſtra ſententiam in Romana Curia ſed apud ſedem Apoſtolicam.

2 Materia iſtius conſtitutionis, ſeu id quod in hac conſtitutione prohibetur ſunt actiones ſequentes. Prima eſt pactio, quæ fieri ſolet cum tertio, ut ſibi gratiam, vel juſtitiam procuret, ut patet in ipſa Bulla Secunda promiſſio dandi aliquid. Tertia acceptatio promiſſionis. Quarta eſt datio ex pacto, vel promiſſione. Quinta eſt re-

ceptio ex vi pacti, vel promiſſionis. Sexta eſt promiſſio facta tertio tamquam mediatori in utilitatem illius, qui gratiam impetrabit. Septima acceptatio talis promiſſionis. Octava datio ſine promiſſione. Nona receptio ſine promiſſione. Decima eſt omiſſio denunciationis. Undecima eſt uſus gratiæ, vel juſtitiæ, ſic obtentæ, modo id fiat ſcienter: iſtæ actiones veritæ erant in extravag Boniſac. VIII ſed per extravag. Greg. confirmatæ ſunt, quibus etiam aliæ actiones additæ ſunt, quarum tres ſunt principales, & aliæ tres acceſſoriæ. Prima actio principalis addita à Gregorio eſt nundinatiorum, qui cupiditate lucri expeditiones negotiorum conquirunt innixi ſuffragationibus potentiorum. Secunda eſt actio illorum qui ambiunt pollicitationibus, aut donis: ideſt accedunt ad eos, qui valent gratia alliciendo donis, vel pollicitationibus, ut pro ſe, vel pro alio gratiam vel juſtitiam apud ſedem Apoſtolicam obtineant. Tertia eſt eorum, qui mentiendo confingunt ſe dediſſe pretium, vel munera pro opera prçſtanda, vel præſtita ab iis, qui gratia valent apud eum, qui gratiam, vel juſtitiam conceſſurus eſt. Aliæ tres actiones acceſſoriæ additæ à Grego. XIII. ſunt. Primo auxiliari. Secundo conſulere. Tertio favere in aliqua ex prçcedentibus actionibus contentis in bulla boniſ. VIII. vel editis in extravaganti Greg.

3 Subiectum iſtius excommunicationis ſunt perſonæ, quas afficit hæc conſtitutio; ſunt non ſolum laici utriuſque ſexus verum etiam quicumque clerici, & religioſi, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt, ut patet ex verbis Bullç. Qui vero novit aliquod delictum committi contra hanc conſtitutionem incurrit ipſo facto excommunicationem non denunciando delinquentes intra triduum ſummo Pontifici, aut alteri, qui ſummo Pontifici fideliter denunciet, ſic enim in bulla præſcribitur.

4 Multæ pænæ imponuntur tranſgreſſoribus iſtius extravagantis. Primo imponitur excommunicatio ut patet in Bulla. Secundo imponitur irritatio gratiæ, vel juſtitiæ contra præſcriptum hujus Conſtitutionis obtentæ. Tertio ut is qui gratia, vel juſtitia hoc modo obtenta ſcienter utitur, ligetur excommunicatione, aliiſque pænis: quibus cæteri hujus legis tranſgreſſores puniuntur. Quarto ut quid quid accepit contra hanc conſtitutionem abſolvi nequeat, antequam reſtituat pauperibus, quod accepit. Quinto ut nullus abſolvi nequeat extra mortis articulum abſque ſpeciali mandato, ut patet ex textu in quo dicitur abſolutionem iſtius excommunicationis reſervatam eſſe Summo Pontifici extra mortis articulum. Sexto imponitur privatio ipſo facto omnis beneficii Eccleſiaſtici, & omnis officii, tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis, tam perpetui, quam temporalis ut patet ex verbis Extravagantis. Septimo ut fiat perpetuo infamis. Octavo imponitur inhabilitas ed illa omnia Beneficia, & officia, & ad alia quælibet in poſterum obtinenda: Ad incurrendas autem iſtius Extravagantis pænas non requiritur effectus ultimus, ſed quælibet illarum actionum ſufficit etiam ſi nihil poſtea detur, vel obtineatur, quia omnes illæ actiones ſaltem excepto conſilio, auxilio, vel ſavore principaliter prohibentur verbis diſiunctive intellectis: ad verificandam autem propoſitionem diſiunctivam ſufficit alteram partem verificari.

* *Circa hanc excommunicationem vide Bullam Alexandri VII. quam in calce hujus operis appoſuimus, quia eſt confirmatoria, innovatoria, declaratoria, & extenſiva conſtitutionum Bonifacii VIII. Et Gregorii XIII. Et incipit: Inter graviſſimas, multipliceſque curas, &c.*

De Excommunicatione contra dantes, promittentes recipientes, &c. pro gratia, vel juſtitia, etiam extra curiam Romanam in locis ſedi Apoſtolicæ immediate vel mediate in temporalibus ſubiectis. Cap. 1219.

1 CLemens VIII. in Bulla quæ incipit: pro commiſſa nobis; & eſt decima in ordine, ut bono publico, & rectæ adminiſtrationi conſuleret, conſtitutiones Bonifacii VIII. & Grego. XII. confirmavit, illaſque extendit non ſolum ad eos, qui actiones in præfatis, conſtitutionibus prohibitas faciunt apud Sedem Apoſtolicam; verum etiam laicos in terris, & locis temporali ditioni Summi Pontificis mediate, vel immediate ſubiectis, ut patet ex verbis Bulle ejuſdem Clem. VIII. Materia iſtius Cenſurç ſunt actiones prohibitç à Bon VIII & à Greg. XIII. ſuperius explicatæ; Subiectum quod hic excomm. ſubiicitur, ſunt omnes perſonæ in Bulla Clem. expreſſæ, &

ſunt

ſunt non ſolum officiales , Gubernatores , Iudices , vel præſides communitatum, verum etiam, cives, oppidani, incolæ, aliiq; ſingulæ perſonæ communitatum , quia de his omnibus mentio fit in Præfata Bulla.

De Excommunicatione contra docentes fieri poſſe confeſſionem ſacramentalem per litteras ſeu nuncium confeſſuro abſenti, & abſolutionem à confeſſario abſenti obtineri, Cap. 1220.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt iſtæ actiones , Prima eſt dicere confeſſionem poſſe fieri in abſentia Confeſſarii , & ab eo abſente abſolutionem obtinere . Secunda actio eſt defendere præfatam propoſitionem tamquam probabilem in aliquo caſu . Tertia eſt facere imprimi hujuſmodi propoſitionem . Quarta eſt diſputative tractare de hujuſmodi propoſitione, niſi forte diſputatio inſtituatur ad eam impugnandam : tunc enim licitum eſt de ea diſputare Quinta actio eſt hujuſmodi propoſitionem ad praxim directe , vel indirecte deducere , unde qui aliquem in abſentia abſolvit, afficitur excommunicatione, quia dicitur hanc propoſitionem ad praxim directe deducere . Secundo ille , qui alium inducit ab abſolutionem abſenti conferendam vinculo hujus cenſuræ ligatur , quia indirecte ad praxim deducit . Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes , qui præfatas actiones faciunt ; iſta excommunicatio eſt reſervata ſummo Pontifici , à qua nemo poteſt abſolvere præter quam in articulo mortis : niſi Summus Pontifex.

De excommunicatione contra impugnantes Beatiſſimæ Virginis Mariæ conceptionem, & contra damnantes de hæreſi , vel mortali peccato eos , qui aſſerunt Beatiſſimam. Virginem in originali peccato conceptam eſſe Cap. 1221.

1 ACtiones ſub excommunicatione prohibitæ in favorem ſententiæ negantis conceptionem Beatiſſimæ Mariæ in peccato originali iſtæ ſunt . Prima aſſerere hæreſim , vel Mortale peccatum ab eo committi qui credit, aut tenet Beatiſſimam Virginem Mariam præſervatam fuiſſe a peccato originali ; ſecus dicendum eſt ſi aſſerat eum venialiter peccare ; hæc enim non eſt actio ſub excommunicatione prohitos, quia actio prohibita eſt aſſerere eum mortale peccatum committere. Secunda eſt affirmare aliquod peccatum committi celebrando officium Conceptionis ; aut audiendo conciones eorum, qui prædicant Beatiſſimam Virginem ſine peccati macula conceptam. Tertia actio eſt legere, tenere, habere pro veris libros , in quibus aſſeritur eſſe mortale peccatum, aut hæreſim credere, vel tenere Beatiſſimam Virginem ob originali præſervatam fuiſſe, aut aliquod peccatum ab iis committi, qui celebrant officium Conceptionis, aut audiunt concionem eorum, qui eam prædicant ſine macula peccati conceptam ; iſtæ tres actiones evidentiſſime exprimuntur in præcitata Sixti IV. Extrav. Actio ſub excommunicatione prohibita in favorem ſententiæ affirmantis Beatiſſ. Virg. in peccato originali conceptam fuiſſe iſta eſt nempe aſſerere hæreſim, vel mortale peccatum committi ab eo, qui tenet Beatiſſ. Virg. Mariam in peccato originali conceptam fuiſſe: ex quo patet plures actiones in favorem ſententiæ negativæ prohibitas fuiſſe, quam in favorem affirmativæ , propterea aſſerens illicitum eſſe audire concionatores prædicantes Beatiſſ. Virg. in peccato conceptam fuiſſe , non ſubiicitur huic excommunicationi , nec legens libros defendentes Beatiſſ. Virg. ab originali præſervatam fuiſſe; etiam ſi hujuſmodi libros legat , vel retineat tanquam veros , Subiectum excommunicationis impoſitæ ob actiones explicatas ſunt omnes , & ſinguli , qui præfatas actiones faciunt , quia teſtus generaliter loquitur , modo ad ſit cognitio iſtius prohibitionis. Præter actiones ſupradictas nonnullæ aliæ a Pontificibus interdictæ fuerunt . Pius V. ſub pœna ſuſpenſionis tres actiones interdixit . Prima ne his in locis unam aſſerat, & alteram refellat. Secunda de hac re vulgari ſermone ſcribere pretextu pietatis, aut neceſſitatis intellige repellendo , aut impugnando contrarium. Tertia de hac re dictare prætextu pietatis, aut neceſſitatis . Paulus V. interdixit ſub pœnis ſuſpenſionis , & aliis contentis in Bulla Pii V. ne quis aſſerat , Beatiſſimam Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe nec negativam opinionem impugnet . Gregorius XV. aliam edidit conſtitutionem , in qua tres actiones interdixit ſub pœnis contentis in Bulla Pii V. & Pau-

Pauli V. Prima actio eſt in ſermonibus, vel ſcripturis etiam privatis aſſerere Beatiſſimam Virginem in peccato Originali conceptam fuiſſe. Secunda de hac opinione affirmativa aliquo modo agere ſeu tractare. Tertia uti alio nomine, quam Conceptionis in ſacrificio, vel officio celebrando publice, vel privatim.

De Excommunicatione contra impugnantes inſtitutum & conſtitutiones Societatis Jeſu. Cap. 1222.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt duplex ſaltem actio. Prima eſt directe ſeu indirecte impugnare inſtitutum ſocietat. Jeſu vel ejus conſtitutiones, vel Gr. XIII. diſpoſitionem, vel aliquem iſtius diſpoſitionis, aut prædictarum conſtitutionum articulum: etiam ſi hoc fiat prætextu diſputandi, aut inquirendæ veritatis. Secunda actio, quæ non longe differt à prima, & intelligitur cum ejus ampliatione eſt contradicere inſtituto, vel conſtitutionibus Societatis Ieſu, aut Bullæ Greg. XIII. & præter præfatas duas actiones, extant in hac Bulla ſub excommunicatione prohibitæ. Prima actio eſt facere notationes, declarationes, gloſas, vel ſcholia ulla ſuper præfato ſocietatis inſtituto, conſtitutionibus, vel dicta Bulla Secunda eſt interpretari præfata ultra ipſum verborum ſonum. Tertia de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquam iniicere. Quarta revocare in dubium, vel controverſiam. Quinta eſt legere gloſas, ſive ſcriptæ ſint ſive impreſſæ. Sexta illas docere, aliiſque tradere. Septima vendere. Octava apud ſe retinere: hæc tamen omnia intelliguntur modo fiant cum præſumptione: & ſine licentia. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui faciunt actiones prædictas.

De Excommunicatione contra conficientes libellos famoſos, aut aliqua ſcripta contra ordinem Prædicatorum, aut Franciſcanorum, aut injurias aliquas eis inferentes, aut recipientes apoſtatas. Cap. 1223.

1 BOnifacius IX. Eugenius IV. & Alexander IV. multa privilegia religioſis Ordinis Prædicatorum, & Franciſcanorum conceſſerunt impoſita pœna excommunicationis contra eos: qui actiones in ſequentibus caſibus enumerandas faciunt. Primus caſus compræhendit eos qui dicunt, & defendunt ordinem Prædicatorum, & Minorum non eſſe in ſtatu perfectionis, aut eis non licere elemoſinis vitam ſuſtentare, aut concionari, aut confeſſiones audire de licentia Papæ. Secundus caſus compræhendit eos, qui violentiam exercent contra loca prædictorum religioſorum, aut impediunt, ne poſſint in ſuis Eccleſiis celebrare, aut prædicare aut eleemoſynas recipere. Quartus cadit in eos qui Apoſtatas ordinis Prædicatorum retinent. Quintus caſus eſt eorum qui libellos, famoſos, catilenas, vel rythmos edunt, retinent, vel publicant contra ordinem fratrum Prædicatorum, aut minorum.

De excommunicatione contra impedientes, aut prohibentes ingreſſum religionis iis qui ad congregationem B. Mariæ Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti ſe transferre cupiunt C. 1224.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt prohibere, vel impedire moleſtiis, aut verberibus ingreſſum præfate religionis cupientibus eam ingredi, qui vero præcibus conſilio, & ſuaſione abſque vi, & metu impedit aliquem non afficitur hac cenſura: quia non dicitur impedire verberibus. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes qui modo explicato prohibent, vel impediunt religionis ingreſſum in præfatam congregationem.

De excommunicatione contra fœminas ingredientes Monaſteria religioſorum, & contra alios quoſcumque ingredientes monaſteria Monialium. Cap. 1225.

1 ISta Excommunicatio lata fuit in *Concilio Tridentino ſeſſ.* 25. *c.* 5 & Pio V. & Gregor. XIII. verum quia de hac cenſura alibi actum eſt, ideo videri poſſunt, quæ ibi traduntur.

De excommunicatione contra accedentes ad ſepulcrum domini abſque licentia Papæ. Cap. 1226.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt peregrinatio Hieroſolymitana cauſa

cauſa devotionis facta abſque licentia Papæ, nam verba S. Antonini referentis iſtam excommunicationem hæc ſunt. Accedens ad ſepulcrum Domini cauſa devotionis ſine licentia Papæ, eſt excommunicatus, & ejus abſolutio Papæ reſervatur, vel Summo pænitentiario. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli accedentes ad Domini ſepulcrum ſine licentia Papæ.

De Excommunicatione contra eos, qui quos libet libros, & indices Impii Thalmud: & alia quæcumque librorum volumina, & ſcripta a conſtitutione ſummorum Pontificum damnata habent, legunt, &c. Cap. 1227.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones, quæ ſub excommunicatione in hac bulla continentur. Prima eſt præfatos libros retinere. Secunda habere, Tertia legere, Quarta edere, Quinta typis excudere, ſeu imprimere, Sexta deſcribere vel exemplare. Septima advehere, Octava emere, Nona vendere, Decima donare, Undecima commutare. Duodecima alias quomodolibet diſtrahere. Tertia decima audere quoquomodo præſtare: aut impendere opem, conſilium, auxilium, vel favorem hebræis pro habendis, ſcribendis, ſeu imprimendis hujuſmodi libris vel undecumq; afferendis, ſeu tranſvehendis aut pro impetranda de cætero eorundem legendorum licentia; Iſtæ actiones exprimuntur in præfata bulla. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt ſinguli Chriſtiani, qui præfatas actiones faciunt. ut patet ex ipſa bulla, libri, & ſcripta, quæ in hac bulla retineri, legi, edi, imprimi &c. prohibentur, ſunt libri, & codices impii Thalmud vaniſſimi, Cabaliſtici, & alii a prædeceſſoribus prohibiti, & condemnati.

De Excommunicatione contra ſuadentes Papæ, ut infeudent, aut alienent Civitates, & loca S. R. E. quovis prætextu id faciat. Cap. 1228.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt iſtæ actiones. Prima eſt tractare, conſulere, aut alia ratione verba facere de alienandis, aut infeudandis bonis immediate pertinentibus ad Eccleſia Romanam, nam ſic dicitur in textu. Secunda actio eſt inſinuare, vel ſuadere hujuſmodi alienationem Summo Pontifici, ſive id fiat per ſe, vel per alium, ſic enim loquitur textus. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes: qui præfatas actiones agunt, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive ſæculares.

De Excommunicatione contra extrahentes frumentum, blada, legumina, & alia id genus extra ſtatum eccleſiaſticum, aut à locis immediate ſubiectis eccleſiæ Romanæ, ad loca mediate ſubiecta Cap. 1229.

1 MAteria excommunicationis latæ a Gregorio XIII. & Paulo V. erunt quatuor actiones proximæ ſequentes. Prima actio erat emere frumenta, blada, & legumina ultra uſum, & neceſſitatem unius anni pro ſe, & ſua familia: ſic enim habetur in præfata Bulla Gregorii XIII quam Paulus V. confirmavit. Secunda erat impedire ea deferri ad urbem: ob iſtam actionem etiam hoc tempore excommunicatio incurritur ob diſpoſitionem Bullæ Cœnæ. Tertia erat exportare, ſeu conducere frumentum, bladas, legumina, & oleum extra ſtatum Eccleſiaſticum, vel intra ſtatum Eccleſiaſticum, è locis immediate ſubiectis ad loca mediate ſubiecta. Quarta eſt facere prædicta aſportari, vel conduci per ſe, vel per alium: & hoc verum eſt ſive aſportentur equo; ſive curru, ſive navi Ob has duas ultimas actiones etiam hoc tempore excommunicatio incurritur virtute Bullæ Summi Pontificis Urbanis VIII. ſi extractio, ſeu aſportatio fiat cauſa mercaturæ. Omnes extrahentes, vel extrahi, aut aſportari, vel conduci facientes frumenta, blada, legumina, & oleum extra ſtatum Eccleſiaſticum, vel ad loca in confinibus ſtatus Eccleſiaſtici exiſtentia, ſeu a ſtatu immediate ad loca Eccleſiæ Romanæ mediate ſubiecta afficiuntur excommunicatione: hæc propoſitio patet ex verbis in declaratione Paulo V. poſitis, quæ propoſitio hoc tempore limitatur modo extractio fiat cauſa mercimonij, ut ut dicitur in Bulla Urbani VIII. quæ excommunicatio eſt Summo Pontifici reſervata

De excommunicatione contra incendiarios. Cap. 1230.

1 INcendiarii excommunicationem ipſo facto incurrunt, ſed excommunicatio-

tionis abſolutionem cenſeo non eſſe reſervatam ſummo Pontifici, niſi poſt publicationem. Materia iſtius excommunicationis eſt actio incendendi, ſive incendantur templa, ſive loca profana; textus enim abſolute loquitur de incendiariis, nec reſpexit ad materiam ſacrilegii: Subiectum autem iſtius excommunicationis ſunt incendiari quicumque tam locorum piorum, quam profanorum, ſive ſint viri, ſive mulieres; qui vero præſtant conſilium, conſenſum, vel mandatum, non ſunt ipſo facto ſubiectum iſtius excommunicationis, ſed ſunt excommunicandi. Excommunicatio contracta ob incendium reſervatur Summo Pontifici, poſtquam incendiarius eſt denunciatus excommunicatus: hæc propoſitio patet ex c. tua de ſent. excomm.

De Excommunicatione contra deferentes alumina ex partibus infidelium ad fideles. Cap. 1231.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt iſtæ actiones. Prima conducere alumina ex partibus infidelium, ut Turcarum, vel Saracenorum ad partem Chriſtianitatis. Secunda eſt facere conduci ut mandando. Tertia eſt adducta vendere. Quarta eadem emere. Quinta operam ſuam in eis impendere, ideſt in eis laborare. Sexta in illis, aut circa illa ſe immiſcere aſſecurando naves, & alumina, quæ navibus advehantur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui in præfatis delinquunt.

De Excommunicatione contra exenterantes corpora defunctorum, ut alibi ſepeliant. Cap. 1232.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt actiones in iſta extravaganti expreſſæ, & prohibitæ. Prima actio eſt exenterare; ideſt inteſtina, ſeu interiora extrahere. Secunda membratim, vel in fruſta corpus defuncti concidere; ideſt partiri, ſeu dilacerare. Tertia coquere; quarta nudare oſſa: ſed ad incurrendam excommunicationem ob aliquam ex præfatis actionibus Quatuor conditiones requiruntur. Prima eſt præſumptio, quia textus utitur verbo præſumpſerit. Secunda eſt; ut iſtæ actiones fiant, ut oſſa alio ſepelienda deferantur: ſic colligitur, ex verbis extravagantis; Tertia conditio, ut fidelis moriatur in terris Catholicorum, ideo ſi in terris infidelium, vel hæreticorum moriatur non videtur ſub excommunicatione vetitum præfatas actiones facere, ut cadaver alio transferatur, & ſepultura donetur. Quarta conditio eſt, ut iſtæ actiones fiant à fidelibus erga fideles. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes cujuſcumque ſtatus, & conditionis homines, ſic enim textu decernitur: ex quibus aperte colligitur hanc cenſuram univerſalem eſſe, & non ſolum complecti facientes, verum etiam mandentes: conſulentes vero, aut ratum habentes non comprenduntur, quia non exprimuntur.

De excommunicatione contra eos qui Chriſtianos in locis Turcharum inventos capiunt, aut eos libere non permittunt. Cap. 1233.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt iſtæ actiones. Prima capere, ideſt in ſervitutem redigere Chriſtianos in terris Turcarum repertos. Secunda capere ipſos invitos ad remigandum, etiam ſi merces ipſis ſolvatur. Tertia eſt talem imponere dum non vult eum abire, donec tantum pretii ſolvatur. Quarta eſt ipſorum bona diripere. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt.

De excommunicatione contra offendentes rectores, & vel officiales Provinciæ Marchiæ Anconitanæ ſubiectæ ſedi Apoſtolicæ. Cap. 1234.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hac extravaganti expreſſæ, & prohibitæ. Prima eſt occidere rectores, ſeu officiales Marchiæ Anconitanæ. Secunda eſt inſequi ad offendendum. Tertia eſt perſonaliter capere. Quarta captivare, ideſt in cuſtodiam publicam, ſeu in vincula detrudere. Quinta eſt detinere ideſt immorari, & tenere qualiter cumque invitum. Sexta eſt percutere. Septima vulnerare. Octava inſultum facere contra aliquem in prædictorum officialium, vel in locum ubi moram trahunt. Nona eſt obſidere. Decima expellere. Undecima fugare.

Duo

Undecima ſocium eſse facientis, ideſt cooperari in delicto. Decimatertia ſpoliare bonis. Decimaquarta excitare populum illius Provinciæ, ſeu aliquos de illa Provincia ad ſeditionem contra præfatos officiales. Decimaquinta præſumere rebellionem. Decimaſexta dare publice, vel occulte, directe, vel indirecte, auxilium, conſilium, vel favorem ad aliquam ex præfatis actionibus. Subjecti iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, cujuſcumque conditionis. Perſonæ contra quas præfatæ actiones fieri debent ut cenſura incurratur ſunt. Primo Rector, ſiu rectores, qui pro tempore præſunt provinciæ Anconitanæ. Secundo Vicarius rectoris, ſeu rectorum. Tertio Judex. Quarto Theſaurarius Provinciæ. Quinto Locum tenens Theſaurarii.

De Excommunicatione quæ cauſa Duelli contrahitur. Cap. 1235.

1 Duellum eſt pugna ſingularis deliberata ab utraque parte ſponte, & ex condicto ſuſcepta ſtatuto loco, & tempore cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris. Invitans alterum ad duellum, aut pugnans in duello, regulariter loquendo graviter peccat, quia duellum non ſolum prohibitum eſt jure naturali, & divino cum propria, vel aliena vita periculo mortis exponatur abſque ſufficienti cauſa, verum etiam jure canonico ſub excommunicatione, aliiſq; graviſſimis pœnis ut colligitur ex *Trid. ſeſſ. 25 c. 19.* & ex variis Summorum Pontificum conſtitutionibus. Delinquentes contra conſtitutiones Pontificias in deteſtationem duelli editas, præter confiſcationem bonorum, & alias pœnas pro qualitate perſonarum in bulla expreſsas afficiuntur excommunicatione Civitates vero oppida, & loca, in quibus duellum commiſsum fuit ſcientibus, & permittentibus dictorum locorum dominis, Eccleſiaſtico interdicto ſubiiciuntur, item decertantes ſi in ipſo cōflictu obierint, privandi ſunt Eccleſiaſtica Sepultura: hæc propoſitio clare conſtat ex ipſis bullis, & præſertim ex Bulla Clementis VIII. Præfatis cenſuris ſubiiciuntur omnes, & ſinguli, qui aliquam ex actionibus prohibitis in præfatis Bullis faciunt, quæ licet plures ſint: eas tamen brevitatis gratia ad quatuor capita revocabo. Primum eſt pugnantium in duello, diſfidantium, vel acceptantium. Secundum concedentium locum, aut non impedientium ſi ſint Domini, qui valeant impedire ne duellum in ſuis locis committatur. Tertium eſt aliquo pacto cooperantium ad duellum, ut mandato, conſilio, auxilio, favore, chartellis, intimatione, publicatione, & his ſimilibus, etiam ſi poſtea provocatio aut duellum ſecutum non fuerit. Quartum eſt ſpectantium ex induſtria: iſtæ actiones, & perſonæ fuſius exprimuntur in ipſa bulla. Ab Excommunicatione contracta ob aliquod delictum in caſu duelli poteſt abſolvere. Primo Summus Pontifex Secundo Epiſcopus quando delictum eſt occultum. Tertio Religioſi juxta ſua privilegia.

De excommunicatione contra eligentes aliquem in Senatorem, rectorem, vel officiales urbis Romæ abſque ſpeciali Summi Pontificis facultate. Cap. 1236.

1 Materia iſtius Excommunicationis alia videtur principalis, alia acceſſoria: Principalis eſt nominare, eligere, aut alias aſſumere aliquem in Senatorem, Capitaneum, aut rectorem, ſeu ad ejuſdem urbis regimen, ſeu officium. Acceſſoria eſt conſentire hujuſmodi electioni, aut nominationi: intromittere ſe, conſilium, auxilium, vel favorem præbere. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes qui contra iſtam conſtitutionem delinquunt, ut patet ex verbis Bullæ, qui abſolvi non poſſunt niſi per Romanum Pontificem, vel de ejus petita, & obtenta licentia ſpeciali.

De excommunicatione contra falſificantes monetas in regno Franciæ aut falſas ſcienter introducentis. Cap. 1237.

1 Materia iſtius Excommunicationis ſunt actiones expreſsæ, & prohibitæ in dicta extravagan. Prima actio eſt falſificare monetas in ære, vel pondere, etiam ſi verum ſignum, formam & ſpeciem inſculpant. Secunda actio eſt emere extra regnum huiuſmodi monetam, ut eam in Regnum transferant. Tertia eſt portare dictam monetam ad prædictum Regnum: exiſtimo tamen probabiliter iſtam actionem præciſe non ſufficere; niſi etiam is, qui pecuniam portavit, ſeu introduxit, illā etiam expendat

ad

ad incurrendam autem excommunicationem ob præfatas actiones requiritur præſumptio, & ſcientia. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt, ut patet ex verbis Bullæ.

De Excommunicatione contra revocantes Exules ab exilio, concedentes ſalvum conductum receptantes, auxilium, conſilium, vel favorem præbentes. Cap. 1238.

1 PRo communi Status Eccleſiaſtici ſalute, & utilitate multæ conſtitutiones excommunicationis pœnam continentes editæ fuerunt à variis Pontificibus, ut à Pio II. Julio II Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII verum in earum explicatione opus non eſt, ut ego inſiſtam, & deſatiger: quia excommunicatio contra Bannitos, receptatores, alioſque conſimiles revocata fuit à Sixto V.

De Excommunicationibus non reſervatis contra Clericos.

De excommunicatione contra Clericos in ſacris exiſtentes, qui matrimonium contrahere præſumunt. Cap. 1239.

1 IN Clement. unica de conſug. extat excommunicatio contra eos, qui matrimonium in quinque caſibus ibi prohibitis contrahere audent: inter quos eſt caſus matrimonii celebrati ab exiſtente in ſacris; verum quia hæc cenſura abunde ſatis in præcedentibus explicata fuit, hic eam prætermitto ibi videndam.

De excommunicatione contra impugnantes in concionibus, aut diſputationibus montem pietatis. Cap. 1240.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt audere impugnare montem pietatis: hæc autem impugnatio fit prædicando, ſeu diſputando, verbo, vel ſcriptis montem non eſſe licitum; etiam ſi fiat iuxta formam ab ipſo Leone X. præſcriptam. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes Eccleſiaſtici, qui prædictum pietatis montem impugnare audent, ſic enim dicitur in textu.

De Excommunicatione contra abſolventes à caſibus in Bulla Cænæ contentis. Cap. 1241.

1 ISta excommunicatio continetur in Bulla Cænæ: videnda ſunt igitur illa quæ ibi explicavi.

De Excommunicatione contra eos, qui in civitate diverſarum linguarum, & rituum munus adminiſtrandi ſuſcipiunt ſine conſenſu Epiſcopi. Cap. 1242.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ingerere ſe in celebrandis officiis, aut ſacramentis adminiſtrandis abſque conſenſu Epiſcopi in iis civitatibus, vel diæceſibus, in quibus permixti ſunt populi diverſarum nationum, diverſo ritu, & linguæ idiomate utentium ſub eadem fide: hæc propoſitio patet ex verbis textus. Omnes, & ſinguli in præfatis ſe ingerentes ſine licentia Epiſcopi excommunicationem hujus capitis incurrunt.

De Excommunicatione contra Sacerdotes præſumentes recipere præfecturam Secularem, eamque poſt admonitionem non dimittentes. Cap. 1243.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt ſuſcipere officium Vice comitis: ſeu Præpoſiti ſecularis: is autem hujuſmodi officium ſuſcipere dicitur: qui vices Regis, vel alterius Principis ſæcularis iuriſdictione temporali ſubſtinet. Sacerdotes autem non poſſunt creari Vice Reges: aut gubernatores Regni, aut præſidentes Cancellariarum, aut adminiſtratores Provinciæ tanquam miniſtri, & officiales Principum Secularium, quia iſtæ ſunt præpoſituræ Seculares. Omnes, & ſinguli Sacerdotes officium Vice Regis, aut præpoſiti ſecularis ſuſcipientes, excommunicationi huius capitis ſubiiciuntur, ſi poſt admonitionem præfatum officium non dimiſerint.

De

De Excommunicatione contra Sacerdotes, aliſque Clericos dignitatem, aut perſonatum habentes, qui legibus, aut Phyſicæ operam navant. Cap. 1244.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt audire leges, vel Phyſicam, modo auditio prædictarum ſcientiarum intra duos menſes non intermittatur: in textu enim hic terminus aſſignatur. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt Sacerdotes, & alii clerici, dignitatem, vel perſonatum habentes: hæc propoſitio patet &c. ſuper ſpecula.

De excommunicatione contra clericos intereſſentes agitationi taurorum, & ferarum. Cap. 1245.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt intereſſe agitationibus taurorum, ſeu ferarum, is autem dicitur intereſſe; qui adeſt tamquam ſpectator ex propoſito, verum mihi videtur iſtius excommunicationem non eſse ipſo iure latam, ſed ferendam, Verba enim Extravagantis Pii V. in hac parte non important excommunicationem ipſo jure latam, ſed ferendam, ut patet ex verbis. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt omnes Clerici habentes Beneficia, vel in ſacris conſtituti, & religioſi, ſive interſint diebus feſtis, ſive aliis, nam Bulla Pii V. abſolute loquitur.

De Excommunicatione in illos reſignantes, vel permutantes beneficia. Cap. 1246.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt reſignatio beneficii facta extra curiam, & ultra duas dietas, prætextu facultatis à Sede Apoſtolica obtentæ: reſignatio autem facta in Curia non eſt materia iſtius excommunicationis, quia non dicitur facta extra curiam, & ultra duas dietas. Subjectum iſtius Excommunicationis ſunt. Primo tam reſignans, quam is in cujus gratia beneficium reſignatur. Secundo admittentes hujuſmodi reſignationem Tertio Notarii rogantes: ſeu inſtrumentum reſignationis conficientes. Quarto teſtes concurrentes, modo conſcii ſint fictionis.

De Excommunicatione contra Clericos, qui domos uſurariis alienigenis locant, aut alio titulo concedunt. Cap. 1247.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in c. Uſurarum de uſuris in 6. expreſsæ. Prima eſt locare, vel alio quovis titulo concedere domos uſurario alienigenæ manifeſto ad fœnus exercendum. Secunda eſt permittere, ut uſurarius manifeſtus domum in terris ſuis conducat, vel habeat, aut alias habitet. Tertia eſt non expellere hujuſmodi uſurarium. Subjectum iſtius Cenſuræ ſunt. Eccleſiaſticæ perſonæ inferiores Epiſcopis, domum uſurariis alienigenis manifeſtis locantes ad fœnus exercendum: vel ſub alio quocumque titulo concedentes, aut permittentes in ſuis terris domum conducere, vel habitare, unde iſta cenſura non eſt univerſalis: ſed ad ſolos Eccleſiaſticos Epiſcopis inferiores extenditur quia in textu dicitur, qui contra fecerint: ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi ſuſpenſionis; minores vero perſonæ ſingulares, id eſt Eccleſiaſticæ excommunicationis, ſi autem Collegium, ſeu alia univerſitas interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros, & infra: cæterum ſi laici fuerinper ſuos ordinarios ab hujuſmodi exceſsut omni ceſsante privilegio per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

De excommunicatione contra Clericos, & religioſos habentes curam Eccleſiarum, ſi procuraverint, ut regalia jura, & loca Eccleſiarum vacantium ab aliis occupentur. Cap. 1248.

1 IN Explicatione iſtius excommunicationis detineri nolo: quia eam alibi explicavi.

De Excommunicatione, & pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica: aut illa recipientes ſine juſta cauſa, & ſolemnitate, ac conſenſu Summi Ponti, cis. Cap. 1249.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt alienatio bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, vel etiam mobilium pretioſiorum, quæ ſervando ſervari poſ-

Poſſunt, ſic enim in extr. ambitioſæ habetur: Hoc tamen intelligitur. Primo niſi fiat ex juſta cauſa, & cum debita ſolemnitate. Secundo niſi fiat in cauſa locationis ab breve tempus, aut in cauſa emphyteuſis. Tertio niſi fiat de re levis momenti. Quarto niſi fiat de rebus, quæ ſervando ſervari non poſſunt. Quinto niſi fiat bona fide, aut niſi alienatio nondum perfecta ſit. Omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici tam ſeculares, quam regulares, qui bona Eccleſiæ male alienare præſumunt excommu icationem incurrunt: modo non ſint Epiſcopi, vel Abbates: iſti enim interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, aut etiam ſuſpenſione puniuntur, hæc propoſitio patet ex generalibus verbis extravagantis.

De Excommunicationibus contra Clericos Papæ reſervatis.

De excommunicati ne contra obtinentes Eccleſias parochiales cum juramento inſerviendi perſonaliter intra certum tempus; & poſtea juramentum non ad implentes. Cap. 1250.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt quadruplex actio. Prima actio, ſeu potius omiſſio eſt non adimplere juramentum interveniendi perſonaliter infra certum tempus beneficio a Papa obtento cum præfato juramento. Secunda actio eſt dimittere hujuſmodi beneficia. Tertia acceptare hujuſmodi beneficia ſic dimiſſa. Quarta actio eſt directe, vel indirecte præſtare, auxilium, favorem, vel conſilium n præfatis act on bus, Subiectum iſtius excommunicationis quoad tres primas, & principales act ones ſunt omnes Clerici Epiſcopis inferiores Subiectum autem excommunicationis ob quartam actionem arbitror eſſe quemlibet, tam laicus, quam Eccleſiaſticum.

De excommunicatione contra Prædicatores, ſacram ſcripturam interpretantes juxta ſenſum contrarium proprio ſenſui, & interpretationibus Doctorum ab Eccleſia vel uſu approbatorum, aut prædicantes tempus præfixum Antichriſtis vel judicis, aut ſuas inſpirationes vel revelationes C. 1251.

1 MAteria iſtius Excommunicationes ſunt actiones in Bulla. 21 expreſſæ. Prima eſt explicare ſcripturam contra proprium ipſius ſenſum, & interpretationem Doctorum ab Eccleſia, vel uſu diuturno approbatorum, ſic enim habetur in præfata bulla. Secunda actio eſt ut concionatores non præſumant prædicare tempus præfixum alicujus mali, vel adventus Antichriſti, ſic enim prohibetur in bulla. Tertia actio ut concionatores non præſumant prædicare alia futura tanquam revelata, aut aſſeverantes inanes divinationes; hoc etiam in bulla prohibetur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes & ſinguli prædicatores, ta n ſeculares, quam regulares, qui aliquam ex præfatis action bus contra præſentem iſtius Bullæ diſpoſitionem faciunt.

De Excommunicatione contra participantes cum excommunicatis a Papa eoſq; admittentes ad divina officia. Cap. 1252

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt participare cum excommunicatis a Papa illoſq; recipere in divinis officii, ſic enim dicitur in textu ad in currendam autem illam excommunicationem nonnullæ conditiones requiruntur Prima eſt ut participans ſit clericus: textus enim loquitur de clericis. Secunda ut participet admittendo ad divina officia: & ſic loquitur textus. Tertia ut participet cum excommunicatis a Papa: ſic in textu dicitur. Quinta ut ſcienter participet: ſic aſſeritur in textu. Quinta ut ſponte participet: ideſt ſine metu, minis vel timore, ſic habetur in textu, Sexta ut participet cum excommunicato vitando. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Clerici: qui participant cum excommunicati, a Papa, eoſque ad divina admittunt: in textu enim termo eſt ſolum de Clericis.

De Excommunicatione contra inducentes aliquem voto, juramento, vel promiſſione ad eligendum ſepulturam apud eorum Eccleſias, vel non mutandam iam electam Cap. 1253.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt actio inductionis, qua quis inducit aliquem ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut ſep ulturam apud eorum Eccleſias eligat, vel electam non immutet, ad quam excommunicatione incurrendā non nullę cōditiones requirūtur Prima eſt ve-

ut inducat alterum ad faciendum actum obligatorium electionis ſepulturæ: quia ſic dicitur in textu. Secunda conditio eſt ut inducat ad eligendam ſepulturam in Eccleſia pertinente ad ipſummet inducentem: talis eſt textus. Tertia conditio eſt ut adſit præſumptio: quia iſta excommunicatio lata eſt in temerarios violatores. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli tam religioſi, quam clerici ſeculares: qui aliquem modo prædicto inducunt ad promittendum electionem ſepulturæ apud eorum Eccleſias, vel immutationem ſepulturæ jam electæ.

De Duplici excommunicatione. Prima contra commiſſarios, & judices delegatos Sedis Apoſtolicæ, concedentes alienationes bonorum Eccleſiaſticorum fieri in detrimentum Eccleſiarum. Secunda contra alios doloſe, vel ſcienter procurantes hujuſmodi alienationem aut alienationis decretum. Cap. 1254.

1 MAteria Primæ cenſuræ eſt duplex actio, facta in damnum Eccleſiæ. Prima actio eſt conſentire alienationi bonorum Eccleſiæ in gravamen Eccleſiæ. Secunda actio eſt Auctoritatem, aut decretum ad hujuſmodi alienationem interponere. Subiectum iſtius cenſuræ impoſitæ ob præfatas duas actiones ſunt omnes commiſſarii, vel delegati à Sede Apoſtolica ad examinandas cauſas, propter quas in litteris Apoſtolicis conceditur facultas alienandi: hæc tamen eſt differentia, quod ſi præfati delegati ſint inferiores Epiſcopis, afficiuntur cenſura excommunicationis: ſi fuerint Epiſcopi, vel Epiſcopis ſuperiores, incurrunt pœnam ſuſpenſionis per annum ab officii executione, ut aperte conſtat ex verbis Bullæ. Materia Secundæ cenſuræ eſt duplex actio Eccleſiæ noxia. Prima eſt procurare alienationem fieri in damnum Eccleſiæ, modo iſta actio fiat cum dolo, aut ſcienter; in textu enim ſic habetur. Secunda actio eſt extorquere ab ipſis commiſſariis, vel de legatis decretum alienationis per ſordes: ideſt per iniquas donationes, vel promiſſiones, aut per impreſſionem: ideſt per inportunam perſuaſionem, vel deprecationem, vel ſimilem inductionem; in textu enim dicitur, aut qui per ſordes, vel impreſſionem, alienationis decretum extorſerit, ſubiectum iſtius excommunicationis, ſunt omnes, & ſinguli, qui procurant alienationem fieri, aut decretum alienationis extorquent, ex quo patet differentia inter iſtam, & præcedentem cenſuram; quod præcedens afficit tantummodo Eccleſiaſticos deputatos à Sede Apoſtolica: iſta vero afficit omnes ſive ſint clerici, ſive Epiſcopi, ſive etiam laici.

De Excommunicatione contra Eccleſiaſticos, qui perſonas Eccleſiaſticas, coram Judice laico conveniunt. Cap. 1255.

1 MAteria iſtius cenſuræ reſpectu Eccleſiaſticorum convenientium alium Eccleſiaſticum coram laico, eſt directe, vel indirecte trahere perſonam Eccleſiaſticam, collegium, vel conventum ad forum laicale: ſive id fiat in actione reali, ſive mixta, ſive perſonali, ſive civili, ſive criminali: ſic enim præciſe habetur in Bulla. Materia vero reſpectu ipſorum officialium laicorum, vel complicum ſunt multæ actiones in hac bulla expreſſæ. Prima eſt exercere juriſdictionem laicam in cauſis Eccleſiaſticis. Secunda eſt mandare. Tertia rata habere facta ſuo nomine, & mandato. Quarta dare conſilium, auxilium, vel favorem. Subiectum iſtius excommunicationis reſpectu quatuor ultimarum actionum ſunt omnes, & ſingulæ perſonæ, tam privatæ, quam in qualibet dignitate conſtitutæ, quia de his omnibus ſermo eſt in præcitata Bulla: reſpectu vero primæ actionis ſunt omnes Eccleſiaſticæ perſonæ cu juſcunq; dignitatis, quia ſic in textu dicitur:

De Nonnullis aliis excommunicationibus præter ſuperius enumeratas contra Clericos. Cap. 1256.

1 PRima eſt contra abſolventes à caſibus contentis in decreto juſſu Clement. VIII edito in cujus explicatione non immorabo: quia de hac alibi actum eſt. Secunda eſt contra committentes ſimoniam confidentialem, de qua egi ſupra. Tertia eſt contra ſupponentes ſe in examine pro alio, ut Beneficium conſequatur, de hac etiam egi. Quarta eſt contra Clericos, qui in cauſa ſunt, vel conſentiunt, aut aliqui occupent bona, vel jura Eccleſiarum, locorum vel piorum: iſta excommunicatio habetur

in *Trident. ſeſſ.* 22. *c.* 11. eamque ſuperius explicavi.

De Excommunicationibus non reſervatis contra Epiſcopos, & Prælatos Eccleſiaſticos.

De Excommunicatione contra Epiſcopum, qui in civitate, vel diœceſi diverſarum linguarum propria auctoritate ſuſcepit munus adminiſtrandi. Cap. 1257.

2 ISTam excommunicationem explicavi dum recenſerem excommunicationes latas contra Clericos præfatum munus ſine conſenſu Epiſcopi ſuſcipientes.

De Excommunicatione contra majorem pœnitentiarium, & officiales Pœnitentiariæ præſumentes intromittere ſe in expeditionibus prohibitis in Bulla Pii. IV. Cap. 1258.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt temere intromittere ſe in conceſſionibus, & expeditionibus in bulla interdictis, iſta propoſitio conſtat exipſiſmet Bullæ verbis. Conceſſiones, & expeditiones in præfata bulla prohibitæ ſunt ſequentes. Prima eſt circa commutationem, & derogationem ultimarum voluntatum Secunda eſt circa uniones, ſuppreſſiones, translationes, & applicationes beneficiorum. Tertia circa conceſſiones iuriſpatronatus. Quarta circa facultates ſtandi extra monaſteria reſpectu monialium. Quinta circa declarationem nulitatis profeſſionis reſpectu religioſorum: qui ſacros ordines in religione ſuſceperunt. Sexta circa licentias commorandi extra monaſterium, niſi adſit licentia ſuorum ſuperiorum. Septima circa Apoſtatas a religione, ne ſcilicet abſolvantur, niſi hac conditione, ut ad clauſtrum proprii ordinis redeant, vel ad alium ordinem æqualis, vel arctioris obſervantiæ tranſeant. Octava circa alienationes, vel permutationes bonorum Eccleſiaſticorum excedentium ſummam viginti ducatorum auri de Camera. Nona circa abſolutiones in criminibus capitalibus. Decima circa retentionem beneficii ſimoniace obtenti, & ejus fructuum. Vndecima circa irregularitatem ob homicidium voluntarium: & retentionem Beneficii reſpectu præfati homicidii. Duodecima circa litteras promovendi ad ſacros ordines, aut circa ætatem promovendorum. Decimatertia circa licentiam doctorandi reſpectu religioſi contra ſtatuta ordinis. Decimaquarta circa abſolutionem a fructibus indebite perceptis. Decimaquinta circa abſolutiones ob uſurpatam juriſdictionem, aut violatam libertatem Eccleſiaſticam. Decimaſexta circa facultatem teſtandi. Decimaſeptima circa confirmationem, & validitatem eorum, quæ geſta ſunt ab ordinariis aliiſque inferioribus non habentibus facultatem ea gerendi Decimaoctava circa caſus, qui in litteris ſuarum facultatum expreſſe non conceduntur, exceptis caſibus, qui jure communi ordinario conceſſi ſunt. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt major pœnitentiarius, Regens, Correctores, ſcriptores, procuratores, reviſores, ſigillatores; aliique pœnitentiariæ officiales, qui audent intromittere ſe in expeditionibus in hac bulla interdictis, hæc propoſitio patet ex verbis Bullæ.

De Excommunicatione contra Nuncios Apoſtolicos, & alios ex cauſa quavis tranſmiſſos ad Imperatorem. Reges Duces, alioſque Principes impetrantes ab ipſis litteras, aut favores vocales ad dignitates obtinendas. Cap. 1259.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt duplex actio in hac bulla expreſſa. Prima eſt impetrare, per ſe, vel per alium directe, vel indirecte commendationes, preces, aut alios favores vocales, aut in ſcriptis ad conſequendum dignitates Eccleſiaſticas, vel ſeculares: vel alios honores, & officia ſibi, aut conſanguineis, ſeu neceſſariis ſuis quoviſmodo per ipſum Romanum Pontificem conferenda: ſic enim in præſata Bulla habetur. Secunda actio eſt uti illis commendationibus, ſeu favoribus: ſubiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli Nuncii, & alii miſſi à Summo pontifice ad quoſvis.

De Excommunicatione contra Epiſcopos alioſve Prælatos Romam latenter advenientes, & ab ea recedentes, non obtenta à Papa diſcedendi licentia. Cap. 1260.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt primo, Romam venire, & ab ea recedere non obtenta à Summo Pontifice diſcedendi licentia, ut clare conſtat ex præcitatis Extravag. exiſtimo tamen, ut ob iſtam actionem excommunicatio incurratur tres conditiones requiri. Prima eſt, ut Epiſcopus latenter veniat, quia in utraque extravag. ita aſſeritur. Secunda ut Epiſcopus prava aliqua intentione Romam ſe conferat: hæc conditio perſpicue colligitur ex extrav. 3. Tertia conditio eſt, ut recedat non adito Papa, nec obtenta ab eo diſcedendi facultate. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt; Primo Epiſcopi latenter, & cum prava intentione Romam accedentes, & ab ea recedentes non obtenta à Summo Pontifice diſcedendi facultate. Secundo ſunt illi, qui præfatos Epiſcopos recipere præſumunt non admonito Summo Pontifice.

De Excommunicationibus reſervatis contra Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, & officiales Eccleſiaſticos.

De Excommunicatione contra delinquentes in electione Summi Pontificis, vel occaſione Papatus.

De Excommunicatione contra Cardinales committentes Simoniam in electione Papæ. Cap. 1261.

1 MAteria iſtius excommunicationis ſunt ſacrilegæ actiones in Julii II. Bulla prohibitæ; quarum, Prima contravenire iis, quæ in bulla conſtituuntur. Secunda eſt ſtatuere, diſponere, ordinare, facere, vel attentare aliquid ſede vacante contra ea, quæ in dicta bulla continentur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Cardinales, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt ſede vacante: ſic enim in Bulla dicitur.

De Excommunicatione Summorum Pontificum Gregorii VIII. contra Cardinales non ſervantes formam in eligendo ſummo Pontifice præſcriptam, aut præſumentes aliquid facere, vel attentare contra ipſum Bullam, quæ incipit Æterni Patris. Cap 1262.

1 MAteria iſtius excommunicationis præcipua eſt contravenire formæ à Gregorio præſcriptæ in electione ſummi Pontificis; Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Cardinales contra iſtam conſtitutionem delinquentes. Abſolutio iſtius Excommunicationis reſervata eſt ſummo Pontifici, nec ullus excepto mortis articulo poteſt ab ea abſolvere.

De Excommunicatione contra Cardinales revelantes ea, quæ Papa in Conciſtorio, aut alia occaſione ſub ſecreto tegenda expreſſe indicavit. Cap. 1263.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt revelatio illius, quod Summus Pontifex ſpecialiter, & expreſſe præcipit non revelari: ſic enim in Bulla dicitur. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt non ſolum Cardinales, verum etiam alii omnes, qui rem aliquam revelant de qua ſpecialiter, & expreſſe indictum fuerat ſilentium à Romano Pontifice, ſic enim Summus Pontifex generaliter, & indiſtincte loquitur.

De excommunicatione contra Epiſcopos alioſque Prælatos, qui privant beneficiis curiales, ſeu officiales Papæ, vel ſedis Apoſtolicæ. Cap. 1264.

1 MAteria harum cenſurarum eſt duplex actio in hac bulla expreſſa. 1. eſt conferre aliis beneficia curialium. 2. eſt illa recipere; quia in bulla dicitur tam in dantes quam in recipientes. Subiectum iſtarum Cenſurarum ſunt. Ordinariis locorum, Commiſſarii, & delegati eorum, qui curiales beneficiis privant, eaque alii conferunt: Secundo qui præfata beneficia recipiunt, quia ſic habetur in Bulla.

De Excommunicatione contra Epiſcopos, alioſque collatores beneficiorum non ſervantes ſuſpenſionem contractam ob indebitam admiſſionem reſignationis, vel collationis Beneſici Cap. 1265.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt violatio ſuſpenſionis contractæ admittendo reſignationem beneficiorum, aut illa conferendo contra præſcriptum Bullæ Pii V. ipſa autem ſuſpenſio violatur temere conferendo beneficia, eligendo, præſentando, confirmando, vel inſtituendo poſtquam ſuſpenſio contracta fuit, ut patet ex Bullæ verbis. Subiectum iſtius excommunicationis, quæ contrahitur violando præfatam ſuſpenſionem ſunt omnes Epiſcopi, & alii collatores, qui ſuſpenſionem violant.

De excommunicatione contra inquiſitores Epiſcopis inferiores, eorumque ſubſtitutos, qui delinquunt in ſuo officio per omiſſionem, aut injuſtam vexationem. Cap. 1266.

1 MAteria iſtius Excommunicationis conſiſtit in actionibus prohibitis in Clementina I Prima actio, ſeu potius omiſſio, quæ in hac Clementina prohibita eſt non procedere contra ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi: & is dicitur non procedere, qui non fungitur officio ſuo agendo contra hujuſmodi delinquentes, ubi fuerit procedendum: ſicut dicitur in textu. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Inquiſitores, & alii officiales Sanctæ Inquiſitionis inferiores Epiſcopis, qui propter odium, gratiam, amorem, lucrum, vel commodum temporale faciunt, vel omittunt facere præfatas actiones. Epiſcopi vero, aut ſuperiores Epiſcopis incurrunt ſuſpenſionem ab officio per triennium, ſic enim dicitur in textu. Abſolutio iſtius Excommunicationis reſervata eſt ſummo Pontifici excepto tamen mortis articulo.

De excommunicatione contra officiales pœnitentiariæ accipientes aliquid etiam ſponte oblatum, aut alia occaſione conceſſionum, ſeu expeditionum. Cap. 1267.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt capere aliquid ultra fructus, & ſtipendium ſibi aſſignatum etiam ſi capiatur a ſponte dantibus, aut pro celeritate expeditionis, aut pro extraordinario labore, tam procurando, quam ſcribendo, aut recognoſcendo, examinando, ſive accipiatur a ſponte dantibus, ſive ab aliis, ut expreſſe decernitur in Bulla. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt perſonæ in præfata bulla expreſſæ; & ſunt Pœnitentiarius major, Regens, Datarius, Corrector, Magiſter in Sacra Theologia, Doctor in decretis, duo procuratores, duo ſcriptores, & unus ſigillator.

De excommunicatione contra miniſtros Cameræ Apoſtolicæ deficientes in reddendis integre computis, & rationibus. Cap. 1268.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt deficere ab actionibus in Bulla præſcriptis. Prima actio eſt integre deſcribere computa: idest integrum debitum, & integrum creditum. Secunda eſt directe, vel indirecte quovis quæſito colore retinere, vel retineri facere aliquid per ſe, vel eorum miniſtros, aut dependentes ab eis. Tertia eſt dum ratio reddenda eſt integre deſcribere omne id, quod ad eorum, vel miniſtrorum, aut agentium ſuorum manus pervenit. Quarta omnia fideliter, & diligenter gerere, & adimplere: iſtæ omnes actiones in Bulla exprimuntur: ſubiectum iſtius excommunicationis ſunt perſonæ in hac Bulla expreſſæ, & ſunt Theſaurarii provinciarum Status Eccleſiaſtici, ſive Theſaurarii mercatores Cameræ Apoſtolicæ, miniſtri, aliæque perſonæ computa adminiſtrationem, locationum, affictuum, partitorum, & exactionum reddere debentes.

De Excommunicatione contra rectores, & gubernatores Civitatum, aliorumque locorum ſtatus Eccleſiaſtici recipientes munera præter eſculenta, & poculenta, & contra eos, qui præfata munera tradunt. Cap. 1269.

1 ISta Excommunicatio ob duplicem actionem incurritur. Prima eſt recipere munera quæcumque illa ſint, ut dicitur in Bulla. Secunda actio eſt tradere hujuſmodi munera ſicut in Bulla dicitur, ſubiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli rectores, aut gubernatores, ſeu officiales ſtatus Eccleſiaſtici recipientes aliquod munus à provinciis: civitatibus juriſdictioni ſubiectis, ut habetur in Bulla.

De Excommunicationibus non reſervatis contra religioſos.

De Excommunicatione contra religioſos, qui ex vi ſuæ regulæ, ſeu profeſſionis bona, ſeu redditus ad congruam ſuſtentationem habere non poſſunt ſi aliquem ad profeſſionem admittant, vel novam domum, ſeu loca acquirant, vel iam habita alienent ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Cap. 1270.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt tres actiones. Prima eſt admittere aliquem de novo ad profeſſionem in iis religionibus, quæ paupertatem in communi profitentur, & quarum inſtitutio poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III confirmata fuit. Secunda eſt acquirere novam domum, ſeu locum. Tertia eſt alienare ſine ſpeciali facultate domus, & loca, quæ habent: ſubiectum iſtius Excommunicationis ſunt religioſi, qui paupertatem in communi profitentur; ideſt qui redditus, & bona habere nequeunt ex vi regulæ, ſeu profeſſionis, & victum oſtiatim quærere coguntur mendicando, ſi aliquam ex tribus actionibus præſtent: excipiuntur tamen ab iſtis duabus propoſitionibus. Primo ordines Prædicatorum, & minorum ob evidentem Eccleſiæ utilitatem, ut in textu dicitur. Secundo ordines Eremitarum Sancti Auguſtini. & Carmelitanum quia ipſorum conſtitutio præceſſit Concilium Lateranenſe. Tertio excipi debent ordines, qui poſt diſpoſitionem Gregorii X. de licentia Summi Pontificis inſtituti, & approbati ſunt, & ideo poteſt colligi excommunicationem iſtius textus hoc tempore parum utilem eſſe: quia vel illa conſtitutio non fuit uſu recepta, & ſic non obligat, vel religio illa extincta eſt.

De Excommunicatione contra mendicantes recipientes novas domus vel alienantes jam receptas ſine licentia Papæ. Cap. 1271

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hac Clementina expreſſæ. Prima eſt recipere nova loca ad habitandum ut patet ex verbis Bullæ. Secunda eſt loca recepta mutare. Tertia eſt ſine licentia Papæ alienare. Hæc duæ tamen actiones intelligendæ ſunt de domibus receptis ante illas conſtitutiones, ideo non extenduntur ad loca acquiſita poſt conſtitutionem Clementis V. qui ex vita migravit anno 1314. 20. Aprilis: cum enim præfati Pontifices intellexiſſent recipi, & mutari recepta ad illud uſque tempus de mutatione, circa poſtea recepta nihil ſtatuerunt. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes religioſi mendicantes recipientes novas domos, vel loca ad habitandum; quia Clemens V. generaliter loquitur de mendicantibus.

De Excommunicationibus contra non nullos religioſos ſine habita licentia transferentes ſe ad alias religiones, vel eos admittentes. Cap. 1272.

1 NOn nullæ conſtitutiones extant, quibus cavetur ne aliqui religioſi ad alios ordines tranſeant. Prima eſt Leonis X. in Bulla unionis, in qua ſub Excommunicatione latæ ſententiæ interdixit, ne fratres reformati tranſeant ad fratres conventuales, vel recedant ab obedientia ſuorum miniſtrorum præciſo caſu proxime referendo. Eandem Excommunicationem extendit ad omnes, & ſingulos conventualium ſecundum privilegia viventium Prælatos, ac ſubditos, aliquem ex præfatis reformatis recipere audeant. Caſus excipitur:

quando ſcilicet Capitulum Provinciale minus malum eſſe arbitratur dimitere aliquem formatum ad nondum reformatos, quam ipſum inter reformatos retinere: ex dictis colligi poteſt, quænam ſit materia, & quodnam ſubjectum iſtius excommunicationis. Secunda conſtitutio eſt Pauli III. in Bulla quæ incipit officii edita anno 1550. & denique Sixti V. in Bulla pro eo anno 1586. in qua præcedentes confirmantur, & Excommunicantur non ſolum Capuccini recipientes fratres minores de obſervantia ſine facultate Summi Pontificis, aut ſine licentia in ſcriptis eorum Provincialium miniſtrorum: verum etiam ipſimet fratres de obſervantia præſumentes ſe ad congregationem Capuccinorum transferre abſque præfata licentia: præterea receptio irritatur, inhabilitas ad quælibet officia inducitur. Materia iſtius Excommunicationis ſunt duæ actiones. Prima eſt excipere fratres de obſervantia ſine debita licentia. Secunda tranſilire ad religionem Capuccinorum ſine præfata licentia. Subjectum iſtius excommunicationis ſunt ipſi fratres de obſervantia tranſeuntes ad Capuccinos ſine debita licentia: & præterea ipſi Capuccini, qui recipiunt, ſive ſint Provinciales, ſive Guardiani, Vicarii, Præſides miniſtri domorum: aliique ſuperiores; de his omnibus ibi ſermo eſt. Tertia conſtitutio eſt Julii II. in Bulla, quæ incipit. *Exponi* in qua Summus Pontifex excommunicat fratres S. Franciſci de Paula, qui Minimi nuncupantur recipientes, vel retinentes ſine licentia Papæ fratres ordinis Minorum de obſervantia; quæ circa iſtam excommunicationem dici poſſent facile colliguntur ex dictis in præcedentibus.

De Excommunicatione contra Religioſos foventes ſtatum Beguinarum. *Cap.* 1273.

1 IN Clementin. 1. de religioſis domibus non ſolum excommunicantur fæminæ ſtatum Beguinarum aſſumentes, verum etiam religioſi hujuſmodi Beguinis auxilium, vel favorem præbentes. Verum quia, iſtam excommunicationem ſufficienter in præcedentibus explicavi, non eſt opus hic iterum eadem repetere, ſed ſatis ſit adnotaſſe religioſos in præfata Clementina comprehendi, & excommunicatione affici, ſi mulieres ad ſtatum Beguinarum admittant, foveant in illo ſtatu, aut auxilium, vel favorem ſuper hoc præſtent.

De excommunicatione contra Religioſos profeſſos matrimonium contrahentes. *Cap.* 1274.

1 IN Clement. unica de conſanguin. & affinit. extat excommunicatio contra contrahentes matrimonium in quibuſdam caſibus, inter quos recenſetur caſus matrimonii à Religioſo profeſſo contracti; verum quia de hoc ſupra actum eſt, hic nil aliud addam.

De Excommunicatione contra Religioſos profeſſos temere habitum dimittentes. *Cap.* 1275.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt temere habitum ſuæ religionis dimittere, ut aperte conſtat ex textu; ille autem dicitur habitum dimittere, qui habitum deponit ad ſic incedendum, vel ad ſe occultandum: ita ut eo depoſitio nequeat religioſus dignoſci: & dimiſſio debet eſſe temeraria, quia in textu bis exprimitur hæc conditio: & tunc erit temeraria. Primo ſi non fiat ex cauſa rationabili, vera, vel apparente: unde Religioſus excuſatur, quia cauſa ſervandæ vitæ dum per loca Turcarum, hæreticorum, vel aliorum tranſiturus eſt habitum dimittit. Secundo ſi fiat ex contemptu legis: per contemptum intelligo animum dimittendi habitum non obſtante prohibitione legis, quam novit latam eſſe: & ad incurrendam excommunicationem non opus eſt, ut dimiſſio habitus ſit perpetua: ſed ſatis eſt, ut ad tempus deponat: quia textus loquitur de illa dimiſſione habitus, quæ vagandi occaſionem præbet: occaſionem autem vagandi præbere poteſt dimiſſio habitus, etiam ſi temporalis ſit, & non perpetua, & in hoc capite excommunicantur religioſi dimittentes habitum in ſcholis, aut alibi: Scholæ autem non ſolent eſſe perpetuæ: ſubjectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli religioſi habitum ſuæ religionis temere dimittentes: quia in textu ſermo eſt ſimpliciter de religioſis temere habitum dimittentibus. Poteſtas diſpenſandi circa delatio-

tio-

Digitized by Google

tionem habitus pertinet ad ſummi Pontificem: quia obligatio deferendi habitum conſurgit ex jure Canonico: facultas autem diſpenſandi in jure Canonico pertinet ad Papam.

De excommunicatione contra Religioſos clauſtro exeuntes ad audiendas leges, aut Medicinam, & intra bimeſtre non redeuntes. Cap. 1276.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt duæ actiones in textibus expreſſæ, & religioſis prohibitæ. Prima eſt è clauſtro exire ad audiendas leges, vel Phyſicam, per Phyſicam intelligitur Medicina quare religioſus Phyſicæ, vel legibus ſtudens in clauſtro non afficitur pœna excommunicationis, quia non dicitur clauſtro exire ad audiendam Phyſicam, vel legens. Secunda actio, ſeu potius ommiſſio in hoc textu prohibita eſt non reverti intra duos menſes ad clauſtrum: tempus autem computandum eſt à die, quo religioſus egreditur ad præfatas ſcientias audiendas. Subiectum iſtius Cenſuræ ſunt omnes, & ſinguli religioſi exeuntes è Clauſtro ad præfatas facultates audiendas, niſi intra duos menſes redierint quia in c. non magnopere ita ſtatuitur, nec ſuperior religioſorum poteſt in hac re cum ſuis religioſis diſpenſare: quia inferior non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare.

De Excommunicatione contra Religioſos ad ſtudia accedentes abſque licentia Prælati, & conſilio conventus, vel majoris partis. Cap. 1277.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt acceſſus ad ſtudia abſq; licentia ſuperioris cum conſilio conventus, vel majoris partis, ut patet ex verbis textus: ille autem acceſſus prohibetur, quo religioſus cauſa ſtudiorum proficiſcitur extra oppidum ſui Monaſterii, quia textus loquitur de proficiſcente alio cauſa ſtudendi: quare religioſus, qui ſine licentia accedit ad ſtudia ſui oppidi non afficitur excommunicatione hujus capitis: quia textus loquitur de proficiſcente alio, licentia autem, quæ requiritur, debet eſſe proprii Prelati immediati cum conſilio conventus; vel majoris partis, ſic enim dicitur in textu. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes religioſi profeſſi ſubditi Prælato immediato conventus accedentes ad ſtudia ſine debita licentia; textus enim de his indirecte loquitur: quare novitius non afficitur hac cenſura: quia textus loquitur de profeſſo.

De Excommunicatione contra Monachos & Canonicos Regulares adeuntes curias Principum ad nocendum ſuis Prælatis, aut Monaſteriis. Cap. 1278.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt accedere ad curias Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſteriis: & ſic duæ conditiones requiruntur. Prima eſt acceſſus ad curias Principum. Secunda eſt intentio nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſteriis: ſubiectum iſtius excommunicationis ſunt Monachi, & Canonici regulares non habentes aliquam adminiſtrationem; ſi ad curias Principum accedant intentione nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſteriis hæc propoſitio clare conſtat ex verbis textus: unde hæc cenſura non ligat quoslibet religioſos ſed ſolum monachos omnes, & canonicos regulares: quia textus iſtorum ſolum meminit.

De excommunicatione contra Religioſos cujuſvis ordinis, & alios prædicantes, vel privatim pronunciantes indulgentias S. Mariæ ad populum in urbe extendi, ad ſeculares viſitantes Eccleſias privilegiatorum. Cap. 1279.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt prædicare, aut privatim nunciare indulgentias S. Mariæ ad populum in Urbe percipi poſſe à ſecularibus viſitantibus Eccleſias Privilegiatorum. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt fratres cujuſvis ordinis, & alii præfatam actionem facientes: licet ego Bullam non vidi, nec invenire potui: ſed teſte Vivaldo hanc Excommunicationem hic retuli: qui affert in excommunicationibus non reſervatis *n. 43. pag. mihi* 345. in novis, hanc excommunicationem tuliſſe Leonem X. in Bulla quæ incipit, dudum per nos.

vendi decimas admonere tenebatur poſtquam à rectore Eccleſiæ requiſitus fuerat, ut eos admoneret: nam in c cupientes de penis præcipitur religioſis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto ab officio prædicationis, ut confitentibus conſcientiam faciant de ſolvendis decimis, quoties à rectoribus Eccleſiarum ad hoc requiruntur: ſi autem ſcienter negligant conſcientiam facere ſuſpenſionem incurrunt: quæ ſuſpenſio durat donec confitentibus conſcientiam fecerint, quod ſi interim antequam negligentiam oblata opportunitate purgent, idest antequam conſcientiam confitentibus faciant præſumpſeriat prædicare vinculo excommunicationis obſtringentur, Subiectum iſtius excommunicationis ſunt religioſi, qui contracta ſuſpenſione ob non factam confitentibus conſcientiam de ſolvendis decimis prædicare audent: hæc propoſitio clara eſt ex textu.

De excommunicatione contra religioſos non ſervantes interdictum, vel ceſſationem à divinis, quam ſervari vident a cathedrali, vel à Matrice ſeu parochiali eccleſia. Cap. 1283.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt violare, ſeu non ſervare interdictum generale, aut ceſſationem à divinis quoties hæc impoſita fuerint auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel ab ordinariis locorum, vel à Concilio provinciali, & quoties obſervantur à cathedrali, vel matrice, ſeu parochiali Eccleſia: hæc omnia perſpicue habentur in verbis Clementinæ, unde quatuor conditiones ſunt neceſſariæ ad incurrendam hanc excommunicationem. Prima eſt ut interdictum ſit generale. Secunda ut interdictum generale ſervetur ab Eccleſia cathedrali, vel ubi non eſt Cathedralis à matrice, ſeu parochiali Eccleſia. Tertia, ut religioſi ſciant interdictum ſervari à cathedrali ſeu matrice, vel parochiali. Quarta ut interdictum latum ſit auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel ab ordinariis locorum, vel auctoritate Conciliorum Provincialium, Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli religioſi non ſervantes interdictum, hæc propoſitio patet ex ipſo textu.

De excommunicatione contra religioſos mendicantes, & Parochos non ſervantes pacem inter ſe factam. Cap. 1284.

1 MAteria iſtius Excommunicationis reſpectu mendicantium eſt. Prima prædicare parochianos non teneri miſſam in parochia diebus feſtis, & diebus dominicis audire. Secunda inducere laicos ad eligendam ſepulturam apud ipſos religioſos. Tertia prædicare parochianos non teneri peccata ſua ſaltem in Paſchate proprio ſacerdoti confiteri Quarta eſt inter fratres mēdicantes, & curatos non ſervare conſuetudinem antiquam quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulſandi, aut horam commutare in prædicationibus faciendis abſque partium conſenſu, & hæc actio communis eſt etiam ipſis Parochis. Quinta eſt in concionibus detrahere Prælatis, & Parochis. Sexta eſt quovis modo retrahere populos à frequentia, & acceſſu Eccleſiarum Parochialium. Materia vero iſtius excommunicationis ex parte rectorum Eccleſiarum parochialium eſt. Prima dicere hæreſes à mendicantibus proceſſiſſe. Secunda inducere ad eligendam ſepulturam apud ſe. Tertia non ſervare conſuetudinem circa horas cantandi, aut campanas pulſandi. Quarta aliquo modo detrahere mendicantibus, aut illis favorem non præſtare, dum poſſunt, ut clare conſtat ex verbis extrau. Subiectum iſtius excommunicationis quoad ſex actiones primo loco expreſſas ſunt Religioſi prædicatores Minores & Carmelitæ inter hos enim, & Parochos, & alios Eccleſiarum Prelatos diſſenſio ſuborta fuerat: quoad quatuor actiones poſteriores, ſubiectum ſunt rectores Eccleſiarum, & quoad ultimam ſunt, etiam ipſi Prelati ut patet ex verbis textus. Excommunicatio iſtius Extravag. reſervata eſt ante preſtitam ſatisfactionem, & expreſſum partis læſæ conſenſum.

De Excommunicatione contra Monachos tenentes arma intra ſepta Monaſterii. Cap. 1285.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt tenere arma intra ſepta monaſterii: excommunicatio enim fertur contra tenentes arma, bona autem fides, aut

juſta

juſta, & rationabilis cauſa ab iſta cenſura excuſat. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt monachi omnes, nam in textu dicitur Monachos.

De excommunicationibus contra Religioſos Papæ reſervatis.

De excommunicati ne contra Religioſos mendicantes tranſeuntes ad ordines Monaſticos exceptis Cartuſianis. Cap. 1286.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt duplex actio in hac bulla. Prima eſt tranſire ad religioſos monaſticos ſine ſpeciali Summi Pontificis licentia: ſic enim in extrag. dicitur. Secunda actio eſt recipere, ſeu cooptare religioſum Mendicantem in ordinem monaſticum abſque ſpeciali ſummi Pontificis licentia: quare receptio, & admiſſio non ſolum eſt illicita, & ſub excommunicatione prohibita: verum etiam eſt invalida, ſic enim in hac extravag. dicitur. Excipiendus eſt tamen duplex caſus. Primus eſt dum quis ab ordine Mendicantium tranſit ad ordinem Carthuſienſium, nam hic ordo excipitur in Extravag. Secundus ſi hoc fiat de ſpeciali Summi Pontificis licentia ut in textu dicitur. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt non ſolum religioſi mendicantes tranſeuntes ad aliquem ordinem monaſticum abſque licentia Summi Pontificis: verum etiam ſuperiores ordinum Monaſticorum recipientes mendicantes abſque præfata Sedis Apoſtolicæ licentia: hæc propoſitio clare conſtat ex dictis in extravag.

De nonnullis excommunicationibus contra nonnullos Religioſos admittentes alios ad ſuam Religionem ſine debita facultate, aut deſerentes alienum habitum, aut detrectantes obedientiam ſuperiorum. Cap. 1287.

1 PRima Edita fuit a Pio V. in Bulla quemadmodum contra profeſſos ordinis humiliatorum admittentes aliquem ad habitum, vel profeſſionem ſui ordinis: ſed ordo humiliatorum paulatim extrinctus fuit, unde adimitur occaſio differendi de ea excommunicatione. Secunda edita fuit ſimiliter a Pio V. in bulla, quæ incipit accum reputavimus contra religioſos cujuſcunque ordinis recipientes Patres Societatis Jeſu ſine licentia ſui ſuperioris exceptis tamen Cartuſianis; & contra ipſoſmet patres Societatis ſine dicta licentia ingredientes aliam religionem, quam Cartuſianam, & contra dantes auxilium. Tertia edita fuit a Julio II. in Bulla, quæ incipit virtute conſpicuos contra clauſtrales recipientes minimos ſine licentia Summi Pontificis. Quarta edita fuit a Clemente contra minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum volentes ad ipſos tranſire ſine expreſſa licentia Papæ, vel libito ſuperiorum. Quinta dicitur lata à Paulo III. in Bulla cum ſicut contra Minimos, qui ſe ab obedientia correctorum ſubtrahent. Sexta lata fuit a Leone X. in Bulla licet alias, contra Tertiarios Eremitas deferentes habitum Minimorum.

De Excommunicatione contra detinentes in ſuis Monaſteriis Apoſtatas ordinis Prædicatorum. Cap. 1288.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt detinere in ſuis Monaſterii Apoſtatas ordinis Prædicatorum. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Religioſi, quorum auctoritate apoſtata in ſuis Monaſteriis detinetur.

De excommunicatione contra minores de obſervantia ſubornantes pro ſe vel pro alios in electionibus, aut procurantes favorem extra religionem ad officium in religione obtinendum. Cap. 1289.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt duplex actio, quæ in hac Bulla prohibetur. Prima actio eſt ſubornare pro ſe, vel pro alio in electionibus ſive id fiat in actu electionis: ſive etiam ante electionem infra ſex menſes ſic enim dicitur in Bulla Pii V. Secunda actio procurare favorem extra religionem ad officium in religione obtinendum; Ita enim in Bulla dicitur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes Religioſi ordinis minorum Sancti Franciſci de obſervantia: qui præfatas actiones faciunt: quia de his loquitur Bulla: quæ excommunicatio reſervata eſt Summo Pontifici, ut dicitur in Bulla.

De

Digitized by Google

De Excommunicatione contrà Religioſos adminiſtrantes ſine ſpeciali parochi licentia Sacramenta Extremæ unctionis, vel Eucharistiæ, vel ſolemnizantes matrimonium, aut abſolventes ſine debita facultate ab excommunicationibus reſervatis, aut à pena, & culpa Cap. 1290.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt uſurpata juriſdictio conſiſtens in actionibus hic expreſſis. Prima actio eſt miniſtrare Sacramentum extremæ unctionis, vel Euchariſtiæ laicis, aut clericis ſine licentia curatoris animarum, ſic enim dicitur in textu. Secunda actio eſt ſolemnizare matrimonia ſine ſpeciali licentia: is autem dicitur ſolemnizare matrimonium, qui ſolemniter benedicit, ſive ſolemniter benedicat primis ſive ſecundis nuptis. Tertia actio eſt abſolvere ab excommunicationib. à canone latis vel impoſitis in Conciliis provincialibus, vel ſynodalibus. Quarta actio eſt abſolvere à culpa, & pœna, quod idem eſt ac remittere culpam, & pęnam ſeu conferre remiſſionem à culpa, & pæna ideſt concedere indulgentiam Plenariam quod hoc nomine alias ſignificatur, licet ſpectata propria verborum ſignificatione Summus Pontifex videatur velle eos excommunicare qui abſolvunt à pæna, ideſt Cenſura, & culpa ideſt peccato licet in hoc caſu non facit eum ſenſum: Unde Summus Pontifex intendit prohibere actionem illam externam: qua quis exterius prohibetur ſe indulgentiam concedere. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt religioſi: qui præfatas actiones ſine debita facultate præſtare præſumunt: quia textus indirecte loquitur de religioſis.

De excommunicatione contra fratres minores, qui tempore interdicti admittunt fratres, vel ſorores tertii ordinis ad audienda divina officia. Cap. 1291.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt quovis modo admittere Tertiarios ad divina tempore interdicti ita enim in textu dicitur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt fratres Minores; qui præfatos Tertiarios ad divina recipiunt in ſuis Eccleſiis; ſic enim habetur in Bulla.

De Excommunicatione contra Superiores ordinum Religioſorum non denunciantes ſuos Religioſos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. Cap. 1292.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt duplex actio in hac Bulla prohibita. Prima eſt non denunciare Inquiſitoribus, aut ordinarii locorum vicinioribus eos quos Prælati religioſorum hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos cognoverint, ſic enim expreſſe decernitur in bulla. Secunda actio eſt impedire, vel retardare religioſum, volentem aliquem denunciare inquiſitoribus, vel ordinariis locorum, ne illum denunciet, nam in litteris inter cætera præſcribitur, ut Religioſi denuncient hujuſmodi delinquentes, & a ſuperioribus non impediantur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Prælati Religioſorum non denunciantes hujuſmodi ſuſpectos, vel præſumentes impedire alios religioſos, ne denuncient: quia Summus Pontifex pœnas, & cenſuras iſtius conſtitutionis dirigit ſolum ad generales, ſuperiores, & prælatos, ut patet ex verbis Bullæ.

De Excommunicatione contra Religioſos euntes ultra mare ſine licentia ſui ſuperioris. Cap. 1293.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt duplex actio una ex parte religioſi inferioris, alter a ex parte ſuperioris. Prima igitur actio eſt transferre ſe ad partes tranſmarinas abſque licentia ſuperioris, ut dicitur in Bulla. Secunda actio ex parte ſuperioris eſt concedere licentiam accedendi ad partes tranſmarinas aliis, quàm viris doctis, & expertis ſic enim dicitur in Bulla Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli religioſi cujuſcumque ordinis, & religionis transferentes ſe ad præfatas partes tranſmarinas abſque licentia ſui ſuperioris, ſic enim habetur in Bulla.

De Excommunicatione ob violentionem Clauſuræ. Cap. 1294.

1 DE hac fuſius alibi actum eſt.

De

De excommunicationibus non reſervatis contra Judices, magiſtratus, & dominos temporales.

De excommunicatione contra Dominos temporales, aliosque rectores, & officiales civitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda eſt, ſi obſervari non faciunt ea, quæ præſcribuntur in c. ubi periculum de electione in 6. Cap. 1295.

1 MAteria iſtius excommunicationis conſiſtit. Primo in omiſſione, ſeu negligentiæ ad faciendum obſervare ea, quæ in præfato capite circa Summi Pontificis creationem præſcribuntur, non autem ſufficit quælibet negligentia, ſed requiritur gravis ſufficiens ad mortale ſubiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes Domini, aliique rectores, & officiales illius loci, in quo Summi Pontificis electio facienda eſt, delinquentes contra iſtam conſtitutionem ut patet in dicto c. & propterea non ſolum laici, verum etiam Eccleſiaſtici contra iſtam conſtitutionem delinquentes afficiuntur excommunicatione iſtius capitis: quia textus generaliter loquitur de Dominis, rectoribus, & officialibus illius civitatis, in qua Romani Pontifici electio facienda eſt.

De excommunicatione contra violantes exemptionem ordinum mendicantium, pro eorum perſonis, bonis, colonis, mercibus, & animalibus à ſolutione Gabellarum, & quarumcumque contributionum, onereque hoſpitandi milites. Cap. 1296.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt contravenire huic conſtitutioni: is autem contravenire dicitur, qui exemptionem ordinibus mendicantibus, tam viris, quam monialibus conceſſam violat imponendo taxas, onera, & tributa quavis ex cauſa: in hoc autem conſiſtit exemptio, ſcilicet, ut ipſi fratres, Monachi, moniales, & aliæ regulares perſonæ nec non ipſorum bona mobilia, vel immobilia, item ipſorum laborantes, coloni, locatarii, affictuarii, negotiorum geſtores immunes ſint à qualibet collecta, contributione, tributo, taxa, gabellis, aliiſq; oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis, ut clare diſponitur in ipſa Bulla. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli, qui huic conſtitutioni contraveniunt: quia Summus Pontifex indefinite, & indiſtincte loquitur.

De excommunicatione contra facientes ſervari ſtatuta, & conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrarias, vel non facientes deleri dicta ſtatuta de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt ſcientiam ejus. Cap. 1297.

1 ISta excommunicatio continetur in c. noverit de Sententia Excommunic. alias explicata: hic ſolum breviter adnotabo iſtam excommunicationem latam eſſe Primo contra facientes ſervari conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam introductam. Secundo contra facientes ſervari ſtatuta edita contra libertatem Eccleſiaſticam, niſi ea fecerint è capitularibus ſuis deleri. Tertio contra ſtatutarios Quarto contra ſcriptores ſtatutorum. Quinto contra poteſtates, conſules, rectores, & conſiliarios locorum, ubi prædicta ſtatuta edita ſunt, vel obſervata modo participes delicti fuerint. Sexto contra præſumentes judicare juxta prædicta ſtatuta. Septimo contra eos, qui judicata redigunt in formam publicam: hæc omnia conſpicue conſtant ex verbis præcitati c. noverit; de ſententia excommunicationem.

De Excommunicatione contra dominos ſeculares, qui ſuis ſubditis interdicunt, ne cum Prælatis, aut aliis perſonis Eccleſiaſticis contractus ineant, vel communia obſequia exhibeant. Cap. 1298

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt Sacrilegium, quo libertas Eccleſiaſtica violatur: interdicendo ſubditis, ne quicquam Eccleſiaſticis vendatur, aut ab eis emant, aut bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia præſtent; unde materia iſtius excommunicationis eſt interdicere ne aliquid prædictorum fiat cum perſonis Eccleſiaſticis. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt domini temporales præfata interdicentes; quia ſic habetur in textu.

De

De Excommunicatione contra eos, qui intra menſem poſt habitam cognitionem obſervari non faciunt conſtitutionem e felicis, de pæ- in c. contra inſequentes Cardinales. Cap. 1299.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt peccatum omiſſionis, ſi principes aut alii domini, ſeu rectores non curant infra menſem à die ſcientiæ obſervari, quæ in *capit. felicis*. continentur contra inſequentes Cardinales: ad ea autem obſervanda præfati principes, vel domini, ſeu rectores tenentur, quæ ibi præſcribuntur contra hoſtiliter inſequentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut cooperantes, mandantes, ratum habentes, conſulentes, faventes, recipientes, aut ſcienter defendentes: præſcribitur autem, ut hujuſmodi delinquens ſit infamis, inteſtabilis, non habeat ius ſuccedendi, ejus domus deſtruatur, bona fiſco applicentur, privationem ipſo facto incurrat feudorum, locationum, officiorum, vel beneficiorum ſpiritualium: vel temporalium: ipſius filii, & deſcendentes per rectam lineam ipſo facto priventur beneficiis, & dignitatibus, & inhabiles fiant ad beneficia, & officia etiam temporalia in futurum obtinenda, in judiciis non audiantur, & alia, quæ in præcitato capite recenſetur. Eadem pœna pro qualitate Criminis plecti debent, qui hujuſmodi crimen comm ttunt contra aliquem de clericis, vel religioſis familiæ Papæ, vel Cardinalium, ut in præcitato textu habetur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt Principes, Senatores, Conſules, Poteſtates, Domini, ſive rectores, & eorum officiales: qui præfatam conſtitutionem obſervari non faciunt intra menſem poſt quam de crimine cognitionem habuerunt, ſic enim dicitur in textu.

De Excommunicatione contra principes, & alios dignitatem ſecularem habentes, qui poſt trinam admonitionem negligunt ſui officii munus obire. Cap. 1300.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt negligentia in defendendis Eccleſiis, pupillis, & viduis, & in corrigendis, rapacibus perſonis, modo tamen negligentia, ſeu omiſſio committatur poſt ſecundam, & trinam admonitionem, ut patet ex verbis *c. adminiſtratores*. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt adminiſtratores ſecularium dignitatum ideſt principes, ſeu poteſtates ſeculares, qui renuunt, prædicta facere poſtquam ter admoniti, & requiſiti fuerunt ab Epiſcopis, & viris Eccleſiaſticis, & remanent excommunicati donec condignam ſatisfactionem præſtiterint; condignam autem ſatisfactionem præſtabunt parendo Eccleſiaſtico præcepto, & ſatisfaciendo, Eccleſiis, pupillis, & viduis ob admnum, quod ob negligentiam Principis paſſæ ſunt.

De Excommunicatione contra magiſtratus ſeculares non præbentes Epiſcopis auxilium circa clauſuram monialium. Cap. 1301.

1 MAteria iſtius excommunicationis conſiſtit in omiſſione præbendi auxilium, cum Epiſcopus illud ſibi præberi petit à Magiſtratu ſeculari, modo omiſſio ſit mortaliter culpabilis. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli. Magiſtratus ſeculares non præbentes auxilium circa clauſuram: ſic dicitur in textu. Magiſtratus autem ſeculares ſunt perſonæ publicæ: quæ iuriſdictionem ſecularem exercent.

De Excommunicatione contra dominos temporales reſiſtentes Epiſcopis, & inquiſitoribus, ſeu impedientes officium ſanctæ Inquiſitionis. Cap. 1302.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in *c. ut Inquiſitionis* 38. *de hæreticis in* 6. *expreſſæ*. Prima eſt non parere diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus non intendendo, cum ab eis requiſiti ſunt, in inveſtigatione, captione, aut cuſtodia diligenti hæreticorum credentium fautorum receptatorum, & defenſorum ipſorum, ſic enim dicitur in præfato textu. Secunda eſt nolle ſtatim recipere hujuſmodi perſonas de hæreſi ab Epiſcopo, vel inquiſitore condemnatas ſuæ juriſdictioni commiſſas ad puniendum: ſic habetur in textu. Tertia eſt cognoſcere, ſeu iudicare de crimine

mine hæreſis: cum hoc crimen ſit mere Eccleſiaſticum, ut expreſſe habetur in hoc capite jure merito pœna Excommunicationis puniuntur ſæculares iudices de hæreſi cognoſcentes: Quarta eſt carcere liberare captos pro crimine hæreſis abſque licentia, ſeu mandato inquiſitoris, vel Epiſcopi: ſufficit tamen licentia unius, licet non adſit mandatum, & facultas alterius: quia textus diſiunctive loquitur. Quinta eſt renuere executionem ab Epiſcopo, vel Inquiſitore iniunctam, prompte facere, ſeu adimplere. Sexta eſt præſumere impedire directe, vel indirecte judicium, ſententiam ſeu proceſſum Diœceſani, vel Inquiſitoris. Septima eſt præſumere opponere ſe Epiſcopo, vel Diœceſano incumbenti in negotio fidei; iſtæ omnes actiones clare exprimuntur in textu. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli Domini temporales, & rectores provinciarum, civitatum & aliorum locorum, & officiales, ſeu balivi, qui aliquam ex præfatis actionibus principalibus faciunt: ſic enim ex verbis textus colligitur. Subiectum iſtius excommunicationis quoad actiones acceſſorias ſunt omnes perſonæ excommunicationis capaces, quæ conſilium, auxilium, vel favorem in prædictis actionibus ſcienter præbent. Nam Summus Pontifex in hac parte univerſaliter, & indiſtincte loquitur.

De excommunicatione contra Magiſtratus, & officiales non obedientes Cardinalibus congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis. Cap. 1303.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt inobedientia, id eſt omiſſio obediendi Cardinalibus ſanctiſſimæ inquiſitionis in iis, quæ officium ſanctæ inquiſitionis concernunt; clare conſtat ex verbis Bullæ Pii V. quæ incipit Sanctiſſimus DD. & eſt prima in ordine Bullas in novo Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli magiſtratus, & officiales non ſolum ſtatus Eccleſiaſtici: verum etiam totius orbis, non obedientes Cardinalibus inquiſitoribus generalibus in iis quæ officium ſanctæ Inquiſitionis concernunt: Bulla enim univerſaliter loquitur de hujuſmodi magiſtratibus, & officialibus.

De Excommunicatione contra Inquiſitores, & commiſſarios ipſorum, & Epiſcoporum, ſeu capitulorum extorquentes pecuniam prætextu officii, aut applicantes fiſco bona Eccleſiæ Cap. 1304.

1 MAteria iſtius Excommunicationis in duabus actionibus conſiſtit, Prima eſt extorquere ab aliquo pecuniam modo illicito prætextu officii Inquiſitionis in qua requiruntur tres conditiones. Prima eſt, ut pecunia extorquatur, Secunda ut per modum illicitum. Tertia prætextu officii Inquiſitionis: is autem dicitur extorquere, qui quaſi per vim, ſeu ab invito pecuniam exigit. Secunda eſt ſcienter attentare bona Eccleſiarum prætextu officii Inquiſitionis applicare fiſco, etiam Eccleſiæ ob delictum clericorum, in qua quatuor conditiones requiruntur. Prima ut hoc ſcienter fiat. Secunda ut bona quæ applicantur ſint Eccleſiarum. Tertia ut applicentur fiſco, ſive ſit fiſcus ſecularis, ſive Eccleſiaſticus. Quarta ut applicatio fiat prætextu officii Inquiſitionis. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt. Primo Inquiſitores: his enim præfatas actiones ſub excommunicatione prohiberi patet. Secundo Commiſſarii Epiſcoporum, Inquiſitorum, aut Capitulorum Sede vacante deputati circa inquiſitionis officium. Iſta excommunicatio reſpectu illius qui pecuniam extorſit reſervata manet, quamdiu plene ſatisfecerint, præſtita vero ſatisfactione, abſolutio jure communi conferri poteſt à quolibet approbato confeſſario, quia definit reſervatio.

De Excommunicatione contra Procuratores officii correctoris Cancellariæ Apoſtolicæ, & litterarum minoris juſtitiæ, ſeu contra dictarum intromittentes ſe in cauſis ipſis interdictis à Pio IV. Cap. 1305.

1 MAteria iſtius Excommunicationis eſt temere quovis modo intromittere ſe in expediendis cauſis, negotiis & expeditionibus: quæ in Bulla Pii IV. citata interdicantur; ſic enim in ea decernitur. Subiectum iſtius Excommunicationis ſunt pro-

procuratores litterarum contradictarum: qui ſe in cauſis, negotiis, & expeditionibus intromittere quovis modo audent.

De Excommunicatione contra Legatos Vicelegatos, Gubernatores, Iudices, officiales, & Commiſſarios, qui præſumunt ſe in officiis notariatuum per cameram venditis, aut vendendis aut inſcripturis in præjudicium notariorum per ſe, vel per alios intromittere aut notarios illa officia ementes vexare. Cap. 1306.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla prohibitæ. Prima actio eſt temere quovis colore, vel prætextu intrommittere ſe in officiis, & ſcripturis notariorum officia ementium in præjudicium ipſorum notariorum. ſecunda eſt diſponere de hujuſmodi officiis; vel ſcriptis. Tertia eſt notarios, qui illa officia pro tempore emerunt moleſtare, perturbare, vel impedire, aut contra eos procedere ſive faciant per ſe, ſive per alios iſtæ omnes actiones explicite, & clare in Bulla continentur. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt communitates, cullegia, & aliæ particulares perſonæ, & legati pro tempore, Vicelegati, Gubernatores, Poteſtates, officiales, judices, & commiſſarii quo vis privilegio, & dignitate gaudeant, ſic enim expreſſe decernitur in Bulla.

De Excommunicatione contra rectores, gubernatores alioſque officiales, & miniſtros, qui pænas, & multas pecuniarias, & confiſcationes alteri applicant, quam Cameræ Apoſtolicæ. Cap. 1307.

1 MAteria Bullæ Pii IV. quæ incipit Decet Romanum. Pontificem, & eſt 43. in ordine; eſt applicatio pænarum, & mulctarum, aut confiſcationum alteri, quam fiſco & Cameræ Sedis Apoſtolicæ: hæc propoſitio præcipue conſtat ex verbis præcitatæ Bullæ, quare pænæ, confiſcationes, & mulctæ impoſitæ à jure, vel per decretum, & ſententiam pro quovis crimine in locis Sedis Apoſtolicę ſolvendæ ſunt Cameræ modo ex titulo oneroſo alteri non debeantur, aut applicatæ non ſint. Subiectum iſtius Bullæ, & cenſuræ ſunt omnes rectores, preſidentes, officiales, & miniſtri civitatum, & locorum ſtatus Eccleſiaſtici: qui alteri quam fiſco Cameræ Apoſtolicæ prædictas pœnas, confiſcationes, & mulctas applicare audent. Hæc propoſitio patet ex verbis Bullæ. Delinquentes contra iſtam conſtitutionem, præter pęnam arbitrariam afficiuntur pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis pro ut ipſi delinquentes elegerint: quia quando cenſuræ ſub forma diſiunctiva feruntur in poteſtate delinquentis eſt eam cenſuram, quam velit eligere.

De Excommunicatione contra Doctores univerſitatem gymnaſiorum, & alios facultatem doctorandi babentes; ſi patiantur aliquem ad cathedras, vel gradum aliquem promoveri non facta fidei profeſſione Cap. 1308.

1 IStius Excommunicationis materia eſt promotio, & permiſſio promotionis ad cathedras, lectiones, vel gradus non facta fidei profeſſione: ſic enim habetur in quodam motu proprio Pii IV. qui incipit in ſacroſancta, & ideo qui aliquem ad doctoratus gradum, magiſterii, baccalaureatus, vel licentiaturæ admittit, vel promoveri permittit abſque fidei profeſſione in excommunicationem incidit. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt rectores univerſitatum, ac gymnaſiorum, & alii facultatem doctorandi habentes, qui aliquem permittunt retinere, vel conſequi cathedram, vel lectiones, aut ad gradus promoveri, non facta fidei profeſſione, ſive promoventes ſint laici ſive Eccleſiaſtici.

De Excommunicatione contra Dominos, alioſque officiales foventes uſuras, aut compellentes ad ſolutionem uſurarum. Cap. 1309.

1 MAteria iſtius Excommunicationis ſunt ſex actiones hic prohibitæ. Prima eſt facere ſtatuta de ſolvendis uſuris, vel non reſtituendis cum repetuntur, Secunda eſt ſcribere preſata ſtatuta. Tertia eſt hujuſmodi ſtatuta dictare. Quarta ſcienter judicare, ſeu ſententiam ferre, ut ſolvantur uſurę, vel non reſtituantur plene, & libere, cum ſolutæ repetuntur, circa au-

autem præfatas quatuor actiones excommunicatio non incurritur, niſi fiat cum præſumptione: textus enim utitur verbo præſumpſerint. Quinta actio, ſeu potius omiſſio eſt non delere infra tres menſes hujuſmodi ſtatuta de libris communitatum, Sexta actio eſt præſumere ſervare hujuſmodi ſtatuta, vel conſuetudines, vim ſtatuti habentes. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt officiales locorum, & communitatum qui aliquam ex prædictis actionibus faciunt, ſic enim dicitur in textu.

De Excommunicatione contra deferentes, vel deferri concedentes in ſtatu Eccleſiaſtico arma brevioris menſuræ trium palmorum. Cap. 1310.

1 OMnes, & ſinguli Miniſtri, & officiales civitatum, ſeu locorum ſtatus Eccleſiaſtici huic cenſuræ ſubiiciuntur concedendo facultatem deferendi pugiones, cultellos, aut quodvis aliud armorum genus brevioris menſuræ trium palmorum in urbe, civitatibus aliiſque locis ſtatu Eccleſiaſtici, ut patet ex verbis Bullæ; quare deferentes præfata arma in ſtatus Eccleſiaſtico, excommunicationem hujus Bullæ incurrunt, exceptis tamen cultellis aptis ad ſcindendum panem.

De Nonnullis aliis excommunicationibus contra Principes & Dominos temporales. Cap. 1311.

1 MUltæ recenſentur excommunicationes; quæ præfatos Principes, & Dominos temporales afficiunt, in quarum explicatione non immorabor: quia eas in præcedentibus explicavi. Prima eſt contra eos, qui repreſſalias concedunt adverſus Perſonas Eccleſiaſticas. Secunda eſt contra permittentes agitationem taurorum, ſeu ferarum. Tertia contra concedentes locum cauſa Duelli. Quarta contra retinentes nomen Vicarii Imperatoris. Quinta eſt contra cogentes ſubditos, ne Matrimonium libere contrahant. Sexta eſt contra Dominos temporales impedientes legatos Apoſtolicos, ne terras ſibi ſubiectas ingrediantur.

De excommunicationibus reſervatis contra Dominos temporales. Cap. 1312.

1 PRæter excommunicatis in præcedentibus explicatas, hic paucis nonnullas reſervatas attingam, quæ Dominorum temporalium propriæ ſunt. Prima eſt contra dominos cogentes aliquem ad celebrandum tempore interdicti, vel prohibentes ne obſtricti vinculo excommunicationis ab Eccleſia exeant tempore divinorum de qua ſuperius diſſerui. Secunda eſt contra bannientes, relegantes, aut proſcibentes perſonas Eccleſiaſticas, de qua alias actum eſt. Tertia eſt contra Dominos temporales prohibentes ſuis ſubditis, ne vendat Eccleſiaſticis, vel ab eis emant ne molant triticum, coquant panem, & alia communia obſequia præſtent, quæ referuntur in *c. fin. de im. mun. Eccleſ. in* 6. Iſta excommunicatio referenda eſt inter excommunicationes Bullæ Cœnæ quoties Domini ſæculares habentes temporale Dominium prohibent hæc fieri per ſtatum, ut patet ex dictis in Bulla Cœnæ. Si vero prohibent abſque ſtatuto, vel decreto incidunt in iſtam excommunicationem, quæ tamen in hac parte non eſt reſervata, unde materia iſtius Excommunicationis quatenus reſervata non eſt, eſt præcipere ne ſubditi emant, aut vendant Eccleſiaſticis; aliaque communia obſequia præſtent: modo illa prohibitio non ſiat per modum ſtatuti, & decreti formalis. Subiectum autem iſtius excommunicationis ſunt tantum, modo Domini ſeculares dominium habentes qui præcipiunt ſuis ſubditis, ne præfata faciant cum Eccleſiaſticis. Quarta eſt contra recipientes bannitos in terris Eccleſiæ ſubiectis, quæ ſublata fuit à Sixto V. Quinta eſt contra permittentes Duellum in terris ſuis de qua ſupra actum eſt.

* * *

De

De ſuſpenſionibus omnibus in particulari.

De ſuſpenſionibus, quæ ob malam ordinum ſuſceptionem, vel ob illorum exercitium incurruntur.

De ſuſpenſione contra recipientem ordines ante legitimam ætatem.
Cap. 1313.

1 REcipiens ordines ante legitimam ætatem, pœnam ſuſpenſionis ab executione ordinum incurrit: hæc propoſitio clara eſt ſi jus novum ſpectemus in Bulla Pij II. qui expreſſe ſuſpendit ordinatos ante legitimam ætatem, & præſumentes miniſtrare in ordine ſuſcepto ante legitimam etatem vinculo irregularitatis obſtringit, jure vero antiquo non extat ſuſpenſio proprie dicta ipſo jure lata contra promotos ante legitimam ætatem, quod intelligendum eſt de recipientibus ordines Sacros ante legitimā ætatem: quia ad recipiendos ordines minores non eſt præſcripta ætas, unde qui recepit aliquem ſacrum ordinem ante legitimam ætatem non ſit ſuſpenſus, quia in Bulla ſermo ſolum eſt de recipientibus ordines ſacros, vel ſi bona fide ante legitimam ętatem ordines ſacros ſuſcepit, putans ſe legitimam ætatem habere, aut ignorans legem ſub pęna ſuſpenſionis prohibentem ſuſceptionem ſacrorum ordinum ante legitimam ætatem non afficitur pæna ſuſpenſionis, ſuſcipiendo ſacros ordines, neque fit irregularis functiones ſuſceptorum ordinorum exercendo, qui autem contraxit ſuſpenſionem ſuſcipiendo ordinem ante legitimam ætatem, non ſolum ſuſpenſus eſt abuſu ordinis ſic ſuſcepti: verum etiam à ſuſceptione ſuperiorum ordinum, etiam ſi iam ad legitimam ætatem pervenerit, ſeu abſolutionem ſuſpenſionis non obtinuerit, quæ impendi poteſt ab ipſo ad hoc deputato, quia in Bulla non reſervatur abſolutio ſuſpenſionis, aut diſpenſatio irregularitatis, verum neceſſaria eſt abſolutio ſuſpenſionis: quæ non ceſſat ſtatim adepta legitima ætate, quia cenſura abſolute lata non ceſſat lapſu temporis, ſed tollitur per abſolutionem.

De ſuſpenſione contra eum, qui ordines per ſaltum ſuſcipit.
Cap. 1314.

1 SUſcipiens ordines per ſaltum afficitur ſuſpenſione quia in c. unico de clerico per ſaltum promoto indicatur Subdiaconum, qui per ſaltum promotus fuerat ad Sacerdotium, non poſſe Diaconatum antea pretermiſſum ſuſcipere abſque diſpenſatione: ergo ſignum eſt ipſum contraxiſſe ſuſpenſionem, qua prohibetur ordinem prætermiſſum capere abſque diſpenſatione, & propterea ordinatus per ſaltum incidit in irregularitatem ſi functionem ordinis per ſaltum ſuſcepti exerceat: quia violat cenſuram ſuſpenſionis per exercitium ordinis ſacri: valide autem ſuſcipiuntur ordines per ſaltum ſuſcepti, non vero valide ſuſcipiuntur ante ſuſceptionem Baptiſmi: Promotus autem per ſaltum ſuſpenditur primo à ſuſceptione ordinum prætermiſſorum, ut patet ex c. unico de clerico per ſaltum promoto: ſecundo ſuſpenditur ab executione ordinis per ſaltum ſuſcepti, & à ſuſceptione ordinis ſuperioris, ut ſi quis Diaconatum omiſso Subdiaconatu recipit non poteſt ad ſacerdotium promoveri, antequam diſpenſetur, & ordinem prætermiſsum recipiat. Epiſcopus in hac ſuſpenſione diſpenſare poteſt, ſic enim habetur in *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. modo non miniſtraverit, ideſt modo functiones ordinis per ſaltum ſuſcepti, aut prætermiſſi non exercuerit, nam cum hac conditione Concilium det Epiſcopo facultatem diſpenſandi.

De ſuſpenſione contra recipientes ordines extra tempora jure preſcripta.
Capit. 1315.

1 ORdines ſacri, præciſo diplomate, & privilegio Pontificio miniſtrandi, & recipiendi ſunt tantummodo in Sabbatis quatuor temporum, aut Sabbato Sancto, aut Sabbato proximo præcedente Dominicam paſſionis ex *c. de eo de temp. ordin.* Recipiens cum lethali culpa ſacros ordines contra tempora conſtituta cenſuram ſuſpenſionis jure novo ſtatim incurrit: hæc propoſitio expreſſe habetur in Bulla Pii II. hæc autem ſuſpenſio impedit executionem ordinum,

Digitized by Google

ſuſceptorum extra tempora, quæ ſuſpenſio tolli poteſt per abſolutionem Epiſcopi.

De ſuſpenſione contra recipientes ordines non obſervatis debitis temporum interſtitiis.

De recipiente, vel conferente plures ordines eodem die. Cap. 1316.

1 SUſcipiens plures ordines ſacros eodem die abſque diſpenſatione Papæ, ſuſpenſionem incurrit ex *c. litteras de temp. ordinat.* Epiſcopus autem conferens ſuſpenditur à collatione ordinum *c. dilectus filius ad finem de temp. ordin.* & hæc eſt differentia inter recipientes plures ordines, & conferentes plures ordines eodem die; quod recipiens plures ordines eodem die abſque debita licentia ſuſpenditur ſolum ab executione illius ordinis, quem illegitime ſuſcepit: conferens vero abſolute ſuſpendit ſuſpenſum ab executione illorum ordinum: qui eo die illegitime ſuſcepit ſic ex *c. litteras de temp. ordin.* quare qui eodem die ſuſcepit Subdiaconatum, & Diaconatum poteſt fungi Subdiaconatu, non autem Diaconatu, Epiſcopus poteſt facultatem dare ſuſcipiendi omnes minores ea die: quia Eccleſia ordines conferre permittit ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 11. Ordines vero Sacri non poſſunt niſi de licentia Papæ, eodem die conferri quia ſic decernitur in *c. dilectus de temp. ordin.* Hujus autem ſuſpenſionis diſpenſatio reſervata eſt Summo Pontifici c. eodem ubi reſervatur Papæ diſpenſatio conferentis, & recipientis.

De ſuſcipientibus ordines non reſervatis temporum interſtitiis. Cap. 1317.

1 COnferens aut ſuſcipiens ordines in temporibus diverſis diebus, ſed non ſervatis interſtitis graviter quidem peccat, quia facit contra leges Eccleſiaſticas: præſertim *Conc. Trid. ſeſſ.* 23 *c.* 11. non tamen incurrit pænam ſuſpenſionis, quia cenſura non incurritur: niſi ſit in iure expreſſa. Epiſcopus in interſtitiis circa minores ordines diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis juxta ſuum prudens arbitrium. *Trid. ſeſſ.* 23 *c.* 11. ſic in interſtitiis circa Diaconatum ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 13. in interſtitiis vero inter minores ordines, & ſubdiaconatum, & in interſtitiis inter Diaconatum, & Sacerdotium diſpenſare non poteſt niſi adſit neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ judicio ipſius Epiſcopi ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 11. *ad. fin.* & *c.* 13. & 14. eadem facultas diſpenſandi in interſtitiis competere videtur Capitulo Sede vacante, ſeu ipſius Vicario.

De ſuſpenſione contra ſuſcipientes ordines Simoniace. Cap 1318.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſceptio ordinum cum vitio Simoniæ commiſſo ab ipſo ſuſceptore ordinum, vel illi quoad culpam imputato: hæc propoſitio patet extravag. 2. Pauli II. de Simonia. Subiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes cujuſcumque gradus homines ſuſcipientes ordines Simoniace, ſic habetur in extravag. inter mediatores, & ſuſcipientes ordines Simoniace, hæc differentia, quod mediatores non ſunt ſuſpenſi, & excommunicati, hæc autem ſuſpenſio ſuſpendit ſuſcipientem ordines ab exercitio, & executione ordinum ſuſceptorum, & ab aliis ſuſcipiendis, quia ſic Extravagans Pauli II. abſolute, & indiſtincte loquitur. Suſpenſio lata contra Simoniacos in ordine perpetua eſt, quia iura abſolute loquuntur. Si jus antiquum ſpectemus. Epiſcopus abſolvere poteſt ab hac ſuſpenſione, ſi vero inſpiciamus conſtitutionem Sixti V. non poteſt Epiſcopus abſolvere ſaltem in delicto publ co: quia revocat omnes facultates abſolvendi hujuſmodi Simoniacos: præciſa tamen hæc Bulla Epiſcopus abſolvere poteſt etiam ab Excommunicatione ob ſimoniam in ſuſceptione ordinum commiſſam, & præſertim ſi delictum ſit occultum juxta facultatem Epiſcopis conceſſam in *Trid. ſeſſion.* 24. *c.* 6.

De ſuſpenſione lata contra eos qui ordines ſuſcipit dum vinculo cenſuræ obſtrictus eſt. Cap. 1319.

1 EXcommunicatus ob Clerici percuſſionem incurrit ſuſpenſionem, vel ut alii volunt irregularitatem ſuſcipiendo ordines ante obtentam excommunicationis abſolutionem: hæc propoſitio patet *c. cum illorum de Sentent. Excommu.* ubi habe-

habetur clericos ſeculares qui tempore excommunicationis ordines ſuſcipiunt à ſuſceptis ordinibus deponi religioſos vero ſuſpenſos remanere ab ordine ſuſcepto, & officio; iſta autem propoſitio non ſolum extenditur ac Excommunicatum ob Clerici percuſſionem, verum etiam ad excommunicatos alia quavis de cauſa: quia licet Summus Pontifex in c. cum illorum, ſpecialiter loquatur de excommunicato ob Clerici percuſſionem: nihilominus Summus Pontifex dum rem definit univerſaliter loqui videtur, hoc tamen intelligendum eſt, modò ſit excommunicatus majori excommunicatione. Suſpenſio quam incurrit excommunicatus ſuſcipiendo ordines, antequam abſolvatur reſpectu Clerici ſecularis ſuſpendit ab executione ordinis in excommunicatione ſuſcepti, ſic enim aperte colligitur ex *c. cum illorum de ſent. Excomm.* ibi *ſi fuerint ſæculares Clerici a ſuſceptis ordinibus cenſemus in perpetuo deponendos*: reſpectu vero religioſi ſuſpendit ab executione tàm ordinis in excommunicatione ſuſcepti, quam officii, ut in præcitato textu ibi *ab executione ſuſcepti ordinis, & officii decernimus manere ſuſpenſos*. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis reſpectu Clerici ſecularis reſervata eſt Papæ ſic enim expreſſe decernitur in *c. cum illorum*: religioſus autem abſolvi poteſt à ſuo Abbate, modo ex inadvertentia facti, vel ignorantia juris deliquerit, & modo factum non ſit grave, & notabile.

De Suſpenſione contra conjugatos ſuſcipientes ordines ſacros. *Cap.* 13.0.

1 VIr conjugatus illicite ſuſcipiens aliquem Sacrorum Ordinum, tam ante, quam poſt conſumatum matrimonium incurrit ſuſpenſionem, imo etiam irregularitatem ut patet ex extravagant. quæ concertationi de voto, & voti redemptione: licet autem viro Conjugato, etiam durante matrimonio ordines ſacros ſuſcipere; quando matrimonium non fuit conſumatum, quando uxor conſumato matrimonio ingreditur religionem, & in ea profitetur de conſenſu utriuſque conjugis quando uxor caſtitatis votum emittit de conſenſu viri, quando vir conjugatus ad Cardinalatus dignitatem promovendus eſt, quando per ſententiam factum eſt divortium, quoad torum, & habitationem. Suſpenſio lata contra conjugatos ſuſcipientes aliquem Sacrorum ordinum ſuſpendit ab executione ordinis ſuſcepti, à ſuſceptione ſuperiorum ordinum, & in hac parte, irregularitas habetur, & à beneficio, ac officio; ſic enim expreſſe decernitur in Extrav. citata. Suſpenſio, & irregularitas lata contra conjugatos ſuſcipientes, aliquem ſacrorum ordinum perpetua eſt & durat donec per diſpenſationem auferatur, quia ſic in præfata extravag dicitur. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis & irregularitatis reſervata eſt Papæ, ſic enim clare colligitur ex ipſa extravag.

De Suſpenſione contra recipientes ſacros ordines abſque ullo titulo. *Cap* 1321.

1 REcipiens culpabiliter ſacros ordines abſque ullo titulo ſuſpenditur ab executione ordinum: hæc propoſitio patet ex *Trident. ſeſſ.* 21. *cant.* 5. *ad finem de reform.* ubi prohibetur ordines ſacros ſine titulo ſuſcipere. Titulus ad quem aliquis promoveri poteſt ne in ſuſpenſionis pænam incurrat triplex eſt. Primus eſt Beneficii Eccleſiaſtici. Secundus eſt titulus Patrimonii, ſeu Penſionis. Tertius titulus eſt profeſſionis, religioſus enim profeſſus promoveri poteſt ad ſacros ordines, quia Religio ipſum alere tenetur. Ordinans religioſum nondum profeſſum ſuſpenditur per annum à collatione talis ordinis. Ordinans aliquem abſque titulo, cum pacto ut ordinatus nihil ab eo petat, ſuſpenditur per triennium à collatione ordinum: præſentator præſentans cum præfato pacto ſuſpenditur per triennium ab executione ordinum: ordinans aliquem ſine titulo tenetur eum alere; donec ei de competenti beneficio provideatur per ipſum ordinentem, vel per alium: etiam ſi ordinans nullum pactum cum ordinato inierit Abſolutio ſuſpenſionis contractæ ſuſcipiendo ſacros ordines ſine titulo impendi poteſt ab Epiſcopo: quia in jure communi non eſt reſervata: modo Clericus non fecerit pactum cum ordinante, vel præſentante non petendi quidquam, nam ſi hujuſmodi pactum iniit, abſolutio conferenda eſt à Papa, quia ei reſervatur in *c. ſi quis ordinavit de Simonia*.

Digitized by Google

De Suſpenſione lata contra ſuſcipientem ordines ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciavit. Cap. 1322.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt recipere Sacros ordines ab Epiſcopo, qui renunciavit dignitati Epiſcopali: hæc propoſitio expreſse habetur in *cap.* 1. requiſivit de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui, ad quam ſuſpenſionem incurrendam requiritur. Primo, ut ordo, qui ab hujuſmodi Epiſcopo recipitur ſit ſacer ut patet ex textu. Secundo ut ordines recipiantur ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui quoad dignitatem. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt illi, qui ſacros ordines ſuſcipiunt ab Epiſcopo, qui dignitati renunciavit. Pœna impoſita ſuſcipienti ordines ſacros ab eo, qui Epiſcopatui quoad locum, & dignitatem renunciavit potius rationem ſuſpenſionis habet, quam irregularitatis impedire ſolet executionem omnium ordinum ſimpliciter: pœna autem in hoc textu impoſita non impedit executionem omnium ordinum, ſed illorum quos à tali Epiſcopo accepit, ut colligitur ex verbis textus. Iſta ſuſpenſio tolli, & auferri debet à Papa: dum quis ordines ſacros ſcienter, vel ex ignorantia craſſa, vel ſupina recepit ab Epiſcopo qui dignitati renunciavit: dum vero ſuſcepit ignoranter ignorantia vincibili, aut etiam invincibili tolli poteſt ab Epiſcopo, quia in textu datur expreſſa facultas Epiſcopo abſolvendi ab hac pœna, modo in ſuſceptione non interceſſerit ſcientia, aut ignominia craſſa, vel ſupina.

De Suſpenſione, quæ incurritur ſuſcipiendo ordines, vel conſecrationem Epiſcopalem ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto irregulari, ſimoniaco, hæretico, vel ſchiſmatico. Cap. 1323.

1 REcipiens ordines ab Excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, vitando, incurrit ſuſpenſionem ab executione ordinum ab eo ſuſceptorum; hæc propoſitio patet ex *c. primo*, & quamplurimis aliis textibus, qui habentur 9. q. 1. idem dicendum de Irregulari, Simoniaco, depoſito, degradato, hæretico, aut ſchiſmatico, modo ordines capiantur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto irregulari, ſimoniaco, vel ſchiſmatico, vel hæretico vitando, quia poſt Concil. Conſtantienſe in extravag. ad evitanda, ſublata eſt prohibitio Eccleſiaſtica evitandi toleratos, & ipſimet tolerati uſu juriſdictionis non ſunt amplius privati, unde recipiens ordines ab hujuſmodi Epiſcopo tolerato ſuſpenſionem non incurrit Epiſcopus conſecrationem recipiens ab Epiſcopo excommunicato, vel ſuſpenſo, &c. afficitur hac ſuſpenſione quæ non eſt cenſura, ſeu pœna, quæ ob paritatem rationis ad hunc caſum extendatur: ſed eſt defectus poteſtatis in conferente ordines, cum enim ipſe Epiſcopus quantum eſt ex diſpoſitione Eccleſiæ non habeat uſum ordinum, non poteſt illum aliis conferre: unde conſecratus à præfatis remanet ſuſpenſus: etiam ſi neſciverit conſecrantem excommunicatum eſſe, hic enim eſt defectus conferentis, non recipientis *Ita S. Anton. c. 4. col. 4. verſ. circa quam diſpenſationem*. Iſta ſuſpenſio auferri, & relaxari debet à Papa, quoties qui eam contraxit ſciens, vel ignorans ignorantia craſſa, vel ſupina Epiſcopum à quo ordines recipiebat eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, &c. imo etiam qui recipit ignoranter ignorantia vincibili, aut invincibili; militat enim eadem ratio tam in recipiente ordines, culpabiliter, quam inculpabiliter.

De Suſpenſione quæ contrahitur ſuſcipiendo ordines ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii Epiſcopi, & ſine litteris dimiſſoriis, aut commendatariis, ſeu teſtimonialibus. Cap. 1324.

1 SUſcipiens ordines ab alieno Epiſcopo abſque licentia proprii, ſeu ſine litteris dimiſſoriis, ſuſpenſionem ab executione ordinum ita ſuſceptorum incurrit; hæc propoſitio patet ex Bulla Pii II. ſeptima in ordine incipit cum ex ſacrorum, qui ſi poſtea functiones ordinum ſacrorum exerceat antequam abſolvatur à ſuſpenſione, afficitur pœna Irregularitatis. Nonnulli tamen recenſentur caſus, in quibus recipiens ordines ab alieno Epiſcopo ſuſpenſionem non incurrit. Primo Caſus eſt,

eſt, quando proprius Epiſcopus ſuſpenſus eſt eo quod ſubditum alterius diœceſis ſine debita licentia ordinaverint: & ejus ſuſpenſio manifeſta ſit, ipſo jure conceditur ipſius ſubditis, vel ab alio ordines recipere valeant ſine licentia ſui Prælati, modo præcedat debitum examen, ſcrutinium, & tempora debita ut decernitur in *c. eos qui ae tempor. ordinat. in. 6.* Secundus caſus eſt quando Epiſcopus ordinat ſuum familiarem, qui ſecum per triennium commoratus fuit ut habetur in *Concil. Tridentr. ſeſſ.* 23. *cap.9. de reformat.* Tertius caſus eſt, quando quis bona fide ordines recipit ab alieno Epiſcopo, ut ſi neſciat prohibitum eſſe ordines ab alieno Epiſcopo abſque licentia proprii Epiſcopi, ſuſcipere, aut ingnorantia inculpabili exiſtimet Epiſcopum habere debitam facultatem ordinandi, ſeu tales litteras eſſe ſufficientes. Abſolutio ſuſpenſionis contractæ ſuſcipiendo ordines abſque litteris dimiſſoriis obtineri poteſt ab Epiſcopo: quia in Bulla Pii II non reſervatur abſolutio ſuſpenſionis, neque diſpenſatio irregularitatis.

De Suſpenſione, quæ contrahitur ſuſcipiendo ordines à proprio Epiſcopo extra diœceſim abſque licentia Epiſcopi, in cujus diœceſi ordines conferuntur. Cap. 1325.

1 SUſcipiens ordines à proprio Epiſcopo, ſed in aliena diœceſi abſque licentia Epiſcopi in cujus diœceſi ordines conferuntur pœnam ſuſpenſionis incurrit, quia ſic expreſſe habetur in *Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.5.* Iſta ſuſpenſio non eſt Summo Pontifici reſervata, ſed jure communi poteſt ab Epiſcopo auferri: quia in *Concil.Trident.* nulla ponitur reſervatio.

De ſuſpenſionibus contra Epiſcopum præſumentem, & alios Prælatos delinquentes in ordinatione, & Pontificalibus.

De Suſpenſione contra Epiſcopum præſumentem conferre primam tonſuram Infanti. Cap. 1326.

1 PRæſumens conferre tonſuram Infanti ſuſpenſionem incurrit, niſi forte Infans religionem intret: ſic enim decernitur in *cap. nullus de tempor. ordinat.* Infans autem dicitur. qui ad ſeptemnium nondum pervenit, ex quo poteſt inferri tonſuram habenti ſeptem annos conferri poſſe; qui autem contraxit hanc ſuſpenſionem ſuſpenditur per annum à collatione primæ tonſuræ; ſic enim habetur in *cap. nullus*, & hac ſuſpenſione ſuſpenditur non ſolum Epiſcopus, ſed etiam alius, qui tonſuram hujuſmodi infanti confert. Ab hac cenſura poteſt abſolvere Summus Pontifex, non vero Epiſcopus, quia iſta ſuſpenſio lata eſt per annum, in ſuſpenſione autem lata ad tempus Epiſcopus non diſpenſat, niſi forte delictum ſit occultum: elapſo vero anno ceſſat abſque alia abſolutione.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, qui injuſte ordinat invitum. Capit. 1327

1 EPiſcopos iniuſte ordinans invitum, Miſſas per annum celebrare prohibetur *c. Epiſcopus diſt.*74. exiſtimo tamen hanc pœnam potius vim prohibitionis, quam ſuſpenſionis habere: licet Doctores hanc pœnam inter ſuſpenſiones enumerant; dicitur iniuſte ordinans, nam juſte ordinans invitum non ligatur hac pæna, unde Epiſcopus cogens Clericum ad ordines recipiendos excuſatur, quoties ille Clericus habet beneficium, cui ordo adnexus eſt, aut quoties Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas poſtulat ut quis cogatur ordines ſuſcipere, ſuſpenſus autem à Miſſæ celebratione poteſt Pontificalia exercere extra Miſsæ celebrationẽ quia aliud eſt celebratio Miſsæ, aliud Pontificale munus extra Miſsæ ſacrificium: ſecus dicendum eſt de ſuſpenſio ab officio ſacerdotali: hic enim non poteſt Pontificalibus

Digitized by Google

libus uti: quia pontificalia ſupponunt, & includunt officium Sacerdotale.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, qui ordinat Sacerdotem indignum, ſeu minus idoneum, Cap 1328.

1 EPiſcopus, qui Sacerdotem indignum aut minus Idoneum ordinat ſuſpenditur à collatione ordinis c. ſi qui Epiſcopi 1. q. 1. quæ ſuſpenſio non eſt ipſo iure lata, ſed ferenda: nam textus utitur verbis futuri temporis, & ſuſpendit ſimpliciter à collatione ordinis ſacerdotalis, quia hoc pacto pęna commenſuratur delicto, ut in eo puniatur, in quod deliquit.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, vel alium præſumentem conferre tonſuram illiterato. Cap. 1329.

1 HÆc ſuſpenſio lata in c. nullus de temp. ord. ubi fertur ſuſpenſio per annum a collatione primæ tonſurę contra conferentem tonſuram illiterato: illiteratus autem dicitur, qui fidei rudimenta ignorat, qui que ſcribere, & legere neſcit: hæc enim ſcientia requiritur in eo, qui clericali tonſura initiandus eſt ex Decreto *Concil. Trid. ſeſſ 23. c. de ref. tit.*

De Suſpenſione contra Epiſcopum, aut alium præſumentem conferre tonſuram coniugato. Cap. 1330.

1 COnferens tonſuram Coniugato incurrit ſuſpenſionem à collatione primæ tonſuræ per annum c. nullus de temp ord. modo vir coniugatus, qui tonſuram recipit non velit religionem ingredi, aut ſacros ordines recipere juxta ſacrorum ordinum diſpoſitionem, ſic enim habetur in c. nullus citato.

De Suſpenſione contra eum, Clerico bigamo, aut ei qui pœnitentiam publicam peregit ordines confert. Cap. 1331.

1 COnferens ordines bigamo, aut pœnitenti publico prohibetur per annum integrum Miſſas celebrare c. nullus, pœnitentem diſtinct. 55. quæ ſuſpenſio habet potius rationem prohibitionis, quam Cenſuræ: pœnitens publicus in hoc caſu dicitur ille, qui pœnitentiam publicam, & ſolemnem agebat: hæc tamen pœnitentia non eſt amplius in uſu, unde ceſſare videtur diſpoſitio iſtius textus, qui verò pœnitentiam ſolemnem peregit ab ordinum, ſuſceptione repellitur. Primo quia ſic exigit dignitas ordinum. Secundo rubor, & confuſio anteactæ vitæ, ob quam ſubditos corrigere, non auderet. Tertio timor relabendi. Quarto periculum ſcandali, quod ex memoria præteritorum ſcelerum ſuboriri poteſt.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, aut alium præſumentem conferre tonſuram vel ordines alicui non ſibi ſubdito abſque licentia ſui ſuperioris. Capit. 1332.

1 COnferens tonſuram non ſibi ſubdito ſuſpenditur per annum a collatione primæ tonſuræ c. nullus de temp. ord in quo capite ſuſpenditur ſolum a collatione tonſuræ clericalis, quę laico conferri ſolet. Conferens ordines majores, vel minores, quovis quæſito colore ſubditis alienæ diœceſis abſque licentia proprii ordinarii afficitur ſuſpenſione à collatione ordinum: patet ex *Conc. Trid ſeſſ. 23. c. 8.* ubi ordinans alienum ſubditum abſque teſtimonio ſui ordinari de probitate, & minoribus abſolute, ſuſpenditur à collatione ordinum per annum, & ordinatus ſuſpenditur ab executione ordinum ſuſceptorum, donec proprio ordinario expedire viſum fuerit.

De Suſpenſione contra conferentem duos ſacros ordines eodem die, aut duobus diebus continuato ieiunio. Capit. 1333.

1 COnferens duos ordines ſacros eodem die, aut duobus diebus continuato ieiunio, incurrit ſuſpenſionem à collatione utriuſque ordinis donec abſolutionem, & diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinuerit c. litteras de temp. ordin.

D.

De Suſpenſione contra conferentem ordines alicui ſine ſufficienti titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat in defectum Beneficii, vel Patrimonii.
Cap 1334.

1 Conferens ordines ſine titulo cum hujuſmodi pacto ſuſpenſus remanet per triennium à collatione ordinum, c. ſi quis ordinavit de Simonia.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, qui ordines confert alicui religioſo ante profeſſionem, ſeu votum ſolemne.
Cap. 1335.

1 Epiſcopus conferens ordines religioſo ante profeſſionem, aut votum ſolemne, cujuſcumque ordinis, vel religionis ſit religioſus, cui ordines confert, afficitur ſuſpenſione per annum à collatione illorum, quos præfato religioſo contulit, nam ita ſancitum fuit in Bulla Pii V. 75. in ordine incipit Romanus Pontifex: excipiendi tamen ſunt Epiſcopi, qui ordines conferunt Patribus Societatis Jeſu peracto Biennio etiam ſi ſolemne profeſſionis votum nondum emiſerint: iſti enim Patres peculiari privilegio gaudent, ut ante ſolemnem profeſſionem ordinibus initiari valeant ex Greg. XIII. in Bulla edita anno 1582.

De Suſpenſione contra conferentes ordines, vel tonſura Simoniace.
Cap. 1336.

1 Jure novo in Bulla Sixti V. quæ incipit Sanctum, & ſalutare lata eſt ſuſpenſio contra conferentes ſimoniace ordines, vel primam Tonſuram, & quamvis hęc Bulla revocata ſit in alia Bulla Clement. VIII. Anno 1595. pridie Kalend. Martii, & ad terminos juris communis redacta, quod alia, quæ in ipſa Bulla continentur: quoad collationem tamen, aut ſuſceptionem ordinum ſimoniacam, non fuit immutata, & præter ſuſpenſionem imponitur etiam in eadem Bulla interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ contra conferentes ordines, vel primam tonſuram ſimoniace, ſive hoc vitium ſit publicum, ſive occultum: quia extravagans abſolute loquitur. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Epiſcopi aliique ordinum, vel tonſuræ collatores, qui ſimoniace ordines, vel tonſuram conferunt, hæc propoſitio patet ex c. penult. de ſimonia, ſuſpenſio lata in conſtitutione Sixti V. contra conferentes ordinem, vel tonſuram ſimoniacæ ſuſpendit à collatione ordinum, & primæ tonſuræ, & à Pontificalibus: nec non interdicit ab ingreſſu Eccleſia, ut patet ex verbis conſtitutionis; unde collator ordinum per ſimoniam non poteſt Sacramentum Confirmationis, aut ordines conferre, conſecrare, & alias ſolemnes, & Pontificales benedictiones facere; quia hæc ad Pontificale munus pertinent, poteſt tamen juriſdictionis actum exercere, quia, exercitium juriſdictionis non venit nomine Pontificalium. Simoniacus autem collator ordinum, vel primæ tonſuræ ſi præfatam ſuſpenſionem, & interdictum non obſervat incurrit ſuſpenſionem à regimine, & miniſtratione Eccleſiæ, & perceptione fructuum. Abſolutio, & remiſſio prædictarum pœnarum obtinenda eſt à Summo Pontifice: quia Summus Pontifex in Bulla revocat in hac parte omnes facultates, & privilegia.

De Suſpenſione contra Epiſcopum exercentem Pontificalia in aliena Diœceſi abſque expreſſa licentia ordinarii loci. C. 1337.

1 Epiſcopus exercens Pontificalia in aliena diœceſi abſque licentia ordinarii loci, aut in perſonas eidem ordinario non ſubiectas ſuſpenditur ipſo jure ab exercitio Pontificalium ex *Trid ſeſſ. 6. c. 5.*

De Suſpenſionibus, quæ incurruntur, exercendo functiones ordinum contra juris diſpoſitionem.

De Suſpenſione lata contra Clericum exercentem functiones Ordinum in loco interdicto, aut facientem in præfato celebrari. Cap: 1338.

1 Celebrans, aut celebrari faciens in loco interdicto incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſic enim habetur in c. Epiſcopum de privilegiis in 6. vel admittant excommunicatos publice, vel interdictos ad divina officia: ſeu Eccleſiaſtica

Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam. Abſolutio iſtius cenſuræ eſt Papæ, niſi ſatisfactio præſtetur à delinquente ad arbitrium illius, cujus ſententia violata eſt: ſic enim decernitur in c. Epiſcoporum citato, unde qui præfatum interdictum contraxit, præſtita dicta ſatisfactione ſtatim remanet abſolutus abſque alia abſolutione: quia ſuſpenſio lata ad certum tempus, ceſſat lapſo eo tempore.

De Suſpenſione contra Sacerdotem, vel Epiſcopum omittentem ſine gravi cauſa Miſſam iam inchoatam.
Cap. 1339.

1 SAcerdos, qui miſſam, inchoatam ſine gravi cauſa dimittere præſumit, incurrit ſuſpenſionem à corpore, & ſanguine Chriſti, hæc propoſitio deſumitur ex *c. nullus Epiſcopus de conſec. diſt.* 1. Suſpenſio quam incurrit ſacerdos omittens miſſam inchoatam excludit à ſumptione corporis, & Sanguinis Chriſti: in textu enim dicitur *à ſacro corpore, & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſuſpenſus*, qui autem hanc ſuſpenſionem contraxit, non repellitur à ſumptione Eucharistiæ more laicorum: quia hæc ſuſpenſio fertur in Clericos: ſumptio autem Euchariſtiæ more laicorum, non eſt functio propria Clericorum: ideo non privatur Sacramento more laicorum. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis impendi poteſt ab Epiſcopo: quia in jure nulla fit mentio reſervationis: à cenſura autem non reſervata poteſt Epiſcopus abſolvere: etiam ſi delictum ſit publicum.

De Suſpenſione contra Sacerdotem celebrantem Miſſam, & in ea non communicantem. **Cap. 1340.**

1 SAcerdos, qui miſſam celebrat, & in ea non communicat, ſuſpenſionem incurrit: hæc propoſitio patet ex c. relatum de conſecr. diſt. 2. hoc tamen intelligendum eſt de eo, qui propria culpa non communicat, nam cenſura imponi non ſolet niſi ob culpam: unde ſi hoſtia miraculosè eripiatur, aut ab hæreticis auferatur, aut Sacerdos alia ratione impediatur, ne hoſtiam, vel ſanguinem ſumat, non afficitur hac cenſura, qui vero in die Natalis, duas, vel tres miſſas celebrat, & in ultima tantum communicat, ligatur vinculo iſtius cenſuræ: ſic enim expreſſe habetur in c. relatum citato, & ſacerdos hoc modo ſuſpenſus ligatur irregularitate celebrando antequam abſolvitur. Suſpenſio quam incurrit ſacerdos celebrans, ſed non communicans, excludit per annum à participatione corporis, & Sanguinis, non intelligitur more Clericorum, nam non eſt ſuſpenſus à corpore, & ſanguine communicare more laicorum: cujus ſuſpenſionis abſolutio pertinet ad papam iuxta communionem ſententiam: probabile tamen videtur poſſe conferri ab Epiſcopo, quia in textu nulla fit mentio reſervationis.

Contra Confeſſarios non ſervantes formam à Congregatione Apoſtolica preſcriptam in Confeſſionibus audiendis.
Cap. 1341.

1 IN decreto Congregationis viſitationis edito die decima Julii 1625. nonnulla præcipiuntur Confeſſariis ſervanda ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto à Confeſſionibus audiendis, & alii pœnis arbitrio ipſius Congregationis in ſtigendis. Primum eſt, ut confeſſiones aliquorum abſque licentia in ſcriptis Reverend. Vicarii, aut vices gerentis non audiant in domibus iſtorum, vel aliorum: ſed excipiuntur infirmi, Cardinales, Oratores Regnum, & Principum, Duces, & Romani Pontificis nepotes, excipiuntur confeſſarii extra Epiſcopatum Romanum exiſtentem. Secundum obſervandum eſt, ut Confeſſarii, dum Mulierum confeſſiones in ædibus excipiunt, cubiculi ianuam apertam & velum levatum ſemper habeant, ita ut conſpici, non autem audiri poſſint. Tertium, ut Confeſſarii ſæculares, dum confeſſiones in Eccleſia audiunt, ſic induant ſuper pelliceum, & ſtolam, regulares vero ſtolam. In ſacriſtia autem, aut alio decente loco poſſunt Sacramentum abſque ſtola, & ſuperpellicéo miniſtrare. Quartum ut Confeſſarii in iis caſibus, in quibus confeſſiones infirmorum vigore facultatum audierunt, admoneat Parochum ante, vel ſaltem eadem, die, qua confeſſionem audierunt, & abſolutionem contulerunt.

De

De Suſpenſione contra Parochum, vel alium Sacerdotem ſecularem vel regularem, qui ſponſos in matrimonium conjungit, vel benedicere audet abſque licentia Parochi, ad quem hoc munus pertinet. Capit. 1342

1 PArochus, vel alius Sacerdos aſſiſtens matrimonio, vel benedicens ſponſos alterius Parochiæ abſque licentia Parochi ſponſorum, ipſo facto ſuſpenſus eſt ex decreto *Concilii Tridentini ſeſſ. 24 c. 1. de reformat.* ſub finem, niſi hoc fiat ex inadvertentia, vel ignorantia licet craſſa, & ſupina; modo ſponſus uterque ſit alterius Parochiæ; nam ſi unus ſponſus ſit ſubditus illius Parochiæ, cujus Parochus aſſiſtit, cenſeo excuſari à ſuſpenſione: Suſpenſio quam incurrit Parochus, vel alius Sacerdos aſſiſtendo matrimonio aut benedicendo abſque Parochi licentia, totalis videtur, conſequenter ſuſpendit ab officio, & beneficio: quia concilium abſolute loquitur. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis pertinet ad Epiſcopum, ſeu ordinarium illius loci, cujus Parochus matrimonio aſſiſtere, vel benedictionem conferre debebat; ſic enim in Concilio decernitur unde Sacerdos, qui in aliena diœceſi aſſiſtit matrimonio abſque debita licentia non poteſt abſolvi à ſuo Epiſcopo, ſed ab Epiſcopo illius diœceſis cujus eſt parochus ad quem pertinebat aſſiſtere, & benedicere.

De Suſpenſione contra recipientem oblationes ab uſurario aut illum ſepelientem; & contra accipientem eleemoſinas violatore, ſeu raptore, publico Eccleſiarum, & contra aſſiſtentem ipſius ſepulturæ. Cap. 1343

1 ACcipiens oblationes ab uſurariis manifeſtis, aut eos ſepeliens, ligatur ſuſpenſione: ſic enim habetur in c. quia in omnibus de uſuris, ubi tres actiones prohibentur. Prima eſt admittere ad communionem altaris. Secunda ſepelire. Tertia oblationes accipere: ſed duæ tantum ultimæ ſub pœna ſuſpenſionis interdici videntur, ut conſtat ex textu. Accipiens oblationes ab uſurario ſuſpenditur ab officio, ut patet ex c. quia citatio. Iſtius ſuſpenſionis abſolutio impendi debeat à Papa, niſi forte delinquens jam ſatisfecit ad arbitrium Epiſcopi: quia Summus Pontifex vult iſtum remanere ſuſpenſum, donec præfato modo ſatisfaciat: accipiens autem oblationes ab uſurariis in conſcientia non tenetur reſtituere ante judicis ſententiam: ſi earum dominus erat uſurarius. Secus ſi earum dominus non erat uſurarius, aut ſi eas accepit in fraudem creditorum, eadem autem pœna ſuſpenſionis afficit accipiens oblationes ſeu Eleemoſinas à raptoribus Eccleſiarum, ſi ſpectemus diſpoſitionem juris antiqui in c. ſuper eo 2. de raptoribus ubi fertur ſuſpenſio ab ordinis executione contra Clericum aſſiſtentem ſepulturæ, aut eleemoſinam accipientem à raptore, ſeu violatore publico Eccleſiarum quoties præfatus raptor, ſeu violator reſtituere, & pænitentiam agere noluit ante obitum. Verum hoc tempore cenſeo id uſu valde receptum non eſſe, vel ſaltem hic textus intelligendus eſt cum moderatione Extravagantis, ad evidenda, ſi ſcilicet raptor, ſeu violator Eccleſiarum nominatim declaratus, & denunciatus fuit nam poſt hujuſmodi extravagantem non tenentur quemquam in factis, aut in aliis evitare: niſi ſit notorius Clerici percuſſor, aut niſi ſententia lata ſit contra eum: quem evitare jubemur. Eadem ſuſpenſio extenditur ad Clericos, qui hujuſmodi rapinæ participes inventi fuerunt. Hæc pœna aucta fuit in *Concil. Tridentino ſeſſ. 22 c. 11 de reformat.* ubi fertur excommunicatio contra uſurpantem bona, fructus, emolumenta, & quaſcumque obventiones Eccleſiarum, aut locorum piorum, & eadem excommunicatio fertur contra Clericum conſentientem uſurpationi.

De Suſpenſionibus ob delicta circa beneficia, ſeu occaſione beneficiorum, aut bonorum Eccleſiaſticorum.

De Suſpenſione contra eligentes Epiſcopos, aut curatores animarum non ſervata debita forma. Cap. 1344.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis, ſeu actio in c. cum in cunctis de electione ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto prohibita eſt eligere aliquem indignum ad Epiſcopatum, vel ad ſuperiorem dignitatem, vel etiam

ad

ad inferiora beneficia, quibus annexa eſt animarum cura, non ſervata forma in hoc textu expreſſa: ſic enim expreſſe in dicto capite ſtatuitur. Subjectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Clerici, qui præfatam electionem faciunt non ſervata forma, ſic enim in textu dicitur, quare Imperator, Rex, aut alii laici eligentes indignum, non ſuſpenduntur, quia in textu ſermo eſt de Clericis. Iſta ſuſpenſio ſuſpendit Clericum eligentem indignum per trienium à beneficiis Eccleſiaſticis, & pro ea vice privat poteſtate eligendi; ſic enim dicitur in textu, unde remanent ipſo facto privati poteſtate eligendi. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis intra triennium reſervata eſt Summo Pontifici.

De Suſpenſione contra admittentes reſignationem non ſervata forma.
Cap. 1345.

1 EPiſcopi, & alii facultatem habentes admittendi reſignationes, ſi reſignationem admittant contra formam præſcriptam in Bulla Pii V. incipit. Quanta Eccleſiæ, edita anno 1568 Kal. Aprilis, ſuſpenduntur à collatione, confirmatione, præſentatione, vel inſtitutione, quæ ipſis competit: quod ſi tempore hujuſmodi ſuſpenſionis beneficia conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere præſumpſerint excommunicationem Papæ reſervatam ipſo facto incurrunt, ut in præfata Bulla decernitur, imò etiam abſolutio ſuſpenſionis eſt Papæ reſervata, ſic enim in dicta bulla aſſeritur. Hæc eadem ſuſpenſio extenditur ad capitula ut patet ex ipſa Bulla.

De ſuſpenſione contra compromiſſarium eligentem indignum in Epiſcopum, vel ad dignitatem ſuperiorem Epiſcopatu. Cap. 1346.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt electio indigni in Epiſcopum, vel ſuperiorem Epiſcopo dignitatem factam à compromiſſario: hæc propoſitio clare conſtat ex *c. ſi compromiſſarius de elect. lib. 6.* quare electio indigni ad beneficium, ſeu dignitatem inferiorem Epiſcopatu non eſt materia iſtius cenſuræ: quia in textu dicitur in Epiſcopum, vel ſuperiorem, non autem inferiorem. Subjectum iſtius ſuſpenſionis ſunt compromiſſarii eligentes indignum in Epiſcopum vel ad ſuperiorem dignitatem. Excipiuntur tamen Epiſcopi, ſi ipſi conſtituantur compromiſſarii ad eligendum: quia expreſſe excipiuntur in hoc textu, Suſpenſio autem, quam incurrit compromiſſarius: ſuſpenditur triennio à Beneficiis; ſic enim dicitur in dicto capite ſed ſuſpenſio reſtringitur ad ea beneficia, quæ commiſſarius poſſidet in ea Eccleſia, quam offendit, non ad ea, quæ ubique poſſidet. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis reſervata eſt Summo Pontifici antequam tiennium elabatur, elapſo vero triennio ceſſant.

De ſuſpenſione ſaltem comminatoria contra confirmantem electionem indigni ad curam animarum. Cap. 1347.

1 COnfirmans electionem indigni ad curam animarum non ſolùm privatur poteſtate confirmandi ſucceſſorem illius, cujus electionem confirmavit, verum etiam ſuſpendendus eſt à fructibus beneficii c. nihil eſt de elect. probabiliſſimum tamen mihi videtur hanc ſuſpenſionem non eſſe ipſo jure latam; nec ſubjici huic pœnæ Epiſcopus: quia de ipſi non fit mentio in hac parte.

De Suſpenſione, tam contra præſumentes eligere ad beneficia Eccleſiaſtica cum abuſu poteſtatis ſecularis, quam contra conſentientes hujuſmodi electioni. Cap. 1348.

1 PRæſumens eligere aliquem ab beneficium per abuſum poteſtatis ſæcularis ſuſpenſione ab officiis, & beneficiis punitur, & poteſtate eligendi tunc privatur, ita decernitur in c. quiſquis de elect. electio autem fit per abſum poteſtatis ſæcularis quando electores Eccleſiaſtici eligunt cum interventu, ſeu aſſiſtentia, & auctoritate laicorum, modo non habeant laici jus eligendi ex privilegio Papæ. Conſentiens electioni de ſe factæ ab electoribus Eccleſiaſticis cum abuſu poteſtatis ſæcularis non gaudet illa electione, imò ineligibilis efficitur, ut ad aliquam dignitatem eligi non poteſt abſque diſpenſatione, ut expreſſe habetur in c. quiſquis de elect.

De

Digitized by Google

De Suſpenſione contra Epiſcopum, qui electum ad Epiſcopatum, vel ad dignitatem Epiſcopatu majorem confirmat, vel conſecrat, non præmiſſa inquiſitione, an is, qui appellationem in electione interpoſuerat apud Sedem Apoſtolicam, & poſtea renunciaverat appellationi, renunciaverit appellationi abſque pravitate. Cap. 1349.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt temere confirmare electores, conſecrare electos, vel Epiſcoporum, vel ad dignitatem Epiſcopatu majorem, non præmiſſa inquiſitione an is, qui in cauſa electionis appellaverat, & poſtea renunciaverat appellationi antequam appellatio præſentata eſſet Sedi Apoſtolicæ, renunciaverit appellationi ex pravitate; hæc propoſitio perſpicue conſtat ex *c. provida de electione*; ad incurrendam autem iſtam ſuſpenſionem, alterutram iſtarum actionum ſufficere probabilius mihi videtur; ſcilicet, vel confirmatio electionis, vel conſecratio electi ſufficit, ſic enim colligitur ex dicto *c. provida.* ubi contra confirmantem imponitur ſuſpenſio à confirmatione per annum, & contra conſecrantem, iniungitur pœna ſuſpenſionis à conſecratione per annum, ut in eo, in quo peccaverit, puniatur. Subiectum iſtius ſuſpenſionis videntur eſſe Epiſcopi, ad quos cognitio hujuſmodi cauſarum ſpectare ſolet quando appellatio præſentata non fuit Sedi Apoſtolicæ, & quando appellatio revocata fuit abſque ulla pravitate: nomine autem pravitatis intelligitur pactio Simonica, ſeu datio, vel promiſſio illicita, aut vis, vel metus iniuſtæ incuſſus. Effectus iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſpendere à confirmatione, & conſecratione Epiſcoporum per annum continuum cum hac videlicet proportione, ut confirmans ſuſpenſus ſit à confirmatione Epiſcoporum, conſecrans à conſecrationem eorundem: confirmans vero, & conſecrans ſuſpenſus ſit à confirmatione, & conſecratione ſimul. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis reſervata eſt Papæ.

De Suſpenſione contra Epiſcopum: qui Religioſum abſque licentia ſui ſuperioris promovet ad Clericatum, vel maiorem monaſterii in ſuo monaſterio conſtituit. Cap. 1350.

1 EPiſcopus qui præfata facit repellitur à communione aliorum *c. ſi quis, diſt. 28.* ſcilicet repellitur à participatione cum aliis fidelibus, exceptis ſubditis propriæ diœceſis ſic in præfato textu abſolute dicitur.

De Suſpenſione contra electores Epiſcoporum, qui electionem electo non præſentant infra octo dies, poſtquam eam commodo illi preſentare potuerunt, Capit. 1351.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt omiſſio, qua electores cathedralium, aut regularium Eccleſiarum, facta electione culpabiliter omittunt electionem præſentare electo infra octo dies: poſtquam eam illi commode præſentare potuerunt: hæc propoſitio clare conſtat ex *c. capientes de elect. lib. 6* Subiectum ſuſpenſionis ſunt Clerici electores: qui electionem Epiſcoporum, Intra præfatum tempus præſentare omittunt: hæc propoſitio patet ex verbis dicti capitis capientes. Iſta ſuſpenſio ſuſpendit per triennium ab omnibus beneficiis, quæ obtineatur ab electoribus in ea Eccleſia, de cujus electione agitur: hæc propoſitio non indiget probatione, quia in textu clara, & perſpicua eſt: Abſolutio Iſtius ſuſpenſionis reſervata eſt Summo Pontifici.

De Suſpenſione contra impugnantes electionem, poſtulationem, ſeu aliam proviſionem, opponendo aliquid in perſonam electi, vel proviſi ſe poſtea deficiunt in probatione Capitulum. 1352.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt deficere in probatione illius, quod oppoſuit contra perſonam electi, vel proviſi de dignitate, præſtimonio, vel Canonicatu, vel Epiſcopatu, nec incurritur occaſione cujuslibet beneficii, ſed ſolum occaſione

caſione dignitatum, perſonatuum, & canonicatuum, de quibus ſermo eſt in *c. ſtatuimus*, & occaſione Epiſcopatuum, & dignitatum Epiſcopatibus ſuperiorum; defectus vero plenæ probationis non ſufficit ad incurrendam iſtam Suſpenſionem nam deficiens à plena, non autem à ſemiplena incirit in iſtam ſuſpenſionem. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Clerici beneficiarii obiicientes aliquid in perſonam electi, vel proviſi de dignitate, præſtimonio, Canonicatu, Epiſcopatu, vel ſuperiori dignitate, & culpabiliter deficientes in probatione. Iſta ſuſpenſio ſuſpendit per triennium à Beneficiis in quibus ſi quis ſe temere ingeſſit, ante completam ultimam diem triennii, remanet ipſo facto privatus beneficiis abſque ulla ſpe illa iterum obtinendi, niſi probaverit ſe rationabilem cauſam habuiſſe impugnandi electionem, ſeque calumniatorem non fuiſſe. Iſta ſuſpenſio reſervata eſt ſummo Pontifici.

De Suſpenſione contra Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, aliosque Monaſteriorum Prælatos promotos à Sede Apoſtolica: aut ab ea recipientes munus confirmationis, conſecrationis, vel benedictionis, & poſtea adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum ſine litteris Apoſtolicis recipientes. Cap. 1353.

1 PRæfati Prælati ſi ad ſuas Eccleſias accedant, ſeu adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum abſque literis Sedis Apoſtolicæ ſuſcipiant, nihil valide agunt, & præterea ſuſpenduntur, ſeu potius repelluntur à perceptione fructuum dictarum Eccleſiarum: capitula vero, conventus hujuſmodi Eccleſiarum: & alii, qui præfatos Epiſcopos, vel Prælatos abſque literis Apoſtolicis recipiunt, aut eis obediunt, ſuſpenduntur à beneficiis, donec gratiam abſolutionis à Sede Apoſtolica obtineant, ſic enim decernitur in Extravagant. injunctæ de electione in qua etiam præfatis Epiſcopis, & Prælatis obligatio injungitur, præſtandi juramentum fidelitatis, & obedientiæ, ante quam à Sede Apoſtolica diſcedant, alioquin interdicuntur percipere proventus dictarum Eccleſiarum donec juramen um præſtiterint, eadem pæna privationis fructuum imponitur Archiepiſcopis, ſeu Pontificibus diſcendentibus à Sede Apoſtolica abſque literis traditionis palii, quæ pœna illos ligat donec littes traditionis pallii obtinuerint ut dicitur in præfata Extravag.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, aliosque Prælatos Epiſcopis ſuperiore non ſervantes extravagantem ſuſcepti regiminis, quæ eſt Ioannis XXII in tit. ne ſede vacante circa perceptionē fructuum beneficiorum vacantium. C. 1354.

1 EPiſcopi aliique Prælati Epiſcopis ſuperiores ſuſpenduntur à Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ ſi non ſervaverint ea, quæ in dicta Extravag. ſtatuta ſunt. Capitulum vero, collegium, vel univerſitas interdicitur: aliæ vero ſingulares perſonæ Eccleſiaſticæ, vel laicæ excommunicationis cenſura ligantur.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, aliosque Prælatos privantes beneficiis eos qui in Romana Curia commorantur. Cap. 1355.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis conſiſtit in duplici actione: quarum. Prima eſt, Conferre aliis beneficia curialium. Secunda recipere illa beneficia. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt ordinarii locorum, commiſſarii, & delegati eorum, qui privant curiales beneficiis, eaque aliis conferunt, & recipiens hujuſmodi beneficia ut patet ex dicta Extravag. facientes autem prædictas actiones excuſantur ab incurſu iſtius ſuſpenſionis. Primo quando quis à curia receſſit animo non redeundi, aut quando longo tempore extra curiam commorantur. Secundo quando quis receſſit privilegio Eugenianæ. Tertio reſpectu eorum, quæ pertinent ad beneficia, ut eſt onus reſidendi, reparandi Eccleſiam, celebrandi, & ſimilia, ad quæ beneficiarius tenetur ratione beneficii: in his enim Curiales ſubiciuntur ordinariis locorum, in quibus extant beneficia, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ. 22. c. 1* prope finem, ex quo patet Epiſcopum, vel alium Prælatum, privantem Curialem beneficio: ejuſque beneficium alteri conferentem non ligari cenſuris Eugenianæ: ſi hoc fiat ratione Beneficiorum iſta ſuſpenſio ſuſpendit ab officio: ſuſpenſio enim abſolute prolata intelligitur ab officio, & beneficio, hujuſmodi autem ſuſpenſio poteſt auferri ab Epiſcopo, vel ab alio

alio quolibet legitime approbato ad abſolvendum à Cenſuris.

De Suſpenſione contra Prælatos tam ſæculares, quam regulares procurantes clericos capi à dominis temporalibus, vel beneficia reſignent, vel ut citati ad Sedem Apoſtolicam non accedant, & contra ipſosmet citatos procurantes capi ne ſtatuto tempore comparere valeant. Cap. 1356.

1 MAteria iſtius Suſpenſionis eſt duplex actio. Prima eſt procurare, ut beneficiarius capiatur à domino temporali, ut beneficium reſignet, vel ut perſona Eccleſiaſtica citata ad Sedem Apoſtolicam ab homine, vel à jure, ad illam non accedat. Secunda actio quam ipſemet citatus facit, eſt procurare capi à poteſtate ſeculari, ut ipſe citatus excuſet ſe hoc titulo ab acceſſu ad Sedem Apoſtolicam: iſtæ actiones clare ſatis exprimuntur in Clementina multorum de pœnis: quæ procuratio fieri debet apud Dominum temporalem, nam textus clare loquitur de procurantibus capi apud obtinentes temporale Dominium, ad hanc autem ſuſpenſionem incurrendam neceſſariæ ſunt nonnullæ conditiones. Prima eſt, ut Perſona, quæ capit, vel capi procurat ſit perſona Eccleſiaſtica Secunda ut non capiat per ſe, vel procuret capi per alium: quia non ſufficit, ut per ſe ipſum capiat, ut dicitur in textu. Tertia ut perſona capta ſit Eccleſiaſtica. Quarta ut capiatur ob aliquem finem in Præfata Clementina expreſſum: ſcilicet ut captus reſignet beneficium, vel ne citatus comparerat legitimo tempore coram Summo Pontifice; vel ut ipſemet citatus hoc fine procuret capi, ne ad Sedem Apoſtolicam venire poſſit. Quinta ut procuratio fiat apud Dominum temporalem: ſic enim textus loquitur. Sexta conditio, ut ſequatur effectus, videlicet, ut reſignatio beneficii fiat, vel ut citatus re ipſa ob detentionem impeditus fuerit ne ad Sedem Apoſtolicam accederet; unde qui procurat Clericum à ſeculari poteſtate capi, non ligatur hac Suſpenſione donec beneficium reſignatum ſit, aut donec elapſum ſit tempus aſſignatum ad comparendum coram Summo Pontifice. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Prælati Eccleſiaſtici: qui apud Dominos temporales procurant capi perſonas Eccleſiaſticas ob reſignationem beneficii, vel ob impedimentum acceſſus ad Sedem Apoſtolicam: quia dicta Clementina dum ſuſpenſionem infert loquitur ſolum de Prælatis. Ita ſuſpenſio ſuſpendit per triennium à beneficiis; ſic enim in Clementina habetur. Abſolutio autem iſtius ſuſpenſionis eſt Summo Pontifici reſervata.

De Suſpenſione contra eum, qui Eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis debitis gravare præſumit. Cap. 1357.

1 IN c. ſi quorundam de ſolutionibus, duæ actiones ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto prohibentur. Prima eſt gravare Eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis debitis; unde Beneficiarius afficitur hac ſuſpenſione pecuniam mutuo accipiendo, eamque alteri tradendo relicta Eccleſiæ obligatione ſolvendi mutuum. Secunda actio eſt concedere alicui litteras, ſeu ſigilla, quibus Eccleſiæ obligari poſſent, ut ſi quis tradat alicui chartam impreſſo ſigillo, & nihil in ea ſcripto: data tamen alteri facultate ſcribendi quicquid velit, ad incurrendam tamen ſuſpenſionem ob præfatas actiones requiritur ſcientia, vel ingens temeritas; ſic enim habetur in textu. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ Epiſcopis inferiores, quæ præfatas actiones facere præſumunt, dicitur Epiſcopis inferiores: quia Epiſcopi non comprehenduntur in ſuſpenſionibus, vel interdictis generaliter latis. Suſpenſio, quam quis contraxit gravando Eccleſiam alienis debitis, privat adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium, ſic enim dicitur in textu. Iſtius ſuſpenſionis abſolutio conferri poteſt ab Epiſcopo: quamvis hoc facere non debeat, niſi prius Eccleſiæ ſatisfactum ſit.

De Suſpenſione contra occupantes bona Eccleſiæ ſede vacante pertinentia ad ipſam Eccleſiam, vel ad Prælatum defunctum, vel ad ſucceſſorem. Cap. 1358.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis ſunt actiones ſequentes. Prima eſt occupare ſede vacante bona Eccleſiæ Cathedralis regularis, vel collegiatæ dimiſſa à

Præ-

Prælatis, aut vacationis tempore obvenientia, quæ deberent in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, aut ſucceſſoribus reſervari; ſic enim habetur expreſſe in *c. quia ſæpè de elect. in 6.* Secunda actio eſt inter ſe dividere præfata bona. Tertia ſubripere. Quarta dilapidare, diſſipare vel conſumere præfata bona. Hæc propoſitio intelligitur cum quinque limitationibus. Prima eſt modo præfatæ actiones fiant cum præſumptione. Secunda modo præfatæ actiones fiant vacante Eccleſia. Tertia modo ſint bona Eccleſiarum collegiatarum de his enim eſt ſermo in præfato textu. Quarta modo præfatæ actiones fiant in grave damnum ipſarum Eccleſiarum. Quinta eſt modo hujuſmodi bona non pertineant ad aliquam particularem perſonam ratione dignitatis. Subjectum iſtius ſuſpenſionis ſunt capitula, conventus, collegia, & perſonę ſingulares Eccleſiarum Cathedralium Regularium, vel collegiatarum, quæ aliquam ex præfatis actionibus facere præſumunt: hæc propoſitio aperte colligitur ex capite citato; unde extranei, & alii: qui non ſunt de Collegio illius Eccleſiæ, cui bona occupantur, &c. non afficiuntur hac ſuſpenſione faciendo præfatas actiones: quia textus loquitur de perſonis earumdem Eccleſiarum. Suſpenſio lata contra occupantes præfata bona, aut facientes illas præfatas actiones ſuſpendit ab officio, & beneficio: ſic enim dicitur in textu. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis ante præſtitam reſtitutionem reſervata eſt Summo Pontifici: quia Summus Pontifex vult delinquentem vinculo iſtius ſuſpenſionis obſtrictum detineri, donec plene reſtituerit; facta tamen reſtitutione ſuſpenſio ceſſat, quia lata eſt ad tempus.

De ſuſpenſione contra Prælatos, qui bona Eccleſiarum laicis ſubmittunt, & contra Clericos, qui non denunciant Prælatos præſumentes præfata bona laicis ſubmittere. Cap. 1359.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt ſubmittere, ſeu ſubjicere laicis bona immobilia, aut jura Eccleſiarum abſque conſenſu capituli, & ſpeciali Summi Pontificis licentia ſic enim in *c. hoc conſultiſſimo de rebus Eccleſiarum non alienand.* habetur. Subjectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Prælati Eccleſiarum: qui Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura laicis ſubmittunt, ut patet ex verbis textus. Clerici etiam ſcientes Prælatum præſumpſiſſe bona Eccleſiarum laicis ſubmittere, ſuſpenſi ſunt per triennium à perceptione beneficiorum quæ in Eccleſia ſic gravata obtinent, ſi neglexerint Prælatum ſuperiori denunciari ſic enim expreſſe decernitur in præcitato capite: effectus iſtius ſuſpenſionis reſpectu Epiſcoporum, & Prælatorum eſt excludere ab officio, & adminiſtratione ut patet ex verbis textus, per triennium. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis impendi debet à Papa.

De ſuſpenſione contra Epiſcopum, vel Abbatem alienantem bona Eccleſiaſtica abſque licentia Summi Pontificis, aut non ſervata extrav. Ambitioſæ de rebus Eccleſiarum non alienandis. Cap. 1360.

1 EPiſcopus, vel Abbas alienans bona Eccleſiaſtica abſque licentia Papę aut non ſervata forma Extravag. ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi infra ſex menſes non reſipuerit ſuſpenditur ipſo facto in temporalibus, & ſpiritualibus ab adminiſtratione ſuæ Eccleſię, vel Monaſterii, cui præſidet: quod ſi fuerit Prælatus inferior ultra excommunicationem privatur ipſo facto officiis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, ſic enim decernitur in Extravag. Ambitioſæ Pauli II. de rebus Eccleſiarum non alienandis. Abſolutio non eſt reſervata Summo Pontifici.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, & alios delegatos, conſentientes alienationi bonorum Eccleſiaſticorum per ſordes. Cap. 1361.

1 EPiſcopi aliique Epiſcopis ſuperiores delegati à Sede Apoſtolica in cauſa alienationis bonorum Eccleſiaſticorum, ſi in damnum Eccceleſiæ conſenſum alienationis præſtant per gratiam, timorem, vel ſordes afficiuntur ſuſpenſione ab executione officii ex Bulla Pauli II. incipit cum omnibus; ſed iſta ſuſpenſio non eſt Papę reſervata, quia nulla fit mentio reſervationis in Bulla; ſed ſi Epiſcopus ſuſpenſione durante ingerat ſe divinis incurrit irregularitatem: cujus diſpenſatio Papæ reſervatur.

De

De Suſpenſionibus latis contra Judices Eccleſiaſticos, ſeculares, & regulares in judiciis, vel ſententiis ferendis delinquentes.

De Cenſura Suſpenſionis, & interdicti contra ferentes cenſuram ſine debita ſolemnitate.

De Cenſura interdicti per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ lata contra eum, qui excommunicationis ſententiam profert abſque prævia competenti admonitione. Cap. 1362.

1 MAteria iſtius Cenſuræ eſt temere ferre ſententiam excommunicationis abſque prævia competenti admonitione, & præſentibus idoneis teſtibus; nam in c. Sacro de ſentent. excomm. ſic decernitur, etiam ſi ſententia ſit juſta: hic autem loquitur de monitione, non de citatione; differt enim monitio à citatione; monitio adhibetur ut ſubditus obediat: ſicque cenſuram evitet: citatio vero præmittitur, ut pars certior fiat de eo, quod judex facturus eſt: in judicio enim nihil fieri, & definiri debet non citata parte, admonitio autem competens eſt trina c. contigerit de ſentent. excomm. Subiectum iſtius interdicti ſunt omnes, qui ſententiam excommunicationis ferunt abſque prævia admonitione, & perſonis idoneis, ſic enim dicitur in c. ſacro cit. ſed excipiendi ſunt ab hac propoſitione Epiſcopi, quia licet Epiſcopus peccet ſententiam excommunicationis ferendo ſine admonitione, & perſonis idoneis: nihilominus non ligatur pœna iſtius interdicti, quia Epiſcopi non compræhenduntur in cenſuris ſuſpenſionis, & interdicti, niſi exprimantur c. quia periculoſum de ſent. Excomun. Effectus iſtius interdicti eſt ſuſpendere per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ſic enim dicitur in textu. Abſolutio iſtius interdicti ſpectat ad Summum Pontificem.

De Suſpenſione ab ingreſſu Eccleſiæ, & à divinis per menſem contra Iudicem Eccleſiaſticum ferentem cenſuram excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſine ſcriptis, vel ſine expreſſione cauſæ, aut non tradentem, ſe requiſitus fuerit exemplar: ideſt copiam ſententiæ infra menſem. Cap. 1363.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis conſiſtit in tribus actionibus, ſeu potius omiſſionibus, quarum ſingulæ ſufficiunt ad incurrendam iſtam ſuſpenſionem. Prima actio eſt ut Cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti proferatur in ſcriptis, ſic enim in textu dicitur. Secunda actio eſt, ut in ferenda cenſura exprimatur cauſa, ob quam fertur ita dicitur in textu. Tertia actio eſt ut judex, qui cenſuram tulit, tradat exemplar cenſuræ ſi requiſitus fuerit, alioquin cenſuram incurrit, nam ſic dicitur in dicto capite. Subiectum iſtius interdicti, ſeu ſuſpenſionis ſunt omnes Judices qui cenſuram ſine ſcriptis, aut ſine cauſæ expreſſione proferunt, aut exemplar renuunt infra menſem tradere, quia textus generaliter loquitur: Suſpenſio, quam Judex Eccleſiaſticus incurrit, ferendo cenſuram abſque dicta ſolemnitate, aut non tradendo infra menſem exemplar, repellit ab ingreſſu Eccleſiæ, & à divinis officiis, ut patet ex verbis textus. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis reſervata eſt Summo Pontifici.

De Suſpenſione ab officio contra conſervatores, qui de aliis quam de manifeſtis injuriis ſcienter cognoſcunt. Cap. 1364.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt exceſſus Juriſdictionis, quem conſervator committit ſcienter intromittendo ſe de aliis, quam de manifeſtis iniuriis, & violentiis; aut extendendo ſuam poteſtatem ad ea, quæ judicialem indaginem, ideſt ritum judicialem requirunt: ſic enim expreſſe decernitur in c. hac conſtitutione de offic. legat; in 6. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt omnes conſervatores: iſta ſuſpenſio repellit ab officio Conſervatoris; & ejus abſolutio reſervata eſt Summo Pontifici.

De

De Suſpenſione contra Iudicem Eccleſiaſticum, qui per gratiam, vel ſordes aliquid facit in judicio contra conſcientiam, & iuſtitiam in damnum partis. Cap. 1365.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt facere aliquid judicio per gratiam, vel ſordes contra conſcientiam, & juſtitiam in gravamen partis, nam in c. cum æterni, de ſent. & re judic. in 6. ſic decernitur, ad quam ſuſpenſionis incurrendam nonnullæ conditiones requiruntur. Prima eſt ut judex aliquid faciat contra conſcientiam, & contra juſtitiam: ſic enim habetur in textu. Secunda eſt ut iudex aliquid faciat in gravamen partis, ut dicitur in textu. Tertia eſt ut hoc fiat in judicio ſic innuit textus. Quarta eſt, ut id fiat per gratiam, vel ſordes: id autem dicitur fieri per gratiam, quod fit ad alicuius inſtantiam, ſeu ob alicujus favorem; per ſordes vero, quod fit ob pretium, ſeu pecuniam, quæ conditiones omnes ſimul neceſſariæ ſunt, nam una earum deficiente cenſura non incurritur, nam omnes ſub uno verborum contextu exprimuntur abſque ulla disiunctione. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt omnes. Judices Eccleſiaſtici, tam ordinarii, quam delegati ut patet ex verbis textus. Effectus iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſpendere ab executione officii per annum: in textu ſic habetur nomine officii hoc in loco non ſolum intelligitur poteſtas: & juriſdictio, ſed officium ordinis, & juriſdictionis, ſic enim dicitur in textu: Abſolutio reſervata eſt Papæ.

De cenſura ſuſpenſionis, & interdicti contra viſitationes ordinarios, qui occaſione viſitationis aliquid ultra victualia accipiunt. Cap. 1366

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis, vel interdicti eſt recipere aliquid ratione viſitationis ultra victualia: hæc propoſitio patet ex c. Romana c. exigit c. felicis de cenſibus. & in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 3. de reform. Perſonæ, quæ pœnis prædictorum jurium ſubiiciuntur ſunt Epiſcopi, & alii Prælati, qui jure ordinario viſitant ſuos ſubditos, hæc propoſitio patet ex dictis capitibus Viſitator, qui jure ordinario viſitat, vel ejus adiuncti, ſi aliquid ultra victualia accipiant, tenentur infra menſem ad reſtitutionem dupli: alioquin menſe elapſo ſi fuerit Patriarcha, vel Epiſcopus incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi fuerit inferior Epiſcopo ſuſpenditur ab officio, & beneficio non obſtante quavis remiſſione, ſeu condonatione, ſic enim in c. exigit de cenſibus habetur, quæ reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ, ſeu loco pio, à quo id receptum fuit. Præfata cenſura interdicti, & ſuſpenſionis durat donec delinquens reſtitutionem dupli faciat, ſic enim aperte conſtat ex verbis exigit c. facta vero dupli reſtitutione ceſſat abſque abſolutione.

De ſuſpenſione ad ſex menſes ab officio doctorandi lata contra promoventes ad doctoratum, vel magiſterium, in juramentum prius extorquent à promovendis, ut in ſolemnitate recipiendi doctoratum vel magiſterium non expendant ultra ſummam trium millium turonenſium argentorum. Cap. 1367.

1 MAteria iſtius Suſpenſionis eſt omiſſio extorquendi juramentum à doctorando, ut non expendat in ea ſolemnitate ultra tria milia Turonenſium argentorum: hæc propoſitio expreſſe habetur in Clementina cum ſit de magiſtris. Tres mille autem Turonenſes non excedunt ducentos aureos: quorum quilibet undecim nummis aureis æſtimatur, unde coopandus ad doctoratus lauream non poteſt ultra ducentos aureos expendere. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt illi omnes ad quos pertinet doctoratum, vel magiſterium conferre, quia Clemens V in præfato c. generaliter loquitur, Iſta ſuſpenſio repellit à collatione doctoratus, ſeu magiſterii per ſex menſes, ſic enim dicitur in præfata Clementina, qui vero hanc ſuſpenſionem contraxit graviter peccat, ſed irregularitatem non incurrit conferendo doctoratum antequam abſolvatur. Abſolutio pertinet ad Summum Pontificem.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, qui poſt celebrationem Concilii Provincialis non advocat Arbitros Teſtes ſynodales, & Clericos & univerſam ſuæ diœceſis plebem, & illis reſerat geſta in Concilio Provinciali. Cap. 1368.

1 EPiſcopus, qui præfata non fecit, ſeu parvi pendenda crediderit, ſenten-

tia

cla excommunicationis duorum menſium curriculo perſiſtit uſquequaque multatus, ut loquitur c. decernimus diſtinct. 18. ad finem, quod infra tempus præfixum auferri non poteſt ab inferiore, ſed eo elapſo poteſt.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, aliosque Prælatos Epiſcopis ſuperiores: qui præſcriptis temporibus ad Apoſtolorum limina non accedunt. Cap. 1369.

1 Epiſcopus, qui debito tempore ad limina non accedit incurrit ſuſpenſionem, & interdictum latum a Sixto V. in Bulla XV. incipit Romanus Pontifex. Tenentur autem Epiſcopi, Patriarchæ, & Archiepiſcopi, etiam Cardinalatus honore inſigniti vi præſtiti juramenti per ſe ipſos accedere, ſi legitimo non detinentur impedimento; vel ſaltem per alium, ut referant ſtatum ſuæ diœceſis, ut prolixe ſatis, & dilucide in dicta Sixti V. conſtitutione habetur. Tempus Epiſcopis præfigitur ad viſitanda limina juxta variam locorum diſtantiam, ut ex ipſa bulla conſtat. Italis enim tertio quoque anno præfigitur: qui intra Europæ fines ſunt quinto quoque anno tenentur. Aſiatici vero, & qui extra Aſiam ſunt decimo quoque anno iter ſuſcipiant: & Deo concedente perficiant, idemque inſtitutum tertio quoque, quinto, & decimo anno repetant, & obſervent. Prælatus autem hujus conſtitutionis violator ſuſpenditur, vel interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ, ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium, & à fructibus ſuarum Eccleſiarum, ut patet ex verbis textus. Abſolutio eſt reſervata Summo Pontifici, etiam ſi Prælati reſipuerint, & ad limina ſe contulerit.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, & alios Epiſcopis ſuperiores ob quæſtum publicantes, vel concedentes indulgentiam, aut facultatem abſolvendi. Cap. 1370.

1 Præfati Epiſcopi incurrunt ſuſpenſionem Papæ reſervatam; ſeu potius interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum ex Bulla 99. Pii V. incipit. Quam plenum: in qua Bulla fertur etiam Excommunicatio contra alios Epiſcopis inferioris.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, vel Archiepiſcopum relaxantem incendiariis pœnam ipſis impoſitam in c. peſſimam 25. quæſt. 8 Cap. 1371.

1 Epiſcopus, vel Archiepiſcopus pœnam incendiario debitam relaxans, damnum ipſe reſtituere, & per annum ab officio Archiepiſcopali abſtinere debet c. peſſima; pœna autem in dicto capite impoſita contra incendiarium eſt, ut non ſolum excommunicetur, & non abſolvatur nondum facta damni reſtitutione, præſtitoque juramento non patrandi amplius hujuſmodi facinus, verum etiam injungatur pœnitentia permanendi per annum in ſervitio Dei Hieroſolimis, vel in Hiſpania.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, aliosque Prælatos Epiſcopi Superiores, ut Patriarchas, & Archiepiſcopos: qui ex odio, gratia, amore, vel lucro, ſeu commodo temporali ommittunt procedere contra ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi, aut temere vexant aliquem imponendo illi notam, vel ſuſpicionem hæreſis, vel impedimentu ab illo illati in officio Inquiſitionis Cap. 1372.

1 Præfati Epiſcopi, vel Prælati, qui prædictas actiones faciunt ſuſpenduntur per triennium ab officiis: alii vero inferiores Epiſcopis ligantur excommunicatione in Clementina 1. § verum de hæreticis.

De Suſpenſione contra Epiſcopum, qui neceſſariam correctionem non adhibet contra Simoniacos in Sacramentis, vel in ordinibus. Cap. 1373.

1 Epiſcopus præfatam correctionem non adhibens ſubiacet excommunicationi c. quidquid, quæſt. 1. nomine autem excommunicationis intelligitur ſuſpenſio.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, Prælatos, & alios ob alia delicta diſtincta à præcedentibus.

De Suſpenſione contra Epiſcopum concubinarium non reſipiſcentem poſt admonitionem Synodi Provincialis. Cap. 1374.

1 EPiſcopus Concubinarius, qui non reſipiſcit poſtquam à Synodo Provinciali admonitus fuit ipſo facto ſuſpenſus remaneat ex *Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 14. de reformat.*

De Suſpenſione contra Epiſcopo: alioſque Prælatos Pontificali dignitate præditos ingredientes monaſteria monialium ſibi ſubjecta extra caſus neceſſitatis. Cap. 1375.

1 EPiſcopus, aut alii Prælati ingredientes extra neceſſitatem monaſteria monialium ſibi ſubjecta prima vice incurrunt ſuſpenſionem, ſeu potius interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, Secunda vice ſuſpenduntur à divinis. Tertia vice ligantur excommunicatione ut patet ex Bulla Gregorii XIII.

De Suſpenſione tam contra eos, qui juramentum præſtant de tenendo ſchiſmate, quam contra ipſos ſchiſmaticos. Cap. 1376.

1 ISta ſuſpenſio expreſſa eſt in c. 1. ad finem de Schiſmaticis contra eos, qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterint a ſacris ordinibus, & dignitatibus manent ſuſpenſi, unde materia iſtius ſuſpenſionis eſt juramentum de tenendo ſchiſmate: opus tamen eſt, ut juramentum non fiat per vim, dolum, metum, ignorantiam, aliamve ſimilem cauſam, quia textus utitur dictione *ſponte*, quod puram libertatem connotat, & metum excludit. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt omnes ſuſpenſionis capaces: qui præfatum juramentum præſtant. Effectus iſtius ſuſpenſionis eſt repellere ab uſu ordinum, & eorum ſuſceptione, atque a dignitatibus. Abſolutio poteſt conferri ab Epiſcopo.

De Suſpenſione contra impugnantes Immaculatæ ac Beatiſſimæ Virginis Conceptionem, vel in alterutram partem diſputantes alteram refellendo. Cap. 1377.

1 NOn ſolum qui præſumit in concione populari, aut ubi adeſt virorum, & mulierum multitudo diſputare in alterutram partem de Conceptione B.M.V. aſſerendo propriam ſententiam rationibus, vel auctoritatibus, & alteram refellendo, verum etiam qui præſumit de hac ipſa quæſtione cujuſvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari lingua ſcribere, vel dictare ſuſpenditur à divinis, ſi eſt in ſacris: nec non privatur ipſo jure omni gradu, & dignitate, & ad ſimilem redditur inhabilis, & à ſolo Papa diſpenſari poteſt ex Bulla Pii V. quæ incipit ſuper ſpecula. Idem Paul. V. die 19 Julii 1616. die 31 Auguſti 1617. ſub iiſdem pœnis, & cenſuris decrevit contra eos, qui in publicis concionibus, lectionibus conclusionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere audent Beatiſſimam Virginem cum originali peccato conceptam fuiſſe, eandem pœnam extendit ad eos qui tuentur in publicis actibus Beatiſſimam Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe, ſi oppoſitam ſententiam impugnent, aut de illa aliquo modo agant vel tractent. Noviſſime autem Gregorius XV. non ſolum id vetuit in actibus publicis, verum etiam privatis.

De Suſpenſione contra Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Patriarchas locantes, aut alia ratione concedentes domos manifeſtis uſurariis alienigenis, ſcientes eos illis abuſuros ad ſcenus quaſi ex officio exercendum. Cap. 1378.

1 PRædicti Epiſcopi concedentes domos præfatis uſurariis ligantur ſuſpenſione: alii vero inferiores excommunicantur, collegia vero, & univerſitates interdictum ipſo facto incurrunt, in qua cenſetur ſcilicet ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti ſi per menſem animo indurato perſtiterint: terræ ipſorum ipſo facto remanent interdictæ, ita decrevit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, & refertur in *c. Uſurarum de uſuris*, quæ ſuſpenſio ſuſpendit ab officio, & beneficio quia ſic habetur in textu.

De

De Suſpenſione contra Clericos utentes veſtibus prohibitis. Cap. 1379.

1 Clericus habens beneficium Incurrit per ſex menſes ſuſpenſionem a perceptione fructuum ſi publice utatur veſte virgata, vel partita: Clericus vero non habens beneficium ſed conſtitutus ſit in ſacro Subdiaconatus, vel Diaconatus ordine inhabilis efficitur per ſex menſes ad recipiendum beneficium, eadem pæna inhabilitatis ad beneficium per ſex menſes punitur Clericus, qui præfato veſtium genere utitur, dum Clericalem tonſuram confert. Sacerdos vero: vel religioſus, aut alius obtinens dignitatem, vel beneficium, cui animarum cura adnexa eſt, ſuſpenſionem incurrit per annum à perceptione fructuum, ſi publice deferat veſtem virgatam, vel partitam, aut capite Pileum lineum, vulgo *la ſcuffia, ò la beriola di notte*: quod ſi præfati Sacerdotes, vel religioſi beneficium non habeant, efficiuntur inhabiles per annum ad beneficium Eccleſiaſticum: hæc omnia expreſse ſancita fuerunt à Clemente V. in Concilio Viennenſi in Clementina 2. quoniam de vita, & honeſtate Clericorum. Subiectum iſtius ſuſpenſionis eſt dum deferens habet beneficium Eccleſiaſticum, in reliquis vero caſibus inducitur inhabilitas, vel prohibitio uti dictum eſt. Suſpenſio ſuſpendit a fructibus beneficiorum, ſic habetur in dicta Clementina. Abſolutio obtinenda eſt à Summo Pontifice ſi ſequamur communiorem Doctorum ſententiam aſſerentium abſolutionem ſuſpenſionis latæ ad tempus pertinere ad conditorem legis.

De Suſpenſione comminatoria, & aliis pænis contra eos, qui imagines eorum, de quibus fama, vel opinio ſanctitatis, vel martirii invaluit proponunt cum laureolis, radiis, vel ſplendoribus, aut libros continentes geſta miracula, revelationes vel beneficia tanquam ipſorum interceſſionibus obtenta publicant aut Tabellas, ſeu imagines fictas, pictas, vel exculptas appendunt, aut lampades, ſeu lumina ad ipſorum ſepulcra ſine debita facultate accendunt. Cap. 1380.

1 Urbanus VIII. in generali congregatione S. Inquiſitionis die 4. Aprilis 1625. præcepit ſub pœna ſuſpenſionis, ne quædam actiones fiant in honorem illius, qui cum fama, ſeu opinione ſanctitatis, vel Martirii, ex hac vita migravit, quæ actiones ſunt materia iſtius ſuſpenſionis. Prima eſt imagines illorum, qui cum ſanctitatis, vel martirii fama, vel opinione defuncti ſunt, vel quid aliud, venerationem, & cultum indicans apponere in Eccleſiis quorumcumque, tam ſecularibus, quam regularibus oratoriis, vel aliis locis publicis, vel privatis antequam canonizentur, vel beati declarentur à Sede Apoſtolica, aut non. amovere, quæ jam impoſita fuerunt. Secunda eſt libros hujuſmodi virorum continentes geſta, miracula, revelationes, ſeu beneficia quælibet, tanquam ipſorum interceſſionibus obtenta imprimere ſine recognitione, & approbatione Ordinarii. Tertia eſt tabellas, aut imagines ex cera aut alia materia confectas ad ipſorum ſepulturam appendere, vel affigere: aut lampades, vel lumina accendere non dum facta ab ordinario recognitione eaque approbata à Sede Apoſtolica. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt viri Eccleſiaſtici, ſive ſint clerici ſæculares, ſive regulares, cum hac tamen differentia; quod regulares ſuſpendendi ſunt a divinis, & privantur officiis, ac voce activa, & paſſiva. Clerici vero Seculares non ſolum privantur officiis, verum etiam comminatorie à divinis, ab adminiſtratione Sacramentorum, & executione ſuorum ordinum: Imo etiam aliis pœnis pro qualitate culpæ puniendi ſunt arbitrio ordinariorum, vel inquiſitorum.

De nonnullis ſuſpenſionibus, quæ ab aliquibus doctoribus afferuntur, & aſſeruntur, ſed ab aliis refelluntur, & reiiciuntur.

Utrum publicus peccator ſit ipſo facto ſuſpenſus. Cap. 1381.

1 Peccator publicus non eſt ſuſpenſus ſuſpenſione proprie dicta: quia nullibi reperitur textus; quo hæc cenſura ſufficienter probetur, & in *Trident. Concil. ſeſſ* 22. in decreto de ſervandis in celebratione miſſæ monentur Epiſcopi, ut curent, ne quis publicus, & notorius peccator ſi ſit Clericus Altari miniſtret, ſi laicus, ne ſacris interſit, ubi Concilium non imponit ſuſpenſionem; ſed docet, & admonet Epiſco-

ſcopos quo pacto ſe gerere debeant ad comprimendam publici peccatoris improbitatem.

Vtrum committens nefandum ſodomiæ crimen ſit ipſo jure ſuſpenſus. Cap. 1382.

1 Committens nefandum Sodomiæ crimen non eſt ipſo jure ſuſpenſus, ſive delictum ſit publicum ſive occultum quia ſuſpenſio inducenda non eſt, niſi jure ſit expreſſa: nullum autem jus afferri poteſt, in quo iſta ſuſpenſio contineatur.

Vtrum Clericus raptor mulieris ſit ipſo jure ſuſpenſus. Cap. 1383.

1 Clericus mulieris raptor non eſt ipſo facto ſuſpenſus, licet ſit excommunicandus, & ſuſpendendus, quia Concilium utitur verbo decidant quod eſt futuri temporis, & illa verba à proprio gradu decidant deſumpta videntur ex *cap. eos de puellis* 36. *q.* 2. in quibus textibus hæc pœna non videtur ipſo jure lata ſed ferenda: & in materia pœnali in dubio mitior interpretatio facienda eſt *c. odia de regul. jur. in* 6.

Vtrum Clericus publicus, ſeu notarius concubinarius vel fornicator ſit ipſo jure ſuſpenſus. Cap. 1384.

1 Clericus notorius concubinarius, vel fornicator jure quidem antiquo ſuſpenſus fuit: jure tamen novo non eſt ipſo jure ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus: Exceptis Epiſcopis qui non ſe emendarunt: poſtquam à Synodo Provinciali admoniti fuerunt, quia Sacri Canones in hac parte abrogati ſunt per contrariam conſuetudinem: & ſuſpenſio, quæ ipſo facto jure antiquo incurrebatur, hoc tempore commutata videtur à *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de reformatione*, in ſuſpenſionem comminatoriam, & in alias pœnas, nam Concilium utitur verbis futuri temporis puniantur, ſuſpendantur, &c. gradatim enim procedi jubet à levioribus pœnis ad graviores.

Vtrum Simoniacus in Beneficio ſit ipſo jure ſuſpenſus. Cap. 1385.

1 Simoniacus in beneficio non eſt ſuſpenſus ab ordine, & beneficio: quia cenſura non incurritur, niſi ſit iure expreſſo, nullum autem ius extat, in quo iſta ſuſpenſio exprimatur.

Vtrum Clericus provocans ad duellum, vel in eo pugnans ſit ipſo jure ſuſpenſus. Cap. 1386.

1 Clericus provocans, vel acceptans duellum eſt quidem excommunicatus non autem eſt ipſo facto ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus; quia ſuſpenſio ipſo jure inducenda non eſt niſi ex verbis alicujus, diſpoſitionis ſufficienter colligatur ex verbis enim cap 1. de clericis pugnantibus in duello non colligitur ſuſpenſio ipſo jure lata, ſed ferenda cum verbis futuri temporij enuncietur.

De Suſpenſione contra religioſos, qui ad ordines ſacros nondum facta profeſſione promoventur. Cap. 1387.

1 Iſti ſuſpenſi ſunt ab executione ordinum ex Bulla 75. Pii V. idem militat in religioſo invalide profeſſo ſacrum ordinem ſuſcipiente ex Sacra Cardinalium congregatione.

De Suſpenſione contra Abbates, alioſque Prælatos religionum à Sede Apoſtolica promotos accipientes adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum abſque litteris authenticis ejuſdem ſedis. Cap. 1388.

1 Iſti ſuſpenſi ſunt ab adminiſtratione fructuum earumdem Eccleſiarum Extravag. 1. Elect.

De ſuſpenſione contra Abbates, & alios, quoſcumque concedentes litteras dimiſſorias aliis, quam religioſis ſibi ſubditis. Cap. 1389.

1 Abbates, & alii quicumque concedentes dimiſſorias aliis, quam religioſis non ſibi ſubditis ſuſpenſionem per annum, ipſo facto incurrant ab officio, & beneficio ex decreto *Tridentini ſeſſ.* 23. *c.* 10. *ad finem*, unde Abbas, aut alius Prælatus regularis concedens dimiſſorias Clerico ſeculari, vinculo iſtius cenſuræ ligatur, etiam ſi ille Clericus alias pertineant ad Iuriſdictionem ipſius Abbatis: hic enim non

non eſt regularis ſecus ſi concedat dimiſſorias religioſo ſibi ſubdito, nam Concilium loquitur de concedentibus litteras dimiſſorias clericis ſecularibus, ſic Abbas concedens litteras dimiſſorias novitio, aut ei minores ordines conferens ligatur ſuſpenſione à collatione ordinum per annum lata in *Conc. ſeſ.* 23. *c.* 8. quia Abbates, aut alii quatumuis exempti non poſſunt ordines, vel tonſuram conferre cuiquam: qui regularis ſubditus ſibi non ſit, ut dicitur in præfato Concilio: ſed novitius non eſt regularis, cum efficiatur regularis per profeſſionem, & ideo Abbas, aut alius Prælatus ordinans Novitium incurrit ſuſpenſionem contra conferentem ordines non ſibi ſubdito latam in *Concil. c.* 8.

De ſuſpenſione contra Religioſum conjungentem in matrimonium, aut benedicentem ſponſos alienæ parochiæ abſque facultate proprii Parochi, vel Ordinarii. Cap. 1390.

1 HUiuſmodi religioſus ſuſpenſus ab officio remanet donec Ordinario, Parochi viſum fuerit ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. ut ſuſperius fuſius explicatum eſt.

De Suſpenſione contra religioſos mendicantes qui admittunt aliquem ad profeſſionem nondum expleto probationis anno. Cap. 1391.

1 MAter la iſtius ſuſpenſionis, & excommunicationis comminatoriæ, eſt recipere aliquem ad profeſſionem nondum expleto anno probationis: nam in *c. non ſolum de regular. in cap. & c. conſtitutionem*, eodem titulo ſic habetur, ſed in receptione, debet eſſe præſumptio. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt omnes Religioſi mendicantes: qui aliquem ad religionem admittunt non expleto probationis anno, quia licet in *c. non ſolum de regular. in* 6. ſermo ſit dumtaxat de religionis ordinum prædicatorum, & minorum, nihilominus Bonifacius VII in *c. conſtitutionem*, eodem titulo id extendit ad ordines aliorum mendicantium: unde moniales ordinum Mendicantium huic cenſuræ ſubiiciuntur, quare tam Prælatus, quam Capitulum huic cenſuræ ſubiicitur, recipiendo aliquem ante completum probationis annum, cum enim poteſtas recipiendi regulariter reſideat penes Capitulum, & conventum, ſequitur capitulum hac cenſura ligari recipiendo aliquem ante completum probationis annum: & hoc verum cenſeo non ſolum de illis, qui primo loco ad aliquem recipiendum concurrunt: verum etiam de illis, qui ſuum votum, & ſuffragium fuerunt poſt præſtitum ſuffragiorum numerum ſufficientem, nam iſti etiam dicuntur recipere. Iſta ſuſpenſio repellita receptione religioſorum in eodem ordine ut inc. citato dicitur.

De ſuſpenſione contra religioſos pecuniam, vel munera in viſitatione recipientes. Cap. 1392.

1 ISti religioſi ſuſpenduntur ab officio, & beneficio niſi infra menſem duplum reſtituant *c. exigit de cenſibus*, ut ſuperius explicatum eſt.

De Suſpenſione ab officio contra Prælatos religioſos præſidentes Monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis, vel adminiſtrationibus: ſi jura, redditus, aut poſſeſſiones alicui concedant, Cap. 1393.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt concedere alicui quovis modo jura, redditus, aut poſſeſſiones religioſorum ad viam recipientis, vel concedentis, ſeu ad aliud certum tempus, etiam ſi pecunia ob id recipiatur, ita decernitur in Clementina 1. de reb Eccleſ. non alien. niſi aliud poſtulet neceſſitas, vel utilitas Monaſterii, ſeu Eccleſiæ, ſeu adminiſtrationis, Præſes tamen in tali eventu extorquere debet aſſenſum ſi conventum habet: ſi vero non habet, exigere debet conſenſum Prælati nam in dicta Clementina ſic dicitur Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt religioſi præſidentes Monaſterio, Eccleſiæ, Prioratui, ſeu adminiſtrationi Præfata bona ad longum tempus concedentes, ſic enim dicitur in dicta Clementina. Effectus iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſpendere ab officio, & nomine officii intelligitur tam ordinis, quam iuriſdictionis; quia ſuſpenſio ab officio abſolute prolata, intelligitur ab officio ordinis, & iuriſdictionis. Abſolutio conferri poteſt ab Epiſcopo.

De ſuſpenſione contra religioſos, qui inique ſibi uſurpant decimas Eccleſiarum, eaque intra duos menſes non reſtituunt, aut prohibent eos ſolvi, & intra menſem à prohibitione ſeu impedimento non deſiſtunt. Cap. 1394.

1 RElgioſi, qui ſolutionem decimarum Eccleſiis debitarum impediunt, vel eas ſine rationabili cauſa, aut privilegio ſibi uſurpare præſumunt, ſi requiſiti a ſe illis, quorum intereſt non deſiſtunt intrà menſem, vel de uſurpatis, vel retentis intra duos menſes non ſatisfaciunt ſuſpenſi ſunt ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficils ſuis, donec reſtituerint & ſatisfecerint Clement. 1. de decimis, quod ſi hujuſmodi religioſi, nec officia, nec adminiſtrationes, nec beneficia habeant ligantur vinculo excommunicationis: a quo nequeunt abſolvi donec ſatisfaciant. Clement. 1. citata.

De Suſpenſione ob officio prædicandi contra religioſos non admonentes pœnitentes de onere ſolvendi decimas poſtquam à rectoribus Eccleſiarum requiſiti fuerunt ut admoneant. Capit. 1395.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt ſcienter prætermittere admonitionem pœnitentibus obſtrictis onere decimarum, nam in Clement. cupientes de pœnis ſic dicitur, modo requiſiti fuerint ab Eccleſiarum rectoribus. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt religioſi omnes, qui conſcientiam pœnitentibus non faciunt de onere ſolvendi decimas, ſic enim in dicta Clementina dicitur. Excipiuntur tamen rectores Eccleſiarum, & religioſi monaſteriorum percipientium decimas, ut expreſſe dicitur in præfata Clementina. Iſta ſuſpenſio repellit ab officio prædicandi, unde qui hac ſuſpenſione obſtrictus concionatur incurrit cenſuram excommunicationis, ut in dicta Clement. decernitur. Abſolutio reſervata eſt Papæ.

De Suſpenſione contra Prælatos religioſorum, non ſatisfacientes intra menſem partibus læſis, quoties ad ipſos præfatos aliquid pervenit occaſione exceſſuum commiſſorum à ſuis religioſis & requiſiti ſatisfactionem infra menſem non præſtiterunt. Cap. 1396.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis conſiſtit in ommiſſione ſatisfactionis præſtandæ infra menſem iis, qui læſi fuerunt ob delictum in Clementia. 1. §. quibus, verſ. cæterum de privilegiis, religioſis prohibitum, occaſione alicujus delicti ibi expreſſi aliquid ad prælatum religionis pervenit, ſic enim dicitur in dicta Clement. ex cujus verbis colliguntur duæ conditiones neceſſariæ ad hanc cenſuram incurrendam. Prima eſt, ut Prælati aliquid acceperint occaſione exceſſuum patratorum à ſuis religioſis; nam in textu dicitur ſic. Secunda conditio eſt ut Prælati integre non reſtituerint intra menſem poſtquam requiſiti fuerint: ſufficit tamen una requiſitio facta ab iis, quibus ſatisfactio præſtanda eſt, ſic enim ſimpliciter dicitur in textu. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Prælati religioſorum non plene reſtituentes infra menſem id, quod occaſione prædictorum exceſſuum acceperunt, ſic enim habetur in præfata Clementina. Exceſſus autem in dicta Clementina religioſis prohibiti ſunt plures. Primus eſt in concionibus detrahere Prælatis Eccleſiarum. Secundus eſt retrahere laicos, ne ad parochias accedant. Tertius eſt pronunciare indulgentias indiſcretas, ideſt non conceſſas. Quartus eſt retrahere teſtatorem, ne legata matricibus Eccleſiis faciat. Quintus eſt procurare ut legata debita, vel male ablata incerta relinquantur ſibi, vel fratribus, vel conventibus in præjudicium alterius, Sextus eſt abſolvere à caſibus reſervatis Pontifici, vel locorum ordinariis. Septimus eſt præſumere injuſte vexare perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram judicibus delegatis: aut eas convenire ad plura loca, præſertim valde remota. Iſta ſuſpenſio ſuſpendit ab officio, & beneficio. Abſolutio iſtius ſuſpenſionis ante præſtitam ſatisfactionem videtur Papæ reſervata, quia lata eſt ad tempus.

De

De Suſpenſione, ſeu irregularitate contra Apoſtatas a Religione, &c. Cap. 1398.

1 MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt recipere ſacrum ordinem in Apoſtaſia, nam in c. conſultationi de Apoſtatis ſic decernitur. Nomine autem ſacri ordinis intelligo Subdiaconatum, Diaconatum, Sacerdotium, & conſecrationem Epiſcopalem; hæc enim eſt extenſio ordinis Sacerdotalis. Subiectum iſtius prohibitionis, ſeu ſuſpenſionis ſunt religioſi recipientes ſacrum ordinem in Apoſtaſia, quia in præcitato capite ſermo eſt de apoſtatis a religione. Apoſtatæ autem à religione ſunt religioſi iam profeſſi: nomine autem Monachi in c. conſultationi intelligitur quilibet religioſus, & nomine Abbatis intelligitur religioſi ſuperior. Effectus iſtius prohibitionis, ſeu ſuſpenſionis eſt impedire, ſeu ſuſpendere ab executione ordinis tempore Apoſtaſiæ ſuſcepti, ut patet ex verbis ipſius capitis. Abſolutio, ſeu diſpenſatio in hac ſuſpenſione, ſeu potiùs impedimento canonico pertinet ad Summum Pontificem.

De ſuſpenſione ab executione ordinum contra religioſum à religione eiectum: Cap. 1399.

1. REligioſus à religione eiectus ſuſpenſus eſt, nam ita ſancitum fuit à ſacra Cardinalium congregatione facultate Summi Pontificis Vrbani VIII. die 21. Septembris 1624. Iſta ſuſpenſio repellit ab exercitio ordinum: ſacra enim congregatio ſic aſſerit: electi extra religionem degentes ſint perpetuo ſuſpenſi ab exercitio ordinum. Abſolutio, aut moderatio iſtius ſuſpenſionis Summo Pontifici reſervata eſt.

De Suſpenſione contra Religioſos præſumentes introducere Mulieres in Monaſteria. Cap. 1399.

1. ISti incurrunt ſuſpenſionem à diuinis, priuantur beneficiis, & ad illa inhabiles redduntur ex Bulla Pii V. quæ incipit regularium de qua plura ſupèrius acta ſunt.

De Suſpenſione contra Monachos nigros non utentes habitu, & veſtitu iuxta formam præſcriptam in Cle. 1. §. ſi quis autem de ſtatu Monachorum. C. 1400.

1. MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt portare habitum contra formam in dicta Clementina præſcriptam: ſubiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Monachi nigri: de his enim ſermo eſt in præfata Clementina. Effectus iſtius ſuſpenſionis eſt ſuſpendere per annum à collatione beneficiorum ſi delinquens ſit Abbas, aut prior non habens proprium Abbatem: ſi verò ſit inferior habens aliquam adminiſtrationem priuatur per annum adminiſtratione: ſi nullam habeat adminiſtrationem, eo ipſo per annum redditur inhabilis ad adminiſtrationem, & Eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Abſolutio obtinenda eſt à Papa.

De ſuſpenſione contra Monachos nigros, qui venationi, aut aucupationi clamoroſæ, aut aliàs cum canibus, aut avibus ex propoſito interſunt. Cap. 1401.

1. MAteria iſtius ſuſpenſionis eſt aſſiſtere ex propoſito venationi, aut aucupationi clamoroſæ, aut cum canibus, vel auibus. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt Monachi nigri. Iſta ſuſpenſio ſuſpendit per biennium à collatione beneficiorum ſi delinquens ſit Abbas, aut Prior: ſi verò ſit alius ſuſpenditur per biennium ab adminiſtratione ſi quam habet; ſi nullam habeat redditur inhabilis per duos annos ad adminiſtrationem, & Eccleſiaſticum beneficium recipiendum: facultas diſpenſandi pertinet ad Papam.

De Suſpenſione contra fratres Prædicatores præſumentes perturbare officium Inquiſitionis contra hæreticos exercitum à fratribus minoribus Cap. 1402.

1. ISti ligantur ſuſpenſione ab exercitio ſacrorum ordinum donec abſolutionem à Sede Apoſtolica, aut ab illo, cuius officium perturbarunt, obtineant: eadem ſuſpenſio afficit fratres minores

perturbare præſumentes officium Inquiſitoris adminiſtratum à Prædicatoribus ut patet ex quodam Clement. IV. privilegio incipit Paupertatis altiſſimæ.

De Suſpenſione contra fratres ordinis prædicatorum promotos ad Prælaturam, ſi poſt quam promoti fuerunt ad Epiſcopatum, vel aliam Prælaturam ſuſcipiant conſecrationem, antequam reſtituant ordini libros & alia quæ tempore promotionis habebant. Cap. 1403.

1 ISti religioſi contrahunt ſuſpenſionem a Pontificalibus Papæ reſervatam teſte S Antonino qui hoc probat ex quodam Privilegio Clementis. IV. quod ego non dum vidi, & propterea hoc dixi innixus fidei, & teſtimonio tanti viri.

De Suſpenſionibus contra capitula, & conventus. Cap. 1404.

1 SUſpenſiones contra capitula, & conventus explicavi occaſione aliarum, quæ contra ſingulares perſonas editæ ſunt, ideo hic eas ſolum innuere ſufficit eo ordine, & iiſdem verbis quibus ea in tract. de cenſuris in genere enumeravi, & ſunt ſex. Prima eſt Capitula Eccleſiæ, vel Monaſterii: quæ Epiſcopum, aut Prælatum religioſum à Sede Apoſtolica proviſum ſine litteris ejuſdem Sedis recipiunt, aut illis obediunt ſuſpenduntur à Beneficiis Extrau. .. de electionibus. Secunda eſt capitula, & collegia, quæ Sede cathedrali, collegiali, vel regulari vacante occupant, vel dilapidant bona ad Prælatum defunctum vel ad ipſam Eccleſiam, vel ad ſucceſſorem pertinentis. Suſpenduntur ab officio: & beneficio donec plenam reſtitutionem fecerint, cap. quia de electione. Tertia eſt Capitula, & conventus, qui aliquid directe vel indirecte accipiunt, aut petunt ob receptionem alicuius in religionem, aut poſt illam, incurrunt ipſo jure ſuſpenſionem totalem ideſt officio, & Beneficio Papæ reſervatam. Clem. ſane de Simonia. Quarta eſt Capitula, aut ſingulæ perſonæ reſignationem beneficiorum admittentes extra caſus, & formam Bullam Pii V quæ incipit. Quanta Eccleſiæ, incurrunt ſuſpenſionem à collatione præſentatione, & inſtitutione, & capitulum faciens contra illam ſuſpenſionem, afficitur ſuſpenſione à divinis Papæ reſervata. Quinta. Capitula vel potius ſingulares perſonæ aliquem ad profeſſionem admittentes nondum expleto probationis anno de qua ſupra actum eſt Sexta præſumentes perturbare, vel impedire ea quę pro Eccleſia Toloſa a ſtatuta ſunt in Extravag. ſalubriter de prębend. de hac cenſura vide infra dicenda.

De interdictis in particulari.

De interdictis perſonalibus generalibus.

De interdicto contra eos, qui cauſam dederunt interdicto locali. Cap. 1405.

1 DAns cauſam interdicto locali, perſonale interdictum incurrit, c. ſi ſententia de ſent. excomm lib. 6 quare ſi univerſitas, ſeu Collegium cauſam interdicto locali generali dedit etiam ipſum remanet perſonaliter interdictum, videlicet, quoad perſonas, quæ cauſam culpabilem interdicti dederunt, innocentes enim puniri non debent.

De interdicto contra capitulum, quod ſede vacante litteras dimiſſorias concedit infra annum à die vacationis, alicui, qui non ſit arctatus ratione Beneficii recepti, vel recipiendi ex Trid. ſeſſ 7. c. 10. Cap. 1406.

1 DE hac re v. de ſupra dicta.

De interdicto contra univerſitates imponentes, vel recipientes taleas, decimas, ſeu alia tributa aut conſilium auxilium vel favorem præbentes. cap Clericis de immunitate. *Cap.* 1407.

1 HUius interdicti textum obſervant aliqui, & ejus declarationes revocatas fuiſse à Clemente V. in c. quoniam de immunitate: ubi præcipit, ſuper hujuſmodi exactionibus ſervari præſcripta in *cap. non minus* &c., *adverſus de immunitate* ubi fertur excommunicatio.

De

Digitized by Google

De interdicto contra univerſitatem, quæ concedit repreſalias, vel conceſſas extendit contra perſonas Eccleſiaſticas, vel ipſorum bona, etiam prætextu cujus libet conſuetudinis, niſi conceſſionem, vel extenſionem revocet infra menſem. Cap. 1408.

1 PRæfata univerſitas ſubiicitur interdicto Eccleſiaſtico lata in c. unico de iniuriis in 6. ubi contra particulares perſonas fertur excommunicatio, contra univerſitatem fertur interdictum.

De interdicto contra univerſitatem, capitulum, & collegium quod à ſententiis Summi Pontificis appellat ad futurum Concilium generale, aut conſilium, vel favorem præbet. Cap. 1409.

1 PRæfata univerſitas, capitulum, & collegium ſubiicitur interdicto lato in Bulla Cœnæ: ubi etiam contra particulares perſonas fertur excommunicatio. Hæc tamen eſt differentia inter abſolventem ab interdicto, & abſolutionem ab excommunicatione quod abſolvens ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ abſque legitima facultate ligatur excommunicatione, non autem abſolvens ab interdicto: quia bulla meminit abſolventium ab excommunicatione, non autem abſolventium ab interdicto.

De interdicto contra præſumentes perturbare, vel impedire ea quæ pro Eccleſia Toloſana ſtatuta ſunt in Extravaganti ſalubriter de præben. Cap. 1410.

1 IN præfato textu fertur excommunicatio in perſonas particulares, interdictum in univerſitatem, ſuſpenſio in conventus, capitula, ſeu collegia in expoſitione iſtius cenſuræ defatigari nolo, tum quia pertinet ad Eccleſiam Toloſanam: tum quia in dubium verti poſset, an hujuſmodi cenſura hoc tempore vigeat, cum edita videatur ſub conditione niſi tranſgreſsores infra octo dies poſt promulgationem recipiſcent; ego tamen arbitror legem, & cenſuram perpetuam eſse, & ſpatio octo dierum aſſignatum fuiſse illis qui Eccleſiæ Toloſanæ tunc temporis infenſi erant, & obſtabant Iſta ſuſpenſio, & interdictum parit omnes effectus, quos parit cenſura ſuſpenſionis, & interdicti abſolute prolata. Subiectum iſtius interdicti eſt univerſitas; diſtinguitur autem in hac Extravag. univerſitas à capitulo, ſeu collegio, ac conventu quod hæc ſuſpenduntur, illa interdicitur, & hoc interdictum eſt generale perſonale.

De Interdicto contra Capitula, univerſitatem, vel collegium non ſervans conſtitutionem Ioannis XXII. circa perceptionem fructuum beneficiorum vacantium juxta Extravag. unicam de ſede vacante. Cap. 1411.

1 IStius extravagantis explicationem ſuperius attuli, & hic nihil addendum occurrit.

De interdicto contra collegium vel univerſitatem, quæ uſurariis manifeſtis permitti conducere domum in terris ſuis ad fœnus exercendum, Cap. 1412.

1 COllegium, vel Univerſitas permittens uſurariis conducere domum in terris ſuis ad fœnus exercendum interdicti cenſura ligatur cap. uſurarum de uſuris I. 6. Huic interdicto ſubiicitur ſolum Collegium, & univerſitas, ſeu Communitas Eccleſiaſtica: laici verò puniendi ſunt ab ordinariis per cenſuram, nam Summus Pontifex in dicto textu primo loco fert pœnas contra Eccleſiaſticos diverſos pro diverſitate graduum, ita ut ſi ſint Epiſcopi, aut majores Epiſcopis incurrant ſuſpenſionem ſi ſint ſingulares perſonæ inferiores Epiſcopis excommunicatione afficiantur: ſi vero ſint collegium vel univerſitas ligentur interdicto: quam cenſuram ſi per menſem animo indurato ſuſtinuerint, ipſorum terræ Interdicto Eccleſiaſtico ſubiicitur quamdiu uſurarii in eis commorantur: ſecundo vero loco loquens de laicis decernit ipſo per cenſuram compeſcendos, & retrahendos eſse, quod valet ſive laici ſint perſonæ ſingulares, ſive ſint communitas, & univerſitas: nam Summus Pontifex univerſaliter, & indefinite loquitur de laicis.

De

De Interdictis perſonalibus ſpecialiter latis, & nonnullis etiam generalibus ſeu Mixtis.

De interdicto contra ferentem Excommunicationem abſque prævia admonitione, & teſtibus c. ſacro de ſentent. excom. Cap. 1413.

1 FErens excommunicationem abſque prævia admonitione, & teſtibus interdicitur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ c. ſacro citato, & contra ferentem cenſuram ſine ſcriptis vel expreſſione cauſæ, aut non tradentem exemplar, ſi feratur infra menſem c. cum medicinalis de ſenten. excommunicationis.

De interdicto contra recipientem Epiſcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici. Cap. 1414.

1 REcipiens præfatas dignitates Eccleſiaſticas de manu laici remanet interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ quouſque reſipuerit. c. ſi quis 16. q. 7. Materia iſtius interdicti reſpectu recipientium eſt recipere Epiſcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici ut patet ex textu. Exiſtimo tamen ad incurrendam hanc cenſuram opus eſſe, ut quis poſſeſſionem illius dignitatis jam acceperit, quia tunc dignitas capta cenſetur, & tunc conſummatur delictum. Subiectum iſtius ſuſpenſionis ſunt illi omnes qui aliquam dignitatem recipiunt; & ipſimet laici, qui eam conferre præſumunt, nam pœna lata contra recipientes extenditur etiam in eodem textu ad laicos conferentes. Effectus iſtius cenſuræ eſt gratiam Beati Petri, & introitum Eccleſiæ interdicere: ſic enim dicitur in textu. Iſta cenſura reſpectu recipientis durat donec recipiens reſipiſcat deſerendo dignitatem acceptam; ea tamen dimiſsa probabile eſt non indigere peculiari abſolutioni, quia videtur lata ſub hac conditione, & ad hoc uſque tempus,

De interdicto contra Epiſcopos, & Abbates qui in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum non ſervant formam præſcriptam in Extravag. Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienandis. Cap. 1415.

1 PRæfati delinquentes interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi infra ſex menſes reſipuerint, ſuſpenduntur ipſo facto à regimine, & adminiſtratione in temporalibus, & ſpiritualibus.

De interdicto contra Epiſcopos, & Epiſcopis ſuperiores aliquid ſibi uſurpantes ex redditibus Eccleſiarum vacantium Capit. præſenti de offic. ordinarii in 6. Capit. 1416.

1 COntra præfatos delinquentes fertur interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: contra alios vero Epiſcopis inferiores fertur ſuſpenſio ab officio, & beneficio.

De interdicto contrà judices Eccleſiaſticos, qui officiales Romanæ Curiæ, aut alias in Romana Curia pro ſuis negotiis exiſtente privant beneficiis, eaque aliis conferunt extravag. 3. de privilegiis. Cap. 1417.

1 IN præfata extravaganti non ſolum fertur excommunicatio, & ſuſpenſio, verum etiam interdictum.

De interdicto contra quoſcumque, qui interdictum locale generale violant celebrando, aut faciendo celebrare divina in locis interdictis, aut qui admittunt excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam Cap. 1418.

1 PRæfati delinquentes incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfecerint ad arbitrium illius cujus ſententiam neglexerunt c. Epiſcoporum de privilegiis 6 Materia iſtius interdicti conſiſtit in triplici actione, qua violatur obligatio excommunicationis, vel interdicti. Prima actio eſt ſcienter celebrare in loco interdicto. Seconda eſt facere celebrare in loco interdicto ſcienter

Ter-

Tertia eſt admittere excommunicatos publice, vel interdictos ad divina officia, vel ad Sacramenta, vel ad Eccleſiaſticam ſepulturam: ſic enim dicitur in textu. Subjectum iſtius cenſuræ ſunt omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici tam ſeculares, quam religioſi qui præfatas actiones faciunt quia textus generaliter loquitur. Iſta c. ſua ſuſpendit ab ingreſſu Eccleſiæ, & hujuſmodi interdictum durat donec præſtita ſit ſatisfactio ad arbitrium illius, cujus cenſura violata fuit, ſic enim dicitur in textu.

De interdicto contra Metropolitanum, qui per nuncium, aut litteras non defert intra tres menſes Epiſcopos ſuffraganeos abſque juſta, & rationabili cauſa non reſidentes ultra annum, & contra Epiſcopum ſuffraganeum antiquiorem reſidentem, qui non defert Metropolitanum ultra annum abſque legitimo impedimento, ſeu juxta abſentem, ultra annum. Cap. 1419.

1 ISti ligantur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ ex decreto *Trid. ſeſſ.6. c.* ad finem verſ.creſcente vero contumacia de reformatione.

De interdicto contra Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos accipientes occaſione viſitationis aliqua victualia. Cap.1420.

1 PRæfati delinquentes ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ ex *Trident. ſeſſ.* 23. *c.* 3. ubi innovatur c. exigit de cenſibus ubi hæc cenſura fertur. Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenduntur.

De interdicto contra Prelatos edentes, ſeu publicantes gloſas, ſcholia, aut interpretationes circa Concilium Tridentinum abſque licentia Papæ. Cap. 1421.

1 PRæfati Prælati interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ: alii vero inferiores excommunicantur à Pio V. in Bulla confirmationis Concilii Tridentini.

De interdicto contra Presbyteros, Diaconos, vel Subdiaconos, qui in crimine fornicationis jacent. Cap 1422.

1 PRæfati delinquentes ſuſpenſi ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ uſque dum ipſos pæniteat, & ſe emendent, c. ſi qui ſunt diſt. 81. Exiſtimo tamen iſtud interdictum hoc tempore uſu receptum non eſse. Addo probabiliſſimum mihi videri hujuſmodi interdictum etiam ſi uſu receptum eſset ceſſare poſita pœnitentia: quia videtur latum ſolum donec delinquentes reſipuerint, nam in dicto cap. dicitur interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & San. Petri auctoritate Eccleſiæ introitum uſque dum peniteant. & ſe emendent.

De interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ contra Capitula, Collegia, Societates, Congregationes, & locorum piorum Superiores, & alios ad quos pertinet, ſi non auferant capſam cum inſcriptione pro eleemoſinis Miſſarum, cum alio celebrandarum miſſarum onere detineatur aut ſi pecunias acceptas pro perpetuo onere celebrarum Miſſarum non deponant apud ædem ſacram, vel perſonam fide dignam, & idoneam, ut quam primum in bonis immobilibus frugiferis implicetur, Cap. 1423.

1 SAcra Cardinalium Concilii Trid. Congreg. ut effrenatæ nonullorum cupiditati habenas imponeret, & voluntari tradentium eleemonnas pro celebratione miſſarum morem gereret ſuo Decreto anno 1625. die 22. Menſis Septembris ſtatuit.

Primo ut Epiſcopi, aut Generales religionum nullo modo reducant onera miſſarum impoſita poſt Concilium, aut in limine fundationis Beneficii.

Secundo, ut nullus plures accipiat Eleemoſynas pro eodem Miſsæ ſacrificio, & revocat omnia privilegia.

Tertio prohibet, ne Sacerdos, qui miſſam celebrandam pro certa eleemoſyna ſuſcepit, eamdem miſsam celebrandam committat retenta ſibi ejuſdem eleemoſinæ parte.

Quarto præcipit ſub pæna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, ut

ut pecuniæ acceptæ cum onere perpetuo miſſarum celebrandarum, ſtatim deponi, debeant penes ædem ſacram, vel perſonam idoneam ad effectum illas quam primum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa mentione oneris.

Quinto prohibet ſecularibus ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſię ipſo facto incurrenda; regularibus vero ſub pœna privationis ipſo facto vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, quæ tunc obtinent, ac inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, ne onera Miſſarum perpetua ſuſcipiat ſine licentia in ſcriptis, & gratis concedenda ab Epiſcopo vel eius Vicario generali, ſi ſeculares ſint, vel à Generali aut Provinciali ſi ſint regulares.

Sexto prohibet capitulis aliiſque perſonis ne eleemoſinas pro miſſis celebrandis, etiam ſponte oblatas, accipiant, ſi oneri aliarum miſſarum celebrandarum nondum ſatisfeceruut: ſecus ſi oneribus antea impoſitis ſatisfecerunt: ſecus ſi oneribus antea impoſitis ſatisfecerunt.

Septimo præcipit omnibus, ut dum onere Miſſarum celebrandum detinentur, auferant capſulas ab Eccleſiis cum inſcriptione illa Eleemoſina pro miſſis, alioquin Seculares incurrant ipſo facto pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: regulares vero privationem vocis activæ, & paſſivæ privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa in poſterum obtinenda.

Addo nonnullas ſacræ Congregationis declarationes illius decreti editas.

Primo quando legatum eſt adeo tenue pro celebrandis miſſis ſacra Cardinalium Congregatio dixit recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam; quæ abſque ulla impenſa ſtatuet, quod magis idoneum iudicaverit.

Secundo ſi tribuens eleemoſinam numerum miſſarum celebrarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſæ celebrari debent quot præſcripſerit ordinarius.

Tertio cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſina congruam iuxta qualitate loci, perſonarum, ac temporum: ſacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo tenetur miſſa illis ab offerente præſcriptas celebrare

Quarto Sacerdotes quibus diebus tenentur miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu capellię, &c. ſi eleemoſinas pro aliis etiam miſſis celebrandis ſuſceperint non poſſunt eadem miſſa utriq; obligationi ſatisfacere.

Quinto ubi nullam certam eleemoſinam teſtator reliquit, eſt ab Epiſcopo præſcribenda eleemoſina congrua.

Sexto Rector beneficii qui poteſt miſſam per alium celebrare ſatis eſt ut tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſinam congruam ſecundum morem Civitatis.

Septimo Sacerdotes, quibus aliquando offertur Eleemoſina maior ſolita pro celebratione miſſæ debet dare eandem eleemoſinam integram iis, qvibus Miſſas celebrandas committunt.

De interdicto contra conferentes ordines Simoniace. Cap. 1424.

1 Sixtus V. in bulla, quæ incipit Sanctum, & ſalutare inter cæteras pœnas Simoniace ordinantibus impoſitas, adiunxit pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatam.

De interdicto contra Cardinales, Epiſcopos, & alios Prælatos recipientes beneficia vel penſiones in confidentiam. Cap. 1425.

1 Pius IV. in bulla quæ incipit Romanum Pontificem interdicti pœnam Sedis Apoſtolicæ reſervatam impoſuit Cardinalibus, & Prælatis recipientibus beneficia, vel penſiones in confidentiam; aliis vero pœnam excommunicationis.

De interdictis localibus, generalibus, & ſpecialibus.

De Interdicto contra civitatem, cuius domini temporales, rectores, & officiales non obſervant ea, quæ ſervanda ſunt in electione ſummi Pontificis quoties ſummus Pontifex mortuus eſt in illa Civitate, & in ea futuri Pontificis electio facienda eſt. Cap. 1426.

1 Sicut præfati Domini: ſeu officiales, qui præfata non obſervant vinculo excommunicationis afficiuntur, ita etiam ipſamet civitas Eccleſiaſtico interdicto ſupponitur, & Epiſcopali, ſeu Pontificali dignitate privatur: ubi periculum de electo in 6. quæ autem obſervanda ſunt à dominis temporalibus in civitate in qua Summus Pontifex moritur videnda ſunt in preſato capite.

De

De Interdicto contra civitatem, caſtrum, vel locum, cujus collegium, aut univerſitas exigit, ſeu extorquet, aut ſolvere compellit per ſe, vel per alium ſuo, vel alieno nomine pedagia, vel guidagia, aut exactiones ab Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis, exceptis rebus, quas cauſa negotiationis deferunt. Cap. 1427.

1 PRæfata loca Eccleſiaſtico interdicto ſubiiciuntur, & ſingulares perſonæ vinculo excommunicationis obſtringuntur c. quamquam de cenſibus l. In 6. Materia, ſeu actiones propter quas hoc interdictum incurritur ut exigere, ſeu extorquere pedagia, aut alias exactiones ab Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis per ſe, vel per alium nomine proprio vel alieno aut compellere ad ſolvendum, ut patet ex verbis textus, iſtæ tamen actiones fieri debent à Collegio, vel univerſitate, alioquin ſi à ſingularibus perſonis fiant non incurritur interdictum locale, ſed excommunicatio: ſufficit tamen ut fiat ab univerſitate ſeculari, vel Eccleſiaſtica. Subiectum iſtius interdicti eſt civitas, caſtrum, ſeu locus cujus collegium, vel univerſitas præfatas actiones facit, ut patet ex ipſo textu. Abſolutio reſervata eſt ante factam reſtitutionem, & præſtitam competentem ſatisfactionem, ſic enim in textu dicitur.

De interdicto contra civitatem, quæ inſequentibus hoſtiliter Cardinales auxilium conſilium, vel favorem præbet aut hujuſmodi delinquentes infra menſem punire negligit, dum punire poteſt c. felicis de pænis in 6. Cap. 1428.

1 HOſtiliter Inſequentes Cardinalem, percutientes, capientes, ſociantes hoc facientem, aut fieri mandantem, ratum habentes, conſulentes, faventes, receptantes, & ſcienter dependentes, ligantur excommunicatione Papæ reſervata. Materia iſtius interdicti eſt dare auxilium, conſilium, vel favorem ad inſequendum, capiendum, vel percutiendum Cardinales: & nolle præfatos delinquentes Infra menſem punire, ſic enim habetur In Clementia. Subiectum iſtius cenſuræ eſt quælibet civitas excepta urbe Romæ; ſic dicitur in Clementina. Abſolutio iſtius interdicti non eſt reſervata Papæ ſicut excommunicationis: quia reſervatio circa interdictum non exprimitur in Clementina.

De interdicto contra Territorium, & loca illius, qui injurioſe, aut temere Epiſcopum percutit, capit, bannit, vel hoc fieri mandat, concedit, vel ratam habet. Cap. 1429.

1 TErritorium præfati delinquentis interdicto ſubiicitur donec delinquens condignam dederit ſatisfactionem, & donec Epiſcopus dimiſſus ſit Cle. 1. de pænis, in qua non ſolum fertur interdictum contra loca. verum etiam Excommunicatio Papæ reſervata contra delinquentes. Materia iſtius interdicti ſunt actiones in dicta Clementina prohibitæ. Prima eſt iniurioſè, aut temere percutere Epiſcopum. Secunda capere Tertia bannire. Quarta mandare hæc fieri. Quinta rata habere. Sexta ſocium hujus criminis eſſe comitando. Septima conſilium, aut favorem dare. Octava ſcienter defendere. Subiectum iſtius interdicti, ſeu contra quæ loca fertur in terram ipſius delinquentis, modo non excedat fines unius Diœceſis ideſt Epiſcopatus, ſi vero delinquens habeat territorium ultra unam Diæceſim, tunc terra, ſeu civitas ſeu Diæceſis principalis domicilii remanet interdicta, & præterea terra, ſeu civitas in qua delictum fuit commiſſum, cum duabus aliis vicinis: modo illæ terræ ſint ipſius delinquentis: Præterea locus, in quo Epiſcopus captus detinetur eodem interdicto ligatur, donec Epiſcopus dimittatur, ut expreſse in dicto textu habetur. Interdictum latum in locum, in quo Epiſcopus detinetur durat quamdiu in eo detinetur: interdictum vero latum in terras deliquentis perſeverat donec delinquens condignam dederit ſatisfactionem, unde præſtita ſatisfactione ceſsat. Addo ſimile interdictum in eadem Clementina ferri contra civitatem: quæ aliquam ex præfatis actionibus facit contra ſuum Epiſcopum: unde materia hujus interdicti ſunt actiones præfatæ vel earum aliquæ Subiectum videtur territorium ipſius Civitatis cum ſuburbiis.

De Interdicto contra regna terras, & loca eorum: qui impedire præſumunt legatum, ſeu nuncium ſummi Pontificis ut terras ſibi ſubiectas ingrediatur. Cap. 1430.

1 LOca prædictorum delinquentium tamdiu interdicto ſubiecta remanent, quamdiu impedientes non deſiſtunt impedire Extravag. ſuper gentes de conſuetudine, imo impedientes ligantur excommunicatione, in Extravag. quam excommunicationem, & interdictum advertendum cenſeo incurri, etiam ſi Principes impediant prætextu conſuetudinis: quamvis enim præfata Extravagans edita ſit occaſione conſuetudinis: quia Principes nolebant legatos ſedis Apoſtolicæ ad ſe tranſmiſſos admittere, niſi ab eis petiti fuiſſent vel de beneplacito ipſorum tranſmiſſi: nihilominus Summus Pontifex Joannes XII. præfatam conſuetudinem abrogat, & in futurum vult libere admitti legatos a Sede Apoſtolica tranſmiſſos pro quibuslibet cauſis.

De Interdicto contra Terras Eccleſiaſticorum, qui per menſem animo indurato perſliterunt in cenſura contracta; eo quod permiſerint uſurarium manifeſtum in terris ſuis commorari ad fœnus exercendum: ipſorum enim terræ Interdicto ſubiiciuntur quandiu in illis terris uſurarii commorantur cap. uſurarum de uſuris in 6. Cap. 1431.

1 IStud interdictum ceſſat ſtatim ac Uſurarii à dictis terris recedunt: quia non ligat ultra voluntatem conditoris verbis expreſſum: conditor autem ligat quamdiu commorantur uſurarii ut patet in textu.

De Interdicto contra locum, in quo ſcienter ſepultus fuit hæreticus, aut ejus receptator, defenſor, vel fautor. Cap. 1432.

1 PRæfatus locus Eccleſiaſtica ſepultura privatur (cap. quicunque de hæreticis in 6.) ubi non fertur interdictum ſimpliciter, ſed potius prohibitio, ſeu inhabilitas ad aliquem ibi ſepeliendum, ut dicitur in textu: In hac pœna non poteſt Epiſcopus diſpenſare: quia diſpenſare non poteſt in jure communi.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum Notabilium, quæ in hac Summa continentur.

Litterac. denotat capitulum, numerus ſequens ſignificat numerum Capituli, littera n. ſignificat numerum, numerus ſequens ſignificat numerum appoſitum in capitulo.

A

Abbas religioſorum poteſt alios efficere participes orationum quæ fiunt in religione cap. 140 num. 8.

Abbas, qui non eſt Epiſcopus, non poteſt confirmare, cap. 42. num. 5.

Abbatiſſa non poteſt exire e monaſterio, cap 420. n. 2.

Abſolutio à Cenſuris non eſt Sacramentum, c. 81. n. 1.

Abſolutio ſemper vere impenditur quando non ponatur obex, c 84. num 3.

Abſolutione eadem poteſt uti in abſolutione à peccatis, & à cenſuris, cap. 84. num. 4.

Abſolutio iterari poteſt ſuper iiſdem peccatis ſemel rite confeſſis, cap 87 n. 1. 2. & 3.

Abſolutio collata abſenti eſt invalida, cap. 88. num. 1.

Abſolutio non poteſt dari in ſcriptis, cap. 89 num. 1.

Abſolvi debet prius Pœnitens ab excommunicatione, & poſtea à peccatis, cap. 101. num. 6.

Abſolvendi facultas conceſſa in articulo mortis eſt abſoluta, & directa, cap 126. num 9.

Abſolutus in articulo mortis a peccatis, quibus annexa eſt cenſura, eo elapſo tenetur quam primum ſe præſentare ſuperiori cap. 126. num. 9 & cap. 239. 238. num. 6.

Abſolutio à caſibus reſervatis ad quem ſpectet 1131. num. 1. & c. 239. num. 4.

Abſolutio data a reſervatis non auditis non reſervatis confert primam gratiam, c ap. 133. n 2.

Abſolutione habita prius à reſervatis, & poſtea non reſervatis recipitur duplex Sacramentum & effectum, capitulo 133. num. 3.

Abſolutio a non reſervatis non debet dari extra neceſſitatem ſi non poteſt abſolvere a reſervatis, ibid. n. 6.

Abſolutio reſervatorum non ſemper eſt Sacramentalis, cap. 135 n. 8.

Abſolutionis facultas conceſſa in Jubileo quomodo intelligenda eſt, cap. 237. n. 5. & c. 242. n. 6.

Abſolutio a cenſuris danda ab Epiſcopo, c. 238. n. 1. & 2.

Abſolvi quis poſſit a cenſuris, cap. 240. n. 1.

Abſolutio in foro interiori, & conſcientiæ quomodo intelligenda eſt, cap. 241. n. 1.

Abſolutio ab excommunicatione incurſa propter violationem immunitatis a quo tradenda eſt, cap. 679. num. 1. & c. 1203. n. 1.

Abſolvere quis poſſit a cenſura Bullæ Cænæ. c. 1121. n. 1.

Abſolvere præſumens a caſibus Bullæ quibus pænis ligetur, capitulo. 1022. num. 1.

Abſolvendus a cenſuris Bullæ quænam obſervare debet, c. 1123. n. 1.

Abſolutionem ab excommunicatione ab incurſa ob duellum quis non conferre poſſit, c 1233. n. 1.

Ace-

Acetum non eſt materia apta Sacramenti Sangvinis, ca.47. n.10.
Actus tres ſunt inſtituti pro materia proximi Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 83. nu.8.
Actus perfectior tenetur ad delenda venialia c.92.n.3.
Actiones, & actus quomodo explicari debent in confeſſione, cap 99.a.10. num.1.
Actuum repetitorum numerus in confeſſione aperiendus eſt, ibidem a. 10. nu.1.
Actu externo confeſſo non eſt neceſſarium actu interno conſiteri, ibid. a.10. n.14.
Actibus principalibus confeſſis, non eſt neceſſe actus minus principales confiteri, ibid.a.10. n 15.
Actus, & circumſtantiæ, quæ ſequantur actum principalem non ſunt confitendæ, ibid. a.10. n.16
Actuum interruptio quomodo cognoſcatur, ibid.a 10. n.20.
Accelerata debet eſſe confeſſio, & quomodo, ibid.a.13. n.1.
Accuſans debet eſſe confeſſio, ibid. a. 15. nu.1.
Actus naturalis non ſufficit ad remiſſionem peccatorum venialium, cap.115. nu.7.
Actum omittens neceſſarium ad conſequendam indulgentiam eam non conſequitur c.142.n 17.
Actus diverſi poſſunt conferre plures indulgentias, ibid.n.20.
Actus deſiderii, & velleitatis quando eſt peccatum, c.107. n.7.
Actus præpoſterus cum uxore eſt peccatum, c 210. n.5.
Actus mere internus non ſubiacet pœnis Eccleſiaſticis, c.324. n.1.
Actiones Simoniacæ factæ quenam ſint validæ, c 506. n.1.
Actus factus contra legem quando eſt Invalidus, c.559. n.1. & 2.
Actus quotuplex ſit, c.602 n 1.
Actiones principales, & acceſſoriæ ſubiectæ excommunicationi contra piratas quænam ſint, c.1046 n.1.
Actio, quæ ſubiicitur excommunicationi latæ contra ſurripientes naufragantium bona quænam ſit, capit. 1048. nu.1.
Actiones prohibitæ imponendo pedagia c.1051. n.1.
Actio ſubiecta excommunicationi contra falſificantes quænam ſit, cap.1055. nu.1
Actiones ſubiectæ excommunicat. contra deferentes ad infideles quot ſint, cujus generis, & quam malitiam habeant, c. 1056. n 1.
Actiones vetitæ ſub excommunicatione contra impedientes eos qui deferunt victualia ad Romanam curiam, capit. 1060. n.1.
Actiones prohibitæ ſub cenſura lata contra lædentes Romipetas quænam ſint, c. 1065. n.1.
Actiones quænam ſit prohibitæ ſub cenſura contra offerdentes Cardinales, & alios, c. 1069. n.1.
Actiones quænam ſint prohibitæ ſub cenſura contra perſonas, quæ in Romana Curia cauſas agunt, capit.1073. nu.1.
Actiones quænam ſint prohibitæ ſub cenſura lata contra recurrentes ad laicam poteſtatem, c 1077. n 1.
Actiones quænam ſint prohibitæ ſub cenſura lata contra impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, cap.1078 n 1.
